COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

ATREBATI. — EX TYPIS ROUSSEAU-LEROY.

COLLECTIO

DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA,
ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES SECULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT

HUIC ACCEDUNT

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ PRÆSERTIM NOVISSIMÆ
AD CONCILII TRIDENTINI DECRETA SPECTANTES, DECRETA GENERALIA
CETERARUM CONGREGATIONUM, NECNON SELECTÆ VETERES DECLARATIONES, MENTES, MODI
ET INSTRUCTIONES SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII INEDITÆ

OPUS

AD MAJOREM FACILITATEM ALPHABETICO
ORDINE PER MATERIAS, ET TRACTATUS DISPOSITUM,
ACCURATEQUE COLLECTUM, AC IN TRES PARTES DE DECLARATIONIBUS
DE TITULIS CAUSARUM, DEQUE CONCLUSIONIBUS
DIVISUM OPERA, ET STUDIO

JOH. FORTUNATI DE COMITIBUS ZAMBONI

ROMANI JURISCONSULTI

TOMUS I

ATREBATI

APUD ROUSSEAU-LEROY, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA SAINT-MAURICE, 26

MDCCCLX

CELSITUDINI REVERENDISSIMÆ

DOMINO DOMINO

SIGISMUNDO ANTONIO

PRINCIPI S. R. I. E COMITIBUS

AB

HOHENWART IN GERLACHSTEIN

ARCHIEPISCOPO VIENNENSI, MAGNATI HUNGARIÆ, MAGNÆ CRUCIS AC PRÆSULI INSIGNIS ORDINIS S. LEOPOLDI, ETC., ETC., ETC.

Johannes Fortunatus Zamboni

Prodit in lucem primum volumen Collectionis Declarationum Sacræ Congregationis Concilii, *quod pro singulari Tua in me clementia CELSISSIMO NOMINI TUO passus es inscribi. Necessarium minime duco, ut passim ad impetrandum patrocinium ab auctoribus fieri solet, rationes pluribus commemorare, quæ huic operi in commendationem suffragantur. Complectitur enim disciplinam sancti Concilii Tridentini ex interpretatione Sacræ Congregationis proprie ad id deputatæ explanatam, quamTibi veluti normam in regimine ecclesiarum, ac in*

ministerio episcopali in fidelium utilitatem sequendam proposuisti, et eo summam venerationem, atque adhæsionem ad ipsum sacrum Concilium Tridentinum declarasti. Hinc objecta eadem, quæ in hoc volumine continentur, sicut et veneratio, atque observantia, quam erga Celsitudinem Tuam Reverendissimam habeo, me jubent, ut hoc opus præ ceteris Tibi, scientiis sacris versatissimo, ac de disciplina ecclesiastica maxime sollicito dedicem, et Amplitudini, Gratiæque Tuæ commendem. Absit a me, ut laudes Tuas quas modestia Tua recusat, recensere instituam; melius enim facta Tua, gestaque easdem promulgant, atque illustrant. Excelsarum mentium est, laudes, populique plausum fugere, et res laude dignas gerere. Quod hoc dissimulare minime licet, illud est, quod persuasissimum habeam, ex hoc peculiari favore, quo Nomen Tuum operi præfigi benignissime pertulisti, non minus in Te existimationis, quam utilitatis in Ecclesiam redundaturum. Intelliget enim orbis catholicus, quanto in honore, quanta in veneratione apud Te sanctiones Sacri Concilii Tridentini sint. Quo fieri necesse est, ut, si qui sint, quorum fortassis animis minus recta de illis Canonibus insederit opinio, abjecto errore, saniorem mentem inducant, ubi viderint, talem, tantumque Præsulem earumdem patronum se publice profiteri.

Accipe igitur opus isthoc, non tam meum, quam reipsa Tuum, utpote honoribus Tuis dicatum; illudque pro ea benignitate, qua quidquid usquam in Ecclesiæ commodum vel exaratum, vel gestum est, amplecti soles, æqui bonique consule. Sit, precor, æternum benevolentiæ erga me Tuæ monimentum; sit simul pignus, quamvis tenue observantiæ in Te meæ; sit denique publicum testimonium, mihi, dignas beneficiis Tuis gratias referre non possim, grati tamen animi significandi voluntatem non defuisse.

INDEX INTRODUCTIONIS.

Pag.

§ I. Ratio præsentis editionis. I

§ II. De celebratione sacri Concilii Tridentini. II

§ III. De decretis sacri Concilii Tridentini. VI

§ IV. De prohibitione interpretationis sacri Concilii Tridentini. XIII

§ V. De erectione sacræ Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum. XIV

§ VI. De Officio sacræ Congregationis Concilii. XVII

§ VII. Praxis sacræ Congregationis Concilii in causis propositis. XXI

§ VIII. De causis contentiosis agitatis in sacra Congregatione Concilii. XXVII

§ IX. De causis, quæ in sacra Congregatione Concilii cumulative agitantur cum ceteris sacris Congregationibus. XXVIII

§ X. De sacra Congregatione specialiter instituta super residentia Episcoporum. XXXII

§ XI. De Officio, et facultate Cardinalis præfecti sacræ Congregationis Concilii. XXXVI

§ XII. De munere, et officio a secretis sacræ Congregationis Concilii. XXXVII

§ XIII. De Congregatione particulari Præsulum adjecta ad sacram Congregationem Concilii super relationibus visitationis Limina Apostolorum. XXXVIII

§ XIV. De archivo, secretario, et officialibus sacræ Congregationis Concilii. XL

§ XV. De editionibus decretorum S. Concilii Tridentini, atque declarationum Congregationis Cardinalium sacri ejusdem Concilii interpretum. XLIII

§ ultimus. Quid a me in hac Collectione præstitum sit. XLVI

INTRODUCTIO.

§ I.

Ratio præsentis editionis.

Revolventi mihi sæpenumero *Thesaurum Resolutionum* S. Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, perbeati esse, illi visi sunt, qui in foro ecclesiastico, et honoribus et rerum gestarum gloria florentes, et canonicis quæstionibus incumbentes, eam rationem tenere possent, ut brevi temporis spatio, et absque diuturno labore certo, scirent, quid S. Congregatio decrevisset, quid deinceps addidisset, quid immutasset. Ac sane difficillime in *Thesauro Resolutionum* quærendo, quidquam invenitur, cum tot decretorum exigui sint indices, qui singulis fere annis respondeant, decretumque inde revocatum in obscuro hæreat; omnisque ecclesiastica controversia diversis temporibus agitata, qua late patet, minime appareat. Contra quam utile commodumque sit, penes se habere decreta omnia simul collecta, quæ ad unum et idem cujusvis disciplinæ genus pertinent, facilis est existimatio. Norunt ipsi per se homines litterarum studiosi, quantum inde sumptibus eorum, operæque parcatur; scilicet, ingentis plerumque bibliothecæ loco sunt per pauca id genus volumina, in quibus occurrunt statim, et ad nutum præsto sunt, quæ per innumeros pene libros temere dispersa sunt, qui non sine magnis impensis parari, nec sine summa temporis jactura evolvi queant. Hinc adeo cuivis facillimum est, monumenta inter se conferre, alia ex aliis explanare, illustrare, firmare, quod vetustum est, aut recens, quod singulare, aut pervulgatum, annotare; recto denique cursu sic ad unum tendere, ut nec a proposito aberret unquam, nec laboris, aut temporis quidquam deperdat.

Id porro si de quavis lucubrationum specie certe de *Thesauro Resolutionum* S. Congregationis Concilii dicere liceat, quæ in maxima fere parte sic inter se aptæ, connexæque sunt, ut aliæ ex aliis nascantur, ac pendeant, atque adeo non interruptam, sed continentem quodam modo postulent lectionem. Resolutiones enim S. Congregationis Concilii in *Thesauro* earumdem secundum tempus dispositæ, plures eamdem exhibent materiam, quæ aut ampliata, restricta, vel confirmata, aut derogata fuit; et arduus est labor, si omnia volumina pervolvere velis, in quibus de quæsita materia agitur, antequam certo scias quid de illa S. Congregatio statuerit. *Thesaurus* præterea plurimis constat libris, quos omnes sibi comparare ob expensas faciendas, non cujusvis est, nec facile est seriem integram invenire.

His me incommodis mederi posse remque non injucundam, neque inutilem facturum juris canonici studiosis esse putavi, si totius *Thesauri* opus longo verborum circuitu scriptum in *epitomen* redigerem; ita tamen, ut nihil scitu dignum relinquerem, nec abundarem in superfluis, et secundum rerum classes

disponerem singulas, ratione habita temporum, ut quomodo immutata fuerit ecclesiastica disciplina, immutatique sint mores; et lector uno intuitu videat, brevique temporis spatio eam materiam comprehendere possit, cui assequendo multorum interdum dierum improbus labor non suffecisset, si pervolutando *Thesaurum* integrum eam complecti voluisset. Quod si quis uberiorem notionem vellet, omnemque controversiam in eodem *Thesauro* perpendere exoptaret, apposui cuilibet decreto nomen diœcesis, diem et annum; omnesque resolutiones ipsius *Thesauri* cum libris authographis S. Congregationis conferre præmeditatus sum, nec non decreta illa, quæ ante annum 1700, a S. Congregatione emanata fuerunt, et in *Thesauro* passim de mente S. Congregationis testimonium perhibent, integra ex ipsis authographis S. Congregationis desumpsi, ut omnia ferme, ut ita dicam, sint, nec a suis exemplaribus dissona, nec a mente, et sensu S. Congregationis disjuncta. Quod quidem nemo non videt, quantum semper negotii facessere necesse sit, viris sacrarum rerum studiosissimis, qui in ipsis collectionibus S. Congregationis decretorum, quæ tanquam venerabilia ecclesiasticæ disciplinæ deposita, scrutari quotidie debent vel levissimum errandi periculum extimescunt.

Antequam vero rem ipsam aggrediar, non videtur a proposito alienum esse, quædam hic de S. Congregationis Concilii origine delibare, deque S. Concilio Tridentino, quod causam hujus erectionis præbuit. Demum quid in hac Collectione præstitum sit, quave methodo usus sum, paucis in postremo paragrapho explicabitur.

§. II.

De celebratione sacri Concilii Tridentini.

Quum omnia essent odiis, et dissentionibus plena, cum schismate, et hæresibus jaceret christiani nominis divulsa jam prope, et lacerata unitas, et Pontifex Maximus Paulus III, dum cerneret Martini Lutheri grassantes in Germania, et in toto fere Septentrione bullientes hæreses, collapsam undequaque penitus Ecclesiæ disciplinam, corruptos ubique fidelium mores, sollicitus, ut tot, tantisque malis occurreret, Concilium generale cogere statuit. Quia « consilio Spiritum effundit Sapientia divina maxime in quinto statu super Ecclesiam.... secundo, in confusione tot sectarum, quas Lutherus hæresiarcha in mundum effudit, interponendo Concilium Tridentinum tanquam lucernam in caliginoso loco, in quam respicientes christiani scirent, quid credere deberent. Et si dictum Concilium Tridentinum non fuisset interpositum; multo plures a vera fide catholica defecissent; tanta enim tunc temporis erat confusio opinionum, ut vix scirent homines, quid deberent credere. » Ita venerabilis servus Dei Bartholomæus Holzhauser, *in Comm. Apocalypsis*, sect. III, in cap. III, vers. 1, pag. 240, édit. Bambergæ, 1799, in-8°. Causam autem indictionis hujus Concilii affert Cabassutius, *Notit. Concil.* cap. 96 : « Hujus (ait) indicendæ Synodi præcipuæ causæ fuerunt ingruentes tum Lutheranorum, tum Sacramentariorum hæreses et morum in clero pravitas, disciplinæque sacræ omnimoda relaxatio. Quibus exitialibus malis, ut remedium efficax adhiberetur, Sacra Synodus quanta desiderari poterat cura, et sollicitudine providit multiplicibus, et sapientissimis decretis, adeo ut plusquam reliqua omnia, quæ præcesserunt Concilia, dici merito possit Tridentinum copiosissima penus, promptuarium uberrimum, et ditissimus thesaurus totius Ecclesiæ, tum ad fidei circa omnes fere articulos elucidationem, tum ad sacræ disciplinæ plenam instaurationem. »

Reddita vix fuit per initam principum pacem sua tranquillitas Ecclesiæ, cum illico Paulus III, Pontifex Maximus animum adjecit ad resumendum Concilium tantis votis per annos fere viginti duos expetitum; sæpius quidem indictum, sed sæpius etiam impeditum: Edidit enim Bullam indictionis die 22 maii 1542, quæ incipit *Initio*, qua sic allocutus est § 10: « Hujus igitur ipsius Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi, de Venerabilium item Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu, sublata, amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsentes tollimus, et amovemus, sacrum, œcumenicum, et generale Concilium in civitate Tridentina loco commodo, et libero, omnibusque nationibus opportuno, ad kalendas proximas Novembris anni præsentis ab Incarnatione Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo incipiendum, prosequendum, et eodem Domino adjuvante, ad ipsius gloriam, atque laudem, et christiani totius populi salutem absolvendum, perficiendumque indicimus, annuntiamus, convocamus, atque decernimus. » Postmodum idem Summus Pontifex convocationis causas exprimit hisce verbis : « Quo melius atque commodius, quæ ad integritatem, et veritatem christianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum quæ ad Christianorum inter se tam principum, quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, et quæ ad repellendos impetus barbarorum, et infidelium : quibus illi universam christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeunte, et lumen Sapientiæ suæ ac veritatis mentibus nostris

præferente, agi in dicto sacro œcumenico Concilio, et conspirante omnium charitate, consuli, tractari, confici, adoptatosque exitus deduci quamprimum, et quam optime possint. »

Prædicto regnante Pontifice decem habitæ sùnt sessiones, octo nimirum Tridenti, et duæ Bononiæ, quo venerant Concilii Patres fugientes contagionem, qua Tridentum premebatur; inde edita fuit Bulla ejusdem Pontificis, ut prorogetur Concilium usque ad bellorum sedationem, quæ incipit *Etsi cunctis*, 5 junii 1543 [1]; et per totum triennium in religionis negotio decreta nec Tridenti, nec Bononiæ facta sunt, præter duas sessiones prædictas Bononiæ habitas, causa Concilii prorogationis. Tandem Julius III, in Sede S. Petri successor vigore constitutionis *Cum ad tollenda*, 24 nov. 1550 [2] Tridenti Concilium restauravit, reassumendum dei 1 maii 1551, ac sex habitis sessionibus propter bella intermissum fuit. Denique redintegratum est a Pio IV, Pont. Max. const. *Ad Ecclesiæ*, 21 novemb. 1560 [3], qui indixit ad diem Resurrectionis Dominicæ proximæ futuræ Concilium; atque altera Const. *Ad Ecclesiæ* 29 novemb. ejusd. anni. [4] prosequi mandavit; quod novem celebratis sessionibus absolutum fuit die 4 decem. 1563 sub eodem Pontifice (cooperante magna pietate, ac sollicitudine S. Caroli Borromæi ejusdem Pontificis nepotis, et primi ministri); inde approbatum, confirmatumque Const. *Benedictus Deus* 26 januarii 1465 ejusdem Pontificis [5].

Per earum sessionum autem intervalla tum Patres, quam Theologi, in suis cœtibus super iisdem argumentis studio nunquam interrupto consultabant. Quo labore factum, ut in postremis tribus sessionibus brevi tempore tam multæ, tantique ponderis editæ fuerint definitiones, et constitutiones. In nonnullis ex viginti quinque sessionibus nulla plane decreta emanarunt. Nam in sess. I. apertum fuit Concilium solemni supplicatione præmissa die 13 decem 1545; in sess. II. de modo vivendi, et aliis in Concilio servandis actum est; in sess. III. de professione Fidei agitur; in sess. VIII. quum morbus contagiosus in urbe, agroque Tridentino grassari incipiens, gravioris luis periculum minitaretur, translatio Concilii Bononiam decreta fuit; in sess. XI. de reassumendo Tridenti Concilio actum est; in sess. XVI. de suspensione; in sess. XVII. quæcumque Synodi suspensio sublata est; et in sess. XVIII. primum, quod delecti Patres ad disquisitionem librorum, quid facto esset opus, deliberarent; deinde, de iterata vocatione hæreticorum, securitate illis amplissima concessa, verba facta sunt. In sess. IX, X, XII, XV, XIX, XX et XXIII. de prorogatione sessionis in sessionibus facta; cujus prorogatio est sæpius, sed extra sessiones, in conventibus tantum generalibus facta. Unde patet, ex 25 sessionibus Concilii, nonnisi decem fuisse in extirpationem hæresum, et morum emendationem, primarios Concilii scopos, impensas. In ultima autem sessione nulli sunt canones, eo quod de rebus Fidei, de quibus ibi sermo fit, Concilium agere voluerit tantum per modum reformationis, non definitionis; cum hæreses, illis contrariæ, jam pridem ab Ecclesia damnatæ fuerint, et anathematizatæ; nec hæreticorum ulli, contra quos definitio facienda fuerat, coram adesse usque dum sustinuerint, contumaciter post tot humanissimas invitationes, et datam optimo modo juxta proprium ipsorum placitum omnis securitatis publicam fidem, absentes.

In hoc Concilio cautum est, ut nihil definiret, et esse de Fide declararet, in quo complures Patres dissentirent. Quum enim obligatio Fidei sit omnium strictissima, ut quis teneatur omnia potius gravissima tormenta subire, vitamque ipsam amittere, quam id negare, vel pro dubio habere, quod Fide divina credendum esse proponit Ecclesia; ideo fieri non potuit, nec debuit, ut fideles obligarentur ad id assensu tam firmo tenendum, quod complures docti, probique viri non irrationabiliter negant, vel in dubium revocant. Hinc sacra Synodus in his de peccato originali definitionibus necnon in aliorum dogmatum declarationem, supervacaneis articulis abstinuit, ab illis nimirum, qui inter diversarum scholarum catholicos theologos salva Fide disceptantur. Nam utrilibet parti quis adhæreat, nihil Scripturæ sacræ, vel Traditioni, aut ante actorum conciliorum oraculis derogatur: idcirco ingeniorum libertati permitti possunt absque ullo animarum detrimento. Ideo nec de natura ipsa peccati originalis, nec de propagationis modo, nec de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis aliquid sancitum est, etsi B. Virginem Patres communi consensu judicarint esse sine macula conceptam; Synodus tamen, id velut articulum Fidei declarare non voluit, nec definire; quia complures ex iis, qui profitentur se S. Thomam in theologicis sequi, contrarium amplectuntur; quia Synodus ad hæreses profligandas, non ad opiniones theologorum catholicorum judicandas congregata erat: neque bella inter domesticos excitare prudentiæ fuisset, cum hostes communibus viribus erant debellandi.

Hinc abstinuit ab iis quæstionibus, de quibus

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. I, pag. 222.

[2] *Ibidem*, tom. cit., pag. 277.

[3] *Ibidem*, tom. cit. part. II, pag. 56.

[4] *Ibidem*, tom. cit., pag. 57.

[5] *Ibidem*, tom. cit., pag. 168.

scholæ theologorum in utramque partem probabiliter disputant; an sacramenta sint causæ physicæ, vel morales? in quo posita sit ratio characteris? An ad efficaciam sacramenti sufficiat intentio ritus exterioris serio exercendi, quem exercet Ecclesia; an vero necessaria sit intentio ipsius effectus, et finis quem Ecclesia intendit? Hinc ab illa quæstione definienda temperavit Synodus, æqualis an major gratia impertiretur sumenti Eucharistiam sub utraque specie, quam sub una solum, propterea quod theologi complures in æqualitatem propugnabant, et Concilio satis erat hæreses proscribere, in quo plurimum adhuc operæ supererat. Capite quarto *de Contritione*, sacra Synodus scholasticorum opiniones non attigit, quorum alii contritionem charitate formatam necessariam esse sacramenti Pœnitentiæ partem, alii non necessariam; sed attritionem, quæ charitatis expers sit, sacramenti partem esse idoneam affirmabant; sed utramque in eodem statu reliquit, quo antea erat. Unum ergo Lutheri damnavit errorem asserentis, *imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, hominem facere hypocritam, et magis peccatorem*. Etenim cum Magistro Sententiarum Alexander Alensis, S. Bonaventura, Okam, Major, Biel, aliique magni nominis theologi primam sententiam propugnaverunt de necessitate contritionis charitate formatæ; reliqua theologorum cohors alteram de attritionis sufficientia, ad quam tamen alii amorem Dei inchoatum, et imperfectum, alii nullum postularunt. Ita diu multum, acriterque in privatis theologorum, et generalibus Patrum cœtibus disceptatum fuit, an Episcopi jure divino in Ecclesia sint instituti? Quo jure in suis ecclesiis residere teneantur? et de residentia visum est sanctæ Synodo definiendum non esse, quo jure ad eam Pastores tenerentur.

Item res decernendæ ad Fidem spectantes in privatis primum Patrum, et theologorum cœtibus discutiebantur, disceptabantur; deinde in congregatione generali Patrum universorum ad examen revocabantur; et ita si res ita postularet, controversæ quæstiones de rebus Fidei, quæ debebant in aliqua sessione decidi, fuerunt semper prius discussioni theologorum subjectæ; et quæ de singulis theologi dixerunt, notabantur a scribis publicis. Erant ex quavis natione delecti præstantissimi quidam Patres, ut hæc annotata inter se conferrent, et in compendium, ac certa capita redigerent, postea reliquis Patribus tradenda. Cognitis theologorum sententiis Patres resumpserunt easdem quæstiones in Conventu suo generali tractandas, et tamdiu super iis disputarunt, donec tandem constaret, quid communiter de qualibet sentirent. Deinde fuit formula decreti, vel canonis facta conformiter iis quæ Patres censuerunt probanda, vel improbanda, addenda, demenda, vel aliter immutanda. Ad ejusmodi formulam conficiendam delecti sunt iterum alii quidam ex doctissimis Patribus diversarum nationum. Composita per deputatos formula, delata ad conventum generalem fuit; ubi Patres omnia accurate perpenderunt, ad trutinam tam exactam, ut singula fere verba deducta fuerint in considerationem. Et si quidem plerique voluerunt, aliquid in ea mutari, tunc id fiebat; si pauci, vel etiam tantum unus, et si id erat res magni momenti, iterum tunc omnes super ea rogabantur sententiam. Cum autem res fuit minoris momenti, tunc Patribus aliquot commissa est, ut, audito quorumdam theologorum consilio, dijudicarent. Hinc sæpe factum est, ut aliter, et aliter fuerit reconcinnanda, donec communi consensu videretur ad publicationem in sessione faciendam satis parata.

Reformationem morum, et si forte rigidiorem exigere videri poterat publicum Ecclesiæ bonum, Synodus tamen ad fragilitatem humanam attemperavit ea moderatione, ut facilius posset in praxim deduci; siquidem frustra communitati præscribuntur leges valde perfectæ, cum ab ea nunquam magna possit perfectio sperari. Hinc quæ de reformatione morum in qualibet sessione videbantur statuenda, communiter non sunt prius theologis tradita, cum ad ea non tam scientia, quam prudentia sit necessaria. Constituebantur ergo particulares aliqui cœtus, in quorum singulis certus Patrum numerus deliberabat de quæstionibus sibi propositis. Quod in quolibet judicatum fuit, referebatur ad generalem Patrum conventum, et deinde procedebatur ulterius eodem modo, quo solebat in rebus Fidei fieri : cum hoc tamen notabili discrimine, quod in istis ante sessionem requireretur communis consensus, vel nullo, vel non nisi paucis dissentientibus, in quæstionibus autem de moribus et disciplina, sufficiebat consensus majoris partis. Ita communi decreto sancta Synodus post decimum octavum ab ejus initio annum inter multas difficultates et pericula, magno labore, nec minore totius christianæ reipublicæ fructu, superis faventibus, omnibus bonis incredibili lætitia congaudentibus, finita tandem et absoluta fuit. Angelus Massarellus Episcopus Thelesinus, Concilii secretarius, mox cum suis scribis illud in formam redegit, et omnes ei subscripserunt. Addita fuit in fine decretorum declaratio, qua denuntiatum « omnia, et singula sub quibuscumque clausulis, et verbis, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina, tam sub Paulo III, ac Julio III, quam Pio IV, Pontificibus Maximis in hoc sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit, et esse intelligatur. »

Quum decimam Decembris anni 1563 finem ac-

cepisset Concilium Tridentinum, Pius IV, tunc Pontifex Romanus, universa ejus acta, et decreta confirmavit per Bullam, quæ incipit *Benedictus Deus* editam, publicatam Romæ 26 Januarii 1564 [1], et ab omnibus Christi fidelibus suscipienda, ac servanda esse decrevit; præcipiens universis Ecclesiæ Præsulibus quacumque dignitate fulgentibus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœnis a sacris canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, ut eadem decreta, et statuta, in ecclesiis suis, civitatibus, ac diœcesibus, in judicio, et extra judicium diligenter observent, et a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari. Hanc Bullam secuta est alia ejusdem Pontificis, quæ incipit *Sicut ad Sacrorum*, pubiicata Romæ 18 Julii ejusdem anni [2], qua declarat : « Decreta sacri generalis Concilii Tridentini, ad reformationem, et jus positivum dumtaxat spectantia eos, ad quos pertinent, a kalendis maii proximi præteriti omnes obligare cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam, atque ita Apostolica auctoritate declarat, ac definit, et ab omnibus judicari mandat, atque statuit. »

Dubium haud est, quin sacrum Concilium Tridentinum liberum fuerit, in quo Patres sincere locuti sunt, ut testatur Card. Pallavicini *Storia del Concilio di Trento, lib.* 24, cap. 14, num. 15, hisce verbis : « Non solo i Papi senza difficoltà consentirono ai Padri (di Trento) di stabilire tutte quelle riforme, che riguardavano il commune della Chiesa, ma diedero eziandio la facoltà, che quantunque inferiori, ed interessati, riformassero la Corte del loro Sovrano, ed i suoi tribunali; anzi Pio IV, ingiunse più volte ai Legati, che cio si esequisse senza dargliene parte; si dolse, e ridolse, quando nol fecero, lodò quanto nelle sessioni erasi determinato, benchè talora improvviso, contrario alla sua espettazione, e dannosissimo al suo errario, ed alla sua Regia. Il Cardinale di Loreno, e l'Arcivescovo di Praga, dopo di avere con esso lungamente ed intimamente trattato, testificavano al Concilio con indubitata affermazione questa sua prontezza, e questo suo zelo. »

« Indubitatum est (ait Laurenius *in Jus Canon. (Quæst. prælim.* 23.) non solum hujus œcumenicæ Synodi sub Paulo III, et Carolo V, imperatore cœptæ anno 1542, et sub Pio IV finitæ anno 1563 decreta, et dogmata sive ad doctrinam Fidei spectantia obtinere rationem articulorum Fidei orthodoxæ, sive fide divina firmissime credendorum; sed etiam ejusdem constitutiones concernentes morum, et ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, habere auctoritatem et rationem legis universalis, et tanquam jus commune ecclesiasticum novissimum observandas esse, ubicumque hæ legitimæ promulgatæ, eisque non usu, vel usu contrario, aut privilegio Apostolico derogatum non est. Siquidem hoc Concilium legitima auctoritate Apostolica congregatum, ejusque decreta omnia post sess. 25; seu ultimam absolutam 4 decem 1563 confirmata sunt a Pio IV, anno 1564, 26 januar. in Consistorio secreto. Quumque omnia Concilii hujus exemplaria ubilibet impressa accuratissime concordent, nulla ratione est eis deroganda fides. Verum quidem est, quantum est de facto, Concilii hujus decreta non dogmatica seu Fidem non concernentia non esse ubique recepta; an etiam jure non recepta, ex eo pendet, an in loco tali ubi non receptum dicitur Concilium, fuerit aliquando debite promulgatum, an justa causa non recipiendi. »

In Concilio Tridentino non minus repræsentatio fuit totius nominis Christiani, quam in prioribus illis Conciliis, quæ ab omnibus pro œcumenicis habentur, et quæ S. Gregorius Magnus *se ut quatuor Evangelia* venerari profitetur. Quum ad illud ex omnibus orbis catholici regionibus, ac provinciis convocati fuerint, et convenerint Antistites ingenti numero; causa pro qua convocatum est, generalis fuerit, omnesque spectans, scilicet hæresum damnatio, generalis morum reformatio, ac disciplinæ reparatio. Deinde omnes legitimæ, et œcumenicæ Synodi conditiones a Gelasio I. Pont. Max. recensitæ in epistola ad Dardaniæ Episcopos, Tridentinæ conveniunt, ubi « bene gestam Synodum definit, quæ gesta est secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas, pro Fide catholica, et communione prolata, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit; ideoque nova Synodo nullatenus immutandam. » De ejusdem auctoritate ita locutus est inter innumeros doctores Schmalzgrueber, *Jus Eccl. univ.* dissert. Prœm. § 8, num. 360, tom. I. « Hujus Concilii (ait) par cum cæteris œcumenicis, et ab Ecclesia receptis Conciliis auctoritas est : unde fit, quod omnia ejus decreta dogmatica, ut articuli Fidei firmissime retinenda; ea vero, quæ reformationem morum concernunt, tanquam commune, et novissimum jus Ecclesiæ, custodienda, et observanda sint, ubicumque legitime promulgata, nec per desuetudinem aut consuetudinem contrariam abrogata fuerint. Ita communis, et certa sententia DD. catholicorum : et ratio est, quia Concilium

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 168.

[2] *Ibidem*, tom. cit., pag. 178.

hoc in Spiritu Sancto congregatum est auctoritate Apostolica, ejusque decreta omnia a laudato Pio IV in Consistorio secreto per cit. const. *Benedictus Deus* confirmata. »

Itaque sacrosanctam Tridentinam Synodum, post quingentos et ultra annos, nec frequentia conventus, nec doctrina, et gravitate Patrum, nec magnitudine, et difficultate quæstionum, quæ dogmata simul, et morum disciplinam continerent, nec studio, ac consensu principum, ulli œcumenico Concilio inferiorem agnoscimus, neque aliam illustriorem coactam vidimus. De quo quidem Concilio vere dici posse videtur, quod Episcopus Ragazonius in sua oratione ait, quam in ultima Concilii sessione recitavit; nempe in superioribus Synodis ac tum sæpe esse de Fide nostra explicanda, moribusque corrigendis, sed nunquam diligentius, atque distinctius, quam in ista postrema œcumenica Tridentina. Hinc qui de orthodoxa fide recte sentiunt, habent eam loco arcis munitissimæ divinæ Providentiæ miraculo exstructæ, qua in maximis schismatum, hæresum, dissensionum periculis securitas, et in fœdissima tempestate tranquillitas christianæ reipublicæ parta est. Mille clypei pendent ex ea omnis armaturæ fortium, contra quos teterrimi hæreticorum eliduntur conatus, et ignea nequissimi hostis tela quotidie retunduntur. Neque aliter intelligendi sunt mystici illi clypei quam Canones, et decreta ipsa Concilii, quæ ut semper et diligentissime ubique terrarum servarentur, Romani Pontifices pro ea potestate, quam ipsis Deus Maximus tribuit, magno studio, vigilantiaque curarunt, optime intelligentes, ex ea observantia maximas in christianam rempublicam utilitates redundare. Hinc recte percelebre hoc Concilium a fabulis, et falsis imposturis Petri Suavis Polani docte, ac fideliter vindicavit Card. Sfortia Pallavicini in historia ipsius Concilii, cujus recens, et illustrata notis a Cl. Zaccharia editio prodiit Faventiæ, anno 1792 in-4., nec non Nat. Alex. in *Hist. Eccl.* tom. VIII, dissert. XII, ipsius P. Suavis Polani, Caroli Molinaei, et Innocentii Gentileti objectiones adversus dictum Concilium, ejusque auctoritatem refellit, edit. Paris, anno 1669, pag. 618.

Hoc denique œcumenicum Concilium constat sessionibus 25., habet unaquæque fere sessio partes duas, quarum una comprehendit capita, et canones, quibus damnantur hæreses, et catholicum dogma constituitur; altera, quæ inscribitur *de Reformatione*, habet decreta, quæ disciplinam Ecclesiæ respiciunt. Præstat, ea ex ipsis fontibus uberius haurire; nostrum est, nonnisi synopsim reddere.

§. III.

De Decretis sacri Concilii Tridentini.

Duo patebant, quibus ægris, atque infirmis animis medecina erat adhibenda; alterum consistebat in Fidei catholicæ, ac veræ Evangelicæ illis in rebus, quæ in dubium vocantur, quæque opportuna illis temporibus viderentur explicata, et confirmata, dissectis omnibus, et dissipatis errorum tenebris, doctrina; alterum in disciplinæ ecclesiasticæ, cujus potissimum depravatione fideles se defecisse comperiebantur, restitutione. Utrique sancta Synodus consuluit. Hinc sacrosancta, œcumenica, et generalis Synodus, in Spiritu Sancto congregata magnitudinem rerum tractandarum considerans, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus et moribus reformandis, continentur, præmittit fidei confessionem, velut rerum definiendarum principium, ut Patrum exempla, ac majorum nostrorum laudabilem consuetudinem sequeretur, et ut quoddam quasi fundamentum firmum, et unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, futuris actionibus proponeret [1]. Quibus inde testimoniis, atque præsidiis in dogmatibus sanciendis, et instaurandis in Ecclesia moribus nitendum esset, ostendit; veteris, ac novi Testamenti libros, qui essent sine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum Conciliorum probatorum exemplo, enumeravit; ac divinas traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes in catholica Ecclesia conservatas suscipiendas, ac venerandas esse statuit; nec non, ne incerta redderetur divinæ Scripturæ veritas, et ne de verbis quidem ulla ex variis versionibus oriri posset difficultas, vulgatam ex variis versionibus latinis pro authentica habendam declarat, vetatque, ut nullus de rebus sacris liber imprimatur sine Ordinarii licentia, neque suo quisque sensu, et arbitratu divinas Scripturas interpretetur [2]. Et primum quum Ecclesia Dei illis temporibus perturbaretur plurimis erroribus, etiam de peccato originali recta doctrina Ecclesiæ exhibetur [3]. De justificatione deinceps (res magna semper ab hæreticis oppugnata) ea definivit, quibus et perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur, et recte sentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili sapientia demonstraretur [4]. Præstantissimis hisce decretis hæreses fere universæ jugulantur, et quasi calido sole discutiuntur, ac dispelluntur, eaque claritas, isque splendor veritatis apparet. Et sancta Synodus ca-

[1] Sess. 3.
[2] Sess. 4.
[3] Sess. 5, canones 5, *Complectens.*
[4] Sess. 6, cum cap. 16 et can. 33.

nones capitibus subjungit, ut omnes sciant, non solum, quid tenere, et sequi, sed etiam quid vitare, et fugere debeant. Hinc non minus ad fidem pertinet capitum doctrina, quam canonum. Subsecuta est salutaris septem divinorum Ecclesiæ sacramentorum tractatio, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel incœpta augetur, vel amissa reparatur. Et primum de omnibus in genere [1]. Post de unoquoque separatim : de Baptismo [2], de Confirmatione [3]; deinde sanam, et sinceram illam de venerabili, et divino sacramento Eucharistiæ doctrinam tradit, quam semper Catholica Ecclesia a Christo Domino, et ab ejus Apostolis erudita, et a Spiritu Sancto edocta retinuit [4]. Atque de Communione sub utraque specie, et parvulorum disserens, declarat laicos, vel clericos non conficientes, nullo præcepto divino obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum [5].

Inde de vero, et singulari sacrificio Missæ, ea quæ docet, et declarat, fidelibus populis prædicanda proponit [6]. Decretumque de observandis atque vitandis in celebratione Missæ subjungit ad reformandos, qui irrepserant, abusus [7]. Et progrediens ad sacramentum, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur, Pœnitentiæ doctrinam exhibet [8]; addiditque de Extremæ-Unctionis sacramento a Christo Domino instituto, ac ab Apostolis delineato, et insinuato doctrinam, quod non modo Pœnitentiæ, sed et totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus [9]. Pub'icavit insuper catholicam doctrinam de sacramento Ordinis ad condemnandos errores illius temporis [10]. Quæstio salebrosa omissa, et Canon de auctoritate Romani Pontificis suppressus est, cum ejus primatum novo Canone definiri opus non esset, quem in ipsa Synodo œcumenica exercebat. Denique veram de Matrimonio docet doctrinam [11]. Præterea traditur doctrina de Purgatorio, de invocatione, et veneratione, et Reliquiis Sanctorum, sacrisque imaginibus, qua non solum hæreticorum fraudibus, et calumniis obsistitur, sed piorum etiam catholicorum conscientiis plane satisfit [12]. Demum Indulgentiarum usus in Ecclesia retinendus, et si quis abusus irrepserit, cohibendus præcipitur [13].

Altera vero pars, in qua de labenti, et prope cadenti Ecclesia fulcienda erat agendum, diligentissime etiam absoluta fuit, atque perfecta, cum non tantum Lutheri præsertim, et Calvini hæreses profligaverit, sed etiam ecclesiasticæ disciplinæ capita constituerit. Et ne cœlestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus ja'eret, in omnibus ecclesiis, ubi numerosus sit clerus, conventibus, ac publicis gymnasiis expositio, ac interpretatio Sacræ Scripturæ præcipitur [14]. Hæc autem non minus necessaria visa fuit, quam prædicatio Evangelii. Hinc omnes Episcopi, et qui curam animarum habent, cæterique, qui virtute non ambitione præstant, Evangelium prædicare, et sibi commissam plebem pascere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus est necessarium ad salutem, remotis quæstoribus, et eleemosynariis, teneantur [15]. Salus insuper subditorum est integritas præsidentium; hinc ad ecclesiarum regimen, qui maxime digni fuerint, assumantur, qui gregi sibi commisso invigilent, eum minime deserant, non solliciti, an onus residentiæ divini juris sit, quod S. Synodus consultius non definivit. Nam suum ministerium non residentes implere minime possunt Et omnes, qui residentiæ onere gravantur, nisi justa de causa abesse nequeant; jurisque antiqui pœnæ in non residentes innovantur, novæque decernuntur. Est itaque elaborandum, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur [16]. Episcoporum munus est, subditorum omnium crimina redarguere, præsertim clericorum, et regularium extra monasteria degentium, qui sancti esse debent, quia Deus sanctus est; ita ut nullus a correctione Episcopi quovis prætextu eximatur [17].

Episcopi, majoresque Prælati visitent capitula exempta, nullo etiam ex canonicis ad consilium adscito, quos sibi adjungere extra visitationem in causis exemptorum capitulorum debent [18]. Nullique ex eis pontificalia in alterius diœcesis exercere, nec Ordines conferre, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, ac alienos clericos ex privilegio punire liceat. Hinc facultates de promovendo a quocumque, nisi

1 **Sess. 7, cum can. 16.**
2 **Sess. ead., cum can. 14.**
3 **Sess. ead., cum can. 4.**
4 **Sess. 13, cum cap. 8 et can. 11.**
5 **Sess. 21, cum cap. 4, can. 6.**
6 **Sess. 22, cum cap. 9, totidemque can.**
7 ***Ibidem.***
8 **Sess. 14, cum cap. 9 et can. 15.**
9 **Sess. ead., cum cap. 3 et can. 4.**
10 **Sess. 23, cum cap. 4 et can. 8.**
11 **Sess. 24, cum can. 12, et in cap. 1, *de Reform. Matrim., in eo tantum, quod sub anathemate definitum est.***
12 **Sess. 25.**
13 **Sess. eadem.**
14 **Sess. 5, cap. 1, *de Reform.***
15 **Sess. ead, cap. 2. Sess. 21, cap. 9. Sess. 24, cap. 4, *de Reform.***
16 **Sess. 6, cap. 1 et 2. Sess. 23, cap. 1, *de Reform.***
17 **Sess. 6, cap. 3. Sess. 14, cap. 4. Sess. 24, cap. 11, *de Reform.***
18 **Sess. 6, cap. 4. Sess. 14, cap. 4. Sess. 25, cap. 6, *de Reform.***

habentibus legitimam causam non suffragentur; et facultates de novo promovendo annum non excedant [1]. Inde prosequitur reformationis negotium, *salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate*, quod nihil novi habet. Ad ecclesias præsertim cathedrales sunt assumendi non tantum, qui ex legitimo matrimonio nati, et ætate matura, puritate morum, et litterarum scientia sint præditi, sed in sacro Ordine constituti; et quid facere promoti debeant præscribitur [2]. Qui plures ecclesias retinent, una excepta, cæteras dimittere tenentur [3]. Item de inferioribus beneficiis ecclesiasticis statuitur, quæ habilibus, dignisque conferri debeant [4]. Et ne ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum; plurium beneficiorum, præsertim incompatibilium retentor ipsis beneficiis privatur, nisi alias Apostolicas dispensationes exhibeat [5]. Ordinarii uniones perpetuas a 40 annis citra factas possunt Apostolica auctoritate examinare, et irritas declarare; cæteras ex legitimis causis absque tamen confusione cum beneficiis alterius diœcesis, ut status ecclesiarum ex dignitate conservetur, conficere [6]. Beneficia autem curata, nec non monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, quæcumque beneficia, ecclesiæque etiam sæculares ab Ordinariis locorum visitentur; ut, quæ reparatione indigent, reparentur, et animarum curæ, si illis adnexa sit, consulatur; ac Prælatorum regularium negligentiam Episcopi, uti Sedis Apostolicæ Legati, suppleant [7]; quæ qualitas Delegati Sedis Apostolicæ, quam Concilium toties Episcopis attribuit, ipsis non injuriosa est, sed honorifica, uti ait Gibert *in Prolegom. jur. canon.* part. I, tit. 20, sect. 2, propos. 3 et 4.

Minime liceat promotis ultra tres menses munus consecrationis differre, et locus consecrationis assignatur [8]. Sede vacante, capitula ecclesiarum, nisi arctata occasione obtinendi, vel obtenti beneficii, dimissorias infra annum concedere nequeunt [9]. Præsentatio ad beneficia de jurepatronatus sub pœna nullitatis fiat Ordinario, qui præsentatos, si idonei non fuerint, repellere debet [10]. Ratio agendi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes præscribitur. Causæ civiles mercedum, ac miserabilium, aliorumque exemptorum ab Episcopis possunt cognosci. Causæ vero criminales contra Episcopos, qui citari personaliter nequeunt, nisi depositionis, aut privationis causa, majores a Summo Pontifice, minores a Concilio provinciali cognoscantur [11]. Hospitalitas restituta fuit. Hæc tum ecclesiasticis viris, tum locis piis indicta, ut sint memores, eos qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Hinc hospitalia quæcumque Ordinariis subsint, ut ab administratoribus fideliter gubernentur, qui, cæterique piorum locorum, nisi aliter in fundatione cautum sit, Ordinario rationem reddant [12]. Episcopi vero prudenter moribus subditorum, præsertim clericorum, qui in sortem Domini sunt vocati, reformandis invigilent; et ab eorum correctione non appelletur. In criminalibus autem appellatio ab Episcopo, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Episcopis ob nonnullas rationes committenda est [13]. Reo appellanti in criminali causa, acta primæ instantiæ intra 30 dies gratis dentur, et ad judicem appellationis transferantur. Et in admittendis appellationibus, ac inhibitionibus concedendis servetur dispositio cap. *Romana de Appel.* in 6. Judices a Synodo designentur, quibus causæ a Sede Apostolica committantur; et omnes judices breviter eas terminent [14]. Ecclesiastici ob atrociora delicta a sacris Ordinibus deponantur, et curiæ seculari tradantur [15]. Et Episcopus de gratiis, aut absolutionem criminis, aut remissionem pœnæ respicientibus cognoscat [16].

Agitur modo de Episcopi diœcesani jurisdictione, cui a suo Prælato ascensus ad sacros Ordines interdictus est, suspensus extitit, et ipsius promotio, aut restitutio contra sui Prælati voluntatem non suffragatur [17]. Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus, et in ecclesia cathedrali celebrari debent; ac unusquisque a proprio Episcopo ordinetur, et male promoti ab alio, et minus idonei comperti suspendantur [18]. Ad judices pergitur conser-

[1] Sess. 6, cap. 5. Sess. 7, cap. 11 et 12. Sess. 13, cap. 2 et 8, *de Reformatione.*

[2] Sess. 7, cap. 1. Sess. 22, cap. 2. et 4. Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*

[3] Sess. 7, cap. 3, *de Reform.*

[4] *Ibidem.*

[5] Sess. 7, cap. 4 et 5. Sess. 24, cap. 17, *de Reform.*

[6] Sess. 7, cap. 6. Sess. 14, cap. 9. Sess. 24, cap. 13, et 15. Sess. 21, cap. 5. Sess. 25, cap. 9. *de Reform.*

[7] Sess. 7, cap. 7 et 8. Sess. 21, cap. 8. Sess. 24, cap. 9, *de Reform.*

[8] Sess. 7, cap. 9. Sess. 23, cap. 2, *de Reform.*

[9] Sess. 7, cap. 10. Sess. 23, cap. 10.

[10] Sess. 7, cap. 13. Sess. 14, cap. 13. Sess. 24, cap. 18. Sess. 25, cap. 9, *de Reform.*

[11] Sess. 7, cap. 14. Sess. 13, cap. 6, 7 et 8. Sess. 24, cap. 5 et 20, *de Reform.*

[12] Sess. 7, cap. 15. Sess. 22, cap. 9. Sess. 25, cap. 8, *de Reform.*

[13] Sess. 13, cap. 1 et 2. Sess. 22, cap. 1. Sess. 24, cap. 10, *de Reform.*

[14] Sess. 13, cap. 3. Sess. 22, cap. 7. Sess. 24, cap. 20, Sess. 25, cap. 10, *de Reform.*

[15] Sess. 13, cap. 4, *de Reform.*

[16] Sess. 11, cap. 15, *de Reform.*

[17] Sess. 13, cap. 1.

[18] Sess. 14, cap. 3. Sess. 23, cap. 8, *de Reform.*

vatores. Conservatoriæ litteræ non ex inventa conventione coram Ordinario in criminalibus, et mixtis causis faciendæ sunt. Conservatoris et Ordinarii controversiam super competentia jurisdictionis arbitri electi sedeant, et interim in causa non procedatur. Tempus quinquennii a die publicationis Concilii computandi, valoris conservatoriarum, salvis causis miserabilium, Universitatum, etc [1]. Et licet habitus non facit monachum, clerici honestum habitum clericalem deferre debent [2]. Homicidæ voluntarii ab altari semper avelli debent, casuales autem aut vim vi repellentes mereri dispensationem possunt [3]. Beneficia regularia regularibus conferantur, et translati regulares ad alium Ordinem sub obedientia in claustro maneant, et beneficiorum secularium incapaces existant [4]. Nemo nisi fundationis, vel dotationis jure probato juspatronatus obtineat; et patronis agendi ratio traditur, accessionesque, per viam unionis de beneficiis liberis ad alia juripatronatus subjecta prohibentur; ac patronatus non legitime quæsiti vindicantur [5].

Ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet. Hinc S. Synodus decernit, ut Episcopi gratis Ordines conferant, dimissorias, et testimoniales litteras dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii, exceptis salario carentibus, nihil accipiant. Item indulgentias, et gratias spirituales gratis publicent; ac duo de capitulo gratis eleemosynas accipiant, ut cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant [6]. Clericis secularibus sacri Ordines non conferantur, nisi habeant vel sufficiens beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium, aut pensionem, si Ecclesiæ necessitas postularet [7]. In ecclesiis cathedralibus, et collegiatis distributiones ex tertia parte fructuum omnium beneficiorum statuuntur in favorem interessentium, et quæ ab absentibus amittuntur, in beneficium fabricæ, et loci pii convertantur [8]. Providetur insuper ecclesiis parochialibus, ubi numerosus sit populus. Rectores adjungant coadjutores quot sufficiant ad sacramenta exhibenda; et ubi locorum distantia, vel itineris difficultas sit, novæ parochiæ constituantur [9]. Rectoribus illitteratis, et imperitis vicarii assignentur; et qui in sua nequitia perseverant, beneficiis priventur [10]; et Episcopi transferant beneficia etiam cum cura ab ecclesiis, quæ nequeunt instaurari; alias vero reparari curent [11].

Destitui debent voce in capitulo, qui sacro Ordine non sunt initiati, et hi intra annum Ordinem, quem beneficium exigit, suscipere sunt obstricti, et in posterum nisi idoneis beneficia conferantur [12]. Episcopis vindicatur examen dispensationum extra curiam concessarum [13]; iidemque velut Sedis Apostolicæ delegati summarie cognoscant de precum veritate, antequam commutationes voluntatum exequantur [14]; et sint omnium piarum dispositionum executores, et quæcumque pia loca visitent, dummodo non sint sub immediata regum protectione [15]. Consulitur notariorum imperitiæ. Hi examine et judicio Episcoporum subjaceant [16]. Bonorum ecclesiæ, vel pii loci occupatores anathemate feriuntur, cujus vinculo a solo Romano Pontifice solvi possunt [17]. Ordines Episcopi per se conferant, et ægritudine impediti ad alium examinatos ordinandos dimittant, ac Prælati inferiores nisi regularibus sibi subditis tonsuram, vel minores Ordines non conferant [18]. Qui prima tonsura sunt initiandi, genus vitæ ad fidelem Deo cultum præstandum ostendant, sacramentum Confirmationis habeant, rudimenta fidei legere et scribere sciant [19]; ac destituti parochi ac magistri testimonio ad majores Ordines non promoveantur [20]. Ætas 14 annorum ad beneficium ecclesiasticum obtinendum præscribitur. Possessor beneficii, vel habitum clericalem, et tonsuram deferens, si ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, aut in seminario degat, fori gaudeat privilegio; exceptis clericis conjugatis, clericali habitu, et tonsura carentibus [21]. Episcopus suum familiarem non subditum ordinans, statim ei conferat beneficium [22].

De Ordinis sacramento disciplina ecclesiastica sancitur. Minoribus ordinandi servent interstitia, Ordinis suscepti officium exerceant, superiores in Ordine revereantur, frequenter communionem sumant; et proprius Episcopus cum justa et urgenti causa ab interstitiis potest dispensare [23]. Inde censuit sancta Synodus antiquos derogare canones;

[1] Sess. 7, cap. 14. Sess. 14, cap. 5, *de Reform.*
[2] Sess. 14, cap. 6, *de Reform.*
[3] Sess. ead., cap. 7, *de Reform.*
[4] Sess. 14, cap. 10 et 11, *de Reform.*
[5] Sess. ead., cap. 12. Sess. 25, cap. 9, *de Reform.*
[6] Sess. 21, cap. 1 et 9, *de Reform.*
[7] Sess. ead., cap. 2, *de Reform.*
[8] Sess. ead., cap. 3. Sess. 22, cap. 3, *de Reform.*
[9] Sess. 21, cap. 4, *de Reform.*
[10] Sess. ead., cap. 6, *de Reform.*
[11] Sess. ead., cap. 7, *de Reform.*
[12] Sess. 22, cap. 4. Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*
[13] Sess. 22, cap. 5, *de Reform.*
[14] Sess. 22, cap. 6, *de Reform.*
[15] Sess. ead., cap. 8, *de Reform.*
[16] Sess. ead., cap. 10, *de Reform.*
[17] Sess. ead., cap. 11, *de Reform.*
[18] Sess. 23, cap. 3, 8 et 10, *de Reform.*
[19] Sess. ead., cap. 4, *de Reform.*
[20] Sess. ead., cap. 5 et 7, *de Reform.*
[21] Sess. ead., cap. 6, *de Reform.*
[22] Sess. ead., cap. 9, *de Reform.*
[23] Sess. ead., cap. 11, *de Reform.*

ætas enim annorum 22, 23 et 24, ad sacros Ordines promovendis præcipitur, et assumi debent, quorum probata vita senectus est, non exceptis regularibus, et nulli duo sacri Ordines eodem die conferantur [1]. Nullus confessiones audiat, nisi qui aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen idoneus judicetur [2]. Nullusque in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut loco pio, pro cujus necessitate, et utilitate assumitur, non adscribatur [3]. In ecclesiis Episcopi Ordinum minorum functiones curent restitui, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, et illas constituti in eisdem exerceant [4]. Traditur deinde forma in singulis diœcesibus instituendi clericorum seminaria, eosque in ipsis educandi. Et tanti momenti seminariorum erectiones esse duxeruut Tridentini Patres, ut ad hunc finem Episcopis jus, et potestatem tribuant obligandi ad annuas pro seminario contributiones quoscumque beneficia possidentes, cum facultate etiam beneficia simplicia uniendi [5].

Decreto de Matrimonii reformatione confecto Synodus generalis emendationis materiam prosecuta, primum Matrimonii cum certis solemnitatibus contrahendi formam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III celebrato, præscriptam innovat, tribuitque Episcopis potestatem proclamationes relaxandi. Clandestina conjugia, quæ Ecclesia semper prohibuit, ob gravia mala inde manantia, in hoc Concilio primum fuerunt irrita declarata, et qui aliter, quam præsentibus parocho, et duobus, vel tribus testibus contrahit, invalide contrahit; solemnitatesque nuptiarum certis temporibus prohibentur [6]: « Saluberrimum utique decretum, quo innumeræ lites, inextricabiles ambages, et nuptiarum incertitudines, et innumerabiles polygamiæ simul exstirpantur [7].» Statuitur cognationem spiritualem nimis antea late patentem, comprehendere suscipientem tantum, et baptizatum, hujusque patrem, ac matrem, itemque baptizantem, et baptizatum, atque ejus patrem, et matrem, præterea neminem. Item inter confirmatum, et sponsorem, nec non inter sponsorem, et confirmati genitores [8]. Publicæ honestatis impedimentum ad primum gradum in sponsalibus validis coercetur; antea namque ad quartum gradum protendebatur [9]. Impedimentum ob affinitatem ex fornicatione contractam, olim etiam quartum gradum complectens, et incestuum erat occasio, ad secundum gradum restringitur [10]. Prohibitis assignatis gradibus, dispensationem in secundo nunquam, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam concedi firmatur [11]. Mulier rapta quandiu in potestate raptoris manserit, nullum inter utrumque potest consistere matrimonium. Et consilium, auxilium, aut favorem præbentes excommunicantur [12]. Parochis præcipitur, ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint; et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint [13]. Gravissimum peccatum concubinatus removetur gravissimis pœnis præsertim in clericos concubinarios intentatis, contra quos ratio procedendi injungitur [14]. Denique omnes cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis anathemate puniuntur, qui quicquam matrimonii libertati contrarium moliuntur [15].

Quum totius familiæ Domini status, et ordo nutaret, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite; hinc datur norma procedendi ad Episcopi creationem, nec non ad Cardinalium electionem [16]. Inde instaurantur Concilia provincialia, et diœcesana, quæ quotannis celebrari debeant [17]. Præcipiuntur visitationes diœcesium ab Episcopis aliisque superioribus infra biennium absolvendæ [18]. Tribuitur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus, et suspensionibus certis, et absolvendi subditos a casibus Sanctæ Sedi reservatis in foro conscientiæ, etiam a crimine hæresis [19]. Administratio jubetur Sacramentorum, quorum vis frequenter explicetur, etiam lingua vernacula, et mysterium Missæ populo aperiatur [20]. Publice peccantes publica pœnitentia puniantur, nisi episcopo aliter videatur; et in cathedralibus ecclesiis pœnitentiarius est instituendus [21]. Parochiæ certis finibus circumscribantur [22]. In provisione beneficiorum aut admissione ad possessionem, fructuum deductiones, quæ in usus pios non convertuntur, prohibentur [23]. Pergit autem sancta Synodus ad œconomum, ac vicarium sede vacante constituendum; de qua Episcopus ab officialibus omnibus rationem

[1] Sess. ead., cap. 12, 13 et 14, *de Reform.*
[2] Sess. 23, cap. 15, *de Reform.*
[3] Sess. ead., cap. 16. *de Reform.*
[4] Sess. ead., cap. 17, *de Reform.*
[5] Sess. ead., cap. 18, *de Reform.*
[6] Sess. 24, cap. 1 et 10, *de Reform. Matrim.*
[7] Ait Cabassutius, *Notit. Concil.* cap. 96.
[8] Sess. 24, cap. 2, *de Reform. Matrim.*
[9] Sess. ead., cap. 3, *de Reform. Matrim.*
[10] Sess. 24, cap. 4, *de Reform. Matrim.*
[11] Sess. ead., cap. 5, *de Reform. Matrim.*
[12] Sess. ead., cap. 6, *de Reform. Matrim.*
[13] Sess. ead., cap. 7, *de Reform. Matrim.*
[14] Sess. ead., cap. 8, *de Reform. Matr.*, et Sess. 25, cap. 14, *de Reform.*
[15] Sess. 24, cap. 9, *de Reform. Matrim.*
[16] Sess. ead., cap. 1, *de reform.*
[17] Sess. ead., cap. 2, *de Reform.*
[18] Sess. ead., cap. 3, *de Reform.*
[19] Sess. ead., cap. 6, *de Reform.*
[20] Sess. ead., cap. 7, *de Reform.*
[21] Sess. ead., cap. 8, *de Reform.*
[22] Sess. ead., cap. 13, *de Reform.*
[23] Sess. 24, cap. 14, *de Reform.*

muneris gesti exigat [1]. Occasione vacantis parœciæ examen fiat per concursum prævüs edictis; qualitatibus eorum, qui sunt examinandi, descriptis [2]. Mandata de providendo, gratiæ, quæ *exspectativæ* dicuntur, aliaque hujusmodi abrogantur [3].

De regularibus modo agitur; et ut collapsa regularis disciplina instauretur, et conservetur; regulares omnes ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant; id ut fiat superiores sedulo curent [4]. Proprietas regularibus omnino prohibetur [5]. Omnia monasteria, exceptis Cappuccinis et Minoribus de Observantia, bona immobilia possunt possidere. Sed numerus personarum juxta facultates, aut eleemosynas constituatur, et loca non sunt absque Episcopi licentia erigenda [6]. Regularis sine superioris venia nec se obsequio alterius subjiciat, nec a conventu recedat, et ad Universitatem studiorum missus in conventu habitet [7]. Clausuræ, et custodiæ monialium providetur, quæ ubi violata fuerit, diligenter restituatur, et ubi inviolata est, conservetur [8]. Præcipitur, ut omnes superiores regularium eligantur per vota secreta, quæ præsidens tantum audit, vel accipit; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Abbatissa, vel præfecta non minor annorum 40 laudabilis vitæ regularis, etiam ex alio monasterio ejusdem ordinis; sed duobus monasteriis nulla præficiatur [9]. Monasteria non habentia ordinarios regulares visitatores, et non subdita Episcopis, singulis trienniis, sese in congregationes unius, vel diversæ provinciæ redigant, et deputati ibidem reforment reformanda, ac visitent; quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus provincia prædicta monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato eos pro prædictis causis convocare [10]. Monasteria monialium immediate subjecta Sedi Apostolicæ ab Episcopo tanquam dictæ Sedis delegato regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus [11]. Moniales unoquoque mense peccata confiteantur et Eucharistiam sumant. Confessarius extraordinarius iis ab Episcopo assignetur. Intra septa monasterii Eucharistia non conservetur [12]. Ubicumque imminet cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de monasteriorum familia, visitet Episcopus, et Sacramentorum ministros, etiam ad nutum amovibiles, deputet, exceptis Abbatum generalium aut capitum ordinum monasteriis [13].

Conformentur regulares secularibus in observatione censurarum episcopalium, et dierum festorum qui servantur per diœcesim [14]. Controversias de præcedentia inter ecclesiasticas personas ortas, componat Episcopus; exempti non in strictiori clausura viventes ad publicas supplicationes accedere compellantur [15]. Regulari publice delinquenti pœna instante, et sciente Episcopo a suo superiore irroganda est [16]. Professio haud fiat, nisi anno probationis exacto, et 16 ætatis expleto [17]. Renunciatio, aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni nulla declaratur. Finita probatione, novitii, aut profiteantur, aut ejiciantur. In religione clericorum Societatis Jesu nihil innovetur. Ne quid ex bonis novitii monasterio ante professionem tribuatur [18]. Puella, major duodecim annis, si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab Ordinario; iterumque ante professionem [19]. Nullus, præterquam in casibus a jure expressis cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat. Pœnitentium, quæ etiam *convertitæ* appellantur, constitutiones serventur [20]. Modus inde significatur procedendi in causis prætensæ invaliditatis professionis [21]. Superiores ordinum, Episcopis non subjecti, inferiora monasteria visitent, ac corrigant etiam commendata [22]. Et ut monasteria collapsa restaurentur, regulares superiores præficiantur, et commendatarii infra semestre profiteri jubentur, nisi commendis cedere velint [23]. Omniaque decreta de regularibus observari demandantur [24].

Cleri reformatio desideratur; et primum Cardinales, Prælatique ecclesiarum monentur, ut modesta supellectili, mensaque utantur; et minime consanguineos, et familiares ex bonis ecclesiasticis augeant [25]. Præcipitur fidei professio beneficiatis et his qui de jure, vel consuetudine in Concilio provinciali interesse debent, ac interpretibus divini verbi, doctoribusque Universitatum [26]. Excommu-

1 Sess. ead., cap. 16, *de Reform.*
2 Sess. ead., cap. 18, *de Reform.*
3 Sess. ead., cap. 19, *de Reform.*
4 Sess. 25, cap. 1, *de Reg. et Mon.*
5 Sess. ead., cap. 2, *de Reg. et Mon.*
6 Sess. ead., cap. 2, *de Reg. et Mon.*
7 Sess. ead., cap. 4, *de Reg. et Mon.*
8 Sess. ead., cap. 5, *de Reg. et Mon.*
9 Sess. ead., cap. 6 et 7, *de Reg. et Mon.*
10 Sess. ead., cap. 9, *de Reg. et Mon.*
11 Sess. ead., cap. 9, *de Reg. et Mon.*
12 Sess. ead., cap. 10, *de Reg. et Mon.*
13 Sess. ead., cap. 11, *de Reg. et Mon.*
14 Sess. ead., cap. 12, *de Reg. et Mon.*
15 Sess. ead., cap. 13, *de Reg. et Mon.*
16 Sess. ead., cap. 14, *de Reg. et Mon.*
17 Sess. ead., cap. 15, *de Reg. et Mon.*
18 Sess. ead., cap. 16, *de Reg. et Mon.*
19 Sess. ead., cap. 17, *de Reg. et Mon.*
20 Sess. ead., cap. 18, *de Reg. et Mon.*
21 Sess. ead., cap. 19, *de Reg. et Mon.*
22 Sess. ead., cap. 20, *de Reg. et Mon.*
23 Sess. ead., cap. 21, *de Reg. et Mon.*
24 Sess. ead., cap. 22, *de Reg. et Mon.*
25 Sess. ead., cap. 1, *de Reform.*
26 Sess. ead., cap. 2, *de Reform.*

nicationis gladio caute utendum est, et ubi executio realis, aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum. Civilis magistratus huic rei non se immisceat [1]. Ubi nimius est Missarum celebrandarum numerus, provideant Episcopi, Abbates generales ordinum prout expedire judicaverint [2]. Serventur conditiones, et onera beneficiis injuncta [3]. Accessus, et regressus ad beneficia tolluntur. Coadjutor non detur, nisi adsit urgens necessitas, aut evidens utilitas [4]. Ecclesiarum bona cum præjudicio successorum, quocumque indulto non obstante, jurisdictiones quoque ecclesiasticæ non locentur, et concessæ irritentur [5]. Decimæ integre persolvendæ sunt. Eas subtrahentes, sive impedientes excommunicantur. Rectoribus ecclesiarum tenuiorum pie subveniendum est [6]. Quarta funerum cathedralibus, vel parochialibus ecclesiis persolvatur [7].

Filios clericorum illegitimos a quibusdam beneficiis et pensionibus arceri jubet sancta Synodus, ne pater et filius in eadem ecclesia reperiatur [8]. Jubet etiam beneficia curata non converti in simplicia, fructuum congruam portionem assignari vicario curam animarum exercenti [9]. Præcipit, ut Episcopi suam dignitatem custodiant; nec cum regum ministris, regulis, aut baronibus indigna dimissione se gerant [10]; ut Canones exacte serventur; si quando in eis dispensandum, id summa maturitate fiat [11]. Inde monomachia, pœnis gravissimis irrogatis, prohibetur [12]. Immunitas, libertas, atque alia jura Ecclesiæ principibus secularibus commendantur [13]. Insuper Concilium declarat, omnia decreta de moribus, et ecclesiastica disciplina ita statuta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit, et esse intelligatur [14]. Denique decernitur, ut index librorum prohibitorum, catechismus, missale, breviariumque conficiatur [15]. Primus, id est, index librorum prohibitorum absolutus fuit juxta Decretum sess. 18 Concilii, et auctoritate Pii IV. Pont. Max. Const. *Dominici*, 24 martii 1564 [16], postea a Sixto V auctus, qui Congregationem Cardinalium super hoc indice instituit Const. *Immensa, Congr. septima* [17]; deinde a Clemente recognitus Const. *Sacrosanctam*, 17 octob. 1595 [18]; denique jussu Benedicti XIV ac Pii VI editus. Catechismus fuit promulgatus jussu S. Pii V. Missale restitutum fuit a S. Pio V. Const. *Quo primum*, 14 julii 1570 [19] jussu editum, recognitum auctoritate Clem. VIII Const. *Cum Sanctissimum*, 7 julii 1604 [20]; et Urbani VIII Const. *Si quid*, 2 septembris 1634. Breviarium denique ex decreto S. Concilii Tridentini restitutum S. Pii V jussu fuit editum, Const. *Quod a Nobis*, 9 julii 1568 [21]. Inde recognitum auctoritate Clementis VIII. Const. *Cum in Ecclesia* 10 maii 1602 [22], et Urbani VIII. Const. *Divinam*, 25 januar. 1631. Absoluto Concilio decretorum omnium confirmatio a Romano Pontifice petita fuit.

Hæc œcumenica Synodus tam quoad dogmata, quam quoad reformationis decreta ab omnibus christianis nationibus fuit recepta; ab aliquibus tamen provinciis cum hac clausula; salvis juribus, ac privilegiis libertatum tum ecclesiarum, tum utriusque potestatis tam sacræ, quam profanæ. Et Pehem, *Prælect. Jur. Eccl.*, part. I, sect. V, cap. V, § 1067, inquit: « Tridentini reformationes a receptione vim sortiuntur. Dogmata fidei in Concilio Tridentino lucidius exposita catholicorum nemo est, qui non toto animo amplectatur. Sed decretorum de reformatione non eadem ubique fata fuere. Ea quidem Veneti, et Poloni suas et Ecclesiæ, et regni leges fecerunt; ast Galliarum reges induci nondum potuerunt, ut promulgari ea sinerent. Hispania ea tantum adjectis aliis detractisque, in usum ire passa est: in Germania, ut cætera regna catholica prætercam, Prælati, principesque catholici receperunt illa quidem, sed salvis provinciarum, et imperii Germanici juribus. » Et quoad Polonos, Benedictus XIV. in Const. *Magno*, 2 junii 1751 [23] ait, « quod sacrum Concilium Tridentinum tam magna cum Polonici regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Card. Osii, et Nuntii Commendoni, in magno conventu habito coram rege Sigismundo Augusto.» Post finem Concilii Tridentini circa executionem decretorum illius decem Concilia habita fuere in Gallia. Rhemense, an. 1564; Rothomagense, an. 1581; Rhemense, an. 1583; Burdigalense, eod. anno; Turonense, eod. anno; Bituricense, an. 1584; Aquisextiense, an. 1585; Tolosanum, anno 1590; Narbonense, an. 1609; Burdigalense, an. 1624;

1 Sess. ead., cap. 3, *de Reform.*
2 Sess. ead., cap. 4, *de Reform.*
3 Sess. ead., cap. 5, *de Reform.*
4 Sess. ead., cap. 7, *de Reform.*
5 Sess. ead., cap. 11, *de Reform.*
6 Sess. ead., cap. 12, *de Reform.*
7 Sess. ead., cap. 13, *de Reform.*
8 Sess. ead., cap. 15, *de Reform.*
9 Sess. ead., cap. 16, *de Reform.*
10 Sess. ead., cap. 17, *de Reform.*
11 Sess. ead., cap. 18, *de Reform.*
12 Sess. ead., cap. 19, *de Reform.*
13 Sess. ead., cap. 20, *de Reform.*
14 Sess. ead., cap. 21, *de Reform.*
15 Sess. ead. in fin., et Sess. 24, cap. 7, *de Reform. et Decret. Sess.* 18.
16 *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 174.
17 *Ibidem*, tom. cit. part. IV, pag. 396.
18 *Ibidem*, tom. V, part. II, pag. 82.
19 *Ibidem*, tom. IV, part. III, pag. 116.
20 *Ibidem*, tom. V, part. III, pag. 54.
21 *Ibidem*, tom. IV, part. III, pag. 22.
22 *Ibidem*, tom. V, part. II, pag. 422.
23 *Bull. ejusd. Pont.* tom. III, pag. 382.

quæ refert Gibert *in Proleg.*, pars prior, tit. 20, sect. I, cap. 1, seqq. [1], qui cap. 12, ait : « Ex iisdem excerptis apparet præcipua decreta Concilii Tridentini communiter recepta fuisse a nostris synodis Galliæ. Talia sunt decreta circa libros prohibitos, prædicationem, residentiam Episcoporum, et parochorum, collationem beneficiorum incompatibilium, Ordinationem, Matrimonium, administrationem sacramentorum, restitutionem auctoritatis episcopalis per abrogationem, aut restrictionem exemptionum sive capitulorum, sive regularium, reformationem clericorum, regularium, et monialium ; rectum usum censurarum, institutionem seminariorum, et theologorum. »

§. IV.

De prohibitione interpretationis sacri Concilii Tridentini decretorum.

Summo Pontifici id oneris divinitus impositum est, ut ubique locorum, atque ecclesiarum sacrorum Canonum observantiam commoveat, alat, succendat, et id ratione primatus, quem post Petrum Romani Pontifices exercuerunt; omnisque antiquitas testatur, de qua unum Cœlestinum I, anno 423 memorabo : « In speculis (hic ait) a Deo constituti sumus, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, et quæ coercenda sunt, resecemus ; et quæ observanda sunt, sanciamus [2]. » Et alibi « Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicæ Sedis [3]. » Maximam itaque curam habuit Romana Sedes, ut apud omnes fideles, ecclesiasque executio sacrorum Canonum diligenter perageretur : et præterire minime possum ea, quæ Gregorius Magnus scripsit ad Joannem Patriarcham Constantinopolitanum hisce verbis : « In qua causa si videro Canones non servari, dabit omnipotens Deus, quid contra comtemptores ejus faciam [4]. » Nil igitur novi juris Summo Pontifici accessit, sed solummodo pristinum affirmatum fuit in sess. 25 *de Recip. et Observ. Decret. Concilii*, ubi Tridentini Patres ejusdem Concilii decretorum cultum Romani Pontificis fidei,et curæ commendarunt hisce verbis: «Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur; aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus, pro Dei gloria, et Ecclesiæ tranquillitate, consulatur »

Ut autem Tridentinorum Patrum expectationi responderet, Pius IV, Pont. Max. Const. *Benedictus Deus*, 26 januar. 1564 [5] super confirmatione Concilii Tridentini edita prudentissime vetuit, ne quis Tridentinis decretis glossemata, et interpretationes adjiceret, quibus aliquando eventurum timebat, ne sanctorum Patrum sententiæ eluderentur, hisce verbis : «Ad vitandam præterea perversionem, et confusionem, quæ oriri possent, si unicuique liceret prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios, et interpretationes suas edere, Apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis, et gradus, quam laicis, quocumque honore, ac potestate præditis,Prælatis quidem, sub interdicti ingressus ecclesiæ aliis verò quicumque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate Nostra audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore, statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum, et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, Nobis declarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit,reservamus: parati,sicut ea de Nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus, ea ratione, quæ commodior Nobis visa fuerit, providere.»

Excipiuntur tamen ab hac prohibitione magistri, doctores, et advocati, qui aliquod Tridentini Concilii decretum, non principaliter, et directe, sed occasione solutionis, seu dilucidationis alicujus quæstionis, aut causæ expeditionis obiter, et indirecte interpretantur, atque hujusmodi interpretationes scriptas, aut typis excussas edunt, qui non incidunt in censuras, et pœnas Constitutionis Pii IV, quod clare probat Fagnanus in lib. III, decret. in cap. *Cum venissent,* num. 80 seqq., pag. 27 seqq. Et

[1] Edit. Coloniæ 1735, tom. I, pag. 146.
[2] Epist. 1, num. 1, apud Coustan., col. 1066.,
[3] *Idem*, epist. 5, num. 3.
[4] Vide lib. 9, epist. 59 ; lib. 3, epist. 53 ; lib. 4, epist. 32.
[5] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 168.

etiam lectores, et magistri licite possunt in scholis Tridentini Concilii decreta oretenus interpretari, quia interpretatio hujusmodi ad Concilii intelligentiam omnino necessaria saltem rudibus, et illitteratis. Et eadem Sancta Synodus, decreto in cap. 2, sess. 25, *de Reform.* in § *Ad hæc*, præcipit, « ut omnes ii ad quos Universitatum, et studiorum generalium cura pertinet, diligenter curent, ut ab iisdem Universitatibus Canones, et Decreta Concilii integre recipiantur, ad eorumque normam magistri, et doctores ea, quæ catholicæ fidei sunt, doceant et interpretentur, seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni solemni juramento adstringant. » Et quamvis Concilium non dicat expresse, ut magistri, et doctores interpretentur Canones, et Decreta Concilii, sed tantummodo, ut intrepretentur ea quæ catholicæ fidei sunt; tamen cum id jubeat fieri ad normam Canonum, et Decretorum S. Synodi, sub hoc præcepto videtur saltem implicite contineri hujusmodi interpretatio; vide laudatum Fagnanum loco cit. num. 89 seqq., pag. 29.

Glossæ præterea, ac commentarii super decretis Concilii scripti, quos sibi quis reservat ad usum, et suam commoditatem dumtaxat, non videntur comprehendi sub prohibitione, et pœnis Constitutionis; quia nec illius ratio, nec verba huic applicari possunt; non enim proprie dici potest edidisse, qui nec typis mandavit, nec aliis communicavit « atque ita his non adversantur quæ glossæ super Concilio Tridentino compositæ, altera a Cardinali Antonio Carafa, olim præfecto sanctæ Congregationis Concilii, altera a Marincola Episcopo Theani; tum quia credendum est eos non composuisse hujusmodi glossas, ut evulgarentur, et per manus omnium deferrentur; sed ut asservarentur ad usum ipsorum, vel ipsius Sacræ Congregationis : tum quia quatenus fuisset opus, verisimile est eos id egisse ex speciali licentia, et facultate; tum denique, quia ipsi tanquam Congregationis ministri non videntur comprehendi in prohibitione Pii IV. Neque enim in eis, qui veros, et germanos sensus S. Synodi ex ipsius Congregationis oraculis perceperunt, viget ratio illa prohibitionis, vitandi scilicet perversionem, et confusionem quæ oriri posset, si unicuique liceret prout liberet super decretis Concilii interpretationes suas edere. Neque illis conveniunt illa verba : *Interpretationes suas, prout ei liberet;* neque illa : *Proprio ausu*, quæ ad hoc propositum olim ponderavit Pius IV, ut dictum est supra, num. 30. Quid potius optandum esset, et ad mentem Constitutionis propius accederet, ut quæ ipsi hauserunt ex propriis sacræ Congregationis fontibus, cæteris quoque communicarent: inde enim præberetur occasio rejiciendi interpretationes illas, quæ adversus sententiam S. Congregationis apud scriptores aliquando irrepserunt: » idem Fagnanus, loc. citat. num. 77 seq., pag. 27.

At translationes in alias linguas decretorum Concilii Tridentini prohibentur, et constat ex mente Sacræ Congregationis Concilii, in qua proposito articulo jussu Sanctissimi Domini Nostri a Propaganda Fide remisso, hisce verbis concepto: « An translationes S. Concilii Tridentini in alias linguas sint permissæ; an potius comprehendantur in Const. Pii IV, prohibente illius interpretationes, et glossas? » Die 2 julii 1629 Sacra Congregatio censuit translationes ejusdem S. Concilii Tridentini de lingua latina in gallicam, vel alias linguas esse prohibitas, idque significans S. Congregationi Indicis, ut omnino prohibeat translationes hujusmodi factas, quæ absque speciali auctoritate hujus Apostolicæ Sedis impressæ sint [1].

§ V.

De erectione S. Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum.

Postquam Summus Pontifex Pius IV in Bulla confirmatoria Concilii Tridentini sub gravissimis pœnis vetuisset, ne quis sine auctoritate, et licentia Papæ, ullarum interpretationum, aut glossarum genus in dictum Concilium ederet, primitus motu proprio, quæ incipit *Alias nonnullas* emanata 2 aug. eodem anno 1564 [2], instituit Congregationem octo S. R. E. Cardinalium, qui dicto Concilio interfuerant, ejusque sensum probe noverant, ut decreta Synodi, aliasque ejusdem Pontificis constitutiones per officiales servanda curarent, et si quod dubium, aut difficultas aliqua in executione occurreret, ad Pontificem referrent. Legitur enim § 1. quod dicti Cardinales prædicta decreta « firmiter observari faciant, et cum effectu (nisi tam in executione dictorum decretorum Concilii, quam dictarum litterarum Nostrarum aliqua dubietas, aut difficultas emerserit, quo casu ad Nos referant), revocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. » Hæc Congregatio, tametsi non esset instituta pro interpretatione dubiorum, quæ oriri possent circa decreta Concilii Tridentini, quæ omnia vult Pontifex ad se referri, sed pro executione, et observantia illorum decretorum, tamen eo etiam tempore, uti observat Card. de Luca [3], aliqua oriente dubietate, istæ partes interpretandi assumebantur; atque aliquæ, licet pauciores declarationes prodierunt; quæ majoris, vel eo titulo auctoritatis reputandæ sunt; quod

[1] Ex lib. 14, Decret. pag. 109.
[2] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 678.
[3] Lib. 14, part. 5, adnot. ad S. Concil. Trid. disc. 8, num. 4.

monet idem Card. de Luca *cit. loco*, « quod plures tunc in ea Congregatione sedebant Cardinales, qui vel tanquam præsidentes, vel Legati, vel tanquam Prælati postmodum ad purpuram assumpti, in ipso Concilio intervenerant; ideoque tanquam sessionum ac disputationum conscii, melius Patrum sensum callebant. »

Julius Pogianus, qui in sua ad Hannibalem Minalem epistola 25 decem. 1564 data de se ait: « Premor præterea onere scribendarum epistolarum octo Cardinalium nomine, quibus Pontifex Max. Trident. Concilii cognitionem dedit [1]; » hisce verbis testatur numerum Cardinalium ab eodem Pio intra priores anni 1565 menses fuisse auctum quatuor Cardinalibus additis, quod intelligitur ex altera epistola ejusdem ad Card. Commendonum data 5 april 1565. « Non excusabo (inquit) multiplices occupationes tum litterarum, quæ mihi quotidie scribendæ sunt, et proprie Borromæi, et communiter ejusdem undecimque Cardinalium nomine, quos sibi Pontifex in consilium adhibuit ad explicandam, ubi opus sit, Tridentini Concilii sententiam [2]. » Successu autem temporis hæc Sacra Congregatio quum sæpe in rebus non dubiis ad Concilii tamen intelligentiam pertinentibus responsa dedisset, et dubitatum esset, an ad hoc facultatem haberet ob prohibitionem a Pio IV factam, indulsit primum S. Pius V, ut posset decidere casus, quos claros putaret, dubiis ad se commissis, ac non multo post facultatem eidem concessit decidendi causas, et controversias interpretationem Concilii concernentes, prout adnotavit in libro Congregationis Card. Carafa, quod testatur Fagnanus in cap. *Quoniam, de Constit.*, num. 7 [3]. Quin, et refert idem Fagnanus in cap. *Cum venissent, de Judiciis*, num. 30 [4], hanc Congregationem aliquando dubitasse, an ipsa incidisset in censuram, de qua *Const. cit. Benedictus Deus* mentionem facit, hac de causa ita loquitur: « decidendo multos casus propositos ad interpretationem Concilii pertinentes absque eo, quod ullam relationem Sanctissimo fecerit. Et cum Congregatio hac de re consuluisset S. Pium V, Sanctitas Sua dixit se non credere Congregationem incidisse in hujusmodi censuras, quoniam opinabatur hanc prohibitionem eos tantum comprehendere, qui proprio ausu interpretari præsumpsissent, ut indicant illa verba, *Audeat interpretari,* tamen pro futuro dixit se tribuere facultatem Congregationi, ut absque alia delegatione posset decidere casus, quos Congregatio tanquam claros putaret decidendos; quos vero tanquam dubios putaret referendos Sanctitati Suæ, referret, prout postea fecit ut disertis verbis est adnotatum in libris publicis S. Congregationis manu Card. Carafæ. »

Quæ omnia consonant cum his, quæ Jacob. de Laderchio Baronii, et Raynal. continuator ad an. 1566 [5] ait: « Cæterum, cum Pius eadem Concilii decreta, ut diximus, neque in provincialibus synodis, nec ab alio quovis, pro arbitrio interpretari, districte, et quidem merito prohibuisset; et nihilominus experientia doctus, ea ita aperta persæpe non esse cognosceret, quin aliter, atque aliter, pro cujusque ingenio, sano etiam sensu, bonoque animo explicari posse intelligeret; ac pro earumdem sanctionum explicatione frequenter ab universi orbis ecclesiis se interpellatum videret; ne ipse munere suo deesset, nec in sibi creditam messem alter quisvis manum mitteret, nec in exoticos sensus, sancta ea decreta transferret; et tandem parvulis cunctis petentibus ipse idem panem frangeret; uti jampridem fecerat Pius IV, ipse quoque Cardinales quosdam delegit, apud quos cuncta referri voluit, quæ ad ejusdem Concilii decreta, vel intelligenda, vel in mores adducenda pertinerent. » Et crescente postmodum causarum, et negotiorum mole, quæ ex omnibus terræ partibus ad eam confluebant, constitutum est, ut pro faciliori expeditione quatuor Cardinales ex corpore generalis Congregationis delecti frequentius convenirent sub nomine Congregationis particularis. Quam quidem Congregationem Gregorius XIII, die 8 maii 1576, declaravit in præteritum potuisse, et in futurum posse expedire casus alias decisos in Congregatione generali, atque etiam eos, quos pro claris haberet ex omnium sententia; ut ait Fagnanus cit. cap. *Quoniam*, eod. num.

Demum Sixtus V, Pontifex Max. *in Const. Immensa Æterni Dei*, 22 januar. 1587, § *Congregatio octava* [6], impertitur facultatem magis claram eidem Congregationi Concilii, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia, et difficultates occurrentes in his, quæ de morum reformatione, disciplina, et ecclesiasticis judiciis, aliisque similibus statuta sunt, reservata sibi, et successoribus suis interpretatione decretorum, quæ fidei dogmata concernunt. « Ideoque (ait Van-Espen. *in Jur. eccles. Univ.*, part. I, tit. 22, cap. 5, num. 7) Congregatio, quæ in cit. Const. Pii IV. dicebatur Congregatio *Super executione, et observantia Concilii Tridentini;* in hac Sixtina Const. vocatur Congregatio *pro executione, et interpretatione Concilii Tridentini*, quamquam, et ante hanc Sixtinam Constitutionem, quæ edita est anno 1588 Car-

[1] Epist. 11, volum. 1, pag. 449.
[2] Epist. 2, volum. 4, pag. 17.
[3] Lib. 1, pag. 130.
[4] Lib. 2, pag. 22.
[5] Tom. 22, pag. 298.
[6] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. 4, pag. 396.

dinales eidem Congregationi præfecti dici cœperint Concilii Tridentini *interpretes* et Congregatio *interpretum* Concilii Tridentini; uti constat ex litteris super confirmatione primæ Synodi Mechliniensis. » Et Card. de Luca dis. 15, part. II, *Relat. Rom. Curiæ*, num. 1. de hac Congregatione loquens, ait: « Sixtus V, ut celerius quamplura utriusque pontificii, et profani principatus negotia expedirentur, litiumque confractus tollerentur per ejus Const. quamplures Congreg. Card. erexit. Inter illas, istam, et alteram Inquisitionis, vel Sancti Officii jam erectas, quoque descripsit, eas confirmando, atque aliquas etiam majores facultates eis tribuendo, huic præsertim illa interpretandi idem Concilium in iis, quæ concernunt reformationem, aliaque indifferentia, non autem fidei catholicæ dogmata, cum in his interpretationem sibi, ejusque successoribus reservaverit: unde sortita est nomen S. Congr. Card. Sacri Concilii Tridentini interpretum. » Et revera in hac Congregatione, causæ, dubiaque, quæ de Concilii Tridentini decretis versantur, sedulo, et diligenter, imo scrupulose perpenduntur, discutiuntur, et examinantur. Sed hujus Congregationis principale institutum versatur in hac parte *interpretandi*, atque præstandi oracula in abstracto super dubiis, quæ proponuntur; et super hac parte *interpretativa* aliæ Congregationes se non intromittunt, unde propterea hæc facultas est privativa: hoc est, privative ad hanc Congregationem spectant.

Hinc hæc de eadem Congregatione expendit Berardus [1]. « Congregatio (ait) Concilii Tridentini primum fuit instituta a Pio IV, deinde a Sixto V ampliore potestate instructa, » et paulo post: « Unde ea Congregatio (pergit) appellabatur, *pro executione, et observantia Concilii*. Quis vero facile in iis adjunctis executionem meram curare potuisset, quin aliquando si quid obscurum emergeret, interpretatione suppleret? Sed interea ea Congregatio facultate interpretandi destituebatur, donec eam a Sixto V expresso mandato suscepit; quamobrem deinceps ea Congregatio appellata fuit, *pro executione, et interpretatione Concilii Tridentini*. » Item Card. Petra, *Comment. ad Const. Apost. Const. X. Martini V*, num. 52 [2] inquit: « S. C. Concilii proprium est, privative quoad alia tribunalia interpretari decreta conciliaria, » quod testatur Fagnanus in cap. *Quoniam, de Constit.* num. 57 [3]. » Et Gregorius XIII dixit, nunquam suæ intentionis fuisse committere Episcoporum Congregationi, ut de iis, quæ ad interpretationem Concilii pertinerent, aut de ipsis Congreg. Concilii decretis, cognosceret. Illud autem se recte meminisse ait Sanctitas Sua, commisisse Congreg. Concilii ea omnia, quæ ad Concilium interpretandum pertinent, ut est adnotatum in libris publicis S. Congreg. t. 10, f. 557. Imo idem Fagnanus asserit cit. loc. num. 8. [4] « id fuisse semper observatum » ut quoties incidit (inquiens) quæstio super intelligentia alicujus decreti Concilii, si casus sit dubius, et alias a Congregatione non decisus, Rota ipsa aut Congregatio consulat aut significet partibus, ut ipsæmet adeant Congregationi; a qua ubi resolutionem obtinuerint, redeunt postea cum ipsa ad Rotam pro causæ expeditione. » Et inde num. seq. ait, quod « idem Gregorius die 7 Junii 1574 audita Congregatione, jussit significari Card. Aquavivæ, ut quando in supplicationibus non exprimitur articulus certus juris, super quo cognoscendum est, sed in genere, et confuse petitur commissio causæ, addatur semper hæc clausula, *dummodo non agatur de interpretatione* decretorum Concilii. Et die 14 April. 1581, dixit « non esse tractandum in Rota super resolutionibus Congregationis. » Et revera *in causa Mediolanem.* 26 januar. 1644 [5] eadem S. Congregatio Concilii censuit ex facultatibus sibi concessis ex Bulla Pii IV, et Sixti V. posse quidem decidere dubium petitum, et interpretari S. Concilium Tridentinum non obstante pendentia litis in Rota; sed ex circumstantiis facti in hoc casu concurrentibus pro majori parte satius duxit, non uti dicta facultate, eo quod resolutio non pendeat ab interpretatione dicti S. Concilii Tridentini.

Præterea minime Ursaya attribuere putavit S. Congregationi Concilii potestatem edendi decisionem contrariam decretis Concilii Tridentini; quod probare conatur his verbis: « Contrarium vero (ait ipse) decidere esset non secundum Concilium, sed de Concilio judicare, quod soli Summo Pontifici est reservatum, nulloque modo convenire Sac. Congregationi generaliter probant *Alvar. Peñas. ad Ordina. Portugal*, tom. I, tit. 2, gloss. 10, num. 3, et *Frass. de Patron. Reg. Indiar.*, cap. 9, num. 9, *Leand. Oper. Mor.* tom. 2, *de sacram. Ord.*, q. 15, § *sed clarius*, ibi: *Et DD. Card. solum declarent, et interpretentur, non vero disponant, dispensent, restringant, aut amplient.* Et in punctualibus terminis observant *Raynaud in Heteroclit. Piet.* tom. 16, sect. 1, punc. 14, *de Matri. sacram.*, num. 12, in fin. Fol. mihi. 178 ibi: *Hi, porro Eminentis. Interpretes non habent locum legislatorum etc. sed mere interpretantur legislatoris mentem, qualis fuit cum lex est lata etc. eorum scripta etc.*

[1] *In Jur. Eccles. Univ.*, tom. 1, disc. 2, cap. 3.
[2] Tom. 4, pag. 246.
[3] Lib. 1. pag. 134.
[4] Lib. 1, pag. 124,
[5] Lib. 17, decret. fol. 269.

sunt tantum declarationes sensus legis a Tridentina Synodo latæ non autem renovationes ejus ad abrumpendum etc., tantumque differunt ab interpretationibus privatorum doctorum, quod sint authenticæ interpretationes, nec adversus eas recalcitrare liceat, quod fas est adversus aliorum doctorum interpretationes præstare etc.» Hæc omnia militare possunt, quando resolutio S. Congregationis Concilii edita est absque Summi Pontificis consultatione; quod omisit dictus Ursaya declarare. Quæ vero ad executionem ejusdem Concilii attinent, quamvis frequenter etiam ad hanc S. Congregationem remittantur ea, quæ versantur circa res conciliares; et hac de causa hæc S. Congregatio non raro etiam particulares casus in forma contentiosa agitandos, et decidendos assumat, nihilominus subinde hujusmodi casus, licet circa decreta Concilii Tridentini versentur, ad aliam Congregationem v. g. Regularium et Episcoporum, mittuntur, seu referuntur.

Hæc autem Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum ordinaria est, et hodie fere bis quolibet mense, die semper sabbati, cogitur, olim in domo Cardinalis senioris, nunc in Palatio Apostolico, in quo Summus Pontifex habitat. Interveniunt autem Cardinales dictæ Congregationi præpositi, et secretarius, et saltem tres Cardinales convenire debent, ut Congregatio habeatur. Sed plures adesse in more positum est; in causa *Romana*, *super Dubiis matrimoniorum*, agitata die 6 martii 1700, moralem parochorum præsentiam concernente, raro exemplo (inquit Ursaya *Discep. Eccles.* II, tom. I, part. II, num. 260) interfuerunt 21 EE. PP. nempe Eminentiss. DD. Card Bullionus, Acciajolus, de Carpineo, Petruccius, Colloredus, Cantelmus, de Judice, Morigia, Tanara, Cincius, S. Clementis, Sacripantes præfectus, Noris, Paulutius, Rodolavicus, de Alteriis et S. Cæsarei. Secretarius in Congregatione ea refert, quæ in foliis distributis enarrata sunt, et inde exhibet nonnullos supplices libellos, in quibus continentur res, quæ minorem indaginem requirunt. Inter hujus Congregationis Cardinales unus habet præfecturam pro subscriptione litterarum et decretorum, ipsiusque Congregationis curam et directionem, diciturque *Cardinalis præfectus.*

Frustra vero Van-Espen (part. 1, tit. 22, *Jur. Ecc. univ.* cap. 7, num. 2, tom. 1. pag. 236, hujus Congregationis Concilii erectionem redarguit, eo præsertim ex capite, quod non accitis e singulis provinciis, aut saltem ex illis, unde difficultas orta est, intelligentibus visis, ut a Tridentino, sess. 25, *in fin. in recip. et obs. Decretis Concilii*, fuit insinuatum, sed potius ex Cardinalibus, et plerumque Italis, et Curiæ Romanæ opinionibus, ut inquit, unice imbutis, et assuetis, Congregatio istæc fuerit instituta. Sed huic facile respondetur. Nam prætterquam quod in objecto decreto Tridentinæ Synodi remissum undique fuit Pontificis arbitrio, ut vel evocatis eisdem viris, vel commodiore alia quavis ratione ei visum fuisset, decretorum conciliarium exequutionem procuraret, nemo non videt, quanto melius, ac salubrius bono ecclesiarum provideatur per hanc Congregationem erectam, et sufficienti Cardinalium in jure præsertim canonico peritorum numero constitutam, cum arduum nimis et difficile alias foret in unaquaque controversia viros istos ex dissitis provinciis accitos, et itineribus prægravatos in Urbe expectare. Cui etiam accedit, quod nedum regulariter Cardinales exteri de provinciarum moribus informati et in Urbe morantes huic Congregationi interveniunt, sed quod plus est, nunquam, aut perraro negotia in hac Congregatione expediuntur inauditis Ordinariis, quorum judicio, et relationi plurimum deferri consuevit.

§ VI.

De Officio Sacræ Congregationis Concilii.

Quanquam, et sæpe, et diligenter fuerit œcumenicis in Conciliis de Ecclesiæ disciplina actum, nunquam tamen aut plora, aut salubriora ad eam restituendam, augendam, conservandamque prodiere decreta, quam in Tridentino condita sunt; ut patet ex § CXI. Etenim in hac Synodo non de uno, vel altero duntaxat disciplinæ capite, sed de omnibus, et singulis, nec perfunctorie, sed accuratissimo quidem studio fuit tractatum. Itaque in ea et omnes superiorum Conciliorum Romanorumque Pontificum sanctiones, de ratione vitæ a clericis instituendæ, de beneficiorum collatione, de residentia Prælatorum, de sacris visitationibus, de synodis provincialibus, de fidei morumque doctrina populo tradenda, deque aliis innumerabilibus, confirmatæ sunt; atque multa etiam addita, quæ tempori, et necessitati magis consentanea visa fuere. Quamobrem nullius Concilii decreta sunt, quæ frequentius in his, quæ de disciplina ecclesiastica instituuntur controversiis, appellari consueverint. Hinc Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentini Interpretum præcæteris antecellit, cujus declarationes privative in omnibus Concilii Tridentini decretis versantur, omnesque, quæ in dicto œcumenico Concilio definitæ fuerunt, controversias comprehendit; et ea omnia agit, quæ ex Tridentinorum legum custodia pendent.

« Diversæ autem (ait Card. de Luca, lib. XIV, part. V, *adnot. ad Sac. Conc. Trid.*, num. 7) quæstionum species in hujus Concilii decretis continentur; aliæ siquidem dogmata, seu articulos fidei

continent, aliæ materiam Sacramentorum, aliorumque divinorum, quæ ad interni fori regimen pertinent, aliæ ecclesiasticum concernunt ritum; et sunt alia demum, quæ sub reformationis genere cadentia, Prælatorum, et clericorum vitam, et mores, ecclesiarum et populorum regimen, beneficiorum provisiones, Matrimonii formam, aliaque hujusmodi, quæ externum forum percutiunt; eorum tamen, quæ ad hanc posteriorem speciem pertinent omni glossa, vel interpretatione exosa in sola relatione illarum interpretationum, quas sacra ejusdem Concilii Interpretum Congregatio dederit, tractatio est, aliæ vero priores species forensi scriptori non congruunt. » Hinc inter alias facultates huic Congregationi concessas illud præcipuum est, decreta Synodorum provincialium recognoscere, Episcoporum postulatis circa diœcesium statum respondere, qua de causa juxta Const. *Immensa* Sixti V, debent Archiepiscopi provinciales synodos ad Urbem transmittere a Congregatione Concilii revidendas et approbandas. Et Card. Petra testatur (*Comm. ad Const. Apost. Const. Unic. Honorii II*, num. 126, edit. Venet. 1741, tom. I, pag. 272) notum esse, « quantum studium Eminentissimi illi PP. Sac. Congr. Concilii adhibeant in hujusmodi revisionibus, ut fatetur Van-Espen cit. cap. 3, *de Synodis pro Flandria revisis*, prout eadem diligentia utitur in omnibus dicta S. Congr. opera præsertim Cardinalis Præfecti, et Secretarii Prælati. » Dixi provinciales synodos, tantum enim abest, ut ad id teneantur Episcopi relate ad synodos diœcesanas, ut contrarium evidenter appareat, ex responso ejusdem Congregationis, quæ rogata, ut recognosceret acta diœcesanæ Synodi Strongolensis, die 12 junii 1645, respondit: *Se non consuevisse revidere, et approbare, nisi synodos provinciales ex Const. Sixti V, et quod idcirco Episcopus uteretur jure sibi ex sacro Concilio competente, ut habetur lib.* 17, *Decret. pag.* 484, et refert Bened. XIV *de Synod. diœces., lib.* 8, *cap.* 3, *num.* 6, et subjungit: « Quocirca in hac commentatione falli jam diximus Cardinalem de Luca, et Van-Espenium, asserentes, diœcesanas synodos robore, et efficacia carere, nisi a prædicta sacra Congregatione approbentur. » Berardus *in Jur. Eccl. Univ.* tom. I, dissert. 2, cap. 3, inquit « Potissima autem hujus Congregationis cura hodie in eo versatur, ut provinciales, et diœcesanas synodos celebrari curet, quoad fieri possit; item ut recipiat appellationes ab improvidis quarumdam synodorum particularium statutis, atque ista, ubi exhibeantur, discutiat, ac probet; regulariter, ut ea omnia agat, quæ ex Tridentinarum legum custodia pendent; qua de causa ipsa excipere solet, et discutere postulata, quæ in relationibus status ecclesiarum ab Episcopis, ubi præsertim limina Apostolica visitant, proponuntur. »

Dictæ Congregationi injunctum est decernere, quæ reformationem morum, divinumque cultum respiciunt. Quoniam vero difficile est generali aliqua regula amplissimam hanc, nullisque pene limitibus coercitam facultatem definire, magis enim a particularibus actibus, seu circumstantiis, quam a generico et indefinito jure ejusdem Congregationis dependet; merito Card. de Luca sequentes materias magis obvias, et ab eadem Congregatione resolvi consuetas, quæque ad caput reformationis morum, vel ampliandi divini cultus reducuntur, enumerat [1], ad Episcoporum, scilicet, aliorumque beneficiatorum residentiam, ad reductionem Missarum, ex causa decrescentiæ fructuum, ac reddituum pro earum celebratione destinatorum, ad causas professionis religiosæ ab illis emissæ, qui per metum eam emisisse fatentur, vel qui velint post quinquennium adversus eam reclamare; ad alias item dispensationes matrimoniales, vel in impedimentis dirimentibus, vel in alia quavis materia a Tridentino prohibita; ad dispensationes pariter ab aliqua irregularitate publica, præsertim ex causa homicidii voluntarii contracta, prout etiam ad uniones beneficiorum, quæ ad præscriptum ejusdem Concilii, aut seminario, canonicatibus aut ecclesiis parochialibus fiant, ad permutationes insuper vel resignationes ab iisdem Ordinariis admissas, ad justas, vel injustas rejectiones a parochialibus eorum, qui in concursu ad eas adspirabant; et demum ad quæstiones jurisdictionales cum prælatis inferioribus super jurisdictione activa, vel cum exemptis super visitatione, ac jurisdictione passiva, quæ in concernentibus curam animarum sæpe excitantur; quas quidem materias summis saltem labiis attingere pro ulteriori eruditione non inopportunum judicamus.

Porro circa Episcoporum aliorumque beneficiatorum residentiam, præsertim vero de onere residendi beneficiis parochialibus, et residentialibus injuncto, de causis a residentiæ onere excusantibus, de fructibus, quos lucrantur residentes simul, et illi, qui sunt præsentes ad differentiam aliorum, quos soli residentes acquirunt, et de aliis ad hanc materiam spectantibus Romanum Pontificem, sacramque Congregationem Concilii adire oportebit, ad quam privative pertinet, a quocumque demum jure residentiæ onus descendat, beneficiarium ab eorum onere dispensare, et vel præbendarum fructus, quos *Grossos* barbare dicunt, simplices reservare, vel etiam minutos in distributionibus consistentes, si circumstantiæ suadeant. Circa reductionem Missarum ob diminutionem reddituum iis celebrandis

[1] *In relat. Rom. Cur.* disc. 15.

destinatorum; circa quam quidem est opportune adnotandum, quod licet in puncto juris disceptari possit an Episcopi aliique Ordinarii diminutis redditibus, missarum onera quæ stabiliter, et perpetuo, celebranda forent, reducere valeant, per ea, quæ advertit Fagnanus in cap. *Ex parte*, num. 24 et seq., *de Constit.* [1], qui etiam decretum Tridentinæ Synodi Sess. 25, cap. 4, *de Reform.* profert; tamen cum deinde super accesserint decreta Urbani VIII confirmata ab Innocentio XII per suam Const. *Nuper*, per quam missarum reductio privative S. Sedi reservatur, hinc ad Summum Pontificem, sacramque Congregationem Concilii necesse erit recurrere, cum de eadem reductione tractatur, quæ inspectis circumstantiis id statuet, quod in Domino expedire crediderit.

Quamvis autem eadem Congregatio Concilii delegare consueverit Episcopos, aliosve Prælatos, ut ejus nomine missarum onera reducant; imo quamvis Benedicto XIII in decreto impresso in Concil. Rom., anno 1725 [2] celebrato, ad omnes Episcopos, qui per se, vel per alium eidem Concilio interfuerant, decretum, alias ab Innocentio XIII, in favorem omnium superiorum Regularium indultum reducendi onera missarum extendisset; nihilominus tam pro istis, quam in genere pro Episcopis, vel aliis Ordinariis, quibus facultas reducendi delegatur, data eadem semper intelligitur, exceptis subsidiis dotalibus, vel aliis dispositionibus a defunctis quomodolibet factis, quæ sub nomine missarum non comprehenduntur, et servatis aliis conditionibus, quæ continentur in instructione, quæ inseri solet in facultate eisdem Episcopis, et Ordinariis attributa. Hæc vero ad has conditiones redigitur, quod scilicet imminuti fuerint redditus pro oneribus missarum assignati, ita ut ab altero, cui de jure competerent, suppleri non possint, ut late ostendit præter alios Pasqualigus [3], ulterius ut missæ perpetuæ ad rationem scut. 60 regulariter reducantur. Item, quod si testator missas cantatas præscripserit, ipsæ primo reducantur, ut quod ex redditibus cuicumque legato assignatis supererit in celebrationem missarum lectarum erogetur. Præterea quod remissis, seu condonatis missis retracto tempore non celebratis infra octavam Commemorationis omnium defunctorum, anniversarium pro iis, quibus relictæ fuerant, nec celebrari potuerunt, celebretur. Et demum quod si missæ perpetuæ sint reducendæ, ad rationem missæ manualis, seu illius eleemosynæ, quæ juxta stylum regionis pro manualibus missis præfixa est, reducatur, adauctisque redditibus, missarum quoque numerus augeatur, ut disertissime exposuit Benedictus XIV, qui edita Const. *Quanta* 30 junii [4], cohærenter ad antiquiores Constitutiones generaliter sanxit, a quolibet sacerdote de missis manualibus loquendo) stipendium seu eleemosynam majoris pretii pro celebratione missarum retinendo, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo minus stipendium seu eleemosynam erogari, imo quamlibet mercaturam, et negotiationem in missis fieri sub gravissimis pœnis prohibuit in Encyclico brevi, quod est in *Bullario*, num. 25, eod. tom. I, pag. 57, a quo plurima ex iis, quæ protulimus, sicuti ex tractatu *de Synodo Diœces.*, lib. 3, cap. 2, excerpsisse profitemur.

Subsequitur nullitas professionis religiosæ ab iis in judicio promota, qui per vim, et metum, vel alia quavis ex causa nulliter professionem emisisse contendunt, eamque post quinquennium revocare conantur; prout etiam dispensatio matrimonialis, quæ vel in impedimento dirimente; vel in alia quavis re a Trid. prohibita postulatur; quæque pariter ad hujus Congregationis indaginem regulariter spectat. Et quoad professionem religiosam providam Benedictus XIV edidit Const. *Si datam*, 4 martii 1748 [5], qua in causis prætensæ nullitatis professionis regularis methodus servanda præscribitur. Pari autem vigilantia non solum idem Pontifex necessariæ discussioni causarum ad obtinendas dispensationes matrimoniales allegatarum prospexit in Const *Ad Apostolicæ*, 25 febr. 1742 [6]; sed etiam ut frequentiæ causarum earumdem, quæ ad obtinendam declarationem nullitatis matrimoniorum, vel dispensationis super matrimonio rato in tribunalibus Urbis, et præsertim in Congregatione Concilii, vel coram Pontifice proponebantur, obicem poneret, alteram evulgavit Const. *Dei miseratione*, 3 novemb. 1741 [7]. Accedunt his, et inter facultates Congregationis Concilii item recensentur dispensationes ab irregularitate ex homicidio voluntario, item uniones beneficiorum, necnon permutationes, et resignationes ad formam conciliaris dispositionis agendæ. Exempla similium dispensationum a Congregatione Concilii indultarum non desunt, tam pro illis, qui ad ordines jam erant promoti, quam pro aliis, qui voluntarii homicidii crimen commisissent, antequam ordinibus initiarentur, dummodo tamen gravissimum crimen per attestationem Ordinarii, aliorumque qualificatorum vivorum diuturna, et publica pœnitentia ex-

[1] Lib. I, pag. 127.
[2] Tit. 15, cap. 8.
[3] Quæst. 1168, *de Sacrif. Novæ Legis.*
[4] *Bull. ejusd. Pont.*, tom. I, pag. 56.
[5] *Bull. ejusd. Pont.*, tom. II, pag. 178.
[6] *Ibid.*, tom. I, pag. 57.
[7] *Ibid.*, tom. II, pag. 36.

piatum fuisse, et de utilitate in proximum a dispensatione obventura constaret, ut testatur Ben. XIV, *De Synodo Diœces.*, lib. 13, cap. 10, num. 29.

De unionibus, et de permutationibus dumtaxat subjicitur Const. *Quanta*, 1 april 1568, S. Pii V[1], qua vetitum fuit Ordinariis, aliisque collatoribus, in quorum manibus resignationes, vel permutationes fierent, ne idem beneficium suis, aut resignantis consanguineis, vel familiaribus darent, de qua quidem Constitutione amplissime agit Bened. XIV *Inst. Eccles. XCI*, num. 9 seqq. [2]. Constans tamen fuit Congregationis Concilii mens, eamdem Constitutionem, neque ad permutationes bona fide, et citra fraudem factas, neque ad vacationem per obitum, neque si a Romano Pontifice fiant, porrigi debere, ut pluribus citatis advertit idem Bened. XIV, *de Synod. Diœces.*, lib. 13, cap. 24. Rejectiones postremo ab Ordinariis factæ eorum, qui ad parochias adspirant, et præeminentiales quæstiones ab iis promoveri solitæ, qui qualitatem *nullius*, seu territorium separatum habere præsumunt, inter materias hujus Congregationis occurrunt. Qua de causa observandum, quod pro beneficiis, quibus cura animarum adnexa est, sive a Romano Pontifice obsequutam in mense Apostolico vacationem, sive ex alio affectionis et reservationis titulo conferantur, nec ad Ordinarios spectat collationes, ex censura Const. Bened. XIV, incipien. *Cum illud*, 14 dec. 1742, § 19 [3], ubi cautum fuit, ut vacante beneficio curato reservato Sanctæ Sedi, ratione mensis, habitoque concursu, ejus acta ad Datariam ab Ordinariis non transmittantur, sed dumtaxat Datario significandum, quem ipsi magis idoneum existiment; si vero ex alio quovis titulo beneficium reservetur, habitus tunc concursus ad Datariam mittatur per familiares litteras ad Datariam conscriptas, designando, quem ipsi censeant digniorem, et an quisquam ex concurrentibus occulto aliquo crimine sit irretitus? Quamvis autem pro eo præsertim casu, quo parochiarum, vel beneficiorum curatorum collatio ab Ordinariis dependeat, fas undique sit ab eorum judicio ad Congregationem Concilii provocare, abstinere enim debent a judicio, quando collatio Apostolicæ Sedi reservatur; debet tamen univocis, et luce meridiana clarioribus probationibus irrationabilitas ista judicii constare, cum in quovis dubio Ordinariorum electioni sit deferendum.

Animadvertendum insuper est, quod in visitatione ecclesiarum parochialium, quibuscumque locis etiam exemptis, perpetuo unitarum, accessit Const. S. Pii V, *Exposcit*, 22 sept. 1571, extendens hanc jurisdictionem visitationis gratis faciendæ a locorum Ordinariis, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, etiam ad parochias Militiæ S. Joannis Hierosolymitani, in iis, quæ ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem spectant; quæ omnia in hac S. Congregatione cognosci, si controversia agitatur, debent. Et Fagnanus olim a Secretis S. Congregationis Concilii testatur in Cap. *Quoniam*, *de Const.*, num. 36 [4]. « S. Congregationem frequenter inhibuisse auditori Cameræ, ac vicesgerenti, et illi significasse, ut suas moderarentur inhibitiones, seu monitoria, eosque semper prompte paruisse, cum Congregationis jurisdictio in materiis Conciliaribus sit privativa quoad omnes. » Ast S. hæc Congregatio quoad suas facultates non potest derogare privilegiis Papæ, ut apposite tradit Ascanius Tamburinius *de Jur. Abbatis. et Monial.* disp. 4, quæst. 7, num. 6, et quando censet aliquod privilegium esse derogandum, consulit Pontificem, et de tali derogatione fit mentio.

Vigore autem Const. *Ut Securitati*, 22 febr. 1591 [4], Gregorius XIV Pont. Max. facultatem impertitur S. Congregationi Concilii eos in utroque foro absolvendi, qui ad Sacros Ordines promoti fuerant cum dimissoriis a sufficientem facultatem non habentibus obtentis, perceptosque ecclesiasticorum beneficiorum fructus eis condonandi. Et habetur in lib. 12, *Decret.*, pag. 129, quod « Sanctissimus D. Noster Gregorius XV, die 27 aprilis 1621, indulsit Congregationi Concilii, atque illius personis, ut si quando sive publice, sive privatim agendum foret de materia ad ipsam Congregationem quoquomodo pertinente, unde illius auctoritate directe, vel indirecte sequi possit mors alicujus, aut membri mutilatio. personæ ipsæ ex tractatu, seu ministerio hujusmodi nullam irregularitatis notam incurrant. « Denique hæc S. Congregatio Concilii omnem sollicitudinem, ut ecclesiastica disciplina conservetur, habere debet, quod Benedictus XIV, *Inst. Eccles.* 7, num. 2, monuit hisce verbis [6] « Nam eadem S. Congregatio non modo Concilii Tridentini sententias interpretari sola potest; verum etiam diligentiam, studiumque adhibere maximum debet, ut per universum orbem ecclesiastica disciplina integre conservetur. » Et idem Sum. Pont. alibi [7] de theologorum opinioni-

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. III, pag. 10.
[2] Tom. XI. pag. 603.
[3] *Bull. ejusd. pont.*, tom. I, pag. 101.
[4] Lib. I, pag. 134.

[5] *Bull. Rom.*, tom. V, part. I, pag. 136.
[6] Tom. XI, pag. 37.
[7] *De Sacros. Sacrif. missæ*, lib. III, cap. 22, num. 5, pag. 398.

bus disserens ait: « His sententiis ad Apostolicam Sedem delatis, quid statuendum esset, ipsa indicavit per Sacram Concilii Congregationem, quæ non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuit, sed etiam, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur »

§ VII.

Praxis Sacræ Congregationis Concilii in causis propositis.

Quoniam omnes causæ quæstionesque, quarum definitiones postulantur, ceteræque consultationes, quarum deliberatio et cognitio in S. Congregatione Concilii instituta est, ut ejusdem oracula haberentur, in eadem S. Congregatione deferuntur vel ad instantiam partium, vel ad preces immediate eidem S. Congregationi exhibitas, vel per supplices libellos remissos ad prædictam S. Congregationem vel a Papa, vel per organum secretariæ nuncupatæ *Memorialium*, vel ab Emin. Card. pro-datario, vel ab auditore ipsius Pontificis, vel per vim denique appellationis a decretis, seu judicatis emanatis coram Ordinariis locorum in causis, quæ interpretationem Concilii Tridentini tangunt; hinc duplex ratio oritur procedendi in causis Sacræ Congregationis Concilii. Dubium quidem non est, quando agitur de hoc secundo modo procedendi, quod informationem Ordinarii postulare non soleat S. Congregatio; quia omnia acta ab Ordinario procedunt, et ad S. Congregationem deferuntur ad effectum prosequendi in gradu appellationis judicium, ut plerumque accidit in causis nullitatis professionum et similium; attamen casus dumtaxat contingere potest, quo S. Congregatio pro informatione rescribat, quando orta sit circumstantia aliqua, seu dubium in facto, ita ut relatio Ordinarii necessaria ad causæ definitionem videatur.

Si autem loquamur de primo procedendi modo, nempe in causis, et precibus S. Congregationi delatis, ac ex integro etiam remissis a Papa, vel ab ejusdem auditore; vel a Dataria, semper audiri informationem Ordinarii, imo eam petere S. Congregatio consuevit, et absque ea fere in omnibus controversiis, dubiisque propositis nihil decernere S. Congregatio solet; ita ut frustra ab ea aliqua desideretur resolutio, quin Episcopi informationem audierit. In petenda autem informatione stylus est, quod scribatur epistola familiaris subscripta a præfecto et secretario in nomine Congregationis, Episcopo, vel alteri superiori; cum insertione copiæ libelli desuper porrecti, ut super contentis in eo S. Congregationem informet; habitaque informatione si ea fidelis existat, adeo ut recurrentes in facto non discordent, unde propterea quæstio reducatur ad punctum juris: tunc negotium proponitur in S. Congregatione; sed si ille, a quo informatio petitur, eam dare negligat, sive prætendatur, quod alterata, minusque vera data sit; tunc committi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitano, aut alteri personæ qualificatæ in partibus, ut desuper se informet, atque S. Congregationi referat; atque etiam quandoque pro negotiorum qualitate committi solent Prælatis, ac etiam religiosis, aliisque probatis viris informationes, ac relationes secretæ. Revera S. Congregatio Concilii procedit de voto Ordinarii in omnibus causis, exceptis quæstionibus tantum juris, in quibus frustanea informatio reputatur, quum definitio causæ a facti circumstantiarum veritate minime pendeat.

Iste modus et ordo servatur in causis, quæ contradictorem non habent. Nam quamvis in declaratione legis citatio partis non requiratur; « tamen ut testatur Fagnanus cap. *Quoniam, de Const.* num. 40, lib. I, pag. 154, cum declarationes eduntur ad instantiam partis, S. Congregatio consuevit audire quorum interest, et dare etiam litteras ad Episcopos, ut moneant partes ad jura sua in Congregatione deducenda. Quod præcipue observat, cum dubia proponuntur in concreto, et decreta Concilii casibus particularibus applicantur propter varias factorum circumstantias; vel si quæstio sit, an tale juspatronatus sit a Concilio sublatum, an in tali examine per concursum fuerit servata forma a Concilio præscripta, an certa ecclesia, vel hospitale possit ab Episcopo visitari, et alia id genus. » Apud hanc S. Congregationem Concilii in usu positum non est, quod in plerisque aliis Congregationibus, in quibus Cardinalis aliquis deputatur, qui causam sibi commissam proponat, et iste ponens appellatur; sed omnia negotia proponuntur per secretarium, prævia tamen dubiorum, ac negotiorum, saltem graviorum descriptione in folio, quod per plures dies antea transmittitur per manus singulorum Cardinalium Congregationis.

Quando S. Congregatio juxta preces gratiam elargitur, utitur hisce clausulis: « S. Congregatio EE. S. R. E. Card. Concilii Tridentini Interpretum benigne commisit Episcopo, aut alii superiori ecclesiastico, ut, veris existentibus narratis, supradictis oratoris precibus, pro suo arbitrio, et prudentia gratis indulgeat juxta petita. » Si autem haud concedere gratiam juxta petita censet, in rescripto, quod in supplici libello sub preces inscribitur, limitationem apponit; casu vero, quo facultates concedit vicariis capitularibus, sede episcopali vacante, ut elargiatur necessarias dimissorias, libellus supplex ad Pontificem dirigi debet,

et S. Congregationi Concilii exhiberi, quæ rescribit: « Die etc., Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii, benigne commisit vicario capitulari, ut, veris existentibus narratis, et dummodo orator ab Ordinario prædecessore rejectus non fuerit, cæteraque in eo sacri Concilii Tridentini requisita concurrant, super hujusmodi oratoris instantia, pro....; servatis tamen cæteroquin servandis, gerat, statuat, atque decernat quidquid pro suo arbitrio, et conscientia magis in Domino expedire judicaverit. » Quoad vero ordinatos sine litteris dimissorialibus suspensio licet reservata sit per Concilii Tridentini, sess. 23, cap. 8, « Solent tamen (ait Card. Petra *Comment. ad Const. Apost. Const. VII, Pii II*, sect. unic., num. 26, tom. 5, pag. 151, edit. Venet. 1741), recurrere ad S. Congregationem Concilii, vel Episcoporum isti ita ordinati pro absolutione, vel quia adest aliquod dubium an incurrerint, ex eo quod anceps sit quis fuerit Ordinarius; vel quia celebrarent cum dicta suspensione, ita ut requiratur dispensatio ab irregularitate, danda per Sedem Apostolicam, ut dicam, sed ante absolutionem Sacra Congregatio requirit informationem Ordinarii, vel prætensorum Ordinariorum, eam deinde remittit arbitrio proprii Ordinarii spreti. » Præterea S. Congregatio Concilii, quando suam declarationem tantummodo ad dubium propositum facit, et minime cæteri casus sibi vindicare illam possunt, rescribere solet *negative* vel *affirmative in casu, de quo agitur*; aut *ex deductis non constare*, vel *attentis etc. non indigere etc.*, vel *negative prout jacet*. Formula autem, quam adhibet hæc Sacra Congregatio pro facultate elargienda celebrationis Missæ votivæ in diebus ritus duplicis, hæc est: « Die ..... S. C. EE. et RR. S. R. E. Card. Concilii Tridentini Interpretum benigne commisit Ordinario loci, ut veris existentibus narratis, et dummodo orator non sit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in oratorio privato, et etiam in publica ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata, et cum alio assistente Sacerdote, quatenus eo indigere videatur, petitam facultatem celebrandi diebus festis, et duplicibus missam votivam B. Mariæ Virginis; diebus vero ferialibus missam defunctorum per triennium proximum tantum, si tamdiu enunciatus defectus perduraverit pro suo arbitrio et conscientia, oratori gratis impertiatur, cum facultate hujusmodi licentiam prorogandi, et renovandi toties quoties opus fuerit, si facto experimento cognoverit oratorem in eadem potentiæ visivæ debilitate perdurare, viceque versa prædictam licentiam denegandi, si orator in sacro peragendo defecerit, aut omnino cæcus evaserit, super quibus ipsius Ordinarii, et oratoris conscientia onerata remaneat. »

Si autem, Sede episcopali vacante, in ista S. Congregatione raro, sed frequentius in S. Congregatione Episcoporum et Regularium habeantur quæstiones super deputatione vicarii capitularis, atque ubi dignoscatur, quod ea ad præscriptum Concilii Tridentini, vel decretorum S. Congregationis facta non sit, variæ oriri solent provisiones; quandoque etenim, ubi nullitas non proveniat ex vitio personæ, quam constet esse dignam, et idoneam, tunc ipsa deputatio revalidatur, eo modo, quo frequens praxis docet in electionibus prælatorum regularium. Quandoque vero ipsa Congregatio vicarium deputat, cum oraculo Papæ, et qui propterea Apostolicus dicitur; et quandoque mandatur, ut capitulum denuo ad electionem procedat, sive metropolitano, sive viciniori id committitur (quod tamen rarum est), cum frequentior stylus sit, vel confirmandi deputatum, vel deputandi vicarium Apostolicum.

Animadvertendum insuper est, quod S. C. Concilii semper omnes causas resolvere prout de jure consuevit, quod evincitur ex verbis appositis in principio cujusdam folii exarati ejusdem S. Congregationis. Et Ursaya [1] affirmat, quod S. C. Concilii ad dubia tanquam nimis generalia, quæ congrue definiri unica declaratione, seu responsione accommodata diversis defunctorum dispositionibus, vel piorum benefactorum largitionibus nequeant, ita respondit, rescribendo: *Dabitur resolutio in casibus particularibus*; nihil in dictis dubiis definiendo; « et bene, (ait Card. Petra *Comment. ad Const. I. Leonis IX*, sect. II, num. 141, tom. I, pag. 108), quia plures cadunt inspectiones, singulis casibus applicandæ. Unde gradatim, primo explicando sententiam in rigore juris, deinde in praxi. » Idemque Ursaya [2] animadvertit praxim S. C. Concilii esse haud dubium resolvere de attentatis, eodem tempore, quo definit merita causæ. Fagnanus autem cap. *Henricus de Cler. pug. in duel.* num. 35, exhibet stylum S. C. Concilii quoad clericos homicidas voluntarios. « Sanctissimus aliquando, (inquit) dispensat in signatura gratiæ, plerumque autem remittit supplicationes ad S. C. Concilii, quæ præcipue considerare solet, an homicidium fuerit commissum per industriam, seu præmeditate, et per industrias juxta text. in cap. 1, *de Homicid.*, et in cap. 7, sess. 14, Concilii Trident., an vero calore iracundiæ, et in pura rixa, an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus; an tantum temporis excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria

[1] Discept. II, tom. V, part. 2, num. 33.

[2] Discept. IV, tom. IV, part. IV, part. 2, num. 142.

sit obliterata in loco, et sic cesset scandalum et horror, ut vir sanguinolentus ministret in altari, quæ fuit causa instituendi irregularitatem, secundum *Laud. et Cardin. in Clement.* I, num. 20 *in* 18, quæst. *de homicid.*, anve ab eo tempore orator a ministerio altaris abstinuerit. Rursus an obtinuerit pacem a parentibus, vel consanguineis defuncti, anve cum fisco concordaverit. Item an esset alias bonæ conditionis, et famæ; et an post delictum semper laudabiliter vixerit, ex litteris testimonialibus Ordinarii, et alia pleraque id genus, quibus perpensis, S. C. rescribit concedendam, vel non concedendam esse dispensationem, cum quo rescripto remittit supplicationes ad Datariam, a qua postea de ipsius Congregationis voto expediuntur litteræ.

Deinde quum in S. C. Concilii ageretur de regularibus, qui habitum deseruerunt, praxim ejusdem S. Congregationis Card. Petra *Comment. ad Const. IX Sixti IV, sect. unic.* tom. 5, pag. 271, nobis ostendit, qui ait « Canone Concilii Tridentini supra adducto, cap. 19, sess. 25, *de Regul.* edicitur, quod nequeat quis regularis audiri super nullitate suæ professionis, nisi habitu suæ religionis retento, etsi illum dimiserit, eo reassumpto et facto reditu ad claustra; et hæc est praxis inconcussa S. Congregationis Concilii, ut nunquam quis audiatur super dicta nullitate, nisi reassumpto habitu. » Hinc S. C. Concilii sic rescribere hisce in casibus solet: *Reassumat habitum, et deinde supplicet.* Et hac de causa Rota decis. 952, *in causa Mediolan.*, *Nullitatis professionis cor. Emerix junior.*, attentatam fuisse dixit dimissionem habitus, et sic teneri eum reassumere. Quando postulanda erit a S. C. Concilii missarum reductio, tum ob defectum, vel diminutionem redditutum, tum pro quacumque alia ratione, item translatio, suspensio ac deletio earumdem, non prius responsio, vel gratia obtineri valeat, quam Ordinarii informatio, testamenti, vel fundationis oneris particula evenerit, et interesse habentes audiantur.

Quod si aliqua proponeretur dispositio, quæ simul, et missarum onera, et eleemosynarum distributionem, aliave pia opera comprehenderet, et quidem ob redditutum tenuitatem, necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire; reducenda potius sunt reliqua opera, non autem missarum numerus; juxta praxim apud S. Congregationem Concilii receptam, de qua Fagnanus in cap. *ex Parte.*, num. 34, *de Constitut.* Tunc autem tantummodo locus fieri posset reductioni missarum, integris manentibus reliquis piis operibus, cum eorum communis fundator in sua dispositione certum fundum pro celebratione missarum, ac certum itidem fundum ad reliquorum piorum operum implementum designasset; fundus autem missarum celebrationi addictus imminutionem, aut detrimentum aliquod subiisset; uti recte adnotat Pasqualig. *de Sacrif. nov leg.* quæst. 1191; vel cum ex ipsis dispositionis verbis, totoque contextu colligi posset, eam fuisse testatoris mentem, ac desiderium, ut si quando, ob imminutos bonorum redditus, onera quoque deberent imminui, reduceretur potius missarum numerus, quam eleemosynæ, et reliqua pia opera; veluti pergit Passerinus *de Statu homin.*, tom. 2, quæst. 187, num. 110. Nam cum superius memorata regula, ut scilicet, quoties reductionis peragendæ urgeat necessitas, integro relicto missarum numero, reducantur potius reliqua pia onera, innitatur præsumptæ menti, ac voluntati fundatoris, qui proclivior fuisse censendus est illud pium opus, ex quo majora animæ suæ suffragia obventura prospiceret, quale est incruentum altaris sacrificium; idcirco si conficiatur, et ex ipsis illius verbis, totaque perlustrata dispositione eruatur, ipsum propensiori affectu ac voluntate exoptasse reliquorum piorum operum implementum, quam celebrationem missarum, quandoquidem, et reliqua pia opera sunt Deo accepta, et animæ valde proficua; mirum videri non debet, si in hac facti specie, cum factus fuerit locus reductioni, seu piorum onerum imminutioni, huic potius missæ quam reliqua pia opera subjiciantur: eo vel magis quod juxta graves receptasque sententias, sancta et salubris consuetudo multiplicandi suffragia et sacrificia pro defunctis, minime efficere debet, ut obsolescat æque sanctus, et salutaris usus eleemosynas pro pauperibus erogandi; sed exoptandum summopere est, ut et illa servetur, et alter non negligatur: quemadmodum licet quoque addiscere ex auctoritatibus Patrum, quos collegit Muratorius ad fin. cap. 12, sui operis *de Christiana charitate.*

Sciendum tamen est, quod facultas missarum reductioni reservata fuit auctoritati Sedis Apostolicæ per decreta generalia S. Congregationis Concilii anno 1625 edita, et ab Urbano VIII roborata, et ab Innocentio XII confirmata. Sed vix dici potest, quanta rerum farragine ex hoc uno capite obrueretur Congregatio Concilii, cui hujusmodi reductionum cognitio committebatur; quæque proinde, ut aliqua hujus oneris parte sese levaret, id demum consilii cepit, ut Episcopis sæpe delegaret facultatem reducendi missas in eorum diœcesibus, tradita simul instructione, pro hujusmodi reductionibus rite et recte peragendis. Interea vero animadvertendum est, id hodie frequenter usuvenire, ut Episcopis, communicata hujusmodi instructione, committatur missarum reductio, reservato tamen Congregationi jure admittendi recursus, ac de iis

cognoscendi, quotiescumque aliquis contendat, vel nullatenus imminuendum fuisse onus, vel saltem reduci non debuisse ea ratione ac forma, quæ in illius reductione adhibita fuit. Hujus disciplinæ testimonium perhibet Benedictus XIV, in *Synodo diœces.*, tom. 2, lib. 13, cap. ult., num. 20. In remissionibus, vel condonationibus faciendis de missis non celebratis immiscere se nequit Episcopus, utpote quæ privative reservatæ sunt auctoritati Romani Pontificis, qui vel immediate per se ipsum vel per organum Pœnitentiariæ Apostolicæ, et nonnunquam S. Congregationis Concilii, sed frequentius per organum Congregationis Fabricæ S. Petri, examinatis prius omissionum causis opportune providet, prout in Domino magis expedire judicat, ex spirituali thesauro Ecclesiæ supplendo quidquid in oneribus implendis peccatum est; in suffragium autem, et expiationem animarum, pro quibus omissa sacrificia offerri debuerant, congruum missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus capellanis huic muneri addictis in Vaticana basilica, cujus fabricæ, veluti ecclesiæ catholicorum omnium studiis, ac devotione merito semper celebratæ modica illa eleemosyna, *Compositio* dicta, præter reliqua pia opera, pro facti circumstantiis, ac pro prætermisso sacrificiorum numero persolvenda imponitur iis, qui condonationes exposcunt; quarum insuper rescripta, et decreta, ut omnibus fraudibus occurratur, sequenti clausula debent esse munita, juxta Constitutionem Innocentii XII, « monitos esse voluit condonationes et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, compositiones vero a dicta fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et præsertim illa, *Dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, et solere. » Ita Benedictus XIV, *de Synodo diœces.*, lib. 13, cap. ult., num. 15 [1], et Thesaurus *de Pœnis*, pag. 197. Reductionem pariter missæ conventualis solet S. C. impertiri, quando ob deficientiam reddituum opportuna dispensatio efflagitatur, ut loquitur Benedictus XIV, Const. *Cum semper*, 19 aug. 1744 [2]. « Si vero, (inquit), designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a prædecessoribus nostris eidem impertita, et a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere. »

Concessiones præterea beneplaciti alienandi res Ecclesiæ, quas antiquitus concedebant Sacra Pænitentiaria et Cancellaria Apostolica, aliique officiales inferiores, S. Pius V, Const. *Volentes*, 16 aug. 1568 [3], elargitis prædictis facultatibus revocatis, sibi reservavit. Hinc Summus Pontifex consuevit vel per litteras apostolicas, nempe Bullas, vel per litteras in forma Brevis, aut per Congregationes Concilii, vel Episcoporum et regularium ejusmodi petitionibus annuere. Solet enim fieri supplicatio in Dataria per oratores, et a Dataria remittitur ad Congregationem Concilii pro voto, ac proposita instantia in eadem, prævia relatione Ordinarii, ac mature discussa; an concurrat evidens Ecclesiæ utilitas; in calce supplicationis ponitur decretum Congregationis, subscriptum a Card. Præfecto, et secretario; *posse signari dictam supplicationem*, et quatenus addatur, vel minuatur aliquid in decreto, reformatur commissio, et deinde ea signata per Summum Pontificem expediuntur litteræ apostolicæ sub plumbo, seu bulla, juxta consuetam formam, directæ executoribus cum clausula « si in evidentem utilitatem Ecclesiæ cesserit, » quod late exponit Corrad. *in Praxi dispens.* lib. 6, cap. 2, et per tot. lib., De Rosa part. 1, cap. 5, num. 270 et seqq., *de exeq. lit. Apost.*, et per hanc viam expediri debent alienationes omnes perpetuæ, et emphyteuses perpetuæ, et etiam ad certas generationes, si excedant annuum canonem scut. 18 monetæ circiter; Rosa, *cit. loc.*

Alius modus expediendi est per litteras apostolicas in forma Brevis, ac datur supplex libellus Summo Pontifici; quo remisso pro voto eidem Congregationi, discussa re, prius relata informatione Ordinarii, obtinetur a S. Congregatione decretum directum Ordinario pro executione cum dicta clausula « si in evidentem utilitatem cesserit; ac esse expediendum, si SS. placuerit per litteras apostolicas in forma Brevis, » et per hanc viam expediuntur, si canon non esset citra dictam summam scut. 18 monetæ circiter. Tertius modus est per simplex decretum et commissionem Sacrarum Congregationum prædictarum, directam Ordinariis, absque litteris apostolicis; et hoc modo expediuntur emphyteuses, concessiones ad certas generationes, et alienationes, non autem in perpetuum in bonis secularium ecclesiarum et clericorum secularium, dummodo summa annui canonis sit citra summam scut. 12 monetæ. Quoad vero moniales et regulares, expediuntur beneplacita per hoc simplex decretum Congregationis sine litteris apostolicis, etiam pro emphyteusi per-

[1] Pag. 655, edit. Rom. 1755.
[2] *Bull. ejusd. pont.*, tom. 1, pag. 165.
[3] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. III, pag. 29.

petua, ac alia quaecumque; obtenta tamen quoad perpetuam remissione Papæ in supplici libello ad S. Congregationem, idque totum gratis, ut statutum fuit decreto S. Congr. Concilii *in Romana*, 17 junii 1630, tom. 14 decret. fol. 300, et die 1 decem. 1691, tom. 42 decret. fol. 348, et relato a Card. Petra *Comment. ad Const. VI Bened. XII*, num. 41 [1], ac debet exprimi in supplicationibus prædictis ordo regularis, cum clausula, *sive alterius ordinis*, ad evitandam subreptionem, ut advertit Corrad. cit. cap. 11, num. 6. Decretum tamen S. Congregationis prædictum continet, ut præfatæ expeditiones pro regularibus expediantur per Congregationem Concilii tantum; sed in praxi etiam expediuntur per Congregationem Episc. et regul., et semper gratis, et cum clausula, *si in evidentem cesserit utilitatem*, ut statuit S. Congregatio Concilii in cit. *Romana*, 17 junii 1630.

Ut igitur cujusmodi beneplacitum apostolicum vim habeat, non sufficit, ut signata fuerit supplicatio; sed requiruntur litteræ apostolicæ expeditæ ut testatur Card. De Luca *disc.* 1, num. 37. In S. Congregatione vero consideratur mature, an vere concurrat evidens utilitas, quæ debet esse realis, non imaginaria, et contingibilis ex futuro eventu; idcirco in supplicatione debet ostendi. Solet etiam demandare S. C. ut affiganturedicta, et transmittantur oblationes, etiam prævia publica auctione; et reperto oblatore concedit beneplacitum cum conditione, ut pecunia convertatur unico contextu in stabilium bonorum emptionem; et ideo præcipitur investiri in stabilibus bonis, quia Congregatio non approbat investimentum in censibus, nisi in casu aliquo speciali cum cautelis; et ad dubium generale, an sit permittendum investimentum in censibus, S. C. rescribit: « Recurrendum esse ad S. Congregationem in casibus particularibus. » Certum tamen est, quod permittitur facere alienationem quorumcumque bonorum cum evidenti utilitate, ut loquitur *Statutum Urbis*, cap. 13, alias non permittitur. Et Card. Petra *Comment. ad Const. 1 D. Leonis M. Lect. IV*, num. 121 [2], ait: « Et S. C. Concilii non solet admittere alienationem stabilium, nisi per modum permutationis, et aliquando ex causa admodum utili permittitur alienatio ad effectum unico contextu erogandi pecuniam in emptionem stabilium, vel alio modo tuto pro ecclesia, et etiam in permutatione aliquando admittitur; et rejicitur assignatio creditorum, præsertim si adsit promissa evictio; et inspici debet, quid potuerat ecclesia recipere a re sua. Rota, decis. 1336, *cor. Emerix jun.* »

Præterea edictum occurrit Innoc. XII, quod incipit *Non si debba*, 17 sept. 1695 (Guerra *in Epitome Bull.* tom. I, pag. 172), in quo decernit Summus Pontifex modum agendi causas in S. Congregatione Concilii, et primo, ut nulla deferatur ad hanc S. Congregationem causa, quin cum illa unita sit Ordinarii relatio; saltem quindecim dies ante debebit exponens comparere coram secretario Congregationis *ad concordandum de dubio, et de partibus*. Eodem tempore ad secretarium deferantur scripturæ; saltem septem dies ante debebit indici, *qualiter causa fuerit descripta*, et si pars sit contumax ad comparendum, *nullæ dilationes dentur cuique*; Cardinali Congregationis dabuntur scripturæ facti et juris cum summario; etiam responsiones; in causis in integrum restitutionis *ob nullitatem professionis* dabuntur relationes Ordinarii, et superiorum ordinum in forma authentica; in causis gratiarum dabuntur scripturæ die lunæ ante habendam Congregationem.

Deinde serio est animadvertendum, scilicet post aditam unam ex Sacris Congregationibus, aliam sub pœna nullitatis actorum adiri non posse, ut declaravit idem Pontifex Innoc. XII, decreto *Ut occurratur*, 4 junii 1692, relato a Guerra *in Epit. Bull.* tom. 1, pag. 398; etiamsi mediante rescripto Pontificis fuerit ad alteram S. Congregationem causa remissa; idque etiam opportune cautum est, ad impetrantium calliditatem coercendam, qui ubi primam Congregationem tanquam negotii instructam eorum petitioni contrariam habuerunt, vel habere suspicantur, studiose, et subdole tentant aliam adire, ut tanquam minus informata ipsis concedat, quod prima denegavit, vel denegasset, ut totidem fere verbis in enunciato decreto idem Pontifex loquitur. His denique accedit, quod licet amplissima sit Congregationum auctoritas, non debent tamen de facili a legitimis superioribus causas avocare, ne iidem sine solido fundamento, suo jure procedendi in prima instantia contra sacrorum Canonum, et Tridentini Synodi censuram in vulgatissimo cap. *Causæ omnes* priventur; unde usus invaluit, quod subditorum instantiam ad ipsosmet Prælatos, sive regulares, eædem Congregationes remittant, ut testatur Ursaya part. 2, discept. 8, num. 40.

Hinc Thesaurus *de Pœnis Eccl.* verbo *Gratiæ subreptio*, etc., cap. 8 hæc inquit: « In decreto Innocentii XII, *ut occurratur* 4 junii 1692, relato in ejusd. *Bull.*, statuitur: ut si quis..... preces, sive supplices libellos in materia gratiæ, et justitiæ alicui ex Sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulerit, seu præsentaverit, ita ut ab eadem S. C., vel in totum, vel in partem fuerint rejectæ, aut alias ipsa S. C. mediante præfata præsentatione precum, præventa, manus quomodocumque desuper

[1] Tom. IV, pag. 103.

[2] Tom. I, pag. 65.

apposuerit, nequeat ullo modo idem negotium, causam, vel petitionem, ad alteram ex S. C. etiam mediante rescripto Sanctitatis Suæ (quod in hoc casu importune, et subreptitie Sanctitas Sua censeri voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, etiam simplicitatis, et ignorantiæ deferre, vel alias primam Congregationem sponte a principio aditam declinare; alias rescripta, decreta quæcumque indulta, gratiæ, litteræ, resolutiones, vel provisiones a secunda sive altera Congregatione impetrata, vel impetranda, necnon litteræ Apostolicæ, quas illorum, vel illarum vigore desuper expediri contingeret, haberi debeant omnino pro subreptitie extortis, nulliusque penitus sint roboris, vel momenti, nec ullatenus in judicio, vel extra suffragari possint, et valeant, perinde ac si nunquam emanassent. » Hoc saluberrimum decretum Innocentii XII renovare Clemens XIII, die 15 aprilis 1768 voluit, ac confirmare, quod fecit hisce verbis: « Cum Summus Dominus Noster Clemens PP. XIII a moderatoribus rerum, et negotiorum, quæ ad notionem sacrarum Urbis Congregationum pertinent, certior factus fuerit de inobservantia saluberrimi decreti, quod jussu san. mem. Innoc. XII latum fuit, et publice editum die 4 junii 1692 ab Ansaldo de Ansaldis ipsius Pontificis auditore; cumque ab iis acceperit mala turbasque, quæ eveniunt, ut postquam preces sive de re, quæ gratiæ sit, sive justitiæ alicui ex iisdem Sacris Congregationibus oblatæ fuerunt, et vel rejectæ fuerint, vel suspicio sit, et timor ne rejiciantur; missa ea Congregatione, alia de eadem re, negotioque, aliisque precibus adeatur S. Congregatio, a qua fortasse minus instructa evenire potest, ut concedatur, quod a prima vel denegatum fuerat, vel denegatum fuisset; idcirco indignum plane esse, neque ferendum prudentissime existimans, ut præventæ Congregationis eludatur judicium, et secum animo reputans hæc evenire potuisse, quod temporis lapsu obliterata fuerit providentissimi ejusdem decreti memoria, nobis mandavit, ut idem decretum publici juris iterum fieret ipsis suis verbis, pontificiaque auctoritate confirmatum renovaretur. Nos igitur Sanctissimi Domini Nostri imperio obsequentes idem decretum ipsis suis verbis damus. » Hoc confirmationis decretum affixum reperitur in Secretaria S. Congregationis Concilii.

Quandoque hæc sacra Congregatio rescribere solet *ad mentem*, *juxta mentem*, et alia similia; quibus verbis occulta remanet aliquantulum definitio, vel resolutio S. Congregationis. Desuper Ursaya discep. 55, tom. 3, part. 1, num. 92, seqq. ait: « Cohærenter ad illa verba, *juxta mentem*, notandum est hic cum Rota *in Tyburtina, Fideicom.* martii 1705, § *Ratio cor. Ansaldo*, quod S. Congregationes, et alia Urbis tribunalia solent uti dicto rescribendi modo, vel alio simili, puta ad *D. ponentem*, vel *Ad D. secretarium cum SSmo.*, quia judices nolunt statim publicare eorum rescripta, ad hoc ut partes edoctæ a secretario, vel ponente de dicta mente judicantium, illam a seipsis exequutioni demandent, juxta casum decisionis *Rom. Ampl. Eccl.* 24 april. 1705, § *fin*, *cor. Card. Caprar.* Vel quando congruum existimat, ut secretarius Congregationum, vel ponens in aliis tribunalibus, Papæ repræsentet, quid tribunal intellexerit, ad hoc ut deinde idem princeps demandare possit id quod ei videtur, eo quia conveniens sæpe sit, quod princeps informatus existat de gravioribus causis, et juxta ejus placitum, ubi oportet, suum auctoritativum brachium clementer impertiatur; in quibus terminis solet deinde clare explicari eadem mens. » Hoc in loco addere juvat id, quod idem Ursaya, discep. 12, tom. 2, part. 2, num. 168 verba faciens *de causa Recineten. Vicarii capitularis*, 4 junii 1701, confirmata 30 aug. 1704 inquit: « Circa hujusmodi additum, *ut causa amplius non proponatur*, notandum est, quod antiquis temporibus in rescriptis S. C. non erat adeo frequens, dum solitum erat apponi in nova causæ resolutione, et merito, ne miser collitigans, clarum jus habens, defatigetur expensis novæ propositionis causæ ad libitum alterius, in illis tribunalibus, in quibus more principis procedi solet, qualia sunt sacræ Congregationes. »

Denique sciendum est, S. Congr. Concilii minime facultatem suas declarationes exequendi habere, quod testatur Card. de Luca disc. 15, part. 2, *Relation. Rom. Cur. For.*, num. 17, quod eadem S. Congr. suis resolutionibus, vel decretis exequutionem non præstat, sed ad judices ordinarios, ac tribunalia contentiosa ecclesiastica, et competentia id pertinet. Hinc Fagnanus in cap. *Quoniam de Const.* num. 41 [1]. « Ut autem, (inquit) declarationes debitæ executioni demandentur, Sacra Congregatio non solum præcipere consuevit, sed etiam in contumaces, et refractarios animadvertere pœnis, et censuris ecclesiasticis. Et a secretario Brevium passim expediuntur litteræ Apostolicæ, et ab auditore Cameræ monitoria pro observatione declarationum a Congregatione editarum. Quas itidem Episcopi, et Sedis Apostolicæ nuntii, quin et S. R. E. Cardinales, et de latere Legati suscipiunt, et exequuntur. Imo cum olim

[1] Lib. I, pag. 135.

Alphonsus provisus de canonicatu in ecclesia Oxomensi, qui ab Episcopo erat electus pro theologo, obtinuisset declarari a S. Congr., quod decretum cap. 1, sess. 5 non comprehendat præbendas Sedi Apostolicæ reservatas, opponebatur apud auditores regii concilii, quod de tali declaratione, aut per Breve sub annulo Piscatoris, aut per bullas plumbeas constare deberet; ideoque Alphonsus adiit S. Congr. pro remedio: Congregatio parva censuit referendum Sanctissimo si velit nuncium curare, ut litteræ Card. S. Sixti mittantur executioni prout in aliis, an velit concedere breve, ut litteris illis fides præstetur, die 23 feb. 1577, Sanctitas Sua dixit, quod scribantur litteræ ad nuncium, ut testetur regi, et cui opus erit, quod decreta S. Congr. Concilii solita sunt significari solis litteris: et ita hactenus exequutæ sunt semper: nec opus esse Breve, Congregatio parva censuit post ver. litteris, addenda esse hæc verba, scilicet Card. S. Sixti. » Censuit insuper S. hæc Congregatio die 11 febr. 1589 unicam sententiam, quæ transitum fecerit in judicatum ad effectum decisionis Congregationis Concilii tribus æquipollere. Et Benedictus XIV de resolutionibus S. Congr. Concilii verba faciens in Const. *Magno cum animi*, 2 junii 1751, § 2 [1], ait: « Nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti, opus aliquod inscriberemus, illud præcipue nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanæ Curiæ tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit. » Hinc quando propugnant doctores, ait Card. Petra *Comment. ad Const. X, Bonif. VIII*, num. 13 [2] pro dubii alicujus dissolutione « inhærendum est (ait) sensibus S. Congregationis Eminentiss. Interpretum Sacri Concilii, cui dumtaxat ejusdem sensus perscrutari, et aperire datum est. »

§ VIII.

De causis contentiosis agitatis in Sacra Congregatione Concilii.

In causis, quæ contradictorem habent, id est alterius partis collitigantis, quando inchoatur causa in Congregatione, tunc debet citari imprimis pars contradicens coram Domino secretario ad concordandum dubium proponendum in Sacra Congregatione, et quando dubium est concordatum, destinatur ab eodem secretario dies propositionis causæ: at per plures dies ante propositionem causæ dantur scripturæ, seu communicantur hinc inde dicto secretario, ut possit idem secretarius totum causæ statum, et rationes partium præcipuas in folio adnotare; deindeque ipsæ scripturæ distribuuntur omnibus aliis Cardinalibus votantibus; necnon partes sibi invicem easdem scripturas communicant, ut possint respondere; quæ partium responsiones postea etiam Cardinalibus distribuuntur; et per 3 aut 4 dies ante Congregationem partes debent emittere informationem in voce, tam apud secretarium, quam apud reliquos Cardinales votantes, et adveniente die destinata pro Congregatione, causa resolvitur.

Ad hoc, ut causæ faciliter expediantur primo loco, sunt committendæ experto causæ patrono, qui secundum causæ gravitatem potest etiam advocati operam adhibere; posteaquam causa fuit introducta in S. Congregatione Concilii, si alteri parti non expediat eam contestari in dicto tribunali, potest illam ab eodem tribunali evocare, et curare illius remissionem ad aliud tribunal per supplicem libellum Papæ porrigendum; vel procuratur remissio per medium auditoris Papæ, qui contradicente parte (in supposito quod adsit contradictor) causam remittit ad aliud tribunal. Quando lis est contestata in hac Sacra Congregatione, est prosequenda, maturanda, urgenda, et absolvenda modis et formis, quibus supra diximus. Interdum accidit, ut litem inchoatam expediat retardare, et tunc est curanda dilatio coram secretario, eumque rogando et rationibus, et motivis, aliisque ersuadendo, ut causam in folio non describat: postquam secretarius amplius differre causam non vult, tunc rogatur Card. præfectus pro simili dilatione, et quando idem præfectus hoc facere renuit, aut nequeat, eo quia altera pars reclamet, et urgeat pro causæ prosequutione et absolutione, tunc proponitur causa altera tantum parte informante, sed per alteram partem, quæ petiit dilationem, porrigitur supplex libellus eadem die, qua fit Congregatio, in qua causa proponi debeat omnibus Cardinalibus votantibus pro tali dilatione petenda, quæ nisi sit calumniosa, interdum conceditur ad differendam causam ad sequentes Congregationes.

Posteaquam causa fuit resoluta, pars succumbens non potest appellare ad aliud tribunal, sed petere debet (quatenus velit loco appellationis) novam audientiam a Cardinali præfecto, vel a Præsuli secretario, qui eam vel concedunt, vel denegant secundum circumstantias causæ; si concedant, tunc reproponitur cum dubio. « An sit standum, vel recedendum a decisis? » vel alio justo, seu opportuno dubio secundum facti circumstantias; quæ postea, uti supra resolvitur. Si vero denegent novam audientiam, tunc causa jam confecta est, et demandatur expeditio ab ipsa, et a S. Congregationis secre-

[1] *Bull. ejusd.*, tom. III, pag. 170, edit. Venet. 1778.

[2] Tom. III, pag. 317.

tario, qui juxta resolutionem, seu decretum dictæ S. Congregationis procedat ad expeditionem causæ per decretum quod ostenditur, seu registratur in secretaria Congregationis, et subscribitur a Card. præfecto, et a secretario propria appositione signi ejusdem Card. Præfecti, deindeque traditur tale decretum, seu expeditio parti victrici, quæ illam remittit suis principalibus in partibus, ad hoc ut possit exequutioni mandari. Animadvertendum tamen est, quod hac ratione succumbens petere nequit appellationem ad aliud tribunal, quia S. Congregatio Concilii, cum cæteris Congregationibus Cardinalium habet signaturam in ventre, hoc est propriam signaturam, et non indiget, seu non permittit, ut ullus alter judex, seu tribunal manus apponat in casibus ab ea decisis, etiam ad hunc effectum habendi appellationem, quæ ab ipsis conceditur, vel denegatur vigore novæ audientiæ. Nam in istis Congregationibus, quando pars succubuit, non potest adire signaturam pro habenda appellatione, sed hanc petere debet, vel a secretario, vel præfecto illius Congregationis, vel ab eademmet Congregatione; petendo scilicet novam audientiam, ut jam dixi.

Posteaquam pars victrix talem habuit expeditionem seu decretum ad hoc, ut illud celeri exequutioni tradatur, potest etiam expedire coram tribunali A. C. monitorium super observatione, et respective exequutione dicti decreti; quod monitorium pariter transmittitur partibus, ut illius ope exequutio absolvatur, implorato insuper brachio curiæ episcopalis, seu Episcopi, qui plerumque dicitur judex ordinarius, exequutor similium decretorum. Sciendum insuper est, quod causæ contentiosæ, seu negotia, quæ formam, et ordinem judiciarium requirunt, regulariter in Congr. Concilii, aliisque Cardinalium Congregationibus cognosci nequeunt, ut declaravit Innocentius XII, Pont. Max. decreto incip. *Ut debitus*, 9 aug. 1693 [1], et relato a Guerra in *Epit. Bull. Rom.*, tom. I, pag. 398, qui causas contentiosas eas esse decrevit, in quibus necessarius est processus judicialis, aut fieri debent probationes parte citata, sive mediante jurium, et instrumentorum productione, ac reproductione, sive mediante examine testium in curia, sive mediante expeditione litterarum remissorialium, vel compulsorialium facienda, aut si interponendum sit aliquod decretum judiciale, sublata idcirco iisdem Congregationibus, earumque præfectis ac secretariis, omnibusque aliis facultate causas prædictas reassumendi adversus judices ordinarios, vel quovis modo judicialiter procedendi. Quod si secus fuerit factum, omnia acta; resolutiones, ac decreta ipso jure nulla, perinde ac si non emanassent, extitura declarantur. Dixi *regulariter*, si enim partes expresse, et in scriptis consentiant, in eodem decreto opportune cavetur, in iisdem Congregationibus causas posse agitari, ita tamen, ut etiam in foro hoc casu, acta, et processus probatorii coram ordinariis judicibus fiant, a quibus deinde ad easdem Congregationes remittantur, ut fusius in eodem decreto Innocentius statuit, ubi sola Congregatio boni regiminis pro exactione onerum communitatum excipitur. Provido plane consilio hæc Constitutio edita est. Indecorum enim nimis videbatur, et cardinalitia dignitate undique indignum, eosdem Cardinales pro causarum contentiosarum examine, judiciali alea, quæ sine strepitu fieri non potest, perturbari; eademque hinc prohibitio abstinendi ab examine causarum, quæ judicialem ordinem postulant, renovata est a Benedicto XIII, per organum secretariæ status sub die 17 april. 1728, seq. decreto.» Sanctissimus Dominus Noster per organum secretariæ status jussit, per sacram Congregationem non amplius recipi, nec agnosci causas contentiosas tam civiles, quam criminales ordinem judiciarium cum processu, et probationibus requirentes secundum bullas 53 Sixti V, et Innoc. XII, quas omnino servari mandavit. »

§ IX.

De Causis, quæ in Sacra Congregatione Concilii cumulative agitantur cum cæteris sacris Congregationibus.

Quanquam S. Congregatio Concilii tantum, ut diximus § V, ad declarandam Synodi Tridentinæ mentem in dubiis exinde exortis necnon ad ejusdem decreta exequutioni demandanda fuerit instituta, ac privativa facultas omnia definiendi, quæ ad Concilium Tridentinum aliquo modo spectant, ei attributa sit; attamen aliquam jurisdictionem ex privativa sua potestate cumulative cum ea, etiam nonnullæ sacræ Congregationes Cardinalium exercent; et nonnulla dubia quæstionesque hæc S. Congregatio definit, quas ceteræ Congregationes quoque jus habent decidendi. At dolendum est, quod inter omnes sacras Congregationes negotia non sunt ita clare distributa, ac divisa, ut absque ulla hæsitatione, ad quam spectent, discerni possit. Rerum enim tractandarum cumulativa potestas tum ex Summorum Pontificum arbitrio, tum ex consuetudine, tum præsertim ex causarum natura, quæ sæpe ita sunt ex ipsa mixta materia involutæ, ut æque in una, quam in altera S. Congregatione, quin cujus-

[1] *Bull. ejusd.*, decret. 71.

dam jura propria læderent, agi possint, originem accepisse videtur; et cum ex eodem fonte, ex pontificia nempe potestate, omnes sacrarum Congregationum facultates fluant, nullus inde fuit sollicitus de modo quo ab una potius quam ab altera S. Congr. illæ exerceri debeant. Hinc nunquam peculiaris divisio causarum, rerumque accurata separatio inter sacras Congregationes necessaria visa fuit, ut uniuscujusque privativa potestas discerni possit; et quando hujusmodi divisio exacte facta fuit, minime in exercitio jurisdictionis, et causarum cognitione ob varias mixtas quæstiones ipsæ sacræ Congregationes servare potuerunt.

Quidquid autem sit, illud certum est, quod sacra Congregatio Concilii institutum ab ejusdem erectione habet interpretandi, ac oracula præstandi in abstracto super conciliaribus dubiis, quæ proponuntur. Et hæc facultas privative exercetur, nec cæteris Sacris Congregationibus unquam hæc privativa facultas attributa fuit; etsi facultas exequutionis scilicet, et observantiæ decretorum dicti Concilii Tridentini cumulative cum aliis sacris Congregationibus, et præsertim cum S. Congregatione Episcoporum et Regularium exercetur. Hinc bene animadvertit Cohellius [1], loquens de S. Congregatione Episc. et Regul., qui ait: « Verum si inter Episcopos et regulares controversiæ oriantur, et dubitationes inciderint, quæ sub Concilii Tridentini dispositione, aut interpretatione comprehendantur, ad eamdem Tridentini Concilii Congregationem remittendæ sunt. » Imo Sixtus V. in sua sæpe laudata Const. *Immensa* § *Congr. undecima pro Consultationibus regularium* [2] ait: « Dum autem inter Episcopos, et regulares dubitationes inciderint, quæ sub decertorum Concilii Tridentini dispositione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congr. Concilii remittat; » quas res ita expendit Pignatelli tom. 9, consul. 177, num. 31. « Sic etiam (inquit) non obstat, si dicatur, hic agi de interpretatione ejusdem Concilii (Tridentini), quod non pertinet ad S. C. super Episc. et Regul. Nam hæc Sacra Congr. non tenetur remittere ad S. Congr. Concilii omnes declarationes, quæ cadunt sub decretis Concilii, sed solum eas, quæ incidunt inter Episcopos et regulares, ut ex dicta Const. Sixti V, illis verbis: ***Dum autem inter Episcopos, et regulares dubitationes inciderint, quæ sub decretorum Concilii Trid. dispositione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem S. Congregationem Concilii remittat.*** Si enim Sixtus voluisset, quod omnes dubitationes insurgentes ex decretis Concilii remitterentur ad S. Congr. Concilii, non se restrinxisset ad eas, quæ incidunt inter Episcopos et regulares tantum sed generaliter loquutus fuisset. ***Arg. textus in cap. ad Audientiam de decim.*** »

Præterea de plerisque peculiariter S. C. Concilii agit, quæ ab eodem Concilio etiam manant, ejusque decretis procedunt. Hinc supplices excipit libellos super Episcoporum aliorumque beneficiatorum residentia, necnon licentias expendit super absentia, an aliqua justa concurrat causa, et dispensationem indulget, cum conditionibus tamen in apostolicis Constitutionibus expressis, et præsertim in illa Urbani VIII, super residentia Episcoporum, in quo casu eadem S. Congr. per organum ejus præfecti, vel secretarii, pontificium oraculum exigere solet; etiam super declarationibus, an, et quando absentia sit licita, vel saltem excusabilis, tam ad effectum fructuum, quam respective distributionum quotidianarum, ac pro evitandis pœnis contra non residentes a sacris Canonibus; et ab eodem Concilio inflictis. Unde propterea illi, qui ex causa studiorum, vel ex alia justa causa a residentia se excusabiles reddere volunt, ab ista S. Congr. petunt licentiam, quæ ad tempus, cum nimia moderatione pro negotiorum qualitate concedi solet, quandoque indulgendo etiam distributiones, pro frequentiori tamen stylo reservando tertiam partem in favorem interessentium, ut loquitur Card. de Luca discur. 15, part. XI, ***Relat. Rom. Cur. For.*** num. 7. Controversias item inter patronos de jure ac tempore nominandi exortas privative S. Congr. Concilii pertractat. Et quamquam antea propagationes quadrimestres, vel semestres haud indulgeret, quod Datariæ apostolicæ tantum erat reservatum, tamen has modo prorogationes impertitur, licet nulla de his quæstio sit instituta. Et hoc jus nunc cumulative cum Dataria apostolica exercet.

Quoad materiam autem beneficialem, sacra Congregatio Concilii non se ingerit in cognitione causarum particularium inter contendentes de beneficiorum pertinentia. Bene tamen in ea agi solet de validitate unionum, quæ ex forma decretorum conciliarium fiant præbendis canonicalibus, vel ecclesiis parochialibus, aut seminario; ac etiam super validitate concursus parochialium, sede episcopali vacante in Sacra Congregatione Episcop. et regul. frequentius, licet quandoque, sed rarius in illa S. Congr. Concilii, habentur quæstiones de deputatione vicarii capitularis. Et per S. Congr. Episcop. et regul. omnia negotia, quæ ad moniales pertinent, agi solent cum Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, vel quia ipsæ moniales tanquam

[1] ***Notit. Cardinal.***, cap. 15, Congr. IX., pag. 62, edit. Rom., 1653.

[2] ***Bull. Rom.***, tom. IV, part. IV, pag. 398.

exemptæ impugnent Ordinarii jurisdictionem circa visitationem, et alia, de quo etiam in S. Congr. Concilii disputari solet, Card. Petra *Comment. ad Const. VI, Bened. XII*, num. 42, postquam retulisset quoddam decretum S. Congr. Concilii *in Romana*, 17 junii 1630, quoad licentias, seu beneplacita apostolica alienandi bona ad regulares spectantia, ait: « Et vere hujusmodi licentiæ pro regularibus a S. Congr. Concilii expediri debent, ex vi dictorum decretorum, nec per aliud organum; immo notatum reperitur in libro 18 *Decret.* pagina 116 eamdem S. Congregationem die 19 novem. 1647 injunxisse Card. Ginetto præfecto S. Congregationis Episc. et regul., ne in hac Congr. in futurum expedirentur facultates alienationum, hypothecarum, locationum, et aliorum contentorum in decreto de rebus regularium non alienandis, cum hæc facultas privative spectet ad S. Congr. Concilii.

Quando agitur de contractibus emphyteuticis S. Congr. Concilii cumulative cum S. Congr. Episcop. et regul. causas validitatis, ac nullitatis contractuum cognoscit, ac beneplacitum apostolicum impertitur; sed beneplaciti apostolici emphyteutici contractus perpetui semper per bullas, ac emphyteutici ad tertiam generationem si scut. 12 excedit, per breve, si vero scut. 18 superat, per bullam, mandatur expeditio. Hæc autem est diversitas inter prædictas Congregationes, quod in S. Congr. Episcop. et regul. solvuntur ob. 90, si agatur de emphyteusi perpetua de quacumque summa, in S. Congr. Concilii nihil præstatur. Et multoties ad parcendum expensis in Dataria, vel Secretaria brevium faciendis pro petenda confirmatione, seu beneplacito apostolico in alienationibus rerum ecclesiasticarum eadem S. Congr. Concilii una cum S. Congr. Episcop. et regul. cumulative indulget confirmationes hujusmodi, ac beneplacita apostolica ad validandos alienationum contractus absque bullæ vel brevis expeditione. S. Congr. Episcop. et regul. quoque interponit decreta pro confirmatione omnium concordiarum inter regulares, seu presbyteros seculares, et etiam inter laicos in materia ecclesiastica, sed cumulative cum S. Congr. Concllii.

« Licet a Sixto V (ut ait Card. de Luca, disc. 15 part. XII, *Relat. Rom. Cur. For.* num. 9), erecta sit S. Congr. Episcop. et regular. tamen quando regulares professi utriusque sexus juxta formam a Concilio præscriptam adversus professionem reclamare velint post quinquennium, unde necessaria sit specialis commissio Papæ, super restitutione in integrum, ista commissio concedi non solet ab Ordinario, et superiori locali, nisi prævia consultatione S. Congr. (Concilii), cui preces diriguntur, sed nimium raro praxis docuerit, quod alteri S. Congr. Episcop. et regul. detextæ sint..... Idem sequitur (ut pergit num. 10), de supplicationibus, quæ porrigantur pro dispensatione ab aliqua irregularitate publica, præsertim ex causa homicidii voluntarii, quod etiam aliquando fit super illis dispensationibus matrimonialibus, quæ per Datariam concedi non solet. » De facultate insuper privativa S. Congr. Concilii quoad causas nullitatis professionis regularis disserit Benedictus XIV, in Const. *Si datum* 4 martii 1748, § 8, qui ait: « Quum vero inter capita nullitatis professionem regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in cœnobio, ad novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. prædecessor noster Clemens Papa VIII, decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus professionem, ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII, altero prædecessore nostro, justis gravibusque de causis, ac de consilio præfatæ Congregationis Concilii Trid. interpretis, editum die 5 januar. anni 1636, incipientis *Ad occurrendum*, quo statutum fuit, hujusmodi causas ad eamdem S. Congr. privative pertinere. »

De materia matrimoniali quoque in S. Congr. Concilii frequenter agi solet, ut adnotavimus § VII, utpote dependente a plerisque decretis conciliaribus, tam circa formam contrahendi, quam circa impedimenta reluctantia, a vinculo consanguinitatis, vel affinitatis, aut ab altero publicæ honestatis sive a raptu, cum similibus. Decidendo etiam casus particulares contentiosos, vel ex mutuo partium consensu, ubi præsertim quæstio restringatur ad solum punctum juris; vel ad interpretationem decretorum Concilii, vel quod partium inopia ita exigat, ut litem in judicialibus tribunalibus per tramites juris cum judiciaria, sustinere non valeant: vel quod ita Papa ex aliqua justa causa mandet, præsertim pro evitandis scandalis, quæ oriri solent in hujusmodi controversiis, quando cum judicii tela, seu formalitate agantur. Hæc causæ matrimoniales, et illæ super nullitate professionis regularis graviora negotia nuncupantur a Bened. XIV, qui Const. *Justitiæ*, 9 octob. 1746, § 10, inquit: « Graviores itidem causas esse declaramus, et censeri debere statuimus omnes causas matrimoniales, tam super fœdere matrimonii, quam super divortio, necnon causas omnes super nullitate professionis regularis emissæ; et has quidem nunquam Prælatis, neque Rotæ auditoribus, uti Prælatis, quantumvis accedente con-

sensu partium committi volumus; sed aut ipsi Rotæ auditorio committi, aut a Congr. Venerabil. Fratr. Nostr. S. R. E. Card. interpretationi, et exequutioni decretorum Concil. Trid. præposita, vel etiam quoad causas nullitatis professionis prædictæ, a Congregatione ejusdem S. R. E. Card. negotiis, et consultationibus Episcoporum et regularium præposita, pro arbitrio, et ad electionem partis appellantis, seu recurrentis, cognosci, et definiri mandamus; non obstante, quod causæ hujusmodi de sui natura et qualitate, processum judiciarium, atque etiam formale testium examen exigant, vel requirant; quemadmodum quoad causas matrimoniales hujusmodi, Nos dudum per aliam Nostram Const., quæ incipit *Dei Miseratione*, 3 non. novemb. 1741, pontificatus nostri secundi editam statuimus, et ordinamus.

Est præsciendum, quod Romanus Pontifex, quando ab eo gratia aliqua postulatur, quæ alicujus Congregationis, vel tribunalis, scilicet Concilii, vel Episcoporum et regul., vel Datariæ, vel Secretariæ brevium, et hujusmodi materiam tangit, tunc supplices libellos ad suas peculiares, et opportunas juxta necessitatem ejusdem supplicationis Congregationes remittere solet. « Verum (ait Ursaya *Discept. Eccles. IX*, tom. 3, part. 2, num. 158, seqq. tamen est, quod ex particularibus facti circumstantiis ipsamet Congr. Concilii solet causas ad suos judices remittere, non obstante declaratione, quod ad ipsam pertineat illius cognitio, neque attenta remissione ad eamdem Congregationem Concilii, ut practicavit in Januen., Matrimonii 14 nov. 1697, juxta resolutiones, a me relatas in tom. I, part. 1, discept. 12, num. 55, vers. die 14. Et in dubiis pensionum et congruæ 10 nov. 1696, in qua, non attenta speciali remissione auditoris Sanctissimi ad eamdem C. C. ob exemplaritatem articuli, ut dicitur in folio ibi: *Cumque æquum visum fuerit Sanctitati Suæ super articulo plurimum gravi, et exemplari consilium hujus S. C. exquirere etc.* Ad hoc rescripsit; *omnia ad judices suos*, ut videre est in lib. 46, fol. 389; et in Neapolitana, Simoniæ, 13 aug. 1718, in qua rescripsit: *Dilata, et ad mentem*, quæ fuit, ut secretarius alloqueretur cum auditore Sanctissimi ad effectum videndi, ex quo motivo præsens causa videri debeat in S. C. lib. 68 decret., fol. 200. »

Hinc quum S. Congregationi Concilii proposita fuerit disceptatio de prolis legitimitate; an constaret, nullum consilium cepit, sed sub die 14 aug. 1700 remisit causam *ad judices suos*. Nam hæc S. Congregatio interpretatur non tantum in abstracto decreta, et mentem Sanctæ Synodi, sed etiam in concreto decidit casus particulares, remittendo ad judices ordinarios ea, quæ in facto consistunt. Hac de causa aliquoties S. C. Concilii definire causas, quæ minime ad suam jurisdictionem spectarent, renuit, et hoc testatur Fagnanus in cap. *Nullus de Foro Compet.* num. 11: « Porro (ait) S. C. Card. Concilii Trid. Interpretum noluit decidere hunc articulum, forte quia ad interpretationem Concilii non pertinet. Nam, consulta ab Episcopo Nuscano, an uxor conjugati clerici gaudeat privilegio fori, prout ejus maritus, respondit, non esse Congregationis id decidere, sed quæstionem esse solvendam ex dispositione juris communis. » Et ob hanc causam sæpius cæteræ Congregationes a definiendis quæstionibus, quas minime inter limites suarum facultatum agnoverunt, abstinuerunt. Hinc sæpius S. Congregatio Immunitatis dubia conciliaria in sua Congregatione proposita ad S. Congregationem Concilii decidenda remisit. Nam *in synopsi decretorum S. C. immunitatis super controversiis jurisdictionalibus*, verb. *S. C. Concilii Trid.* num. 1 seqq. legitur: « Sic causa, quoad jus præsentandi ad capellaniam competens universitati laicorum, si clerici ad effectum præsentandi velint renunciare clericatui, illumque post præsentationem reassumere, spectat ad S. Congr. Concilii *Aquilana*, 30 sept. 1698, lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 177 a tergo. Quod assertam subreptionem brevis dispensationis a bigamia orator adeat S. C. Concilii; *Cusentina* 8 junii *d. anni*, *et lib.* pag. 161. Quod irregularitatem, ad eamdem S. C. Concilii. » Et verb. *Archidiaconus*, cit. opere, num. 1, seqq. habetur: An archidiaconus, aliique sacerdotes complices dolosæ extractionis, qui celebrarunt post contractam excommunicationem, quamvis non fuerint declarati, irregularitatem contraxerint? S. C. respondit, consulatur S. Concilii *in Hydruntina* 2 decem. 1692, lib. 1, *Decret. Vallem.* pag. 7 a tergo. Interim mandatur, ut abstineant a celebratione Missæ; ibid.

Quandoque censuit ipsa S. Congregatio Concilii rescribere in commissionibus cum voto Rotæ; aliis vero judicibus, de voto Rotæ, quod asserit Card. Petra, *Comment. ad Const. V, Martini V*, num. 9, tom. 4, pag. 259, addendo: « Hinc aliquando S. Congregationes votum sequutæ non fuere vel denuo causam eidem Rotæ revidendam remiserunt. » Et Cohellius super hac re, *Notit. Cardin.*, cap. 15. *Congr. V*, pag. 56, edit. Rom. 1653, inquit: « Quandoque etiam hujus Congregationis Cardinales, si dubitationes in ipsius Concilii interpretatione, quæ arduæ reputentur, occurrant, Rotæ Romanæ decisiones eodem Romano Pontifice consulto, requirunt et postulant; quod ex decisionibus sub nomine Card. Seraphini collectis innotescit. » Idem affirmat Ursaya, *Discept. Eccles. VII*, tom. 1, part. 1, num. 22, qui ait; » et respectu S. Congr. Con-

cilii practicatum fuit in celebri *Mediolanen. Nullitatis Professionis,* in qua adsunt decis. 952, 983 et 1003, *cor. Emerix Jun.*, ut refertur dec. 1, ibi : « Reproposita causa sub die 30 apr. 1685, sigillatim vocatis omnibus dictæ Congregationis Cardinalibus, nulla ob scissuram votorum capi potuerit resolutio; in hoc rerum statu placuit Sanctissimo, etc., ob gravitatem simul, et exemplaritatem materiæ, mandare ipsius S. Congregationis Eminentissimo præfecto, ut desuper exquireret votum totius Rotæ.» Ac testatur etiam Constantinus *Comm. ad Statum Urbis Annot. LII*, art. 1, sect. 1, num. 26, ubi ait : « Congregationes, in quibus præsident Cardinales purpura, et doctrina simul eminentissimi, soleant ex se in causis arduis, et in punctis juris difficillimis exquirere votum Rotæ, ut sæpissime vidi factum præcipue a S. Congregatione Concilii.» Et cum proceditur cum voto Rotæ in S. Congregatione Concilii, eo prolato causa ventilatur in eadem, et tunc partes solent convenire, ut causa cum voto Rotæ decidatur, vel novum petere ; at S. Congregatio sequi illud non tenetur, quod affirmat Card. Petra loc. cit. *Const. XIV*, *Joannis XXII*, num. 34, tom. 4, pag. 54, necnon Ursaya *Discept. Eccl. VII*, tom. 1, part. 1, num. 34, dum ait: « Hoc unum indubitatum est, quod S. Congregatio quacumque formula eis committantur causæ, nullatenus tenetur sequi votum alterius tribunalis, quantumvis collegialis. »

Aliquoties ratio procedendi in causis, ac quæstionibus, quamquam ipsæ causæ, ac quæstiones sint conciliares, et res Concilii Tridentini tangentes, suadet, ut earum definitio, ac solutio ad alia tribunalia pertineat, quum SS. Congregationes strepitum judiciarium abhorent, imo ex præscripto Sixti V, respuunt. Et revera hanc rem perpendit Pignatel. Consult. 93, num. 6, tom. 10, qui quoad quamdam causam super exemptione ab Episcopi jurisdictione, exclusis Congregationibus Episcop. et regul., et Concilii, ait illam causam « spectare ad Rotam, in qua firmiter tractari debet cum probationibus et formali processu, quem ex prescripto Const. 74, Sixti V, quam decreto suo innovavit, et declaravit Innoc. XII, Pont. Max. quod huic consultationi subjicimus, S. Congregationes non conficiunt prout in similibus controversiis perpetuo servatum est, ut ex causis *S. Angeli Lombardorum, Nullius seu Beneventanæ Jurisdictionis*, 9 maii 1659, 21 maii 1660, ac 27 januar. 1662, *cor. Bevilaqua*, et in ead. 10 junii 1661, *cor. Taya.* » Si autem cæteræ Congregationes definire aliquam controversiam, ac quæstionem, cujus cognitio privative ad S. Congr. Concilii spectat, aliquando ausæ sunt ; tunc dicendum est, id eas fecisse ex speciali remissione causæ, vel quæstionis per Summum Pontificem, quæ remissio manifeste apparet ex ipsis verbis decreti, quæ incipere debet : *Ex audientia Sanctissimi*, etc. Denique sciendum est, in prima instantia causas conciliares a S. Congregat. Concilii pertractari ; et id testatur cit. Ursaya dum ai *Discep. Eccl. IX*, tom. 3, part. 2, num. 127 : « Licet enim, quando isti (nempe Ordinarii) ob arduitatem causæ, vel articulorum inspectiones, nolunt in his causis proprium ferre judicium.... soleat signatura illas committere Sacræ Rotæ, ut testatur in Cajetana, matrim. 28 junii 1683 in princ. cor. Card. Matthæio ibi » « Et renuente Ordinario Cajetæ decidere controversiam propter arduitatem articuli, causa per signaturam justitiæ mihi commissa fuit. » Adhuc ex particularibus facti circumstantiis solet aliquando Auditor Sanctissimi etiam in prima instantia illas committere decidendas Congregat. Concilii juxta sequentia moderna exempla etc.

§ X.

De Sacra Congregatione specialiter instituta super residentia Episcoporum.

Inveterata, et hactenus conservata Ecclesiæ disciplina ipsam Episcoporum in sua ecclesia residendi necessitatem semper vindicavit. Hæc enim oritur ex particulari deputatione certæ ecclesiæ, quam singuli Episcopi in sua ordinatione accipiunt, et Christi locum in Ecclesia tenent in ea parte, in qua legitime fuerint constituti ; quæ omnia, cum sint personalia ipsis personis alligata, residentiæ personalis obligationem trahunt. Quapropter Synodus Tridentina residendi necessitatem Episcopis, aliisque ecclesiarum rectoribus persuadere, et inculcare volens, munia illa personalia Episcopis, aliisque ecclesiarum rectoribus incumbentia proponit ; atque ex illis obligationem residentiæ sua sponte profluentem educit. « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus (ait), quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere ; et in cætera munia pastoralia incumbere ; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, nec assistunt, sed mercenariorum more deserunt ; sacrosancta Synodus eos admonet, et adhortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, et veritate pascant, et regant.» Sess. 23, cap. 1, *de Reform.* Itaque eodem titulo, eodem jure obligari Episcopos ad residendum credit Synodus, quo eis injunctum est iis incumbere, quibus sine personali apud gregem residentia

satisfacere nequeunt. Ita locutus est Georgius Draskowyth, Episcopus quinque Ecclesiarum in suo voto proposito in Concilio Tridentino « Placeret itaque decretum, quod demonstraret ad veram et fructuosam residentiam jure divino, et ex Christi præcepto pastores teneri. In autem hac formula exprimeretur catholicam Ecclesiam semper credidisse, et docuisse pastores ecclesiasticos ex præcepto Christi oves sibi commissas verbo Dei, bonæ suæ vitæ exemplo, et ecclesiasticis sacramentis personaliter, quoties justis et legitimis causis præpediti non essent, pascere debere. Quod et vere, et cum fructu residentiam facere etc. » Votum refert Josephus Koller in *Hist. Episcop. quinque Ecclesiarum*, tom. 6, pag. 180, edit. Posonii et Pestini 1806. « Nosti (inquiebat S. Athanasius ad Constantium Imperatorem in *Apolog.* ad eumd.) ex lectione Scripturarum quanti sceleris sit Episcopum ecclesiam suam deserere, et negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis invadendi gregis occasionem præstat. Si fugissem, quam excusationem apud veros Episcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuissem? »

Hac de causa affirmat Van-Espen *Jus Eccl. Univ.* part. 1, tit. 16, *de Cura Episcop.* cap. 8, num. 4, tom. 1, pag. 84, quod nullus antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum tenerentur præcepto divino ad personaliter residendum; et hanc veterum sententiam solidissimis, ac convincentibus rationibus adstruit contra nonnullos Fagnanus in Cap. *Ex parte de cleric. non residen.* num. 1, lib. 3, p. 42, et ostendit, quod licet Synodus Tridentina eam sententiam verbis formalibus, et in terminis expressis, ut aiunt, non definierit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinuaverit et virtualiter declavaverit; declarando nimirum, quod illa omnia, quæ præcepto divino Episcopis, aliisque curam animarum habentibus incumbunt, nequaquam ab iis præstari et impleri possint, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt. Et revera etsi Concilium Tridentinum expresse definire noluerit, Episcoporum in sua diœcesi residentiam divini juris esse, qua de re multis disputatum est, uti narrat Pallavicinus in *Histor. Concil.* lib 7, cap. 6, lib. 16, cap. 4; tamen in hac celebri controversia, verior et communior est sententia, tam theologorum, quam canonistarum, quod Episcopi, parochi, aliique omnes curam animarum habentes non solum jure seu præcepto ecclesiastico sed etiam divino obligentur ad residendum per se personaliter in suis ecclesiis et beneficiis, et id probatur a Van-Espen loc. cit., et a Pirhing *Jus Canon.* lib. 3, tit. 4, *de Cleric. non resid.* § 11, tom. 5, pag. 14, aliisque « Non ignoramus (ait Bened. XIV, *de Synod. diœces.* lib. 7, cap. 1, num. 4, tom. 12, pag. 251) quosdam præstantissimos doctores contendere, quæstionem, de qua est sermo, etsi clare et expresse definita non fuerit, esse nihilominus virtualiter, et implicite, ut aiunt, a Concilio Tridentino decisam, quod hac argumentatione manifeste confici arbitrantur: quo quisque jure obligatur ad finem, ad ea pariter obligatur, quæ ad assequendum finem sunt necessaria; atqui Episcopi, cæterique animarum rectores, juxta Tridentinum, jure divino obligantur ad pascendum sibi commissum gregem, atqui ad pascendum uti decet, et oportet, est necessaria residentia, quemadmodum idem Tridentinum declarat; igitur jure divino iidem ad residentiam obligantur. »

Verum, quia ipsa Episcoporum residentia corporalis parum prodesset, nisi etiam residentes se pastores, et rectores gregis sibi commissi ostenderent; atque ea obirent, ob quæ ipsa personalis residentia præcipue exigitur, merito Synodus Tridentina necessitatem residendi inculcans; canonesque adversus non residentes innovans, aliaque pro eorum meliore exequutione adjungens, omnes patriarchalibus, metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse voluit, (Sess. 6, cap. 1, *de Reform.*) « ut attendentes sibi, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant; cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit. » Insuper dicta Synodus sciens canones residentiam Episcopis præscribentes, jus divinum potius quam positivum continere; ideoque hac in parte consuetudine quidem conculcari, sed aboleri haud posse, non dubitavit, antiquos Canones, « qui temporum atque hominum incuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare; quemadmodum (ait) virtute præsentis decreti innovat. » Sess. 6, cap. 1, *de Reform.*, quæ decreta jam ediderat Pius IV. Const. *De Salute gregis*, 4 sept 1560 [1] præcipiens Episcopis residentiam sub pœnis; aliis additis altera Const. *In suprema*, 25 novem. 1564 [2].

Præterea eadem Synodus postquam omnes quacumque dignitate, etiam cardinalitia fulgentes, pa-

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 36.

[2] *Ibidem*, tom. cit., pag. 207.

triarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis præfectos ad residentiam obstrictos dixit, declarat quidem eos ab ecclesiis haud posse abesse, sed cum clausula « nisi ex causis, et modis infrascriptis » id est « cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, et exigant. » Sess. 23, cap. 1. Verum num christiana charitas, urgens necessitas, vel evidens Ecclesiæ, aut reipublicæ utilitas absentiam requirant, Synodus noluit proprio Episcoporum judicio permittere; sed decernit: « Has legitimæ absentiæ causas a beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicæ officium, episcopatibus adjunctum; cujus quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eumdem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se, vel a suffraganeo datis; et videre, ne quis eo jure abutatur; et ut pœnis canonicis errantes puniantur. » Huic dispositioni accessit decretum consistoriale Gregorii XIII, relatum ab Urbano VIII, Const. *Sancta Synodus*, 12 decemb. 1634 [1].

In hac Constitutione nonnulla Summus Pontifex de Episcoporum residentia optime statuit; et primo, non licere Episcopis, majoribusque Prælatis, etiam Cardinalibus, a suis ecclesiis discedere sine licentia Papæ per Breve, vel per litteras missivas, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ, ipso facto incurrenda absque alia declaratione, amissionis fructuum pro rata absentiæ, et facultatis testandi, prout statuit Pius IV, ut supra. Secundo, ut sub eisdem pœnis latæ sententiæ morantes in curia intra unum mensem a die promotionis, intra duos morantes in Italia, et intra quatuor morantes extra illam, teneantur se itineri committere, et ad residentiam se conferre. Tertio, ut sub iisdem pariter pœnis sex Cardinales Episcopi suburbicarii residere teneantur non in his episcopatibus, sed in alio si quem habeant. Quarto, ut nulla causa ab absentia excusentur, quamtumvis gravi, et publicum bonum respiciente, excepta causa Synodi provincialis, vel conventus generalis, cui in aliquibus locis interesse solent: et ratione officii episcopatui adjuncti: sicuti, et excepta causa visitandi limina Apostolorum, limitato tamen tempore pro absentia occasione hujus visitationis, quatuor scilicet mensium pro Episcopis existentibus intra montes vel mare, et septem pro existentibus ultra eosdem montes, vel mare. Quinto Cardinalibus Episcopis ad Urbem accedentibus pro electione Summi Pontificis conceditur duorum mensium spatium in ea morandi post coronationem ejusdem Pontificis; quibus elapsis, si ad residentiam non se contulerint, omnibus supradictis pœnis subjacere statuitur.

Tridentinæ supradictæ dispositioni etiam accessit decretum Benedicti XIII, editum in Concilio Romano celebrato anno 1725, tit. 17, cap. 2, *de Cleric. non resident.*, in quo concessa est facultas Cardinali Urbis vicario pro tempore prorogandi ad alios quadraginta dies, et ultra (juxta casuum contingentiam, causa cognita) mensem indultum Episcopis in curia promotis ab Urbano VIII, ut supra, computandum a die eorum promotionis in consistorio, quo elapso, ad proprias ecclesias se conferre deberent. Denique Benedictus XIV, postquam omnes Episcopos monuerat in epistola encyclica *Ubi primum* 3 decem. 1740 [2] hisce verbis § 4 expressis, « Jam vero scitis, fratres, divino præcepto mandatum esse omnibus animarum pastoribus, oves suas agnoscere, easque verbi divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; hisque, ac cæteris pastoralis officii muniis satisfacere, ut par est, minime posse eos, qui gregi suo non invigilent, neque assistant, vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet, et personalem in ecclesia vestra, vel diocesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus generalium Conciliorum decretis, et prædecessorum nostrorum Constitutionibus luculenter declaratur, præscriptumque est; » præclaram edidit Const. *ad Universæ*, 3 sept. 1746 [3] super residentia Episcoporum.

In hac declarat primum, quod nihil magis cordi fuit Pontificibus, et Conciliis, quam Prælatorum in suis ecclesiis residentia, quod testantur et innumera Conciliorum decreta residentiam præcipientium. Ita enim jussit Summus Pontifex, vix ac ad pontificatum fuit assumptus, qui ut magis alliceret Ordinarios ad residentiam, beneficiorum vacantium intra menses, quibus collatio spectat ad Sanctam Sedem, alternativam electionis Ordinariis residentibus concessit, duraturam tantum tempore sui pontificatus. Deinde ostendit, quod certa tempora, et causæ esse possunt, quare Ordinarii debeant interdum a suis diœcesibus abesse, Concilium Tridentinum, et tempora hæc, et has causas recenset.

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. II, pag. 13.
[2] *Bull.* ejusd. Pont., tom. I, pag. 8.

[3] *Bull.* ejusd., tom. II, pag. 59.

Causæ sunt christiana charitas, urgens necessitas, evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas. Tempus autem est ad tres menses ad summum, sive continui fuerint, sive interpollati. Urbanus VIII, promotis in curia mensem unum assignavit, quo præterito, præcepit, eos ad Ecclesias suas ire: Benedictus XIII hoc tempus ampliavit ad alios quadraginta dies, si causarum necessitas notificanda Cardinali vicario urgeat. Idem etiam indulsit Urbanus Ordinariis citra montes per quatuor menses, ultra montes per septem absentiam a suis ecclesiis, ut facerent visitationem liminum Apostolorum. Ex hac licentia ab Urbano data occasione visitationis liminum plures ortæ sunt quæstiones; putantibus quibusdam Ordinariis, se posse unire tres menses concessos a Concilio illis quatuor, aut septem mensibus concessis ab Urbano, opinantibus aliis, hos tres menses posse uniri cum illis, qui conceduntur ad evitandam quibusdam æstivis mensibus aeris intemperiem. Cum autem hæ controversiæ (ait idem Pontifex) de die in diem excrescerent, idem Urbanus Congregationem deputavit super residentia, cujus Congregationis caput seu præfectus semper esset Cardinalis in Urbe vicarius, et secretarius idem, qui est a secretis S. Congregationis Concilii. Et quoniam præter absentiam trium mensium pro quovis alio termino requiritur licentia Romani Pontificis, quæ per speciale ejusdem Pontificis chirographum expediebatur, introductus fuit mos describendi has omnes licentias in medio folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur.

At (pergit) cum in desuetudinem ea folia, et Congregatio abiissent, Benedictus, et illa, et hanc revocat, et exactissime observari utraque vult, et contra transgressores pœnas in Pontificiis constitutionibus denunciatas infligi mandat. Decernit, ut Congregatio super residentia habeatur, quoties Pontifici visum fuerit, et quoties aliquod negotium eidem Congregationi ad residentiam spectans fuerit demandatum; decernit, ut fiant folia, in quibus notentur Episcoporum nomina absentium a suis ecclesiis, et causæ absentiæ. Quoniam vero pro impetranda licentia absentiæ adducitur, aut lis peragenda pro clero, in qua necessaria sit Episcopi præsentia; aut morbus constans, qui depelli non possit, nisi mutetur aer, aut consilium medici vetantis ire ad Ecclesiam, eo quod mensibus vacantiæ fuit Episcopus morbo correptus, vel aeris malignitas in sua diœcesi, vult Benedictus, quod Episcopi exponant Congregationi genus litis, infirmitatis qualitatem, cur infirmitas contracta fuerit in diœcesi, non extra. Deinde approbavit, confirmavitque dispositionem Urbani VIII, qui sua Constitutione voluit dari licentias egrediendi e diœcesibus ad tempus definitum, si Antistites debeant ire ad Synodos. Item decrevit, ut, cum causa faciendi processus pro canonizationibus Sanctorum soleant deputari tres Episcopi, inter quos aliquis Episcopus in partibus eligatur, ne omnes abesse a suis diœcesibus debeant. Item injungitur observantia horum omnium, et præceptum denunciandi Episcopos non residentes; et præcipue id committitur Nuntio Apostolico in regno Neapolitano residenti; quoniam in eo regno præsertim multi Episcopi residentiam omnino negligebant. Declarat demum, etiam Cardinales, qui ecclesiis archiepiscopalibus, primatibus, cathedralibus præsident, his litteris comprehendi; et harum litterarum fieri ad omnium cognitionem mandat publicationem.

Ex quibus recensitis Constitutionibus instituta est Congregatio super residentia Episcoporum cum facultate cognoscendi causas absentiæ, et onere illas Summo Pontifici referendi pro earumdem approbatione. Hæc Congregatio divisa ac separata est a S. Congregatione Concilii, sed idem utriusque est secretarius, qui regesta super residentia Episcoporum in eodem archivo, et secretaria S. C. Concilii servare solet; in quibus adnotatæ reperiuntur licentiæ, ac prorogationes absentiæ Episcoporum, quæ ab eadem S. C. super residentia Episcoporum fuerunt impertitæ. Et hæc Congregatio expedire consuevit tum licentias, tum prorogationes vigore chirographi Romani Pontificis, quod ex ipsis regestis colligitur sub die 9 sept. 1635. « S. D. N. ex causis in suo chirographo ps. S. hac die subscripto expressis benigne prorogavit per alium mensem Emo Card. a Balneo Episcopo Reatino tempus se conferendi ad residentiam suæ ecclesiæ; in quorum etc. fidem etc. hac die 15 octob. 1635.» Postmodum autem fuit, Romanum Pontificem annuatim suo chirographo omnes approbare, et confirmare licentias, et prorogationes, quæ infra annum concedebantur ab eadem S. Congregatione prævio Sanctissimi oraculo, et ex quibus contumacia, vel negligentia cujusdam Episcopi apparebat. Insuper ex ipsis regestis constat, hanc Congregationem fieri in palatio Vaticano, « die lunæ 29 febr. 1712. In palatio apostolico Vaticano erit S. C. super residentia Episcoporum, in qua præter alia, proponentur infrascripta dubia juxta stylum ejusdem S. Congregationis resolvenda.» Et dicto tempore folia exarata distribuebantur.

Urbanus VIII erigendo hanc Congregationem, ut supra diximus, « compositam esse voluit ex tunc, eo pro tempore existentibus Card. Romani Pontificis in Urbe vicario, necnon ejusdem Pontificis datario, et secretario status, ac secretario Brevium, duobus item secretariis Congregationum, negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium, ac interpretationi, et executioni decretorum prædicti Concilii Tridentini respective præpositarum » § *De-*

nique Const. *Ad Universæ*. Et revera legitur in regestis decretorum hujus Congregationis, « die veneris 9 januar. 1637, habita fuit Congregatio super residentiam Episcoporum cor. eminent. Card. S. Honuphrii pro-vicario, qui præter ipsum interfuerunt RRm. AC., Datarius, Maraldus, Torniellus et Paulutiussecret.» Ex quibus colligitur, non semper habitam hanc Congregationem fuisse die lunæ et antea in palatio Card. Præfecti fuisse coactam Item habetur « die 21 julii 1659, habita Congregatio coram Emo Card. S. Honuphrii cum interventu omnium DD. Prælatorum,» et « die 15 dec. 1645 habita fuit Congregatio super residentia Episcoporum in palatio Emi, et Rmi D. Card Ginetti, cui præter ipsum interfuerunt Emus D. Card, Rapacciolus, et Rev. Spata, et Paulutius secret.

§ XI.

De officio, et facultate Cardinalis Præfecti Sacræ Congregationis Concilii.

Ex S. R. E. Cardinalibus, qui S. Cong. Concilii conficiunt, unus est totius Cong. caput, qui *Præfectus* vocatur. Clare hujus Cardinalis Præfecti facultates innotescunt ex Brevi, quod Romanus Pontifex ei expedire in ejusdem electione solet, quodque hisce est verbis conceptum « Dilecte fili noster, salutem, et Apostolicam benedictionem. Circumspectionis tuæ summa fides, prudentia, integritas, et doctrina, ac sacrarum Canonum peritia Nobis dudum cognita, et probata hoc tempore in causa sunt ut præcipua Sedis Apostolicæ munera eidem circumspectioni tuæ libenter committamus. Cum itaque officium, seu munus, quod bon. mem..... S. R. E. Cardinalis..... nuncupatus, dum viveret, obtinebat, quæstiones nimirum, et dubia, quæ super decretis S. Cong. Concilii Tridentini undique ad Nos, et Sedem Apostolicam afferuntur, ac Episcoporum limina Apostolorum Petri et Pauli visitantium, relationes audiendi, et excipiendi. illasque, et illa in Congregatione Cardinalium dicti Concilii Interpretum proponendi, et diligenter examinandi, sententias, et vota dictorum Cardinalium colligendi, ac ipsa decreta dictæ Congregationis, interpretationesque dicti Concilii adnotandi, et adnotata extendendi, ac promulgandi, litteras quoque tum nomine dictæ Congregationis, tum Nostro, et Romanorum Pontificum successorum Nostrorum jussu in eadem materia subscribendi per obitum ejusdem Guillelmi Cardinalis nuper defuncti, seu alias certi, quem præsentibus pro expresso haberi volumus, modo vacaverit, et vacet de præsenti, prout illud vacare decernimus. Non volentes insigni alicui Cardinali officium, et munus prædictum demandare motu proprio, et certa scientia, et matura deliberatione tibi munus prædictum, ac officium, et facultatem ac alia omnia, et singula, quæ idem Guillelmus Cardinalis, dum officium hujusmodi obtinebat, facere consueverunt et potuit aliique ejus in eodem officio prædecessores facere consuevit, et potuerunt, faciendi cum honoribus, gradibus, præeminentiis, jurisdictionibus, loco in signatura Nostra Gratiæ, necnon cum provisione menstrua centum ducatorum auri in auro, quam tibi, quatenus opus sit nominatim assignamus, aliisque juribus, redditibus, et emolumentis solitis, ac consuetis, et quibus dictus...... Cardinalis, dum idem officium obtinebat, utebatur, potiebatur, et gaudebat, aliique illius in eodem officio prædecessores dum vixerunt, utebantur, potiebantur, et gaudebant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, donec vixeris concedimus et demandamus. Teque in locum dicti....Cardinalis, quoad dictum munus, et officium in omnibus, et per omnia ad tui vitam præficimus, dantes tibi plenam, et omnimodam potestatem, et auctoritatem, quæstiones, et dubia, et relationes prædictas audiendi, et suscipiendi illas, et illa in dicta Congregatione proponendi et diligenter examinandi, sententias votaque Cardinalium colligendi, decreta dictæ Congregationis interpretationesque dicti Concilii adnotandi, et adnotata extendendi, et promulgandi, litteras quoque tum nomine dictæ Congregationis, tum nostro, et Romanorum Pontificum successorum Nostrorum jussu in eadem materia subscribendi, et denique omnia alia, et singula, quæ idem...... Cardinalis dum dictum officium obtinebat, facere consuevit, ac potuit, aliique illius in eodem officio prædecessores facere consueverunt, et potuerunt, faciendi, gerendi, et exequendi, decernentes litteras a te ut supra subscribendas eamdem fidem facere, ac vim, auctoritatem, et executionem obtinere, quam facerent, et obtinerent, si manu Nostra, et Romanorum Pontificum successorum Nostrorum subscriptæ essent: mandantes propterea Venerabilibus Fratribus Nostris S. R E. Cardinalibus dictæ Congregationis nunc, et pro tempore existentibus, et aliis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut te in dicto munere, et officio recipiant, et admittant, tibique in omnibus ad dictum officium pertinentibus faveant, et assistant; Nostris vero S. R. E. camerario, et thesaurario, ac Cameræ Apostolicæ depositario generalibus, nunc, et pro tempore existentibus, cæterisque ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut de provisione menstrua centum ducatorum auri in auro, aliisque juribus, et emolumentis debito tempore cum effectu respondeant, et responderi faciant; non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque Datum etc.» Officium autem ac munus ejusdem Cardinalis præfecti in eo duntaxat consistit, præter id,

quod ex dicto Brevi colligitur, litteras nomine S. Congregationis mittendas, necnon resolutiones ac decreta emanata ab eadem S. Congregatione, subscribendo; curam, ac regimen rerum, quæ in S. Congregatione proponuntur, gerendo; ac suppeditando secretario pro officialium Secretariæ, ac scribarum emolumentis elargiendis, ac supplendis pro expensis chartæ, atramenti, uti testatur Card. de Luca disc. 15, part. 2, *Relat. Cur. For.* num. 17.

§ XII.

De munere, et officio a Secretis Sacræ Congregationis Concilii.

Antiquo tempore quemadmodum observat Card. de Luca in *Relat. Cur. Rom.* disc. 7, nulli erant in curia Secretarii quia quæ hodie per secretarios expediuntur, expediebantur per vice-cancellarium, qui erat a secretis Papæ. Olim quoque Sedis Apostolicæ pronotarii decreta, quæ in sacro consistorio edebantur, signabant, teste Card. Papiensi in *Epist. scripta ad Volaterranum*, ubi ait ille « Volo, si possum, notare nonnulla ejusmodi senatus nostri decreta, quorum recordatione, et exemplis in plerisque actionibus nostris instrui, et admoneri quandoque possimus. Adjuvat mihi, crede, hæc diligentia multum ministerium nostrum. Consueverunt olim Romani Pontifices, eam curam mandare notariis Apostolicæ Sedis. » Item munus secretarii in causis canonizationum deferebatur ante institutionem Congregationis Sacrorum Rituum uni ex collegio protonotariorum Apostolicorum, uti legitur in opere *de Vita, miraculis, et actis Canonizationis S. Didaci*, conscripto a Francisco Penia, lib. 3, cap. 11. At postremis hisce temporibus excrescentibus negotiis, plures fuere constituti secretarii, iique varii pro diversitate negotiorum, et litterarum, quæ ab iis ad exitum erant deducendæ; et revera in erectione quindecim Congregationum Cardinalium Sixtus V Pont. Max. in fin. Const. *Immensa* sæpe laudata § 2, *Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 400, statuit, ut « Cardinales dictarum Congregationum proprios singillatim habeant secretarios, ab eisdem libere deputandos, et ad res, quæ in dies geruntur, annotandas, et in publicam formam, si opus fuerit, redigendas. »

Quamobrem etiam S. C. Concilii suum habet secretarium, qui est Præsul S. R. E. Hic pollet voto decisivo in omnibus causis, quæ in eadem S. C. agitantur, sicuti Cardinales Congregationis habent; sed præter ea, quæ ad quemlibet spectant Cardinalem, alia quædam peragere debet, quæ sunt ipsius propria, qui secretarii munus exercet. Secretarius itaque unicuique Cardinali declarat diem, horam, et locum, quibus Sacra cogitur Congregatio, necnon dubia, quæ proponuntur in causis disputanda, et quidem adnotata in exarato folio, ubi die, in quo est Congregatio celebranda, signato, statum causarum, et summarie utriusque partis rationes exhibet, exponitque auctoritatum momenta. Defert autem libella nonnulla, quæ dicuntur *summaria precum* extra folium, de quibus in folio tantum diœceseos describit; quum hæ causæ sint minoris indaginis. Folium prædictum typis mandatum toties, quoties S. C. cogitur, omnibus Cardinalibus votantibus qui Congregationi interveniunt, transmittit, ut videant, quænam causæ sint in plena Congregatione proponendæ. Secretarius insuper primus est, qui locum Congregationis die statuto occupet, et omnium causarum positiones secum affert. Idem causas proponendas omnibus denunciat, et responsiones Cardinalium Congregationis, eorumque sententias obsignat. Præter hæc debet secretarius statim in regestis Secretariæ adnotare omnia, et singula decreta, resolutionesque, quæ tum in causis in folio relatis, tum in illis, quæ per summaria precum fuerunt propositæ, emanarunt.

Quumque S. C. decreta, quæ de commutationibus voluntatis testatorum, dispensationibus ab irregularitate, a beneficiorum incompatibilitate ac pluralitate, matrimonii rati et non consummati, a voto continentiæ, aliisque hujusmodi versantur, omnes actus, qui sanatione indigent, robur et efficaciam non habeant, nisi postquam fuerint a Summo Pontifice approbata; hinc secretarii munus est, deliberationes S. Congregationis, et rationes, quæ eam moverunt ad ita sentiendum, referre Papæ, ejusque responsum, vel approbans, vel reprobans, expectare. Hac de causa præter consuetam Congregationem, quæ bis quolibet mense, die tamen sabbati fieri solet, honore pollet secretarius accedendi alternis hebdomadis, die mercurii, ad Pontificem, et ea omnia referre, quæ non solum in plena Congregatione examinata, ac definita fuerunt, sed ea, quæ passim a Card. Præfecto, et eodem secretario expediuntur. Dubia vero, quæ oraculum requirunt Pontificium, plerumque hisce sunt verbis concepta « An sit consulendus Sanctissimus pro etc., » vel ad dubium, his additis verbis « facto verbo cum Sanctissimo. »

Secretarius S. C Concilii eligitur ex cœtu Præsulum, uti dixi; et epistolæ quæ nomine S. Congregationis expediuntur, a secretario exarantur, et ab eodem una cum Card. Præfecto subscribuntur juxta decretum editum anno 1624, in quo habetur « Sanctissimus Dominus Noster vivæ vocis oraculo decrevit, ut deinceps litteræ quarumcumque Congregationum ab ipso etiam secretario Congregationis susbscribantur, prout illustrissimus a Monte, facto cum Sanctitate Sua verbo, in consistorio secreto 11 martii præsentis anni 1624 mihi secretario retulit,

ac servari in posterum mandavit. » Et Card. Petra *Comment. ad Const. II Nicolai V*, num. 10, tom. 2, pag. 31, testatur quod secretarius S. C. Concilii, qui itidem secretarius Congregationis super residentia Episcoporum recepto speciali oraculo a Papa, scribit epistolas ad Episcopos Urbi vicinos ut nisi ab urgenti curæ pastoralis, vel salutis negotio impedirentur, Urbem accedant, ut assisterent semipublico et solemni consistorio, ac vota ibi præstent pro canonizatione Sanctorum addendo « quod munus scribendi, ego uti secretarius dictæ Congregationis subii, in dicta canonizatione quatuor Beatorum, facta a san. mem. Clementii XI, anno 1712.»

In causis autem contentiosis, prævia citatione partis contradicentis coram eodem peracta, dubium est constitutum, idem secretarius diem propositionis causæ decernere debet, et ante plures dies propositionis causæ opus est, ut scripturas recipiat, et causæ momenta debeat in folio adnotare, ac omnibus Cardinalibus votantibus distribuere, partibusque communicare, necnon per tres, vel quatuor dies ante Congregationem informationes in voce a partibus audire. Si autem expedit, ut lis retardetur; potest secretarius dilationem indulgere. Quando vero causa est resoluta, pars succumbens novam audientiam a secretario potest obtinere, si causarum circumstantiæ id permittant. Causæ absolutæ eidem secretario expeditio committitur. Quoad appellationes a synodalibus statutis ita Benedictus XIV, *de Synod. Diœces.*, lib. 8, cap. 5, num. 13, loquitur « Quamquam porro a synodalibus statutis, de jure admitti possit appellatio in devolutivo, hæc tamen ipsa a prudenti superiore non est statim, atque ad cujuslibet querelam, admittenda, ne Episcopi deterreantur a suis cogendis synodis, timore litium, quos postea subire cogantur, ob male feriatorum hominum adversus synodales constitutiones querimonias, et frivolas appellationes. Quare ad hæc præcavenda incommoda, cum appellatio interponitur ad S. C. Concilii, satius erit, ut ejusdem secretarius appellantes compellat ad designandas singulas constitutiones contra quas reclamant, eosque simul adigat ad momenta rationum exponenda, propter quas eas irrationabiles, nimium graves, et onerosas, aliove vitio contendunt infectas; hæc vero omnia idem secretarius significabit S. C., quæ in hunc modum rite instructa provide decernat, an appellatio sit admittenda, an potius rejicienda, veluti inanis, et calumniosa. » Et ipse ait hanc methodum adhibuisse, cum prædicto munere fungeretur.

§ XIII.

De Congregatione particulari Præsulum adjecta ad Sacram Congregationem Concilii super relationibus Visitationis Limina Apostolorum.

Celebris est Sixti V, Pont. Max., Constitutio, quæ incipit *Romanus Pontifex 20 decem.* 1585 [1], qua scilicet omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, etiamsi S. R. E. Cardinales fuerint, præcipit, ut antequam consecrationis munus suscipiant, aut pallium assequantur, vel, si de una ad aliam ecclesiam transferantur, antequam hujus regimini, et administrationi se immisceant, si quidem in Romana Curia præsentes sint, in manibus S. R. E. diaconi Cardinalis in ordine prioris; extra Curiam vero in manibus Antistitis ad hoc a Sede Apostolica delegati, singuli ex præscripta formula jurent, se statis temporibus, in ipsa Constitutione expressis, limina SS. Apostolorum Petri, et Pauli personaliter visitaturos; sin autem legitimo impedimento detineantur, idipsum impleturos per aliquem de sui capituli gremio, seu alia ecclesiastica dignitate, vel beneficio præditum; eaque occasione Romano Pontifici rationem reddere de pastoralis officii implemento, deque omnibus, quæ ad ecclesiarum suarum statum pertinent, ac cleri, et populi mores, et disciplinam, animarumque ipsis commendatarum salutem concernunt. Cæterum variam locorum, ac diœcesium ab Urbe distantiam summa æquitatis ratione perpendens Pontifex, hujusmodi visitationem § 6, Episcopis Italis tertio anno, Gallis, Germanis, Hispanis quarto, cæteris Europeis, Africanis et Asiaticis quinto, et remotioribus singulis decenniis obeundam præscripsit. Idem Pontifex altera Constitutione quæ incipit *Immensa*, 22 januar. 1587, §. *Congr. octava* [2], instituta S. Congregatione pro exequutione, et interpretatione Concilii Tridentini; eidem omnium Episcoporum BB. Apostolorum limina visitantium postulata audire, et expedire, facultatem tribuit. Et Episcopi de impedimento, ut hic admittantur ad limina Apostolorum per certum nuncium visitanda, per legitimas probationes docere debeant ad primum S. R. E. Cardinalem decanum, et hodie ad Sacram Congregationem Concilii, quæ in ipsius Cardinalis locum subrogata est ab eodem Sixto V, in Constitutione edita super ipsius Congregationis erectione. Sicuti apposite disserit Fagnanus in cap. *Ego N. de Jurejur.*, num. 13 [3], et confirmat Bened. XIV. *de Synod. Diœces.*, lib. 13, cap. 6, num. 2 [4].

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. IV, pag. 173.
[2] *Ibidem*, tom. cit., pag. 396.

[3] Tom. II, pag. 166, edit. Venet., 1697.
[4] Pag. 484, edit. Rom., 1755, in-fol.

Pecularis autem Congregatio nonnullorum Romanæ Curiæ Præsulum, Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjecta, pro excipiendis, examinandisque relationibus episcopalem, vel quasi episcopalem jurisdictionem habentium super statibus earumdem ecclesiarum, initium accepit a Const. *Decet Romanum Pontificem* 23 novem. 1740 Benedicti XIV [1], in qua momenta, ac rationes erectionis hujus Congregationis exponuntur. Nam ut supra vidimus, omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, aliique jurisdictione quasi episcopali pollentes juramento juxta formulam relatam in Pontificali Romano tit. *de Consecratione electi in Episcopum*, quam illustravit Joseph Catalanus [2], promittunt se certis statutis temporibus BB. Apostolorum limina personaliter, vel per se ipsos visitaturos, vel per certum nuntium legitimo impedimento detentos, ac relationem statuum ecclesiarum S. Congregationi Concilii, ac postulata exhibent; hinc Summus Pontifex Benedictus XIV, qui a secretis S. Congregationis Concilii munus laudabiliter exercuit, sequentibus motivis rationibus, declaravit, ac decrevit: « Cum autem, (inquit in cit. Const. § 2.) sicut nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, venerabiles fratres Nostri S. R. E Cardinales decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius quam optarent, non sine aliquo ecclesiarum detrimento, et nonnullorum querela, postulata, quæ occasione visitationis sacrorum liminum fieri solent, audire, et responsa præbere cogantur litteris Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quominus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romæ præsentes, debitæ suarum ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum prædictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes, necnon venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis, ac desideriis, quantum in Domino possumus satisfacere, et sollicitæ litterarum, et responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhærentes etiam exemplis SS. Nostrorum prædecessorum, e quibus B. Damasum prædecessorem Nostrum in chartis ecclesiasticis juvisse, et Orientis, Occidentisque consultationibus respondisse de se B. Hieronymus affirmat, ex certa scientia, et Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine tenore præsentium perpetuo erigimus, instituimus, et decernimus particularem Congregationem nonnullorum romanæ curiæ Prælatorum a nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus, et officium illud duntaxat esse volumus, ut eorumdem venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, necnon dilectorum filiorum abbatum, priorum, præpositorum, aliorumque tam secularium, quam regularium separatum territorium habentium, et jurisdictionem quasi episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quæ in scriptis exhibita fuerint, et litteras eidam Congregationi Cardinalium decretorum prædictorum interpretum, vel nobis directas, et a nobis ad præfatam Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum conventibus, et particularibus Congregationibus, quarum prima coram nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio, omnibus consideratis et perpensis, quæ majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes prædictos, et deinde per ejusdem Congregationis secretarium ad Nos, quoties coram nobis prædicta particularis Congregatio habita non fuerit, et Romanum Pontificem pro tempore existentem. referantur: ut, votis eorumdem Cardinalium et Prælatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus provinciis, et terrarum orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiæ temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, et Episcoporum, aliorumque Præsulum postulatis, et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus. »

Ex quibus verbis patet luculenter erectionis hujus Congregationis causa, ejusdem officium, ac potestas. Hujusmodi autem benedictina dispositio servata nunc est, et eo modo, quo fuerat declarata, et interdum postulata vel dubia Episcoporum, quæ majorem indaginem petunt, ad totam S. Congregationem Concilii, Summumque Pontificem sunt relata, ac definita. Et sicut rescribendi nomine Congregationis onus habeat Præsul a secretis latinarum epistolarum; nam [3] inquit « Insuper, quia opportunum, et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum Concilii interpretum in latinis litteris Episcopis rescribendis operam præbet, de rerum tractationibus in particularibus prædictorum Prælatorum conventibus, seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum prædictæ Congre-

[1] *Bull.* ejusd. Const. VIII, t. I, p. 24, edit. Rom., 1746.
[2] Tom. I, tit. 13, § 8, n. 9, in comment. op cit. Pont.

[3] In cit., Const. § 3.

gationis Cardinalis Præfectus eisdem fratribus Episcopi, aliisque Præsulibus supradictis, eorumque potissimum postulatis diligentius, ac commodius possit satisfacere, volumus, et eadem apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius magister Æneas Silvius Picolomineus, qui nunc est, et qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum epistolarum hujusmodi a secretis, in eorumdem Prælatorum conventibus, seu Congregationibus locum habere, et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre, possit et valeat. »

Complura rerum capita, circa quæ versari debet relatio status ecclesiæ occasione visitationis sacrorum liminum prædictæ Congregationi Concilii exhibenda, indicata sunt a Fagnano in cit. cap. *Ego N. de Jurejur.*, ubi materialem ecclesiæ statum a formali apte distinguendo secrevit. Quæ autem ab eo scripta fuerunt, adoptavit etiam et retulit Van-Espen *Jur. Eccl. Univ.* part. 1, tit. 15, cap. 2, num. 22, sed, cum nunquam publica auctoritate prodiisset instructio super modo conficiendi relationem tam materialis, quam formalis status ecclesiarum, atque diœcesium, prout ab Apostolica Sede requiritur; Sum. Pont. Benedictus XIII in Concilio Romano, a se celebrato, mandavit, hujusmodi instructionem confici a prædicta Congregatione Concilii. Eam itaque exaratam, subinde probatam, et publica auctoritate donatam, unusquisque consulere potest, impressam in calce prædicti Concilii Romani, et apud Benedictum XIV *de Synod. Diœces.* in fine. Eique inhærentes, quicumque relationes hujusmodi facere tenentur, nihil desiderandum relinquent, quod circa materialem, atque formalem ecclesiarum suarum statum Apostolicæ Sedi sit aperiendum.

§ XIV.

De Archivo, Secretaria, et Officialibus Sacræ Congregationis Concilii.

Dubitari sane nequit, quod S. Congregatio Concilii, ab ejus institutione, locum erectum auctoritate propria asservationi authenticorum decretorum, ac scripturarum destinatum, ac sub custodia alicujus ejusdem S. Congregationis officialis habuerit. Et primum ob materias paucas verisimile est, quod una cum secretaria archivum annexum fuerit; ac deinde aucto numero decretorum ac multitudine librorum, ac scripturarum a Cancellaria, seu a secretaria fuerit separatum, et alius locus fuerit destinatus, qui archivum S. Congregationis Concilii appellabatur, unde depromi possunt documenta plenæ fidei ac autoritatis. Hoc autem archivum authenticum evasit, tanquam certam fidem faciens vigore auctoritatis in erectione S. Congregationis tributæ, atque scriptura ab eo deprompta authentica habebatur. Hanc ob causam Hieronymus a Rufino reprehensus, quasi epistolam Anastasii I papæ ad Joannem Hierosolymitanum commentus esset, ad Romanæ Ecclesiæ archiva provocabat[1]. « Si a me, inquit, fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris, ut, cum deprehenderis ab Episcopo non datam, manifestissime criminis reum teneas? » Nam non solum autographa pontificiarum Decretalium ad ecclesias missarum *in archivo*, seu *scriniis*, vel *chartario* Romanæ Ecclesiæ servabantur, sed etiam acta Synodica, consultationes, et relationes ad Romanam Sedem missæ, cæteraque monumenta ecclesiastica, ut ex epistola Synodica Concilii Romani sub Damaso [2], Leone M. [3], ex Concilio Lateranensi sub Martino papa, anno 649 [4], aliisque compertissimum. Et revera archivum locus auctoritate legitima deputatus appellatur, in quo scripturæ, instrumenta, ac acta custodiuntur, quæ, si postea exemplar authenticum producatur, plenam fidem faciunt; non tam ratione loci, quam respectu illius, cujus auctoritate in archivo sunt reposita. Ita pontificiæ litteræ ad certas ecclesias initio datæ omnibus postea communes fiebant, ut omnibus innotescerent, et omnes parerent legibus, quæ ipsis litteris erant constitutæ. Earum autographum in archivo servatum adhibebatur ad dirimendas controversias, quæ forte orirentur. Jus archivi erigendi tantummodo per doctores competit Prælatis ecclesiasticis majoribus, hoc est Episcopis, et eorum superioribus, ac dominis temporalibus illis, qui in suis territoriis jura imperii, ac regalium exercent. Omni vero S. Congregatio Concilii pollet auctoritate ecclesiastica juris erigendi archivum, atque conditionibus, quas memorat Reiffenstuel *Jus Can. Univ.* tom. 2, tit. 22, § 4, num. 113 [5]. « Ad constituendum (ait) publicum archivum tria requiruntur. Primo, ut sit erectum ab eo, cui jus archivi competere dignoscitur, quale tuntummodo competere Prælatis ecclesiasticis majoribus, nempe Episcopis, eorumque superioribus, necnon, et illis dominis temporalibus, qui in suis territoriis exercent jura imperii, et regalium, communis doctorum sententia censet. Secundo, et specialiter requiritur, ut tale archivum sit sub custodia cujusdam officialis, quem antiqui *Commentariensem*, moderni *Cancel-*

[1] Lib. 3, *contr. Rufin.* opp. tom. 2, pag. 549, edit. Vallarsii Veronæ.

[2] Apud Holsten., in *collect. Rom.*, part. I, pag. 177.

[3] Epist. 92, ad Max. Antioch., cap. 4, edit. Quesnell.

[4] Secretario II.

[5] Edit. Maceratæ, 1746, pag. 292.

larium appellant. Tertio, ut is in productione scripturæ alicujus testetur, ejusmodi scripturam inter alia instrumenta authentica in tali archivo, seu Cancellaria repertam, et asservatam fuisse. »

Et revera archivum S. Congregationis Concilii, ut ejusdem scripturæ faciant fidem, sub custodia reperitur cujusdam officialis secretariæ, qui appellatur archivista, quique debet testari, quod scriptura producta in archivo reperta fuit, et asservata, et cum suo originali fideliter recognita, et inde eamdem S. Congr. sigillo authenticare, ut ait Mattheucc. *Offic. Cur. Eccles.* cap. 28, num. 30[1]. Hunc locum insuper constitutum peculiariter ad usum archivi S. Congregationis Concilii in ædibus apostolicis vaticanis, Cardinalis Franciscus Xaverius de Zelada, tempore, quo summa cum laude a secretis S. Congregationis munere fungebatur, in novam ac meliorem formam redegit, ac materias novo ordine distribuit; et modo studio, ac vigilantia unius Officialis secretariæ administratur. Continet autem archivum omnes postulationes causarum, quæ agitatæ fuerunt in dicta S. Congregatione, omnes supplicationes, ac dubia, quæ apud S. Congregationem deferebantur, informationes Episcoporum desuper petitas, et quidquid ad dubii explanationem, ac gratiarum concessionem, quæstionem explanandam opus erat. Antiquitus hæc omnia divisionem repetebant per sessiones et capita Concilii Tridentini, ad quæ materia eorumdem pertinebat; postmodum vero per diœceseon; et ex hac divisione facillime reperiri potest, quod quæri oportet. Semper autem S. Congregatio consuevit postremum decennium positionum causarum, ac postulationum in secretaria asservari, cætera in archivo custodiuntur.

In Secretaria præterea S. Congregationis Concilii asservantur tum in libris decreta ejusdem S. Congregationis tam antiqua, quam recentiora, tum regestum litterarum, quæ nomine S. Congregationis mittuntur, tum parva regesta decretorum. Libri decretorum incipiunt ab anno 1573, usque ad præsens tempus, et conflant plurima volumina, quorum nonnulli indice carent, de quibus ait Ursaya, *Discept. Eccles. I*, tom. 4, part. 1, § 8, num. 94 : « Nec mirum videri debet, si non adducantur alii similes casus, ab hac sacra Congregatione decisi, ea ratione, quia illius antiqui libri, in quibus adnotantur resolutiones, carent indicibus, neque facile est omnia illius volumina improbo labore pervolvere. » Habet autem primum volumen nonnullas marginales adnotationes, de quibus Card. Lanfredinus : *Responsa jur. canon. in causa Neapolitana prætensæ congruæ*, num. 30[2] videtur loqui, dum ait : « Restat nunc tamen, ut perpendamus, quid momenti habere possint quædam annotationes, quæ circa annum 1567, scilicet sedente S. Pio V, scriptæ leguntur in primo volumine Secretariæ S. Congregationis Concilii pag. 34. .. et pag. 25.... et rursus pag. 127.... Verum, ut mihi asseritur, authentica hæc non sunt, nec satis constat, quod ita vere decreverit aut S. Congregatio aut S. Pontifex Pius, deficiente nedum expressione certæ diei, sed etiam formula, qua concipi solent vera decreta ejusdem Sacræ Congregationis, eorumque confirmationes a Pontificibus editæ; sed potius censendum est, adnotationes illas continere opinionem propriam vel secretarii, vel Cardinalis Alcioti, qui erat unus ex Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis. » Et card. Petra in opere *Comment. ad Const. Apost.*, pluries mentionem facit de nonnullis mss S. Congr. Concilii Cardinalis Alciati absque alia notitia temporis, et an fuerit præfectus ille S. Congregationis. Registrum litterarum S. Congregationis præter epistolas, ac instructiones, plurima etiam continet decreta, et incipit a die 25 sept. 1564, quo fuit Concilium Tridentinum approbatum; et hoc registrum amplectitur volumina.

Inter epistolas, et orationes Julii Pogiani Sunensis, quem nuper institutæ S. Congregationis Concilii responsis, litterisque scribendis Pius IV Pont. Max. præfecerat, illustratas ab Hieronymo Lagomarsinio, societatis Jesu viro clarissimo, in volumine I, edit. Rom. 1762, pag. 335, usque ad finem prodierunt epistolæ ejusdem Julii Pogiani Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum nomine scriptæ ab octob. anni 1564, ad sept. anni 1568, quas idem Lagomarsinius summa fide ex codice, qui in S. Congregatione Concilii tabulario adservatur, descripsisse testatur, *nota (a) ad Epist.* I, ubi subjungit : « Non omnes autem hujus ipsius codicis epistolæ omnium Cardinalium Concilii Tridentini tum interpretum, nomine datæ sunt : nonnullæ enim occurrunt privato alicujus ex iis nomine scriptæ, Cardinalium nimirum (nisi forte conjectura me mea fallit) Caroli Borromæi sub Pio IV, et Michaelis Bonelli sub Pio V, quorum utrique Pogianus privatam quoque operam in scribendis litteris locarat. Ipsæ vero illæ litteræ, universi Cardinalium interpretum cœtus sententiam continentes, non omnium tamen verbis loquuntur, sed unius, ejus nimirum, qui reliquis in eo cœtu præsidebat; quem quidem ego Joannem Moronum, Episcopum Tusculanum, fuisse puto, eum, qui Concilio ipsi Tridentino proxime præfuerat, quique *in Motu Proprio Pii IV, per quem deputantur octo Reverendissimi Cardinales, qui faciant observari reformationes, ab ipso editas, necnon de-*

[1] Pag. 200; edit. Venet. 1749.

[2] Tom. I, pag. 98; edit. Rom., 1747.

creta sacri, œcumenici, et generalis Concilii Tridentini, priore loco nominatur. Hisce ego litteris, tantorum tanti Concilii interpretum nomine datis ac publice scriptis, nullas mihi, privato scilicet, minimæque facultatis, nullius vero auctoritatis homini, neque interpretationes, neque adnotationes, religionis, reverentiæque erga eas causa, esse adscribendas duxi. »

Præter libros decretorum, regesta epistolarum, ac parvos libros manuales materiarum, reperiuntur in secretaria dictæ Congregationis quinque volumina, quæ Card. Boschius secretariæ donavit, quæque continent declarationes S. Cong. Concilii ad diversos Episcopos missas, singulis suis sessionibus, et capitulis accommodatas; quorum unum continet glossas, et in quo legitur: « Auctor hujus glossæ ad Tridentinum multa hausit ex ore ipsorum Patrum, qui Concilio interfuere, ut asserit sess. 22 *de Reform.*, cap. 8, § *Non tamen*. Hæc volumina primum pertinebant ad Cardinalem Ludovisi. Exemplo Cardinalis Boschi, Secretariæ S. Congregationis Concilii Card. Gullielmus Pallota dedit volumina duo decretorum, ac veterum resolutionum in ordine materiarum distributarum, notumque fecit, hæc volumina confecisse Patrem Fr. Thomam a Villanova a S. Nicolao Vercellis, qui obiit anno 1731, et fuit per plures annos a secretis Præsulis Ranutii Pallavicini S. Congreg. Concilii Secretarii, inde Cardinalis.

Quod attinet vero ad officiales Secretariæ S. Congregationis Concilii præter Præsulem a secretis, qui id suis ædibus habet secretariam, adsunt nonnulli officiales, qui mane et vespere interveniunt exceptis diebus festis, ac vocationum, nempe diebus Jovis, ac sabbati de mane, quando est Congregatio. Dum vero munus præfecti S. Congregationis Concilii summa cum laude obibat Cardinalis a Lanceis nuncupatus, a Pio VI Pont. Max. ejusdem consilio, ac studio litteræ in forma Brevis incipien.: *Sacrosanctam*, sub die 27 novem. 1775, emanarunt de S. Congregatione Concilii officialibus, ejusque muneribus, in quibus legitur, quod Cardinalis prædictus, « cum sit mirificæ quidem pietatis, et religionis studio incensus, statim circumspiciens, et quasi peritus architectus perlustrans diligentissime partes omnes ejusdem Congregationis, animadvertit aliquid vitii inhærescere, quod illius venustati officere posse videretur. » In his litteris cautum est, quod minores officiales S. Congregationis, quum satis exigua stipendia habeant, ut ad vitam sustentandam non suppetant, et usus invaluisset, quod aliquid officii, ac laboris ratione ab his qui ad S. Congregationem confugiunt, accipiunt; sancitum est, ut stipendia ita augeantur iisdem officialibus, ut ad congruum vitæ subsidium nihil desit; ac prohibitum fuit, ne ii de cætero quidquam pro quibuscumque negotiis ad ipsam Congregationem quomodolibet spectantibus a quovis recipere debeant; et dicti officiales solo stipendio contenti esse debent, et præter illud aliquid aliud etiam sponte oblatum, ut præfertur, a partibus, aut aliis, sive pro expeditionis celeritate, sive pro alio extraordinario labore tam procurando, quam scribendo, aut recognoscendo, aut examinando in ejusdem Secretariæ archivo, vel extra capere, vel exigere nequeant. Qua de causa præcipit Summus Pontifex: « Ut moderni officiales infra mensem a data earumdem, et qui deinceps subrogati fuerint, antequam ad suum obeundum munus admittantur, in manibus Card. Præfecti, vel eo a Curia absente, aut infirmitate impedito, illius Cardinalis, qui in Congregatione antiquior fuerit super omnimoda hujusmodi observantia sancte jurent. » In his vero comprehendi minime voluit Xenia etsi in pecunia tenuissima tamen, esculenta, et poculenta, quæ recipere mense augusto, ac sacro recurrente Natalis die Salvatoris D. N. J. C. consueverunt. Attamen, non prohibetur in hisce litteris, ut sponte oblata tantum recipiantur, non autem veluti officio debita, quæ dividi inter officiales juxta uniuscujusque gradum, et prærogativam debent, subjungens: « Quod communicato semel cuivis petenti, et quidem gratis omnino, et sine ulla prorsus mercede, exemplari cujusvis generis documentorum, quæ in Secretaria S. Congreg. pro tempore habentur, si forte alterum, vel tertium ac sic deinceps exemplar a partibus exposcatur, merces quædam honesta quidem, ac moderata ab officialibus præfatis exigi valeat. »

Item mercedem exigere potest ille officialis, qui ex archivo erecto in palatio Vaticano documenta authentica extrahere debet, tum pro incommodo itineris, tum pro scripturæ labore, hac autem ratione; quando nempe agitur de re, quæ in libris veteribus decretorum, in sessionibus, et capitibus Concilii Tridentini divisis quæri debet, julii decem septem solvuntur; si in aliis libris, in quibus faciliori modo materiæ sunt distributæ, tunc solvitur scutum unum et oboli triginta quinque. Denique in dictis litteris præcipit Summus Pontifex, ut deinceps tantum viri cœlibes, et clericali charactere insigniti assumantur, nec officialibus viventibus ejusdem S. Congregationis coadjutor intrudatur. Patet insuper ex hac Secretariæ reformatione, quod Cardinalis præfectus onus in se assumpsit expensarum Secretariæ, et ex bis mille scutatis, quæ a præfectura perceperat, hausit deinceps scutata mille, ac quingenta tantum; et Secretaria percipit solummodo scutum unum pro visitatione ad limina, ac mercedem pro labore duplicati supplicis libelli, si in Secretaria scribatur ab aliquo officiali. Finem ponam huic § verbis dicti Brevis quod ait: « Submoto itaque ab officialium cœtu

quocumque vel leti avaritiæ periculo, eos omnes enixe in Domino hortamur, ut pro salubri ejusdem Congregationis regimine, ex ecclesiasticæ disciplinæ integritate in omnibus, quæ ad eam spectant, pertractandis quam maxime cautos, oculatosque se præbeant, adeoque eorum virtutis emulatione majores in dies fructus, atque progressus inde proveniant, si cognitæ, et spectatæ uniuscujusque ipsorum diligentiæ, et fidelitati a S. Sede Apostolica condigna præmia conferantur. »

§. XV.

De editionibus Decretorum S. Concilii Tridentini, atque Declarationum Congregationis Cardinalium Sacri ejusdem Concilii Interpretum.

Innumeræ propemodum extant celebris S. Concilii Tridentini editiones, inter quas nonnullæ, quæ nondum absoluto Concilio, ideoque ante diem pridie nonas decembris anni 1563, prodierunt. Hæ autem raro occurrunt, quia a curiosis hujusmodi monumenti sedulo asservantur. Nondum absoluto Concilio ego vidi editionem Bononiensem anni 1548, in fol. cum hoc titulo: « Decreta sacrosancti œcumenici et generalis Concilii Tridentini, Bononiæ apud Anselmum Giaccarellum 1548. » Hæc editio complectitur sess. decem primas Tridenti factas, et unita est *Translatio sacri Concilii ex Tridento ad civitatem Bononiæ*. Editiones vero absoluto Concilio et approbato a Summo Pontifice sub die 7 kalen. februarii 1564, multis in locis statim publicatæ, omnibus patent. Has inter omnium primaria est editio Brixiensis, anno 1563, typis Jo. Baptistæ Bozolæ evulgata ea forma, quam *in quarto* vocant, una cum decretis publicatis in sess. 9 et ultim. diebus 3 et 4 decem. 1563, bibliographis fere omnibus ignota et in catalogo bibliothecæ Hulsianæ a Schelornio citato in *Amœnit. Hist. Eccles.* tom. 2, p. 469, solummodo memorata; sed reperta in bibliotheca magna eruditissimi Card. Garampii, cujus catalogus illam exhibet tom. 1, pag. 108, nota bibliographica de Romanis instructam. Hæc integra ignoratur etiam a nuperrimo, et copioso Concilii Tridentini historiographo Jod. de Plat, qui primam tantum hujus editionis partem 23 sessionibus compositam refert in *Præf. ad can. et decret. Concil. Trident* pag 22. Qua de causa editiones Romanæ quatuor copiosæ relatæ ab ipso Le Plat, cit. loc., anno 1564 evulgatæ, ex quibus una in quarto minoris folii, reliquæ integra folii magnitudine extant, primæ haud sunt. « Et revera (ut ait auctor catalogi bibliothecæ Card. Garampii, cit. loc.), » dies 27, qui ab ultima S. Concilii decretorum publicatione ad finem anni 1563, interlabuntur, et in quibus nostra cohibetur editio, satis ostendunt, quod hæc sit prima, quum nulla integra C. T. sessionum collectio anterius prodire potuerit. Res magis elucescet, si animadvertatur, quod J. Baptista Bozola primus Tridenti officinam librariam aperuerit, et calcographis Brixiens. Acta summopere tradiderit, ut ipsæ in epistola dedicatorio fatetur. »

Ex prædictis quatuor editionibus Manuntianis tres extant in bibliotheca Casanatensi, in folio evulgatæ, quas ego aspexi; in his leguntur quædam marginales notæ, et manuscriptæ, quarum notæ unius editionis est auctor Card. Antonius Carafa, quem doctissimum Cardinalem olim S. Congregationis Concilii præfectum nominat Ursaya, *Discep. Eccl. I*, § 32, num. 97, tom. 3, pag. 32, et hoc munus exercebat anno 1587; alterius editionis notæ est auctor Alphonsus Salmeron hispanus unus ex decem primis societatis Jesu Patribus, et doctor theologus, a Pontifice Maximo, in Concilio Tridentino missis, cujus oratio in eodem Concilio habita legitur apud Labbeum, *Concil.* tom. 14, col. 1841, et apud Le Plat tom. 1, pag. 93, qui illam ex editionibus eodem anno a Manutio productis accuratiorem esse dicit. Attamen animadvertendum est cum editore Concilii Tridentini cum notis a viris eruditis, et præsertim a Card. Lanfredino adjectis Romæ apud Mainardi annis 1732 et 1763, quod exempla Manuntiana minus in aliquibus authographo convenire comperta sunt; hinc Angelus Massarellus Episcopus Thelesinus, qui Concilii a secretis fuerat, ea sibi emendanda suscepit. Itaque adhibitis etiam duobus ejusdem Concilii notariis, editionem Manuntianam grandiorem authentico cum exemplari diligenter contulit; atque ubi discrepare animadverterat, sua ipse manu correxit. Ut vero emendationi rite peractæ constaret fides, ad calcem notati, correctique voluminis testimonium hujusmodi est appositum.

Nos sacri, œcumenici, et generalis Concilii Tridentini secretarius, et notarii infrascripti decreta ipsius sacri Concilii in præsenti volumine contenta cum originalibus contulimus. Et quia cum eis concordare reperimus, ideo hic in fidem manu propria subscripsimus.

« Ego Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus, sacri Concilii Tridentini secretarius.

« Ego Marcus Antonius Peregrinus, clericus Comensis, publicus Apostolica auctoritate, et in archivo Romanæ Curiæ descriptus, necnon sacri Concilii Tridentini notarius; manu propria subscripsi, signumque meum in fidem apposui consuetum.

« Ego, Cynthius Pamphilius de S. Severino Camerin. diœc. publicus Apostolica auctoritate, et

sacri Concilii Tridentini notarius, manu propria subscripsi, signumque meum solitum in fidem apposui. »

Ita emendatum volumen extat hodie in bibliotheca Corsina, insigni imprimis, ac locuplete, quam magnifice instruxit Laurentius Cardinalis Corsinus, qui fuit Summus Pontifex nominis Innocentii XII. Alterum anthenticum exemplar ita, et eodem charactere correctum legitur in bibliotheca Ghisia. Hinc Manutius dicta emendatione iterum impressit Concilium Romæ, duplici, ut prius forma, et paginarum magnitudine, addendo in fronte utriusque editionis *Index dogmatum, et reformationis*, *et in ædibus Populi Romani*; qua de causa ob dictam varietatem secundæ emendatæ editiones a primis facile innotescere possunt. Ex his Manuntianis editionibus cum authographa subscriptione secretarii, et notarii unam vidi cum hoc titulo: « *Canones, et decreta sacrosancti, œcumenici, et generalis Concilii Tridentini sub Paulo III, Pio IV, Pontificibus Max.; Index dogmatum et reformationis Romæ apud Paulum Manuntium, Aldi F. MDLXIIII, in œdibus populi romani* » in fol. Additur in hac editione bulla Pii IV, super confirmatione Concilii, Romæ impressa apud Antonium Baldum impressorem cameralem, 1564. Post editiones Pauli Manuntii eminent, quæ eodem anno lucem adspexerunt, Veneta, Antwerpiensis, Lovaniensis, ac Coloniensis 8. Et ego vidi etiam Lugdunensem editionem apud Rovillum, 1566, in 4°, cum hoc titulo: « *Tridentini Concilii canones, et decreta, quibus accedunt christianorum principum litteræ et mandata, Legatorumque orationes una cum Synodi responsis,* » et aliam Venetam, anni 1593, in 12, apud minimam societatem exaratam. In primis vero editio Philippi Chifletii Antwerpiæ 1640, in 12, ibidem, alibique sæpius recusa. Quum autem in tot editionibus variis locis, ac temporibus postea evulgatis, menda haud pauca obrepserint, expedire visum est citatam editionem Romanam in medium proferre. Hæc cum emendationibus a Massarello confectis, et cum authenticis actis ipsius sacrosancti Concilii, in archivo arcis S. Angeli asservatis, quam diligenter collata fuit. Sed antea jam correxerat Benedictus XIV mendum, in interpunctione, quod irrepserat in sess. 25, cap. 11, *de Regul. et Monial.*; uti habetur in ejusdem Const. *Firmandis*, 6 novem. 1744, § 13[1].

Etsi, ut jam vidimus § 2, Pius IV, Pont. Max., in sua Constitutione edita super confirmatione Concilii, anno 1564, prohibuerit commentaria, ac interpretationes in decreta Concilii evulgari, tamen non defuerunt nonnullæ editiones præfati Concilii cum additionibus declarationum S. Congregationis Concilii, ac doctorum remissionibus. Qua de causa in indice librorum prohibitorum illæ insertæ fuerunt. Nam, sub die 7 septembris, anno 1609, decreto S. Congregationis Indicis habemus in prædicto indice: « *Decisionem novissimarum Rotæ Romanæ, sive sacri palatii Romani Pii IV, continens tum decisiones varias, tum declarationes Concilii Tridentini habitas et bibliotheca Prosperi Farinacci.* » Insuper decreto 29 aprilis, et 6 junii anni 1621, editionem Joannis de Gallemart, declarationes Card. Concilii Tridentini Interpretum cum citationibus Joannis Sotealli, et remissionibus Augustini Barbosæ, et sacri Concilii Tridentini decisiones, et declarationes Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum præsertim secundum correctionem Petri de Marzilla. Et ejusdem Petri de Marzilla nomine legitur in eodem indice: « *Decreta Concilii Tridentini ad suos quæque titulos secundum juris methodum redacta: adjunctis declarationibus auctoritate Apostolica editis.* » Item decretum sub dicta die et anno, « *declarationes Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini Interpretum una cum Joannis Sotealli, et Horotii Lucii adnotationibus*; » et opus Augustini Barbosæ jurisconsulti inde Ugentini Episcopi, qui obiit anno 1649: « *Remissiones doctorum, qui varia loca Concilii Tridentini incidenter tractarunt.* » Deinde anno 1633, editæ fuerunt Lugduni: « *Novæ declarationes S. R. E. Card. ad decreta sacrosancti Concilii Tridentini, iisdem declarationibus conserta ex bibliotheca Card. Roberti Bellarmini.* » Hic doctissimus fuit jesuita, qui obiit 1601. Hoc opus in indice librorum prohibitorum haud reperitur, sed prohibitum censetur vigore decreti generalis, quod præmittitur in editionibus librorum prohibitorum, § 11, num. 3, hisce verbis concepti: « *Declarationes, decisiones, interpretationes Congregationis Concilii Tridentini, earumque collectiones tam impressæ, quam imprimendæ, ementito ipsius Congregationis nomine.* » Et præsertim vigore decreti § 11, citati S. Cong. Concilii, sub die 24 maii 1621, approbante Gregorio XV, quo prohibentur collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii impressæ, vel imprimendæ.

Quamquam vero acta integra Concilii Tridentini, quæ asservantur Romæ in arce S. Angeli, nondum edita fuerunt, attamen prodierunt statim post ipsius Concilii celebrationem, sed mala fide compilata, et in ejusdem Concilii appendice inserta inter libros prohibitos sub hoc titulo: « *Acta Concilii Tridentini anni 1546 celebrati una cum adnotationibus piis, et lectu dignissimis.* » Cæterum primam absolutam

[1] *Bull.* ejusd. Pont., lib. I, pag. 195.

quoad extensionem, sed vitiatam quoad veritatem, et notitiis necessariis destitutam, historiam Concilii Tridentini fuisse illam Pauli Sarpi Servitæ theologi reipublicæ Venetæ certum est. Nam nullum verbum faciendum est de mss. Pauli Manutii, qui in præfationis editionis Concilii Romæ ab eo factæ, anno 1564, dixerat: « Interim accipe summam rei, lector optime, quæ ad salutem vehementer pertinet : universam vero Tridentini Concilii trium Pontificum distinctam temporibus, historiam, eodem, cujus ad gloriam hæc omnia diriguntur, juvante Deo, propediem exspecta. » Item de alia historia a Laurentio Pratano Nervio primarum septem sessionum tantum collecta, et citata in *Bibliothèque française* [1]. Item nihil est dicendum de historia inedita Marci Antonii Milledonni, qui erat a secretis oratorum Venetiarum apud Concilium, et hanc historiam Scipio Henricus in sua censura theologica, et historica, et Pater Mabillonius in *Museo Italico* tom. I, pag. 192, nominat. Possumus etiam commemorare *Commentaria* edita ab Antonio Francisco Cirno, in quibus celebratio Concilii Tridentini describitur, et quæ publicata fuere in-4°, Romæ, anno 1567; item *Ragionamento di Muzio Panza dell' historia del Concilio generalissimo Tridentino;* quæ oratio in opere de Vaticana bibliotheca exarato, Romæ, 1590, in-4°, fuit inserta. Sed hæc minima sunt ex judicio doctissimi Francisci Antonii Zaccariæ (Dissert. prælim. tom. I, pag. 104, num. 3, novæ editionis Venetæ, 1802, historiæ Concilii Tridentini Cardinalis Pallavicini.) Hinc prima fuit illa memorata Fr. Pauli Sarpi Veneti. Occasio scribendi hanc historiam certe fuit, et recusatio Clementis Papæ VIII, Veneto senatui pro postulatione alicujus episcopatus, et controversia inter Paulum V, Pontificem, et ipsam Venetam rempublicam, quo tempore Sarpi defendere rempublicam conatus est, sed revera de Sede Romana vindictam sumere. Hinc e suo calamo prodire haud potuit, nisi historia contra Romanam Curiam, virulenta, et odio plena. Qua de re juvat consulere Bossuet in suo doctissimo opere, *Variationum* lib. 7, num. 109, qui eum magis hostem, quam historicum Concilii Tridentini nominat, et vere protestantem vestibus religiosis indutum fuisse testatur.

Hujus historiæ editio prima facta fuit Londini anno 1619 in fol., opera, et studio Apostatæ Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatrensis sub nomine anagrammatico *Pietro Soave Polano*, quod respondet *Paolo Sarpi Veneto*, hoc titulo : « *Historia del Concilio Tridentino, nella quale si scoprono tutti gli artifici della corte di Roma, per impedire, che ne la verita de' dogmi si palesasse, ne la riforma del Papato, e della Chiesa si trattasse, di Pietro Soave Polano.* » Statim hæc historia depravata, et Romanæ Sedi injuriosa eodem anno prohibita fuit vigore decreti emanati die 22 novembris. Inde Sarpi mortuus est anno 1623; et anno 1629 prodiit altera editio Genevæ, in-4°. Postea hanc historiam etiam latine, anglice, germanice, et gallice lucem vidit, et præsertim cum notis Petri Francisci Le Courayer; sed statim inserta fuit in indice librorum prohibitorum. Et vigore Brevis Clem. XII, die 26 jan. 1740, sub titulo : « *Histoire du Concile de Trente, écrite en italien par Fra Paolo Sarpi, et traduite de nouveau en français, avec des notes critiques, historiques et théologiques, par Pierre-François Le Courayer, docteur en théologie de l'Université d'Oxford, et chanoine régulier, et ancien bibliothécaire de l'abbaye de Sainte-Geneviève de Paris, à Amsterdam* 1736; » una cum alio opere ejusdem auctoris inscripto : « *Défense de la nouvelle traduction de* l'Histoire du Concile de Trente » vigore decreti die 7 oct. 1746, Urbanus VIII, Pont. Max., aliquam refutationem hujusmodi mendacis historiæ sapienter cogitavit, et theologo Terentio Alciati societatis Jesu curam dedit, ut veram historiam Concilii Tridentini exararet, sed re infecta Alciati obiit; inde opus cum felici eventu suscepit alius jesuita Cardinalis Pallavicinus ab Alexandro VII Pontifice impulsus, et primum Romæ comparuit typis Bernabo opus absolutum, regnante eodem Pontifice, anno 1656, in duobus voluminibus in folio; deinde altera editio facta fuit pariter Romæ anno 1664 apud Blasium Diversini, et Felicem Cesaretti in tribus voluminibus in-4°. Postmodum juxta secundam editionem prodiit Mediolani, anno 1718, per Dominicum Bellagatta in tribus voluminibus in-4°, et Neapoli, in typographia Catielli Longobardi, et Felicis de Sanctis, anno 1757, sed prius fuerat latine reddita a Jo. Baptista Giattinio jesuita, sub titulo : « *Vera Concilii Tridentini historia contra falsam Petri Suavis Polani narrationem scripta.* » Antwerpiæ 1670, in vol. 3 in-fol. Et Augustinus Morcelli edidit Neapoli, anno 1724, in-4° : « *La storia del Concilio di Trento, tratta da quella del Card. Sforza Pallavicini, ristretta in sette libri.* » Nostris autem temporibus Faventiæ, anno 1792, in-4°, iterum fuit edita, et illustrata cum eruditissimis adnotationibus laudati Francisci Antonii Zaccariæ, quæ editio statim Venetiis in-8°, an. 1802, iterum excusa fuit.

Quod attinet ad historiam Sarpi apposite hæc observat Spondanus ad annum 1545, num. 13, quod toto primo libro suo Polanus agit de rebus

[1] Tom. V, pag. 71, 161, et pag. 278, 326.

ad celebrationem Concilii præparatoriis, itineribus, legationibus, consiliis, ea de causa habitis, excerpit is maxima ex parte ab hæretico Sleidano, quem in suo *Commentario historico* egregie, feliciterque confutavit Surius. Deinde vero usus est idem Polanus notitiis Petri Pauli Vergerii, qui postquam a fide apostatavit, id est anno 1548, ut ad eum annum scribit laudatus Spondanus, singula Concilii gesta aucupans, ea concionum suarum subjectum faciebat, Episcoporum, et theologorum inter se de rebus propositis contentiones diligenter colligens, ut erant plures Tridenti, qui de iis divulgandis delectabantur; easque ille, quantum poterat, non solum verbis, sed etiam litteris ad alios ministros protestantes scripsit; libellisque typis editis promulgabat, actis Concilii omnibus detrahens quamvis et alia quoque Polanus, quæ ab aliis, sive typis excusa, sive calamo exarata monumenta emanassent, in publicum, atque etiam schedas scriptorum a Prælatis, ac cæteris, qui Concilio interfuissent, necnon epistolas inde exaratas ab iis, quæ res ibi tractassent, diligenti ad hæc adipiscenda adhibita opera, se vidisse jactet. Quidquid sit, livore et odio non vacat historicus præsertim in Romanum Pontificem, quamvis se omni passione liberum affirmare audeat. Sed ejusdem mendacia, calumniasque fusiori calamo laudatus Pallavicinus confutavit.

Post celeberrimam *Historiam Concilii Tridentini* Card. Pallavicini nonnulla prodierunt spectantia ad dictum Concilium: Genevæ, anno 1682, et Amstelodami, anno 1683, in duobus voluminibus in-8°, *l'Abrégé de l'histoire, etc.*, et auctor fuit minister Jurieu, qui probare conatur, quod protestantes subjicere sese Concilio Tridentino minime debent. Anno 1696, Dilingæ in-4° prodiit: « *Succincta relatio historica de gestis in Concilio Tridentino generali ex variis auctoribus, et documentis authenticis concinnata,* » cura jesuitæ P. Joannis Stoz, qui Pallavicini historia præcipue usus est. Anno 1719 in-4°, Parisiis anonymi Mr. Frein du Tremblai prodiit « *Critique de l'Histoire du Concile de Trente de Fra Paolo, et des Lettres, et des Mémoires de Vargas,* » opus quod nullam meretur memoriam. Anno insuper 1721, Amstelodami excusum est opus tribus voluminibus, sed Bruxellis signatum cum hoc titulo comparuit: « *Histoire du Concile de Trente, et des choses qui se sont passées en Europe, touchant la religion, depuis la convocation de ce Concile jusqu'à sa fin.* » Ernestus Salomon Cyprianus hæreticus *Tribularium Ecclesiæ Romanæ sæculi XVI* edidit, in quo monumenta restituti Calicis Eucharistici, totiusque Concilii Tridentini historiam illustrantia continentur: Francofurti, et Lipsiæ 1743 in-4°; et Porphilius Quplius in lucem dedit « *Historiam Concilii Tridentini ex eadem, et historia computatam adversus Petrum Suavem Polanum,* » Venetiis 1755, in-4°. Bononiæ anno 1757 in-8° italice prodiit: « *Della Malignità istorica, dicorsi tre di A. B. contro Pier. Francesco Le Courayer, nuovo interprete dell'istoria del Concilio di Trento, di Fr. Paolo Sarpi.* » Prodiit Venetiis Concilium Tridentinum cum collectaneis S. R. decisionum, et S. Cong. Concilii resolutionum ad Conc. Trid., opera et studio Hieronymi Baldassini in-8° 1763. Etiam Venetiis novissima editio facta fuit cum commento Jo. Gallemart, sed locupletata ab Aloysio Guerra, in-4°, tom. 2, 1780. Et cum italica versione in-8° Venetiis 1788, Parisiis, « *Concile de Trente œcuménique et général, célébré sous Paul III, par l'abbé* Chanut, » in-4°, anno 1805. Et Italice: « *Il sacro Concilio di Trento conle notizie più precise riguardanti la sua intimazione per ciascuna delle sessioni, traduzione dal testo latino,* » in-8°, Venetiis 1800.

Quoad editionem, et publicationem declarationum S. Congregationis Concilii sciendum est, quod labente seculo XVI, folia, quæ secretarius Cardinalibus ejusdem S. Congregationis exhibebat, pro commoditate tantum ipsius secretarii, ac officialium Secretariæ typico prælo primum mandata fuerant, ut constat ex libris ipsis decretorum S. Congregationis authographis, ubi dicta folia cum rescriptis inde emanatis manu signatis inserta fuerunt. At sedente Pont. Max. Clemente XII, anno 1739, postremo sui pontificatus, eadem folia una cum decretis typis impressa publici juris facta fuerunt sumptibus Hieronymi Mainardi Urbini, hoc inscripto titulo in primo volumine: « *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii, quæ consentaneæ ad Tridentinorum PP. decreta, aliasque canonici juris sanctiones per manus secretarii ejusdem S. Congregationis Emi ac Rmi Card. de Lambertinis Archiepiscopi Bononiensis prodierunt in causis ab anno* 1718 *usque ad* 1721 *Episcopis, eorumque vicariis, causarum patronis, ac aliis in ecclesiastico foro versantibus apprime utilis, et necessarius.* » Editor nonnullas rationes susceptæ editionis refert *ad Lectorem* in principio dicti voluminis; « et primo, quia non pauci juris ecclesiastici consulti id enixe postularunt. Secundo, quia exactum factorum compendium cum legalibus animadversionibus ad causas in S. Congregatione EEmorum Patrum Tridentini Concilii Interpretum examinandas opportune confecere Præsules a secretis doctrina, ac juris peritia clarissimi, de quibus præcipue fit mentio in fronte cujusque voluminis, ut statim auctores lectoribus innotescant. Tertio, quia resolutiones ejusdem sacri Concessus, veluti tribunalis supremi, quod lectissimis S. R. E. Cardinalibus constat, tanquam leges habentur. Ne itaque diutius

delitescerent, æquum visum est, ut in publicum bonum prodirent, atque in posterum non modo causarum patronis, verum etiam judicibus adjumento essent. Postremo, quia tam in antiquis resolutionibus in causarum synopsi memoratis, quam in recentibus multæ quæstiones, gravesque difficultates ad juris præscriptum expenduntur, et diri- muntur, quæ non ita facile apud doctores tractatæ occurrunt, vel si occurrant, non tanta cum judicii maturitate, factorum et circumstantiarum examine, tum etiam rationum pondere dissolvuntur. »

Ut autem hæc editio utilis esset, Bartholomæus Liversani Brixichellensis J. U. D. triplici indice illam ornavit, primus complectitur titulos causarum, secundus conclusiones in cujusque causæ synopsi allatas; tertius resolutiones, quæ in eisdem causis emanarunt. Quinque volumina in-4° excusa Urbini anno 1739 et 1740 fuerunt; quorum primum ab 1718 incipit et quintus usque annum 1732 pergit. Inde Romæ prodiit volumen 6um anno 1741, complectens annum 1733 usque ad annum 1734, pariter ab eo lem Liversani triplici indice locupletatum. Et anno 1742 in lucem prolatum fuit volumen 7um, continens annum 1735 et annum 1736, quod indicibus ornavit Dominicus Mainardi. Sed volumen 8um, quod complectitur annum 1737 una cum 1738, iterum prodiit indicibus a Liversani compilatis. Anno 1743 palam factum fuit volumen 9um una cum indicibus a Mainardi elaboratis continens annos 1734, 1740. Dicto autem anno 1743 etiam lucem viderunt volumina 10um, 11um, 12um indicibus ab eodem Mainardi impressis continens annos 1741, 1742, 1743 Postmodum annuatim pervulgata fuerunt volumina resolutionum, quæ eodem anno emanatæ fuerunt ab eadem S. Congregatione, et usque ad volumen 15um anno nempe 1745, indices Dominicus Mainardi elaboravit. Sed ad volumen 16um, indices Petrus Moriconi utriusque juris doctor confecit. Postea prodierunt volumina 17um, 18um, 19um, 20um, 21um. D. Antonius de Nigris, doctus jurisconsultus, et in Romana Curia advocatus indicibus cum adnotationibus exornavit volumina 22um et 23um. Deinde iterum indices confecit Dominicus Mainardi ad volumina 25um, 26um, 27um, 28um, 29um, deinceps prodierunt semper in sequentibus annis volumina cum indicibus singulis voluminibus appositis, usque ad annum 1797.

Hujus Thesauri resolutionum S. Congregationis Concilii editio altera prodiit Venetiis in-4° constans voluminibus 32, quæ annum 1771 non prætergreditur.

§ ULTIMUS.

Quid a me in hac Collectione præstitum sit.

Primum mihi id propositum fuit revolvere archivum Sacræ Congregationis Concilii, monumenta scrutari, et quidquid e re nostra erat, sive jam editum foret, sive meditum, studiose describere; et ab anno 1700 usque ad postremam seculi XVIII Congregationum authographa folia, ac decretorum libros cum Thesauri resolutionum Romanæ editionis opere conferre, et variantia adnotare, atque errata emendare, ut accuratam collectionem conficerem. Ingratus quidem, ast necessarius labor, cujus difficultates omnes, et molestias amplæ messis copia recreatus, devoravi. Id eo libentius feci, quo illum sermonem, quem sæpius inter homines graves, et res Sacræ Congregationis Concilii quomodocumque spectantes, callentes, litteris custodirem; et ea, quæ existimavi a summis viris de Sacræ Congregationis Concilii opportune esse dicta, litteris mandarem. Uno verbo efficere conatus sum primo, ut accurata, deinde, ut plana, demum, ut ordinata esset editio.

Totum itaque opus in tres partes dividere mihi proposui. Nam non minus mihi necessarium visum est, de universis causis, ac decretis Sacræ Congregationis, quam de titulis, ac rebus etiam dicere. Prima pars complectitur collectionem omnium decretorum, quæ præfato seculo XVIII, a Sacra Congregatione Concilii prodierunt, una cum selectis antiquis decretis, ordine materiarum, ac temporum servato. Materiarum distributio notionem juris canonici sequuta est; exempli causa; sicut nomen sepulturæ tribus modis sumi potest; primo, pro jure sepeliendi corpora, vel cadavera mortuorum, *arg. Clement. Dudum* 2, *de Sepult.* cum similibus; secundo pro actu, seu officio, quod in comitandis ad sepulturam, et sepeliendis cadaveribus mortuorum impenditur, *C. Dictum*, 105, causa 1, qu. 1. C. *Præcipiendum* s. caus. 113, qu. 2, cum similibus; tertio pro ipso loco, et situ, in quo cadavera sepeliuntur, cap. *Aurum* 69, causa 12, qu. 2, C. *Fraternitatem*, 3, *de Sepult.*; ita materia quoad sepulturam primo modo acceptam reperietur ad caput *Cadaver quoad Sepulturam*, secundo modo ad caput *Cadaver quoad Funus*, tertio modo ad caput *Sepultura quoad electionem*.

In hac collectione elaboranda non minus brevitatem, quam claritatem sectatus sum. Sed diligentia, cum omnibus in rebus, tum in hoc opere plurimum valet; hinc hanc præcipue colui, et semper adhibere curavi, per quam nihil est, quod non assequi liceat. Divisionem ex capitibus, et paragraphis rerum confeci, eorumque indicem præposui, et numero singula decreta obsignavi. Omnia vero dubia ejusdem causæ, modo separando, modo repetendo, juxta materiarum ordinem collocavi. Pertimescenda erat multitudo dubiorum; verum minime omnium prætermisi loci, personarum, factique circumstantiarum notitiam. Et quanquam Sacra Congregatio Concilii

suarum declarationum nullam præbet rationem, quod sacrum tribunal Rotæ consuevit suarum decisionum; tamen omnes coegi rationes, ac animadversiones, quæ passim in operibus Prosperi Fagnani, Cardinalis Petra, Cardinalis Lanfredini, ac Benedicti XIV, ad nonnullas resolutiones inveniuntur. His enim mens Sacræ Congregationis Concilii perspecta erat, quum hi munus secretarii, inde præfecti Sacræ Congregationis ejusdem laudabiliter sustinuerint. Sed magis necessarium mihi visum est, certis luminibus collectionem ornare. Itaque notum est omnibus, quod tanto temporis spatio plurima in jure canonico, ac ecclesiastica disciplina sancita denuo, immutata, confirmata, ac restricta sunt; quamobrem nonnulla decreta, ac resolutiones omnem amiserunt vim. Jus itaque ecclesiasticum novum, quod Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, necnon sacri Concilii Tridentini decretis accessit, collegi, et illis resolutionibus, quæ circa jus novum, aut ampliatum, vel derogatum versantur, adnotationes opportunas subjunxi, ut ea, quæ sint in jure, vel apte describi, vel ornate illustrari possint. Si autem definitio dubii ex instructione ab Episcopo, aliove petita, sive a mente, vel modo inedito pendeat, tunc lector in adnotationibus instructionem, mentem, modumque reperiet, quæ frustra in *Thesauro resolutionum* quæruntur.

Insuper decreta cæterarum Sacrarum Congregationum, si decisio dubii ad easdem remissa sit, accedunt. Singulas prædictas notas suis apponere paginis visum est expeditius, et lectori minus laboriosum. Ecquem enim, dum lectionis impetu fertur, non pigeat ad explanationes procul rejectas, quasi cursu aliorsum flexo digredi, adeoque sedem ex sede singulis pene vestigiis mutare ? Aut si quem non piget, annon tamen easdem malit suis quasque locis annexas esse, ut oculos feriant, in easque statim intendi possit ! Adde quod ad oram textus positas facile sit, cum ipso textu conferre, neque repetendæ præterea voces, ad quas referuntur, cum præsto sint. Sciendum autem est, decreta omnia, etsi, ut jam supra dixi, conferre cum libris authographis studuerim « ea tamen (dicam cum Prospero Fagnano in sua monitione ad lectorem operis inscripti, *Commentaria in quinque libros decretalium*), minime habenda pro authenticis, scire debes, quando Emi Card. præfecti, et secretarii subscriptione, signoque carent. Neque aliud mihi consilium, aut voluntas alia; imo, si quid fortasse vel amanuensis incuria, vel imperitia typographi, vel imbecillitate humanæ mentis exciderit, nota, et animadversione dignum, id totum ejusdem Sacræ Congregationis auctoritati, judicio, censuræ ultro subjicimus. »

In secunda collectionis parte, omnium causarum, quæ in Sacra Congregatione a prædicto anno 1700 usque ad 1800 resolutæ fuerunt, titulos per diœceses expressos exhibui; una cum titulis causarum, quas ex veteribus selegi. Ordinem diœcesum alphabeticum servavi, et titulos singulos adnotationibus geographicis exornavi, ut urbs, provincia, in qua sita est diœcesis, ejusdemque subjectio innotesceret. Ex his, ubi alio tempore diversimodo aliqua diœcesis nuncupata sit, apparebit. Aliæ quoque adduntur ad titulos notæ, a quibus relatio inter se causarum, personarum, locorum evincitur

Denique multum etiam elaboravi, ut congeriem conclusionum rerum, quæ in *Thesauro resolutionum* passim deprehenduntur, absolverem, quod tertiam constituit operis partem. In ea tanta est varietas, tanta copia earum conclusionum, ac materiarum ecclesiastici juris, ut difficile sit, ea penes aliquem invenire Plurimorum doctorum, jurisconsultorum, prudentum consilia, sententiasque secretarii Sacræ Congregationis diligenter collegerunt, et quibus in causis, dubiisque exponendis usi sunt, ut varia doctorum, et canonistarum judicia in propositis controversiis expenderentur. Equidem plurimum conferunt prædicta consilia, ac sententiæ in forensi exercitatione, quia sunt suggerenda firmamenta causæ conjunctæ, unde pro infirmandis contrariis, et suis confirmandis, argumentum ad cujuslibet causæ confirmationem ex illa congerie sententiarum erui potest. Atque inde alia etiam fluxit utilitas, quod talis in unaquaque materia consistit ordo, ut res singulæ plerumque suam habeant definitionem, divisionem, declarationem, ampliationem, limitationem, prænotata, et corollaria; quæ omnia non indicem, sed amplam diversorum tractatuum syllogem appellare possimus.

Verum illas sententias, et conclusiones, quæ omnem vim sumunt ex decretis S. Congregationis Concilii, prætermisi, et inter resolutiones ejusdem Congregationis evulgavi. Hæc enim ejusdem auctoritatis sunt. Eas autem in authographis libris decretorum conferre primum volui, et integras illas resolutiones extraxi, atque suis in locis collocavi, et quas nunquam reperire valui, omisi. Editionem præterea in-4° suscepi, ut ea cum *Thesauri* libris seriem efficere possit. Religiosum duxi, ubi commode potui, verba decretorum, ac in adnotationibus verba tum Concilii Tridentini, tum Constitutionum Apostolicarum, aliorumque fontium canonicæ jurisprudentiæ adhibere; ut unusquisque variis auctorum ductus sententiis litteralem canonicam dispositionem ante oculos habeat. Ordo autem alphabeticus mihi visus est opportunus, quem sequor. Multo facilius reperit lector, quæ requirit. Nec mihi vitio vertes, si aliquid in hoc opere me fugerit, cum recte intelligitur, in tanta dubiorum, rerumque multitudine, vix cuiquam integrum esse, omnia referre.

COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA, ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES, SÆCULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT.

PARS PRIMA.

DE DECLARATIONIBUS.

ABBAS.

§ I.

Abbas quoad benedictionem.

Pater Deodatus Drion electus abbas monasteriorum Stabulensis et Melmundariensis habet facultatem ad sui libitum suscipiendi benedictionem ab Archiepiscopo Coloniensi, vel Episcopo Leodiensi ad formam litterarum Apostolicarum; etiamsi in abbatem alterius ordinis regularis electus fuerit; quum monasteriis inter se æque principaliter unitis, quorum alterum in Leodiensi diœcesi, alterum intra archiepiscopatus coloniensis limites reperitur erectum, præsit: *Colonien. seu Leodien.*, *Juris benedicendi, 2 aug.* 1738, *dub.* 1.

§ II.

Abbas quoad collationem minorum ordinum.

1. Etsi unus abbas regularis ordinis S. Benedicti Parmensis diœcesis habeat jus deferendi mitram, et baculum; quoniam autem Concil. Trid. Sess. 23, cap. 10, *de Reform.*[1] prohibet, abbati-

[1] Ubi cautum est, « abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, infra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre. »

De abbatum, seu prælatorum inferiorum speciebus diserte loquitur Benedictus XIV, Pont. Max., *de Synod. diœces.*, lib. 2, cap. 11 seqq., tom. 12, pag. 59. « Prima est eorum, qui certo præsunt generi personarum, existentium intra septa alicujus ecclesiæ, monasterii, seu conventus, cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi : ejusmodi sunt superiores regulares, et nonnulli prælati seculares, qui una cum ecclesia, ejusque ecclesiæ clericis, et administris, quibus præficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici.

« Secunda species est prælatorum habentium jurisdictionem activam in clerum, et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi diæcesim, a qua undique circumscribitur; et ejusmodi prælati improprie tantum, et lato quodam loquendi modo dicuntur esse *Nullius.*

« Tertia species est prælatorum, qui jurisdictionem activam habent in clerum, et populum alicujus loci, seu oppidi, aut plurium locorum, seu oppidorum, quæ omnino evulsa, et separata sunt a cujuslibet Episcopi diœcesi; quapropter dicuntur constituere quamdam quasi diœce

bus, ne possint tonsuram, vel minores ordines cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit intra fines alicujus diœcesis conferre; quærit tamen a S. Congr. Concilii, an de consensu Episcopi Parmensis possit conferre dictos ordines? S. Congr. censuit, posse de licentia Ordinarii loci, et cum litteris dimissoriis Ordinarii eorum qui ordinandi sunt: *Parmen.*, *mensis aug.* 1586, *dub.* 1.

2. Et ad dubium; an sufficiat licentia vicarii generalis dicti Episcopi habentis facultatem concedendi litteras dimissoriales? respondit, non sufficere licentiam vicarii generalis, nisi habeat ad id speciale mandatum: *Ibid.*, *dub.* 2.

3 Declaravit S. Congr. abbatem habentem privilegium Pontificium [2], ut possit ea omnia facere, quæ possunt abbates Benedictini, qui de mandato vicarii apostolici quibusdam secularibus non sibi, sed ipsi vicario subditis primam tonsuram, et ordines minores contulit, contravenisse Concilio [3], et Constitutioni Sixti V [4]: *Cremonen.*, 13 *junii* 1591, *dub.* 1.

4. Censuit S. Congr. facultatem ordines confe-

sim, ubi prælatus, iis exceptis, quæ ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quæ cæteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinerent: hujus generis prælati inter inferiores nobilissimi sunt; dicuntur vere, et proprie *Nullius*, et veris annumerantur Ordinariis locorum.» Hinc vigore allati Tridentini decreti, cap. 10, sess. 23, *de Reform.*, complectentis omnes abbates, seu prælatos inferiores etiam seculares, licet sint tertiæ speciei, habentes videlicet proprium territorium separatum a cujuscumque Episcopi diœcesi; cum clero, et populo, in quem pleno jure exercent jurisdictionem activam, et quasi episcopalem, adempta est eis facultas, si quam olim habebant, conferendi tonsuram, et minores ordines suis subditis secularibus; ita ut horum ordinatio spectet ad Episcopum viciniorem, et ad Episcopum diœcesis, si abbatia, seu territorium abbatis, quamtumvis exemptum, situm sit intra ejusdem diœcesim: nisi forte hujusmodi potestatem iterum post Tridentinum impetraverint a Sede Apostolica cum expressa ejusdem Concilii derogatione; ut recte animadvertit idem Benedictus XIV, cit. loc., cap. 11: « Concilium (inquit) præcedentia privilegia abrogavit; sed ab iisdem in posterum concedendis non potuit Apostolicam Sedem impedire; ut ad rem ponderat. Fagnanus in cap. *Statuimus*, *de Suppl. negl. Præl.* » Item adempta est abbatibus regularibus, qui hodie solis suis regularibus subditis, et quidem professis, dictos ordines, et tonsuram conferre possunt. Insuper eisdem abbatibus interdictum est præfatos ordines, et tonsuram conferre regularibus alterius ordinis, licet habeant dimissorias suorum superiorum, et consensum Ordinariorum, intra quorum diœcesium fines ipsi regulares ordinandi existant quamvis olim potuissent abbates facere vigore præsentis declarationis Sacræ Congregationis Concilii. Hæc autem censuit contrarium tenere *in Causa Cataniensi*, 15 *febr.* 1642, *num.* 5.

[2] Eugenius IV, Pont. Max., Const. *Regularem vitam*, 30 junii 1436, in favorem abbatum regularium congregationis de observatione S. Justinæ nuncupatæ ordinis S. Benedicti, § 18 (*Bull. Rom.*, tom. 3, part. 2, pag. 16), ait: « Volentes insuper, quod prælati congregationis præfatæ licet munus benedictionis non acceperint, perinde tamen monasteria ipsius congregationis regere, et administrare, et omnes actus in ipsis valeant exercere, ac si munus hujusmodi fuerint consecuti. » Hanc sanctionem sequuta sunt plurima hujusmodi pontificia privilegia abbatibus regularibus concessa, quæ confirmavit Benedictus XIII, Pont. Max., in Const. *Commissi*, 6 maii 1725, § 4, hisce verbis: « Quo vero ad abbates, quibus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris indultum fuit, ut a suis superioribus regularibus, vel ab eorum prælatis delegatis, benedictionem sumere possint; vel etiam per speciale Indultum apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, et apostolica, quibus gaudent, privilegia, ubique inconcusse observari præcipimus, et mandamus. » (*Bull. Rom.*, tom. 11, part. 2, p. 407). De hoc pontificio privilegio loquitur erudite Card. Petra in *Comment. ad Const. IX, Pii II*, num. 11 seqq., tom. 5, p. 162 seqq.

[3] Vide not. 1.

[4] Quæ incipit *Sanctum et salutare*, 5 januarii 1588 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 1, pag. 40, ubi inter Const. anni 1589 recensetur), et discernit varias pœnas Episcopis, vel alterius male aliquos promoventis, ne inter cætera Prælati permittant ab alienis Episcopis clericos suæ diœcesis ordinari, et ne ordinent clericos alienæ diœcesis, nisi habeant Ordinariorum suorum litteras commendatitias. Hæc vero Constitutio abrogata, et redacta est ad terminos juris communis, Const. *Cum ex sacrorum ordinum*, 17 novem. 1461 (*Bull. Rom.*, tom. 3, part 3, p. 109), Pii II, editæ contra clericos ad sacros ordines male promotos, et Concil Trid. a Clem. VIII. Const. *Romanum Pontificem*, 28 febr. 1596 (*Bull. Rom.*, tom. 5, p. 2, pag. 97), exceptis pœnis contra simoniace ordinantes, et ordinatos inflictis. Rationem hujus Const. idem Pont. Summus affert, § 2, quod « in dictis litteris nihil fere, quoad ea, quæ in ordinum collatione servanda sunt, disponi ultra id, quod in sacris Canonibus, et in Concilii Trid. decretis, et aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutionibus dispositum fuit, sed pœnas dumtaxat varias, tam seculares quam cujusvis ordinis, instituti, et militiæ regulares male promotos constitui, absolutionemque, et dispensationem Sedis Apostolicæ reservari, et alias, sicut in præfatis litteris continetur. » Hinc licet olim Episcopus, seu alius Prælatus ordinans subditum alienum sine licentia proprii Episcopi esset suspensus per annum a celebratione Missarum ex Can. 18, *Episcopus in diœcesim*, cap. 7, quæst. 1; hodie ex cap. *Eos qui de tempore Ordin. in*-6, incurrit pœnam suspensionis a collatione ordinum per annum, si id facere præsumpserit, vel affectata ignorantia, aut quocumque alio quæsito figmento. Hæc autem decretalis nedum confirmata est a Trid., cap. 8, sess. 23, *Una cum*, cap. 5, sess. 6; sed etiam ampliata, declarante ordinantem dictam pœnam ipso facto incurrere, etiam citra præsumptionem. Et hac de re Card. Petra in *Comment. ad Const. VII, Pii II*, sect. unic., num. 34, tom. 5, p. 151, ista sentit cum Fagnano: « Episcopus ordinans sine litteris dimissoriis proprii Ordinarii, est suspensus per annum a collatione ordinum non per Pianam, sed per Concilium

rendi cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, sublatam esse a Concilio inferioribus prælatis; ideoque hujusmodi facultas, quoad loca, et personas, de quibus quæstio agitur, spectat ad solum Archiepiscopum Theatinum, intra cujus diœcesis fines ipsa loca existere comperiuntur: *Theatin.*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 1.

5. Quoad quæstionem juris conferendi ordines minores inter Episcopum Cataniensem ex una, et monachos ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, et alios ex altera, S. Congr. inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27 april. 1592 *cor. Card. Serafino* factæ, necnon declarationibus ejusdem S. Congr. decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, abbates regulares benedictos, ejusdem congregationis Cassinensis, aut alterius congregationis, vel ordinis, aut instituti, habentes etiam jura episcopalia, seu quasi episcopalia, usumque mitræ, baculi, et benedicendi, ac facultatem primam tonsuram, et alios minores ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios minores ordines, nisi suis subditis regularibus conferre; non autem regularibus alterius congregationis, ordinis, et instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Ordinariorum, intra quorum diœcesium fines ipsi regulares ordinandi existunt, et multo minus personis secularibus, etiam habentibus litteras dimissoriales a suis Ordinariis; ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, et aliis prælatis inferioribus, tam secularibus, quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias hujusmodi abbatibus directas; nec ab ipsis recipi Quod si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes a collatione ordinum suspensi ipso jure remanerent, præter alias pœnas arbitrio ejusdem S. Congr. reservatas. Hanc declarationem, die 17 januar. 1642, Sanctitas Sua Urbanus VIII, Pont. Max., approbavit, et consolidavit ordinationes hucusque factas ab hujusmodi abbatibus, et inde S. C. decretum publicavit, et observari mandavit: *Catanien.*, 15 febr. 1542 [5].

6. Abbatem non Benedictum, si habeat privilegium speciale apostolicum conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre; secus si id ei non fuerit ex privilegio apostolico concessum, S. Congr. decrevit: *Panormitana*, *Collationis ordinum*, 16 *martii* 1647, *dub.* 1.

7. Indeque resolutum fuit, eumdemque abbatem non benedictum habentem privilegium ut supra, non posse ordines minores conferre non suis subditis etiam regularibus alterius ordinis: collatione autem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus facta, si fuerit de ordinibus etiam minoribus, et dictus abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos, et ordinatos indigere alia ordinatione. Si vero abbas non benedictus habeat privilegium, et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed tantummodo absolutione, et rehabilitatione a Sede Apostolica obtinenda: *Ibid.*, *dub.* 2 [6].

cit. cap. 8, sess. 23, confirmatum in Bulla *Speculatores* Innocentii XII, estque suspensus ab ordine sic male collato, et a majori; v. g. si contulerit diaconatum, erit suspensus a collatione istius, et præsbyteratus, secus autem a collatione minoris. Fagnanus iu cap. *Vel non est compos*, num. 16, *de Temp. ordin.* » Clemens VII, cit. Const. ad terminos dispositionis præfatæ tum juris communis, tum Concil. Trid. reduxit Const. Sixti V, exceptione prædicta, aliis in eadem Sixtina Const pœnis abrogatis.

[5] At contrarium asserit Benedictus XIV, cujus hæc sunt verba. « Quod autem ad alteram pertinet quæstionem de ordinationis validitate, jam plerique doctores sustineri docuerunt primam tonsuram, minoresque ordines a prædictis abbatibus collatos, aut regularibus sibi non subditis, aut secularibus in suis privilegiis non comprehensis; ita quippe asseruerunt Suarez *de Relig.*, tom. 4, tract 8, lib. 2, cap. 29, Fagnanus in cap. *Statuimus*, *de Suppl. neglig. Præl.* Huic vero sententiæ calculum subinde adjecit S. C. Concilii, quæ illicitam quidem habuit, sed validam semper pronunciavit ordinationem, de qua disseruimus; addidit tamen, *promotos ab illis indigere absolutione* (a suspensione), *et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda*, ut habentur, lib. 18 et 19, Decr. et in *Thesaur. resolut.*, tom. 3, p. 288 et 296. Quare ut, quam versamus, controversiam, paucis absolvamus: aut abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam tonsuram, et minores ordines; aut privilegio potitur eadem conferendi certo personarum generi. Si primum, nec licite, nec valide potest quemquam ad primam tonsuram, minoresque ordines promovere: si alterum: illicite profecto, attamen valide primam tonsuram, minoresque ordines etiam aliis confert, qui cæteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas. » (Libri 2 cap. 10, *de Syn. diœc.*, num. 13, tom. 12, p. 65.)

[6] Aliud hujusmodi adest decretum S. Congregationis Concilii, 26 junii 1665 jussu, et approbatione Alex. VII, Pont. Max., editum, quod abbates monasteriorum S. Benedicti, seu Cisterciensis ordinis in diœcesi *Portalegrensi*, ubi censuit eadem S. C. dictos abbates sibi non subditis non potuisse tales ordines conferre; promotos autem ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione, et dispensatione, sive rehabilitatione ab eadem Sede Apostolica obtinenda: hujusmodi vero abbates non potuisse conferre sacramentum confirmationis, et ab illis confirmatos indigere nova confirmatione. Hoc decretum enunciatur in Const. *Nuper*, 12 dec. 1667 (*Bull. Rom*, tom. 6, part. 6. pag. 225), qua dictus Pontifex absolvit diœcesanos, et capitulum et canonicos ecclesiæ Portalegrensis a censuris et pœnis ecclesiasticis, quas respective illi incurrerunt. Nam capitulum, sede va-

8. Ac in dubio, an abbas regularis non benedictus conferens ordines minores non subditis in loco existente in diœcesi Episcopi, possit ab Episcopo diœcesano de hujusmodi collatione puniri? responsum fuit, abbatem non benedictum habentem privilegium conferendi ordines minores, si conferat suis non subditis regularibus, quamvis in loco exempto in diœcesi Episcopi existente posse ab eodem Episcopo puniri juxta præscriptum sac. Canonum [7]: *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Abbas congregationis S. Bernardi et S. Benedicti, ordines etiam minores regularibus sibi non subditis, et multo minus secularibus conferre non possunt: promoti vero ab illis non indigent alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione, et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda: *Colimbrien.*, 26 *junii* 1655 [8].

10. Quum inter abbatem S. Barbaræ charactere Episcopi in partibus decoratum, et Episcopum Mantuanum contentiones exortæ fuerint, propositis congruis dubiis super ipsius Episcopi Mantuani querelis, S. Congr. decrevit, abbati adscribere ad servitium ecclesiæ numerum indefinitum, et effrænatum clericorum, eisque minores ordines conferre; etiamsi prædictæ personæ, et clerici adscripti nobiles existant, vel ex alia qualitate nunquam prædictæ inserviant ecclesiæ, non licere; quum sæpe sæpius mediante eadem adscriptione ordines contulerit illismet, qui per ipsum Episcopum Mantuanum fuerint rejecti, et improbati: *Mantuana*, *Jurisdictionis*, 16 *martii* 1680, *dub.* 1.

11. Indeque censuit, neque aliis etiam quibuscumque exteris, et forensibus, neque sibi, neque Mantuano Episcopo subjectis eosdem ordines conferre posse; et contingente, uti ad præsens, quod idem abbas accidentaliter existat decoratus aliquo titulo episcopatus in partibus infidelium, pariter alienigenas non posse ad omnes sacros ordines promovere: *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Opinantibus olim abbatibus ordinis S. Benedicti regnorum Portugalliæ jurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potiri, dubio proposito, an iidem abbates possint suis subditis secularibus ordines minores conferre? rescripsit S. Congr. negative: 7 *aug.* 1619, *dub.* 2. Deinde quæsitum fuit; an præfatum decretum comprehendat hodiernos abbates ordinis Cisterciensis S. Mariæ de Salzedas, S. Joannis de Tharouca, et S. Petri das Aquiras in regnis Portugalliæ habentes subditos laicos? resolutio fuit protracta cum clausula, quod interim se abstineant in omnibus: *Lamacen.*, *Jurisdictionis*, 13 *aug.* 1707. Inde responsum præbuit affirmativum pro comprehensione decreti: 26 *januar.* 1709, confirmata 16 *decem.* 1713, *dub.* 1 [9].

13. Abbas Lubensis visitator, et vicarius generalis ordinis Cisterciensis, cæterique ejusdem provinciæ abbates presbyteri non benedicti ab Episcopo, sed ab eodem patre generali, vel ejus subdelegatis, possunt tonsuram, et minores ordines suis subditis regularibus conferre; ita ut, nisi aliud ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius ordines majores illis conferre: *Uratislavien.*, 12 *febr.* 1724.

14. Abbas monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis potest tonsuram, et minores ordines monachis sibi subditis, non autem aliis regularibus sibi non subditis conferre. *Brixinen.*, 12 *dec.* 1733, *dub.* 6.

15. Nec licet eidem tonsuram, et minores ordines secularibus aliarum diœcesum cum dimissoriis suorum Ordinariorum, et sine Episcopi Brixinensis licentia conferre: *Ibid.*, *dub.* 7.

16. Dubio exhibito, an abbas monasterii SS.

cante quibusdam abbatibus hujusmodi sacra conferendi facultatem concesserat. Si autem quæretur, an ordinatio facta a prædictis abbatibus contra tenorem declarationis S. C. *in Catanien.* sit illicita tantum, aut etiam invalida? respondit Benedictus XIV, uti habetur in nota præcedenti num. 5.

[7] Scilicet vigore decretalis *Eos qui de temp. ordin.* in 6°, ubi cautum est: « Eos qui clericos parochiæ alienæ (id est diœcesis) absque superioris ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare: per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos; » quam confirmavit ampliavitque Concil. Trid., sess. 23, cap. 8; sess. 6, cap. 5 *de Reform.* Vid. not. 4.

[8] Vide not. 6.

[9] « Quia circa hoc jus nulla suffragari potest qualitas *Nullius*, ne a viciniori Episcopo concedantur, nulla præscriptio, neque quadragenaria cum titulo colorato, neque immemorabilis, sed requiritur privilegium apostolicum. » Card. Petra, *Comment. ad Const. IV*, *Calixti III*, sect. 2, num. 68, tom. 5, p. 62. Et idem constat ex alia antiquiori declaratione S. C. Concilii in Theatina die 20 dec. 1614 (lib. 2, Decret., pag. 45), in qua censuit S. C.: « Donec per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam transierit, abbatiam S. Joannis in Venere ac loca illi subjecta, seu ab ea dependentia, nullius diœcesis esse constiterit, spectare ad Archiepiscopum solummodo causas matrimoniales ibi, et criminales cognoscere, licentias concionandi concedere, ac sacerdotes ad confessiones audiendas approbare. Litteras vero dimissoriales ad ordines suscipiendos, etiamsi prædicta abbatia probetur esse vere in statu nullius, nullatenus esse decernendas a rectore domus probationis societatis Jesu Atrien. diœcesis, cui dicta abbatia, ut proponitur, unita est, verum hoc jus ex Tridentini Concilii decretis ad ipsum Archiepiscopum pertinere. »

Petri, et Pauli canonicorum regularium D. Augustini Weyarensis habeat facultatem primam tonsuram, minoresque ordines suis subditis regularibus conferre, etiam absque benedictione episcopali? S. C. respondit dilata et ad mentem: *Frisingen.*, 3 *april.* 1745. Inde negativum dedit responsum; etiamsi prædecessores facultatem mitra, baculo, aliisque insigniis pontificalibus utendi ab Innocentio XII, Pont. Max., Episcopo tamen annuente, habuerint; sed ab ordinum collatione se abstinuerunt: 17 *sept.* 1746.

Reliqua. Vide verb. ***Sacramentum ordinis***, §§ 2 et 6.

Abbas commendatarius. Vide *Abbas.*

§ III.

Abbas quoad curam animarum.

1. S. Congreg. censuit abbates destinatos ad curam animarum non posse absque Episcopi approbatione illam exercere: *Olomucen., Jurisdictionis,* 14 *julii* 1665, *dub.* 3.

2. Et quæsito, an abbates, et alii prælati inferiores in parochiis, ubi habent purum juspatronatus acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo diœcesano præsentare sacerdotes seculares, ut ante laici tenebantur; an vero possint substituere monachos, eosque pro libitu, non salutato Ordinario removere, et sic Episcopo jurisdictionem, et reliqua jura subtrahere? responsum fuit, teneri, nec posse substituere ad libitum: *Ibid., dub.* 7.

3. Abbas curatus per seipsum administrationem sacramentorum omnium, et functiones parochiales omnes, quæ in collegiata et parochiali ecclesia S. Jo. Baptistæ terræ Angri omnino explendæ sunt, agere debet; ita ut non tantum eas, quas maluerit, sed, si quas agere non possit, ex quatuor canonicos concuratos, quibus ecclesia parochialis una cum abbate tanquam capite componitur, coadjuvari debeat: *Nucerina Paganorum, Functionum parochialium, et servitii chori,* 15 *dec.* 1708 *dub.* 1, confirmata 14 *junii* 1710.

4. Et dictus abbas tempore absentiæ a residentia non tenetur sui vice œconomum pro exercitio curæ animarum *in casu, de quo agitur,* constituere: *Ibid, dub.* 2.

5. Missamque lectam parochialem pro populo applicandi onus ad eumdem abbatem spectare S. Congr. definivit: *Ibid. dub.* 6, confirmata *ibid.*

6 Habet abbas monasterii, et abbatiæ S. Paterniani canonicorum regularium S. Salvatoris Fani habitualem curam animarum, quum actualis penes vicarios amovibiles resideat, ecclesiarum parochialium S. Antonii abbatis Castri Podii, S. Laurentii Castri Cerasæ, et S. Mariæ Majoris, quæ alias in numero animarum superat; in hac præter vicarium addere capellanum curatum vicarii censuerunt; et re in S. Congr. delata, ad hoc abbatem teneri statuit: *Fanen., Parochialium,* 14 *nov.* 1716 *dub.* 1.

7. Minime autem idem abbas tenetur in ecclesia S. Antonii abbatis Castri Podii, ad quam ultra 20 Castri incolæ, pueris exceptis, alii 147 parochiani territorium habitantes pertinent, alium capellanum curatum adjungere: *Ibid., dub.* 2.

8. Neque ad onus prædictum capellanum curatum addendi in favorem paræciæ S. Laurentii Castri Cerasæ, in quo adsunt adulti parochiani 71, et extra Castrum 260, dictus abbas tenetur: *Ibid., dub.* 3.

9. Sequuta unione ecclesiæ parochialis S. Donati oppidi ejusdem nominis cum ecclesia collegiata, et parochiali SS. Mariæ et Marcelli dicti oppidi, exortæ fuerunt nonnullæ quæstiones inter abbatem, seu parochum S. Mariæ et archipresbyterum ejusdem ecclesiæ circa præcedentiam et functiones parochiales; etiamsi constitutione synodali cautum fuerit, animarum curam esse penes abbatem, alios teneri illum coadjuvare; quod etiam legitur in visitatione anni 1687. Hinc S. Congr. decernere censuit, ad abbatem privative exercitium actualis curæ spectare, coadjuvandum tamen archipresbytero et præbendariis. *Sorana, Jurium parochialium,* 5 *maii* 1731, *dub.* 1, confirmata 1 *dec. ejusd. anni.*

10. Imo functiones singulas parochiales, quæ tam intra, quam extra ecclesiam prædictam fiunt, ab abbate, non ab archipresbytero esse peragenda resolvit; et quoad functiones non parochiales et stolæ delationem, servari solitum mandat: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

11. Absolutionem super defunctis ab abbate non ab archipresbytero expleri debere voluit S. Congr. *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

12. Ac in supplicatione, quæ in festo Sanctissimi Corporis Christi peragitur, præcedentiam abbati non archipresbytero deberi statuit: *Ibid., dub.* 4, confirmata *ibid.*

13. Nec abbatem vero, nec archipresbyterum in præfata ecclesia collegiata primam dignitatem esse, censuit: *Ibid., dub* 5, confirmata *ibid.*

14. Et quoad primum locum, et præcedentiam tam intra quam extra dictam ecclesiam, et quoad thurificationem in functionibus parochialibus, omnia spectare ad abbatem, in reliquis servari solitum sancivit: *Ibid., dub.* 6, confirmata *ibid.*

15. Nec tam abbati, quam archipresbytero cumulative titulum rectoris competere, sed tantum

abbati arbitrata est S. Congr. *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

16. Et dubio, an singulæ hebdomadæ initium sumere ab abbate, sive archipresbytero debeant? servari solitum putavit : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

17. Abbas monasterii Alderspachii præsentare Episcopo tenetur vicarios, et parochos sive regulares, sive seculares in ecclesiis, quibus cura animarum imminet, eidem monasterio unitis, seu ab eo despendentibus, vel in quibus juspatronatus habet monasterium ; ac ii ab eodem Episcopo reportare approbationem ad curam animarum debent juxta decreta S. C. edita anno 1661 [10]; *Passavien.*, *Parochialium*, 28 *julii* 1731, *dub.* 1.

18. Atque idem abbas potest dictos vicarios seu cooperatores in cura animarum ad libitum removere, sed certiore facto Episcopo ; non autem alios subrogare in exercitio curæ animarum : *Ibid.*, *dub.* 3.

19. Abbas monasterii S. Vincentii ordinis Præmonstratensis civitatis Uratislaviæ sive religiosi ab eo deputati exercere non possunt omnimodam jurisdictionem parochialem quoad inservientes monasterio intus, vel intra ejusdem septa degentes ; sed tantum eis ministrare sacramenta Eucharistiæ, etiam tempore paschalis , et extremæ-unctionis posse, necnon sepulturam in propria ecclesia dare juxta decretum editum in Mediolanen. 1587 [11] : *Uratislavien.*, *Jurium parochialium* , 25 *januar.* 1738..

20. Abbates cujuscumque ordinis, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, et Benedictini non possunt ad curam animarum secularium, et non commensalium in parochiis diœcesis Olomucensis, licet illæ monasteriis exemptis sint unitæ, et annexæ, sive sint de jure patronatus, destinari ; illamque exercere sine Episcopi approbatione : *Olomucen.*, *Jurisdictionis*, 7 *junii* 1755, *dub.* 3, confirmata 2 *aug.* *ejusd.* *anni*.

21. Ac abbatibus haud licet præsertim Cisterciensibus pro libito, et sine Episcopi licentia pro parochiis modo unam, modo alteram ecclesiam, sive capellam, in qua sacramenta a parochis fidelibus diœcesis Olomucensis administrentur, constituere : *Ibid.*, *dub.* 4.

22. Item abbates, seu prælati regulares cujuscumque ordinis illi sint, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses , et Benedictini , ubi purum juspatronatus parochiarum acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, habent, Episcopo præsentare sacerdotes seculares , ut antea laici obstricti erant , tenentur ; nec possunt vero monachos substituere, eosque Episcopo vetante, aut non certiore facto, removere : Ita S. Congr., quam Episcopus de Troyer consuluit, definivit : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

23. Abbati regii monasterii Benedictinorum in oppido de Carrion ordinis Cluniacencis animarum curam parochialis ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ per presbyterum sive secularem , sive regularem, ad ejus nutum amovibilem , exerceri facere sine Ordinarii Palentini licentia , approbatione, et examine non licere firmatur : *Palentina*, *Juris visitandi*, 26 *feb.* 1764, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Cura animarum.*

§ IV.

Abbas quoad dignitatem, officium, potestatem et jurisdictionem.

1. Declaravit S. Congr., examen, et edicta proponere, et alias provisiones facere juxta cap. 18, sess. 24, *de Reform.* [12], in nonnullis locis nullius

[10] Urgentibus olim pluribus controversiis « inter Episcopum Passaviensem, et abbates monasteriorum in ea diœcesi existentium , circa exercitium curæ animarum in parochialibus ecclesiis, quæ erant annexæ, vel incorporatæ ipsis monasteriis exemptis, vel de eorum jurepatronatus, novem dubia proposita fuerunt in S. C. die primo octob. 1661. Tertium quidem his verbis conceptum erat : An parochi etiam regulares monasteriorum, ut supra, quamvis exemptorum, possint curam animarum exercere in dictis parochiis sine approbatione Episcopi? fuitque responsum *negative*. Octavum vero ita se habebat : An abbates et alii prælati regulares in parochiis, ubi habent purum juspatronatus acquisitum , vel cessum a laicis , quibus in hoc succedunt, teneantur diœcesano Episcopo præsentare sacerdotes seculares , ut antea laici tenebantur ; an vero possint substituere monachos, eosque pro libito, non salutato D. Ordinario, removere, et sic Episcopo jurisdictionem et reliqua jura subtrahere? prodiitque responsum : Teneri, nec posse substituere ad libitum. » Lib. 22, Decret. pag. 663.

[11] In qua causa discusso dubio 5, an laicis qui intra claustra regularium habitant, et illis actu inserviunt possint regulares sacramentum Eucharistiæ etiam tempore Paschæ, et extremæ-unctionis ministrare ; necnon in eorum ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare? responsum est : Posse, sub mense junii 1587 : *Rel. lib.* 4, *Decret.* *pag.* 267 *et seqq.*

[12] In quo cautum est, quod dum contingit ecclesias parochiales vacare, examen præmissis edictis per concursum peragi, eorumque, qui sunt examinandi, qualitates describi debeant ; insuper quæ sunt observanda, si ecclesia sit jurispatronatus ecclesiastici, vel laicorum, statuit. Hodie autem quædam peculiaris forma, seu methodus servanda pro examine in concursu illorum, qui ad ecclesias parochiales sunt promovendi, exhibetur tam in litteris Encyclicis Clementis XI, ad Ordinarios locorum expeditis die 10 januar. 1721, quam in Const. Bened. XIV *Cum illud*, 14 dec. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 98), in qua præfatæ Encyclicæ litteræ sunt insertæ. Circa tempus decem dierum Episcopo, et patronis præfixum ad nominan-

diœcesis, ac ut præfertur, liberis exemptis, ac Cassinensibus abbatibus plenarie quoad jurisdictionem spiritualem tantum subjectis, spectare ad Episcopum tantum, et non ad alium inferiorem ; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili quisquis haberet hoc jus cumulative cum Episcopo in loco suæ jurisdictionis ; dummodo in ipsius Episcopi diœcesi parochialis posita sit. Quod si parochialis non sit intra fines diœcesis alicujus Episcopi, et inferior Episcopo omnimodam habeat jurisdictionem episcopalem, nec alicui subdatur, sed est immediate subjectus Sedi Apostolicæ, nullius diœcesis, proprium territorium habens, si habeat jus congregandi synodum, et legitime constet, et illam congregasse, et congregare, et elegisse, et eligere examinatores, poterit concursum instituere; examinare, et approbare, œconomos vicarios deputare, et alia facere, quæ præscribuntur cap. 18, sess. 24 [13] : *Cassinen.*, *febr.* 1588, *dub.* 5.

2. Et quæsito, ad quem interdicti ab Episcopo pro absolutione saltem ad cautelam obtinenda accedere debeant ; et an abbates, qui, ut præfertur, in locis sibi subditis, habent plenariam jurisdictionem quasi episcopalem, possint illos sic interdictos ac loca interdicta, tanquam id de facto, potius quam servata forma sacrorum Canonum processerit, auctoritate ordinaria ipsorum abbatum absolvere, et relaxare? respondetur ad primam partem accedere debere ad eum, qui interdictum relaxavit; ad secundam non posse : *Ibid.*, *dub.* 6.

3. Rescripsit S. Congr. inferiorem Episcopo, si modo habeat omnimodam jurisdictionem episcopalem, nec alicui subdatur, sed sit immediate subditus Sedi Apostolicæ nullius diœcesis, et proprium habeat territorium, si jus habeat congregandi synodum, et legitime constet, illam congregare, posse quidem concursum parochialium vacantium instituere, atque alia peragere, quæ ipsius Concilii decreto præscribuntur cap. 18, sess. 24, *de Reform.* [14]; verum priusquam se has omnes, et singulas qualitates habere docuerit, id jus in locis supradictis ad Archiepiscopum tantum pertinere : *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 2.

4. Quamdiu prælatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad eumdem Archiepiscopum dumtaxat spectare de causis absentiæ parochorum cognoscere, illisque abscedendi facultatem impertiri, atque in ipsorum locum vicarios sufficere prævio examine approbandos ; sacerdotes item sive seculares, sive regulares approbare ad confessiones personarum secularium audiendas, licentiasque concionandi concedere, sacramentum chrismatis ministrare, et causas matrimoniales, et criminales ad forum ecclesiasticum spectantes cognoscere : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Quod si inferior ex immemorabili consuetudine prædictas causas cognoscere consueverit, hujusmodi consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam. Cæterum, donec illam probaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in vim judicatam transierit, causas ejusmodi a solo Archiepiscopo esse cognoscendas : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Censuit S. Congr. abbatem non posse synodum congregare, quamvis habeat jurisdictionem quasi episcopalem, nisi habeat etiam jus synodum congregandi : *Nullius*, 17 *aug.* 1626.

7. Inferiores Prælati non possunt casus sibi reservare, nisi jurisdictionem quasi episcopalem in eo loco obtinuerint, et nulli diœcesano subsint; nec

dum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus in Const. S. Pii V. *In conferendis*, 18 martii 1567, § 5 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 2, pag. 363) iisdem prohibentur, ne illud audeant, vel præsumant prorogare. In hac Const. ampliatum est, præter collationis, non servata forma, sequutæ nullitatem, eamdem collationem ad Sedem Apostolicam, seu ad eos, quibus jus est parochiam conferendi, esse devolutam ; et quod in cit. Const. § 7, decernitur quoad appellationem ab irrationabili Episcopi judicio ac ad novum examen provocationem declaratum est a Benedicto XIV in prædicta Const. *Cum illud*, ubi etiam permittitur appellatio a mala relatione examinatorum a Concilio Tridentino interdicta. De examinatoribus in synodo diœcesana eligendis, si sex non supersint in ultima synodo designati, tunc Clementis VIII decreto relato a Garcia *de Benefic.* part. 9, cap. 2, num. 72, et a Fagnano in cap. *Cum sit ars*, num. 54 *de Ætate et qualit.* lib. 1, pag. 458, facultas data est Episcopis alios subrogandi, modo iis qualitatibus præstent, quas Tridentinum requirit : a capitulo approbentur : et una simul cum superstitibus ex electis in synodo sedes non excedant. Denique quoad præsentatos ab ecclesiasticis patronis faciunt responsa Bened. XIV, ad postulata sibi facta ab Archiepiscopo Florentino, et in ejusdem epistola decretali *Redditæ Nobis* eidem rescripta, sub die 9 april. 1746 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 2, pag. 11) evulgata.

[13] Garcias, *de Benef.*, part. 9, cap. 2, n. 130, testatur hanc sententiam S. Congr. Concilii tenuisse Rotam in una *Forosempron.*, *Parochialis* 15 *jan.* 1593 et 7 *maii* ejusd. anni cor. Mantica et in una *Tarvisna*, *Jurisd.* 17 *feb.* 1595 cor. Litta. Et quoad Tridentinam dispositionem, vide notam, num. 12.

[14] Aliaque hujusmodi declaratio tradita fuit a S. C. Concilii Episcopo Palentino die 24 octob. 1673, et in Salamantina, Veronen. et Ravennaten., ubi sic dicitur : « Commendatarius abbatiæ exemptæ existentis intra fines alicujus diœcesis, et habens jura quasi episcopalia non potest facere concursum beneficiorum curatorum ; sed hoc spectat ad Episcopum, in cujus diœcesi est abbatia qui, electo magis idoneo, mittet eumdem ad commendatarium » (Ferrar. *Biblioth.* verbo *Abbas*, num. 27); quoad Tridentinam dispositionem, vide not. 12.

eorum subditi : *Suessionen.*, 16 *septemb.* 1662, *dub.* 6.

8. Nisi monasterium S. Medardi ordinis S. Benedicti congregationis S. Mauri nullius diœcesis sit, ejusque abbas jurisdictionem quasi episcopalem obtineat, utique illum prædicatores verbi Dei admittere, confessarios ad sacramentales excipiendas confessiones approbare, matrimoniales causas cognoscere, sacras indulgentias publicare, aut supplicationes instituere minime posse sancitur : *Ibid.*, *dub.* 21.

9. Quæ omnia sub pariformi conditione cæteris quoque abbatibus denegata intelligi, per quos circa prædicta Suessionensis Episcopi jurisdictionem turbari narratur : *Ibid.*, *dub.* 22.

10. Dubio, an sub nomine Episcopi præcise veniant abbates, prout se jactant, vel etiam sub nomine Ordinarii in bulla Gregorii XV, Pont. Max., *Inscrutabili* [15], et nominatim in subjecta materia? respondit S. Congr. facultatem concessam Episcopis ex bulla prædicta non competere inferioribus prælatis, licet proprium territorium, et jurisdictionem quasi episcopalem habeant: *Olomucen.*, *Jurisdictionis*, 11 *julii* 1665, *dub.* 4.

11. Et postulato, an abbates, et alii prælati inferiores in parochiis, ubi habent purum jus patronatus acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo diœcesano præsentare sacerdotes seculares, ut ante laici consueverant; an vero possint substituere monachos, eosque pro libito, non certiore facto Ordinario, removere, et sic Episcopo jurisdictionem, et reliqua jura subtrahere? respondetur, teneri, nec posse substituere ad libitum : *Ibid.*, *dub.* 7.

12. Dubioque, an liceat abbatibus, et aliis superioribus regularibus suis, aut monachis, seu secularibus sacerdotibus in parochiis eorum degentibus annuas pensiones imponere, aut partem decimarum pro suis monasteriis reservare, quæ decimæ alias proprie pro parochi alimentis penduntur? rescribitur, quoad pensiones negative; in reliquis clarius esse rem proponendam : *Ibid.*, *dub.* 9.

13. Clerici regulares, seu presbyteri seculares, qui obtinent ab abbate commendatario S. Antonii Viennensis, Neapolis, litteras patentes, seu commissionales, ipsarum litterarum vigore ab Ordinarii jurisdictione non sunt exempti : *Neapolitana*, *Jurisdictionis*, 1 *decem.* 1668, *dub.* 3.

14. Quum major pars beneficiatorum ecclesiæ collegiatæ S. Barbaræ extra propriam canonicam sparsim viveret, in territorio aliorum parochorum prætendit abbas, irrequisito parocho, occurrente eorumdem beneficiatorum infirmitate, vel morte, eisdem ministrare omnia sacramenta, ac respective eorum cadavera ad propriam ecclesiam deferre absque ulla solutione quartæ funeris? Sed negativum accepit a S. C. responsum : *Mantuana*, *Jurisdictionis*, 16 *martii* 1680, *dub.* 5.

15. Ac dubio, an idem possit hujusmodi functiones peragere instar supplicationis; et quoties aliqua ex dignitatibus prædictæ ecclesiæ decumbat, et moriatur in aliena parœcia, aliæ dignitates omnibus insignibus pontificalibus indutæ valeant perducere ut supra defunctum pariter insignitum mitra, et pluviali? negative respondit : *Ibid.*, *dub.* 5.

16. Atque quum aliqua beneficia existentia in ecclesia divi Thomæ ad præsens detenta per clericos regulares ministrantes infirmis, et in altera divi Antonii administrata per societatem Sanctissimæ Trinitatis, fuissent unita prædictæ collegiatæ S. Barbaræ, præsumit dictus abbas in festivitatibus eorumdem sanctorum instar supplicationis, ac cum omnibus insignibus episcopalibus, a præfata collegiata exeundo, accedere ad supradictas ecclesias, quodque magis est, per longum, et affectatum circulum usque ad faciem palatii episcopalis eo modo et forma pertransire, et postea in eisdem ecclesiis celebrare in pontificalibus, benedictionemque so-

[15] Edita 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 5, p. 1). Quum Conc. Trid., sess. 23, cap. 15 *de Ref.*, circa confessariorum idoneitatem et approbationem, sess. 25, cap. 5 et 11 *de Reform.*, circa monasteria quibus cura animarum personarum secularium imminet, et sess. 24, cap. 4 *de Reform.*, circa prædicatores verbi Dei disponat ac Episcopi jurisdictionem in exemptos præservat; hinc Gregorius XV, Pont. Max., hujusmodi decretis nonnulla in favorem Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati jurisdictionis circa animarum curam et sacramentorum administrationem, necnon quoad confessarios et concinnatores adjunxit. At, nonnulla dubia super eadem Const. exorta, accesserunt declarationes S. C. Concilii ab eodem Pontifice, et postmodum ab Urbano VIII, approbatæ, insuper alia subsequuntur dubia ab eadem S. C. declarata et ab Urbano VIII approbata; decretum vero ejusdem S. C., 20 januar. 1657, quo sancitur exemptionem ab Urbano VIII et Innoc. X, Pont. Max., concessam abbati monasterii abbatiæ de Einsidlen ordinis S. Benedicti esse intelligendam et restrictam ad jurisdictionem ordinariam, quæ Episcopo Curiensi, uti Ordinario competit, non autem ad jurisdictionem delegatam ex Sacr. Concilio Tridentino, et Const. Gregorii XV, de exemptione privilegiorum eidem Episcopo uti Sedis Apostolicæ delegato competentem quoad visitationem ecclesiarum et quoad omnia concernentia curam animarum, et sacramentorum administrationem declaratur ab Alexandro VII, Const. *Alias*, 2 januar. 1660 (*Bull. Rom.*, tom. 6, part. 5, p. 42), super modo intelligendi, nempe, remanente eidem Episcopo Curiensi auctoritate ordinaria, jurisdictione immediata in ecclesias et rectores penes Sedem Apostolicam reservata, injuncta tamen parochis comparitione ad Synodum, et capitula ruralia, necnon competente collectarum taxatione.

lemnem super populum impertiri, quod de facto exercet, nullo ad id adhibito consensu, ac licentia Episcopi Mantuani? ut ad proximum rescripsit S. Congr.. *Ibid.*, *dub.* 6.

17. Idem abbas denique attribuit sibi facultatem ministrandi sacramentum confirmationis, seu chrisma; sed S. C. non licere decidit : *Ibid. dub.* 9.

18. Exorta controversia inter Episcopum, et abbatem monasterii S. Mariæ de Balneo ordinis Camaldulensis, tam super jurisdictione quasi episcopali in castro, et territorio S. Mariæ, quam super jure conferendi ecclesias in eodem territorio existentes. Primum fuit composita quæstio cum laudo, deinde in S. C. Episcoporum et Regul.; ac in S. C. Concilii agitata. At occasione postremæ visitationis, Episcopus nova excitavit jurgia, et dubio proposito, an licitum sit abbati S. Mariæ de Balneo, ejusque vicario dare attestationes super statu libero nubentium prævio examine testium in ejus cancellaria? remittitur instantia ad S. C. S. Officii [16]: *Burgii S. Sepulchri, Jurisdictionis*, 20 *sept.* 1698, *dub.* 1.

19. Inde resolvit S. Congr., quod idem abbas, seu ejus vicarius potest sede nominare judicem ordinarium in districtu abbatiæ in illis causis dumtaxat, in quibus habet congregationem ad formam laudi : *Ibid.*, *dub* 6.

20. Neque abbas habet facultatem benedicendi concionatores destinatos pro ecclesia monasterii, et aliis parochialibus intra districtum abbatiæ : *Ibid.*, *dub.* 9.

21. Abbas monasterii B. M. de Naxera ordinis S. Benedicti congregationis Hispaniarum, qui habet in civitate Naxeræ jurisdictionem ordinariam, et jus visitandi privative parochialem ecclesiam S. Crucis ac ecclesiam S. Michaelis, earumque clericos, et capellanos, uti remedio censurarum potest, quando in visitatione renuunt capellani libros exhibere: *Calagurritana, Visitationis*, 18 *julii* 1701, *dub.* 7.

22. Item S. Congr. decrevit, ob renuentiam capellanorum ecclesiæ S. Crucis, eumdem abbatem occasione visitationis, eaque permanente, capellanos ecclesiæ S. Crucis ad asportandum, exhibendum et relinquendum in ejus mansionibus abbatialibus libros, et originales scripturas visitationem concernentes, cogere posse ad formam resolutionis : *Hispalensis, sub die* 10 *aug.* 1696 [17]. *Ead. Causa*, 9 *sept.* 1702.

23. Dubiis exhibitis, an Cardinalis Radziovuski modernus abbas commendatarius abbatiæ Sieciechovien ordinis S. Benedicti possit exercere jurisdictionem super monachos? et quatenus negative.

24. An institutiones, et destitutiones superiorum, et officialium regularium factæ ab ipso abbate commendatario sustineantur? S. Congr. resolutionem protelando rescripsit, ut interim per modum provisionis, et sine præjudicio jurium ambarum partium nuntius apostolicus provideat de superiore : *Cracovien., Divisionis*, 14 *martii* 1705, *dub.* 3 et 4.

25. Quæstione exorta inter Card. Archiepiscopum Firmanum, et Card. abbatem Farfensem, ad quem spectaret jus conferendi, seu instituendi ad beneficia erecta in collegiata ecclesia S. Antonii Castri Altidonæ? placuit S. Congr. exquirere votum Rotæ [18] : *Firmana, Juris conferendi et instituendi*, 2 *octob.* 1706, confirmata 7 *maii* 1707.

26. Emum abbatem commendatarium ecclesiæ

[16] Ad Supremam Sacram Congregationem Inquisitionis privative instantia, de qua agitur, spectat. Clemens X, Pont. Max., decreto incipiente, *Cumalias*, 31 aug., 1670 (*Bull. Rom.*, tom. 7, p. 46), præcepit quod, ut omnis aditus intercludatur iis qui vivente adhuc uxore volunt transire ad secundas nuptias, debent examinari testes in cancellaria Episcoporum circa statum volentium nubere liberum, vel non liberum, et examen fieri debet juxta interrogatorium editum a prædicta S. Congregatione : videlicet admoneantur primum testes de gravitate juramenti; interrogentur de nomine, patria contrahentium etc.; admittantur pro testibus potius consanguinei, quam extranei : magis credatur civibus quam extraneis ; excludantur a testimonio vagi et milites. Parochi autem non faciant publicationes in ecclesiis pro matrimonio nisi certiore facto Episcopo a quo habeant authenticum; cancellarii contravenientes severe puniantur. In synodo diœcesana Bassi Episcopi Anagnini an. 1713, legitur, num. 11, parte 2, cap. 8, pag. 60, edit. Rom 1716 : « Quicumque autem matrimonio jungi postulaverint obtinere debent licentiam Ordinarii in scriptis prævia productione fidei baptismatis, ac examinatis testibus super eorum statu libero in episcopali curia ad normam instructionis Sanctæ Romanæ, et universalis Inquisitionis, inferius imprimendæ : quoniam agitur de re gravi et de evitandis polygamiis, ac impedimentis matrimoniorum ex quibus fidei catholicæ et reipublicæ christianæ gravissima damna inferuntur. (S. Congr. Inquisit. perlitter. nobis datas subdie 15 aug. 1711, rejecta instantia communitatis Carpineti petentis examinari testes in loco.) »

[17] In qua ad dub. 4 fuit rescriptum ; quod Archiepiscopus in actu visitationis potest cogere capitulum sive ejus officiales ad transferendos libros ad palatium archiepiscopale, ut eos ipse Archiepiscopus possit inspicere et recognoscere; sed tantum illos libros et documenta respicientia negotia particularia juxta exigentiam visitationis ex lib. Decret. 46, fol. 345.

[18] Pluribus pervolutis annis decisionum Sacræ Rotæ Romanæ, votum, quod super hac causa expetebatur, inveniri haud potuit : hinc facile est quod illud a sacro tribunali non emanaverit; quum prædicta causa in S. Congr. Concilii postea minime fuisset agitata. Sed quod ad rem pertinet, exploratum in jure est, ad quemcumque Ordinarium spectare facultatem conferendi seu instituendi in beneficia in sua diœcesi existentia : sub titulo Ordinarii comprehendi etiam abbates et prælatos habentes territorium se-

parochialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Imolæ vel per se, vel per alium functiones tam parochiales, quam non parochiales absque archipresbyteri licentia in dicta ecclesia peragere non posse S. Congr. declaravit : *Imolen.*, *Jurium parochialium*, 12 *februar.* 1707, *dub.* 3, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

27. Neque eidem abbati interessenti ibidem omnes, et quascumque actualem curam animarum non respicientes independenter a quocumque alio agere licere firmavit : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

28. Jam olim abbatibus ordinis S. Benedicti regnorum Portugalliæ opinantibus jurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potiri; dubitatum in S. Congr. fuit; an dispensationum matrimonialium litteræ in forma *Significavit,* et similes debeant dictis abbatibus, quoad eorum subditos committi? negativum responsum prodidit : 7 *aug.* 1649, *dub.* 1. Inde exhibito dubio; an decretum anni prædicti comprehendat modernos abbates ordinis Cisterciensis, S. Mariæ de Salzedas, S. Joannis de Tharouca et S. Petri das Aquiras in regnis Portugalliæ habentes subditos laicos? fuit resolutio protracta cum clausula « et interim se abstineant in omnibus » *Lamacen.*, *Jurisdictionis,* 13 *aug.* 1707. Deinde placuit respondere affirmative pro comprehensione decreti; 26 *januar.* 1709. Denique pluribus productis privilegiis, et jurisdictionalibus actibus, ex quibus qualitatem veram *Nullius* abbates habere putant, S. Congr. respondit : dilata, et dentur remissoriales, et compulsoriales abbatibus, et interim se abstineant. 16 *decem.* 1713, *dub.* 1.

29. Abbas ecclesiæ S. Mariæ de Miraculis congregationis Cassinensis, seu monasterii superior permittere non debet affixionem ad valvas ejusdem ecclesiæ edictorum Episcopi concernentium exercitium jurisdictionis, respectu subditorum secularium; sed regularium in iis, in quibus isti ei subduntur : *Andrien*, *Edictorum*, 29 *nov.* 1710, *dub.* 3, confirmata 24 *januar.* 1711, *dub.* 1.

30. Instaurata controversia inter Episcopum Miletensem, et vicarium societatis Jesu insignis abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis olim monachorum Cisterciensium a S. M. Gregorio XIII, unitæ collegio Græcorum Urbis, proposita hæc fuerunt dubia, an Ven. collegio Græcorum Urbis competat jurisdictio quasi episcopalis cum territorio separato super ecclesiis, et populo oppidorum, et castrorum abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Mileti? et quatenus negative.

31. An vicario seu ministro pro gubernio dictæ abbatiæ deputato competat jus congregandi synodum in prædictis ecclesiis?

32. An dicto vicario competat jus convocandi concursus occasione provisionis ecclesiarum parochialium ejusdem abbatiæ? et quatenus negative.

33. An hoc jus convocandi concursus, et auctoritativæ institutiones concedendæ novis parochis ad Episcopum Miletensem spectent?

34. An sit locus purgationi attentatorum, et quomodo?

35. An prædictæ ecclesiæ, quæ denominantur abbatiales subsint ordinariæ jurisdictioni Episcopi Miletensis quoad curam animarum, sacramentorum administrationem, et sacramentalia in populum?

36. An Episcopus Miletensis tanquam delegatus apostolicus dictas ecclesias visitare possit? S. Cong. hæc remisit ad Rotam[19] : *Mileten.*, *Jurisdictionis*, 9 *junii* 1714, *dub.* 1, *usque ad* 7.

37. Quoad controversiam exortam inter Epi-

paratum a jurisdictione Episcopi; unde etiam abbates et prælati Episcopo inferiores exempti episcopalem jurisdictionem habentes beneficia ad suas ecclesias et monasteria pleno jure spectantia, conferendi vel instituendi facultatem habent, ut advertit Tamburinus *de Jur. abbat. Disp. IX*, quæst. 1, num. 3, tom. 3, et firmavit Sacra Rota Romana in decis. 635, num. 1, part. 3 recent., quæ collationem præposituræ ecclesiæ S. Angeli civitatis Reatinæ a Card. commendatario abbatiæ Farfensis peractam sustinuit « ea ratione, quia cum vigore dictæ commendæ sit ordinarius collator, de jure communi secundario habet intentionem fundatam, ut collatio beneficiorum suæ diœcesis vel proprie territorii sui separati, ad ipsum spectet : » et num. 2 « Unde ex dicta concessione apostolica potuit abbas acquirere territorium separatum quoad certas ecclesias existentes in aliena diœcesi prout etiam potuisset acquirere ex immemorabili, vel quadragenaria cum titulo. »

[19] Qua de re in decis. 9, tit. *de Offic. Ordin. cor. Falconerio*, proposito principaliori dubio « an constet de territorio separato, sive competat collegio Græcorum Urbis jurisdictio quasi episcopalis super ecclesiis et populo civitatis Mileti, ac etiam altero super manutentione. » Fuit responsum : *Constare de territorio separato juxta modum.* In modo siquidem fuit exclusa universalitas territorii in dubio comprehensa, et illius competentia fuit tantummodo restricta ad loca S. Gregorii, Cramasta, Biboni et Larzoni : verum quum præter dicta quatuor loca abbatiæ assignata territorium separatum cum universali jurisdictione in aliis ecclesiis, et locis in dubio comprehensis, nullatenus ex allegatis titulis sit educibile : hinc est quod semper illibata remaneat universalis jurisdictio Episcopi in toto ambitu suæ diœcesis ; contra quam requiritur privilegium apostolicum in quo aperte separatio territorii declaretur, et prælatus inferior cum jurisdictione quasi episcopali in clerum et populum, excluso Episcopo, constituatur. Insuper ne idem Episcopus suos transgrediatur limites et alienum territorium invadat, sacrum tribunal separavit quatuor loca supradesignata, nempe S. Gregorii, Cramasta, Biboni et Larzoni, quæ censuit esse de territorio separato abbatiæ in quibus locis Sacræ Rotæ visum est habere collegium fundatam intentionem, tam in subsequutis transactionibus, legitima auctoritate confirmatis quam etiam in præscriptione. In contempora-

scopum Anglonæ, ac abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni, cui minime territorium separatum, et jurisdictio quasi episcopalis adjudicata fuit, hæc dubia proposita, ac definita in S. Congr. fuerunt : An jus conferendi beneficia simplicia spectet ad Episcopum, seu ad Emum abbatem? rescriptum est collationem cantoratus ad Emum abbatem spectare : *Anglonen.*, *Jurisd.*, 4 *julii* 1716, *dub.* 1 [20].

38. Ac dubio, an jus conferendi beneficia curata spectet ad Episcopum, vel ad Emum abbatem? collationem tituli parochialis S. Luciæ Emo abbati, concursum vero, prælationem, et institutionem autorizabilem Episcopo S. C. adjudicavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

39. Demum, an institutio in beneficiis jurispatronatus sit danda ab Episcopo, vel ab Emo abbate? institutionem quoad utrumque beneficium ad Emum abbatem spectare decernitur : *Ibid.*, *dub* 3.

40. Interrogata S. Congr., num constaret de sufficienti punitione facta per abbatem commendatarium cœnobii monachorum montis Oliveti contra P. Antonium Petragrossa, et Alexandrum monachos ejusdem ordinis, qui vicarium eorum ecclesiæ parochialis percusserant? respondit S. C. non constare : *Mediolanen.*, *Censurarum*, 2 *dec.* 1719, *dub.* 3.

41. Eidemque abbati regulari prædictos monachos a censuris, si quas incurrerint in vim canonis *Si quis suadente* [21] absolvere minime licere S. Cong. declaravit; etsi abbas regularis innitebatur privilegio a Bonifacio IX concesso religioni Prædicatorum, et per communicationem aliis ordinibus regularibus, asserens hoc haud a Tridentino, vel Constitutionibus apostolicis fuisse revocatum : *Ibid.*, *dub.* 5.

42. Abbatibus singulis ordinis Præmonstratensis provinciæ Sueviæ facultas dispensandi in monasteriis eorum regimini commissis ab esu carnium

nea autem discussione principalioris, alterum dubium fuit disputatum super manutentione; et collegio Græcorum fuit concessa manutentio in quasi possessione exercendi plenariam jurisdictionem super eisdemmet quatuor locis de suo districto et separato territorio declaratis : ***Salva tamen semper manutentione Episcopi in reliquis locis et ecclesiis in dubio comprehensis et de sua jurisdictione comprobatis***, quod patet ex decis. ***in Militen. Jurisdictionis super manutentione, die*** 1 ***april.*** 1715, ***cor. eod.***, quæ extra collectas vagatur. Insuper adjudicata jurisdictione super dictis locis, illorumque personis ad collegium Græcorum Urbis cui jura omnia abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Mileti fuerant unita; eadem Sacra Rota resolvit alterum dubium in favorem ejusdem collegii super jure congregandi et celebrandi synodum, ex quo jus provenit faciendi concursus in ecclesiis dictorum locorum; necnon eodem tempore in altero distincto dubio super manutentione ejusdem juris, eidem collegio manutentionem concessit; ut ex decis. 13 et 15, ***cit. tit. cor. eod.*** Denique Sacra Rota censuit quoad quatuor loca abbati concessa recedendum a decisis in reliquis in decisis respondit. Hinc integrum et universale territorium in toto ambitu suæ diœcesis nullo ex dictis locis excepto, de jurisdictione dicti Episcopi fuit declaratum et confirmatum ex decis. 10 et 11, ***eod. tit. cor. eod.***, et concessa super hoc jure manutentio ex decis. 12, ***eod. tit. cor. eod.***, necnon diœcesana et territorialis jurisdictio Episcopi definita secum traxit resolutionem et confirmationem in favorem ejusdem Episcopi subalterni dubii super jure congregandi synodum in ecclesiis dictorum locorum ejusque juris manutentione ex decis. 13, 14, 15, 16, 17 et 18, ***tit. eod. cor. eod.*** Nam omnia ad trutinam revocata fuerunt privilegia a collegio exhibita et nullum inventum est, quod prærogativam activæ jurisdictionis abbatiæ tribueret; et ideo illibatam judicatum fuit præservare universalem jurisdictionem Episcopi in toto ambitu suæ diœcesis : quum dicta privilegia non egrediantur limites passivæ exemptionis monasterii et abbatiæ : atque exclusa remanet separatione territorii ex titulis exhibitis denuo perpensis, tam transactionum quam præscriptionis, quarum vigore in prima decisione fuit abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis unitæ collegio Græcorum Urbis concessum separatum territorium in dictis quatuor locis.

[20] Certavit in hac causa in favorem Episcopi Anglonæ advocatus Dominicus Ursaya, qui sua jura exaravit, ***Discep. Eccles. IX***, t. 1, part. 1, ***per tot***, ***et Discep. V***, t. 2, part. 1, ***per tot.***

[21] Can. 29, causa 17, quæst. 4, his verbis exarati : «Item placuit ut si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit anathematis vinculo subjaceat : et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo donec apostolico conspectui præsententur, et ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam ut in eos qui ad ecclesiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manumittere audeat; quod si fecerit, excommunicetur. » Attamen Episcopus de jure communi potest quemlibet absolvere quando percussio est levis, id est neque enormis neque mediocris, vigore cap. ***Pervenit, de Sent. excomm.*** Hanc facultatem competere secundum communem sententiam etiam aliis prælatis episcopalem habentibus jurisdictionem a Papa asserit ***Thesaurus, de Pœnis eccles.***, part. 2, verbo ***Injuria***, cap. 2, p. 228. Item religiosi possunt absolvi a suo prælato a mediocri percussione, vigore cap. ***Cum illorum, cit. tit.***, quin etiam a proprio confessario, approbato a suo prælato quatenus ejus religio habeat privilegium absolvendi a casibus reservatis Episcopo a jure communi, ut advertit ***Thesaurus***, cit. loc., pag. 229; cum Matthæuccio ***Offic. Curiæ***, cap. 39, ***quoad Privilegium Canonis***, a num. 18 ad 21, pag. 323. Verum hodie personalis accessus ad Romanum Pontificem non amplius præcipi solet, nisi in gravioribus quibusdam excessibus, quorum circumstantiæ maximum populi scandalum ingerant. Quapropter sufficiet ut percussor clerici recurrat ad Summum Pontificem, seu ad Sacram Pœnitentiariam, si causa non sit deducta ad forum per litteras, aut per procuratorem pro obtinenda facultate absolutionis.

certis anni temporibus per Constitutionem Julii II, Pont. Max. [22], prohibito non competit: *Ordinis Præmonstratensis*, 15 *dec.* 1725, *dub.* 2

43. Ne quidem pro uno die solemnis festivitatis in communi cœnaculo, vel in aula hospitii, in quo abbas, et canonici commorantes in monasterio discumbant: *Ibid.*, *dub.* 3.

44. Causa tamen subsistente, dispensare quoad aliquos canonicos in casibus particularibus possunt: *Ibid.*, *dub.* 4.

45. Et quoad canonicos extra monasterium in parochiis ex obedientia degentes, et expositos, justa causa concurrente, ab abbate monasterii dispensatio concedi potest: *Ibid.*, *dub.* 5.

46. Abbati collegiatæ ecclesiæ villæ de Zafra tam intra, quam extra ecclesiam non pileum, nec pectorale instar Episcoporum, sed vestem violaceam tantum deferre licere firmatum fuit: *Pacen.*, *seu Nullius*, *Jurisdictionis*, 15 *januar.* 1729, *dub.* 8.

47. Verum pontificalia extra dies in concordia per Sedem Apostolicam confirmata præscriptos eidem abbati peragere non licet: *Ibid.*, *dub.* 9.

48. Idemque abbas in dicta collegiata, dum horæ canonicæ celebrantur, adhibere caudatarium non potest: sed instar aliorum canonicorum cappa magna uti valet: *Ibid.*, *dub.* 10.

49. Eidemque abbati in dicta ecclesia, altero celebrante Missam solemnem, nec incensum in thuribulo imponere, illumque benedicere, neque aquam cum vino miscendam per celebrantem, ut faciunt Episcopi ex præscripto cæremonialis, permissum fuit: *Ibid.*, *dub.* 11.

50. Nec præfato abbati, nec celebranti in prædicta collegiata de Zafra jus benedicendi concionatores, qui concionem habituri sunt, competere rescribitur, sed illis reverentiam prius ipsi abbati exhiberi debere injungitur: *Ibid.*, *dub.* 12.

51. Ipsumque denique abbatem titulo Reverendissimi a concionatoribus, dum hi verbum Dei annuntiant, salutandum esse S. Congr. mandavit: *Ibid.*, *dub.* 13.

52. Abbati monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis facultas dispensandi super ætate cum religiosis sui monasterii sibi subditis pro ordinibus suscipiendis; etiamsi de privilegiis ante Concilium Tridentinum concessis doceat, minime competit: *Brixinen.*, 12 *dec.* 1733, *dub.* 1.

53. Ac dubium, an liceat dicto abbati non solum sacram supellectilem benedicere, in qua unctio sacra non adhibetur, sed etiam altaria, aliaque vasa sacra, quæ sacro chrismate delibuntur, consecrare, idque non tantum ad proprii monasterii, sed etiam aliarum ecclesiarum usum? ad S. C. Rituum [23] remissum fuit: *Ibid.*, *dub.* 9.

54. Abbati ecclesiæ parochialis SS. Nazarii, et Celsi non competit jus concedendi licentias induendi habitum clericalem; quum ejus abbatia non exempta judicata fuerit: *Vercellen.*, *Jurisdictionis*, 9 *julii* 1735, *dub.* 5.

55. Card. Firrao abbati S. Eliæ oppidi Carbonis, ad quem tituli parochialis S. Lucæ collatio spectat, jus bullas provisionis expediendi competit; quum institutio authorizabilis, quæ Episcopo tribuitur, nonnisi licentiam animarum curam exercendi præ se ferat: *Anglonen.*, *Parochialis*, 13 *dec.* 1736.

56. Præsul Felix Passerinus abbas commendatarius monasterii, seu parochialis ecclesiæ S. Eutitii litteras patentes concionatoris ab eodem in dicta regulari ecclesia deputati concipere debet sub verbis *Nominamus*, seu *Præsentamus*; si concionator erit religiosus alterius ordinis, vel presbyter secularis, qui ultra benedictionem recipere tenetur ab Episcopo Spoletano, litteras deputationis, in quibus nominationis, seu præsentationis abbatis mentio fiat: *Spoletana*, *Concionatoris*, 13 *april.* 1737, *dub.* 1, confirmata 28 *januar.* 1741.

57. Capitulares ecclesiæ S. Mariæ nuncupatæ *la Greca* ad religionem Hierosolymitanam spectant,

[22] Inter regulas canonicis Præmonstratensibus ab Innocentio III præscriptas Const. *In eminen* 6 calend. aug. 1198 (*Bull. Rom.*, tom. 3, part. 1, pag. 78) habetur, quod nullus laicus, vel ecclesiasticus audeat in monasteriis ordinis vesci carnibus. Et in *bibliotheca ordinis Præmonstratensis* Jo. Le Paige, edit. Paris, an. 1633, part. 2, legitur privilegium collatum anno 1503 a Julio II, Pont. Max., (pag. 728, colum. 2) hisce verbis conceptum « Ac pro abstinentia ab esu carnium, quæ illi tam ex statutis piæ mem. Innocentii Papæ IV etiam prædecessoris nostri, quam aliis, in eorum capitulis generalibus editis, injuncta erat, donec ad majorem præmissorum observantia induci possent, singulis quartis feriis, et cujuslibet sabbati diebus, necnon a prima dominica adventus usque ad Natale Domini, et a dominica septuagesimæ, usque ad Pascha Resurrectionis, in quolibet loco abstinerent, ac omnibus sextis feriis jejunarent. »

[23] Quæ die 22 januar. 1735 respondit servari decreta anni 1659 diei 27 sept. circa usum pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum, approbante Alexandro VII, Pont. Max., edita, inter quæ decretum fuit dub. 18, « ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant. » Et dub. 19. « Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ ecclesiæ, aut in subditos, pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationes. »

Hi graviter de clerico Xaverio Miccoli abbate, seu rectore in minori ætate, et non in sacris ordinibus constituto conquesti sunt, eo quod in capitularibus negotiis, et in clero se velit ingerere, hinc S. Congr. visum est declarare, eumdem abbatem absentem a chori servitio, substituere presbyterum sibi benevisum ad exercenda jura præeminentialia sibi competentia non posse ; sed illa ad capitularem presbyterum decanum, et respective ad presbyterum capitularem in ordine antiquiorem devolvi : *Nullius, Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 1.

58. Nec licere dicto abbati non renuncianti ad vesperas et Missas solemnes canendas ad sui arbitrium alium sacerdotem substituere ; sed decanum seu presbyterum in ordine, ut supra, antiquiorem celebrare debere statuitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

59. Imo presbyteris capitularibus aliisque de clero licentiam discedendi a choro concedere, et sese ab illo absque legitima causa, et diutine secedendi non posse, resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

60. Nec posse eumdem abbatem in librum referre absentias sacerdotum, qui tempore divinorum officiorum, vel exedram ad excipiendas confessiones occupant, vel organum pulsant, dummodo primi ex deputatione, secundi absque stipendio eadem peragant, decretum est : *Ibid.*, *dub.* 4.

61. Abbatibus SSmi Salvatoris, et SS. Spiritus, et Galli ordinis Cassinensis puellas admittere in capitulo monialium monasteriorum SS. Mariæ, et Aureliani, et S. Mariæ Theodatæ pro acceptatione ad habitum, antequam ab Episcopo illarum voluntas exploretur, non licere decernitur : *Papien.*, 16 *martii* 1743, *dub.* 1.

62. Quum quæsitum exinde fuisset, an abbates prædicti puellas in nominatis monasteriis admittere possint, ut habitum sumant, et ut in eis morentur in habitu seculari per mensem, vel ad aliud tempus, etiam ut exploretur illarum vera vocatio, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis Apostolicæ ? responsum est, quoad admissionem causa educationis absque licentia Sedis Apostolicæ non valere ; quoad reliquos vero casus non posse absque licentia Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 2.

63. Neque etiam prædictis abbatibus absque particulari Episcopi venia in scriptis danda, licentias ingrediendi clausuram dictorum monasteriorum cuivis, etiam necessario admittendo, concedere licet : *Ibid* , *dub.* 3.

64. Et postulationibus, quot, et quas personas iidem abbates secum sumere debeant occasione eorum ingressus intra septa dictorum monasteriorum pro locali visitatione explenda ?

65. Atque an dicti abbates extra casum dictæ localis visitationis possint septa monasteriorum ingredi ?

66. Quot, et quas personas assumere in comitatu teneantur ? censuit S. C., servandam omnino esse in omnibus Constitutionem Alexandri VII, incipient. *Felici* [24]*: Ibid.*, *dub.* 4, 5 et 6.

67. Prædictosque abbates Episcopo inconsulto licentias tam secularibus quam regularibus ipsis benevisis ; etiamsi sint propriæ congregationis, accedendi cancellos dictorum monasteriorum concedere non posse mandatur : *Ibid.*, *dub.* 12.

68. Ad abbatem commendatarium ecclesiæ S. Mariæ de Popsis spectat capellanorum, et eremitarum pro servitio ipsius abbatialis ecclesiæ deputatio, et respective procuratoris pro administratione eleemosynarum, oblationum fidelium, sub obligatione tamen rationem Episcopo reddendi, a quo visitari etiam possit ecclesia jure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino expedire videbitur : *Hieracen.*, 30 *martii* 1743.

69. Misnensis Episcopatus ab hæreticis occupatus fuit, illiusque administratio, et ecclesiastica jurisdictio in catholicos, qui in utraque Lusatia supererant, capitulo Budissino, qui vice-Episcopum elegit, tributa fuit. Sed abbas monasterii Neo-Cellellensis episcopalia jura, et simul parochialia sibi vindicavit, et ea in detrimentum ecclesiæ Misnensis hactenus exercet. Hinc Capitulum conquestum fuit contra abbatem apud nuntios apostolicos, inde in

[24] Diei 10 octob. 1664 (*Bull. Rom.*, tom 6, pag. 34) in qua multa statuit Sum. Pont. pro superioribus monialium existentium intra fines Italiæ, et insularum adjacentium : videlicet, ne superiorum regulares, qui monialium monasteriorum curam habent, illa ingrediantur, nisi semel in anno, in visitatione ; et si pluries in illa ingredi opus sit, petant licentiam ab Ordinario, qui eis dabit socium : superior habeat unicum socium, et per se visitet. Si autem superior sit generalis ordinis, duos habeat socios : atque visitatori assistant quatuor moniales ex antiquioribus, et omnes moniales sint in choro ; sed visitatio personalis fiat ad crates. Antea præceperat Urbanus VI, Const. *Apostolatus*, 13 *calen. octob.* 1569 (Guerra, *Epitome Const. Apost.* tom. 3, pag. 296), quod abbas de Columba semel tantum in anno abbatissam, et moniales visitet, et non ultra, nisi ex rationabili causa forsitan a monialibus alias fuerit requisitus, ut visitatio per fenestram craticula ferrea cancellatam ; ut senario numero sociorum sit contentus, neque numerum ampliorem ducat ; ne infra claustra monasterii pernoctet, sed domum Venetiis habeat, ubi moretur ipse cum sociis ; nullum donum pecuniarium exposcat ; sed si quid ratione expensarum itineris illi a monialibus detur, accipiat. In forma visitationis, expensarum, assignationis confessarii rationem habeat secundum statuta ordinis.

S. Congr., quæ dubia exhibita ad S. Congr. de Propaganda Fide [25] remisit : *Misnen.*, *Jurisdictionis*, 16 *januar.* 1745.

70. Quum abbas generalis ordinis Præmonstratensis sententia lata declaraverit nullam professionem fuisse emissam in monasterio Leffensi a Francisco Nicolao de Ferrare, quia contra constitutiones ordinis siluerat morbo laborare ; dubitatum fuit de ejusdem jurisdictione, et S. Congr. audita ; an sustineretur prædicta sententia ? Censuit *in casu de quo agitur*, supplicandum esse Sanctissimo pro sanatione sententiæ : *Namurcen.*, 30 *januar.* 1745.

71. Abbati Eberbacensi ordinis Cisterciensis denunciandi, ac determinandi diem electionis faciendæ abbatissarum monasterii Marien-Munster ejusdem ordinis jus competit : *Wormatien.*, *Jurisdictionis*, 17 *sept.* 1746, *dub.* 6.

72. Et elapsa die præfinita, et nemine ex parte Ordinarii comparente, abbati prædicto licet ad electionem procedere : *Ibid.*, *dub.* 7.

73. In redditione rationis bonorum monialium S. Sebastiani instituti canonicorum regularium Lateranensium ad formam bullæ Gregorii XV, Pont. Max., *Instrutabili* [26], non obstante prætenso ejus non usu, intervenire potest abbas ejusdem monasterii ; et quatenus idem abbas opportune monitus non comparuerit sive per se, sive per alium regularem, recognitionem fieri posse a solo Episcopo deciditur : *Ariminen.*, 27 *januar.* 1748, *dub.* 10.

74. In S. Congr. relatum est an abbates monasterii divi Hieronymi congregationis Olivetanæ de Quarto extra monasterium possint exercere pontificalia in supplicationibus sodalitii Mortis, et Orationis, quod in eorum ecclesia erectum est ; extra monasterium mitram, et baculum pastoralem deferre ; tintinnabula, sacram supellectilem, altaria etiam pro usu aliarum ecclesiarum, etiam secularium benedicere ? S. Congr. deliberavit, ut recurrant ad S. Congr. Rituum [27] : *Januen.*, *Jurium parochialium*, 13 *julii* 1748, *dub.* 4.

75. Abbas monasterii Amorbacensis coactus fuit a S. Congr. ad parochialem ecclesiam, et beneficium primissariæ in Buchen. præsentare presbyterum secularem, non vero monachum ipsius monasterii ; quamquam diutinam possessionem, et privilegia asseruerit. At possessio non immemorabilis, nequidem centenaria, sed necessitate ducta comperta est : *Hierbipolen.*, *Parochialis ecclesiæ et primissariæ*, 5 *decem.* 1750, *dub.* 1 et 2, confirmata 13 *martii* 1751.

76. Abbas Ulissiponensis monasterii S. Benedicti de Salute prope villam Alandroal in Elvensi diœcesi ædificare ecclesiam ruralem, ac solemniter benedicere, atque sacra peragere Episcopo inscio nequit. Nam privilegia regularibus concessa sine præjudicio jurium episcopalium interpretari debent : *Elven.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 1.

77. Abbates cujuscumque ordinis, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, et Benedictini sine speciali indulto calices, tintinnabula, aliaque vasa sacra, in quibus unctione opus est, benedicere pro alienarum ecclesiarum servitio nequeunt : *Olmucen.*, *Jurisdictionis*, 7 *junii* 1755, *dub.* 14, confirmata 2 *aug. ejusd. anni*.

78. Necnon prædicti abbates, et prælati servare decretum ab Alexandro VII, editum [28] de restricto pontificalium prælatis inferioribus concesso usu, tenetur : *Ibid.*, *dub.* 15, confirmata *ibid.*

79. Abbas monasterii S. Honuphrii Massæ Di-

[25] Ad quam Congregationem decisio spectabat.

[26] Die 5 febr. 1622 (*Bullar. Rom.*, tom. 5, part. 5, p. 1), quæ ampliavit decretum Concilii Tridentini cap. 11. sess. 25, *de Regul.*, etiam in hoc, quod administratores bonorum monasteriorum monialium regularibus subjectorum (de quibus nullam mentionem facit Tridentinum) cogi, et compelli juris remediis possint ab Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, ad reddendam singulis annis rationem administrationis, eosque ex rationabili causa amoveri, si superiores, prius de causa moniti, id facere detrectaverint : uti ex § 5, ejusd. Const. patet.

[27] Inter authographos libros ejusdem Sac. Congr. Rituum haud reperitur sequentibus annis hæc causa ; sed quoad pontificalia exercendi jus decretum coram Alexandro VII, Pont. Max., emanavit die 27 sept. 1659 a prædicta S. C. Rituum circa usum pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum ab ipsa S. Congr. In dubiis 17, 18 et 19 hujus decreti ita habetur : « In ordinationibus canonicorum, clericorum, monachorum, necnon investitionibus monialium, et emissione professionis earumdem etiam pleno sibi jure subjectarum, in benedictionibus sacræ supellectilis, cæterisque actibus (Missarum, vesperarum et matutinorum solemnis, ter tantum in anno ut præfertur, exceptis), neque in ecclesiis, oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis quantumvis exemptis, eisdemque abbatibus pleno jure subjectis, mitram, baculum, et quævis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione adhibeat, ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant. Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ ecclesiæ ; aut in subditos pariter alienos etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum, et similium, in quibus adhibetur unctio ; necnon minorum ordinum collationes. »

[28] Die 27 sept. 1659 circa usum pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum, quod emanavit a S. C. Rituum habita coram dicto Summo Pontifice, hisce verbis conceptum § 19 « Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant : puta campanarum benedictiones, calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationes, » et antecedenti § 18

rutæ an uti debeat sacerdotibus secularibus, vel regularibus ab Ordinario minime approbatis ad audiendas secularium confessiones in monasterii ecclesia? audito dubio, S. Congr. respondit in casu, de quo agitur, ad mentem [9]: *Caputaquen.*, *Jurisdictionis*, 11 *decem.* 1756, *dub.* 2, confirm. 30 *julii* 1757 et 15 *martii* 1762.

80. Ad instantiam abbatis commendatarii monasteriorum S. Mariæ de Rambona, et SS. Laurentii in Doliolo et Eustachii, in Dataria apostolica non relaxatur supplicatio præelecti prævio concursu ab Episcopo in provisione parochialis ecclesiæ S. Mariæ *del Serrone*, quæ est una ex iis, quæ censum abbatiæ solvunt, et ejus abbas collationis jus sibi vindicat. Hanc enim abbatiam tribunal Sacræ Rotæ verum, et separatum habere territorium declaraverat: *Nullius seu S. Severini*, *Parachialis del Serrone*, 22 *januar.* 1757, confirmata 12 *februar. ejusd. anni.*

81. Quum satis non constaret de qualitate diœcesana, et de territorio omnino separato a diœcesi Aquilana; ita ut tanquam abbas vere *Nullius* connumerandus esset abbas S. Joannis de Luculo; S. Congr. publicationem jubilæi, et indulgentiarum in terra prædicta Luculi Episcopo competere statuit: *Aquilana*, *Jurisdictionis*, 21 *junii* 1760, *dub.* 1, confirmata 18 *julii* 1761.

82. Necnon subscriptiones edictorum, et quarumcumque scripturarum jurisdictionalium ab abbate prædicto expleri posse cum data *ex abbatia S. Joannis civitatis Aquilæ;* non vero *Datum Aquilæ ex palatio nostræ residentiæ*, præfiniit: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 12 *febr. ejusd. anni.*

§ V.

Abbas quoad facultatem concedendi litteras dimissoriales et testimoniales.

1. Ad instantiam abbatis Guastallæ postulantis se confoveri debere in possessione concedendi litteras dimissoriales, quæ facultas eidem sublata erat; S. Congr. censuit facultatem ordinandi ad Episcopum, intra cujus diœcesis fines abbatia consistit, pertinere; quod si intra nullius diœcesis fines posita sit, ad viciniorem, vicinitatem autem ratione ecclesiæ, non territorii attendendam: *Guastallen.*, *decem.* 1587.

2. S. Congr. sententia est, abbates aliis quam regularibus sibi subditis dimissorias concedentes esse ab officio, et beneficio per annum ipso jure suspensos: *Tarraconen.*, *febr.* 1590, *dub.* 5.

3. Abbatem Guastallæ non posse dimissorias ad ordines concedere, sed eas obtinendas a viciniori Episcopo esse S. Congreg. sancivit. *Guastallen.*, 24 *martii* 1591.

4. Consilium cepit S. Congr. facultatem dimissorias ad ordines suscipiendos concedendi cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, sublatam esse a Concilio inferioribus prælatis. Ideoque vis hujusmodi quoad loca, et personas, de quibus agitur, spectare ad solum Archiepiscopum Theatinum, intra cujus diœcesis fines ipsa loca existere comperiuntur: *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 1.

5. Abbatis commendatarii S. Antonii Viennensis Neapolis litteræ non suffragantur, ut eas obtinentes a sui Ordinarii jurisdictione exempti censendi sint: *Neapolitana*, *Jurisdictionis*, 1 *decem.* 1668, *dub.* 1.

6. Et quamvis non liceat abbati prædicto dimissorias subditis secularibus concedere, ad effectus præmissos non requiruntur ejusdem abbatis litteræ testimoniales: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Abbas S. Barbaræ haud attribuere sibi valet potestatem dimissiorias clericis adscriptis ejusdem ecclesiæ, ut a quocumque alio catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano promoveri possint: *Mantuana*, *Jurisdictionis*, 16 *martii* 1680, *dub.* 3.

8. Ad quæsitum, an abbas monasterii S. Mariæ de Balneo ordinis Camaldulensis, seu ejus vicarius possit concedere litteras testimoniales de vita, et moribus presbyterorum sui districtus recedere volentibus a locis abbatiæ? S. C., non indigere testimonialibus Episcopi, et abbatis, respondit: *Burgi S. Sepulchri*, *Jurisdictionis*, 20 *septemb.* 1698, *dub.* 2.

9. Opinantibus olim abbatibus ordinis S. Bene-

sancitum fuerat, quod abbates regulares: « Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant. » Deinde accessit declaratio dicti decreti circa usum pontificalium pro congregatione Cassinensium die 12 junii 1660, quod Sum. Pont., Alex. VII, die 20 julii ejusd. anni approbavit. Hæc habet § 19 « quo vetita est abbatibus benedictio sacræ supellectilis pro usu alienarum ecclesiarum, assentibus monachis, etiam pro aliena ecclesia ex apostolico indulto eis licitum esse ecclesiarum supellectilem benedicere, S. C. mandavit, exhiberi indultum anthenticum ex archivo apostolico desumptum, ac interim abstineri. Decretum per extensum ejusdemque declaratio legitur apud Giraldum: *Exposit. Jur. Pont.*, tom. 2, pag. 705, seqq.

[9] Et mens est in casu de quo agitur non expedire uti confessariis ab Ordinariis non approbatis: *rel. in ead. Causa* 11 *dec.* 1756, *dub.* 2.

dicti regnorum Portugalliæ jurisdictione quasi Episcopali cum territorio separato potiri; dubinm delatum est in S. C., an iidem abbates possint suis subditis secularibus litteras dimissorias ad minores ordines suscipiendos concedere? et negativum prodiit responsum : 7 *aug.* 1649, *dub.* 2. Inde dubitatum est, an decretum præfatum comprehendat modernos abbates ordinis Cisterciensis S. Mariæ de Salzedas, S. Joannis de Tharouca et S. Petri das Aquiras in regnis Portugalliæ habentes subditos laicos? sed resolutio protracta fuit cum clausula, « ut interim se abstineant in omnibus »: *Lamacen.*, *Jurisdictionis*, 13 aug. 1707. Deinde affirmativum præbuit responsum pro comprehensione decreti : 26 *januar.* 1709, confirmata 16 *decemb.*. 1713, *dub.* 1 [30].

10. Die 21 januar. 1719 quæsivit capitulum S. Petri in Vaticano ratione unionis abbatiarum S. Rufilli Foropompilii provinciæ Ravennatensis, et S. Petri de Cusatis provinciæ Salernitanæ; an, etiamsi constaret de territorio separato, super qua controversia S. Congr. censuerat exquirendum votum Rotæ, possit dimissorias concedere? et negativum habuit responsum. Deinde postulavit indultum dimissorias concedendi; et S. Congr. resolutionem distulit, ut expectetur exitus causæ in Rota super territorio separato : *Nullius seu Brictinonien.*, *Indulti*, 13 *maii* 1722,

11. Cum S.C. nunciatum esset de dubitatione: an liceat abbati monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis suos monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis ordinibus sine Ordinarii Brixinensis dimissoriis dimittere? rescripsit S. Cong. decretum Clem. VIII, anni 1596, servari [31] : *Brixinen.*, 12 *decem.* 1733, *dub.* 3.

Necnon dictus abbas in pœnas canonicas, quam ipsi monachi, qui sunt ordinati cum dispensatione abbatis super ætate, vel ab alio Episcopo cum solis litteris obedientialibus, et sine dimissoriis Episcopi Brixinensis, incidunt : *Ibid.*, *dub.* 5.

§ VI.

Abbas quoad fructus et distributiones.

1. Quæritur, an liceat abbatibus, et aliis superioribus regularibus suis, aut monachis seu secularibus sacerdotibus in parochiis eorum degentibus annuas pensiones imponere, aut partem decimarum pro suis monasteriis reservare, quæ decimæ alias proprie in parochi alimenta penduntur? quoad pensiones negative; in reliquis clarius esse rem proponendam, judicatur : *Olomucen.*, *Jurisdictionis*, 11 *julii* 1665, *dub.* 9.

2. Abbati ecclesiæ collegiatæ S. Pauli uti parocho duplicata portio fructuum etiam ex legatis piis ecclesiæ provenientium debetur : *Verulana*, 14 *martii* 1722, *dub.* 3.

3. Abbas collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ *della Greca* religionis Hierosolimitanæ subjacere tenetu punctaturis, seu amissioni distributionum quotidianarum etiam in diebus ferialibus, quando debitam choro assistentiam non præstat : *Nullius Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 6, confirm. 17 *febr.* 1742.

[30] Vide not. 9.

[31] *Die* 15 *martii*, in quo Summus Pontifex mandavit observari declarationem S. C. Concilii hisce verbis conceptam : « Superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit; et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint; officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, et passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem SSmi Domini Nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. » *Rel. in Concil. Rom.* tit. 21, cap. 2, et in Const. *Impositi Nobis* 27 febr. 1747. *Bened. XIV.* § *Demum* (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 2, p. 82), in qua Const. § *Præterea* decernitur « Ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, propterea, quod Episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris, et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii ejusdem Episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. » Et § *Quemadmodum* declaratur quibus suffragentur privilegia ordinum regularium ordines a quocumque catholico Antistite suscipiendi. Hoc decretum Clementinum antea confirmaverat Innocent. XIII, Pont. Max., Const. *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723, § 17 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 261), et Bened. XIII, Const. *In Supremo* 23 septemb. 1724, § 14. (*Bull. Rom.* tom. cit. pag. 353), in quibus nonnulla decreta eduntur pro restauranda ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum. Et antiquitus S. C. Concilii ita decernendo rescripserat nuntio apostolico Hispaniæ 26 sept 1589 ; ut ex *Regist. lit.* lib. 7, pag. 77 patet.

§ VII.

Abbas quoad onera.

1 Censuit S. Congr scribendum ad Episcopum Atrebatensem, ne cogat abbatem Marchianensem ad habendam lectionem theologalem in suo monasterio, cum ulterius id adimpleat, sustinendo collegium juniorum monachorum in universitate Duacensi, ibique artium, et theologiæ professores ad illos docendos monasterii sumptibus sustineat; et curet, ne idem abbas gravetur in seminarii taxa ultra illud, quod, deductis monasterii et dicti collegii oneribus, æquum esse cum deputatorum consilio prudenter cognoverit: *Atrebaten.*, 9 *sept.* 1594.

2 In terra Canis Mortui adest ecclesia curata reparatione, amplificatione, ac sacris supellectilibus indigens. Populus prætendit id spectare ad abbatem commendatarium abbatiæ S. Mariæ de Plano, cui dicta ecclesia unita est, et, re cognita, S. C. visum est ad eminentissimum abbatem spectare: *Sabinen.*, *Reparationis ecclesiæ*, 13 *maii* 1679, *dub.* 1.

3. Occurrentibus consuetis supplicationibus totius cleri, quinimo etiam illa augustissimi Corporis Christi, abbas S. Barbaræ ecclesiæ collegiatæ, charactere Episcopi in partibus decoratus, renuit ad easdem accedere supplicationes; et S. C. teneri judicavit: *Mantuana*, *Jurisdictionis*, 16 *martii* 1680, *dub.* 7.

4. Pariter abbas prædictus præsumit non teneri ad generalem synodum intervenire, neque ipsius clerum subjacere ejusdem synodi determinationibus, quæ quum ut plurimum edantur ad componendum habitum, et honestatem clericorum, maxime exinde exoritur difformitas, et abusus ejusdem cleri dictæ collegiatæ respectu cæterorum, qui ad normam decretorum synodalium honeste, et laudabiliter vivunt. Et teneri S. C. placitum est: *Ibid.*, *dub.* 8.

5. Abbas monasterii B. M. de Naxera ordinis S. Benedicti congregationis Hispaniarum, qui habet jurisdictionem ordinariam in civitate Naxera, et jus visitandi privative parochialem S. Crucis, et ecclesiam S. Michaelis, eorumque clericos, et capellanos; in reliquis vero ordinariam cum Episcopo cumulative, non tenetur restituere libros exhibitos baptismatis, matrimoniorum, præterquam quoad libros quotidianos: *Calagaritana*, *Visitationis*, 18 *junii* 1701, *dub.* 8.

6. Abbas commendatarius S. Benigni Sedi Apostolicæ subjectus in provincia Taurinensi, pro causis diœcesanorum, dictæ abbatiæ vicarium generalem intra limites ejusdem abbatiæ deputare tenetur. Quum communitas, et homines dictæ terræ abbatialis ab antiquo tempore quasi possessione vicarios generales habendi gaudeant: *Nullius*, *Abbatiæ S. Benigni*, 5 *maii* 1703.

7. Quum archipresbyter ecclesiæ parochialis S. Mariæ Pontis-Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii in casu absentiæ a cura animarum cum licentia S. C., vel Episcopi, sextam fructuum partem ad formam bullæ erectionis parochiæ sibi vindicare possit; Emus abbas illam ei persolvere tenetur: *Imolen.*, *Jurium parochialium*, 12 *februar.* 1706, *dub.* 12, confirmata 25 *julii ejusd. anni.*

8. Quæsito, an, et quomodo abbas, canonici, et assistentes ecclesiæ collegiatæ, ac parochialis S. Joannis Baptistæ terræ Augri choro interesse ad horas canonicas dicendas teneantur? Servari solitum rescriptum fuit: *Nucerina paganorum*, *Functionum parochialium, et servitii chori*, 15 *dec.* 1708, *dub.* 4.

9. Item ad dubium, an itidem teneantur quotidie, vel quibus diebus canere, et respective applicare Missam conventualem pro benefactoribus? Servari solitum sancitum fuit: *Ibid.*, *dub.* 5.

10. Abbas collegiatæ ecclesiæ B. M. V., et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano civitatis Januæ singulis diebus infra annum tenetur propriam Missam in eadem ecclesia, spectata ejusdem ecclesiæ erectionis bulla, celebrare: *Januen.*, 25 *januar.* 1727, *dub.* 1.

11. Et eidem debentur scuta 60 cum additione augmenti usque ad scuta centum stampæ, et coronæ Januæ cum obligatione tamen Missas pro fundatoris, suorumque anima applicandi. *Ibid.*, *dub.* 3 et 4.

12. Abbas commendatarius parochialis ecclesiæ S. Mariæ oppidi Positani cathedraticum, nec non procurationem Archiepiscopo abbatialem ecclesiam et parochialem visitandi solvere debet; etiamsi abbas prædictus territorium separatum a diœcesi Amalphitana habere, et abbatiam esse veluti simpliciter commendatam contenderet: *Amalphitana*, *Cathedratici, et procurationis*, 14 *martii* 1739, *dub.* 1 et 3.

13. Didacus Santucchius abbas Sanctissimæ Trinitatis de Sacargia, cui prioratus, seu parochialis ecclesia S. Petri de Escano in temporalibus reperitur adnexus ratam fructuum decimalium partem erogare in restaurationem dictæ parochialis tenetur; qua de causa reclamare a decreto Episcopi super fructuum quartæ partis sequestro emanato minime valet; *Bosanen.*, *Reparationis ecclesiæ parochialis*, 11 *martii* 1741, *dub.* 1.

14. Quum S. Congr. decreverit ad erectionem novæ parochiæ in loco S. Agathæ, seu civitatis ad mare, et in duobus feudi SS. Leuci et Ramitelli, ad monasterium canonicorum Lateranensium Insulæ Tremitanæ spectantibus, deveniendum esse

juxta modum ab eminentissimo præfecto explicandum; etiam declaravit abbatem dicti monasterii teneri ad subministrationem supellectilium, aliarumque rerum, quæ pro cura animarum idoneæ videntur: *Larinen.* 15 *april.* 1741, *dub.* 3.

15. Capitulares collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ *della Greca* religionis Hierosolymitanæ in S. C. conquesti sunt de clerico Xaverio Miccoli abbate. Hinc S. C. visum est, prædictum abbatem ad sui libitum diebus ferialibus assistentiam choro præstare non posse, sed una cum aliis presbyteris in uno ex tribus turnis hebdomadæ interesse teneri: *Nullius Putignani,* 6 *maii* 1741, *dub.* 5, confirmata 17 *febr.* 1742.

16. Ac in dubio, an abbas prædictus dum choro, aliisque functionibus ecclesiasticis assistere debeat, teneatur personaliter interesse, seu liceat ei inservire per alium? S. C. dari mandavit decreta in *Alatrina, Callien., Leyrien., et Ferentina,* 17 *nov.* 1685 [32]: *Ibid., dub.* 8.

17. Hodiernum abbatem Farfensem solvere taxam seminario romano ex fructibus mensæ abbatialis non teneri S. C. deliberavit; licet prædecessorum observantia adversetur. Ille enim abbas de facta erogatione dictæ taxæ in favorem seminarii Toffiæ ad se ipsum spectantis docuerat: *Romana, Taxæ seminarii,* 11 *aug.* 1742 [33].

18. Abbati commendatario ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, ad quem capellanorum, et Eremitarum pro suæ ecclesiæ servitio, et respective procuratoris pro eleemosynarum, et oblationum administratione spectat deputatio, rationem reddendi obligatio Episcopo a quo visitari etiam potest ecclesia jure saltem delegato, et quoties id sibi in domino vedebitur, incumbit: *Hieracen.,* 30 *martii* 1743.

19. Card. Spinula abbas commendatarius in visitatione collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Andreæ Sublaquei sancivit, ut a præposito, et canonicis eadem repararetur ecclesia. At istis renuentibus S. C. ad eumdem abbatem non spectare declaravit: *Nullius, seu Sublacen., Reparationis ecclesiæ,* 11 *julii* 1750

§ VIII.

Abbas quoad qualitatem nullius, *seu territorium separatum.*

1. Ad abbatiam, seu monasterium S. Salvatoris montis Amiati ordinis Cisterciensis ex antiquis privilegiis nonnulla pertinent castra, et signanter terra Monticelli, super qua abbas prætendit omnimodam, et quasi episcopalem habere jurisdictionem cum formali territorii separatione. At, Episcopo contradicente, dubiis propositis tum super articulis admittendis, et in casu, quod non sint admittendi, an, et de cujus bono jure constet etiam ad effectum manutentionis? Responsum prodiit: ad primum negative; ad secundum constare de bono jure Episcopi quoad situationem in diœcesi Clusina; et quoad exclusionem territorii separati prætensi per abbatem; et super quibus actibus competat eidem abbati jurisdictio particulariter videatur: *Clusina seu nullius, Jurisdictionis,* 21 *april.* 1703, *dub.* 1 et 2, confirmata, cum additione, quod super actibus particularibus jurisdictio quænam competat abbati? Examinentur ab eminentissimis Acciajola, Ferrario, et Panciatico.

2. Definitionibus editis a Congregatione particulari [34] super competentia jurisdictionis ordinariæ

[32] *Juris substituendi,* in qua eadem die et anno habetur: « Die etc. Sacra etc. resolutioni factæ a capitulo esse annuendum, et decretum editum ab Episcopo reducendum ad formam declarationum ejusdem S. C. Concilii tenoris sequentis. *Alatrina, die* 24 *martii* 1612. S. C. Concilii ad supradicta dubia hunc in modum respondit; videlicet ad primum eos tantum, qui in civitate, ubi est cathedralis, vel in ejus suburbiis sunt præsentes, non autem alios posse substituere; ad secundum, non requiri causam ad substituendum; quod vero monuit Congr., ut Episcopo cordi sit, ne canonici ea substituendi facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones hujusmodi sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio; ad quartum absentem in castro diœcesis non posse substituere. *Callien.* 29 *julii* 1628. S. C. Concilii ad secundum respondit, decretum Episcopi esse confirmandum, illud tamen intelligendo, ut canonici ad invicem se substituere valeant, dummodo non substituantur ii, qui eodem tempore servitio sint adstricti; et Episcopus curet, ne iidem canonici hujusmodi facultate se invicem substituendi abutantur. » *Leyrien. die* 7 *sept.* 1630. S. C. Concilii censuit dandas esse litteras patentes in forma Episcopo Leyriensi, qui pro XI quadriennio sacra Apostolorum limina visitavit, et respondendum ad capita ut infra; ad septimum licere capitularibus se ad invicem substituere, dummodo eodem tempore substituens, et substitutus eidem servitio adstricti non sint, et hac facultate non abutantur. *Lib.* 35 *decret. pag.* 454 *seqq.*

[33] Benedictus XIV, Const. *Dum universi,* 15 martii 1747 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 2, pag. 120) præfinivit jurisdictionem abbatiæ Farfensis, et S. Salvatoris Majoris, quoad loca, et ecclesias in alienis diœcesibus existentia: quam sequitur motus proprius *Etsi,* 12 aug. ejusd. anni (*ibid. pag.* 124) super secunda dismembratione jurisdictionis dictæ abbatiæ.

[34] Congregatio particularis diei 6 julii 1704 decernit, competere abbati jurisdictionem, tam in suo monasterio, quam in regularibus. Item competere abbati jus deferendi mitram, annulum, baculum, et sandalia in pontificalibus celebrandis in ecclesia sui monasterii, necnon mozettam intra ambitum ejusdem monasterii. Item competere abbati jus visitandi ecclesias, etiam curatas in castris abbatiæ, et Monticelli sitas, cumulative cum Ordinario; ita tamen, ut decreta abbatis non adversentur decretis Ordinarii.

in genere, et super exclusione territorii separati; tum etiam super nonnullis actibus particularibus in favorem abbatis S. Salvatoris Amiati, ipso abbate non acquiescente, et super quibus actibus particularibus sit standum, vel recedendum a decisis, reclamante ad signaturam Sanctissimi. Hæc remisit ad S. C. tantum quoad actus particulares, quæ respondit; in decisis in omnibus cum prohibitione abbati se denominandi *Nullius* : *Clusina*, *Jurisdictionis super actibus particularibus*, 28 *martii* 1705 [35].

3. Supplicatur declarari, an abbas Cassinen. monasterii Sanctissimæ Trinitatis civitatis Cavæ suum particulare territorium separatum reservatum in territorio Cavensi habeat, et quale illud sit?

4. An pendente discussione super dicto territorio separato reservato jurisdictio in eo exerceri debeat per abbatem, vel per Episcopum Cavensem privative quoad ipsum?

5. An hospitium, et capella S. Mariæ de Obedientia sit de territorio, et jurisdictione abbatis Cavensis?

6. An constet de attentatis? Omnia S. C. remisit ad Rotam [36] : *Caven.*, *jurisdictionis*, 3 *aug.* 1709, *dub.* 1, 2, 3 et 4.

Abbas regularis. Vide *Abbas*.

§ IX.

Abbas quoad residentiam et absentiam.

1. Abbas collegiatæ ecclesiæ S. Joannis Baptistæ terræ Angri, qui animarum curam habet, ad residentiam tenetur : *Nucerina paganorum*, *Residentiæ*, 26 *febr.* 1707, *dub.* 1.

2. Nec abesse potest singulis annis per tres menses ad formam S. Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 2, *de Reformatione*, et sess. 23, cap. 1, *de Reform.* [37] : *Ibid.*, *dub.* 2.

Item competere abbati in eisdem ecclesiis, in castris abbatiæ, et Monticelli sitis, præsentationem, seu respective institutionem tituli collativam, prævio tamen concursu coram Ordinario ; institutionem vero authorizabilem competere eidem Ordinario, ad formam Concilii. Item competere abbati in præfatis ecclesiis electionem concionatorum approbandorum tamen ab Ordinario. Item competere abbati in eisdem ecclesiis deputationem capellanorum amovibilium, approbandorum pariter ab Ordinario in concernentibus curam animarum. Omnes vero reliquos prætensos actus jurisdictionis spectare ad Ordinarium : ita refert Ursaya, *Discep. Eccles. V*, tom. 2, part. 1, num. 210 seqq.

[35] De hac causa hæc apud Petram *in Comment. ad Const. IV Calisti III*, sect. III, num. 33, tom. 5, pag. 84 seqq. habentur : « Hinc S. C. Concilii in famigerata *Causa Clusina*, *Jurisdictionis*, etsi pro parte abbatis S. Salvatoris ordinis Cisterciensis, prætendentis separationem veram territorii in duobus castris, fuissent producta privilegia apostolica, et præsertim *Gregorii XV*, ut nullus sacerdos in præfatum monasterium quamlibet jurisdictionem, vel potestatem haberet, nisi per Sedis Apostolicæ Pontificem; et nulla alia magna persona servis, famulis, liberis, et cunctis rebus molestiam inferret; et quod nulla magna seu parva persona intra districtum in aliquibus castris ipsius manum habere; vel judicare, sive aliquod placitum tenere habeat; ac deducta fuisset prætensa præscriptio jurium episcopalium ; tamen quia titulus Apostolicus fuit recognitus non sufficiens pro separatione territorii, nullam vim habere potuit prætensa præscriptio, etsi nullus ille potuisset aliquo modo præbere bonam fidem in præscribente, ac proinde die 21 april 1703 resolvit S. Congr. *Constare de bono jure Episcopi*, *quoad situationem in diœcesi Clusina*; *et quoad exclusionem territorii separati prætensi ab abbate*, *et super quibus actibus competit eidem abbati jurisdictio particulariter videatur*; et die 5 april. 1704 stetit *in decisis.*, ac perscrutatis in Congregatione actibus particularibus, fuerunt aliqui adjudicati abbati. »

[36] Hinc vigore remissionis S. C. Concilii Sacrum Tribunal Rotæ dubium proposuit : « An abbas Cassinensis Sanctissimæ Trinitatis Cavæ habeat suum particulare territorium separatum reservatum in territorio Cavensi, et quale illud sit? » et omnibus DD. suffragantibus resolutum fuit, « abbatem Cavensem habere particulare territorium separatum in monasterio Cavensi, et aliis locis reservatis in capitulis, et Bulla Leonis X » ut in *Decis.* 3, *tit. de Offic. Ordinar. cor. Falconerio.* Nam hoc territorium separatum cum sua jurisdictione in genere fuit canonizatum a S. C. Concilii, cujus decretum Summi Pontifices confirmarunt, aliæque valide accesserunt probationes : speciem autem illius jurisdictionis consistere in monasterio Cavensi, et in aliis locis reservatis in capitulis initis cum Cardinali de Aragonia ante erectionem episcopatus Cavensis, et a Leone X, in ipsa episcopatus erectione confirmatis.

Deinde in eodem tribunali S. Rotæ ad dubium tertium hisce verbis conceptum : An scilicet hospitium, et capella S. Mariæ de Obedientia sit de territorio separato, et jurisdictione abbatis? *Negative tam quoad territorium*, *quam quoad jurisdictionem præter ea*, *quæ de jure competunt locis exemptis*, decisum fuit ; ut *in Dec.* 3, *tit. eod. coram eod.* In supradictis enim capitulis omnimoda jurisdictio in dicto hospitio, et capella adjudicata fuit Episcopo; cum unum, et altera in parte territorii concessa ecclesiæ cathedrali existant ; jurisdictio autem abbatis intra fines territorii Episcopo concessi, quatenus non repugnet, seu tendat in diminutionem omnimodæ jurisdictionis episcopalis, et tantum ad ea, quæ de jure competunt locis exemptis, fuit præservata, quia territorium separatum non constituit locus exemptus, qui bene potest esse intra territorium, et jurisdictionem Episcopi.

[37] In quibus capitibus præcipitur omnes sive de jure, sive de consuetudine personali residentia gravatos privilegiis et indultis perpetuis de non residendo non gaudere: sed tantum dispensationibus temporalibus ex veris et rationabilibus causis tantum concessis, et coram Ordinario legitime probandis et cognita causa, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquere; discedendi autem licentiam in

3. Julius Cæsar Miccolius abbas ecclesiæ S. Mariæ *la Greca*, terræ Putignani tenetur ad residentiam sub pœna fructuum amissionis, beneficiique privationis, non autem distributionum; etiamsi an esset ecclesia illa collegiata, vel receptitia, et abbatia simplex beneficium dubitaretur : *Conversana*, *seu terræ Putignani, Residentiæ*, 22 *nov.* 1755, *dub.* 1.

4. Imo cum eodem abbate tanquam presbytero participante dictæ ecclesiæ pœnæ in non residentes tum a jure communi, quam a sacro Concilio Tridentino inflictæ locum habent : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Abbas Bernardinus Lucernarius parochus ecclesiæ S. Blasii in inferiori regione urbis Pontis Curvi *Pastino* nuncupata sitæ, habitare nequit in domo paterna in superiori regione manente, extra fines nempe suæ parœciæ: *Pontis Curvi*, *Residentiæ*, 20 *dec.* 1755, confirmata, et additum ad mentem, 7 *febr.* 1756.

ABBATIA.

Abbatia exempta et nullius diœceseos.

1. Dubio, an cessante hospitalitate cessaverit exemptio concessa ecclesiæ et abbatiæ S. Mariæ de Patientia vigore brevis Sum. Pont. Clem. VIII? prodiit negativa responsio : *Neapolitana*, *Censurarum*, 29 *nov.* 1693.

2. Ob controversiam inter Episcopum Anglonensem, et abbatem Rapacciolum commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni exortam occasione ejus ecclesiæ visitationis in id, quod ad animarum curam pertinet, dubio exhibito, in favorem Episcopi jurisdictionis S. C. sancivit addendo « donec per rem judicatam constiterit, præfatam abbatiam esse nullius, et cum territorio separato, et jurisdictione quasi episcopali; » 24 *januar.* 1660. Nuper eadem instaurata inter modernos Episcopum et eminentissimum abbatem contentione dubium proponitur, an constet, abbatiam prædictam esse nullius, et habere territorium separatum, et jurisdictionem quasi episcopalem? cui S. C. postquam litteras compulsoriales, ac remissoriales cum præfixione termini dedisset, *die* 24 *aug.* 1709, *dub.* 2, inde distulit resolutionem, ut coadjuvarentur probationes, non retardata exequutione decreti S. C. anni 1660. *Anglonen.*, *Jurisdictionis*, 16 *maii* 1711. Demum negativum ex deductis præbuit responsum : 17 *nov.* 1714 [38].

3. Abbas parochialis ecclesiæ SS. Naxarii et Celsii olim ordinis S. Benedicti ab Episcopi jurisdictione suam esse abbatiam exemptam prætendit, e contra ex documentis Episcopos Vercellenses jure ordinario sæpius eam visitasse evincitur. Hinc quæstionem S. C. dirimit, dictam abbatiam minime esse exemptam ab ordinaria Episcopi jurisdictione decernendo: *Vercellen.*, *Jurisdictionis*, 9 *julii* 1735, *dub.* 1.

4. Quum ageretur de expendenda et judicanda qualitate ecclesiæ abbatialis S. Petri Guastallensis, an vere nullius, nempe superioris, et ultimæ speciei sit, respondit S. C.: Dilata, et ad mentem : *Guastallen.*, *Provinciæ Mediolanensis*, 9 *aug.* 1766.

ABBATISSA.

§ I.

Abbatissa, seu priorissa in genere.

1. Abbatissam imperialis monasterii majoris monialium S. Mauritii ordinis Benedictini jus habere conferendi animarum curam ecclesiæ parochialis S. Mariæ ad Circulum ei, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit, statutum fuit. Abbatissa enim novum parochum instituerat, vicarius generalis dubitavit, an institutio prædicta collativa tantum fuerit, vel authorizabilis, quæ a dignitate Episcopi inseparabilis est, inde hæc orta erat controversia : *Mediolanen.*, *Juris conferendi*, 17 *dec.* 1701.

2. Dubio, an abbatissa et canonissæ seu dominæ S. Petri Romaricomontis in Lotharingia capitulariter congregatæ privative, et sine interventu presbyterorum canonicorum altaris majoris nuncupatorum punire excessus graves alicujus delinquentis ex eisdem canonicis possint? S. C.

scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant. Circa prædictam deputationem vero idoneorum vicariorum et congruæ portionis fructuum assignationem in Trid. loc. cit. præceptam in Const. Innocentii XIII, *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723 (*Bull. Rom.*, tom. 11, part. 2, pag. 261), super ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum, confirmata et extensa ad quoscumque locorum Ordinarios a Bened. XIII, Const. *In Supremo militantis*, 23 sept 1724 (*Bull. Rom.*, tom. cit., pag. 353), præscribitur, § II, modus, quo utrique præcepti parti Ordinarii satisfacere possint, ne animarum cura negligatur.

[38] Vide notam 20.

respondit: Servari decretum eminentissimi Rohan visitatoris art. 46 [39] : *Tullen. seu nullius S. Petri Romaricomontis, Visitationis*, 13 *jan.* 1731, *dub.* 2.

3. Abbatissa collegiatæ oppidi Thorensis uno solet canonicatu potiri. Quum huic delatus quoque fuisset abbatissatus Essendiensis, a Sede Apostolica utrumque retinendi impetravit facultatem, ea tamen lege, ut sex cujusque anni mensibus in uno, et sex aliis in altero resideret. Obtinuit deinde Indultum moram biennii Essendii faciendi, absque ulla canonicatus, ejusque fructuum mentione. Hinc igitur fuerunt quæstiones excitatæ an, et pro qua rata temporis D. abbatissæ Thorensi fructus sui canonicatus præbendales debentur?

4. An eidem non residenti cum familia in abbatissatu Thorensi deberentur fructus, quos vocant œconomicos?

5. Ac an eidem non interessenti anniversariis, et similibus, deberentur fructus, seu emolumenta pro illis dari solita? Verum nulla prodiit earum definitio, sed fuit demandatum, ut scriberetur nuntio apostolico juxta instructionem, et ad mentem [40] : *Leodien., Fructuum*, 28 *martii* 1733, *dub.* 1 et 2.

6. Abbatissæ monasteriorum SS. Mariæ et Aureliani, et S. Mariæ Theodotæ civitatis Ticini recipere a ministris curiæ episcopalis edicta, sive mandata, quorum exequutio a Sede Apostolica specialiter delegatur Episcopo, tenentur; etiamsi sub regimine abbatis ordinis S. Benedicti sint: *Papien.*, 16 *martii* 1743, *dub.* 11.

7. Joannes Franciscus Marx primarias preces obtinuit ab Imperatore Francisco I, ad assequendum unum ex duobus beneficiis erectis in ecclesia monialium Veteris Cellæ primo vacaturum. Archiepiscopus Moguntinus illas exequendas minime duxit, quia prædictorum beneficiorum collatio ad abbatissam pertinebat, et apostolicum indultum in favorem imperatoris locum tantum haberet quoad collatores saltem quatuor beneficiorum, minime vero duorum; hinc dubio in S. C. proposito, utrum essent illæ preces exequendæ; seu ad abbatissam collatio libera pertineat? Ad judices suos [41], S. C. respondit : *Moguntina, Primariarum precum*, 14 *dec.* 1748.

§ II.

Abbatissa seu priorissa quomodo eligatur et confirmetur.

1. Episcopum præsidere debere ad præscriptum Constitutionis S. M. Gregorii XV, *de Exempt. privileg.* [42] electioni abbatissæ seu priorissæ mona-

[39] In quo confirmata fuit auctoritas et jurisdictio abbatissæ et dominarum de capitulo quoad canonicos, aliosque ecclesiasticos et ministros ecclesiæ, et adjunctum quod si ageretur de aliquo delicto requirente judicialem animadversionem et processum, « dictæ dominæ, vocatis canonicis ad capitulum, ut in simili casu fuit practicatum, et accepto istorum consilio, Romæ recursum instituerin pro petendo commissario apostolico, qui procedere possit contra culpabilem per censuras, privationem beneficii et alias pœnas canonicas; et nihilominus ipsæ dominæ illum interim arceant ab exercitio functionum in earum ecclesia. » *Ead. Causa*, 28 julii 1730, § 12.

[40] Nempe ut referat, quænam fuerit hactenus observantia circa fructuum perceptionem quoad abbatissas, et canonissas habentes indultum apostolicum pro retentione plurium incompatibilium, et quænam sit consuetudo in aliis capitulis quoad fructus præbendales in absentia lucrandos a canonicis habentibus indultum retinendi plures præbendas incompatibiles : *Regist. Lit.*, lib. 28, die 28 martii 1733.

[41] Qui judicarent secundum ordinem justitiæ, et probata super jure abbatissæ conferendi dicta beneficia; quum illa capax esset conferendi parochialem et parochum nominandi et instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit, ut declaravit Sac. Congr. Concilii in Mediolanensi, 17 decem. 1701, relata num. 1, præsenti §.

[42] Decretum Concilii Trid., sess. 25, cap. 7 *de Regul.*, mandans Episcopum, præesse debere electioni abbatissæ monialium sibi subjectarum, prælatum vero regularem electioni, quæ fit a monialibus sibi subjectis, exemptis a jurisdictione Episcopi ampliatum est a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622, decernente, § 5, ut Episcopus una cum superioribus regularibus per se, vel per alium, intersse etiam valeat huic electioni, citra tamen ullam monasteriorum impensam. Et ad calcem ejusd. Const. legitur dubium secundum, pag. 4, a S. C. Concilii resolutum ac approbatum ab Urbano VIII, Pont. Max., hisce verbis conceptum : « An liceat Episcopo in vim præfatæ Const. punire regulares, qui ad abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum aut die electionis eidem nullatenus prænunciata? » Cui respondit S. C. Concilii : « Regulares ex ead. Const. ita teneri Episcopo significare diem electionis abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse ac præsidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum aut die electionis eidem non prænunciata ad abbatissæ electionem procedunt. » Monet tamen Bened. XIV, *de Synod. diœc.*, lib. 3, cap. 12, num. 4, satius esse Episcopo semel in synodo declarare animum suum, quod ipse scilicet semper velit abbatissarum etiam exemptarum electionibus interesse, quam id præstare singulis vicibus quibus electio facienda est.

Quoad electionem abbatissæ juvat referri responsio Pontificis Pii VI, ad abbatissam monasterii oppidi Æmiliani regni Galliarum data die 15 decem. 1790, per medium Card. de Zelada hisce verbis concepta : « Ad quæstionem autem quod attinet, quam dilucide tibi postulas enodari atque explicari me item jussit in hunc sane modum suo prorsus nomine his te verbis commonefacere. Si octava die proxima hujusce mensis et anni isthuc acces-

steriorum monialium, etiam exemptorum a jurisdictione ipsius Episcopi sancitum est: *Colimbrien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 4.

2. In electione abbatissæ monasterii monialium regularibus subjectarum Episcopum non posse exquirere, seu recipere vota monialium, sed illa exquiri, et recipi debere a superiore regulari, sciente tamen, et audiente eodem Episcopo, S. C. declaravit: *Urbaniæ*, 10 *sept.* 1639.

3. Dubio, an Episcopus prohibere possit regularibus etiam sub censuris ne ante electionem abbatissæ, seu priorissæ vota habere procurent? respondetur, non esse adhibendas censuras: *Perusina*, *Episcopatus*, 2 *apr.* 1650, *dub.* 4.

4. Post editam Constitutionem *Inscrutabili* a Gregorio XV [43], consuevit Archiepiscopus Neapolis pro tempore interesse electionibus abbatissarum monasteriorum regularibus subjectorum, adhibito præter se ipsum, vel vicarium, etiam notario, qui gesta adnotaret, et fide his faceret, ne res alioquin sub superiorum regularium dispositione remaneret, si controversia super electione, et nullitate occurrisset, utque ne Ordinarii interessentia frustratoria redderetur; hoc non obstante, superior monasterii Reginæ Cœli ex canonicis regularibus in electione nuper facta admittere notarium noluit, et non obstante quod vicarius generalis de nullitate protestaretur, ad electionem processit; eminentissimus Archiepiscopus, citato procuratore generali in curia instat declarari, primo, an in electionibus abbatissarum, una cum vicario generali interesse possit etiam notarius archiepiscopalis? secundo, an dicta electio facta absque interessentia vicarii, et notarii sit contra constitutionem prædictam, ac propterea nulla? S. C. ad utrumque respondit negative: *Neapolitana*, *Electionis abbatissæ*, 4 *maii* 1675, *dub.* 1 et 2 [44].

5. Declaravit S. C. non fuisse a Gregoriana Const. [45] attributum Episcopis jus confirmandi abbatissas, quarum electioni præsidere possunt, si monasteria ab Ordinarii jurisdictione sint exempta: *Hieracen.*, *Visitationis*, 26 *januar.* 1692, *dub.* 8.

6. Ad restituendam regularem observantiam collapsam in monasterio S. Andochii ordinis S. Benedicti, illius moniales in coadjutricem Mariæ de la Beaume abbatissæ Dionysiam de Pernes monialem 50 annorum cum futura successione, etiam invicta dicta Maria ætatis annorum 80, reservata pensione lib. 600 Turonensium, deputari efflagitarunt. Sed S. C., ut expectetur exitus causæ in

serit officialis municipalis ad novam abbatissam et œconomicam eligendam ut fert ultimum illud decretum, quod tu commemoras, tibi tuisque correligiosis id curæ erit ut quantum fieri poterit novitati huic prudenter modesteque obsistatis, eidem officiali debita animi submissione significantes, id vestris regulis et constitutionibus adversari, quas inter amplectendum institutum vestrum jurasti Deo sancte religioseque servaturas.

« Verum si fiat ut frustra nitentibus vobis, quod sane timendum est, vis aliqua adhibeatur, ita ut ad novam hujusmodi electionem cogamini, tunc Sanctitas Sua, ne majora mala subsequantur, facultatem tibi, tuisque correligiosis impertitur ad hujusmodi novam electionem deveniendi ita tamen ut si fieri id possit, tu ipsa in abbatissam eligaris; qua in re facienda vult ipse, ut hac necessitate durante nec regulæ, nec constitutiones vestræ ullo vobis esse possint impedimento.

« Hac ratione facile tibi erit in eo in quo moraris, permanere loco, et illa solemnia vota religiose servare, quibus te Deo devovisti; nec opus erit, ut ad remotas orbis partes, ad quas secedas, animum aut cogitationem convertas; id enim debet esse extremæ tantum necessitatis remedium, ubi nempe vobis omnis prorsus sit adempta facultas manendi in ea vocatione, in qua vocatæ estis, ubi benevolum nanciscamini receptorem, ubi denique ecclesiasticorum præsidum approbatio, et Apostolicæ Sedis ad id accesserit venia, iis scilicet omnibus servatis cautelis, quas docte, sapienterque explicavit Summus Pontifex in suis litteris in forma brevis ad Episcopum Brunensem Vindebonæ datis pridie Idus april. anni 1782. »

[43] Vide not. 42.

[44] « Et hunc inferas » (ait Mattheu *Offic. Cur. Eccles.*, cap. 1, num. 8, pag. 3), quod sicut non conceditur, quod cum vicario electioni intersit notarius, sic videtur, quod nec alius assistat, neque sit in potestate Ordinarii sumere alios, qui cum ipso intersint electionibus abbatissarum monasteriorum regularibus subjectorum. Quod videtur esse ad tenorem allegatæ Const. (nempe ***Inscrutabili*** Greg. XV), quæ pluralitatem excludit, et in numero singulari dispositionem concipit, ***per se***, vel ***per alium***; et per alternativam, ***vel***, non per copulativam ***et***: verum si consuetudine alicubi sit aliud inductum, religiose servetur. » De qua causa vide Pignatelli, consil. 120, et causam num. 7.

[45] Quoad confirmationem electionis abbatissarum quum et contraria hypothesi decretalis, cap. 15, ***Meminimus*** tit. *de Accusat.*, etc., si nempe monasterium Sanctæ Sedi non sit immediate subjectum, inferatur spectare ad Episcopum, non semel ortum est dubium, an ad eum etiam spectet, si agatur de monialibus ordinibus regularibus subjectis in vim Const. Gregorii XV, ***Inscrutabili***, in qua conceditur Episcopo facultas interessendi una cum superiore regulari electione abbatissæ; sed eodem dubio proposito in S. C. Concilii his verbis extenso num. 5: An per eamdem Constitutionem in illis verbis; « Possit Episcopus una cum superioribus regularibus quarumque abbatissarum electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, » jus abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? Respondit « Ad V, jus confirmandi abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributum; » ut videre est in calce ejusd. Const. una cum approbatione Urbani VIII. Neque itidem ex decreto S. C. Episcoporum et Regul. sub die 15 maii 1671, potest Episcopus interesse confirmationi ejusdem abbatissæ quæ penes aliquos regulares quotannis fieri solet.

S. C. Episcoporum[46], præcipit : *Eduen*, *Coadjutoriæ*, 21 *aug*. 1706.

7. Episcopus in sequelam antiquæ consuetudinis postulavit in electionibus abbatissarum in monasterii sub disciplina regularium Minorum de observantia existentibus suum cancellarium assistere debere, non quidem, ut adnotet vota, vel ea audiat, sed longe a loco scrutinii, et prope januam ecclesiæ, eo modo, quo adstant fratres præter provincialem, vel superiorem regularem, et disquisitores; S. C., sese opponente patre provinciali provinciæ romanæ, assensa est : *Tyburtina*, 26 *apr*. 1727, *dub*. 1.

8. Abbatissarum, vel priorissarum monasteriorum monialium regularibus ordinis Cirterciensis subjectarum electioni Episcopus tam per se, quam per alium interesse potest : *Paraphaonen*., *Jurisdictionis*, 14 *nov*. 1733, *dub*. 1.

9. In monasterio monialium Carmelitarum Putignani electio abbatissæ sine præsidentia Episcopi Conversani, vel ejus delegati fieri non valet : *Conversana*, *Jurisdictionis*, 8 *maii* 1751, *dub*. 1.

10. Et illa aliter facta sine hujusmodi præsidentia, dum Episcopus declaravit juxta bullam *Inscrutabili*[47] interesse velle, est nulla ; ita ut ad novam electionem procedi valeat : *Ibid*., *dub*. 2.

11. Munusque priorissæ in moniales juxta primarum ordinem, et sine ullo meritorum defectu conferri non debet ; sed monialium suffragia in alias etiam non seniores juxta qualitates, et merita libere dari valent : *Ibid*., *dub*. 3.

12. Electioni abbatissæ hospitalis S. Jacobi Tungrensis etiam absque capituli adjunctis recte assistere potest decanus collegiatæ ecclesiæ B. M. V. Tungrensis, qui super monasterio delegatam habet jurisdictionem in solidum cum capitulo, nec non visitandi jure potitur : *Leodien*., 28 *sept*. 1765, *dub*. 2.

Abolitio. Vide *Legatum*, § vi; *Missa*, § xiv ; *Subsidium dotale*, § viii.

Abrogatio. Vide *Consuetudo*, § i.

Absentia a choro. Vide *Archipresbyter*, § xi ; *Beneficiati*, § viii; *Canonici*, § x ; *Capitulum Ecclesiasticum*, § x ; *Dignitates Ecclesiasticæ*, § vi ; *Mansionarius*, § v ; *Præpositus*, § iv ; *Presbyteri*, § ix.

Absentia a choro *quoad dispensationem*. Vide *Dispensatio*, § i.

Absentia a residentia. Vide *Abbas*, § ix ; *Beneficiati*, § vi ; *Canonici*, § viii ; *Clerici*, § iv ; *Episcopus*, § xxi ; *Parochus*, § x ; *Præpositus*, § vi ; *Presbyteri*, § viii.

ABSOLUTIO.

§ I.

Absolutio, seu condonatio ab omissa celebratione vel applicatione Missæ conventualis.

1. Absolutionem facto verbo cum Sanctissimo canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Minorissæ, seu Manresiæ quoad præteritum ob Missas conventuales non adimpletas injuncto onere celebrationis alicujus Missæ solemnis arbitrio Episcopi, quum redditus vix pares congruis alimentis haberent, S. C. elargita est : *Vicen*., *Missæ conventualis*, 2 *septemb*. 1747, *dub*. 1.

2. Absolutio concedenda ob omissam applicationem Missæ conventualis post erectionem ecclesiæ collegiatæ oppidi Sabiniani ad D. secretarium remittitur. Nam tenuitas præbendarum a dictæ collegiatæ capitulo, easque certis oneribus gravatas a fundatoribus impositis, ita ut applicatio Missæ conventualis pro benefactoribus in genere locum non haberet, exponebatur : *Ariminen*., *Missæ conventualis*, 18 *sept*. 1751, *dub*. 4.

3. Exposita a capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Agathæ terræ Asciani bona fide, ac reddituum tenuitate, absolutio quoad præteritum ob Missæ conventualis onus haud impletum D. secretario cum Sanctissimo conceditur : *Aretina*, *Missæ conventualis*, 19 *dec*. 1769, *dub*. 3.

4. Absolutionem quoad Missas conventuales in præteritum minime applicatas pro benefactoribus in genere canonici collegiatæ ecclesiæ S. Stephani terræ Cotiniolæ obtinuerunt. Ipsi enim putantes applicationem pro benefactore, præter quem nullum alium agnoscebant, sufficere, ex æquo et bono egerunt : *Faventina*, *Missæ conventualis*, 3 *junii* 1780, *dub*. 4.

5. Canonici ecclesiæ S. Mariæ Mortis in collegiatam nuper erectæ urbis Æsinæ ignorantes Be-

[46] Apud quam causæ definitio pendebat super re principali. Cæterum ex Constitutione Gregorii XII, Pont. Max. *Exposcit debitum*, Cal. januar. 1682 (*Bull. Rom*. tom. 4, part. 4, pag. 22), et ex Decreto S. C. Episcoporum et regul. *in Adrien*, 20 februar. 1615, et *in Mazarien*. 18 *martii* 1700 *in respons*. *ad* 1, quod elapso triennio remanet abbatissa suspensa ab officio ipso facto, et una ex senioribus monasterii regimini interim præfecta, donec alia canonice eligatur, colligitur.

[47] Vide not. 42.

ned. XIV, Pont. Max. encyclicam [48], Missam conventualem, prætermissa applicatione pro benefactoribus, celebrarunt. Hinc efflagitant absolutionem, quæ facto verbo cum Sanctissimo illis fuit concessa a S.C.: *Æsina, Missæ conventualis* 5 *aug.* 1780.

6. Absolutionis gratiam ob applicationem non factam Missarum conventualium pro benefactoribus impetrare canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Materillæ nuncupatæ debent juxta decretum visitationis abbatialis Lateranensis, quod S. C. approbavit: etiamsi nullam hi extare massam distributionum, unde eleemosyna accipi possit, asseruerint: *Nullius Ferentilli, Visitationis sacr. liminum,* 28 *apr.* 1761, *dub.* 1.

7. Ac dicta absolutione postulata quoad Missas in præteritum haud applicatas ad D. secretarium cum Sanctissimo fuit eis rescriptum: *Ibid. dub.* 3.

8. Absolutio expetita a capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis, qui applicationem quotidianam Missæ conventualis omiserunt, ad D. secretarium cum Sanctissimo remissa a S. C fuit. Indultum enim applicandi illas diebus tantum festivis de præcepto, de quo indulto nullum extat monumentum, obtinuisse canonici putabant: *Ilcinen., Missæ conventualis,* 28 *julii* 1781.

9. Canonici collegiatæ ecclesiæ portus S. Mauritii pluribus gravati oneribus, et paucis præditi redditibus, Missam conventualem pro benefactoribus in genere celebrare neglexerunt a tempore, de quo non constat; ac propterea rogarunt pro absolutione quoad præteritum; et S. C. impertita est prævia Sanctissimi consultatione: *Albenganen., Missæ conventualis*, 9 *aug.* 1788, *dub.* 1.

10. Censuit S. C. esse consulendum Sanctissimo pro absolutione in favorem canonicorum collegiatæ ecclesiæ oppidi Civitellæ, qui Missam conventualem omiserunt, utpote in erectione ejusdem collegiatæ minime injunctam, et ex cap. IV constitutionum abbatis de Rubeis in eo dumtaxat casu præscriptam, quo ex dispositione alicujus benefactoris aliquid capitulo acquireretur. Ex quo bona fides induci vellet: *Brictinorien., Reductionis Missarum,* 19 *dec.* 1789, *dub.* 2.

11. Pluries oneris missæ conventualis canonici ecclesiæ cathedralis ad eorum ecclesiam reparandam terræ motu concussam reductionem reportarunt. At absolutis indultis iidem canonici prædictum onus a mense januario, usque ad mensem junii 1787 omiserunt. Exhibentes modo redditaum tenuitatem absolutionem implorant, et eam imposito aliquo onere impetrarunt: *Fabrianen.*, 19 *dec.* 1789, *dub.* 2.

12. Beneficiati ecclesiæ parochialis *de Balmaseda* animarum curam gerentes ab immemorabili tempore duplicem applicarunt Missam pro populo, et pro benefactoribus. Sed edita encyclica Benedicti XIV [49], quum eorum ecclesia non sit collegiata, solutos se esse censuerunt ab applicatione pro benefactoribus, et per annos 19 eam neglexerunt. Hinc modo quærunt absolutionem, et S. C. illos audivit celebrato aliquo missarum numero SSmo præfiniendo: *Santandrien.*, 16 *junii* 1792. *dub.* 2.

13. Quum canonici collegiatæ ecclesiæ S Mariæ de Nazareth oppidi Sigestri, qui adeo tenues habent redditus, ut nemo summam scut. 30 attingat, Missam conventualem ex antiqua observantia diebus profestis sine cantu, et extra tempus chorale celebraverint; hinc absolvuntur quoad præteritum ob hanc omissam celebrationis formam: *Brugnaten., Missæ conventualis,* 23 *jan.* 1796, *dub.* 3.

14. Quamquam a canonicis ecclesiæ cathedralis in mala fide celebratæ fuerint Missæ conventuales, et pro populo applicatæ contra dispositionem encyclicæ Benedictinæ; S. C. tamen censuit canonicos veniam omissionis ob exiles eorum præbendarum proventus mereri posse, decrevitque esse consulendum quoad præteritum Sanctissimo pro absolutione: *Brugnaten., Missæ conventualis et pro populo,* 28 *maii* 1796, *dub.* 3.

§ II.

Absolutio, seu condonatio ab omissis piis legatis.

1. Dispositio Petri Guala, qui in favorem puellarum, aut in alia pia opera arbitrio hæredum quamdam pecuniæ summam reliquit, considerata hæredum paupertate adimpleta non fuit, nec adimpleri potest. Hinc quoad præteritum petita absolutione, ea concessa fuit: *Casalen., Commutationis voluntatis*, 7 *decem.* 1697.

2. Causa summæ indigentiæ archiconfraterni-

[48] Quæ incipit *Cum semper oblatas*, 19 *aug.* 1744 (*Bull. ejusdem Pont.* tom. 1, pag. 163) et statuit § 11. « Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis, tum horæ canonicæ debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur, quæ adeo clare sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus, et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes: ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur. »

[49] Vide not. 48.

tatis S. Hieronymi Charitatis Urbis scut. 92201 debito gravatæ evenit, ut effectus, et redditus a piis benefactoribus relicti erogati olim fuerint, et annuatim erogentur in aliis operibus, quam ab eisdem benefactoribus præscriptis. Ab officialibus, et deputatis petitur absolutio, quum excessus, et defectus minime ex temporum vetustate, ac rerum involucro liquidari possit : S. C. eam impertitur : *Romana, Operum piorum 7 julii* 1708.

3. S. C. indulsit absolutionem, et condonationem gubernatoribus mensæ nummulariæ, ac domus SS. Annuntiationis, Neapolis, qui post ejusdem mensæ nummulariæ ac domus decoctionem dotes præteritas integre non distribuerunt ob urgentissimas necessitates et inopiam piæ domus, cui opus fuit summam dotium erogare in quotidianis alimentis expositorum, et infirmorum : *Neapolitana. Reductionis onerum*, 15 *junii* 1709, *dub.* 4.

4. Duo diversa legata acquisivit ex duobus diversis benefactoribus conventus eremitarum B. Petri de Pisis diversis quoque oneribus impositis. Suppresso conventu auctoritate apostolica bona ad communitatem Vastoni delata fuere, et onera adimpleta ; lapsu temporis bona prædicta commixta, ac confusa sunt, redditus quoque imminuti, ac onera omissa a rectoribus dicti conventus. Modernus rector proinde postulat quoad præteritum absolutionem, et reportavit : *Brixien.*, 12 *junii* 1762 *dub.* 3.

5. Absolutio quoad cumulum non factum a sodalitio S. Mariæ Misericordiæ Plani Mercatus, quod ex decreto S. C. confici debebat ex redditibus legati Propertii de Angelis in favorem Judæorum, et meretricum relictis ; quoties quotannis non adessent vel neophyti, vel meretrices conversæ, committitur D. secretario impetranda a Sanctissimo, dicto decreto [50] renovato : *Urbinaten.* 16 *jan.* 1762, *dub.* 2.

6. S. C. benigne indulsit absolutionem instante domo puellarum, quæ orbatæ sunt parentibus, urbis Alcami. Hæc enim domus deficientibus redditibus pro necessaria manutentione puellarum, aliarumque monialium, quæ ad puellas educandas, dirigendasque in pietate, et moribus sunt destinatæ, distributionem dotium, quæ fuerunt eisdem puellis parentibus orbatis relictæ prætermisit, pecuniasque in earum alimoniam convertit : *Mazzarien.*, 19 *julii* 1777, *dub.* 1.

7. S. C. absolutioni acquievit facto verbo cum Sanctissimo pro inadimplemento quorumdam legatorum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Materillæ nuncupatæ, quæ propter redditnum imminutionem peculi-res rectores omiserunt : *Nullius Ferentilli, Visitationis sacr. liminum*, 28 *april* 1781, *dub.* 2.

8. Annuit absolutioni S. C. facto verbo cum SSmo quoad præteritum ob onera omissa cujusdam capellaniæ ecclesiæ ruralis extra mœnia civitatis Novi sitæ, cujus possessor Joseph Norcia comperta testatoris voluntate illam ob fructuum tenuitatem non fuisse adimpletam, nec posse recte agnovit : *Derthonen*., 22 *maii* 1784.

9. Quæsitum quum fuisset, an esset consulendum Sanctissimo pro condonatione præter Missarum, etiam onerum, quæ capitulum Ecclesiense præterito tempore haud implevit; et S. C. rescripsit : affirmative juxta votum eminentissimi relatoris [51]: *Ecclesien. onerum, et distributionum* 9 *sept.* 1786, *dub.* 1.

10. Tria quotidiana sacra celebrari voluit sacerdos Joseph Focaccia, et annua scuta decem pro nonnullis piis legatis solvendis reliquit. Conservatorium vero periclitantium puellarum hæredem cum onere erogandi medietatem hæreditatis pro tot dotandis puellis instituit. At insignis fidei commissi pars adjudicata fuit Ursulæ Focaccia Zamboni testatoris sorori. Conservatorium postulavit tum ob Missas non celebratas, tum etiam ob non soluta legata absolutionem, et obtinuit : *Cæsenaten.*, 3 *martii* 1787, *dub.* 1.

11. Hæreditatem pro nonnullis adimplendis piis operibus reliquerat Romanus Boari, sub lege, ut perpetuo a statutis deputatis administraretur. Ea in emphytheusim perpetuam accepit Matthias Manzalius ab Archiepiscopo Ferrariensi de Verme, et beneplacitum non retulit Apostolicæ Sedis, putans quod bona in simplices usus pios destinata illo non indigerent. Plurima erant pia opera a testatore

[50] Diei 14 martii 1711, in qua S. C. sancivit, quoad primum, et secundum quæsitum, reductionem legatorum fieri debere inter legatarios proportione servata, prout de jure : cum prælatione tamen in unoquoque legato oneris Missarum, si adsit, aliis piis oneribus ; quoad tertium quæsitum, ponatur in folio. Ac inde causa proposita sub titulo *Urbinaten. Legati*, 28 *nov.* 1711 rescriptum fuit : « Cumulentur redditus ad effectum eos erogandi juxta mentem testatoris. » *Ead. causa*, 12 *dec.* 1761, § 3.

[51] Qui ait : et quoad primum dubium attinet respondendum censerem : *Affirmative, et ad secretarium cum Sanctissimo*. Peccarunt sane canonici, qui annua 13595 sacra peragere, aliaque pia opera adimplere, sicut tenebantur, prætermiserunt. Sed multa sunt excusatione digni : primum quidem, quia in maxima ignoratione versabantur oneris a capitulo impositi.... Deinde attritæ communes opes, fundi deperditi, ac permixti, usuræ censum lege regia imminutæ aliquam ipsis causam prætexebant, ut remissiores, ac negligentiores essent in celebratione Missarum. Tandem consuetudo invaluerat, ut viginti ex capitularibus singuli celebrarent quotannis Missas centum viginti pro benefactoribus, comprehensis Missis conventualibus : ideoque peracta celebratione annua Missarum bismille quadrigentarum, ab omni alio onere se solutos arbitrabantur. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, § 14.

demandata, quæ negligenter implebantur. Hinc S C. contractum emphytheuseos infregit, et deinde mandavit, ut quoad præteritum juxta liquidationem ab eminentissimo Archiepiscopo faciendam provideretur: *Ferrarien.*, 15 *sept.* 1787, *dub.* 3. Re iterum ad examen ducta, censuit a decisis recedendum, et consulendum esse Sanctissmo pro absolutione quoad præteritum : 16 *febr.* 1788.

12. Insignis exactoratus tempore ex fructibus summa scut. 2987, 75 1/2 societati Sanctissimi Sacramenti ad S. Mariam in Via Urbis subrepta fuit. Horum 1396, 42 1/2 ad societatem ipsam, reliqua 1589, 33 ad legatum Joan. Baptistæ Canobi pertinebant. Reo carceribus mancipato societas nil consequi potuit, quam summam scut. 692, 95, quorum consentanea pars scut. 392, 18 legato Canobi, altera scut. 299, 77 societati tributa fuit. Eadem societas districtis precibus postulavit, absolutionem a reintegrando de amissa summa scut. 1200, 25 1/2 legato Canobi, ac suspensionem dotalium subsidiorum quatuor per triennia decem ad æquanda ejusdem summæ defectum S. C. ad primam petitionem rescripsit; in secunda providebitur : *Romana*, 17 *januar.* 1789, *dub.* 1.

13. Et quoad secundam : Ad D. secretarium cum Sanctissimo pro derogatione brevis Paulini, et decreti visitatoris [52] ad effectum reintegrandi hæreditatem Canobi in scutis 1200 ex recadentiis dotium non solutarum : *Ibid*, *dub.* 2.

14. Petentibus canonicis ecclesiæ cathedralis absolutionem ab omisso per duos annos deposito ob reddituum tenuitatem, uti præscriptum a S. C. Episcoporum et Regularium putabatur, in extinctionem census pro reparatione domus mensæ capitularis ex terræ motu labefactatæ impositi, S. C. absolutionis gratiam indulsit prævia Sanctissimi consultatione: *Foroliviensi*, 13 *junii* 1789, *dub.* 3.

15. Multiplicum ad 15 erigendas capellanias, ac alia opera pia implenda Hippolytus Callot ordinavit, hærede instituta ecclesia SS. Martyrum Laurentii in Fonte, et Hippolyti, quam nobilium aulicolarum congregatio, quæ *Urbana* dicitur, regit. Hæc septem erectis capellaniis redditus redundantes erogavit in utensilia, imagines, ecclesiæ restaurationes, litesque ad scut. 1017, 96. Modo supplicat pro absolutione, quum ob æs alienum ecclesia impotens sit ad omissa onera explenda. Et S. C. indulsit juxta votum eminentissimi visitatoris [53] : *Romana*, *Unionis redditiuum*, 25 *junii* 1791, *dub.* 2.

16. Officiales Xenodochii Tulpharum, cui onus nonnullas distribuendi dotes ex dispositione Justini Colelli, et Pauli Pugnatelli incumbit, ob sumptum scut. 216 pro reparatione ecclesiæ intermiserunt ab anno 1780 unius, alteriusque ab anno 1786 distributionem; hinc exorant pro absolutione, et obtinent. Impensæ enim factæ fuerunt pro conservatione bonorum testatorum : *Sutrina*, *Suspensionis dotium*, 14 *jan.* 1792, *dub.* 2.

17. Præter Missarum 5500 onus, etiam eleemosyna panis, et leguminum scut. 13, 86, omissa fuit quoad legatum a Petrino et Joanne Bartholomæo Noja relictum. Modo pauperes hæredes patris, qui onera neglexit, absolutionem petunt, et assequuti sunt, imposito aliquo Missarum onere : *Vercellen.*, *Suspensionis onerum*, 15 *decem.* 1792, *dub.* 2.

18. Dotes annuæ sex, totidem scutorum pro qualibet per hæredes Francisci Viarum non collatæ sunt usque ad numerum 83, et Missæ non celebratæ in numero 3022, sed summa pro hac omissa distributione, et celebratione soluta fuit in manibus parochi S. Jacobi Matiati superioris. Hinc implorata absolutio, ab utroque omisso onere per solutionem purgato, concessa fuit : *Novarien.*, 8 *febr.* 1794, *dub.* 2.

19. Quum Joan. Franciscus Manildi ratione paupertatis onera relicta a suo genitore Bartholomæo tum Missarum, tum olei præstationis omisisset, efflagitam absolutionem quoad præteritum, et impetrat, imposito aliquo pio onere pro unica vice per modum suffragii arbitrio Episcopi : *Derthonen.*, *Commutationis voluntatis*, 10 *maii* 1794, *dub.* 2.

20. Absolutio elargita fuit sodalibus societatis Sanctissimi Nominis Jesu erectæ in ecclesia S. Joan. Decollati Parmæ ob onera omissa operis pii Michaelis Raffanelli, quum sodales a die purificatæ substitutionis ob litem actam omnes fructus non perceperint, licet nonnullos in otioso deposito retinuerint : *Parmen.*, *Reductionis Missarum*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 6.

21. Pia domus misericordiæ urbis Taviræ Algarbiorum in Lusitania pluribus gravata oneribus,

[52] « Jus enim, ut dicitur, recadentiarum, virtute chyrographi S. M. Pauli V pertinet ad societatem, et quod majus est, de iisdemmet dotalibus subsidiis revertendis sacra apostolica visitatio disposuit ultimis hisce temporibus præcipiens, ut ea integre impendi debeant in dimittendo ære alieno, quo prægravatur societas. » *Ead. causa*, 17 *januar.* 1789.

[53] Qui affert rationem : « Debitum congregationis contractum ex causa sacrarum supellectilium, et ornatus ecclesiæ, atque capellæ, est in scutis 975, 22. Jam vero jussit, ut scuta mille erogarentur in ecclesiam pro sacelli ornatu. In sacellum ornandum haud modicum impendit congregatio Urbana. Inde si scuta mille tuto ex hæreditate Callotii sibi posset adscribere, tutius posset scuta 975, 22, quæ reapse, et in ecclesiam, et in sacellum sunt impensa, ceu diligenter sum perscrutatus. *Ead. causa*, 25 *junii* 1791, § 12.

amissis nonnullis capitalibus, adimplementum per plures annos usque ad summam ingentem scut. 12,000 reliquit. Nam onera annua summam scut. 630 requirebant, præter id, quod in receptionem peregrinorum sacra ecclesiæ utensilia, aliaque impendi debent, et redditus non excedebat scut. 450 Hinc petitam absolutionem juxta votum eminentissimi relatoris[54] condonavit : *Pharaonen.*, *Reduct. onerum*, 16 *dec.* 1797 *dub.* 2.

22. Moniales monasterii Villæ Novæ de Gaya ab antiquissimo tempore pluribus gravatæ legatis piis, quibus impares sunt redditus, et supplere nequit eorum monasterium ob paupertatem, consueverunt tantum Missam quotidianam cum cantu celebrare pro omnibus, et aliquot alias Hispanis committere. Modo dum petunt ratam habere dictam reductionem, implorant absolutionem quoad præteritum, licet tribus abhinc annis obtinuisse affirment, et S. C. eam indulsit : *Portucalen.*, 20 *febr.* 1796, *dub.* 2.

23. Domus misericordiæ pro infirmis, et peregrinis erecta plurimis ab ipsa erectione gravabatur oneribus Missarum, et subsidiorum dotalium. Hæc onera, anno 1736, præ redditaum imminutione reducta fuerunt ad annuas missas 338, et dotes tres. Sed ob maximum terræmotum, anno 1755, imminutio gravis consecuta est, et ab eo tempore omissa sunt sacra, et dotium collationes. Redditus domus nunc summam attingit scut. 800, ægrotantium, aliorumque piorum operum sumptus est in scut. 1100. Qua de re exoratur absolutio quoad præteritum, et tradita est : *Pharaonen.*, *Suppressionis oneris et absolutionis*, 9 *julii* 1796, *dub.* 2.

24. Gravis non erat congregationi Oratorii civitatis Portucalensis tot alumnorum ex parvis patrimoniis, seu legatis manutentio, quum distinctum cuilibet assignare non teneretur patrimonium, ob facultatem eos promovendi ad ordines titulo *Missionis et Mensæ* ex indulto Bened. XIII, Pont. Max. Sed deinde adempta hac facultate pares respective non sunt pia illa relicta ad congruam presbyteralem præstandam, quæ est in scut. 50. Hinc sua auctoritate moderatores congregationis reduxerunt alumnorum numerum ad 5, inde obtinuerunt approbationis, et absolutionis rescriptum a Sanctissimo; at dubitantes de erronea assertione Sanctissimo facta iterum postulant absolutionem, et referunt ad formam prædicti rescripti Sanctissimi : *Portugalen.*, *Reductionis onerum*, 27 *aug.* 1796, *dub.* 1.

§ III.

Absolutio, seu condonatio ab omissis oneribus Missarum.

1. Censuit S. C. condonationem Missarum non celebratarum non concedi absque expressione numeri Missarum : *Novarien.*, 14 *januar.* 1645.

2. In civitate Montucæ adest consortium, seu congregatio auctoritate ordinaria instituta, cujus confratres, et consorores annuatim quamdam tradunt eleemosynam in celebrationem Sacrorum centum conferendam pro singulis ex ipsis decedentibus : ex residuali eleemosyna census super quadam domo impositus annuorum scut. 10 emptus fuit a prædicto pio opere. Sed immaniter inde grassante peste, ac terræ concussu diruta domo, eleemosyna proinde ac redditus decreverunt, auctis oneribus ob plurium obitum, ita ut ducto calculo missæ 76,975 celebrari deberent. Officiales dicti operis postularunt S. C, ut expletis nonnullis anniversariis a Missarum prædictarum celebratione absolverentur, et impetrarunt juxta modum ab eminentissimo præfecto præscribendum[55] : *Syracusana*, 7 *febr.* 1705.

3. Quum canonici collegiatæ ecclesiæ terræ Hyspelli non obstante redditaum tenuitate cuidam legato Missarum Poleandri Permatthæi satisfecerint usque ad annum 1690, postmodum ob bonorum sterilitatem, aliasque temporum injurias omiserunt. S. C. rejecta reductionis instantia de prætermissis Sacris rescripsit pro celebratione Missarum in numero Episcopo beneviso : *Spoletana*, *Reductionis Missarum*, 11 *januar.* 1710, *dub.* 2.

4. Ex vetusta fama traditum est, Andream Barbassium reliquisse societati disciplinatorum ecclesiæ parochialis S. Dionysii cum Missarum onere bina prata, quæ post multos annos translata in domi-

[54] Qui putat rem totam relinquendam arbitrio, et conscientiæ ipsius Episcopi, qui ait : « Vocatis auditisque iis, quorum favorem respiciunt legata eleemosynarum, sive distributionum frumenti, dotium etc., tum illas, tum quoque Missas, ac cætera onera coerceat, reducatque ad mensuram et vires redditauum actu vigentium : ita tamen, ut ea legata, quæ certos, et non confusos habent fundos, separatam pariter sortiantur reductionem; factaque distincta, et invariabili redu torum onerum tabella, in ecclesiæ sacrario affigenda, pro illorum celeri et accurata satisfactione in Domino invigilet. » *Ead. causa*, 10 decemb. 1797, § 5.

[55] S. C. Episcopo commisit, ut veris, etc., et injuncta quoad præteritum oratoribus obligatione celebrandi eorum sumptibus Missas octingenta, eosdem super omissione præfata pro suo arbitrio, et conscientia misericorditer absolvat. In futurum vero enunciatum onus ad quadraginta dumtaxat Missas pro quolibet defuncto moderet, atque reducat, admonitis tamen iis, qui in posterum adscribi voluerint monti, de prædicta reductione, et citra approbationem erectionis hujusmodi operis : lib 55, *decret.* pag. 46.

nium sacrarii cathedralis reperiuntur. Hujus dispositionis ex librorum defectu documentum de oneris satisfactione inveniri non potuit. Hinc S. C. de condonatione Missarum 16,414, quæ omissæ fuerunt, exorata, arbitrio nov. Episcopi preces remisit: *Viglevanen*, *Condonationis, et reductionis Missarum*, 27 *junii* 1712, *dub*. 1.

5. Quum Antonius Maria Baluganus beneficii a Jacobo Comello a Lino in ecclesia cathedrali fundati possessor onus missarum 36 implevisset, quando fundator tres qualibet hebdomada, ac diebus dominicis, festisque imposuerat, hinc a S. C. efflagitat ob onera omissa absolutionem, et *esse excusandum* rescriptum habuit: aderat enim bona fides, et fama reductionis generalis ante Concilium Tridentinum forsan sequutæ, necnon ejusdem prædecessores a tempore immemorabili tantum 36 sacrificia fecerant: *Mutinen., Onerum Missarum*, 25 *junii* 1712, *dub*. 2.

6. Ad formam fundationis instrumenti anni 1592 erecta fuit capellania sub titulo Sanctissimi Corporis Christi in ecclesia parochiali S. Jacobi Villæ Clauseti; postea aliud fundationis anni 1593 inventum fuit instrumentum, in quo nova onera capellanis mandata fuerunt. Hinc quum S. C. hoc secundum instrumentum servandum esse decreverit, absolutionem, ac remissionem Missarum hactenus non celebratarum quoque concessit: *Concordien., Capellaniæ*, 1 *april*. 1713, *dub*. 2.

7. Absolutio a Sacris prætermissis a S. C. impertitur PP. Servorum B. M. V., qui obtento, et exequuto generali indulto reductionis a magistro generali dicti ordinis in celebratione Missarum, quas ordinaverat eques Jacobus de Ghivizzano, supersederunt, quum dictæ reductioni S. C. refragata sit; *Lucana*, *Reductionis Missarum*, 26 *januar*. 1715, *dub*. 2.

8. Ex legatis piis Missarum in tot censibus constitutis, quos reliquit Pompeius de Amora capellæ Sanctissimi Rosarii ecclesiæ matricis anno 1635 considerata reddituum diminutione reductio arbitrio Episcopi concessa fuit. At, anno 1695, Episcopus de hac reductione vitio subreptionis forsitan impetrata dubitavit, et illam non subsistere declaravit S. C. die 28 maii ejusd. anni. Hac de causa postulata fuit postmodum condonatio, et absolutio ab onere Missarum, quæ omissæ fuerunt; et S. C. assensa est usque ad diem 28 maii 1695: *Nucerina paganorum*, *Reductionis Missarum*, 16 *martii* 1715.

9. Provincia monastica Aragoniæ ordinis Prædicatorum in regnis Aragoniæ, Valentiæ, principatu Catalauniæ, et insulis Balearibus, monasteria 83 possidet, et hæc ob bellum præteritum tanta damna passa sunt, ut legatorum Missarum fundi vel perierint, vel fuerint diminuti, ita ut eorum implementum effici non potuerit, præsertim quia religiosi ad victum comparandum manualem recipiebant eleemosynam Missarum. S. C. proinde ad preces exhibitas pro condonatione quoad præteritum respondit: Ad Rev. Fabricam[56]: *Ordinis S. Dominici*, 27 *nov* 1717.

10. Procurator generalis Carmelitarum excalceatorum simul cum aliarum regularium familiarum præsidibus Innocentio XII, Pont. Max., exposuit cœnobia per Europam existentia ob bella, contributiones, calamitates, magna inopia premi, ac proventus in favorem Missarum assignatos detrimentum passos esse; hinc absolutionem quoad præteritum pro Missis non expletis postulavit, et obtinuit. Modo dubium exoritur, an patres Carmelitæ excalceati ecclesiæ S. Mariæ de Scala valeant tueri præsidio illius generalis absolutionis? Et S. C. affirmativum præbuit responsum: *Romana seu Perusina, Oneris Missarum*, 30 *aug*. 1732.

11. Orta controversia, an societates sanctissimæ Conceptionis B. M. V., et sanctissimi Nominis Jesu hæredes in duabus partibus a Francisco Pardi institutæ tenerentur ad celebrationem Missarum triginta vel sexaginta? Card. Spada Episcopus, anno 1712 decrevit sexaginta sacra facienda esse, quum antea pro medietate tantum peractæ fuerint: usque ad annum 1728 societates decreto Episcopi non paruerunt. Hinc absolutionem implorarunt, et usque ad decretum Card. præfati obtinuerunt: *Lucana*, *Celebrationis Missarum*, 7 *julii* 1736, *dub*. 2. Jure accrescendi tertiam hæreditatis partem cum onere aliarum 30 Missarum hæredibus scriptis relictam adeptæ sunt dictæ societates, onus tamen omiserunt, cujus omissionis absolutionem efflagitarunt, et facto verbo cum Sanctissimo impetrarunt: 28 *januar*. 1747.

12. Patribus S. Sixti Placentiæ, qui absolutionem a Missis haud celebratis cum bona fide petierunt, rescribitur a S. C. ad D. secretarium cum Sanctissimo juxta mentem[57]: *Placentina*, *Commutationis voluntatis*, 8 *aug*. 1761.

13. Absolvuntur facto verbo cum Sanctissimo patres Minores conventuales oppidi Faleronis quoad

[56] Quando legata Missarum adimpleta non fuerint in totum, vel in partem sive per negligentiam, sive per impotentiam ad fabricam S. Petri devolvuntur, cum facultate tamen ministrorum fabricæ concordandi pro præterito tantum cum legatariis, vel aliis obligatis, si melius expedire videbitur, ut patet ex declarationibus S. Congr. relatis a Quaranta in *Summ. Bull.* verb. *Fabrica S. Petri* § *Quando;* a Ricci, *in Praxi*, part. 2, resol. 377, § *eod.*, et a Vespignano, *fol*. 18.

[57] Et facta de præmissis per dictum secretarium relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua benigne indulsit absolutoriam quoad omissiones Missarum non celebratarum a

præteritum pro Missis cum cantu celebratis, sed minime applicatis, nec locum esse restitutioni pecuniarum, quum non teneri ad applicationem ipsi putarent, censetur: *Firmana, Officiaturæ*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 2.

14. Sacerdos Paulus Naldius, qui capellaniæ in altari S. Catharinæ in ecclesia S. Petronii Castri Bononiensis ab Aloysio Pantalupio dotem tam quoad sortes, quam quoad redditus summopere invenit imminutam; deperditos nempe census nonnullos, prædiola deficere, domumque capellani minari ruinam. Quum hic in Missarum celebratione propterea defecisset, Episcopus visitans ad celebrandas Missas 1037 condemnavit eumdem, et nonnullas alias in suspenso reliquit. Postquam reductionem ille obtinuerit, petiit etiam absolutionem a Missis hactenus non celebratis, et obtinuit ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Imolen., Reductionis, ac suspensionis onerum Missarum*, 14 *febr.* 1778, *dub.* 2.

15. Absolutio ad D. secretarium cum Sanctissimo quoad præteritum ob onera Missarum, quibus haud fuit satisfactum, non solum considerata redditutum tenuitate quorumdam legatorum piorum monasterii S. Placidi; verum etiam ratione antiquæ observantiæ cum bona fide conjunctæ remissa a S. C. fuit: *Messanen.*, 16 *maii* 1778.

16. Camilla Brusati hæres et filia Defendentis Brusati animadvertens hæreditatem defuncti esse plurimo ære alieno gravatam, quamdam capellaniam non erectam, Missas non celebratas, ac fundos a testatore pro illius dote præscriptos ad onus ferendum prorsus impares, theologum consuluit, qui haud teneri resolvit ad capellaniæ erectionem causa legitimæ eidem debitæ; hinc arbitrariam celebrationem peregit. Postmodum una cum filio pro tranquillitate suæ conscientiæ quoad futurum providit; et quoad præteritum preces exhibuit, et S. C. eam audivit in omnibus, remittendo petitionem ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 1.

17. Absolvuntur facto verbo cum Sanctissimo canonici ecclesiæ parochialis, et plebanæ S. Stephani terræ Modiliani, qui ob redditutum defectum onera Missarum prætermiserunt; sed injuncta eis tamen fuit obligatio celebrandi infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum unicum anniversarium cum omnium interventu: *Faventina, Reductionis servitii chori, et Missarum*, 15 *januar.* 1780, confirmata 7 *febr.* 1784.

18. Absolutio a S. C. conceditur archiconfraternitati S. Rochi civitatis Anconæ facto verbo cum Sanctissimo pro Missis, quibus haud fuit satisfactum, dummodo pro unica vice Missas centum celebrare faciat. Nam bonam fidem, et celebrationem per plures annos præter proventuum quantitatem peractam dicta societas ostendebat: *Anconitana, Missarum*, 20 *april.* 1782, *dub.* 2.

19. Absolutio ob sacra omissa committitur D. secretario impetranda a Sanctissimo; quum sacerdos Joannes Donati neglexerit illarum celebrationem usque ad numerum 1202, cujus paupertas in pecunia satisfieri non patitur. At capellaniæ administratio ei interdicta fuit: *Cornetana, Suspensionis oneris Missarum*, 8 *maii* 1784.

20. Absolutio quoad præteritum facto verbo cum Sanctissimo ob anniversaria nunquam celebrata fuit impertita Antoniæ Cocchi, ad quam hæreditas gravata hoc legato, et admodum pauperata pervenit: *Civitatis plebis*, 22 *maii* 1784.

21. Denegatur absolutio quoad præteritum ob Missas non celebratas Reginaldo Anzidei, qui hoc onere ob hæreditatem Pantasileæ Pellini Vincentio ejus patri delatam premebatur. Quamvis ipse exposuisset quamplurima bona hæreditaria a patre distracta, nonnulla vindicata, ab ipso erogata fuisse in solutionem æris alieni a patre contracti; ipsum paternam hæreditatem cum beneficio legis, et inventarii adivisse; ac de bonis hæreditatis Pellini nonnisi quartam partem retinere; bona fide onus præteriisse, cum nulla bona prædicta penes se extare putaret: *Perusina, Reductionis*, 3 *julii* 1784, *dub.* 1.

22. Statim ac cognoverunt marchio Gavassinius et comes Aventius nullum extare monumentum reductionis trium Missarum in hebdomada relictarum a Sigismundo Pajolio ad unam tantum concessæ, petierunt quoad præteritum absolutionem, et S. C. ad D. secretarium cum Sanctissimo rescripsit: *Ferrarien., Reductionis*, 12 *martii* 1785.

23. Capitulum cathedralis ecclesiæ pro tempore præterito absolvendum esse quoad omissam juxta testamenti verba celebrationem Missarum, quas canonicus Jacobus Ghilinius ordinavit, S. C. respondit. Nam non levem passa fuit hæreditas diminutionem: *Alexandrina*, 10 *dec.* 1785, *dub.* 6.

24. Modernus rector sacerdos Joseph evangelista cujusdam beneficii in ecclesia S. Antonii Vienneusis urbis Parmensis erecti, de cujus fundatione nulla extat memoria, sed tantum onera enarrantur in visitatione anni 1715, nempe Missæ quotidianæ, ac assistentiæ in Missis, ac vesperis in dicta ecclesia, exposuit, anno 1768, sua prædicta onera scivisse; et quum in præsentiarum beneficii

defuncto Marco Josepho Maria. Quo vero ad omissionem anniversarii singulis annis adimplendi in ecclesia B. M. V. de Monte Carmelo; Sanctissimus absolvit quoad præteritum monachos S. Sixti, celebratis totidem Missis lectis in propria ecclesia: Lib. 3, *Decret.* pag. 323.

redditus 23 scutorum summam non superent, a dicto anno reddituum dumtaxat medietatem in tot Missarum celebrationem insumpsisse. Dubitans modo num recte se gesserit; postulat absolutionem quoad præteritum, quatenus male se gesserit. S. C. methodum ab oratore servatam approbans, absolutionem facto verbo cum Sanctissimo indulsit: *Parmen.*, 6 *maii* 1786, *dub.* 2

25. Quæsitum quum fuisset, an esset consulendum Sanctissimo pro condonatione Missarum, atque onerum a capitulo Ecclesiensi præterito tempore non impletorum; S. Congr. respondit; affirmative juxta votum eminentissimi relatoris [58]: *Ecclesien. Onerum, et distributionum*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 1.

26. Sacerdos Joseph Focaccia tria quotidiana sacra celebrari voluit, et nonnulla annua scuta decem pro quolibet legato reliquit. Sed valde diminuta fuit hæreditas, quum insignis fideicommissi pars Ursulæ Focaccia Zamboni testatoris sorori adjudicata fuerit; conservatorium proinde hæres institutum cum onere erogandi medietatem pro dotandis puellis, absolutionem petiit pro sacris non celebratis, et pro omissis præstationibus annuis, et voti compos factum est: *Cæsenaten.*, 3 *martii* 1787, *dub.* 1.

27. Ex legato Sebastiani Campitosti nulla præstituta die hebdomadalis Missa celebrari debebat. In vetusta tabella assignata fuit hujus oneris satisfactio singulis feriis sextis. Hinc a capitulo ecclesiæ Reatinæ intermissum in hebdomada majori a legati origine; sed nunc in tabella instauranda errorem deprehendit, et absolutionem ad hoc defectu, quum agatur de tenui eleemosyna, poscit; et S. C. quoad præteritum tantum concessit: *Reatina, Absolutionis* 24 *martii* 1787.

28. Scuta centum in censum frugiferum investienda capitulo suo legavit canonicus Juliani, ut binæ in singulis hebdomadis celebrarentur Missæ. Ad expurgandum Velini alveum pecunia indigens capitulum, scuta illa centum cepit, et binas adimplere Missas est pollicitum. Nil mirum; gravissimæ tunc temporis usuræ, et tenuis eleemosyna Missarum. Sed hac nimium adaucta, et illis vicissim diminutis, capitulum expostulavit, anno 1712, reductionem, et obtinuit. Modo, invento instrumento census, et ex verosimili ejus existentia haud vera narrata in precibus dicti anni putavit; quærit utrum quoad tempus præteritum teneatur ad aliquod Missarum supplementum, et quatenus hoc foret, utrum sit consulendum Sanctissimo pro absolutione? Pro postremo S. Cong. stetit: *Reatina, Reductionis Missarum*, 24 *martii* 1787, *dub.* 2.

29. Laura Catharina, et Jacobina Bazzano, orphanæ, valetudinariæ, et nihil aliud, quam nonnulla transeridana prædia ab Episcopo cuidam domui subrogata possidentes, Missarum non celebratarum absolutionem implorarunt a Sanctissimo; sed S. C, cui remissa decisio fuit, istam suspendit, et scribi voluit Episcopo juxta mentem [59]: *Casalen.*, *Reductionis Missarum*, 28 julii 1787, dub. 2. Deinde prævia Sanctissimi consultatione absolutionem reportarunt: 15 *dec. ejusd. anni.*

30. Possessor primogenituræ Rati, Aloysius-Rati, animadvertens fuisse a suis prædecessoribus omissa Missarum quotidianarum onera; quæsivit, quonam tempore ipse ad supplementum Missarum teneretur? Et quatenus affirmative, postulavit, an consulendum sit Sanctissimo pro absolutione, verum quum testator caducitatis pœnam, si per annum celebrationem prætermisisset, indixerit, S. C. respondit a die obitus testatoris supplendum esse: et consulendum deinde censuit Sanctissimo juxta modum, nempe usque ad diem cogniti oneris: *Derthonen.*, *Absolutionis, et reductionis Missarum*, 7 *julii* 1787, *dub.* 2, confirm. 5 *april.* 1788.

31. Sacerdos Petrus Cassinius, qui beneficium a Bartholomeo, et Andrea Mangioli de Barbatiis in collegiata ecclesia S. Petronii Bononiæ fundatum possidebat, sciens et prudens, cum onere quotidiani sacri, et servitii chori acceptaverat, supplicavit reductionem præfati servitii, quod tam ipse, quam decessores adimpleverant. Sed nihil obtinuit. Et quum simul exorasset pro absolutione a non celebratis missis 830; responsum fuit, ut Archiepiscopus cogeret Cassinium ad celebrationem Missarum omissarum, etiam cum sequestro fructuum beneficii: *Bononien.*, *Reductionis servitii chori*, 24 *nov.* 1787, *dub.* 1.

32. Duo legata fecit Joan. Maria Serra in scut. 50 pro quolibet, Carmelitis consignanda pro duplici hebdomadali Missa. Marcus Antonius filius, cui in hæreditatis divisione obtigit legatum unum, illud adimplevit. Ubertini filii adimpleverunt nunquam. Sæpe præ eorum inopia omissum est Sacrum; sæpe ipsis, eorumque viduis, et nepotibus indultum. Compositionem, anno 1664, impetravit Joan. Baptista Ubertini filius a Rev. Fabrica S. Petri pro omissa novemdecim annorum celebratione. Triennem oneris suspensionem a S. C. obtinuit Clara ejus vidua. Ac bis eadem Carolo, illorumque nepoti ac oratori concessa fuit gratia. Subsequuta tamen est aliorum 26 annorum series omissi oneris, ac modo postulat orator absolutionem a præteritis non

[58] Vide not. 49.

[59] Et mens est, ut Episcopus referat, an prosequi possit domum a Vincentio Bazzano subrogatam pro onere capellaniæ a Bottaco possessam, et an spes adsit recuperandi domum, sin minus cogendi possessorem ad implementum oneris: Lib. *Decret.* 137. pag. 363.

celebratis Missis; et rescriptum habuit; consulendum esse Sanctissimo, et ad D. secretarium cum eodem Sanctissimo: *Casalen.*, 20 *decemb.* 1788, *dub.* 2.

33. Nicolaus Coghi executor hæreditatis Ghedini annuas Missas bis centum ab Ignatio Maria Ghedini non curavit celebrari, ut numerosam familiam Ghedini aleret. Redditus hæreditatis sunt 164 scutorum in censibus constituti, onus grave. Numerus missarum non celebratarum ad summam excrevit scut. 609, 75. Hinc exorat, ut absolvatur; et S. C. affirmavit Sanctissimo esse consulendum, et ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Ferrarien.*, *Reductionis Missarum et absolutionis,* 20 *dec.* 1788, *dub.* 2.

34. Missarum omissio remittitur a S. C. sodalibus animarum purgantium, quorum societas erecta est in ecclesia S. Nicolai civitatis Valettæ juxta votum Episcopi, qui ei favebat « attenta bona fide cum onere celebrandi unam Missam solemnem pro hoc anno tantum. » Nam dicti sodales eleemosynas omnes, quas a fidelibus colligebant, in Missarum celebrationem non erogarunt: *Melevitana*, *Confirmationis statuti*, 20 *dec.* 1788.

35. Bernardina Zavaresi, fratribus Danzi hæredibus institutis, mandavit, ut latifundium in territorio Argentano, excepta legitima, haberet confraternitas et hospitale B. M. *della Centura* cum onere perpetuam quotidie celebrandi Missam. Ultimus Familiæ Danzi super isto latifundio vitalitium creavit cum Præsule Zambeccari. Octennio latuit Zaveresi dispositio. Tandem reperta, marchio Zambeccari exibuit pretium 1200 scut. investiendorum pro fundo legati, et obtinuit. Nunc postulat absolutionem ob onera Missarum, quibus minime satisfactum fuit; et pariter obtinuit celebratis Missis centum: *Ravennaten.*, *Legati*, 25 *april.* 1789, *dub.* 2.

36. Quum Angelus Ciocius hodiernus ecclesiæ parochialis S. Joannis in Campo Tiferni civitatis Castelli rector pluribus parœciam gravatam Missarum oneribus invenerit, quin pro earum implementum fructus adessent; iis satisfaciendum non curavit. Modo autem exorat pro absolutione quoad tempus præteritum. Et S. C. sicuti plura Missarum onera ob deperditos fundos delevit, ita esse consulendum Sanctissimo pro absolutione, imposito aliquo onere, decrevit: *Civitatis Castelli*, *Reductionis onerum*, 23 *januar.* 1790, *dub.* 2.

37. Oneris Missæ quotidianæ, neglecta celebratione a sodalitio disciplinantium S. Crucis loco Cerviarum causa fructuum diminutionis, postulatur absolutio, et eam sodalitium assequutum est celebratis missis centum: etsi contumax fuerit a prædicta celebratione, tum ob non servatum decretum Episcopi, tum ob neglectum ad hæc tempora recursum: *Fossanen.*, *Reductionis Missarum et abolitionis*, 19 *januar.* 1791, *dub.* 2.

38. Missæ S. Gregorii, quas in perpetuum cum pingui fundo præscripsit Hieronymus Catelani Olivetanis Patribus monasterii S. Michaelis in Basco, in antiquiori codice relatæ sunt Missæ simplices, et ab eo tempore ita fuerunt celebratæ. Sed ad legem testamenti animadvertentes Patres, absolutionem quoad præteritum exorarunt, et ad cautelam assequuti sunt: *Congregationis Olivetanæ,* 7 *maii* 1791, *dub.* 2.

39. Quoad legatum oneris Missæ hebdomadalis relictum a Valentino Leona, Valentinus junior Leona onustus familia novem filiorum cum annuo tantum redditu libellar. circiter 260, supplicat S. C. pro absolutione Missarum 2305 omissarum; quum præ tenuitate legatum respuerit societas Sanctissimæ Conceptionis S. Benigni; et S. C. annuit, celebratis Missis 50: *Nullius S. Benigni*, 24 *martii* 1792, *dub.* 2.

40. Quum familia Cani, ad quam pervenit hæreditas de Cignacchis cum onere capellaniæ perpetuæ, ob novissimum distractum fundum, vel confusionem ejusdem cum reliquis, notitiam habere non valuisset de fundo capellaniæ; celebrationem injunctam Missæ hebdomadalis bona fide neglexit; et inde absolutionem petiit, obtinuitque juxta votum Ordinarii [60]: *Nullius Guastallæ*, 26 *nov.* 1791, *dub.* 2.

41. Absolutio ab omissa Missarum celebratione denegatur Laurentio Biordi, qui hæreditatem adiit sui patrui sine inventario; neque accuratam exhibuit notulam status passivi; earumque præscribitur celebratio infra tempus, et in ecclesia ab Episcopo designanda: *Feretrana,* 14 *jan.* 1792.

42. Consulitur Sanctissimo pro absolutione super præterita celebrationis Missarum omissione capellaniæ laicalis institutæ a Georgio Verdesio, injuncto onere Missarum 30 patronis, qui per integrum biennium omiserunt Missas, et redditus in suos verterunt usus. Sed Episcopus ob paupertatem eorum indulgendum esse censebat: *Alben.*, 24 *maii* 1792, *dub.* 3.

43. Societas S. Joan. Baptistæ prope oppidum Intri, cui legavit Antonius Bozza nonnulla bona cum onere hebdomadali Missarum per errorem, et cum bona fide omisit Missas 244; Missis pro alio legato ultra impositas celebratis; implorat absolutionem, et S. C. eam impertivit: *Novarien.*, *Reductionis Missarum et absolutionis*, 12 *maii* 1792.

44. Missarum 5500, eleemosynæ panis, et legu-

[60] Qui favebat instantiæ.

minum scut. 13, 86, onus omissum fuit quoad legatum a Petrino, et Joanne Bartholomæo Naja relictum. Modo pauperes filii hæredes patris, qui onera neglexit, absolutionem petunt, et obtinent imposito aliquo Missarum onere: *Vercellen.*, *Suspensionis onerum*, 15 *dec.* 1792, *dub.* 2.

45. Monasterium monialium Sanctissimæ Visitationis oppidi S. Remuli, ad quod pervenit hæreditas Sanctini Cassinelli cum onere Missarum, consumpsit ex eadem libellas 15000, in litibus adversus hæreditatis debitores, in sumptibus transactionis, canonizationum ejusdem fundatoris, ac monialium sustentatione. Hinc implorat abbatissa absolutionem quoad præteritum; plurimas enim Missas celebrare fecerunt moniales; et aliunde gratiam indigens monasterium mereri potest. Et revera S. C. absolutionem quoad præteritum indulsit: *Albinganen.*, 20 *julii* 1793, *dub.* 2.

46. Consulendum esse Sanctissimo pro absolutione monialium monasterii Matris Dei Vallisoleti, ob Missas pro præterito causa earum inopiæ non celebratas, quibus Missis monasterium ipsum ex dictis monialium fundationibus, aliisque laicorum legatis gravantur, juxta tamen votum Episcopi, celebrato nempe aliquo Missarum numero: *Vallisoletana*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 3.

47. Quum archipresbyter ecclesiæ receptitiæ Casalis Novi ob reddituum tenuitatem celebrationem per aliquod tempus intermiserit Missæ pro populo, ad quam ratione sui officii obstrictus erat, veniam implorat, et mereri putat ob gravem ipsius indigentiam, et obtinet absolutionem quoad præteritum: *Cassanen.*, *Missæ conventualis et pro populo*, 22 *nov.* 1794, *dub.* 3.

48. Fundator canonicatus ecclesiæ collegiatæ Anquillariæ Jo. Baptista de Paulis præceperat celebrationem Missarum quotidianam in ea hebdomada servitio chori carente, quum in altera quotidie Missa conventualis applicaretur. Possessores consueverunt iis mensibus, quibus eis contigebat turnus, applicare Missas septem pro benefactoribus, reliquas octo pro testatore, etiam post reductam conventualem ad dies festos. De hoc Episcopus monuit hodiernum canonicum, qui absolutionem quoad præteritum spectata ejusdem bona fide petiit et obtinuit celebrato aliquo Missarum numero arbitrio Episcopi: *Sutrina*, *Missarum*, 22 *novemb.* 1794, *dub.* 2.

49 Dotes annuæ sex, totidem scutorum pro qualibet, per hæredes Francisci Viarano non collatæ sunt usque ad numerum 83, et Missæ non celebratæ in numero 3022. Sed summa pro hac omissa distributione, ac celebratione soluta fuit in manibus parochi S. Jacobi Matiati superioris. Hinc implorata absolutio ab utraque omissione per solutionem purgata concessa fuit: *Novarien.*, 8 *febr.* 1794, *dub.* 2.

50. Quoad legatum Victoriæ Onofri Missarum 15 annuatim consulitur Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum ob Missas non celebratas ratione paupertatis familiæ Barlesi, celebratis tamen Missis decem pro unica vice: *Camerinen.*, *Abolitionis legati Missarum et absolutionis*, 25 *januar.* 1794, *dub.* 2.

51. Absolvendos esse censuit S. C. canonicos ecclesiæ cathedralis a præterita omissione Missarum 3000, et amplius, tot celebratis anniversariis, quot singulis respondeant Missis 50 juxta Episcopi votum. Nam congrua indigebant sustentatione: *Ampurien. seu Emporien.*, *Reductionis Missarum*, 5 *apr.* 1794, *dub.* 2.

52. Quum Jo. Franciscus Manildi impositum a suo Patre Bartholomæo onus tum celebrationis Missarum, tum olei præstationis, ratione suæ paupertatis omisisset; implorat absolutionem quoad præteritum, quæ conceditur, imposito aliquo pio onere pro unica vice per modum suffragii arbitrio Episcopi: *Derthonen.*, *Commutationis voluntatis*, 10 *maii* 1794, *dub.* 2.

53. Hæredes pauperes legatum pium Missarum relictum a Jo. Baptista Seniore Pessani ex superextanti hæreditate ab hæredibus testamentariis renunciata cum bona fide penitus neglexerunt; hinc absolutionem postularunt, et S. C. concessit prævia Sanctissimi consultatione: *Savonen.*, *Legatorum*, 14 *martii* 1795, *dub.* 2.

54. Quoad legatum Missarum 50 addictum per hæredes Baptistæ Guazzi ipsorum oratorio consulendum esse Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum quoad Missas usque ad annum 1740, in quo tempore celebratio est præsumpta ob pietatem hæredum illius, qui oratorium fundavit; denegata est autem absolutio annis posterioribus, in quibus partialis omissio facta fuit; et tribuenda potius videtur oscitantiæ, quam culpæ oratoris: *Cervien.*, *Legati Missarum*, 18 *apr.* 1795, *dub.* 2.

55. Sodalitium S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Januæ erectum reductionem Missarum, quibus gravatur ex præstationibus annuis confratrum et sororum, ob tenues ejusdem redditus decrevit sub reservatione apostolici beneplaciti, et Missæ interim omissæ sunt. Sed obtenta confirmatione reductionis, supplicavit pro absolutione a præteritis omissionibus, et obtinuit; nam suppletur quodam modo applicatio Missæ pro vivis et defunctis, collective jussa in reductione, quum desint media unde possit expleri: *Januen.*, *Reductionis Missarum*, 22 *aug.* 1795, *dub* 1.

56. Domus misericordiæ pro infirmis, et peregrinis erecta, plurimis ab ipsa erectione gravabatur

oneribus Missarum, et subsidiorum dotalium. Hæc onera anno 1736 præ redituum imminutione reducta fuerunt ad annuas Missas 338, et dotes tres. Sed ob maximum terræ motum, anno 1755, imminutio gravis consecuta est, et ab eo tempore omissa sunt sacra, et dotium collationes. Reditus domus nunc summam attingit scut. 800, ægrotantium, et aliorum piorum operum sumptus est in scut. 1100. Qua de re exoratur absolutio quoad præteritum, et concessa fuit a S. C: *Pharaonen., Suppressionis oneris et absolutionis*, 9 *julii* 1796, *dub*. 2.

57. Quamquam Cæsareus jun., Calvi patronus, binarum capellaniarum, quæ fundatæ in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi a sen. Calvi erant, non ignoraret præcisum Missarum numerum, dum S. C. pro suspensione nominationis capellani supplicavit; tamen filius et nepos sacra omiserunt paucis celebratis. Hinc modo suam exponens patronus paupertatem absolutionem implorat, et S. C. eam indulsit celebrato aliquo Missarum numero pro unica vice, arbitrio Episcopi: *Spoletana, Reductionis Missarum*, 11 *febr*. 1797, *dub*. 4.

§ IV.

Absolutio ab Excommunicatione.

1. Quæritur, ad quem excommunicati ab Episcopis pro absolutione saltem ad cautelam obtinenda accedere debeant; et an abbates, qui, ut prælertur, in locis sibi subjectis habent plenariam jurisdictionem, quasi episcopalem, possint illos sic excommunicatos ab Episcopis ex dictis locis subjectis, tanquam id de facto, potius quam servata forma sacrorum canonum processerit, auctoritate ordinaria ipsorum abbatum absolvere, et relaxare? Rescribitur ad primam partem accedere debere ad excommunicatorem; ad secundam, non posse: *Cassinien., febr*. 1588, *dub*. 6.

2. Archidiaconum majorem ecclesiæ cathedralis, et vicarios ab eodem sede vacante constitutos, et in excommunicationis censura ob recursus habitos ad laicos judices detentos absolvendos esse, S. C. statuit sub die 5 *sept*. 1699, *dub*. 2, confirmavitque *in Gerunden., Deputationis vicarii*, 5 *junii* 1700.

3. Petrum Angelum Lucinam monachum Olivetanum, et monasterii Montis Oliveti Neapolis vicarium, qui absque proprii parochi licentia extremæ unctionis sacramentum viro intra monasterii septa inhabitanti ministravit, in excommunicationem ob contumaciam incurrisse declaratum, absolvendi in forma privata a S. C. datur Ordinario facultas: *Neapolitana, Censurarum*, 5 *junii* 1700.

4. Quum clericus Horatius Saracenus ad instantiam puellæ Dominicæ Grottolæ criminali judicio ob prætensum stuprum cum eadem patratum anno 1691 fuisset excommunicatus; inde tanquam innocens ab impacto crimine fuit declaratus, et ad sacros ordines ascendit, nec non canonicatum in ecclesia cathedrali fuit assequutus. Desuper S. C. requisita; an censuræ latæ subsistant, et quatenus affirmative, an sit absolvendus? responsum fuit; esse absolvendum, et dispensandum ad cautelam: *Juvenacen., Censurarum et irregularitatis*, 23 *februar*. 1709, *dub*. 3.

5. Vicarius generalis excommunicavit cum testibus juratis sacerdotem Jacobum Faraglia, qui in curia episcopali a clerico Jo. Josepho Germano in eum manus injecisse fuerat accusatus. Jacobus vero nunquam illum manibus attrectasse testatur, afferens testes, qui tantum alternas injurias audierant. Hinc S. C. percontata de hac re absolutionem ad cautelam impertivit: *Civitatis Ducalis, Censurarum et irregularitatis*, 12 *dec*. 1711, *dub*. 3.

6. Dispensationem a quarto consanguinitatis gradu Georgius Giura et Clara Musacchius obtinuerunt. Hujus exequutionem mandavit Ordinarius Melphiensis, cui, sede Venusina vacante, erat a Summo Pontifice directa. Vicarius capitularis nullum matrimonium hoc prætendens, quod absque sua licentia contractum fuerat, sponsis, ne sub pœna excommunicationis cohabitarent, inhibuit. S. C. præceptum hoc confirmavit. Sed quum conjuges huic mandato contravenissent, fuerunt a dicto vicario excommunicati. Exorant nunc absolutionem, et impetrant: *Venusina, Matrimonii*, 3 *octob*. 1716, *dub*. 2.

7. Soror Maria Magdalena Monialis in monasterio S Claræ civitatis Neocastri in integrum restitui optavit adversus quinquennii lapsum ad infringendam suam professionem emissam per vim, et metum a parentibus suis illatum. S. C. primum decernit, ut coadjuvarentur probationes, et Episcopus Catacensis procedat contra parentes ad formam Concilii Tridentini [61]; et revera absoluto ab Episcopo examine testium; ipse utrumque parentem incidisse in

[61] Sess. 25, cap. XVIII *de Regul.*, ubi libertati voluntatis consultum est, si agatur de coactione, seu vi non cadente in constantem virum illata professuro, vel professuræ: et si hæc inferatur mulieri, nedum ut monialis fiat, sed etiam, ut aut monasterium ingrediatur, aut habitum religiosum suscipiat, incurritur ab inferente ipso facto excommunicatio, nemini tamen reservata; quam pariter incurrunt, quicumque consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Et S. C. Concilii *in Fanen.*, januarii mense 1586 declaravit illa verba in cap. prædicto « Quique consilium, auxilium, vel favorem dederit,

excommunicationem a Concilio Tridentino comminatam pronunciavit. Re iterum in S. C. deducta, quoad absolutionem a censuris ad D. secretarium cum Sanctissimo rescripsit : *Neocastren., Restitutionis in integrum,* 7 *dec.* 1720.

8. Joan. Baptista de Aro postquam matrimonium cum Catharina Moncado contraxisset sub obtentu, quod per vim et metum se adactum fuisse ad illud celebrandum, cum illa cohabitare renuit, et excommunicationis sententiam passus est. Hic invalidum prætendit matrimonium, et petit absolutionem a censuris. S. C. absolvi interim cum reincidentia ad tres menses mandavit. *Cajetana.,* 23 *maii* 1722, *dub.* 2; deinde, dum S. C. probationes super matrimonii validitate quæsivit, suspendi censuras per tres menses censuit : 21 *nov. ejusd. anni.*

9. Declaratus fuit excommunicatus a S. C. Franciscus Maria Sigue, canonicus Turritanus, eo quia tanta violentia palam in sacerdotem Joan. Andream Sacajonium officialem rationarium cathedralis irruerit, ut humi hic prostratus sanguinem ore expuerit. Hinc dictus canonicus ad Urbem accessit, et, ut recedatur a decisis petiit a S. C., quæ decretum excommunicationis confirmando, facultatem vicario capitulari absolvendi, spectata remissione partis, attribuit, addiditque ad mentem : *Turritana,* 30 *martii* 1726.

10. Franciscus Corradus Romezshome canonicus ecclesiæ collegiatæ Aquensis exposuit, Willelmum Moers seniorem canonicum ejusdem ecclesiæ manus in eum violentas injecisse, instititque proinde, ut istum in pœnas præscriptas in canone *Si quis suadente*[62] incurrisse declararetur. S. C. desuper interrogata, non incurrisse in pœnas in dicto canone decernendo, locum habere sententiæ nuntii Coloniæ[63] exequutionem mandavit : *Leodien. seu nullius, Censurarum,* 16 *dec.* 1730, *dub.* 2.

11. Prior, et æedituus conventus Carmelitarum quartam funebrem a S. C. constitutam parochiis portionariis S. Carpophori solvere recusarunt, eo quod isti medietatem candelarum, et intortitiorum, quæ in parochiali ecclesia accensa sunt, pariter tradere renuebant. Fuerunt ideo a vicario civili archiepiscopalis curiæ censura excommunicationis illi innodati. Vicarium vero suspectum allegarunt, opposueruntque de vitio nullitatis omnium peragendorum. Quæsitum hinc fuit, num censura hæc sustineretur ? et responsum exiit consignato deposito sese absolvendos ad cautelam : *Mediolanen., Censurarum,* 4 *dec.* 1734. Tradito deposito autumarunt religiosi censuras neutiquam sustineri posse, et petierunt desuper iterum audiri, sed confirmatum fuit præcedens rescriptum et dictum ad mentem[64] : 23 *april.* 1735.

12. Joseph Lana parochus ecclesiæ S. Germani in Pago del Pizzone, et sacerdos Franciscus Panei ob violatam Archiepiscopi Capuani jurisdictionem, de qua controversia vigebat, ab eodem fuerunt excommunicati. S. C., etiamsi hanc pœnam nullam fuisse declaraverit, verum eosdem ad cautelam absolvit : *Capuana seu Calven., Jurisdictionis,* 7 *sept.* 1737, *dub.* 4.

13. Putans prior monasterii S. Mariæ de Rivipullo ad se pertinere vigore unionis œconomi ecclesiæ parochialis vacantis S. Eulaliæ de Villadonia deputationem, sub excommunicationis pœna contra œcononum ab Episcopo deputatum mandatum expedivit, quo coram ipso pro deputatione reportanda sese præsentaret; Episcopus læsam arbritratus est suam esse jurisdictionem, et jussit, ut prior mandatum revocaret, alioquin in sua curia sisteret ad videndum se declarari in censuras per sacros canones contra ecclesiasticæ jurisdictionis perturbatores inflictas incurrisse. At prior ministrum Episcopi carceribus abbatialibus mancipavit; qua de causa Episcopus incurrisse in censuras pronunciavit, et prior e contra excommunicatum vitandum Episcopum in locis publicis Rivipulli significavit. Hinc S. C. desuper requisita, dum censuras ab Episcopo latas tantum sustinere affirmavit, quoad absolutionem ad mentem[65] respondit : *Vicen. seu Rivipullen., Jurisdictionis,* 23 *aug.* 1738, *dub.* 2.

14. Rixa enata est inter ludentes pueros clericum Marcum Bolenum annorum 14, et Josephum Guilielmum annorum 13, consertisque manibus, prædictus Joseph scalpello librario clericum, a quo jam

non ita accipienda, ut inhibitum sit, ne quis consilium det virgini ad ingrediendum monasterium, vel profitendum, sed excommunicantur dantes consilium, et auxilium ad hoc *ut Virgo cogatur ingredi, vel profiteri,* atque ita prohibita *coactione,* etiam consilium ad eam tendens merito sub eadem pœna prohibitum intelligatur. Et ut magis professuræ libertati consuleretur, idem Concilium cap. 17 cit. sess. statuerat, ut antequam professionem emittat, per Episcopum, vel per alium deputatum, illius exploretur voluntas, an coacta, aut seducta fuerit, et an sciat quid agat. Casus autem in jure expressi, quos ab hujusmodi prohibitione, cogendi nimirum ad ingressum in monasterium excipit Trid. in cit. cap. 18, referuntur a Thesauro *de Pœnis Eccles.* verb. *Monialis,* cap. 1, pag. 284.

[62] Vide not. 21.

[63] Post examinatos testes in vim decreti Nuntiaturæ prodiit sententia absolutoria canonici Moers ab instituta actione, una cum condemnatione canonici Romerzhome actoris ad omnes expensas : *Ead. causa,* 9 *sept.* 1730, § 7.

[64] Commissum fuit Archiepiscopo, ut absolutionem ad cautelam impertiret : lib. 85, decret. pag. 143.

[65] Id est « Oratorem a censuris, ut supra, contra eum latis ab Episcopo Vicensi in causa de qua agitur, et sub hac eadem die resoluta benigne absolvat. » Lib. 88 decret. fol. 572.

prostratus fuerat, contra se venientem ita in coxa percussit, ut arteria intercisa post paucas horas ille obierit. Modo Joseph præfatus ad clericalem militiam institui cupit, postulatque una cum dispensatione absolutionem ab excommunicatione, parti præstita satisfactione: et S. Cong. absolutionem, quando constet de satisfactione fisci, ei concessit: *Brugnaten.*, *Irregularitatis*, 6 *maii* 1786.

15. In excommunicationis pœnam ab Episcopo Vilnensi intentatam, quum incidisse statutum fuisset parochum Olkoviensem, qui cadaver Constantiæ Volokdoviez contra episcopale præceptum in sua ecclesia tumulavit una cum prædefuncto illius viro, licet sibi Constantia sepulturam præelegisset in ecclesia PP. Carmelitarum discalceatorum conventus Olkoviensis; modo ex decreto S. C. consulitur Sanctissimo pro absolutione: *Vilnen.*, *Sepulturæ*, 15 *dec.* 1792, *dub.* 2.

§ V.

Absolutio ab Interdicto.

1. Postulatur, ad quem interdicti ab Episcopo pro absolutione saltem ad cautelam obtinenda accedere debeant; et an abbates, qui, ut præfertur, in locis sibi subjectis, habent plenariam jurisdictionem quasi episcopalem, possint illos sic interdictos ac loca interdicta tanquam id de facto, potius quam servata forma sacrorum canonum processerit, auctoritate ordinaria ipsorum abbatum absolvere, et relaxare? Ad primam partem accedere debere ad eum, qui interdictum relaxavit; ad secundam, non posse: *Cassinen.*, *febr.* 1588, *dub.* 6.

2. Quum in visitatione oratorii in prædio *della Bagnarola* existentis sese opposuisset monachus Benedictus Victorius Cellerarius; Episcopus interdictum relaxavit. At S. C. absolvi censuit; et præcepit, ut Episcopus se abstineat a censuris: *Cæsenaten.*, *Jurisdictionis*, 25 *sept.* 1690, *dub.* 4.

3. Quum S. C. interdictum appositum in oratorio societatis Mortis, et Orationis Casalis Majoris a curia episcopali validum judicasset, quia sodales, ne præpositus S. Leonardi, intra cujus limites situm est oratorium, festum solemni more celebraret, lumina extinxerant, ac altare nudaverunt; modo ejusdem interdicti locum esse relaxationi censuit: *Cremonen.*, 23 *januar.* 1706, *dub.* 2.

4. Quum Episcopus Bobiensis prohibuisset apposita pœna interdicti structuram novi ædificii turris sacræ, quam sodales et priores oratorii S. Jacobi siti citra pontem oppidi Borzonaschæ ædificaverant, illi ad S. C. recursum habuerunt, et S. C. ut adeant ad eumdem Episcopum pro absolutione censuit: *Januen. seu Bobien.*, *Jurisdictionis*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 2; et causa reproposita, coadjuvari probationes juxta instructionem eminentissimi Præfecti, respondit: 5 *julii* 1710.

5. Episcopus volens visitare in oppido Viqueriæ hospitale S. Rochi, ac montem frumentarium, et sodalitium sanctissimi Nominis Jesu in oratorio S. Rochi erectum, post eorumdem unionem factam monasterio S. Mariæ Pietatis ordinis Prædicatorum, resistentiam passus est, interdictum inflixit. Et dum fuit controversia agitata super Episcopi jurisdictione, S. C. ab interdicto absolutionem usque ad exitum causæ impertivit, et ad D. secretarium pro remissoria ad effectum compulsandi jura: *Derthonen.*, *Visitationis*, 30 *junii* 1759.

§ VI.

Absolutio a juramento.

1. Consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a promissione a patre Augustino a S. Thoma Aquinate, clerico regulari scholarum piarum facta in actu emittendæ professionis religiosæ de non procurando, sive acceptando prælaturas, sive dignitates intra, vel extra religionem. Fuerat enim a Carolo II Hispaniarum rege ad episcopatum Motulæ nominatus: *Motulen.*, 14 *aug.* 1700, *dub* 2.

2. Presbyteri aggregandi congregationi B. V. de Necessitatibus nuncupatæ in loco de Tumina erectæ, peracto tirocinio, juramentum perseverandi in dicta congregatione præstare debent. Exorant hi absolutionem ejusdem, et dispensationis Sedi Apostolicæ reservationem; sed S. C. aures ad preces non admovit: *Elboren.*, *Juramenti perseverantiæ*, 14 *nov.* 1711.

3. Juspatronatus cujusdam beneficii erecti in ecclesia parochiali Sanct. V. Mariæ Assumptæ oppidi Platinæ ad archipresbyterum, et collegium notariorum Cremonæ spectat. Eo vacante archipresbyter Bartolomæum Landinum præsentavit. Collegium præfatum commisit decano Francisco Arrisio facultatem duos eligendi viros. Hi irrevocabiles procuratores, ut præsentarent Josephum Arrisium prævio juramento de non revocanda electione elegerunt. Unus ex his dictum Arrisium præsentavit, at electi a collegio nominarunt Landinum una cum archipresbytero, qui supplicarunt statim pro absolutione a juramento de non revocanda electione a procuratoribus facta, ut pro rescissione instrumenti nominationis, et præsentationis ex prætensa læsione agere possint. A S. C. rescriptum fuit: *Episcopo in forma commissaria* ad effectum agendi tantum: *Cremonen.*, *Beneficii*, 6 *junii* 1716; confirmata 3 *oct.* *ejusd. anni*.

4. Absolutione ad cautelam non indigere S. C.

definit archidiaconum majorem, et canonicum Isidorum de Orten, qui non obstante statuto ecclesiæ cathedralis Gerundensis, quo cavetur, ne a Sede Apostolica, vel a legatis ejusdem privilegium percipiendi in absentia fructus canonicatuum, et præbendarum, et de non utendo consequuto, neque a juramenti vinculo absolutio impetrentur; tamen post completum quadragenarium ecclesiæ servitium jubilationis indultum postulavit : *Gerunden.*, *Jubilationis*, 15 *febr.* 1772, *dub.* 1, confirmata 9 *maii ejusd. anni.*

5. Canonici ecclesiæ cathedralis dispensationem postulant a juramento ab eis præstito in accipienda canonicatuum possessione, sub quo præ cæteris observare promiserunt, *jura ecclesiæ*, *consuetudines*, *et statuta scripta*, *et non scripta*, et asserunt hanc juratoriam obligationem quoad præterita, non quoad futura devincere, et S. C. negativum dedit responsum : Nam Episcopus ad tollendos chori servitii abusus nonnulla statuta aliis cathedralibus consentanea condiderat, quæ canonici impugnabant : *Scepusien.*, *Servitii chori*, 30 *julii* 1796, *dub.* 4.

§ VII.

Absolutio a pœnis ecclesiasticis seu a censuris in genere.

1. Nonnulli clerici, qui bona fide ordinati fuerunt cum Episcopi venia ab abbatibus regularibus benedictis, sive habentibus apostolicum privilegium, ac inde rite ab Episcopis propriis ad sacros ordines fuerunt promoti, ac beneficia obtinuerunt, postulant absolutionem a censuris una cum rehabilitatione, et S. C facto verbo cum Sanctissimo illam concessit. *Papien.*, 25 *octob.* 1594.

2. Censuit S. C. absolvendos esse a quibuscumque pœnis, in quas incurrerunt, facto verbo cum Sanctissimo jam ordinatos ab abbatibus benedictis regulares non subditos, etiamsi litteræ dimissoriales superiorum eorum regularium habuissent, ad primam tonsuram, et ordines minores; quam resolutionem Sanctissimus approbavit, et inde S. C. publicari decretum, et servari mandavit : *Catanien.*, 15 *febr.* 1642.

3. Si abbas non benedictus habeat privilegium apostolicum, et ordines minores contulerit suis subditis, ordinatos indigere tantummodo absolutione, et rehabilitatione a Sede Apostolica : *Panormitana*, *Collationis ordinum*, 16 *martii* 1647, *dub.* 2.

4. Absolutiones ad cautelam a censuris ab Ordinario relaxatis nequit non citata parte, nec visis actibus judex delegatus apostolicus concedere præterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiæ. De hoc Episcopi, et Metropolitani regni Sardiniæ S. C. consuluerunt : *Sardiniæ*, *Jurisdictionis*, 15 *martii* 1700, *dub.* 1.

5. Capitulares, seu participantes ecclesiæ collegiatæ terræ Martinæ ob locationes ad ipsorum vitam bonorum ejusdem capituli factas, quæ pro rata annuæ eorum portionis ducatorum 45 pro quolibet, vigore decreti anni 1625, Archiepiscopi Tarentini non ultra triennium ab ipsis conducta retinere poterant, quod si ulterius habuissent, restituere ea deberent, in pœnas Extravag. *Ambitiosæ* [66] non incidisse ; ita ut absolutione indigeant, S. C. decrevit : *Tarentina*, *Censurarum*, 9 *april.* 1701, *dub.* 3.

6. Postquam canonici ecclesiæ collegiatæ civitatis Laviniæ quoddam prædium ducibus de Cæsarinis ad tempus absque Sedis Apostolicæ assensu locassent, dubitarunt, num in censuras incurrerint? Dubium S. C. diluit, respondendo, ut facerent ultimæ locationis revocationem infra mensem, secus ut in censuras declararentur incurrisse; et quoad præteritas locationes absolvi eos ad cautelam S. C. jussit : *Alban.*, *Beneplaciti*, 17 *nov.* 1703, *dub.* 2.

7. Absolutio a censuris impertitur a S. C. religiosis sæcularibus collegiatæ ecclesiæ S. Petri oppidi Romaricomontis ob alienationem peractam cujusdam ratæ partis feudi nuncupati de Roville ad capitularem mensam spectantis ; licet reservatum fuerit beneplacitum apostolicum : *Nullius provinciæ*, *Treveren.*, 12 *januar.* 1704.

8. Censuris a canonico Antonio Sotgiu prætenso delegato apostolico tum contra secretarium curiæ archiepiscopalis, tum contra ipsum Archiepiscopum latis, nullis, ac temerariis declaratis per S. C.; ac illis e contra per Archiepiscopum adversus illum, et alios canonicos assistentes eidem inflictis, validis; inde prævia facultate a S. C. archipresbytero indefinite commissa canonicus Sotgiu absolutus fuit.

[66] Cujus vigore contravenire audentes vel præsumentes expresse prohibitioni, incurrunt primo, excommunicationem, si non sint Episcopi, vel abbates, sed non est reservata. 2° Episcopi, vel abbates incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed non est reservatum. 3° Si dicti Episcopi, vel abbates per sex menses insorduerint in interdicto hujusmodi, incurrunt suspensionem ab administratione ecclesiarum, seu monasteriorum in temporalibus, et in spiritualibus, sed non est reservata. 4° Capitula, conventus, et aliæ universitates incurrunt interdictum. 5° Singulares personæ, etiam dictarum universitatum, et alii etiam prælati, qui Episcopi, vel abbates non sunt, incurrunt privationem omnium officiorum, quorum bona alienaverint, et privationem vocis activæ et passivæ, et pœnam inhabilitatis ad prædicta, et alia obtinenda. Quamvis vero excommunicatio vi hujus constitutionis non sit reservata, est tamen reservata Papæ vi Trident. cap. 11, sess. 22. *de Reform.*; qua ligantur etiam regulares.

Alii canonici sibi etiam suffragari illam facultatem, et absolutionem putant, ita ut non sit locus absolutioni. At S. C. locum esse novæ absolutioni, servata forma Ecclesiæ consueta, et quoad irregularitatem suæ conscientiæ consulere decrevit: *Turritana*, *Censurarum*, 18 *julii* 1705

9. Superiores carthusiæ S. Laurentii prope oppidum Padulæ diœceseos Caputaquensis sitæ suos monachos demiserunt ad Episcopum Policastrensem, et Marsicensem, munitos litteris dimissorialibus, in quibus Episcopum Caputaquensem, cujus jus erat facultatem impertiendi, sed dare illam renuebat, fuisse absentem, vel ad pontificalia exercenda impeditum iidem testati sunt. Desuper S. C. consulta, quum illicite eos ordines suscepisse decreverit, absolvendos esse ex gratia a censuris [67] : *Caputaquen.*, *Ordinationis*, 11 *febr.* 1708, *dub.* 1.

10. Quum abbas monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis ordinis S. Benedicti, licite non potuisset conferre clericatum Philippo Polichettio nato in diœcesi Cavensi, inde domiciliato in diœcesi Salernitana absque debitis testimonialibus, sive dimissorialibus ; S. C. dictum abbatem, et Polichettium in pœnas indictas, et inflictas in Bulla S. M. Innocentii XII incipien. : *Speculatores* [68] incidisse, sed absolutionem auctoritate eminentissimi protectoris esse concedendam decrevit: *Salernitana*, *Ordinationis*, 12 *januar.* 1709, *dub.* 2.

11. Franciscus Fantaccinus in subdiaconatus, et diaconatus ordine ad titulum simplicis beneficii onere Missarum 8 annuatim, et alterius hebdomadalis gravati redditus scut. 25, ab Episcopo Grossetano fuit ordinatus. Quum S. C. haud constare de canonica et licita ordinatione decreverit; modo absolutionem a censuris arbitrio Episcopi originis, quando constet de sufficienti patrimonio, remisit: *Grossetana seu Messanen*, *Ordinationis*, 2 *junii* 1712, *dub.* 2.

12. Ob decreta visitationis a vicario generali Melphiensi, et Rapollensi affixa in valvis abbatialis ecclesiæ S. Mariæ de Perno orta est contentio inter illum, et curiam episcopalem Muranam, ac ita processerunt, ut sibi invicem censuras relaxaverint. Illas latas a vicario Melphiensi in vicarium Muranum esse validas S. C. decrevit; et absolutionem earumdem arbitrio Metropolitani remisit: *Melphien.*, *Jurisdictionis et censurarum*, 16 *julii* 1712, *dub.* 3 [69].

13. Absolutio a censuris ad cautelam impertita fuit Rocho Santi Pellegrino, qui raptum puellæ Cæsaræ Fucilæ consentientis, et ipsum raptum proponentis commisit, et cui S. C. nullum quoad matrimonium obstare impedimentum declaraverat, posteaquam vicarius generalis censuras in eum fulminaverat: *Ruben.*, *Raptus et censurarum*, 3 *martii* 1714, *dub.* 2.

14. Mortuo Matthæo Episcopo Sorano inventarium bonorum in palatio episcopali existentium canonici confecerunt; et ob quæstionem ab hærede

[67] Cum igitur in dicta causa Caputaquen., ordinatio fuerit sequuta ab Episcopo Policastren., tempore quo Episcopus Caputaquen. diœcesanus non fecerit eo die ordinationem, sed habuerat quidem ante, et ex industria dimissio Carthusiensium a suis superioribus usque tunc protracta fuerat. Quoad autem ordinatos ab Episcopo Marsic. considerabatur contra resolutionem, id fuisse tempore, quo ordinatio ab Episcopo Caputaquen. fiebat, sed id erat in angulo diœcesis peramplæ per 40 milliaria, et sic longe a Carthusia, nec constabat fuisse ordinationem generalem præviis publicis edictis, ut ad hunc casum requiri, ut regulares ponantur in mala fide, dixerunt Coton. *lib.* 3, *controv.* 1, *cap.* 5, *num.* 74. Passer. *de Stat. hom. q.* 189, *art.* 10, *inspect.* 10, *num.* 814, *in fin. tom.* 3; et licet considerari potuisset, quod in litteris dimissorialibus regularium nulla aderat mentio, quod Episcopus ordinationem non faceret, ut requiritur juxta Clementinum decretum, et notat Passerin. *cit. num.* 868; Monacell. *in formul. tom.* 2, *tit.* 13, *formul.* 4, *num.* 18, et dixi *tom.* 1, *cit. loc. num.* 31., tamen hujusmodi accidentalis defectus non importaret ex se actum illicitum, quia substantialiter elicitur effectus decreti, ut regulares ordinentur ab alio Episcopo, si diœcesanus non habuerit ordinationes, prout non habuit : Passer. *l. c. num.* 181, *vers.* 5, *Si in dimissoriis* ; demum consideratione dignum fuit inspicere, qnod non ex eo quod fuerit actum contra decretum Clementinum, ordinatio reddita fuit illicita; sed tantum incurrisse superiores pœnas contentas in præfato decreto Clementino, privationis vocis activæ, et passivæ, aliarumque, nec ulla adest pœna suspensionis ordinandorum; nam Episcopus fecerat ordinationes, et sufficit eas fecisse in diœcesi, quasi in loco a conventu longinquo ; et rursus constitit superiores Carthusiæ institisse apud Episcopum pro licentia dimittendi suos subditos ordinandos ab alieno Episcopo, ac Episcopus renuit ex eo, quod vellet per se ipsum eos ordinare, unde non potuerat in contemptum alibi mittere sub motivo ignorantiæ ordinationis, tametsi specialis, quia debet Episcopus diœcesanus præferri ; unde eliciebatur, ex industria evitandi Episcopum proprium, affectasse ignorantiam ordinationum, et Episcopum habuisse promptum animum eos ordinandi, quotiescumque enim fit actus contra legem, illicitus dicitur, quia decreta apostolica obligant in foro conscientiæ: Fagnan. cap. *Si quis*, num. 38 et 39, *de Regul.*, et in his terminis Monacell. *cit. in Append.* pag. 295, num. 3, et seqq. Transgressores vero regulares superiores Sac. Congr. censuit, incurrisse in pœnas Clementini decreti, quod videtur ipso facto pœnam imponere, Monacell. *cit. loc.* num. 3, et seqq., licet aliqui dicant, quod utatur verbo *incurrant*, aliqui incurrent, Passer. cit. num. 810. Non tamen alias pœnas suspensionis in ordinatos voluit Sac. Congr. canonizare. » Ita Card. Petra *Comment. ad Const. III. Bonifacii IX*, num. 7, seqq. tom. 4, pag. 196 seqq.

[68] Vide not. 75.

[69] Advocatus Ursaya scripsit in hac causa in favorem curiæ episcopalis, ut patet ex *Discep. Eccles XXXIII*, *tom.* 3, *part.* 1, *per tot.*

ab intestato excitatam ob bona patrimonialia cum eo transactionem inierunt. At testamentum emersit, quo bona patrimonialia Episcopus hæredibus scriptis, cætera successori in beneficium cathedralis convertenda reliquerat. Hinc Episcopus successor de nullitate transactionem redarguit, et delapsos fuisse contrahentes in censuras postulatum excitavit; qua de causa requisita S. C., rescripsit pro absolutione ad cautelam, et ad mentem: *Sorana, Nullitatis et censurarum*, 14 *martii* 1722, *dub.* 2 et 3.

15. Quum Antonius Nicolaus Ligius ex Augustiniana familia examen pro clericali tonsura, et quatuor ordinibus minoribus suscipiendis subierit, in generali ordinatione tonsura fuit initiatus; deinde quum minister nominatim singulos, qui ad ostiariatum erant promovendi, evocasset, Antonius se inter eos appellari non audiens, errasse ministrum credidit, et cum aliis ad Episcopum accessit, ostiariatusque ordinem suscepit. Postea interrogatus hac super re Episcopus, ea se, inquit, mente fuisse, ut nonnisi primam tonsuram illi conferret. Hinc S. C. ei absolutionem petitam a censuris ad cautelam indulsit: *Perusina*, *Ordinationis*, 19 *julii* 1732, *dub.* 3.

16. Sacerdotes nonnullos terræ Castrinovi visitationi tum reali, tum personali dicti Castri adversantes a censuris ab Archiepiscopo Lancianensi intentatis, considerata eorum paritione esse absolvendos S. C. censuit: *Larcianen.*, *Visitationis*, 15 *januar.* 1725, *dub.* 1 et 2.

17. Primum constare de excessibus patratis in parochum Mutium a decurionibus Villæ Frassinelli causa usurpationis primitiarum, ac decimarum, et ob violentias habitas, ac ob ecclesiasticam jurisdictionem turbatam; nec censuras reservatas Summo Pontifici eosdem decuriones incurrisse S. C. declaravit; inde decretum absolutorium ad cautelam a quibusvis contractis censuris a vicario generali emanatum subsistere censuit: *Januen.*, 9 *februar.* 1737, *dub.* 3.

18. Fr. magistrum Thomam Boni ministrum provincialem tertii ordinis S. Francisci conventus S. Mariæ Piratelli in suburbiis Fori Cornelii definitiva Episcopus sententia in pœnas Bullæ Innocentianæ incidisse, eo quod negligentes Missarum celebrationem, et celebrantium characterem mentientes non redarguerit, jusseritque celebrationes, licet non factas, in libello adnotari, declaravit. Sed S. C., quam ille adiit, absolutionem a censuris ex gratia, necnon ad vocem activam, et passivam, pro quibuscumque muneribus sui ordinis redintegrationem impertivit: *Imolen.*, 17 *decem.* 1740.

19. Capitulum S. Mariæ ecclesiæ collegiatæ urbis Totici, ut canonicis ejusdem ad cautelam absolutio a quibuscumque censuris, in quas forsan incurrerint ob neglectam ærarii communis ex fructibus domorum redintegrationem ducatorum 1600, quæ ab eis impensa fuerunt in refectionem ædium plurium a terræ motu concussarum ad illius ecclesiæ præbendas spectantium, impertiatur, supplicavit. S. C. absolutionem a censuris imposita aliqua salutari pœnitentia, arbitrio Episcopi, pro gratia juxta petita, dummodo quolibet anno deponant ducatos 200 pro redintegratione communis ærarii concessit: *Trojana*, 21 *april.* 1742.

20. Consuetudinem ultra hominum memoriam in sua diœcesi invenit Episcopus Tarentinus locandi bona immobilia ad vitam canonicorum ecclesiæ collegiatæ oppidi Cryptalearum absque ullo Sedis Apostolicæ beneplacito. Hinc S. C. consulta absolutionem ad cautelam impertivit: *Tarentina*, *Beneplaciti apostolici*, 4 *maii* 1743.

21. Xaverius Gangale, quem e græco ad latinum ritum transisse asserit Episcopus, matrimonium contraxit contra formam Const. *Etsi pastoralis* [70] cum græca puella Laureta Stratico coram parocho græco ejusdem puellæ. Huic separationem præcepit Episcopus, et ipsum non obtemperantem ecclesiasticis censuris devinxit. Quæsitum igitur fuit, de censurarum validitate; et S. C., decreta actorum translatione, interim absolutionem cum reincidentia ad tres menses indulsit: *Cassanen.*, *Matrimonii et nullitatis censurarum*, 26 *april.* 1749, *dub.* 2.

22. Quæsitum quum fuisset an absolutio monialium monasterii ordinis Carmelitarum oppidi Putignani a censuris pro violata clausura, aut can. *Si quis suadente* [71] ad P. commissarium monasterii pertineret, sive ad Episcopum? Quoad primam partem, ad Episcopum in casibus non reservatis Sedi Apostolicæ; quoad secundam vero, ad Episcopum in percussionibus gravibus tantum spectare respondetur: *Conversana*, *Jurisdictionis*, 8 *maii* 1751, *dub.* 16.

23. Clericus Vincentius de Susso timens ne nominatio ad beneficium integræ portionis in ecclesia parochiali villæ de la Puebla de Argauzon a beneficiatis facta simoniaca labe infecta sit, absolutionem a censuris postulat. Nam, beneficiatus Zumarraga dicitur suffragium suum tulisse in favorem prædicti Vincentii, eo quod ejusdem captandi gratia pater

[70] Benedicti XIV, Pont. Max., 26 maii 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, p. 75), ubi § 8, num. 11, cautum est: « Matrimonium inter maritum latinum, et græcam mulierem, latine coram parocho latino contrahatur. »

[71] Vide not. 21.

Vincentii patri beneficiati Zumarraga mutuam pecuniæ summam dederat, S. C. requisita absolutionem a censuris ad cautelam clerico prælato concessit : *Calaguritana, Absolutionis et dispensationis*, 8 *maii* 1760.

24. Quum Lucam Franciscum Rodriquez de la Barrera cum litteris dimissorialibus vicarii commendatarii religionis Hierosolymitanæ, cujus jurisdictioni suberat, prima tonsura, ordinibusque minoribus abbas claustralis S. Antonii del Tardon ordinis Blasii initiaverit, postulavit novus clericus absolutionem, una cum rehabilitatione ad ordines, et obtinuit : *Hispalen., Ordinum*, 12 *martii* 1774.

25. Joan. Franciscus Gonzalez de Ulloa exponit, ad capellaniam a legitimo patrono fuisse nominatum; sed se superventum a contradictore, parentum postulatis toto animo acquievisse, ut ipse interposita concordia sumptuosam litem redimeret. Pater oratoris bona quædam contradictori donavit, ut sacri patrimonii titulum haberet. Hinc Franciscus ordines minores, et subdiaconatum suscepit. Quum vero ad diaconatum studuisset promoveri, monitus a promotore fiscali, quod in censuras ex admissa simonia incurrisset, et inde re vulgata petiit absolvi, et absolutionem obtinuit, restitutis fructibus, si quos perceperit : *Aurien.*, 6 *april.* 1785.

26. Postquam S. Congr. firmaverat, haud licere vicario generali aliquid muneris, seu stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo, sive alia qualibet causa, et titulo in exequutione litterarum apostolicarum dispensationis matrimonialis ; licet adsit aliquid accipiendi consuetudo ; modo rescripsit S. Cong. quæsita de restitutione ad D. secretarium cum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam : *Dubia super exequutione dispensationum matrimonialium*, 20 *januar.* 1787, *dub.* 2.

27. Cajetanus Caccialupius, et canonicus Joseph Raccamadorius patroni rectoratus cujusdam pretio scut. 560 activum hujus rectoratus patronatum Dominico Assortati vendiderunt, eique illius fundum cesserunt, ut cum bonorum universitate translatus videretur. Modo autem venditores exorant pro absolutione a censuris, quatenus in eas incidissent, et S. C., imposita salutari pœnitentia, arbitrio Episcopi, eam impertivit, addendo, ut Assortatus suæ conscientiæ consulat : *Maceraten., Jurispatronatus*, 18 *julii* 1789, *dub.* 2.

28. Abbas Hyacinthus Maria Bagatti monasterii Cisterciensium S. Mariæ de Horto Venetiarum tonsuram, minoresque ordines contulit Josepho Foralosso illius converso, qui religiosum deinde habitum ex Apostolico indulto dimisit. Etsi S. C. non constare de nullitate hujus ordinationis jam decreverit; tamen esse consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit, edixit : *Congregationis Cisterciensis*, 28 *novemb.* 1789, *dub.* 2.

29. Firmata a S. C. nullitate permutationis contractus initi inter Conservatorium Oblatarum Sacræ Familiæ Setiæ, et Joachim Benedictum Pacifici de licentia Card. protectoris, est remissa ad D. secretarium S. C. liquidatio quoad meliorationum refectionem ; ad eumdem quoque secretarium cum Sanctissimo S. eadem C. rem pro absolutione remisit : *Terracinen. et Setina*, 23 *januar.* 1790, *dub.* 2.

30. Ecclesiasticum beneficium cum officio æditui possidebat Antonius Amaya in parochiali ecclesia villæ Fuentes de Leon. Hoc libere resignavit in favorem Joseph Sanchez Brioso ; sed privatim cum eodem, et Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitium incumberet resignatario, perciperet ipse fructus beneficii ; hinc Joseph supplicavit pro absolutione a censuris, et illam obtinuit, una cum condonatione fructuum, distributa aliqua summa in pauperum subsidium : *Nullius, S. Jacobi de Spatha*, 21 *apr.* 1792, *dub.* 1.

31. Sodalitium S. Apolloniæ Urbis de pecunia piorum operum per investimentum disposuit, et capitalia auxit ob erroneam cæteroquin opinionem, quod facultas ipsi attributa quoad hæreditatem Mariani, disponendi de superfluis, ad alias extendi posset posteriores fundationes, hinc sodales implorant absolutionem quoad præteritum a censuris, quatenus indigere ea videantur, et assequuti sunt : *Romana, Subsidiorum dotalium*, 31 *maii* 1794, *dub* 3.

32. Cum transactione absoluta fuit lis super capitalibus, et fundis capellaniæ fundationis Alexandri Ziâni, cujus vigore Carolus Silvestri nominavit ad eam clericum Paulum Bondi ; sed inde eam nominationem incusavit simoniæ, utpote sub corespectiva promissione de impetranda sibi a S. Congregatione boni regiminis diuturna dilatione ad communitativum quoddam solvendum debitum, quam promissionem fuisse negatur. Hinc S. C. non constare de simonia resolvit, jam modo non esse locum absolutioni a censuris in simoniacos intentatis, sancivit : *Sutrina, Capellaniæ*, 18 *april.* 1795, *dub.* 2.

33. Postquam subdiaconus Chella calumniatus est sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneæ balistulæ explosionem, pendente inquisitione ascendit ad diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiæ, et calumniator damnatus ad expensas et damna, et actio calumniæ incepta est. Sed res fuit composita. Hinc idem diaconus petiit absolutionem a censuris, et, favente Episcopo, S. C. ei indulsit : *Lunen.*, *Sarzanen.*, 9 *julii* 1796.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § XVII.

ABSOLUTIO *a pœnis ecclesiasticis* seu *a censuris ad cautelam.* Vide *Absolutio*, §§ IV, V, VII et X.

§ VIII.

Absolutio a pœnis temporalibus.

1. Absolutio a pœna carceris per annum, et exilii per quinquennium Antonio Joanni concessa fuit, quam pœnam curia episcopalis inflixit, quod præcepto non cohabitandi in loco, in quo commoratur soror Franciscæ Dias uxoris suæ, non paruerit. Hoc enim præceptum in litteris apostolicis expeditis super dispensatione ab impedimento primi gradus affinitatis ex illicita consuetudine cum eadem sorore habita contracti injunctum fuerat : *Conimbricen.*, *Matrimonii*, 3 *april.* 1734, *dub.* 2.

2. Absolutio quoad præteritum facto verbo cum Sanctissimo impertitur Bernardino Lupi canonico seniori collegiatæ ecclesiæ divi Nicolai terræ S. Ægisti a pœna scutorum 10, in quam incurrit, ob omissam residentiam ; quum fundator canonicatus ab eo possessi inhabitare, ac cubare in cellis domi ecclesiæ conjunctæ, imposita prædicta pœna, præceperit. Nam illa domus duobus tantum angustis constabat cubiculis : *Nullius, S. Ægisti*, 18 *junii* 1772, *dub.* 2.

ABSOLUTIO SACRAMENTALIS. Vide *Confessarius*, § III, *Sacramentum pœnitentiæ.*

§ IX.

Absolutio ab omisso servitio chori.

Absolvitur prævia consultatione Sanctissimi capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai terræ S. Ægisti, qui in pluribus defecerunt, et pluries proprio arbitratu, vel falsa opinione decepti servitium chori post obtentam reductionem causa redituum diminutionis deseruerunt : *Nullius S. Ægisti*, 4 *april.* 1778.

§ X.

Absolutio a suspensione.

1. Quum abbates aliis quam regularibus sibi subditis, dimissorias concedentes esse ab officio, et beneficio per annum ipso jure suspensos declarasset S. C. ; mandavit litteras eadem S. C. nuntio, ut ad absolvendos eos, qui vel cum prædictorum abbatum, vel et cum falsis dimissoriis ordinati sunt, minime facilem se præbeant : *Tarraconen.*, 1590, *dub.* 5.

2. Dubitatur, an suspensio ab exercitio ordinum indicta apostatis, et ejectis ex dispositione Bullæ Urbani VIII, Pont. Max. [72], per quam sublata fuit Ordinariis facultas illam relaxandi, et moderandi, possit aliquo modo remitti saltem pro foro interiori conscientiæ, vigore cujusvis Constitutionis apostolicæ, et posterioris, in qua non sit expresse derogatum dictæ Const. Urbani VIII, Pont. Max.? Negative rescribitur : *Toletana*, 4 *junii* 1672, *dub.* 7.

3. Interrogata S. C., an vicarius capitularis potuerit absolvere a suspensione clericos illicite ordinatos vigore brevium extra tempora nuncupatorum ab aliis Episcopis cum solis litteris testimonialibus vicarii capitularis absque dimissoriis vicinioris Episcopi ? rescribitur, affirmative, et cæteros suspensos eadem de causa posse absolvi in honorem festivitatum : *Neapolitana*, *Ordinationis*, 15 *decemb.* 1685, *dub.* 1. Inde recessit a decisis, et negativum dedit responsum : 27 *april.* 1686, confirmata 7 *dec. ejusd. anni.*

4. Quum suspensum ipso jure S. C. declaraverit clericum Josephum Fuentes de Lebrixa subditum Archiepiscopi Hispalensis, eo quod promotus

[72] Ejectionem monachorum incorrigibilium ordinis Cisterciensis, quam fieri præcipit Alexander Pont., Max., cap. *Relatum ne cleric. vel monac. secul.*, et postea Honorius III cap. *Ea, quæ de stat. monach.* Urbanus VIII extendit ad regulares incorrigibiles cæterorum omnium regularium ordinum, ut constat ex decreto S. Congr. Concilii contra apostatas, et ejectos, ejus jussu edito 21 sept. 1642, relato in Const. *S. Congregatio* sub eod. die, et anno (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 5, pag. 248) ; ubi quoad pœnam, § 10, legitur : « Item, ut ejecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. » Thesaurus autem de Religiosis legitime ejectis ob eorum culpam, scilicet incorrigibilitatem ita loquitur (*de Pœnis Eccles.*, verb. *Religiosi* cap. 12, pag 557) : « Religiosus ejectus irregularis sæpe efficitur, non præcise propter actum ejectionis, sed ratione infamiæ juris ex delicto, ratione cujus ejectus est : et ita Sanch. *in Decoll.* lib. 6, cap. 9, num. 59, et in *Opusc.* lib. 7, cap. 1, dub. 24, potest autem super ea irregularitate et infamia dispensari, vel a Papa, vel saltem ab Episcopo, si crimen sit non gravius adulterio, pœnitentia vel illius parte peracta, juxta cap. *At si Clerici*, § *de Adult.*, *de Judiciis*, et ibi canonistæ : sed et ante ejectionem potuisset dispensari a suo Prælato : juxta cap. *At si Clerici*, et ita Sanch. in *Opusc.* loc. cit. et alii apud Dianam, resol. 116 cit. Sed hodie ex decreto supracit. S. Congr. § 19, ejecti a religione, extra religionem degentes non sunt perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi, et sic dispensatio Papæ reservatur. »

fuerat ad sacros ordines sine litteris commendatitiis dicti Archiepiscopi ab Episcopo Samensi, cujus obsequiis addictus erat, et ad titulum insufficientis beneficii; illum quoad absolutionem ad dictum Archiepiscopum recurrere quoque sancivit: *Hispalen., Irregularitatis*, 6 *febr.* 1700.

5. Franciscus Amatus a vicario generali suspensus ab ordinum exercitio fuit declaratus, eo quod omnes sacros ordines titulo beneficii simplicis congruam sufficientem ad tramites diœcesanæ consuetudinis non habentis, quum annui reditus scut. 16 sint, susceperat. Hinc S. C. absolutionem postquam taxam ariminensem, vel per beneficium, vel per patrimonium, supplevit, indulsit: *Ariminen., Ordinationis*, 10 *januar.* 1705, *dub.* 2.

6. Completo camerariatus munere capituli civitatis Castellanæ canonici Antonius Samirrima, et Jacobus Ludovicus Paradisus syndicos pro rationum redditione a capitulo obtinuerunt. Sed Episcopus publico edicto rationes reddendas esse revisoribus deputandis sub pœna suspensionis a divinis præcepit. Canonici vero cum syndicis rationes consolidarunt. Hinc suspensi declarati, et S. C. consulta, impertita eis absolutione ab Episcopo, satis fuisse provisum censuit: *Civitatis Castellanæ, Suspensionis a divinis*, 19 *junii* 1706.

7. In una, eademque ordinatione Episcopus Bovensis duos postremos minores ordines, et subdiaconatum Mario Turco, Sancto Angelico, et Dominico Chisofullio clericis subditis archimandritæ Messanensis Ordinarii Sambuci nullius diœcesis, et dimissorialibus ad omnes ordines munitis, nec non apostolico indulto super interstitiis, et super ordinum susceptione extra tempora a jure statuta, contulit. Ordinati ab exercitio ordinum sese abstinuerunt. Episcopus autem errore deceptus, quod id sibi licuisset; eo instante quæsitum fuit, an et quomodo sit danda absolutio? et respondit S. C.: Dilata, et ad mentem [73] · *Boven., Ordinationis* 12 *febr.* 1707. Deinde rescriptum prodiit: Quoad ordinatos dandam esse absolutionem prævia pœnitentia salutari arbitrio Episcopi vicinioris, et quoad ordinantem ad mentem [74]: 7 *maii ejusd. anni.*

8. Joseph Reynaud, frater laicus secularis congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia, dimisso post sexdecim annos habitu illicite ad sacros ordines cum litteris dimissorialibus sui Episcopi Carpentoratensis callide obtentis fuit promotus. Procurator generalis ejusdem congregationis, ad hoc ut præfatus Joseph reassumpto religionis habitu ad suam rediret congregationem, ibique ad suum statum laicalem redigeretur, institit coram S. C.; et hæc definiit non esse dispensandum, tam in exercitio ordinum susceptorum, quam in remanendo extra dictam congregationem, addendo, et dictus frater Joseph ad eam redeat congregationem: *Carpentoraten., Voti perseverantiæ et ordinum*, 22 *februar.* 1710, *dub.* 3. Mandatis S. C. paruit orator, immo humiliora exercuit suæ congregationis munera, inde ad religionem Benedictinam transivit, et in ea professus est. Hinc eo instante S. C. absolutionem a suspensione arbitrio Episcopi prævio diligenti examine super scientia, et idoneitate impertivit, ut orator omnino servet vitam claustralem sub obediendia regulari: 5 *septemb.* 1716.

9. Preces ad S. C. remissæ fuerunt, quibus Fr. Sylvester de Tursio, diœcesanus Anglonensis cappuccinus professus, et in ordine diaconali constitutus exponens sese ad subdiaconatus ordinem jam antea inauguratum ante legitimam ætatem fuisse, et non suscepto prius confirmationis sacramento, a quacumque censura absolvi, ac dispensari exorabat: S. C., quum orator parentibus careat, quumque requisitis cognitionibus id exploratum haud habere valeat, Episcopo commisit, ut oratorem sub conditione confirmet, et a suspensione absolvat, atque quoad irregularitatem ad cautelam dispenset: *Ordines Cappuccinorum seu Anglonen., Dispensationis*, 15 *dec.* 1710.

10. Quum Joseph Lyons Glandevensis diœcesis frater laicus professus in congregatione Doctrinæ Christianæ in Gallia dimisso habitu ipsam congregationem deseruerit, ac nulla obtenta venia præpositi generalis, sive provincialis, omnes ordines sacros susceperit ab Episcopo Glandevensi, celebraveritque; postea morigerus ad congregationem rediit, absolutionemque a suspensione imploravit. Hanc S. C. indulsit ad cautelam: *Glandeven., seu Parisien., Dispensationis* 7 *julii* 1714.

11. Guillelmus Melfort, origine Scotus, Londini natus est ab hæreticis parentibus, qui tamen hæresim abjurarunt, dum ipse in ætate duorum annorum erat, et posteaquam ab administro ecclesiæ anglicanæ baptismum receperat. Hic expleto suorum studiorum in universitate Duacensi curriculo ab Episcopo Atrebatensi confirmationis sacramentum suscepit, in Galliasque reversus a Nivenniensi Epi-

[73] Nempe ut doceatur de facultatibus prætensis Archimandritæ Sambuci: *Ead. causa* 9 *april.* 1707.

[74] Scilicet S. C. acriter Episcopum coarguit, monens ulterius, quod licet graviori pœna esset plectendus, quia plus deliquit in hujusmodi collatione scienter, attamen pro eximia S. C. benignitate omnis pœna eidem pro hac vice remittitur, dummodo in posterum a similibus perpetrandis omnino se abstineat: *Regist. lit.*, lib. 24, die 7 maii 1707. »

scopo ad primam tonsuram, et quatuor minores ordines absque sui Ordinarii dimissorialibus litteris promotus fuit; et non obstante, quod sui Ordinarii deficiat consensus, S. C. esse a suspensione absolutionem impertiendam declarat: *Romana*, 21 *maii* 1718, *dub.* 5.

12. Absolutione cum rehabilitatione ad ordines suscipiendos non indigere Joan. Baptistam Simonem Vivier, qui natus a parentibus Turcis, baptismum in infantili ætate suscepit, et subinde omnibus sacris ordinibus fuit initiatus, S. C. respondit. Nam in archivo sancti Officii epistola scripta Episcopo Melevitano inventa fuit, in qua eidem data fuit facultas conferendi dicto Vivier sacros ordines: *Melevitana*, 13 *aug.* 1718, *dub.* 1.

13. S. C. suspensionem relaxavit in favorem Hyacinthi Miconi Franchi, ut capax esset beneficii; nam ille primam tonsuram receperat illicite ab Episcopo Marsorum, eo quod S. C. Episcoporum, quæ vicario apostolico Aquilano facultatem dedit litteras concedendi pro eo dimissoriales, non innotuerit jus, quod Joseph Fattore sacerdos habebat ad beneficium in hypothesi, in qua Hyacinthus non esset clericali militiæ adscriptus, et quod unica tantum in ecclesia parochiali adimpleta fuerit pro collatione primæ tonsuræ denunciatio, et litteræ ipsæ non a vicario apostolico, sed ad archidiaconum Antonelli a vicario oretenus in pro-vicarium electum expeditæ fuerint: *Aquilana.*, 7 *sept.* 1720.

14. Episcopalis curia Hyppolitum Macchiolum rectorem ecclesiæ parochialis loci Uvadæ in suspensionem, probata causa, a divinis, et in irregularitatem, quia Missam celebraverat, incurrisse pronunciavit. Rector injustam fuisse adstruit suspensionem, eo quod non fuerat personaliter citatus, et non rite causa probata. Sed dubio proposito responsum est: Dilata, et expectetur novus Episcopus; concessa interim relaxatione suspensionis, et dispensatione ab irregularitate ad cautelam usque ad exitum causæ: *Aquen.*, 4 *decem.* 1723, *dub.* 2.

15. Quum occasione sacræ visitationis ecclesiæ parochialis terræ Centulæ jure delegato peractæ Episcopus ob repugnantiam parochi Dominici Gabrielis accedendi ad examen ab officio illum suspenderit, ac in irregularitatem incidisse declaraverit; actum fuit in S. C. an sit locus absolutioni? et rescriptum prodiit, pro gratia Episcopo in forma commissaria, quando constet tamen de omnimoda paritione, et peractis exercitiis spiritualibus per quindecim dies in loco ab eodem Episcopo designando: *Caputaquen.*, 2 *april.* 1729, *dub.* 3.

16. Absolutionem a suspensione a divinis latam ab Episcopo Capritano ex causis sibi notis, et informata conscientia in sacerdotes Franciscum Vassalli, et Sabbatum de Stephano non licet curiæ metropolitanæ Amalphis committere parocho Francisco Arcuccio; nec inhibitionem vigore appellationis ab eadem suspensione contra curiam Capritanam suffraganeam concedere: *Capritana*, 16 *decemb.* 1730, *dub.* 3.

17. Et quoad absolutionem, quomodo facienda sit? censuit respondere S. C., arbitrio Episcopi: *Ibid.*, *dub.* 2.

18. Sacerdos Joannes Wolfangus Baumharter cum quadam muliere conversans, pluriesque monitus non resipiscens, ab Ordinario fuit, pendente ad Metropolitanum appellatione, a divinis suspensus. Suspensionem hanc aspernatus est Joannes, Missas jugiter celebrando. Recte suspensus a S. C. habitus, expostulavit inde absolutionem, et non ante impetravit, quam de paritione docuisset: *Augustana*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 3.

19. Absolutione non indigere sacerdotem Josephum Franciscum Zuniga, qui illicite fuit ordinatus, et suspensionem incurrit ob non servatam formam Bullæ *Speculatores* [75]; quum a quocumque

[75] Innocentii XII, diei 4 novemb. 1694 (*Bull. Rom*, tom. 9, pag. 374), ubi § 3, legitur: « Decernimus, et declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat; licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis seu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quos is a patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo, ea expressa adjecta legem fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum, ad illud instituatur; præterea clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. » Et § 8, decernitur: « Ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit. »

Giraldus, *in Expos. de Jur. Pontif.*, tom. 3, p. 967, refert pœnas, quas incurrunt regulares, aliique promoti ab Episcopo non proprio, et Episcopi indebite promoventes alienos subditos, de quibus mentionem facit Bened. XIX, Const. *Impositi nobis*, 27 febr. 1747 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 2, pag. 82, § *Quæcumque*). Hæ sunt: Quoad promotos, suspensio ipso facto ab exequu-

Antistite cum dimissoriis magni prioris religionis Hierosolymitanæ regni Castellæ, seu commendatoris de Acre, aut alterius superioris ordinarii dictæ commendæ ordinari non potuerit, et arbitrio Episcopi Gadicensis, cui ratione tam originis, quam domicilii subditus erat, cum facultate absolvendi eumdem remittere censuit S. C.: *Gadicen.*, *seu Hispalen.*, *Ordinationis*, 20 *januar.* 1742, *dub.* 1 et 2. At dictus Zuniga dictæ resolutioni non acquievit; et S. C. absolutionem ad cautelam impertivit: 13 *julii* 1743.

20. Quum in die sacrarum ordinationum Joseph Cajetanus Ghinettus ministri Archiepiscopi negligentia non inter eos, qui duobus primis ordinibus ostiariatus nempe, et lectoratus initiandi, sed inter eos, quibus alii duo exorcistatus, et acolythatus conferendi erant, accitus fuerit, ac inde illos susceperit, cognito ordine inverso, ac per saltum promoto, dubium propositum fuit; an clericus Ghinettus sit ad ordines ostiariatus, et lectoratus dispensandus; et absolutione egeat; et quomodo sit concedenda? et S. C. rescripsit esse absolvendum, et respective dispensandum ad ordines omissos, tum ad alios ordines minores arbitrio Archiepiscopi: ***Florentina***, ***Ordinum***, 5 *dec.* 1744.

21. Episcopus Isclanus ad visitationem oppidi Forigii accessit, edictum promulgavit, ut sacerdotes omnes ad se conferrent, ut de eorum scientia, ac doctrina, periculum facerent. At reluctans clericus appellavit, protestatusque est. Hinc pœnam Episcopus suspensionis sacerdotibus reluctantibus inflixit. Re in S. C. deducta, absolutionem a censuris ad cautelam S. C. prædictis indulsit: ***Isclana***, ***Nullitatis edicti et suspensionis***, 29 *maii* 1743, *dub.* 2.

22. Absolutio a suspensione a divinis concessa a nuntio Venetiarum, anno 1738. sacerdoti Andreæ Gatti vice-parocho ecclesiæ plebanæ Tercenti, in quem inflicta a Patriarcha Aquilejæ fuerat, valida fuit existimata; quum nec intrusus judicatus fuerit, nec injuste domum parochialem habitaret fructusque perciperet: ***Aquilejen.***, ***Suspensionis a divinis***, 12 *martii* 1746, confirmata 6 *aug. ejusd. anni*.

23. Clericus Petrus Guidius ad ordines minores, quum promotus fuerit ab Episcopo Feretrano domicilii originis, et ordinari debebat ab Episcopo Feretrano domicilii nativitatis a suspensione ad cautelam absolvitur, et ut præstet juramentum ad formam Bullæ *Speculatores* [76] demandatur: ***Ariminen.*** ***seu Feretrana***, ***Ordinationis***, 14 *januar.* 1747.

24. Anna Maria Sarmiento occasione fundationis cujusdam capellaniæ perpetuæ convenit cum Emmanuele de Villaba, cujus filios vocavit post primum nominatum, ut ipsa integros perciperet fructus. Nam ipsa post dotis capellaniæ attributionem nihil superesse, unde vitam ducere possit, comperta est. Orta proinde dubitatione de simoniaca conventione, et suspensione capellani; S. C. absolutionem ei ad cautelam concessit: ***Vallisoletana***, ***Capellaniæ***, 26 *april.* 1749, *dub.* 2.

25. Sacerdos Philippus Battalea, rector S. Bartholomæi ecclesiæ oppidi Tudiani, electus a populo et universitate, impedimento fuit, quominus sacerdos Franciscus Floruccius, qui plebaniam S. Mariæ *delle Cascine* extra dictum oppidum positam obtinuerat, animarum curam exerceret. Contra eumdem Battaleam processit Episcopus, et, ne molestare parochum Floruccium auderet, mandavit sub pœna suspensionis; sed præceptum hoc personaliter exequi, latitante cauto rectore Battalea, non potuit;

tione ordinum sic susceptorum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. Trident., sess. 6, cap. 5, et sess. 23, cap. 8, *de Reform.* Quam suspensionem inflixerat etiam Pius II, Const. *Cum ex Sacrorum*, 17 nov. 1461 (*Bull. Rom.*, tom. 3, part. 3, pag. 109), contra recipientes ordines dumtaxat sacros. Tridentinum vero contra recipientes etiam minores; licet enim in principio cit. cap. 8, loqui videatur de solis sacris; postea tamen generaliter loquitur, sicuti et in cap. 5 cit. sess. 6. Imo quamplures doctores relati a ***Thesauro***, de ***Pœnis Eccles.***, cap. 16, verb. ***Ordines***, § 3, pag. 320, sentiunt hanc pœnam incurri etiam ab initiato prima tonsura, quamvis alii negent. Quoad promoventes vero, de jure antiquo suspensi erant per annum a celebratione Missæ, can. 28, ***Episcopus in diœcesim***, caus. 7, q. 1 (qui cæteroquin canon falso a Gratiano tribuitur Anacleto), sed desumptus est a decretali Gregorii X, in generali concilio Lugdunensi edita, et relata in cap. 2, ***Eos qui de tempor. ordinat.*** in 6°, si id fecerint ex præsumptione, id est scienter, seu ex ignorantia affectata, suspensi sunt per annum a collatione ordinum; et quidem non sic collatorum tantum, sed omnium juxta communiorem sententiam. Eamdem pœnam innovavit Trid. cit. cap. 8, sess. 23, et juxta hoc caput ad eam incurrendam non requiritur præsumptio, sed sufficit ignorantia crassa, vel supina. Ex Const. cit. Innoc. XII, ***Speculatores***, hujusmodi pœna eo ipso ligatur Episcopus, etiamsi ordinet in propria diœcesi sibi non subditum sine dimissoriis Ordinarii loci, in quo dictus subditus adultus moratus est, ita ut juxta præfatam Const. ibidem contraxerit domicilium.

[76] Innocentii XII die 4 novemb. 1694 (***Bull. Rom.*** tom. 9, pag. 374), ubi § 5 habetur: « Subditus autem ratione domicilii, ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen, adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius in utroque casu, se vere et realiter animum hujusmodi habere, jurejurando affirmet. »

hinc præcepto non paruit, nec a sacris se abstinuit, ac graviora molitus est. Tandem ad se reversus petiit a censuris absolutionem, et S. C., ut pareat Episcopo, et refectis expensis arbitrio Episcopi, respondit : *Spoletana, Censurarum et irregularitatis*, 31 *julii* 1751, *dub.* 2.

26. Ejectus uti incorrigibilis ab ordine Minimorum S. Francisci de Paula, sacerdos Joannes Pellegrinius Podenzanæ in Sarzanensi diœcesi natus postulat S. C., an sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a suspensione, qui ex jure oritur [77]; et licet ei faveret Episcopus, postulatio fuit frustranea : *Lunen. Sarzanen., Dispensationis*, 31 *julii* 1751 confirmata 8 *julii* 1752.

27. Joan. Andreas, et Franciscus Antonius fratres Masci græco ritu baptizati in italo-græcorum oppido S. Georgii diœcesis Rossanensis, vigore litterarum dimissorialium sui Ordinarii ritu latino fuerunt ad primam tonsuram clericalem, et successive ad quatuor minores ordines sine ulla Sedis Apostolicæ venia a latino Episcopo Bisinianensi promoti; hinc disputatum fuit in S. C., an sunt a suspensione, in quam incurrerunt, absolvendi? et responsum prodiit: Dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem [78]: *Rossanen.*, 4 *junii* 1763, *dub.* 1. Inde eosdem non indigere absolutione decernit : 14 *januar.* 1764.

28. Absolutio a suspensione, in quam incurrit Emmanuel Cajetanus Perez Luarez propter ordines susceptos sine demissoriis, vel testimonialibus sui Episcopi Mindoniensis, simulans se esse ex diœcesi Ovetensi oriundum, eique concessa a vicario capitulari, sede vacante, valida est ex decreto S. C. : *Mindonien., seu Oveten., Ordinationis*, 25 *junii* 1763, *dub.* 1.

29. Quum Ildephonsus Valentinus Fernandez adhuc non clericus ad beneficium quoddam nominatus simoniace dimisserit in favorem sacerdotis cujusdam, facta obligatione, quod statim ac clericus evasisset, ad beneficium regrederetur, prout accidit; S. C. ad preces absolutionis suspensionis, rescripsit: Dimittat, restituat fructus perceptos, et postea supplicet : *Caurien., Censurarum*, 30 *julii* 1774.

30. Innocentius Zappia professionem regularem in ordine S. Basilii Magni, nulla præmissa disquisitione, utrum confirmationis sacramento esset munitus, emisit; bonaque fide sacram tonsuram, ordinesque minores suscepit. Inde dicto sacramento confirmationis carere comperiit; postulavitque proinde absolutionem; et S. C. prævia confirmatione ad D. secretarium ad mentem [79] rescripsit : *Ordinis S. Basilii Magni*, 6 *maii* 1775.

31. Absolutionis gratiam in favorem sacerdotis Dominici Blomer, qui vetitus sub pœna suspensionis, licet extrajudicialiter indicta ac renovata, ne e loco discederet, nisi prius onera Missarum impleret, ac de implemento redderet rationem, discessit, Missam celebravit, excepitque confessiones sacramentales; S. C. arbitrio Episcopi, satisfacto prius onere Missarum, quas omiserat, commendavit : *Savonen.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 2.

32. Clericus Julius Emmanuel de Valle-Labo de Torre postquam seculari se adscripserat militiæ, ac in bello cum idololatris dimicaverat, iterum clericali habitu indutus, ementitis sui Ordinarii litteris dimissorialibus, absque titulo patrimonii, omissaque subdiaconatus ordinatione presbyteratum suscepit, et pluries Missam celebravit. Inde inquisitus ab ecclesiastica curia crimina confessus est, et post pœnam relegationis, mulctamque solutam supplex petiit dispensationem ab irregularitate, et non obtinuit : *Vicen., Dispensationis ab irregularitate*, 27 *nov.* 1784. Inde *expectet* rescriptum tulit, 18 *aug.* 1787. Denique prævio recessu a decisis, dispensatio una cum absolutione addendo ad mentem concessa ei fuit, 9 *aug.* 1788.

33. Renuente Cephaludensi Episcopo, cui ratione originis, et domicilii suberat acolytus Rosarius Castiglia sacris ordinibus hunc insignire, quia claudus paululum erat, dictus Castiglia testimoniales sui Ordinarii litteras effinxit, et dimissorias a Messanensi Antistite extorsit, in cujus diœcesi obtinuerat beneficium, atque ad omnes sacros ordines ascendit. Suspensus propterea idem Castiglia declaratus ab Episcopo ad S. C. confugit, ut suspensionis absolutionem obtineret, et impetravit ad cautelam : *Cephalœden., Suspensionis et irregularitatis*, 21 *april.* 1787.

34. Accusatus homicidii apud abbatialem Montis Virginis curiam sacerdos Florentinus Silvestrius, et postea in contumaciam excommunicatus sponte tandem se constituit, conditoque defensivo processu

[77] Vide not. 72.

[78] Ut referret, num ii, dum ordines susceperunt, declaraverint animum suum seu voluntatem habuerint transeundi ad latinum ritum, seu potius remanendi in suo græco ritu, et quid ea de re exprimatur in dimissoriis in illorum favorem concessis, tum pro tonsura prædicta, tum pro reliquis minoribus ordinibus, ac insuper, cui ecclesiæ adscripti fuerint vigore S. Concilii Tridentini, et quo titulo fuerint ordinati, quove ritu in susceptis ordinibus ministraverint: *Ead. causa*, 17 *decemb.* 1763, § 2.

[79] Mens est, ut detur secreto absolutio ad cautelam, acto verbo cum Sanctissimo factaque de præmissis relatione Sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua S. C. sententiam approbavit; proindeque inspecta relatione procuratoris generalis supradictum clericum Innocentium Zappia absolvit, et super irregularitate præmissa de causa contracta dispensavit ad cautelam die 10 *maii* 1775, *lib.* 125. *Decret. pag.* 240.

liberationem obtinuit cum clausula *novis supervenientibus indiciis*, et suspensione a divinis, usque dum apostolicam absolutionem consequeretur. Modo in gravi annorum 65 ætate constitutus absolutionem efflagitavit, reportavitque: *Nullius Montis Virginis, Irregularitatis*, 5 *april.* 1788.

35. Quum ordo subdiaconatus a sacerdote Andrea Borg per coactionem, et metum, ac voluntate in actu ordinationis contraria susceptus, sub conditione, et secreto iterum eidem conferendus sit; hinc rescribitur a S. C. pro ejusdem absolutione a suspensione, et rehabilitatione: *Melevitana, Subdiaconatus*, 16 *junii* 1792, *dub.* 2.

36. Joseph Pepe in Dominicum Antonium *di Biase* præcedentium dierum redintegrata rixa, pugionem mense augusti 1776 strinxit ad terrorem dumtaxat incutiendum; per eumdem tamen pugionem e suis manibus a fratre avulsum Dominicus postea interfectus fuit. Inde Joseph absolutus a pœna promotus fuit ad minores ordines, et subdiaconatum. Sed dubitans de irregularitate, petit absolutionem, et S. C. *expectet* rescripsit: *Nullius Caven., Irregularitatis*, 24 *nov.* 1792. Inde favente Ordinario, et de ejusdem bonis moribus, et peracta pœnitentia testante una cum dispensatione absolutionem, et rehabilitationem ad sacros ordines indulsit: 7 *sept.* 1793.

37. Absolutio ad cautelam conceditur a S. C. canonicis ecclesiæ cathedralis S. Michaelis Archangeli Caprarolæ, qui quum immunes punctaturis esse juxta constitutiones antiquas capituli, ac veterem consuetudinem putarent, dimissionem tertiæ fructuum partis pro distributionibus constituendis impugnarunt, pro qua Episcopus eos suspendit: *Civitatis Castellanæ, Puncturarum*, 16 *maii* 1795, *dub.* 4.

38. Causa artis exercendæ Thomas Gentilucci Fabrianensis se contulit cum sua uxore Camerinum; et defuncta uxore secundam camertem duxit, ex qua Joseph suscepit. Hic postulavit Archiepiscopum Camerinensem pro prima tonsura, quam conferre ille renuit. Hinc adiit cum patre Fabriani ad Episcopum, a quo jurata de domicilii constituendi animo nunquam in civitate Camerinensi declaratione emissa obtinuit tonsuram, et inde ostiariatium absque testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis. Ætate procedens optat reliquos ordines; sed illicita ordinatione statuta, S. C. esse consulendum Sanctissimo pro absolutione a suspensione resolvit: *Fabrianen. et Camerinen., Ordinationis*, 19 *aug.* 1797, *dub.* 2.

Abusus. Vide *Consuetudo*, § iv.
AC Tribunal. Vide *Tribunal*, § i.
Acatholicus Parochus. Vide *Matrimonium*, § xviii.
Acceptio. Vide *Donatio*, § i. *Legatum pium*, § i.
Acceptio Puellarum. Vide *Monasterium*, § v.
Acolytatus, Acolytus. Vide *Sacramentum ordinis*.
Acquisitio. Vide *Juspatronatus*, § vi.

ACTA.

§ I.

Acta in genere.

1. Quum canonicus pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis exequutor litterarum Apostolicarum deputatus absque jurisdictione contra Episcopum pro prætensa a canonico thesaurario privativa clavium custodiæ Reliquiarum dictæ ecclesiæ traditione processerit; S. C. acta originalia dicto Episcopo esse consignanda mandavit: *Melevitana, Attentatorum*, 28 *junii* 1704, *dub.* 3.

2. Quæsitum quum esset, an Archiepiscopus Firmanus teneatur transmittere acta concursus parochialis seu præpositurae S. Joannis de Monte Georgio, cujus ultima provisio facta fuit a Sede Apostolica, ipsi eminentissimo abbati commendatario Farfensi? responsum fuit: Dilata, coadjuventur probationes, et proponatur causa citatis ministris Datariæ, et Archiepiscopo: *Farfen. seu Firmana, Parochialis*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 2.

3. Acta alterius ecclesiæ cathedralis Viterbiensis, aut Tuscanensis confici possunt a quolibet ex notariis Episcopo beneviso juxta tamen resolutionem in *Civitatis Castellanæ, et Hortanæ, diei* 8 *junii* 1624 [80] emanatam; ita tamen, quod, si acta conficiantur a cancellario Viterbiensi pro diœcesi Tuscanensi, teneatur ille, vel authographum, vel copiam authenticam, soluta dumtaxat mercede scripturæ, tradere cancellario Tuscanensi in Cancellaria Tuscanensi servandam; et vicissim ad idem teneatur cancellarius Tuscanensis, qui acta conficiat ad diœcesim Viterbiensem spectantia; qua de causa S. C. recessit a decisis sub die 16 *martii* 1771: *Viterbien. seu Tuscanen.* 11 *januar.* 1783, *dub.* 6, 7, 8, 9 et 10.

Acta Capitularia. Vide *Capitulum eccles.* § xi.
Acta Concursus. Vide *Concursus*.

[80] Vide verb. *Episcopus*, § VI, num. 2.

§ II.

Acta quoad validitatem vel nullitatem.

1. Acta per vicarium generalem in causa exequutionis legati Mutii Blatii contra judicem conservatorem Patrum Conventualium civitatis Laudæ hæredum legantis, et per eumdem judicem conservatorem gesta, non sustineri S. C. decidit. Nam dictus vicarius non observata declaratoria jurisdictionis, ac privilegiorum indicatione, et facultatum conservatoris, illum, ut ab indebito processu desisteret, præmonuit, eumdemque renuentem, et protestantem de actorum nullitate, prius suspensum, deinde absque personali citatione, excommunicatum declaravit, contra vero conservator vicarium inhibitoria, et præcepta aspernantem excommunicavit: *Lauden., Censurar.* 5 *junii*, 4 *sept.* 1700 [81].

2. Acta quomodolibet adversus sodales, et priores oratorii S. Jacobi siti citra pontem oppidi Borzonaschæ facta per Episcopum Bobiensem, qui prohibuit apposita pœna interdicti structuram novi ædificii turris sacræ, quam ædificare illi volebant, et causa fuit, ut recursum habuerint ad Archiepiscopum Januæ putantes oratorium in ejus jurisdictione a S. C. adjudicata Episcopo Bobiensi esse situm, sustineri; et censurati adeant eumdem Episcopum pro absolutione: *Januen., seu Bobien., Jurisdictionis*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 2. Inde causa reproducta : Dilata et coadjuventur probationes juxta instructionem eminentissimi præfecti responsum est : 5 *julii* 1710.

3. Nec gesta, nec censuræ per Donatum Picardellum, sicuti privilegiorum religionis Hierosolymitanæ conservatorem contra Martinum de Arco, aliosque confraternitatis in ecclesia S. Joannis Baptistæ extra mœnia civitatis Foggiæ existentis, officiales sustineri possunt. Erat enim ecclesia illa Episcopi jurisdictioni vindicata a S. Cong.: *Trojana, Jurisdictionis*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 9.

4. Atque alia gesta, et censuras a curia episcopali latas ; quum quæstio esset de jurisdictione contra Carminum de Sanctis, aliosque officiales, qui rationem administratoris sodalitii Episcopo reddere renuebant, sustineri non posse statuitur : *Ibid.*, *dub.* 10.

5. Ac ejusdem Episcopi edictum die 20 febr. 1708 desuper editum, abrogandum ac circumscribendum non esse, sed reformandum juxta modum arbitrio Cardinalis præfecti statuitur : *Ibid.*, *dub.* 11.

6. Ad vacantem ecclesiam Carinolensem electio vicarii capitularis prævio scrutinio a capitulo cathedralis facta fuit. Et ex concurrentibus Francisco Antonio Sasso primicerio, et Marco de Laurentio decano, primus ex majoritate suffragiorum fuit præelectus. At secundus de nullitate electionem redarguit, uti doctorali laurea non erat electus munitus. Hinc curia metropolitana Capuana electione deleta capitulari prædictum Marcum deputavit. Sed S. C. circumscripsit omnia gesta per dictam curiam, infringendo suam electionem : *Carinolen., Vicarii capitularis*, 22 *sept.* 1714, *dub.* 1 et 2, confirmata 30 *martii* 1715.

7. Nullum prætendens esse concursum Uxentinus Episcopus ex eo, quia vicarius generalis tertii synodalis examinatoris vices suppleverit, Marium Gigli, qui a Sede Apostolica de archipresbyteratu cathedralis ecclesiæ fuerat provisus, sub pœna interdicti, tribus assignatis diebus citavit, quibus elapsis decretum relaxavit, quo eum interdixit, nullumque concursum, subreptitias esse Bullas, ac archipresbyteratum vacare declaravit. Giglius reclamavit, et S. C. censuit interdictum, et privationem non sustineri, omnibus per Episcopum gestis circumscriptis: *Uxentina, Archipresbyteratus*, 6 *junii* 1716.

8. Livius Bazza vicarii munere in ecclesia parochiali cœnobii monachorum Montis Oliveti fungens a duobus ejusdem cœnobii monachis percussus fuit. Nonnulla hinc in archiepiscopali curia gesta utrinque fuere. Disputatur modo, num ea acta vim habeant? et utique vim habere, excepto monitorio expedito die 14 febr. 1718; necnon excepta citatione expedita die 2 junii dicti anni, rescriptum fuit : *Mediolanen., Censurar.*, 2 *decemb.* 1719, *dub.* 1.

9. Processus Fabricati contra abbatem ecclesiæ collegiatæ de Zafra de anno 1716 una cum in carcerem detrusione; necnon decreta respective per Petrum Leonium visitatorem deputatum ab Episcopo Pacensi occasione visitationis anni 1721 facta nullam vim habent; sed sunt acta circumscribenda: Nam contra illum procedere ei non licebat : *Pacen., Juris visitandi de Zafra*, 29 *januar.* 1729, *dub.* 3.

10. Quoniam decisum jam fuerat, quod curia metropolitana Capuæ inhibitiones adversus non residentes parochos Suessanæ diœceseos concedere non potuerit, decretum exinde est, quod gesta per eamdem curiam contra vicarium generalem, et ministros ejusdem Suessanæ curiæ non sustineantur : *Suessana, Residentiæ et censurarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 2.

11. De gestis per curiam metropolitanam Hy-

[81] Hanc causam in favorem juris conservatoris patrocinatus est advocatus Dominicus Ursaya, qui *Discep. Eccles.* XV, tom. 2, part. 2, per tot. exhibet sua jura.

druntinam ob appellationem interjectam a Benedicto Rovito cantore, et prima dignitate ecclesiæ cathedralis Uxentinæ super acta curiæ Uxentinæ post etiam appellationem, ac inhibitionem contra dictum Rovitum causa alienationis bonorum capellæ, ac societatis sanctissimi Sacramenti in eadem cathedrali erectæ, S. C. fuit requisita : an ea valida sint ; et an censuræ latæ per eamdem curiam episcopalem contra dictum Rovitum pariter vim habeant? et an, et de quibus attentatis constet, et quomodo sint purganda? S. Congr. jussit, ut circumscriptis omnibus gestis per utramque curiam, Ordinarius Uxentinus procedat ex integro prout de jure : *Uxentina seu Hydruntina,* 15 *april.* 1741, *dub.* 1, 2 et 3.

12. Relictis exequutoribus Episcopo, archidiacono et cantore, necnon thesaurario pro tempore ecclesiæ cathedralis, Joannes Juvenazzi eisdem distributionem subsidiorum in favorem familiarum Frosolini, et della Fratta præcepit, archidiaconus autem, thesaurarius et cantor, spreto Episcopi interventu, et consensu ad prædictum subsidium, nonnullos oratores admiserunt. Hinc S. C., cui res delata fuit, gesta per eosdem esse nulla declaravit: *Castellaneten.*, 27 *april.* 1748, *dub.* 7, confirmata 8 *maii* 1751.

14. Quæsitum quum fuerit, an constet de facultatibus Episcopi Posnaniensis se ingerendi in cognitionem litis agitatæ contra Hierosolymitani ordinis commendatorem ecclesiæ S. Joannis cum adjuncto hospitali extra urbem Posnaniæ a capitulo cathedralis, et parocho dictæ ecclesiæ S. Joannis ; ita ut illius acta sint circumscribenda? S. C. non esse locum circumscriptioni actorum respondit : *Posnanien.*, 19 *januar.* 1754, *dub.* 1.

14. Gesta coram vicario generali Sublaci capitulum inter et Antonium Marinucci, et Benedictum Fazi oblatores in solidum ad effectum stipulandi instrumentum affictus bonorum ad capitulum idem spectantium, postquam facultatem stipulandi prævia tamen edictorum affixione concesserat, S. C. habere vim nullam debere edixit. Nam edicta haud affixa fuerant : *Nullius Sublacen.*, 15 *april.* 1780, *dub.* 1.

15. Quum vicarius apostolicus occasione visitationis ecclesiæ collegiatæ B.M.in cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio procurationem integram petierit, et capitulum ei deberi dimidiam putaret; hoc quæstum est de excessiva exactione, et de nullitate etiam actorum ejusdem in S. C., ad quam confugit. Sed S. C. non excessiva exactione procurationis judicata, non esse edictum et decreta ejusdem circumscribenda decidit : *Terracinen. et Setina*, 18 *junii* 1796, *dub.* 2.

ACTIO.

Actio judicialis.

Petrus Senior de Rapaciolis duas capellanias dote constituta in scut. 75 fundavit. Eadem dote imminuta, implorata Missarum reductio fuit; sed S. Cong. reductionem denegando, teneri hæredes ad supplementum declaravit. Modo quæritur, an competat actio adversus bona hæreditaria prædicti Petri a tertiis possessoribus retenta? rescriptum prodiit ad judices suos [82]: *Narnien.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 2.

ADIMPLEMENTUM. Vide *Legatum pium*, § II.

ADJUDICATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII ; *Capellania*, § VI.

ADJUNCTI. V. *Episcopus*, § XXX.

ADMINISTRATIO.

§ I.

Administratio in genere.

1. Presbyteri ecclesiæ parochialis S. Mariæ Virginis civitatis Mataronæ residentes pro erectione communitatis in eadem ecclesia, ut malæ administrationi redituum ejusdem, quæ rectori pro tempore incumbit, consulerent, supplicarunt ; sed incassum. Hinc dubium exibuerunt, an, et quomodo sit providendum juxta votum Episcopi [83] an, et quo-

[82] Noluit S. C. Concilii hunc articulum decidere, quia ad interpretationem Concilii Tridentini non pertinet : et particularibus facti circumstantiis perpensis ad suos judices declarationem remittendam censuit : qua de re vide *Introductionem hujus operis* § 9.

[83] Qui ait quoad administrationem redituum duos aut quatuor ex residentibus eligere, qui cum eodem rectore votum consultivum haberent in reinvestimentis redituum, et in casu discordiæ consuli debere ipsimet Ordinario pro beneplacito ; deputatis quoque archivista pro scripturis, aliisque ministris pro bono regimine necessariis ; et quoad dispensationem distributionum, ad eumdem rectorem spectare debere, veluti ad ipsum spectat administratio omnium redituum, quibus omnibus ait modernum rectorem assentiri ; residentes autem nisi votum decisivum in dictis investimentis habeant, nolle acquiescere : *Ead. causa*, 1 *april.* 1702.

modo sit providendum circa administrationem redituum communium ecclesiæ? Providendum juxta votum Episcopi S. Cong. rescripsit: *Barchinonen.*, *Erectionis communitatis*, 1 *april.* 1702, *dub.* 2.

2. Deinde quæsitum fuit, an resolutio prædicta intelligi debeat in omnibus, et per omnia juxta integrum votum Episcopi in quacumque parte, seu juxta secundam dicti voti partem? S. C. respondit, resolutionem juxta secundam voti Episcopi partem tantum esse intelligendam: *Ead. Causa,* 9 *sept. ejusd. anni*, *dub.* 1.

3. Declaravit S. C. constare de administratione exercita per archipresbyterum Philippum Dominici, ac priorem Bernardinum Laurenti pro negotiis societatum sanctissimi Sacramenti, Conceptionis, et Rosarii Civitellæ spectantibus quoad piam hæreditatem Pauli Spaziani dictis sodalitiis relictam. Etsi illi negarent unquam bona hæreditaria contrectasse: *Tudertina*, *Redditionis rationis*, 21 *april.* 1787, *dub.* 1, confirmata 28 *julii ejusd. anni.*

Administratio *eleemosynarum*: Vide *eleemosynæ*, § I.

Administratio *hospitalium*: Vide *Hospitale*, § II.

§ II.

Administratio quoad pertinentiam et exercitium.

1. Constructa ecclesia B. M. V. *delle Pianæ* ab hominibus, et communitate terræ Proceni ex piis fidelium eleemosynis, eadem communitas duos viros, quibus administratio, et eleemosynarum erogatio cum plebani approbatione incumbat, deputavit. Quum vero Episcopus sua auctoritate ordinaria summam ex his eleemosynis in ducatis quinque annuis in censibus causa supplementi sacri patrimonii clerici Mecuccini constituerit, et a communitate dictorum censuum administrationem præripuit. Id S. C. causam præbuit decretandi dandam esse manutentionem in possessione administrationis ecclesiæ prædictæ, illiusque redituum plebano tantum dictæ terræ, assignationem ab Episcopo factam in favorem Mecuccini nullam esse: *Suanen.*, 17 *junii* 1702.

2. Fructus pii legati, quod ad comparandas pauperibus vestes Episcopus Gerundensis Guillelmus de Cabanelles reliquit, a duobus ecclesiæ cathedralis presbyteris canonicis ab Episcopo deputandis hac vice administrandos esse; et in posterum voluntatem dicti testatoris servari fuit a S. C. constitutum: *Gerunden*, *Commutationis voluntatis*, 3 *martii*, 1703, *dub.* 4, confirmata juxta modum [84] 7 *julii* 1731, *dub.* 3.

3. Administratio communeriæ, quæ ex piis legatis constat, et in cathedrali ecclesia extat, ad solos canonicos privative quoad presbyteros spectat: *Squillacen.*, *Missæ conventualis et communeriæ*, 24 *sept.* 1712, *dub.* 4, confirmata 11 *martii* 1713, *dub.* 1.

4. Capella B. M. nuncupata *de la Brune* in territorio oppidi Massani sita jam diruta in usum profanum redacta fuit. Inde evulgata opinione cujusdam miraculi imaginis B. M. V. lapideæ, quæ supererat, tum parochus dicti loci, tum communitas concorditer ad ejusdem reparationem devenerant. Hinc fuit percontatum; an, et ad quem administratio oblationum, et eleemosynarum ejusdem capellæ spectet? S. C. resolutionem distulit, præcepitque, ut scribatur juxta instructionem [85]: *Carpentoraten. Oblationum et præeminentiarum*, 15 *maii* 1717, *dub* 2.

5. Quoad pecuniam exactam, et exigendam a vectigalibus, et aliis effectibus assignatis capellæ S. Erasmi per civitatis concilium libere ad capellam, ac redituum administrationem ad deputatos spectare deciditur: *Cajetana*, 2 *julii* 1718, *dub.* 2.

6. Et administrationem, et exactionem vectigalis quadrantis piscationis cum onere erogandi, et Episcopo rationem reddendi ad normam decreti S. C. Episcoporum die 28 aug. 1643, deputatis capellæ prædictæ, ad quam dicti vectigalis reditus spectant, esse committendam, decrevit S. C.: *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Administrationem oblationum, et eleemosynarum, quæ in oratorio confraternitatis Orationis et Mortis loci prædarii percipiuntur, nequit parochus ecclesiæ S. Petri exercere, vel capsulæ clavem pro illis recipiendis expositæ retinere: *Novarien.*, *Aggregationis*, 24 *sept.* 1718, *dub.* 7, confirmata addendo nisi aliter demandetur ab eminentissimo Episcopo: 13 *januar.* 1720.

8. Administratio bonorum, et redituum ecclesiæ collegiatæ S. Pauli non privative ad abbatem, penes quem residet omnimoda cura animarum, sed etiam ad ejusdem ecclesiæ beneficiatos spectat: *Verulana*, 14 *martii* 1722, *dub.* 2.

[84] Nempe, quod Episcopus deputet administratores extra capitulum, qui bona administrent, et vestiarium adimpleant, et de administratione, ac adimplemento quotannis rationem reddant Episcopo, qui etiam de exequutione certiorem faciat S. C.: et ad mentem, scilicet, ut bonificentur capitulo scuta mille in redditione rationis: *Ead. Causa*, 22 *novem.* 1732, § 3.

[85] S. C. animadvertens ex hujusmodi lite contra communitatem, ejusque consules facile diminui posse popularium concursum, et piorum oblationes insinuandum Episcopo censuit, ut in capella B. M. nuncupata *de la Brune* societatem, congruis per eam conditis statutis, instituat, quia ita piæ menti offerentium consultum erit, et laici exoptatam administrationem oblationum ex manu, et potestate Episcopi juris ordine servato consequentur: *Regist. lit. lib.* 25, *die* 15 *maii* 1717.

9. Administratio sortium, quæ in dotem ecclesiæ collegiatæ B. M. V., et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano urbis Januæ constitutæ sunt, competit patronis, et ab eorum manibus abbas, et canonici ejusdem ecclesiæ reditus, qui eos tangunt, recipere debent; non autem spectat ad eosdem canonicos; ita ut ipsi reditus suos exigere independenter a patronis non debeant: *Januen.*, 25 *januar.* 1727, *dub.* 2.

10. Administrationem oblationum, et emolumentorum parochialium S. Crucis Matriti Villæ ad vice parochum denuo a parocho assumptum, non autem ad antecessorem ab exercitio curæ amotum spectat; etiamsi non esse inseparabile administrationis officium, ab officio vice parochi, et electum fuisse a beneficiatis ejusdam ecclesiæ parochialis asserebatur: *Toletana, Administrationis emolumentorum parochialium*, 2 *julii* 1729, confirmata 14 *januar.* 1730.

11. Reditus fundationum, tam particularium, pro canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ Avenionencis, quam fundationum pro Missis distincte a Missæ capitularis reditibus, retentis per eumdem administratorem separatis computis, administrari debere S. C. existimavit: *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 10.

12. Innocentius X, Pont. Max., Breve circa ecclesiam S. Agnetis in foro Agonali, ejusque gubernandæ rationem edidit. Ad hujus hodie interpretationem quæritur; an, et quomodo administratio œconomica ejusdem ecclesiæ spectet ad eminentissimum ejus pro tempore protectorem? et firmatur, quod ad illum spectet ad formam Brevis: *Romana, Supplementi, concordiæ et reintegrationis,* 28 *nov.* 1733, *dub.* 4.

13. Communitas Ferentina administrationem bonorum, quæ pro dote ludimagistri assignata fuerunt, omnino independenter transactis temporibus habuisse contendit, et hanc facultatem ex donatione a Nicolao Rahonio cum plena, et omnimoda potestate scholam redigendi, gubernandi, præceptoresque eligendi facta oriri ait S. C.; quam ipsa communitas adiit, ad ipsam spectare administrationem præfatam firmo tamen remanente jure Episcopi ad formam Concilii [86] sancivit: *Ferentina*, 4 *dec.* 1734.

14. Franciscus Ubaldus Trombetti prædium quoddam ecclesiæ, et patribus Oratorii S. Philippi Nerii donavit, ea sub lege, ut musicum eligerent, qui annuos fructus ab ipsomet administratos perciperet. At Petrus Peruginus musicus prædium prædictum neglexit; ita ut fructus pro mediatæ imminuti fuerint. Hinc quæsitum est, an in posterum administratio illius prædii penes ecclesiam, et PP. Oratorii esse debeat? et S. Cong. affirmativum reddidit responsum: *Eugubina*, 30 *julii* 1735, *dub.* 3.

15. Proventuum spectantium ad societatem, et pia loca Terlitii administratio ad officiales, et confratres cum omnimodo independentia ab Episcopo non pertinet, sed dictorum proventuum erogatio ab officialibus, et dictis sodalibus prævia illius licentia, et approbatione ad formam decretorum Episcopi Chiurlia facienda est: *Juvenacen., Administrationis*, 7 *julii* 1736, confirmata 17 *nov. ejusd. anni dub.* 1.

16. Administrari posse a sodalibus ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Atrio bona, ac reditus sodalitii, et ecclesiæ cum sola dependentia ab Episcopo respondit S. C.; quamquam iidem in functionibus ecclesiæ societatis a capitulo collegiatæ et parochialis ecclesiæ S. Fidelis dependeant: *Comen., Administrationis, et jurium parochialium,* 27 *julii* 1737, *dub.* 1.

17. Oblationum, et eleemosynarum, quæ in oratorio publico extructo a nobili familia Bevilaqua in suo latifundio penes oppidum Nonnantulæ colliguntur, administratio non parocho S. Jacobi, sed capellano ejusdem oratorii adjudicatur: *Nullius seu Nonnantulana, Jurium parochialium*, 27 *junii* 1744, *dub.* 2, confirmata 8 *maii* 1745.

18. Quæsitum quum fuerit, ad quem administratio ecclesiæ B. M. V. de Podio Poponisco urbis Reatis spectaret? fuit responsum: Dilata, et coadjuventur probationes: *Reatina, Unionis,* 22 *maii* 1751.

19. Œconomica locorum piorum Montis Elpari, hospitalis scilicet, montis-pietatis, montis-frumentarii administratio non a laicali communitate exercenda venit, sed a directione, et auctoritate Episcopi; *Montis Alti*, 25 *jan.* 1755, *dub.* 2.

20. Eidemque Episcopo tam faciendi ordinationes, pro recta prædictorum locorum administratione, quam officiales, administratores, et qui rationes invisunt, a communitate electos approbandi jus competere, putatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

20. Administratio bonorum, quæ pro capellania fundata a Recupero Sanctini assignata fuerunt, ad capellanum Joannem de Felice a primis patronis deputatum, non autem ad novos patronos Felicem

[86] Trid. sess. 22, cap. 8 et 9, *de Reform.*, ubi statuitur, ut Episcopi piarum omnium dispositionum sint exequutores: ac administratores tam ecclesiastici, quam laici singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis; nisi secus forte in institutione, seu fundatione cautum esset.

Gratiosi et Michaelem Jannarelli spectat : ea enim administratio ad capellanos privative quoad hæredes Recuperi etiam spectabat : *Reatina*, *Capellaniæ*, 10 *maii* 1755, *dub.* 3, confirmata 7 *junii*, 25 *aug. ejusd. anni*.

22. Paulus Andreas Canetius parochus villæ Pontis Sigestri ob populi aversionem expulsus, coadjutorem cum futura successione, reservata sibi congrua obtinuit. Ab eodem populo postea revocatus invenit plurimum detrimentum illatum fuisse prædiis, fundisque parochiæ ; ita ut congruam suam facile consequi nequiret. Hinc quæsivit, quomodonam esset in puncto administrationis in temporalibus providendum, ne bona ecclesiæ ulterioribus detrimentis subjicerentur ? et responsum fuit, partes uti jure suo coram suis judicibus : *Brugnaten.*, *Coadjutoriæ*, 17 *jan.* 1756, *dub.* 4.

23. Bona, quæ ad capellaniam a Reparata Fondacci pertinent, et ejusdem constituunt dotem, ab hæredibus in maximam egestatem redactis alienata uerunt. S. C. desuper interrogata, sicuti reintegrationem præcepit, ita voluit, nt Episcopus de idoneo administratore exclusis hæredibus provideat : *Alerien.*, *Legatorum*, 12 *aug.* 1758, *dub.* 3. Et quanquam hæredes eorum exclusionem testatoris menti refragari ostenderent, tamen confirmatum fuit decretum : 21 *junii* 1760.

24. Pauperes, et prior hospitalis S. Jacobi, et Philippi Castri Schiggiæ in quorum favorem Vitalis Angeli disposuerat, preces exhibuerunt, quibus de incuria, ac negligentia in administratione redituum syndici communitatis accusabantur, et remedium postulabatur. Episcopus hæreditariorum redituum annuali syndicorum mutationi hunc defectum tribuit. Hinc prævia facultate suo arbitrio nominavit Episcopus duos administratores. Communitas conquesta est, et S. C. prævio recessu a decisis, administrationem ad priores quotannis eligendos a communitate Schiggiæ ad formam testamenti, non autem ad alios ab Episcopo deputandos spectare decidit : *Eugubina*, 12 *aug.* 1758, *dub.* 1.

25. Quum per præpositum Ubaldinem ære alieno gravata reperta fuisset congregatio presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii Urbini ; Archiepiscopus presbyterum secularem administrationi præposuit ; et hanc deputationem Summus Pontifex approbavit. Hic quum duriter et acerbe, se gessiset, patres congregationem deseruerunt. Unus pater Cialdinius superstes exorat, ut expuncto jam ære alieno congregationis œconomus præfatus removeretur ; et eidem congregationi libera administratio restituetur, et S. C. precibus hisce adhæsit : *Urbinaten.*, 12 *aug.* 1738, *dub.* 2.

26. Statutum jam fuerat a S. C. Episcopo jus visitandi loca pia, ad formam Concilii[87] salva auctoritate curiæ legationis in exercendis administrationibus œconomicis competere. Decrevit itaque Episcopus in monasterio S. Caroli arcam depositi muniri debere tribus clavibus, quarum unam confalonerius communitatis, alteram vicarius foraneus, tertiam prior confraternitatis sanctissimi Sacramenti haberet, atque in arca deponi pecunias ad quatuor loca, et opera pia spectantes jussit. Legationis jurisdictio læsa hoc decreto fuit reputata, adeoque quæsitum fuit ; an effectui dari præfatum decretum deberet, vel custodia, et administratio arcæ prædictæ libere ad legationem spectaret ? et S. C. respondit decretum Episcopi juxta modum[88] sustineri : *Fanen.*, *Jurisdictionis*, 11 *aug.* 1759, confirmata juxta mentem[89]: 22 *martii* 1760.

27. Sodales sanctissimi Nominis Jesu nec ab administratione hospitalis peregrinorum S. Rochi oppidi Vigueriæ, in cujus ecclesia erecta est societas, nec respective ab ejus bonorum administratione ceciderunt ; etiamsi exequutionem decretorum Episcopi visitantis neglexerunt. Nam ecclesia S. Rochi subjective regularibus est unita. *Derthonen.*, *Visitationis*, 26 *jan.* 1760, *dub.* 8.

28. Quum ageretur, an decretum sacræ Visitationis factum anno 1759 pro libera administratione prædii exempti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellochi tributa parocho pro tempore cum simplici communitatis villæ Belloculorum facultate invigilandi super satisfactione oneris Missarum, et manutentione dicti prædii sit exequendum ? S. C. rescripsit : dilata, et exhibeatur particula legati Paterniani Bellochi : *Fanen.*, *Exequutionis decretorum sacræ visitationis*, 22 *novem.* 1760, *dub.* 1. Dicta particula exhibita negativa, S. C. præbuit responsum. Nam eadem particula testamenti nullum designat legati administratorem, sed reliquit ecclesiæ S. Sebastiani, cujus patronatu communitas prædictæ

[87] Trid. sess. 22, cap. 8 *de Reform.*, ubi quæcumque loca pia visitandi jus vindicatur Episcopis ; dummodo sub immediata regum protectione non sint. Weyms *in Constitut. XXIV ex antiquo jure desumptas, et per Trident. innovatas, Constit. XVI in ordine* num. 3, interpretatur ; ideo Concilium excepisse a visitatione Episcopi dicta loca pia, sub immediata regum protectione existentia, quia satis videtur confisum fuisse eorum curæ, et sollicitudini.

[88] Et modus fuit, ut capsa custodiretur, sive in sacro monte pietatis, sive apud personam fide et facultatibus idoneam arbitrio Episcopi : *Ead. causa*, 11 *aug.* 1759.

[89] Mens fuit, ut pecuniæ asserventur in capsa collocata in mansione destinata a communitate Orceani retentis clavibus per deputatos ejusdem communitatis : *Ead. causa*, 22 *martii* 1760.

villæ gaudet : 28 *februar.* 1761, confirm. 30 *maii ejusd. anni.*

29. Administrationem vero ecclesiæ parochialis, et bonorum capellaniæ nuncupatæ *Giorentu* ab officialibus prædictæ villæ ademerat Episcopus, eo quod ii sese immiscuerint in perceptionem fructuum, et simoniacas cum capellanis amovibilibus iniverant pactiones, deditque ipsis capellanis. Reclamavit communitas, declararique sibi curavit, totalem administrationem bonorum dictæ capellæ tributam capellanis pro tempore, relicto penes se jure tantum invigilandi super cultura, et manutentione dictorum bonorum, nequaquam sustineri : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*, *dub.* 2.

30. Administratio oblationum oratorii S. Aldebrandi tribuitur Episcopo, cui omnis jurisdictio independenter a capitulo ecclesiæ cathedralis, et a parocho S. Rochi fuit adjudicata · *Forosempronen.*, *Jurium parochialium*, 25 *apr.* 1761, *dub.* 6

31. Administratio bonorum capellaniæ fundatæ a Sernutio Ciccolinio in ecclesia collegiata SS. Faustini et Jovitæ, privative ad sancteses, non autem ad possessorem pro tempore ejusdem capellaniæ spectat. Aperta est enim littera fundationis. Merum salarium a sanctesibus præstandum capellano fuit assignatum. Id semper fuit observatum ; etiamsi decretum anni 1722 Episcopi Sermattei, qui jura sanctesium læsit, obstet : *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 4.

32. Administratio bonorum societatis Misericordiæ oppidi Polimartii restituenda est ejusdem societatis officialibus, qui in comitiis habitis seminario diœcesis scuta annua 30 in manutentionem alumni dicti oppidi applicare renuerunt ; qua de causa ab Episcopo amoti fuerunt : *Balnesregien.*, *Electionis alumni*, 16 *sept.* 1769, *dub.* 3.

33. Testator Petrus Melonius suis hæredibus injunxit, ut sodalitio S Antonii Bagnariæ traderent scut. 600, quæ arbitrio ejusdem sodalitii in censibus constituta in cujusdam pii legati adimplementum erogarentur. Hinc existimant sodales eis solis sortium administrationem, quam hactenus exercuerunt, competere, et capellanos Missarum eleemosynam ab ipsis recipere teneri. Et revera S. C. eis adjudicavit : *Imolen.*, *Legati*, 12 *martii* 1774, *dub.* 2.

34. Administrationem bonorum ecclesiæ, seu capellæ B. M. V. Gratiarum de jurepatronatus Scholasticæ Quartucci spectare ad capellanum præcepit S. C. ; quamquam eadem ecclesia una cum bonis cessa fuit PP. congregationis sanctissimi Redemptoris, et ob vetustatem a populo, præservato tamen jurepatronatus, fuit e fundamentis extructa : *Verulana*, *Jurispatronatus*, 16 *jan.* 1779, *dub.* 3.

35. Administratio bonorum capellaniæ Brunelli, et Perioni, quam S. C. data occasione de anno 1732 concessit capellano, restituitur sodalitio Fabrorum Lignariorum Urbis Veteris hæredi juxta votum Episcopi[90]: *Urbevetana*, *Administrat.*, 20 *sept.* 1794.

36. Omnia pia opera in favore trium ecclesiarum diœcesis Camerinensis, quæ fundavit Card. Petrus Paulus de Comitibus, et ejus frater P. Thomas exequutor testamentarius adimpleta fuerunt usque ad anno 1790, quo canonicus Valenti, quem P. Thomas in suum locum substituit, omnem negotii curam dimisit. Hinc neglecta sunt sacra et ecclesiarum supellex. Hac de causa marchionissa Theresia Grassi hæres Josephi fratris germani Cardinalis, et patrona trium ecclesiarum exorat, ut ei concedatur administratio ad exequenda ea, quæ testator, exequutor, et procurator disposuerant. Archiepiscopus ei favet ; et S. C. decidit esse concedendam administrationem, et facultatem exigendi fructus ' L. MM. in favorem patronorum parœciæ S. Mariæ *del Trivio*, quæ est una ex tribus ecclesiis, reddita tamen quotannis ratione Archiepiscopo : *Camerinen.*, 18 *nov.* 1797, *dub.* 2.

Administratio sacramentorum. Vide *Episcopus*, §§ v et xxii ; *Matrimonium*, *Parochus*, § i ; *Præceptum paschale*, *Sacramentum baptismi*, § i ; *Sacramentum Eucharistiæ*, § i ; *Sacramentum olei sancti*, *Sacramentum ordinis*, § i *usque ad* ix ; *Sacramentum pœnitentiæ.*

Administratio Seminarii. Vide *Seminarium*, § ii.

ADMINISTRATOR.

§ I.

Administrator quoad approbationem, et cautionem.

1. Œconomi, et gubernatores ecclesiarum S. Catharinæ, et S. Mariæ Novæ a civitate Aliphana electi ab Episcopo approbari, et juramentum de fideliter administrando præstare debent : *Aliphana*, *Administratoris piorum locorum*, 18 *julii* 1705, *dub.* 1.

2. Item œcomoni, seu administratores S. Mariæ Constantinopolitanæ, et aliarum confraternitatum

[90] Cum obligatione, scilicet, solvendi eidem capellano annua scuta 22 ad formam testamenti : et imposita utrique respectivo onere reddendi quotannis Episcopo rationem administrationis : *Ead. causa*, 20 *sept.* 1694, § 3.

terræ Pedemontis etsi mere laicalium per easdem societates electi, confirmari, et approbari ab Episcopo, eique præstare de fideliter administrando juramentum debent: *Ead. Causa*, 18 *maii* 1706, *dub*. 1.

3. Procurator, seu administrator sodalitii erecti in ecclesia S. Mariæ de Valle, quæ constructa in solo Lateranensi prætenditur, quæque in terra Galatri sita est, ab eodem sodalitio electus approbari ab Episcopo debet: *Mileten*., *Jurisdictionis*, 15 *julii* 1747, *dub*. 2.

4. Administrator sodalitii Mortis oppidi Montis Podii approbandus haud est ab Episcopo; etiamsi administret simul bona hospitalis, quod absque ulla Ordinarii auctoritate erectum fuerat; sed idem administrator cautionem de bene, et fideliter administrando præstare tenetur: *Senogallien*., 13 *julii* 1765, *dub*. 6.

5. Œconomus ecclesiæ cathedralis sive sit de gremio capituli, sive secus ad præstandam idoneam cautionem ab Episcopo approbandam est compellendus: *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub*. 8., confirmata 7 *febr*. 1789.

§ II.

Administrator quoad electionem, deputationem, et confirmationem.

1. Electio œconomi, seu administratoris pro gubernio, et bonorum, eleemosynarum, oblationumque sodalitii in capella sanctissimi Sacramenti ecclesiæ cathedralis erectæ administratione spectat ad sodales cum Episcopi approbatione: *Sarnen*., *Confraternitatis*, 11 *junii* 1712, *dub*. 5.

2. Item electio œconomi, seu administratoris pro gubernio, et administratione bonorum, eleemosynarum, et oblationum dictæ capellæ Sanctissimi Sacramenti ad confratres cum approbatione Episcopi spectat: *Ibid*., *dub*. 6, confirm. 21 *jan*. 1713.

3. Administratoris bonorum capellæ S. Mariæ de Carmelo in ecclesia S. Antonii Castri Pedemontis erectæ, novam electionem esse faciendam juxta Episcopi decretum a presbyteris S. Antonii; nec factam ab illis, et ab Episcopo validam esse; et quoad qualitates eligendorum juxta modum [91] sancivit S. C. Nam illi Presbyteri jurispatronatus renovationem contendunt: *Aliphana*, *Redditionis rationis*, 17 *decemb*. 1718, *dub*. 2, confirmata addendo: et fidejussio ab eisdem presbyteris eligentibus eorum discrimine, et periculo approbetur: 18 *martii* 1719.

4. Quum S. C., quoad controversias societatis B. M. V. de Misericordia Pladiarum Castri Plani cum Episcopo, protelaverit definitionem, mandavit, ut servarentur interim decreta Episcopi, et sine præjudicio jurium ambarum partium Episcopus nomine S. C. deputet œconomum, qui administret bona ecclesiæ, et vicarius foraneus præstet patientiam, et libri videantur ab interesse habentibus pro redditione rationis: *Æsina*, 18 *septemb*. 1723, *dub*. 4.

5. Edixit S. C. deputationem ministrorum œconomiæ ecclesiæ S. Agnetis in foro Agonali sitæ non ad principes Pamphilios ecclesiæ patronos, sed ad Cardinalem pro tempore protectorem spectare: *Romana, Supplementi concordiæ et reintegrationis*, 28 *nov*. 1733, *dub*. 5.

6. Electioni annuæ procuratoris, seu administratoris sodalitii in ecclesia S. Mariæ de Valle, quæ constructa in solo Lateranensi prætenditur, quæque in terra Galatri sita est, deputatus ab Episcopo ipsius nomine assistere potest: *Militen*., *Jurisdictionis*, 15 *julii* 1747, *dub*. 1.

7. Electionem cujuscumque novi ministri, et syndici in casu obitus, officii dimissionis, vel amotionis monasteriorum monialium Ferrariæ ordinibus regularibus subjectarum ad priorissam et moniales, cum superioris regularis interventu; ad Archiepiscopum vero expeditionem litterarum patentium juxta solitum spectare S. C. declaravit: *Ferrarien*., *Jurisdictionis*, 28 *sept*. 1754, *dub*. 6.

8. Rector, et quatuor beneficiati servitium ecclesiæ parochiali S. Mariæ in cœlum Assumptæ villæ de Limiana præstant. Inter hos controversia orta occasio fuit S. C. decidendi exactorem redituum et proventuum ecclesiæ prædictæ esse ab omnibus eligendum: *Urgellen*., 12 *martii* 1757, *dub*. 8.

9. Capellania, quæ instituta fuit a Sernutio Ciccolinio cum reservatione administrationis bonorum, ac jurepatronatus in favorem sanctensium curam habentium fontis extructi in parochia SS. Faustini et Jovitæ civitatis Viterbii, non levem excitavit controversiam inter eminentissimum Episcopum, capitulum, et parochum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis SS. Faustini et Jovitæ ex una, et incolas ejusdem parœciæ ex altera parte, de jure et modo eligendi dictos sanctenses. Hinc S. C. decrevit, electionem officialium vulgo sanctensium, in parochia prædicta incolis ejusdem una cum parocho competere. Parœciæ enim incolis Fontis manutentio incumbit: *Viterbien*., *Juris eligendi*, 30 *maii* 1760, *dub*. 1.

[91] Et modus est, ut aboleretur pœna suspensionis, una cum necessitate approbationis fidejussionis, et confirmationis ab Episcopo faciendæ: *Ead. causa*, 4 *martii* 1719, § 2.

10. Ac parochum unam tantum vocem habere, cæteras parœciæ incolas, et in casu discordiæ ad judices suos prout de jure [**] rem deferendam S. C. censuit : *Ibid.*, dub. 2.

11. Necnon faciendam esse electionem in festo SS. Innocentium, quo die antea facta fuit, sanxit S. C. *Ibid.*, *dub*. 3.

12. Eamdemque electionem arbitrio eligentium fieri anno sequenti sive unius, sive utriusque ex sanctensibus, qui officium anno præcedenti exèrcuerunt, fieri posse statuitur : *Ibid. dub.* 4.

13. Edicta, ac significationes ad eligendum sanctenses affixas, ac fidelium parœciæ convocationem cum subsequuta electione in conventu regularium facta sustineri S. C. resolvit ; licet convocatio in loco insueto, ac exempto ab Episcopi jurisdictione facta fuerit : *Ibid.*, *dub*. 5. Deinde instante eminentissimo Episcopo, capitulo, ac parocho SS. Faustini, et Jovitæ pro recessione a decisis, et pró concessione litterarum remissorialium, ut testes super consuetudine eligendi examinarentur, quoad *dub*. 1, 2 et 5, tantum ; S. C. rescripsit : Dilata, et dentur litteræ remissoriales et compulsoriales : 21 *nov. ejusd. anni*.

14. Œconomi deputationem factam ab Archiepiscopo pro administratione bonorum beneficii possessi a comite Ignatio vicecomite, qui ex causa adversæ valetudinis, tum corporis, tum potentiæ visivæ, et residentiam deseruerat, et Missarum celebrationem intermiserat, arbitrio eminentissimi Archiepiscopi vim habere S. C. decrevit : *Mediolanen.*, *Beneficii*, 18 *aug*. 1781, *dub*. 5.

15. Constare S. C. definivit de legitima deputatione administratoris, seu præfecti, et collectoris redituum inexactorum quatuor locorum piorum terræ Triboniani in favorem sacerdotis Bartholomæi Berti. Nam hanc apostolicus visitator Card. Pamphilius, anno 1772, explevit: *Sutrina*, 16 *martii* 1782, *dub*. 1.

16. Non autem esse tuendum in collato munere dictum sacerdotem Berti decrevit eadem S. C. ; ita ut omnia, et singula gesta in præjudicium dictæ deputationis, et præcipue nuperrima substitutio sacerdotis Josephi Parisi sint abroganda : licet is aliquo dolo in administratione peracta coargutus fuerit ; tamen reddita nondum ratione, neque agnito legaliter dolo removeri non debere contendebat. *Ibid.*, *dub*. 2.

17. Communitati Fori Livi administratorem bonorum, redituumque, quæ ad capellam ecclesiæ PP. B. M. V. servorum in honorem divi Peregrini Latiosi dicatam, ultra triennium deputare non licere S. C. definiit : *Foro-Livien.*, 11 *sept*. 1784, *dub*. 17.

18. Et elapso triennio eidem communitati dictum administratorem confirmare in officio absque Ordinarii venia, et non reddita ratione prius, et reliquatu non persoluto non licere S. C. declaravit : *Ibid. dub.* 18.

19. Ac renuente, vel differente dicta communitate illum administratorem eligere, Ordinario, quem maluerit, eligendi optionem deferre, ac ex officio deputandi, atque independenter a communitate S. C. explicavit : *Ibid.*, *dub*. 20.

20. Constantia Zerbinati, hærede substituto monasterio in Monte Veteri ædificando ex reditibus suæ hæreditatis, universitatem dicti loci in exequutricem pii operis designavit. Hujus universitatis concilio ejusdem monasterii patrocinium commendavit. Dubium exinde exortum est quoad jus deputandi administratorem, quatenus autem sit eligendus, ac rationum redditionem exquirendi ; S. C. idcirco decrevit esse administratorem deputandum, et jus ad Episcopum spectare. Nam, Episcopus hoc jus plurimis abhinc annis exercuit : *Forosempronien.*, *Subsidiorum dotalium*, 8 *aug*. 1789, *dub*. 3.

21. Dum canonici collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai Montis Prandonis electuri erant sacerdotem Felicem Novelli in ministrum capituli, tres adversus hujusmodi electionem protestati fuerunt capitulares eo quod abjectum ministerium sacerdoti dedeceret, nec ullam exhibebat cautionem, nilque in id agendum dixerunt ; nisi audita mente S. C. Concilii. Hoc tamen non obstante facta fuit dicta electio, quam vim habere S. C. censuit : *Ripana*, *Administrationis*, 19 *sept*. 1789.

22. Alter administrator ob neglectum a comite Petro Mancinelli superextantis pecuniæ investimentum arbitrio Episcopi de mandato S. C. ad formam testamenti quoad administrationem bonorum, quæ comitissa Martha Scotti reliquerat hospitali Castri S. Viti, designatur : *Narnien.*, 27 *febr*. 1790, *dub*. 3.

28. Confirmatur a S. C. deputatio administratoris facta ab Episcopo, pendente lite super capellania laicali instituta a Petro Andrea Marinucci ; et administratio in posterum tribuitur capellano. Nam graves erant controversiæ inter patronos circa fructuum capellaniæ perceptionem : *Montis Alti*, *Capellaniæ*, 22 *aug*. 1795, *dub*. 4.

Administrator eleemosynarum. Vide *Eleemosynæ*, § I.

Administrator hospitalium. Vide *Hospitale*, § II.

[**] S. C. casu quo controversia majorem indaginem exigeret, pro de jure voluit examinari.

§ III.

Administrator quoad jura, et potestatem.

1. Œconomi, et gubernatores ecclesiarum S. Catharinæ, et S. Mariæ Novæ a civitate Aliphana electi, et ab Episcopo approbati in legitimis sumptibus etiam extraordinariis pro bonificatione, statu præstantiori, ac reparatione bonorum illarum peragendis, quando ducatos duos non excedunt, licentia Ordinarii non indigent: *Aliphana, Administrationis piorum locorum*, 18 *julii* 1705, *dub.* 3.

2. Administratores, seu rectores ecclesiæ Consolationis urbis Tuderti subjacent Extrav. *Ambitiosæ de Reb. Eccles. non alien.* quoad bona oneribus Missarum tantum supposita; non obstante privilegio Pont. Max. Clementis VII, qui facultatem bona immobilia absque ullo sive Episcopi, sive Apostolicæ Sedis beneplacito distrahendi impertivit: *Tudertina, Jurisdictionis,* 22 *sept.* 1742, *dub.* 3.

3. Administratoribus, sive patronis monasterii sanctimonialium S. Jacobi Apostoli civitatis Campaniæ ibidem puellas indigenas, vel extraneas quascumque ob defectum illarum, quæ a fundatore vocatæ fuerant, cooptandi facultas tributa fuit: *Campanien.*, 4 *maii* 1743.

4. Administratori hæreditatis patronæ capellæ S. Josephi in ecclesia S. Mariæ de Platea terræ Pergulæ ab Artemisia de Capocaccia erectæ scut. 75 excedentiam summam scut. 1000 a fundatrice pro dote capellaniæ assignatam avellendi facultas fuit denegata. Quum hoc augmentum a capellanis bona fide, pacifice per medium seculi, ut ait Episcopus, et ultra possessum fuerit: *Eugubina, Capellaniæ*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 1.

5. Episcopus die 22 febr. anni 1740 edidit decretum, quo vetabat, ne ab administratoribus, seumassariis ecclesiæ cathedralis removerentur, quæ in ea ecclesia erant sedilia, seu scamna, neve loca novis collocandis in eodem templo venderentur; ne exedræ ad excipiendas confessiones amoverentur, vel aliæ subrogarentur, Episcopo inconsulto; deinde ut massarii sese intra fines sui muneris, officiique continerent, synodalesque constitutiones observarent, quibus cautum est, ut massarii singulis annis de eorum administratione rationem reddant; demum jubebat in dicto decreto, ut iidem inventarium facerent bonorum ecclesiæ: sed appellantibus massariis; S. C. esse exequendum prædictum decretum sancivit: *Savonen.*, 29 *febr.* 1744, *dub.* 2.

6. Administratoribus hospitalis civitatis Melaucenæ Vasionensis diœcesis non licet sine consensu, et approbatione Episcopi pias mulieres ad ministrandum, et inserviendum præfato hospitali introducere: *Vasionen., Jurisdictionis,* 11 *aug.* 1753, *dub.* 7.

7. Novus minister, sive syndicus monialium Ferrariæ ordinibus regularibus subjectarum vigore tantum litterarum patentium Archiepiscopi contractus inire, aliosque administrationis actus gerere non potest; sed oportet, ut procuræ monialium, et priorissæ mandatum habeat: *Ferrarien., Jurisdictionis*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 9.

8. Camerarius, seu administrator bonorum fabricæ ecclesiæ cathedralis Urbis Veteris, ullum opus moliri quoad eamdem ecclesiam sine Episcopi venia, ac capituli consensu nequit: quamquam monitorium tribunalis AC. obtinuisset, ut custodiretur in possessione proprio libito, et arbitrio ampliandi, et augendi ecclesiam cathedralem in quacumque ejus parte, et elegantiorem formam eligendi, prout eidem camerario visum fuerit, et placuerit sine alicujus dependentia: *Urbevetana, Jurisdictionis*, 15 *april.* 1758, *dub.* 1, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

9. Administrator sodalitii Mortis oppidi Montis Bodii potest simul administrare bona hospitalis annexi, et erecti ex bonis relictis ab Angelo Sammarano: *Senogallien.*, 13 *julii* 1765, *dub.* 5.

10. Administratores bonorum capellæ B. M. V. Gratiarum in ecclesia collegiata S. Mariæ oppidi S. Genesii extructæ incurrisse in censuras per alienationem bona fide factam non constat: quamquam in fundatione auctoritate Ordinarii sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrendæ, prohibita alienatio fuerit: *Camerinen.*, 11 *julii* 1767, *dub.* 1.

11. Nec ab ipsa administratione iidem cadunt: *Ibid. dub.* 3.

12. Assisiensis Episcopus edicto mandaverat, ne administratores societatum suæ diœcesis expensas cujuscumque generis usque ad scuta 3 facerent sine collegiali consensu in pluralitate suffragiorum præstito. Repetebant sodales administratores ordinarios sumptus impendendi facultatem habere; et impossibile prorsus esse asserebant toties evocare comitia, quoties ordinariæ faciendæ sunt expensæ. Aiebant ulterius, quod si administratores arbitrio abuterentur, in redditione rationum id erant emendaturi. Proposito hinc dubio; num edictum Episcopi sustineretur? responsio prodiit, sustinere quoad expensas extraordinarias tantum: *Assisien.*, 21 *januar.* 1786, *dub.* 3.

13. Quæsitum quoque fuit; an si expensæ cujuscumque generis excedant scut. 3 præter approbationem majoris partis confratrum, impetrati Episcopi venia deberet? rescriptum est, affirmative ad formam synodi Episcopi Sermattei: *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Asculanus Episcopus œconomo ecclesiæ cathedralis præcepit, ne absque illius assensu quidquam solveret in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis et consuetis expensis in ecclesiæ servitium; ac optime præcepisse S. C. statuit : *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 6, confirmata, 7 *febr.* 1789.

15. Et hoc idem præceptum ab omnibus etiam futuris œconomis esse servandum decernitur : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata, *ibid.*

§ IV.

Administrator quoad onera in genere.

1. Camerarius, seu administrator bonorum fabricæ ecclesiæ cathedralis Urbis Veteris condemnatus fuit in pristinum statum reducendi propriis impensis quidquid fecerit quoad eamdem ecclesiam absque episcopali licentia, ac capituli consensu; licet antea id agere proprio libito consueverit : *Urbevetana, Jurisdictionis*, 15 *april.* 1758, *dub.* 2, confirmatum atque additum fuit ad mentem [93] 10 *febr.* 1759.

2. Administratores montis frumentarii oppidi Vigueriæ subministrare triticum iis tantum pauperibus, de quorum paupertate constat ex parochi attestatione juxta visitationis decretum, tenentur : *Derthonen., Visitationis*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 12.

3. Ac fidejussores pro frumenti subministratione recipi possunt idonei quicumque, dummodo non sint actuales administratores : *Ibid.*, *dub.* 13.

4. Administratorem montis frumentarii terræ Arcisgurgæ ab Antistite loci ad certam annonæ quantitatem annuatim tradendam recte compulsum fuisse juxta susceptam suam obligationem censuit S. C.; ideoque illius Episcopi decretum in actu visitationis latum approbavit, et sententiam syndicatoris eumdem absolventem rejecit : *Terracinen. et Privernen.*, 3 *aug.* 1782.

§ V.

Administrator quoad reddendas rationes.

1. Quantum attinet ad rationes ab administratoribus societatum, hospitalium, aliorumque locorum piorum, tam in ea parte diœcesis, quam in alia, quæ dicitur episcopatus novus, reddendas esse Episcopo generaliter sine ulla distinctione; et si ex privilegio, vel ex consuetudine, vel aliqua alia ratione aliis reddenda essent, nihilominus cum aliis adhibendum esse Ordinarium, nisi in fundatione aliter expresse cautum esset, nempe quod rationes Ordinario reddendæ non essent, necnon interventu ejusdem : *Legrien.*, 13 *sept.* 1636, *dub.* 1.

2. Ab administratoribus montis pietatis Rodigi existentis rationem suæ administrationis quolibet anno ad præscriptum cap. 9, sess. 22, *de Reform.* [94] exigere debet Episcopus; quod si ex consuetudine, aut privilegio, vel ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibendus est Episcopus, et aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur : *Adrien.*, 14 *martii* 1637, *dub.* 5.

3. Cum S. C. nunciatum esset de dubitatione, an possit Episcopus administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis superioribus monasterii, eosdemque administratores removere, quatenus iidem superiores interpellati id facere renuant? responsum latum est negativum ad primam; affirmativum ad secundam partem : *Colimbrien.*, 16 *julii* 16?9.

4. Œconomi, et gubernatores ecclesiarum S. Catharinæ, et S. Mariæ Novæ in civitate Aliphæ electi ab Episcopo tenentur reddere rationem eorum administrationis eidem Episcopo : *Aliphana*, *Administrationis piorum locorum*, 18 *julii* 1705, *dub.* 2.

5. Œconomi, seu administratores S. Mariæ Constantinopolitanæ, et aliarum societatum terræ Pedemontis, mere laicalium, tenentur edere rationem Episcopo eorum administrationis : *Aliphana*, *Administrationis piorum locorum*, 8 *maii* 1706, *dub.* 2.

6. Vindicata Episcopi jurisdictione, statutum fuit, quod ministri sodalitii Sanctissimæ Annuntiatæ existentis in ecclesia S. Joannis Baptistæ extra mœnia civitatis Foggiæ sita, quæ ecclesia religionis Hierosolymitanæ jurisdictioni subjecta dicebatur, rationem administrationis referre ad formam Concilii [95] tenentur : *Trojana*, *Jurisdictionis*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 4.

7. Fr. Antonius de Rosara in locum Fr. Bernardini guardiani conventus Annuntiatæ Asculi officio suspensi ob conjectas in se criminationes, tanquam præses subrogatus, non tenetur reddere rationem de omnibus, et singulis eleemosynis Mis-

[93] Et mens est, ut eligatur peritus de consensu utriusque partis, qui referat juxta instructionem dandam a D. secretario : *Ead. causa*, 10 *febr.* 1759.

[94] Vide not. 86.

[95] Vide not. 86.

sarum oblatis tempore administrationis guardiani sui antecessoris : *Ordinis Minorum Observantium*, 17 *junii* 1713, *dub.* 1.

8. Tenetur tantum reddere rationem de eleemosynis Missarum receptis tempore sui regiminis : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Episcopo Triventino in actu visitationis, vel extra, licet inire rationes, et respective exigere redditionem computationum a procuratoribus, seu administratoribus œconomicis redituum ecclesiæ parochialis S. Nicolai Castri de Sangro, exceptis bonis spectantibus ad commendam Hierosolymitanam ecclesiæ S. Thomæ de Aquila. Nam commendatarius illam ecclesiam esse commendæ granciam, seu membrum detrectabat : *Triventina, Jurisdictionis*, 9 *sept.* 1713.

10. Rectores, aliique administratores ecclesiæ Consolationis Episcopo rationem reddere in iis, quæ gubernium œconomicum respiciunt, non tenentur ; reservatur tamen eidem Episcopo jus exequutioni piarum dispositionum incumbendi : *Tudertina, Jurisdictionis,* 22 *sept.* 1742, *dub.* 1 et 2.

11. Procurator, seu administrator sodalitii erecti in ecclesia S. Mariæ de Valle oppidi Galatri, quam constructam in solo Lateranensi prætenditur, annuatim Episcopo de administratione per ipsum gesta reddere rationem tenetur : *Mileten.*, *Jurisdictionis, et jurium parochialium*, 15 *julii* 1747, *dub.* 3.

12. Episcopo Vasionis rectores, aliique administratores hospitalis in oppido Malaucenæ siti, rationes referre tenentur : *Vasionen.*, *Jurisdictionis*, 11 *aug.* 1735, *dub.* 4.

13. Decernit S. C. Episcopum exigere redditionem rationis ab administratoribus locorum piorum Montis Elpari, hospitalis scilicet, montis pietatis, et montis frumentarii a communitate electis una cum syndicatoribus posse : *Montis Alti*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 6.

14. Canonicus Dominicus Matthæi præteritus bonorum ad tria Silverii Piccolominei legata pertinentium administrator, qui non indiligenter administravit, reddidit rationem, liberatus plenissime fuit, amplius cogi non debet ad redditionem rationis in Urbe. Quum acceptilationem obstare jam S. C. judicaverit : *Marsorum, Legati pii*, 4 *martii* 1758, *dub.* 4.

15. Administratores redituum hospitalis S. Rochi oppidi Vigueriæ, et oratorii, ac montis frumentarii ibidem erectorum ad formam conventionis, salvo Episcopi jure, rationem edere tenentur priori conventus S. Mariæ Pietatis Dominicanorum ejusdem oppidi, quorum monasterio hospitale præfatum unitum est : *Derthonen.*, *Visitationis*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 14.

16. Sacerdos Bartholomæus Berti administrator, sive præfectus ratiocinator, et exactor, seu collector redituum inexactorum quatuor locorum piorum terræ Triboniani non reddidit rationem actæ administrationis, licet onus reddendi quolibet anno haberet; ita ut de redditione rationis haud constet: *Sutrina*, 16 *martii* 1782, *dub.* 3.

17. Et ad dubium, an sit locus traditioni syndicatoriæ, et restitutioni librorum, et documentorum, per curiam episcopalem retentorum ? rescripsit S. C., ut vicarius capitularis præfigat terminum Berti ad reddendam rationem, eique præstet commodum inspiciendi documenta juxta decretum D. secretarii, et successive pronuntiet sententiam syndicatoriam ; *Ibid.*, *dub.* 4.

18. Administratores communitatis civitatis Forolivii de bonis, sortibus, ac reditibus quomodolibet spectantibus ad altare, et capellam divi Peregrini Latiosi ecclesiæ PP. Servorum B. M. V. ab anno 1781 rationem referre Episcopo tenentur : *Forolivien.*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 13.

19. Et dicti administratores pro tempore, si præsertim ab Ordinario fuerint requisiti, tenentur singulis etiam annis rationem reddere de prædictis bonis, ac reditibus : *Ibid.*, *dub.* 19.

20. Depositarium, et œconomum ecclesiæ cathedralis singulis annis, ac etiam intra, et extra annum, concurrente in hoc posteriori casu legitima causa, Episcopo rationem reddere teneri firmatur quoad reditus fabricæ : quo vero ad reditus capituli, Episcopum uti suo jure ad formam Concilii Tridentini [96] statuitur : *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 10, confirmata 7 *febr.* 1789.

21. Eumdem depositarium, et œconomum conservare, et in acta referre ordines solutionum, seu syngraphas post redditas rationes, et completum syndicatum a canonicis revisoribus acceptum non teneri deciditur ; teneri vero capitulum servare documenta exhibita, in redditione rationum decernitur : *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

Reliqua. Vide verbum *Redditio rationum.*

[96] Sess. 22, cap. 9 *de Reform.*, ubi cautum est, ut « administratores tam ecclesiastici, quam laici, fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis ; eleemosynæ, montis pietatis ; et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis : nisi secus forte in institutione, et ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius : et aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur. »

§ VI.

Administrator quoad remotionem, et dimissionem.

1. Administrator monasteriorum monialium Ferrariæ ordinibus regularibus subjectarum, si ab officio se dimittere velit, facere dimissionem in manibus priorissæ, non autem in manibus Cardinalis Archiepiscopi tenetur : *Ferrarien.*, *Jurisdictionis*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 7.

2. Administratores locorum piorum montis Elpari, videlicet hospitalis, montis pietatis, et montis frumentarii electos a communitate, non idoneos, vel male administrationem gerentes removendi Episcopo facultas impertitur ; ei tamen denegatur, alios per ipsum eligendos eorum loco substituere posse : *Montis Alti*, 25 *jan.* 1755, *dub.* 5.

3. Administratoris a testatore constituti mutatio valida non est; ideoque concordia, qua voluntas ejusdem testatoris evertebatur, exprobata fuit : *Romana*, 21 *maii* 1757, *dub.* 1, confirm. 28 *jan.* 1758.

§ VII.

Administrator quoad stipendium.

Supplicatur declarari, an canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ Avenionensis administratoribus bonificari deberet una salmata pro centenis salmatis frumenti, necnon honorarium viginti quatuor scutorum primo ex dictis administratoribus ? S. C. servari solitum respondit : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 13.

Admissio. Vide *Concursus*, § i ; *Legatum pium*, § vii ; *Mansionaria*, § i ; *Presbyteri*, § ii ; *Subsidium dotale*, § xv.

Adulteratio. Vide *Sacramentum ordinis*, § iii ;

Ædificatio. Vide *Collegium*, § i ; *Ecclesia in genere*, § i ; *Ecclesia cathedralis*, § i ; *Ecclesia collegiata*, § i ; *Ecclesia parochialis*, § i ; *Oratorium*, § iv ; *Sepultura*, § i.

ÆDILIS.

Ad electionem ædilis ecclesiæ Kempensis omnes vicarios cum D. pastore, qui numerum 14 individuorum conficiunt, item omnes de magistratu, quorum numerus incertus, item prætorem cum actuario et decurionibus intra parochiam habitantibus, quorum numerus etiam determinatus non est, sed, sicut magistratus ad sex, aut septem, aut octo potest ascendere, item vice-satrapam, et forsan receptorem electoralem, qui soliti erant, intervenire posse definitur : *Colonien.*, 14 *mar.* 1767, *dub.* 15.

ÆDIS, ÆDES.

1. Quæsitum quum esset, an monasterium Sorretanum ordinis Præmonstratensis condecimator teneretur una cum cæteris condecimatoribus, prout ibi consuetudo ferebat, contribuere ad reparationem ædium parochialium S Joannis Evangelistæ in Michelwinadensi loco sitarum ? mandatum est, ut citaretur commendatarius non retardata interim exequutione decreti Episcopi [97] sine præjudicio jurium partium, et ut scriberetur eidem Episcopo juxta instructionem : *Constantien.*, *Reparationis ædium parochialium*, 3 *sept.* 1729.

2. Inter bona, quæ Summus Pontifex erigendo ecclesiam S. Stephani Montis Sancti in collegiatam præposito tribuit, domus reperitur præposituralis, quam idem præpositus cum sua familia inhabitat. Vicarii uti actualem curam exercentes hanc appetunt, aliamque longe commodiorem, sed 162 passibus ab ecclesia separatam, a præposito assignatam spernunt. Quærunt itaque, num præter summam assignatam in Bulla habitationem in præfata præpositurali domo valeant expetere ? Assensa est illis S. C., et ad mentem [98] addidit : *Firmana*, *Domus præposituralis*, 30 *julii* 1757.

3. Canonicus Petrus Paulus Lupius senior collegiatæ ecclesiæ divi Nicolai terræ S. Ægisti unius ex canonicatibus fundationis Bernardini Lupi pos-

[97] Quum rector parochialis ecclesiæ S. Joannis in Michelwinaden. indigeret facienda reparatione suarum ædium parochialium, et sufficientes reditus ad hunc effectum non haberet, institit coram Ordinario Constantiensi pro coactione omnium condecimatorum dictæ ecclesiæ et præcipue commendatarii Altichusiani inclyti ordinis Theutonici, et monasterii Sorritani ordinis Præmonstratensis ad contribuendum reparationi hujusmodi, prout contra monasterium præfatum, quod unice contradixit, mandatum relaxari obtinuit : *Ead. causa*, 11 *junii* 1729.

[98] Et mens est, ut non amoto moderno præposito a domo parochiali assignetur vicariis alia domus magis proxima approbanda ab Archiepiscopo : *Ead. causa*, 30 *julii* 1757.

sessor habitare domum a testatore præscriptam pro domicilio senioris sub pœna scutorum 10 tenetur, et adjungitur a S. C. ad mentem [99]: *Nullius, S. Ægisti*, 18 *julii* 1772, *dub.* 2.

4. Ædes adnexas ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis civitatis Firmi incolere debent canonici curam animarum exercentes, nec aliis illas locare, aut quomodolibet concedere valent : *Firmata*, 8 *junii* 1782, *dub.* 3.

5. Sicuti etiam S. C. præscripsit vilia quædam inibi minime exerceri, uti uvas premi, mustum excoqui, lactamina coacervari, stabula, sues, et gallinas retineri ad normam decreti Archiepiscopi in actu visitationis promulgati : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Incolæ villæ Canuti capellano curato, qui translatus fuit ab ecclesia S. Eleutherii ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum, ædem præstare debent : *Ravennaten.*, *Dismembrationis*, 5 *april.* 1783, *dub.* 2.

ÆDITUUS.

1. Æditus, vel alius deputatus ad præscriptum decreti Episcopi in visitatione facti est coercendus ad tabulam pro Missarum quotidianarum ordine faciendam, ac ipsummet Episcopum edere debere decretum, ut ordo dictæ tabulæ observetur, prout in statuto disponitur, et contra inobservantes procedere ad exequutionem pœnæ in ipso statuto appositæ, vel in decreto noviter apponendæ : *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 5 et 6.

2. Munus æditui antiquitus ipsimet canonici ecclesiæ collegiatæ Insulanæ obibant. Sed abhinc centum circiter annis præter beneficiatos, nonnulli capellani admissi fuerunt. Hi vero plura excitarunt postulata, et in S. C. hæc proposita fuerunt dubia ; an ad æditüum ecclesiæ collegiatæ prædictæ pertineat jus habendi vocem in capitulo, et administrandi in ea anniversariorum bona, necnon in choro, et altari cum canonicis officiandi ?

3. An ad eumdem divinis intervenientem cum canonicis pertineat jus in vino, tritico, et pecunia de fructibus capitularis massæ pares præbendas, ac quotidianas distributiones percipiendi ? responsum est, nihil in omnibus : *Cavallicen.*, 9 *april.* 1701, *dub.* 1 et 2.

4. Ecclesiæ parochialis, et abbatialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii æditum archypresbytero in functionibus ecclesiasticis, et in divinis obedientiam præstare eidemque inservire debere fas esse decernitur : *Imolen.*, *Jurium parochialium*, 12 *febr.* 1707, *dub.* 2, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

5. Episcopi Andriensis edictum, quod exterorum sacerdotum in Brevi Sixti V, Pont. Max., non comprehensorum admissionem ad celebrandum absque ejusdem Episcopi licentia æditus ecclesiarum prohibet, ædituos ecclesiæ S. Mariæ de Miraculis ordinis Cassinensium etiam afficere valere S. C. statuit : *Andrien.*, *Edictorum*, 29 *nov.* 1710, *dub.* 2, confirmata 24 *januar.* 1711, *dub.* 1.

6. Quum æditum saltem clericum debere esse S. C. decreverit ; hinc laici deputatio in æditum ecclesiæ cathedralis valida minime est : *Sancti Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 4.

7. Ad interrogatum, an decretum in visitatione collegiatæ ecclesiæ Fori Cassii, 6 maii 1720, editum, quo Episcopus Viterbii decretum alterum anno 1714 occasione pariter visitationis emanatum super electione sacræ ædis tutoris independenter ab archipresbytero cum sola monitione canonicis facienda confirmavit, sit exequendum ? S. C. censuit causæ protrahendam definitionem, ut coadjuventur probationes, non retardata interim exequutione decreti episcopalis : *Viterbien.*, 22 *novem.* 1727. Inde electionem ab archipresbytero cum capituli consensu faciendam esse S. C. placitum fuit : nam canonici de hoc conquesti erant obtentu potissimum contrariæ observantiæ, juxta quam æditus ad nutum amovibilis, qui a tota massa stipendium recipit, capitulariter semper ab archipresbytero, et a canonicis electus fuerat : 21 *april.* 1731.

8. Capitulum curam sibi habitualem competere putans in unica parochiali ecclesia civitatis Callii cum vicario curato transegit, ut æditus confessiones audiret, sacramenta præbere, proclamata, et matrimonia peragere non secus ac curatus ipse, ac vice-parochus valeret, nec iste emolumenta illi omnia tradere continuaret. Infirmata a S. C. fuit transactio hæc ; et exinde resolutum, quod hic æditus a capitulo deputatus non posset cumulative cum vicario curato, eoque invito, administrare sacramenta, et se ingerere in exercitio curæ, et cum eodem vicario participare de emolumentis parochialibus incertis : *Callien.*, *Nullitatis transactionis et jurium parochialium*, 26 *febr.* 1752, *dub.* 2, confirmata 6 *maii ejusd. anni.*

ÆQUATIO. Vide *Compensatio.*

ÆSTIMATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § I.

[99] Scilicet consulendum Sanctissimo pro dispensatione : *Ead. causa*, 18 *julii* 1772, *dub.* 1.

ÆTAS IN GENERE.

1. Declaravit S. C. ad obtinendam in ecclesia cathedrali, vel collegiata dignitatem non curatam requiri annorum 22 completam ætatem : *Nullius*, 4 *sept*. 1591.

2 Ætas annorum 55 in viro Nicolao Ruiz de Turre an sufficiat, ut uxor Elisabeth Ribot, cum qua ratione ejus conditionis disparitatis clam matrimonium vir contraxerat, ut professionem emittere valeat, relicto viro in seculo cum voto simplici continentiæ, a S. C. quæsitum fuit? et responsum hæc præbuit; expectet, et ad mentem : *Barchinon.*, 23 *nov*. 1765. Deinde rescripsit pro gratia admissionis ad habitum, et tirocinium; ita ut ad professionem non admittatur inconsulta S. Cong.: 12 *nov*. 1767.

3. Ætas, ut subsidium dotale a Ludovico Salvi de loco Urceani relictum assequatur, si a testatore præfinita non fuerit, neque ab Episcopo potest præfiniri : *Fanen.*, *Subsidiidotalis*, 3 *aug*. 1771, *dub* 1.

ÆTAS IN BENEFICIIS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § I.

ÆTAS IN CANONICATIBUS. Vide *Canonicatus*, § I.

ÆTAS IN DIGNITATIBUS. Vide *Dignitates ecclesiasticæ*, § I.

ÆTAS QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § III.

ÆTAS IN MATRIMONIO. Vide *Matrimonium*, § VIII.

ÆTAS IN ORDINIBUS. Vide *Sacramentum ordinis*, § VII.

ÆTAS IN PROFESSIONE RELIGIOSA. Vide *Professio religiosa*, § III.

ÆTAS IN SPONSALIBUS. Vide *Sponsalia*, § II.

ÆTATIS DEFECTUS. Vide *Dispensatio*, § III.

AFFINITATIS IMPEDIMENTUM. Vide *Matrimonium*, § IX.

AFFINITATIS IMPEDIMENTUM QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § X.

AFFRANCATIO. Vide *Emphytheusis*, § III.

AGGREGATIO. Vide *Presbyteri*, § II. *Sodalitium*, § I.

AGNITIO. Vide *Legatum pium*, § I.

ALIENATIO.

§ I.

Alienatio bonorum ecclesiæ quoad facultatem, ac beneplacitum apostolicum.

1. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ urbis Laviniæ nonnulla bona ad idem capitulum spectantia absque apostolica licentia locaverunt, ac alienarunt. Moniti proinde ab Ordinario ab hoc errore fuerunt; implorant ideo apostolicum beneplacitum, et quærunt, an in censuras inciderint? his S. C. rescripsit, negative, et fiat per canonicos revocatio ultimæ locationis infra mensem, alias declarentur incurrisse in censuras; eisdemque prohibeatur, ne in futurum audeant præfata loca locare, sive ad longum, sive ad breve tempus absque expressa licentia S. C.; et quoad marmora ac statuas, partes consulant propriæ conscientiæ : *Albanen.*, *Beneplaciti*, 17 *nov*. 1703, *dub*. 1 et 2.

2. Quum capellani ecclesiæ cathedralis solutionem pretii æstimati quorumdam domorum, quibus opus erat pro constructione ecclesiæ, et conventus patrum discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, recipere ob difficultatem investimenti renuissent; Ordinarius exhiberi fundationes mandavit. In hisce comperta fuit vendendi, commutandi, atque extinguendi capellaniarum bona prohibitio ab Adriano VI, Pont. Max. anno 1522 confirmata. Idcirco iidem implorant beneplacitum apostolicum pro alienatione ad aliud idoneum investimentum faciendum. Censuit desuper S. C., ut judex causæ prout de jure non obstante Breve procedat. Coacta enim hæc est alienatio, non voluntaria a testatore prohibita : *Malacitana*, *Beneplaciti*, 26 *jan*. 1709.

3. Michael Cauccius canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in Via Lata Urbis, instituta hærede universali ecclesia S. Michaelis Archangeli terræ S. Elpidii ab eo ædificata; onus adjecit, ut nonnulla adjacentes habitationes prope sacrarium construerentur. Hæc dispositio occasionem dedit quærendi : an impensa sint facienda ex fructibus, aut annuendum sit pro alienatione locorum montium hæreditatis? S. C. annuit pro alienatione quatuor locorum montium tantum hæreditariorum; pro residuo vero teneri ex fructibus putavit : *Romana*, *seu Firmana*, *Hæreditatis*, 22 *feb*. 1710 : ac deinde instante capitulo pro reliqua distrahendi quatuor loca montium facultate, ut integram summam petitam consequatur, gratiam S. C. impertita est · 2 *aug*. *ejusd*. *anni*.

4. Rogantibus capitulo, et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Majoris civitatis Bononiæ hæredibus canonibus Sfortiæ de Boninsignis pro facul-

tate alienandi nonnulla credita hæreditaria in summa scut. bismille, ad effectum solvendi scut. mille monialibus S. Margaritæ in satisfactionem legati Clementis de Boninsignis, necnon solvendi alia scut. 400 pro totidem mutuo acceptis, et reliqua scut. 600, in restaurationem domus ruentis eroganda; S. C. ad propositum dubium negativum dedit responsum sub diebus 29 *martii et* 14 *junii* 1710. Postea ad examen iterum revocata causa recessit a decisis juxta modum: *Bononien.*, *Facultatis alienandi*, 13 *junii* 1711. Et denique annuit juxta modum, 9 *april.* 1712.

5. Quum Sebastianus Lancetta nominaverit hæredem ex asse hospitale Sanctissimi Crucifixi cum expressa prohibitione bona alienandi, nisi per Sanctam Sedem ob maximam causam impetrata venia. Inter bona quamdam domum in Urbe sitam reliquit. Hæc diu absque conductore remansit; hinc quæsitum fuit, an possit alienari? et non posse S. C. rescripsit: *Cæsenaten.*, *Domus,* 13 *maii* 1713, *dub.* 1.

6. Prædia hospitalia pauperum mendicantium Bononiæ ab Hannibale Favario, et Peregrino Joanninio relicta alienari posse S. C. firmavit. Nam et si dissensus hospitalis S. Francisci substituti in successione prædiorum ad Favarium spectantium in casu petitæ alienandi facultatis refragatus esset, verum evidens, et quidem maxima utilitas satis clara erat, ideoque locus est beneplacito apostolico; et S. C. addidit, ut unico contextu investimentum fieret: *Bononien.*, *Beneplaciti,* 28 *martii* 1744.

7. Villa Zur Furth, quæ ad capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Cuniberti Coloniæ pertinet, militum incursionibus bellorum causa, et vastationibus obnoxia est; bis jam incendio absumpta fuit, ex quo quamplurimis reparationibus indiget. Capitulum præfatum alienationem peragere ejusdem villæ, quum evidenti ecclesiæ utilitate annuus quippe fructus pretii ejusdem præsentes reditus valde excederet, exoravit, sed oratori beneplacitum apostolicum denegatum fuit: *Colonien.*, *Beneplaciti,* 29 aug. 1774.

8. Ad perficiendam novæ ecclesiæ parochialis terræ Jovii constructionem, vetus enim augusta omnino erat populo excipiendo, facultas facta est alienandi loca viginti montium a Barbara Matthæi Bevilacqua relicta, et pro subsidiis dotalibus distribuendis assignata, cum onere tamen redintegrandi dicta loca montium ex multiplico faciendo cum fructibus aliorum viginti superextantium, non concurrente tamen quolibet anno puella terræ Jovii, quæ velit in Domino nubere, et cum scut. 40 annuis detrahendis ex salario ludi-magistri post obitum præsentis usque ad redintegrationem prædictam; in reliquis Episcopus procedat prout de jure: *Amerina,* 15 *dec.* 1764. Confecto autem multiplico in quantitate duorum locorum montium una cum 50 centesimis, petita fuit facultas alienandi prædicta loca, et censum imponendi in sorte scut. 1000, super aliis viginti locis montium superextantibus; nondum enim perfecta erat ecclesia. Proposito desuper decidendo dubio, responsum est, scribendum Episcopo juxta instructionem [100]: 16 *sept.* 1769. Deinde concessa fuit, Episcopo instruente, petita facultas juxta modum [101]: 28 *sept.* 1771.

9. Alienationem domus ab Agatha Sansonetti relictæ patribus S. Caroli ad quatuor fontes Urbis cum onere celebrandi tot sacra, quot ex pensionibus domus celebrari possent, perficere iidem patres ad evitandas ulteriores evictiones præter jam passas super dicta domo, et graves expensas pro ejus restauratione cupiebant, facultatem idcirco alienandi a S. C. postularunt, sed scriptum eisdem fuit: Dilata, et ad mentem [102]: *Romana*, *Alienationis domus,* 4 *apr.* 1778.

10. Domum ruinam minitantem alienandi facultas petita fuit a Joanne Baptista Gerardengo, quum domus prædicta pro parte cedere debuisset in erectionem capellaniæ a Josepho Anfossi demandata, partim vero spectaret ad dictum Gerardengo Anfossi donatarium. Et S. C. rescripsit, ut scribatur Episcopo juxta mentem [103]: *Derthonen.*, 3 *aug.* 1782, *dub.* 3.

11. Alienatio prædii nuncupati *Ciafone* annuo

[100] S. C. novas litteras Episcopo Amerino dandas censuit, ut secerneret extantia capitalia montis frumentarii, et ulterius *dello Spiano* a quantitate eorumdem erectionis, necnon referret, quæ frumenti quantitas populi necessitati inserviat, quæve super excedat. Inquireret etiam de communitatis reditibus, et de populi facultatibus, an aliquam saltem sumptuum partem conferre posset: et demum, an alia adessent media, quibus necessitati ecclesiæ consuli posset: *Ead. causa,* 28 *sept.* 1771, § 3.

[101] Scilicet cum onere redintegrandi loca montium, et extinguendi censum juxta modum et tempus ab Episcopo præfiniendum, cujus curæ erit invigilare, ne quid superfluum in causam fabricæ impendatur, et pecuniæ, quæ necessariæ fuerint in eam causam fideliter erogentur, reddita singulis annis coram Episcopo ratione, eique scribatur juxta instructionem facto verbo cum Sanctissimo: *Ead. causa,* 28 *sept.* 1771.

[102] Mens fuit, ut ab oratoribus reddatur ratio in forma juris valida de pensionibus domus huc usque perceptis, necnon conficiatur peritia super quantitate, qualitate, et pretio reparationis domus in specie: *Ead. causa,* 4 *aprilis* 1778.

[103] Mens fuit, ut Episcopus videat, utrum instaurari possit domus, mandet instaurari; quatenus vero instaurari non possit, prævia edictorum affixione vendatur, et retrahendum pretium deponatur in æde sacra ad effectum investiendi in favorem capellaniæ: *Ead. causa,* 3 *aug.* 1782, *dub.* 2.

gravati onere Missarum 30 permittitur a S. C. pauperi Antonio Forlini illius possessori in favorem capellani curati ruralis ecclesiæ S. Blasii juxta votum Episcopi [104] : *Asculana*, 10 *julii* 1790.

§ II.

Alienatio quoad prohibitionem et confirmationem.

Alienatio facta ab Archiepiscopo Strigonensi mensæ archiepiscopalis redituum in summa mille florenorum quotannis persolvenda capitulo ecclesiæ metropolitanæ cum Missarum onere confirmatur juxta modum : nam petierat ille Apostolicam confirmationem ; ac reditus prædictæ mensæ ad conspicuam summam annuatim sexaginta mille circiter florenorum ascendunt : *Strigonien.*, 17 *dec.* 1718.

§ III.

Alienatio quoad validitatem vel nullitatem.

1. Conquerens universitas S. Gemini de alieno ære, quo obruebatur, sese emergere, assequuta fuit facultatem alienandi nonnulla bona in scut. 1900. At Episcopus Picarellius in sacra visitatione, illam stabilia alienasse spectantia ad hospitale S. Catharinæ ejusdem oppidi in scut. 1553 comperiit. Hinc discusso dubio in S. C., an valida sit hæc alienatio? ratam S. C. non habuit : *Narnien.*, *Alienationum*, 29 *april.* 1713, *dub.* 1.

2. Solum, in quo ecclesia S. Angeli in oppido Fossacecæ constructa fuerat, et inde penitus diruta, una cum ejus ruderibus, et muris aliqua ex parte adhuc superextantibus, fuit concessum Petro de Cruce ab uno Archiepiscopo, deinde ab altero Archiepiscopo per simulationem, quod idem solum ad seminarium spectaret, Josepho Andreæ Sisto, nullo persoluto pretio, sed cum pacto reædificandi dictam ecclesiam cum reservatione jurispatronatus laicalis. Modo invalidas has concessiones deputati seminarii esse, uti beneplacito apostolico destitutas, contendunt; et S. C., cui res delata fuit, non sustineri utrasque decernit : *Theatina*, *Alienationis*, 5 *martii* 1735, *dub.* 1.

3. Alienationes ab administratoribus hospitalis ecclesiæ S. Mariæ Consolationis communitatis urbis Tuderti huc usque factæ sine apostolico beneplacito sustinentur ; iis tamen, quæ subjacent oneribus Missarum exceptis. Hospitale enim exemptionis privilegio, et facultate distrahendi bona immobilia absque ullo sive Episcopi, sive Apostolicæ Sedis beneplacito a Clemente VIII, Pont. Max., concessa gaudebat : *Tudertina*, *Jurisdictionis*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 4.

4. Annuum censum scut. in sorte 600, et reditus annui scut. 44, 50 spectantem ad beneficium, seu capellaniam in ecclesia oppidi Verruculi a Juliano Nuccio, ejusque uxore erectam, Franciscus filius, accedente Episcopi consensu distraxit, aliaque bona valoris scut. 1000 subrogavit, sed, reclamante capellano, a S. C. reprobata alienatio fuit : *Ariminen.*, *Beneficii seu capellaniæ super redintegratione*, 18 *novem.* 1747, *dub.* 1.

5. Alienatio juris exigendi pensiones beneficialis domus Vincentii Belardi absque beneplaciti apostolici reservatione facta rescinditur, et demandatur restitutio pretii, imputatis pensionibus a sacerdote Joanne Ginamio exactis unica solutione : *Lauretana*, 18 *dec.* 1790.

Alienatio ecclesiæ. Vide *Ecclesia in genere*, § II.

ALIMENTA.

Alimenta quibus, et a quibus sint præstanda, et in qua summa.

1. Stephanus de Formicinis filius Joannis, qui pro sua conservatione jam a Clem. IX, Pont. Max., per decennium fructus hæreditatis Joan. Francisci de Forminicis erogandos in celebrationem Missarum, et dotium distributionem percipiendi facultatem obtinuerat ; pro applicatione dictorum fructuum pro suis alimentis, et dotibus filiarum quatuor nubilium iterum ad decennium exorat, et ejusdem exemplo Augustinus de Formicinis dicti Stephani frater germanus alimenta causa suæ paupertatis, gravisque ætatis petit ; sed S. C. hisce precibus haud adhæsit : *Romana*, *Commutationis voluntatis*, 2 *dec.* 1702, confirmata 17 *maii* 1704.

2. Paulus Paganinius archiconfraternitati sanctissimæ Annunciationis de Urbe conspicuam summam

[104] Qui prædii melioramenta, gravem paupertatem, alienum æs, multamque oratoris memorat familiam ; atque ex eo potissimum æquam censet gratiam, quod non derogaretur voluntati fundatoris quoad celebrationem Missarum ; quinimmo istæ augerentur in numero decem, lites evitarentur, quæ promoveri possent inter cæteros vocatos ad patronatum, et oratorem, qui læsivam contendit venditionem bonorum factam fundatori prætio scut. 75. Quoad curatum vero observat, quod rem utilem gereret bona prædicta emendo. Alienaret enim ipse sex prædiola magis dissita, et domo acquireret in centro statutæ residentiæ cum domo eidem necessaria pro habitione : *Ead. causa*, 5 *junii* 1790, § 3.

scutorum triginta millium pro distributione subsidiorum dotalium, relicto jure nominandi partim archiconfraternitati, partim familiæ de Rubeis descendentibus, donavit. Hinc instantibus pauperibus virginibus filiabus tum Philippi, tum ejusdem neptibus ex Vincentio filio de Rubeis ob earum inopiam propositum fuit dubium; an in casu, quo dicta subsidia non sufficiant pro alimentis, et dotibus dictarum virginum de Rubeis, quæ sunt numero sex, eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem subsidiorum, quæ ab archiconfraternitate prædicta distribuuntur? et responsum prodiit affirmativum juxta mentem [105]: *Romana, Subsidiorum dotalium*, 30 *martii* 1748, *dub.* 3, confirmavit, et addidit S. C.; et quoad summam subministrentur alimenta in scutis tribus menstruis pro qualibet; subsidia vero dotalia juxta earum statum, et præsertim earum conditionem; ita tamen ut nubentes in Domino nubant extra Urbem, et ad Cardinalem Præfectum pro exequutione: 3 *aug. ejusd. anni.*

3. Inde Julius de Rubeis dicti Vincentii filius unicam habens filiam Annam exorat S. C., ut ex medietate subsidiorum eidem filiæ suæ alimenta decentia concedantur, ac gratiam in summa scutorum quinque mensualium a die petitionis retulit: *Ead.* 29 *aug.* 1767, *dub.* 1, confirm. 26 *mart.* 1768.

4. Postmodum dictus Julius de Rubeis, ut ex medietate redituum legati Paganini eroganda pro puellis ab ipso nominandis annua scut. 60, pro alimentis sui filii Aloysii, ut erudiri, ac in seminario aliquo educari possit, detrahantur, S. C. exoravit; sed incassum: *Romana, Alimentorum*, 23 *april.* 1774, *dub.* 1.

5. Deficientibus fructibus medietatis sortis pii legati Paganini, qui in tot subsidia dotalia ab hæredibus Magdalenæ Paganini et Theodosii de Rubeis distribuuntur, non esse præstanda alimenta aliis duabus filiabus Julii de Rubeis ex fructibus alterius medietatis dictæ sortis, qui erogantur in alia subsidia dotalia ab archiconfraternitate sanctissimæ Annunciationis Urbis, statutum fuit: *Ead.* 10 *maii* 1777.

6. Denuo idem Julius promovit instantiam in favorem filiarum earumdem Mariæ, et Victoriæ, ut alimenta eis tribuerentur ex residualibus scut. 84, provenientibus ex fructibus medietatis pii legati Paganini de Rubeis, quæ multiplicari debent pro dote alterius filiæ Annæ, quæ suum assensum præstat, et S. C. rescripsit: Dilata et ad mentem [106]: 28 *aug.* 1779.

7. Quum autem anno 1780 per nuptias contractas a dicta Anna de Rubeis alimentorum præstatio in scut. quinque quolibet mense cessasset, preces renovat idem Julius, et S. C. alimenta ad rationem scutorum duorum cum dimidio mensualium pro qualibet filia a die vacantis assignamenti tribuit: *Ead.*, 12 *maii* 1781.

8. Demum idem Julius in extrema paupertate constitutus pro alimentis ex summa, quæ superfuit, ex multiplico peracto pro Annæ filiæ dote, quæ ante annum 1781 inivit matrimonium, S. C. obsecrat, et scuta quatuor quolibet mense incipiendo a prima augusti currentis obtinuit: *Ead.*, 20 *aug.* 1785.

9. Deinde per rescriptum, *habebitur ratio suis loco, et tempore*, differtur gratia alimentorum pauperiori consanguineæ puellæ annorum 3, Mariæ Theresiæ de Rubeis, cujus avus menstrua habet scut. 4, in causa alimentorum ex dotalibus subsidiis Paganini: *Romana, Alimentorum et subsidiorum dotalium*, 15 *martii* 1794.

10. Agens nullitatis suæ professionis, ac restitutionis in integrum causam Fr. Januarius Priscolus ordinis S. Joannis de Deo coram vicario generali Neapolitano, ab eodem petivit, ut locum alium extra claustra sui monasterii adsignaret, ubi tutius litem agere, et prosequi posset; propterea monasterium Montis Sancti Patrum Carmelitarum ei constitutum est. Hospes in illo fuit duorum annorum spatio, inde ad alia monasteria ejusdem ordinis est ille translatus, ubi moram fecit. Causa tandem cecidit Priscolus, et ad sui monasterii claustra redire coactus fuit. Carmelitæ igitur alimenta præstita a conventu S. Mariæ de Pace, in quo ille professionem emiserat, repetierunt, sed de quantitate orta quæstione S. C. rescripsit; *ad D. secretarium pro omnimoda concordia etiam ex officio: Neapolitana, Alimentorum*, 6 *dec.* 1755.

11. Pro alimentis est adscribendus, dummodo acquiescant, sororibus de Bona ususfructus dimidiæ hæreditatis Joannis Clasci cum reversione cujuslibet ratæ partis post mortem in favorem seminarii, computato legato Matthæi Stephani Clasci qui legavit plura filiis, et filiabus Marini Matthæi de Bona, quorum post mortem pro erectione seminarii multiplicum disposuit, et hæres fuit Joannis prædicti: *Ragusina*, 25 *sept.* 1762 confirmata et additum fuit juxta modum [107]: 27 *aug.* 1763.

12. Vigore nonnullarum S. C. resolutionum, Margarita Gubbiesi ingressa est monasterium S.

[105] Et mens est, ut eminentissimus præfectus procedat ad exequutionem cum eminentissimo protectore: *Ead. causa*, 3 *aug.* 1748.

[106] Et mens est, ut oratrices instent postquam cessaverit aliqua alimentaria præstatio ex dicta medietate hæreditatis: *Ead. causa*, 28 *aug.* 1779, § 1.

[107] Nempe a die lati rescripti, et collatis oneribus: *Ead. causa*, 27 *aug.* 1763.

Claræ Urbis, annuente Cardinali præfecto, qui præterea statuit quantitatem alimentorum illi præstandam a monasterio sanctissimæ Annuntiatæ, illa acceptare renuente contra formam instrumenti donationis [108], decreta ejusdem S. C., et constitutionis Gregorii XIII, Pont. Max. [109]. Quumque peterentur alimenta etiam præterita a die nominationis dictæ Margaritæ, seu illius recusationis factæ a monialibus; Cardinalis præfectus decrevit, persolvenda esse a dictis monialibus alimenta a die emanati primi rescripti, et in reliquis exquiri S. C. oraculum dixit. Ob id S. C. deberi a die primi rescripti ad formam decreti Cardinalis Præfecti sancivit : *Romana, Juris nominandi, et acceptandi puellas*, 18 *decem.* 1762.

15. Alimentorum præstationem obtinuit a Romano Pontifice Vincentius Merlo per decennium pro filiabus etiam ex pio legato Mariani Mansi sui consanguinei. Modo dum prorogationem ad suam vitam, filiarumque postularet; res S. C. fuit delegata, quæ respondit : Dilata, et scribatur Archiepiscopo pro informatione, et voto juxta instructionem [110] : *Panormitana*, 23 *april.* 1763.

14. Alimenta saltem in scutis tribus quolibet mense singulis masculis ad quinquennium, fæminis usque ad nuptias assignare ex piis dotalibus subsidiis relictis a Cæsare seniore Valentini agnatis testatoriis S. C. denegavit : *Romana seu Sabinen., Alimentorum*, 4 *junii* 1763.

15. Lucas Fredianius hæredes in semisse pueros parentibus orbatos, in altero semisse opus dotationis puellarum scripsit. Ideo Fulvia Maria Olympia Frediani suam paupertatem comprobans postulat, ut nonnulla sibi applicentur subsidia dotalia nomine alimentorum, sed preces hujusmodi S. C. respuit : *Lucana, Subsidiorum dotalium*, 8 *julii* 1769.

16. Alimentorum subministrationi in favorem descendentium testatoris an sit locus ex hæreditate Sebastiani Scarcellini, et in qua summa ? S. C. ad mentem [111] rescripsit. Testator enim, ut, deficientibus puellis dotandis, occurri descendentium indigentiis posset, jusserat. *Faventina*, 30 *maii* 1772, *dub.* 1.

17. Pro alimentis deferendis puellis orphanotrophii civitatis Alcami ex defectu redituum, quum applicatio fructuum quorumdam legatorum, et voluntatis commutatio peteretur; S. C. rescripsit, scribendum Episcopo juxta instructionem [112] : *Mazzarien.*, 9 *sept.* 1775, *dub.* 2. Inde S. C. concessit juxta Episcopi votum [113] : 19 *julii* 1777.

18. Alimenta curatis, seu vicariis curatis cathedralis, ac parochialis ecclesiæ Carpentoractensis in mensa capituli in partem congruæ, vel stipendii non deberi S. C. definiit : Nam pontificia constitutio [114] adest, qua his consulitur : *Carpentoracten.* 15 *sept.* 1781, *dub.* 2.

19. Alimentorum præstatio in favorem Francisci Purarelli patroni fratris fuit denegata. Nam etiamsi ille esset pauper, alimentorum elargitione Missarum capellaniæ onus suspendi oportebat. *Camerinen.*, 27 *novemb.* 1784.

ALMUTIA.

1. S. C. censuit scribendum ad Episcopum licere ei canonicis propria auctoritate insigne almutiarum concedere : *Mileten.*, 4 *dec.* 1591.

2. Quum Episcopus concessisset hebdomadariis noviter erectis in ecclesia cathedrali indultum gestandi superpelliceum, et almutiam laneam cum

[108] Donatio inita fuit die 12 febr. 1558, qua archiconfraternitas sanctissimæ Annuntiatæ quamdam domum archiconfraternitati catechumenorum cessit, ut hæc tres in monasterio erigendo puellas ad profitendum a donataria nominandas acceptaret : *Ead. causa*, 14 *febr.* 1761, § I.

[109] Qui anno 1579 per suas litteras apostolicas novo monasterio indulsit, ut domum donatam in usus profanos convertendam retinere possit, servatis aliis conditionibus, et pactis in donatione expressis : *Ead. causa*, 14 *febr.* 1761, § I.

[110] Ut S. C. instruat de subsistentia controversæ paupertatis Vincentii Merlo, et de animi sui sententia præallegata facti serie : *Regist. lit lib.* 32, *die* 23 *april.* 1763.

[111] Mens est, ut subministrentur alia scuta decem pro quolibet capite ad quinquennium, et donec non adsint puellæ proxime dotandæ, et cum declaratione, quod puellis nuptis cesset in totum subministratio : *Ead. causa* 30 *maii* 1772, *dub.* 1.

[112] Quæ instructio fuit, ut minori, quo fieri posset, expensa, firmaretur status hæreditarius uniusque ex dictis quatuor piis testatoribus, de quorum commutanda voluntate quæstio proponitur, auditis interesse habentibus : *Ead. causa*, 5 *julii* 1777, § I.

[113] Quoad fructus assignatos pro dote a Scholastica Vincifora pro alimentis puellarum conservatorii, quousque necessitas perduraverit, non autem pro expensis sacrarii impendantur : *Ead. causa*, 19 *julii* 1777, *dub.* 2.

[114] Summi Pontificis Pii VI, qui anno 1778, vigore motus proprii ad reclamationem parochorum, et vicariorum status Avenionensis, et comitatus Venayssimi animarum curam exercentium præcepit, quod parochis assignarentur reditus, seu proventus in libris annuis quingentis turonensibus, non comprehensis emolumentis stolæ. Vicariis autem sive perpetuis, sive amovibilibus, traderetur stipendium in annuis libris biscentum quinquaginta, minime comprehensis stolæ incertis : *Ead. causa*, 15 *sept.* 1781, § III.

vittis ejusdem coloris, iidem quærunt, num hoc indulto uti possint? et ad S.C. Rituum [115] instantia remittitur : *Castrimaris, 7 julii* 1736, *dub.* 3.

3. Quæsitum quum fuisset, an servandum sit indultum Episcopi tribuens portionariis ecclesiarum S. Mariæ in Sylvis, et S. Mercurii terræ Capriolæ officium cantoratus obtinentibus, et respective archipresbyteris almutiæ gestationem? responsum extitit ad mentem : *Larinen., Præcedentiæ*, 11 *aug.* 1742, *dub.* 2.

4. Almutiæ concessionem ab Episcopo Nicensi presbyteris inservientibus choro cathedralis, sub nomine beneficiatorum excluso presbytero vice curato factam non sustineri S. C. decrevit; et satis provisum esse censuit per novissimum Episcopi decretum, quo canonicis senioribus refragantibus hanc concessionem revocavit : *Nicien.*, *Decretorum*, 14 *martii* 1744, *dub.* 10.

5. In Laniano oppido, ædificiis, populique frequentia, et clericorum numero conspicuo adest insignis ecclesia collegiata; ejus undecim canonici, et archipresbyter a Clem. XII, Pont. Max., ut almutiam gestare valerent, adepti sunt. Indultum hoc nunc post decem obtentum annos, et exequutioni mandatum in dubio canonici ecclesiæ cathedralis ponunt, et de subreptione illud arguunt. Sed hoc vitium canonicis istis non probantibus, de eo non constare S. C. resolvit : *Amerina, Indulti*, 15 *dec.* 1753.

6. Quæsitum quum esset, an, et quomodo ab ecclesiæ collegiatæ terræ Galatonæ canonicis deferenda sit almutia ? Portionarii siquidem eas a canonicis supra scapulam gestari improbant, et canonici hoc rite fieri defendunt, arbitrariamque esse subdunt almutiarum delationem super scapulam, vel super brachium sinistrum, S. C. resolvit, esse decretum Episcopi servandum : *Neritonen., Plurium*, 7 *junii* 1760, *dub.* 15.

7. Mansionariis, seu hebdomadariis ecclesiæ cathedralis tributa fuit ab Episcopo facultas, anno 1763, deferendi almutiam laneam violacei coloris absque caputio, ornatam in foraminibus, et nodulis coccineo colore. Et anno 1766 occasione visitationis idem Episcopus prædictos hebdomadarios almutiis cum caputio laneo vel serico, coloris violacei vel rosæ siccæ, quarum foramina, et noduli serici sint, et coloris rosæ siccæ, uti auctoritate ordinaria mandavit. Sed canonicis instantibus, S. C. ad dubium, an indultum hujusmodi capellanis ecclesiæ cathedralis concessum sustineatur, respondit : Dilata, et ad mentem [116] : *Vigilien. Insignium*, 4 *junii* 1768.

8. Mansionarii ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Martiani sibi providere suis sumptibus de almutia debent : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 15.

9. Eamque non deferentes in choro, et in supplicationibus habentur pro absentibus : *Ibid.*, *dub.* 16.

ALTARE [117].

1. Quum Episcopi principales regni senatores essent, ac proinde sæpissime ob publica negotia regni proficisci foras, ne interim ecclesiæ sint profanatæ, vel occupatæ, supplicatur indulgere dictis Episcopis, ut quotiescumque in publicis negotiis hujusmodi occupati fuerint, nec ecclesias ad celebrandum commodas intervenerint, in altari portatili Missam celebrare, vel celebrari facere possint ? respondetur, id privilegium competere Episcopo de jure communi, cui a Concilio minime est derogatum [118]. *Gnesnen.*, *februarii* 1590, *dub.* 3.

2. Ad dubium, an comprehendatur altare portatile, quod defertur ad turres in littore maris existentes, ibique ex consuetudine celebrantur Missæ nulla Sedis Apostolicæ licentia obtenta ? S. C. rescripsit, sub decreto de oratoriis edito die 10 jan. 1615 [109] comprehendi altare portatile, et de necessitate requiri licentiam Sedis Apostolicæ : *Calaritana*, 14 *nov.* 1648, *dub.* 3.

[115] Hæc causa haud fuit a S. C. Rituum decisa.

[116] Mens est, ut omnia referantur Sanctissimo per D. secretarium. Et facta relatione Sanctissimus auctoritate apostolica approbavit : *Lib.* 118, *Decret.*, p. 209.

[117] Altare privilegiatum quotidianum ad septennium in perpetuum concessit Clemens XIII, Pont. Max. omnibus ecclesiis parochialibus orbis christiani die 19 maii 1759, absque ullo onere Missarum; ea tamen adjecta lege, ut quilibet Episcopus pro sua respectiva diœcesi de hujusmodi gratia supplicet; et expleto septennio petant confirmationem ejusdem ad aliud septennium.

[118] Ipsis Episcopis tale privilegium in cap. 12 *de Privileg. in* 6 expressum, per Concilium Trid. minime ademptum fuisse constat; adeoque Episcopi uti eo possint etiam in domibus laicorum, ut ut in aliena diœcesi sitis. Quod vero ita est intelligendum, ut Episcopi ejusmodi privilegio uti non possint, nisi ad propriam commoditatem, et (ut habetur ex novissimis Pontificum declarationibus relatis a Bened. XIV, epistola encyclica *Magno* data 2 junii 1751 ad Primates Poloniæ ex Bull. ejusd., tom. 3, p. 169), tantum domi propriæ habitationis, ubi scilicet vel moram trahunt, ab ordinario domicilio in casibus a jure permissis, aut ob impetratam Sedis Apostolicæ licentiam absentes; vel hospitio excipiuntur visitationis, itinerisve occasione. Hoc privilegio potiri Episcopos electos, et confirmatos, quamvis consecrati non sint, ostendit Fagnanus in cap. *Quod nonnulli*, num. 6 et seqq., *de Privileg.*

[119] Concil. Trid. sess. 22 in decreto, *de Observ. et vitan. in celebrat. miss.* prohibuit, ne permittatur ab

3. Ad postulatum, an privilegium Bullæ Cruciatæ [120] pro hujusmodi altaribus, ac missarum celebratione possit suffragari? respondit, privilegium Bullæ Cruciatæ suffragari non posse: *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Dubio proposito, an manutentio altarium, quæ sint de jurepatronatus, et conservatio ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus spectet ad ipsos patronos, vel sacrarium metropolitanæ Urbini, in qua dicta altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod nunquam fuerint patroni coacti ad dictam manutentionem, et conservationem, sed eamdem impensam præstiterit dictum sacrarium, prout hodie supplet impensæ mapparum, et omnium paramentorum sacerdotalium; nec beneficiati, qui habent capellanias erectas in dictis altaribus, possint eidem manutentioni concurrere propter tenuitatem redituum, vix excedentium onera Missarum, quæ dictis capellaniis annexa sunt? teneri sacrarium ad limites legitimæ consuetudinis, quoad reliqua prout de jure, rescribitur: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 4.

5. Quæsitum quum esset, an licentiæ, seu privilegia concessa aliquibus regularibus in cap. *In his, de Privil.* [121], et per aliquos summos Pontifices aliis regularibus communicata, utendi altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, revocata sint per sacr. Concilium Trid. sess. 22, cap. 8, *de Sacrif. Missæ* [122]? affirmativum datum est responsum: *Toletana*, 4 *junii* 1672, *dub.* 8.

6. Ad dubium, an monachi teneantur providere altaribus in ecclesiis, quibus non incumbit animarum cura, et in quibus sunt erectæ societates laicorum, seu ipsæ societates? ut audiantur interesse habentes, præcipitur: *Cæsenaten.*, *Jurisdictionis*, 23 *sept.* 1690, *dub.* 2.

7. Altare ad societatem sanctissimi Rosarii spectans, non tenentur canonici ecclesiæ collegiatæ S. Stephani manutenere; etiamsi societas admissa, et introducta in eorum ecclesiam fuerit: *Regien.*, 5 *aug.* 1719, *dub.* 10 [123].

8. Altaris S. Mariæ Gratiarum existentis in templo divi Nicolai civitatis Ravennæ cessio facta a PP. Augustinianis una cum dominio, et proprietate sodalibus B. Mariæ Gratiarum convalidata fuit quoad usum et possessionem, a quibus sodales ceciderunt, ex quo impensis pro dicto altari contribuere noluerint, per modum redintegrationis: *Ravennaten.*, *Altaris*, 29 *maii* 1745, *dub.* 1.

9. Necnon data etiam Ordinario facultas prædictum altare juxta solitum visitandi: *Ibid.*, *dub.* 2.

10. Duo ecclesiæ cathedralis alteria in choro presbyterii sita rudioris structuræ, et functiones impedientia pontificales, recte demoliri fecit Ar-

Episcopo, ut Missæ sacrificium peragatur a sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus in domibus privatis, et extra ecclesiam, aut publica oratoria. Olim quidem poterant Episcopi concedere suis diœcesanis facultatem Missam celebrandi in locis extra ecclesiam, in oratoriis videlicet privatis, ex can. 12, *Missarum, de Consecrat.* dist. 1 (qui a Gratiano tribuitur Concilio Triburiensi, cum potius tribuendus est Concilio Moguntino, celebrato anno 888, quandoquidem continetur in ejus capite 9, unitus cum can. 30, *concedimus ead. distin.*). Hodie tamen hujusmodi potestas ex allato Concilii decreto adempta est Episcopis, ut iisdem significavit Congreg. Concilii per litteras encyclicas, jussu Pauli V, anno 1615, his verbis, relatis a Bened. XIV, *de Sacrif. Miss.*, lib. 3, cap. 6, num. 2: « Tametsi Sacra Cardinalium Congreg. Concil. Trid. interpretum optimis innixa rationibus sæpissime responderit, celebrandi licentias in privatis oratoriis, nonnisi a Sede Apostolica esse concedendas, etc. Illustrissimi Patres, etc. Sanctissimi Domini Nostri jussu signandum duxerunt facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Conc. decreto unicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam. »

[120] Plures enumerantur in Bullario Romano Bullæ Cruciatæ, indictionis scilicet belli contra Saracenos pro recuperatione Terræ sanctæ, quibus adhortati sunt fideles ad subventionem Terræ sanctæ cum concessione indultorum ad favorem proficiscentium, vel subvenientium. Hodie non suffragatur privilegium Cruciatæ celebrandi in altari portatili, quia cadit sub revocatione decreti Pauli V, relati in nota antecedenti 119: et ut advertit Monacell. *Formul. Leg. Pract. for. Eccl. tit. XIII, Annot. num.* 5, *pag.* 220 ibid. « Regulares autem in suis granciis oratoria hæc privata habere, nec ibidem celebrare possunt, ut declaravit S. C., 1 martii 1685. Neque suffragatur privilegium Cruciatæ celebrandi in altari portatili, quia cadit sub revocatione decreti Pauli V, ut respondit S. Congr. Concil. *in Calaritana*, 14 *nov.* 1648, *ad.* 4. At non solum in granciis non possunt regulares quicumque sint uti privilegio altaris portatilis vigore cap. *His. de Privil.*, sed nullibi, quia hoc privilegium Concilium Trid. abstulit, ut declaravit S. C. Concilii sub dicta die 15 dec. 1703. »

[121] Hæc decretalis Honorii III, habet insertum privilegium, quo fratres Prædicatores, et minores uti poterant altari portatili, in eoque ubique Missam celebrare absque Ordinariorum licentia: cui privilegio derogatum est a Tridentino, sess. 22, cap. unic., et inde a Decreto Clementis XI, sub die 15 dec. 1703, edito de celebratione in oratoriis privatis relato a Ferrari, *Biblioth. Verb. Oratorium*, pag 277, et a Giraldi *Exposit. Jur. Pont.*, tom. 3, pag. 906, ac in Appendice, num. 15, Synodi Romanæ sub Bened. XIII, habita anno 1725. Insuper præter Decretum Clem. habetur Epistola Encyclica a Bened. XIV, incipien. *Magno*, 2 junii 1751 (*Bull. ejusd.*, tom. 3, pag. 169), emanata ad tollendos abusus ab oratoriis privatis, quæ sunt in domibus laicorum.

[122] Vide not. 121.

[123] Advocatus Dominicus Ursaya scripsit in hac causa in favorem capituli, et suas exposuit rationes in *Discept. Eccles.* 23, tom. 3, part. 2, per tot.

chiepiscopus : adeo ut in pristinum statum, civitatis Leopoliensis instigante magistratu, restitui non debeant : *Leopolien.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 3, confirmata 9 *febr.* 1765.

11. Obligationes vero, et respective fundationes et cætera onera in iisdem demolitis altaribus existentia ad ea transferenda sunt altaria, quæ magis idonea Archiepiscopus arbitratur : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmatur, et injungitur, quod quum adessent nonnullæ fundationes, et obligationes, quæ laicorum sunt juris patronatus, consensus patronorum exquiratur : *Ibid.*, 12. Quæsitum ulterius quum esset, quomodonam eidem prælaudato Archiepiscopo liceret in ecclesia cathedrali, ejusque ambitu, quem uti Ecclesiæ sponsus a scamnis arcis, asservatoriis, et scriniis, cæterisque impedimentis decori ecclesia officientibus purgare exoptabat, supprimere altaria et transferre functiones, Missas, aliasque sacras functiones iisdem altaribus addictas, et celebrari solitas ; resolutio prodiit, omnino Archiepiscopi arbitrio esse remittenda : *Ibid.* 5 *et* 6, confirmatur et additur, quoad suppressionem altarium, et translationes fundationum utatur jure suo : *Ibid.*

13. Altare sanctissimi Crucifixi sodalitii Agonizantium Casalis Tarxencis contradicente una parte non est cum altari Beatissimæ Virginis sodalitii sanctissimi Rosarii dicti Casalis permutandum. Nam utriusque societatis procuratores adierunt vicarium capitularem, qui pro petita permutatione decretum edidit.. Hujus decreti præpedita ob recursum habitum a sodalibus sanctissimi Crucifixi fuit exequutio : *Meliten.*, *Permutationis*, 30 *julii* 1774.

14. Familia Nicolai in ædificatione altaris D. Augustini ecclesiæ archipresbyteralis oppidi Scarpæ inscriptionem *D. O. M. Sinibaldus de Nicolais, archipresbyter, propriis sumptibus, anno* 1751 apposuit, hac de causa juspatronatus ejusdem altaris habere contendit; sed S. C. illud liberum esse illius ecclesiæ non dictæ familiæ definivit. Nam erectum oblationibus quoque fidelium fuit, nec illud dicta familia dotavit : *Tyburtina*, *Jurispatronatus*, 4 *april.* 1778.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § VIII.

ALTARISTÆ.

Altaristæ ecclesiæ cathedralis prætensionem excitarunt velle una cum canonicis ejusdem ecclesiæ occurrere ad electionem vicariorum capitularium, ac si essent veri canonici ; sed S. C. eosdem altaristas nullatenus esse admittendos ad electionem vicarii capitularis decidit : *Recineten.*, *Vicarii capitularis*, 4 *junii* 1701, *dub.* 1, confirmata 30 *aug.* 1604 [124].

ALUMNI. Vide *Collegium*, § II ; *Seminarium*, § I.

AMISSIO. Vide *Hæreditas* ; *Juspatronatus*, § I ; *Pensio ecclesiastica*, § I.

AMOVIBILIS PAROCHUS. Vide *Parochus*, § IX.

ANIMARUM CURA. Vide *Canonici*, § I ; *Capitulum ecclesiasticum*, § II ; *Cura Animarum*.

ANIMI DEFECTUS. Vide *Irregularitas*, § I.

ANNATA. Vide *Media Annata*.

ANNIVERSARIA.

Anniversariorum reductio.

1. A tempore, cujus non extat memoria ecclesia metropolitana Neapolis persolvit anniversaria pro defunctis familiæ Minutulæ in Capella ejusdem familiæ. Sed quum ob expositam redituum diminutionem onera reduci voluisset, S. C., instante eadem familia pro manutentione consueta, anniversaria pro dictæ familiæ defunctis a capitulo esse celebranda sancivit : *Neapolitana*, *Anniversariorum*, 28 *nov.* 1705.

2. Canonicus Antonius Montanarius hæres cano-

[124] In hac causa in favore capituli cathedralis propugnavit advocatus Dominicus Ursaya occasione aliarum prætensionum, quas in S. C. Rituum altaristæ postularunt, ut patet ex Discept. Eccles. 35, tom. 2, part. 1, per tot., ex discep. 12, tom. ibid., part. 2, per tot., hujus S. Congr. 20 *martii* 1706, hæ emanarunt resolutiones, ad dub. 1 nempe: « An dignitatibus, et canonicis ecclesiæ cathedralis Recineten. conveniat distinctio, tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi pro Missis privatis respectu altaristarum, aliorumque sacerdotum, eidem ecclesiæ addictorum? » *Affirmative* respondit. Ad 2 dubium. « An campana major nostræ ecclesiæ quæ pulsatur pro convocando capitulo dignitatum, et canonicorum, possit pulsari pro convocandis congregationibus respicientibus negotia particularia altaristarum? » *negative.* Ad 3 dub.: « An altaristæ in associatione funerum, sine interventu capituli possint uti cruce argentea, quæ de præsenti adest iu ecclesia : vel debeant potius uti alia cruce inferiori dumtaxat? » *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* Denique ad dub. 4 : « An altaristæ seu sacristæ, vel alii inferiores ministri possint accommodare aliis ecclesiis vasa, et paramenta sacra, sive alia suppellectilia, ad nostram ecclesiam cathedralem spectantia? rescripsit *servetur Decretum Episcoporum*, qui id occasione visitationum vetarunt, quia talis accommodatio multum affert damnum sacris supellectilibus, et paramentis.

nici Marci Carelli petiit, ut dos 360 ducatorum, cujus reditus in 36 perpetua anniversaria deberent erogari, canonicis cathedralis ecclesiæ onus propter redituum tenuitatem respuentibus, in erectionem impenderetur capellaniæ cum onere quinquaginta Missarum pro anima testatoris, et aliarum ab eo designatarum celebrationis. Quatenus vero capellaniæ erectio S. C. non arrisisset, supplicavit pro anniversariorum reductione, quam impetravit : *Cajetana, Commutationis voluntatis*, 22 *sept*. 1742.

3. Anniversariorum reductio, quoad novem, quorum ignorabatur fundatio, sed onera acceptata a capitularibus ecclesiæ cathedralis fuerant, denegatur; quoad vero reliqua, quorum reditus sunt imminuti Episcopo juxta instructionem [125] commendatur : *Vallisoletana, Reductionis anniversariorum*, 8 *aug*. 1761.

4. Bartholomæus de Saxis imposuit duobus hæredibus celebrationis onus trium anniversariorum in ecclesia PP. S. Francisci oppidi S. Joannis in Perciseto implendorum. Facta divisione vigore cessionis domus cujusdam Petrus, Antonius Sarti hæres onus præfatum sibi assumpsit perpetuo explendum, et indemnem fratrem relevandi ab omni caducitatis pœna in casu detractionis a testatore comminata. Domus vero combusta fuit ob causale incendium; hæredes dicti Petri Antonii reductionem anniversariorum petierunt. S. C. tamen locum esse adimplemento anniversariorum ad formam fundationis, non autem illorum reductioni, vel suspensioni decrevit : *Bononien., Annivers.*, 26 *januar*. 1771.

5. Reductio anniversariorum capitulo ecclesiæ collegiatæ, ac parochialis S. Nicolai a S. C. juxta modum [126] concessa fuit. Nam anniversaria, quæ exiguos habent reditus, sunt numero 1200, favetque Episcopus, ac quum tantum 14 canonici essent, quorum demptis tribus pro Missa solemni, altero pro subsequenti canenda, parocho, collectore redituum capituli, et sæpe alio juste absente, duo, vel unus tantum ex canonicis choro adsistant, quod populo adstanti offendiculum parit : *Pampilonen.*, 2 *dec*. 1775.

6. Anniversarium ordinatum a Vincentio Lucatelli societati Suffragii in ecclesia S. Spiritus erectæ ex deficientia bonorum ob aliorum onerum implementum, ad unicam Missam lectam reducitur : *Pisauren., Missarum*, 29 *novem*. 1777, *dub*. 2.

7. Quæsitum quum esset, an, et quomodo sit locus reductioni anniversariorum simplicium, quæ cum interventu canonicorum participantium hebdomadalium celebrantur? et an, et quomodo sit anniversariorum duplicium, quæ sunt ab universo interveniente capitulo, et clero peragenda, reductioni locus? S. C. rescripsit, utique esse locum juxta Card. de Zelada votum [127] : *Conversana, Reductionis onerum*, 27 *junii* 1778, *dub*. 2 *et* 3.

8. Non Missas 145 de anniversario, sed illas 89 nuncupatas de prima, quibus gravatur capitulum cathedralis ecclesiæ, diminuit S. C, redegitque ad tot Missas lectas, quot ad rationem taxæ perpetuæ celebrari poterunt ex integra distributione assignata unicuique Missæ dictæ *de prima*, ne canonici assistere choro plus æquo premerentur : *Bracharen., Reductionis onerum*, 16 *januar*. 1779.

9 Onus anniversariorum, quod capitulo et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Pauli prope Treviros ponderosum est, fundationem, bona, cæterosque reditus, quia archivum capitulare ex infortuniis deperiit, minime habet : S. C. reducendum esse cen-

[125] Quæ fuit, ut si quæ sunt anniversaria dotem ex censibus haud constitutam habentia ad illorum reductionem minime procedat. Alia vero, quorum dotes in censibus consistunt, et in certo numero a fundatoribus præscripta sunt, auctoritate S. C. reducet ad rationem eleemosynæ, quæ regulariter, et communiter solet in regione præstari pro similibus anniversariis, quatenus infra eamdem quantitatem diminuti sint reditus constitutarum dotium etiamsi major eleemosyna fuisset a capitulo ab initio percepta ex dotibus a fundatoribus relictis : cætera vero anniversaria in indefinito relicta, et ex voluntate fundatorum adimplenda ad rationem certæ eleemosynæ singulis anniversariis attributæ pro modo quantitatis fructuum assignatæ dotis ea celebrari præcipias ad rationem eleemosynæ a fundatoribus taxatæ, juxta quantitatem fructuum, qui singulis annis percipiuntur : *Registr. Lit., lib*. 32, *die* 8 *aug*. 1761.

[126] Nempe celebrato uno ex anniversariis, de quibus agitur die non impedito, nec non aliis anniversariis recentioribus juxta votum Episcopi, et præterea celebratis tot Missis lectis pro intranti quantitate summæ assignatæ pro anniversariis solemnibus, reductis ad ratam tamen taxæ perpetuæ, et rescripsit ad D. secretarium cum Sanctissimo. Factaque de præmissis per infrascriptum secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua S. C. sententiam approbavit, et respective confirmavit die 10 januar. 1776. *Lib*. 125 *Decret*. pag. 467.

[127] Censet enim eminentissimus Card. de fundationibus, quarum capitalia relicta adhuc distincta perseverant, si illorum reditus pro onerum implemento non sufficiant, tunc reductioni locus esse poterit, sed ita reductio erit decernenda, ut anniversaria ad totidem Missas lectas reducantur. De illis autem, quarum origo ignoratur, et bona sunt confusa, anniversaria simplicia ad Missas lectas; duplicia vero, nempe illa, quæ celebrantur cum interventu omnium canonicorum, juxta modum pro simplicibus hucusque servatum reducenda putat, dummodo tamen non major summa, quam carolenorum viginti pro unoquoque impendatur, quod si hæc summa non sufficiat, tunc ista etiam anniversaria ad totidem Missas lectas reducantur. Advertendum tamen, ut tam Missæ quam anniversaria, collatis in unum suffragiis, pro omnibus benefactoribus applicentur : *Ead. causa*, 30 *maii* 1778, § 8 *seq*.

suit, quo vero ad modum arbitrio Card. Archiepiscopi cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis commisit : *Treviren.*, *Reductionis anniversariorum*, 17 *april.* 1779.

10. Officiales societatum sanctissimi Sacramenti, et Beatissimæ Virginis Rosarii, quorum exigui sunt reditus, exorarunt pro gratia anniversariorum reductionis, vel suspensionis per lapsum 20 annorum, ut facto pecuniarum cumulo altarium, oratoriorum, sacrarumque supellectilium necessitatibus occurreretur; S. C. precibus annuit, sed juxta modum [128] : *Mutinen.*, *Suspensionis vel reductionis onerum*, 20 *januar.* 1781.

11. Anniversaria relicta ab Antonio Pelucchi ad totidem Missas cum cantu simplici sunt reducenda; quum hæreditas illius ad omnia legata adimplenda non sufficeret : *Romana*, *Capellaniarum et legatorum piorum*, 23 *sept.* 1777, *dub.* 1. Inde adauctum fuit illius hæreditatis patrimonium, hinc S. C. anniversariorum adimplementum ad formam testamenti peritiæ, et renunciationis voluit: 9 *apr.* 1785.

12. Anniversariorum, quibus una cum Missis lectis Carolus Vivarus in solidum Stephanum Gibbonem, et Antonium Costam gravavit, simplicibus hæredibus Costæ, licet fundus illi obtentus impar oneri videatur, reductio S. C. denegatur : *Lunen.*, *Sarzanen.*, 27 *julii* 1789.

13. Canonici ecclesiæ collegiatæ oppidi Civitellæ anniversariorum, quæ a nonnullis suppressis societatibus proveniunt, reductionem implorarunt. Aiunt enim, deficiente testamentaria dispositione, ex voluntaria obligatione, ac facultativa inducta ea fuisse; eorum præbendarum reditus in scutis 37, 33, tot oneribus minime cohærentes, habere. Hinc S. C. reductionem petitam juxta tamen votum Episcopi [129] indulsit : *Brictinorien.*, *Reductionis Missarum*, 19 *dec.* 1789, *dub.* 1.

14. Ob imminutas censuum usuras, tenuesque terrularum fructus, imminuti etiam canonicatuum duorum fundationis Marii Savallii reditus, vixque ex decenni calculo annua attingunt scut. 52, 32, omnibus vero detractis Missarum, anniversarii, et cameralium contributionum oneribus in scut. 14, 68, vix supersunt 10, 64, seu scut. 5, 32 pro quolibet; supplicant idcirco pro reductione onerum, et S. C. indulsit juxta votum Episcopi [130] : *Fetrana*, *Reductionis onerum*, 16 *maii* 1795.

15. Nicolaus Marcantonii tempore, quo petiit reductionem trium subsidiorum dotalium scut. 8 pro quolibet, etiam anniversarii cum sacris 50 quibus gravatur ex testamento Angeli Antonii Marcantonii ejus consobrini, et S. C. reductionem denegavit. Nam adiit hæreditatem absque inventario; et sufficienter non reddidit illius rationem redituum redundantiæ : *Firmana*, *Reductionis onerum*, 18 *julii* 1795, *dub.* 1.

16. Omnia legata pia, quibus gravatur ecclesia parochialis S. Laurentii oppidi Liburni confusa fuerunt, ut eorum fundi in unum coaluerunt sacrarium. Sed quum reditus illius sacrarii non excedit scut. 120 annua, et onera Missarum sunt 34 hebdomadalium, 7 menstruarum et anniversaria; hujus rei causa Missarum petita reductione, etiam anniversariorum fuit postulata reductio; quam S. C. denegavit quoad legata certum fundum habentia; et concessit in reliquis, celebratis una cum tot Missis tot anniversariis ad taxam manualis, quot supersunt reditus sacrarii, deductis sacrarum supellectilium expensis : *Casalen.*, *Reduct. Missarum*, 21 *jan.* 1797.

ANNIVERSARIUM.

§ I.

Anniversarium a quibus, et quomodo celebrari debeat [131].

1. Quum testator quidam hæredem onere celebrationis anniversarii Missarum 15 gravasset, et parochus recitandum quoque esse officium defunctorum, et Missam cum cantu celebrandam contenderet; S. C. supplicavit hæres, ut decerneret, se ad nil aliud teneri, quam ad faciendum annuas

[128] « Nempe quod Missæ quæ celebrantur, atque onera, quæ proveniunt ex mera consuetudine utriusque Sodalitii reducantur ad unum anniversarium pro quolibet in octava omnium fidelium defunctorum. Missæ vero, quæ proveniunt ex dispositione fundatorum suspendantur ad quinquennium, celebratis tamen duabus Missis in qualibet hebdomada ab unaquaque sodalitate pro animabus fundatorum in genere; et qui supererunt reditus erogentur ab utraque sodalitate in comparandis suppellectilibus sacris, et in refectione altarium dumtaxat, quæ sita sunt in ecclesia parochiali, non autem Ordinariorum, et ad mentem : et mens est, ut Episcopus incumbat adimplemento, et curet etiam, ut parochus aliquid conferat in refectionem altarium. » *Ead. causa*, 20 *januar.* 1781.

[129] Qui concludit : « Oratorum votis EE. PP. opposito modo indulgeatis, quum pio cuilibet desiderio fiat satis diuturna applicatione Missæ conventualis, ne ulterius decrescant tenuissimi reditus in præjudicium eorumdem oratorum, qui a sexcentis annis undique premuntur oneribus. » *Ead. causa*, 28 *nov.* 1789, § 3.

[130] Qui censet oratores mereri « reductionem petitam, ut vivere possint, saltem eos liberando ab anniversario celebrando in anno, et a duarum Missarum celebratione in hebdomada » et addit rationem. « Qui altari inservit, de altari vivere debet. » *Ead. causa*, 16 *maii* 1795, § 3.

[131] A S. C. Rituum hoc emanavit decretum. P. Fr. Joseph a B. M. V. prior, et fratres ordinis Carmelitarum

Missas 15 juxta testatoris voluntatem; et S. C. anniversarium intelligi deberi de 15 Missis privatis tantum eodem die testatoris obitus celebrandis declaravit: *Placentina*, 13 *jan.* 1691.

2. Stephanus Franzonus societati Carmelitanæ Casalis Majoris quoddam prædium cum onere anniversarii reliquit Hoc onus hisce verbis expressit; *Un officio con diciotto sacerdoti, con il sagrificio, e messa cantata*; et infra addidit: *Con che pigli il Sig. arciprete di S. Stefano con tutti li suoi beneficiati ovvero canonici, quando ci fosse la canonica.* Hinc ortum est dubium, an et cum quo numero sacerdotum tam quoad Missas, quam quoad assistentiam præmissa voluntas sit adimplenda? S. C. rem Episcopo mandavit pro informatione, et voto juxta instructionem [132]: *Cremonen.*, *Anniversarii*, 27 *maii* 1702.

3. Etsi in tabella onerum legantur descriptæ duæ Missæ quotidianæ privatæ, totidemque solemnes in singulos annos quoad exequutionem voluntatis Mariæ de Viguerod Ducissæ de Aiguillon; S. C. testamento perpenso, teneri patres Missionis Urbis ad 5 Missas quotidianas, et duo anniversaria una cum 12 Missis annuis in festivitatibus SS. Apostolorum statuit: *Romana, Onerum Missarum*, 13 *april.* 1709, *dub.* 1, confirmata 6 *julii ejusd. anni.*

4. Et tempore celebrationis anniversariorum a dictis Patribus esse celebrandas non 12, sed a singulis existentibus in domo missionis; licet antea 12 presbyteri essent dumtaxat: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.* [133].

5. Maria Rinalda Follachia ecclesiæ PP. Tertii Ordinis S. Pauli ad Arenulam scuta 1150, in favorem suæ animæ legavit. Patres proinde anniversarium, ac lectas Missas confecerunt, sed prætendunt, quod obligatio ab his suscepta fuerit sine capituli conventualis consensu, et pecunia minime in fundo fructifero fuerit investita. Conscientiæ patres consulere volentes exquirunt S. C. oraculum super hac celebratione. Et hæc definivit illos ex debito justitiæ ad anniversarii celebrationem, ac Missarum in die obitus dictæ testatricis non arbitrarie, et ex ultroneo grato animo teneri: *Romana*, *Applicationis Missarum*, 24 *aug.* 1709, *dub* 2.

6. In revisione onerum Missarum peracta in sacrario basilicæ S. Mariæ Majoris Urbis reperta fuit quædam antiqua tabella inscripta, *Missæ defunctorum a RR. DD. beneficiatis S. Mariæ Majoris per tertiarias decantandæ*, ac demandatum fuit adimplementum hujus oneris nunquam expleri, ac instantibus canonicis, et beneficiatis, S. C. rescripsit: *Dilata, et concordetur factum coram D. secretario, prævia exhibitione librorum, et aliorum jurium necessariorum arbitrio ejusdem, et præcipue Catastri capituli; Romana, Anniversariorum*, 20 *sept.* 1710. Ac inde voluit fieri novas diligentias per prælatum deputandum a Cardinali Paracciano; et interim sine præjudicio jurium partium, et per modum provisionis dividantur onera anniversariorum, ut scilicet canonici celebrent 34 anniversaria, beneficiati 20, facta hinc inde obligatione de reficiendo erogatum in celebratione alteri parti in casu succumbentiæ: 27 *junii* 1711.

7. Capitulo ecclesiæ cathedralis sibi vindicante jus celebrandi anniversaria, recolendi præcipue quæ vulgo dicuntur, *terzi*, *settimi*, et *trigesimi*, in quibusdam ecclesiis regularium, et societatum ex piorum disponentium voluntate, Crucis vexillo erecto occasione funerum peragenda, patres Dominicani insurrexerunt, et S. C. decrevit dictis patribus licere in propria ecclesia persolvere dicta anniversaria, tam pro his, qui tumulati reperiuntur in dicta ecclesia, quam extra, necnon alia, et quæcumque anniversaria, et pro his eleemosynam recipere; nec hæc omnia privative spectare ad capitulum prædictum in eadem ecclesia Patrum agenda: *Ruben.*, *Juris funerandi*, 28 *julii* 1731, *dub.* 1.

8. Lucarella Lanutia capitulo basilicæ Lateranensis medietatem cujusdam domus, sitæ in regione Pontis e conspectu palatii cancellariæ apostolicæ, quam antea a capitulo emerat, adjecto onere anniversarii dedit. Onus impositum adimpletum nun-

excalceatorum conventus Berdiczoviæ diœcesis Kioviensis humillime S. R. C. supplicarunt pro resolutione sequentis dubii, an anniversaria, et Missæ solemnes *de Requiem* a testatoribus relicta in ecclesia prædicti conventus Berdiczoviæ persolvenda, cantari, et celebrari omnia debeant diebus, quibus cadunt, seu potius spectata illorum pluralite, transferri possint in dies etiam ritus duplicis, dummodo non sint de præcepto, quando dies feriales, et ritus semiduplicis non sunt sufficientes? « S. C. audito voto prius unius ex apostolicarum cæremoniarum magistris scripto exarato, typisque evulgato censuit rescribendum. » Consulendum Sanctissimo pro concessione indulti, ut feria secunda cujuslibet hebdomadæ, etiam occurrente officio duplici, non tamen primæ, aut secundæ classis, et festis de præcepto, celebrari possint anniversaria etiam translata. *Die* 25 *febr.* 1777, et benigne Sanctitas Sua annuit *die prima martii ejusd. anni*

[132] Scriptum fuit Episcopo, ut unius mensis terminum dictis confratribus præfigat ad faciendum proponi causam in S. C., eoque elapso, et nemine comparente, Episcopus utatur jure suo, et prout juris fuerit, procedat: *Regist. lit. lib.* 23, *die* 13 *maii* 1702.

[133] Pro presbyteris dictæ congregationis plurima congessit advocatus Dominicus Ursaya, dum defensionem hujus causæ suscepit, quod apparet *ex Discep. Eccles III*, tom. 5, part. 1, per tot.

quam fuit post donatricis mortem, eo quod ad capitulum domum illam non pervenisse constat. Quum capitulum in præsentiarum domum reditus sufficientis in dicta regione e conspectu palatii antiqui Cancellariæ possidere compertum esset, nunc sub proprietate ducis Sfortiæ, propterea, an adimplere onus dictum teneatur, requisivit a S. C., quæ Dilata, respondit, et pro meliori informatione juxta modum: *Romana, Onerum Missarum*, 16 *martii* 1715, *dub.* 1.

9. Deinde quum constaret de identitate alterius domus relictæ ab Episcopo Tornacensi capitulo prædicto, ac idem capitulum adstrictum fuisse per seculum et ultra, oneribus Missarum, et anniversarii; S. C. censuit ad onus Missæ hebdomadalis, et anniversarii teneri. Nam, etiamsi adimplementum oneris, quum fuerit domus in emphyteusi concessa pro tenui canone, intermissum fuerit: tamen absoluta amphyteusi reditus auxerunt: *Ibid., dub.* 2.

10. Joannes Jacobus Ferrarius jure legati quamdam pecuniarum summam injuncto anniversarii perpetui onere una cum nocturno, et responsorio capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Juliani oppidi Goudiani reliquit. Hæredes mediati plures post annos capitulum judicialiter convenerunt, quod de adimplemento oneris doceret. Docere non teneri canonici de executione autumabant, quod permixte cum aliis fuerat celebratum. S. C. autem requisita ad dubium, an constet de adimplemento? Ad D. secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [134] rescripsit: *Novarien., Anniversarii*, 14 *maii* 1729, *dub.* 1.

11. Et ad alterum dubium: An quomodo sit in futuro providendum? servetur constitutio S. M. Innocentii XII *super celebratione Missarum* [135], et anniversarium in die præscribenda a Card. Ordinario celebratur, respondit: *Ibid., dub.* 2.

12. Anniversariorum celebratio, quorum onus societati sanctissimi Sacramenti in ecclesia cathedrali erectæ incumbit, et quæ ex diversis testatorum dispositionibus ducunt originem, per capiturales tantum ecclesiæ cathedralis, uti Episcopus etiam demandavit facienda est: *Lizuntina, Missarum*, 19 *novem.* 1729, *dub.* 2, confirmata 20 *aug.* 1735.

13. Celebrationi anniversariorum novem quolibet mense, et alterius anniversarii post octavam commemorationis defunctorum una cum 21 Missis lectis annuo stipendio duc. 50, quam fratres ordinis S. Augustini civitatis Asculi peragere consueverunt, locum esse tam pro præterito, quam in futurum ad formam decreti S. C. editi die 25 sept. 1700 [136]. S. C. definivit: Etiamsi patres prædicti contenderent eosdem ducatos dari pro assistentia spirituali societati S. Mariæ *del Soccorso*, et pro cadaverum associatione assuevisse: *Asculana in Apulia, Celebrationis Missarum*, 16 *martii* 1737.

14. Hæredibus Leonardi Justiniani licet persolvi facere in altari sub invocatione S. Liborii existenti in ecclesia S. Mariæ Misericordiæ extra oppidum Montis Raynaldi, et intra parochiam a proprio capellano, et sacerdotibus exteris, tam Missas lectas, quam cum cantu in anniversario ex Leonardi dispositione peragendo, nec sacerdotes terrigenæ pro Missis lectis invitari debent, et Missa cum cantu in eodem anniversario privative a parocho cantari debet: *Firmana, Jurium parochialium*, 2 *dec.* 1747.

15. Quum patribus Scholarum piarum ecclesia parochialis S. Francisci de Paula, suppressa a Benedicto XIV, Pont. Max., ecclesia collegiata SS. Mariæ, et Hilarii, concessa fuerit, iidem patres quæsiverunt, an teneantur singulis annis adimplere quinque anniversaria pro benefactoribus in genere societatum inibi suppressarum eo modo, quo semper capitulum usque ad suppressionem prædictam satisfecit. Et S. C. teneri ad formam testamentorum resolvit: *Imolen., Jurium parochialium*, 20 *dec.* 1760, *dub.* 15.

[134] Cujus rescripti vigore facta relatione per eumdem secretarium Sanctissimo Domino Nostro die 21 januar. 1730, Sanctitas sua injuncta capitulo, et canonicis obligatione celebrari et applicari faciendi pro anima testatoris unum anniversarium pro unica vice, eosdem quatenus in aliquo defecerint, quoad præteritum misericorditer absolvit, supplendo de thesauro Ecclesiæ: *Lib.* 79, *decret. pag.* 230.

[135] Ex voto S. C. Concilii Innocentius XII edidit Constitutionem incipien. *Nuper a Congregatione* die 25 decem. 1697. (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 464), ubi præscribuntur nonnulla, quæ sunt eadem, ac edita ab Urbano VIII, Const. *Cum sæpe* sub die 21 junii 1625. (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 335). Et addit, præcipitque, ut teneatur locus pius, conventus etc. exposita publice tabella, in qua describantur onera Missarum quotidianarum, et in libro annotentur eleemosynæ manuales, quæ deferuntur, et si sacristiæ prævident, eas Missas celebrari ibidem non posse, recusentur eleemosynæ, et etiam fundationes capellaniarum. Sit etiam alter liber in sacrario, in quo sacerdotes describant Missas a se celebratas. Eleemosynæ Missarum perpetuarum, et manualium ponantur in capsa cum duabus clavibus; quarum una sit penes superiorem, altera penes alterum religiosum electum a capitulo conventuali sub pœnis inhabilitatis ad officia. Hæc statuta legantur bis anno in publica mensa.

[136] Cujus vigore S. C. commisit Episcopo, ut veris, etc., et vocatis, si qui fuerint vocandi, ac celebratis per oratores præfatis Missis 21; et anniversario post octavam defunctorum ad rationem eleemosymæ manualis, inspecto regionis more, cum super extantibus pecuniis, deleto onere associandi cadavera confratrum, tot alia anniversaria ad eamdem rationem eleemosynæ manualis pro suo arbitrio, et conscientia gratis celebrari mandavit: *Ead. causa*, 9 *febr* 1737.

16. Anniversaria simpliciter relicta, et absque ulla Missarum denotatione peragi debent cum officio mortuorum trium nocturnorum, vel saltem unius nocturni, necnon Missa cum cantu, et absolutione; alia vero peragenda sunt juxta formam a testatoribus præscriptam. Ita S. C. parocho ecclesiæ Ardoni loci Georgio Chulland respondit: *Sedunen.*, *Anniversariorum*, 8 *maii* 1775.

17. Anniversaria a testatore Carolo Solidi tam anxie præcepta, quæ penitus in distributione hæreditatis prætermissa fuerunt, celebrari, ac proinde fundum constitui S. Cong. decrevit: *Vercellen.*, 29 *april.* 1780.

18. Anniversarium unum quolibet anno infra octavam omnium defunctorum tenetur rector beneficii Assumptionis B. M. V. ecclesiæ collegiatæ Buxeti celebrare. Hoc enim onus ex visitatione 1604, quum fundatio ignoretur, resultat: *Burgi*, *S. Domnini*, *Beneficii*, 17 *martii* 1781.

19. Constare S. C. decidit de onere celebrandi annualem, seu anniversarium diem ante festum S. Aloysii certa præscripta forma; ac adimpiendum esse ex dispositione Petri Vismara censuit S. C., *Mediolanen.*, *Beneficii*, 18 *aug.* 1781, *dub.* 6

20. Anniversarii adimplemento locus est ad formam testamenti Antonii Pelucchi, peritiæ, et renunciationis. Nam tempore obitus testatoris satis non erat hæreditas ad onera implenda; et inde plurimi obierunt, quibus hæreditas subministrationem annuam præstare debebat; et idcirco adauctum fuit illius hæreditatis patrimonium; et hac de causa ab archiconfraternitate sanctissimi Suffragii Urbis obtenta reductio cessat: *Romana*, *Legatorum*, 9 *april.* 1785, *dub.* 1.

21. Quum Card. Sacripante ecclesiam Narniensem ære suo ornasset; capitulum grati animi causa annuam Missam solemnem eo vivente, ac post obitum anniversarium perfici statuit, ac promissa servavit usque ad diem obitus, a quo die nunquam illud explevit; idcirco marchiones Philippus, et Joseph fratres Sacripante per exhibitionem antiquæ resolutionis capitularis illius capituli memoriam excitarunt. Verum canonici contendunt veteres capitulares non potuisse successores obligare absque ulla Episcopi approbatione, ac licentia; et S. C. visum fuit locum esse celebrationi anniversarii: *Narnien.*, 18 *sept.* 1790.

§ II.

Anniversarium quoad emolumenta.

1. Ecclesia collegiata S. Mariæ de Alcacova oppidi Santarem erecta fuit in commendam ordinis militaris S. Benedicti de Avis. Ejusdem commendatarius exposuit declarationem, quod tam ipse, quam ejus successores emolumenta anniversariorum quæ relicta fuerint in eadem ecclesia, percipere possint, etiamsi in statu laicali versentur. Et S. C. respondit: *Utantur jure suo coram proprio judice; Ulyssiponen.*, *Anniversariorum*, 16 *martii* 1715.

2. Anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate fundatorum distribuuntur solum inter præsentes non debentur canonicis ecclesiæ cathedralis assistentibus Episcopo pontificalia exercenti, vel in suo palatio, vel aliis ecclesiis suæ diœcesis: *Bossanen.*, *Visitationis sacr. Liminum*, 6 *febr.* 1734, *dub.* 1.

3. Presbyteris participantibus ecclesiæ parochialis S. Mariæ de Colle oppidi Mormanni, qui interesse anniversario singulis annis pro defunctis Episcopis tenentur, nullum emolumentum ab Episcopo præstari debet: *Cassanen.*, 15 *dec.* 1736, *dub.* 6, confirmata 30 *martii* 1737.

4. Anniversarii emolumenta, spectata diuturna ac longa consuetudine, nequeunt percipere instar presbyterorum simplices clerici, licet beneficiati ejusdem ecclesiæ parochialis Turricellæ a Montegrino, sed ad interveniendum admittendi sunt: *Gerunden.*, *Admissionis*, 11 *julii* 1750.

5. Joseph Tamburellius e terra S. Ginesii hæredibus suis, sodalitiis nempe sanctissimi Sacramenti, sanctissimæ Trinitatis, et sanctissimæ Conceptionis mandavit, ut quolibet anno in perpetuum, convocatis omnibus regularibus, et societatibus dictæ terræ in ecclesia S. Mariæ Macularum anniversarium inibi celebraretur. Prædicti autem hæredes postularunt, quod annuo adimplendo anniversario tam modus celebrationis tam expensa in eo eroganda statueretur; et ad summam duorum scutorum solutio decreta fuit: *Camerinen.*, *Reductionis onerum*, 2 *dec.* 1780.

6. Sodalitium sanctissimi Suffragii Urbis hæres institutum ab Antonio Pelucchi cum onere anniversarii reductionem temporariam omnium legatorum consequutum est; inde patrimonium illius testatoris adauctum fuit, et legatum anniversari ad formam testamenti jussum fuit; et modo quoad stipendium pro illo, et a quo tempore debeatur, quæsitum quum fuisset, S. C. deberi pro nunc a die currentis dixit: *Romana*, *Legatorum*, 9 *april.* 1785, *dub.* 2,

§ III.

Anniversarium quoad locum celebrationis.

1. Anniversaria a testatore Petro Meloni relicta persolvi in ecclesia archipresbyterali Bagnariæ, et ad altare divi Antonii Patavini, mandatur. Et hac resolutione decreta Episcopi, occasione visitationis pastoralis, annis 1755 et 1756 edita confirmantur; an nonnisi injuria hodierni capellani, despecta plu-

rium annorum consuetudine, ab ea recedere prætendunt, et liberum sibi esse putant ea ubique celebrandi: *Imolen.*, *Legati*, 12 *martii* 1774, *dub.* 1.

2. Anniversaria et Missæ lectæ a capellanis choralibus ecclesiæ cathedralis una, eademque die implenda in pluribus altaribus a testatoribus designatis, cuncta in uno altari commissione data D. Secretario pro impetratione altaris privilegiati, celebrari possunt. Illi enim maximam populi, necnon celebrantium exponebant perturbationem: *Abulen.*, *Officiorum*, 30 *maii* 1778.

3. Quum peteretur anniversariorum implementum a presbyteris congregrationis S. Benedicti in ecclesia Hospitalis S. Joachim, minime vero in tot dissitis, ac diversis ecclesiis cum gravi incommodo, cum totidem desint in Hispania dies feriales, ac semiduplices; S. C. commisit Episcopo tabellæ eorumdem transmissionem, cum ecclesiarum, in quibus ea sunt celebranda, indicatione, et illarum consensus pro translatione, quatenus provideri non possit per decretum Alex. VII, Pont. Max. [137], necnon resolutionem distulit: *Abulen.*, *Anniversariorum*, 30 *maii* 1718. Hisce omnibus satisfecit Episcopus monuitque quod per decretum Alexandrinum provideri non valet; hinc S. C. gratiam indulsit, exceptis tamen anniversariis in ecclesia cathedrali celebrandis, et firma remanente Missarum lectarum in designatis ecclesiis satisfactione: *Ibid.*, 15 *maii* 1779.

4. Quum conventus patrum S. Augustini oppidi Chiavennæ Landæ suppressus fuerit, et ejus ecclesia pro nova parochiali fuerit assignata, anniversaria a Cæsare Casati instituta, et ab ipsis patribus dicti oppidi acceptata, sunt adimplenda in eorum ecclesia Burgi S. Domnini, servata forma fundationis: *Placentina, Legati pii*, 23 *novem.* 1782, *dub.* 2.

§ IV.

Anniversarium quoad suspensionem.

1. Officiales sodalitiorum sanctissimi Sacramenti, et Beatissimæ Virginis Rosarii, quorum tenues sunt reditus, supplicarunt pro gratia suspensionis anniversariorum, vel pro reductione per lapsum 20 annorum, ut facto pecuniarum cumulo altarium, oratoriorum, sacrarumque supellectilium necessitatibus occurreretur. S. C. precibus annuit, sed juxta modum [138]: *Mutinen.*, *Suspensionis vel reductionis onerum*, 20 *januar.* 1781.

2. Anniversaria relicta a sacerdote Francisco Uzzini per quinquennium æris alieni dimittendi causa suspenduntur juxta transactionem initam inter creditorem, et seminarium Melitæ hæredem, celebrato uno tantum anniversario durante quinquennio: *Melevitana, Transactionis*, 15 *maii* 1790.

Annus probationis tirocinii. Vide *Professio religiosa*, § i.

Anticipatio. Vide *Subsidium dotale*, § i.

ANTIPHONA.

Antiphona a quibus præcinitur.

1. Ab archipresbytero curato ecclesiæ cathedralis, quæ unica est parochialis, præcentio antiphonæ, ac psalmorum, dum defunctorum cadavera ad ecclesiam patrum Carmelitarum deferuntur, ibidem tumulanda, non a prædictis patribus, fieri debet: *Tranen.*, *Juris funerandi et processionis*, 21 *novem.* 1750, *dub* 6.

2. Antiphonæ *Exultabunt Domino* præcentio, dum cadaver effertur e domo defuncti a proprio ipsius defuncti parocho, minime vero a prima dignitate, vel capituli cathedralis ecclesiæ digniore facienda est: *Faventina*, *Præeminentiarum et funerum*, 7 *junii* 1760, *dub.* 2.

3. Antiphonam *Si iniquitates* præire cantu non capitulum ecclesiæ metropolitanæ, sed parochus ecclesiæ parochialis S. Agricolæ, dum idem capitulum ad funera parochiæ incolarum S. Agricolæ vocatur, debet; et idem de cadaveris aspersione, antequam e domo educatur, statutum fuit: *Avenionen.*, *Jurium parochial.*, 22 *martii* 1766, *dub.* 4 confirmata 21 *novem.* 1778.

4. Præcentio antiphonæ, et cantus orationis pertinet ad superiorem Conventualium oppidi Capranicæ, quum in supplicationibus divi Marci, et rogationum ad eorum ecclesiam accedat capitulum collegiatæ ejusdem oppidi, juxta Episcopi votum: *Sutrina*, 6 *dec.* 1794, *dub.* 3.

Antiquæ erectionis canonici. Vide *Canonici*, § v.

Antistes. Vide *Episcopus*.

[137] Incipien. *Creditæ nobis* sub die 22 jan. 1667 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 6, pag. 141), in qua Missæ de requiem diebus, in quibus fit officium duplex, prohibentur; sed anniversaria, et Missæ cantatæ de requiem relictæ a testatoribus quotannis cantandæ in die obitus, etiam in duplici majori celebrari de requiem possunt, et ad altaria privilegiata Missæ de requiem pro defunctis; etiamsi dicantur de duplici, tamen satisfit intentioni defunctorum volentium Missas de requiem. Deinde Clem. IX. Const. *Cum felicis*, 23 sept. 1669 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 6, pag. 358), dubia orta super præcedenti decreto de altaribus privilegiatis declaravit.

[138] Vide not. 128.

APERITIO ORIS.

1. Beneficiati, et clerici beneficiati liberianæ Basilicæ Urbis arbitrium pro aperitione oris adversus breve Innoc. XI, Pont Max., poposcerunt. Hoc breve, quo servitium nocturnum, et diurnum, prout ab archipresbytero prædictæ basilicæ Card. Boncompagno una cum distributionum assignatione fuerat ordinatum, eisdem beneficiatis, ac clericis beneficiatis mandatum erat, vitio obreptionis, ac subreptionis laborare asseritur. Assignatio prædicta effectu caruit, ideo dicti beneficiati, ac clerici beneficiati in servitio consueto per tertiarias continuarunt, quod minime Summo Pontifici fuit enunciatum. Hinc S. C. aperitionem oris indulsit: *Romana, Servitii ecclesiæ*, 6 *octob.* 1703.

2. Ecclesia collegiata S. Mariæ della Rotonda oppidi Lucronii indultum insignitatis a Benedicto XIII, Pont. Max., annuente Episcopo, ac prævio S. C. voto collegit. Capitulum, et canonici in vim insignitatis hujusce sese jactarunt, sede vacante, a capitulo cathedralis visitari non posse; ideo capitulum hoc pro aperitione oris adversus præfatum breve insignitatis, tamquam subreptitie obtentum, et sibi summopere præjudiciale supplicavit; sed non valuit exaudiri: *Calaguritana, Juris visitandi*, 30 *sept.* 1730, *dub.* 1.

3. Communitas S. Leonis, ac provincia Feretrana exoptans restitutionem cathedræ episcopalis translatæ ad civitatem Pinnæ Billorum, præsidium olim ducis Urbini a S. Pio V, Pont. Max., motu proprio, institit coram clar. mem. Benedicto XIII, qui motu proprio omnia ad antiquum statum reposuit, ecclesiamque Pinnæ ad collegialem, prout ante prædictam translationem constituta erat, reduxit. Putans communitas Pinnæ hunc postremum motum proprium subreptitie, ac obreptitie fuisse obtentum, efflagitat, utrum intret arbitrium pro aperitione oris; vel motus proprius sit exequendus? et arbitrium utique intrare, motumque proprium minime esse exequendum, S. C. respondit: *Feretrana, Cathedralitatis*, 13 *jan.* 1731, *dub.* 1, confirmata 28 *julii, ejusd. anni.*

4. Episcopus civitatis Plebis reditus a Ludovico Manni communitati datos cum onere alendi duos juvenes pro rata 100 scutorum, qui studiis legatibus, seu theologicis, Romæ, Perusiæ, seu alio commodiori loco incumberent, et duo distribuendi subsidia dotalia, et duas cum onere duarum hebmadalium Missarum creandi capellanias seminario applicandas cogitans breve a Pontifice S. M. Benedicto XIII adeptus est, quo expetita unio demandata est ea lege, ut duo a donante præscripti juvenes, aliique duo, seu tres a concilio publico nominandi in eo seminario alerentur. Adversus hoc pontificium breve tam civitas, quam familia de Mannis ad subsidia, et ad studii legatum vocata recursum habuerunt, et pro oris supplicarunt aperitione, et vicerunt: *Civitatis Plebis, Commutat. voluntatis*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 1.

5. Hinc expostulavit etiam, num esset idem Breve observandum? Sed S. C. respondit consulendum esse Sanctissimo pro reformatione brevis juxta modum exprimendum [139] a Card. præfecto: *Ibid., dub.* 2. Sua iterum jura experiundi communitati tributa facultate dictum fuit in decisis, aucto tamen onere aliarum duarum Missarum qualibet hebdomada: 18 *aug.* 1731.

6. Intrare arbitrium pro aperitione oris decrevit S. C. adversus motum proprium Benedicti XII Pont. Max. in favorem Episcopi Aquilani editum, quo ab archipresbytero S. Blasii civitatis Aquilæ, ejusque successoribus omnimodam jurisdictionem dismembravit, illamque plenarie univit ordinariæ jurisdictioni Episcopi, reservando tantum archipresbytero curam animarum cum prærogativa dignitatis principalis, contra immemorabilem consuetudinem, ac resolutiones S. C., in quibus ejusdem

[139] Modus autem est: primo, quod perseverari debeat jus passivum in electionibus juvenum, et puellarum in favorem personarum familiæ Mannæ a donante contemplatarum. Secundo, quod præservari debeat jus activum in favorem capitis familiæ Mannæ pro duabus vocibus, et pro aliis duabus vocibus in favorem communitatis; in casu vero discordiæ inter prædictos caput familiæ Mannæ et communitatem, post quindecem dies a die notificationis, quoad dotes puellæ nominatæ extrahantur ad sortes, et quoad juvenes prælatio inter nominatos spectet ad Episcopum; in casu vero non factæ nominationis intra dictum tempus, tunc electio tam juvenum, quam puellarum ad Episcopum libere devolvatur. Tertio, quod per juvenes ut supra eligendos, vel etiam passive vocatos servandæ sint conditiones a donante impositæ contra absentes. Quarto, quod deleto onere aucto in breve Benedicti XIII distribuendi tertium subsidium dotale; teneatur seminarium in propria ecclesia per presbyterum a communitate eligendum, et nutu amovibilem cum assignatione annuorum scut. 15 celebrari facere Missas duas qualibet hebdomada cum applicatione sacrificii pro anima bon. mem. Ludovici Manni, et juxta intentionem ab eo explicandam in secunda donatione anni 1724. Quinto demum, quod omnia, quæ non adversantur præsenti declarationi, et sunt demandata in brevi, de quo agitur, habeant suum plenum effectum, et omnino exequantur; hinc facta relatione Sanctissimo, Sanctitas sua approbavit die 2 maii 1731. *Lib.* 81, *Decret. fol.* 5 *seqq.*

archipresbyteri in favorem plura decreta fuerunt: *Aquilana, Jurisdictionis super aperitione oris*, 5 *maii* 1731, *dub.* 1.

7. Testamentarii exequutores Laurentii de Laurentiis demandatas Missarum celebrationes in diversis ecclesiis fieri debere declararunt. Capitulum ecclesiæ cathedralis a Benedicto XIII, Pont. Max., assequutum est breve, quo residuum piæ hæreditatis ab hærede confraternitate S. Benedicti dismembraretur, massæque communi cathedralis uniretur, et applicaretur ad effectum satisfaciendi dictis oneribus et residuum pro distributionibus quotidianis, vel in alios usus erogandi juxta Perusini Episcopi arbitrium. Confraternitas præfata dictum breve impugnandi facultatem obtinuit, illudque subreptitium prætendit. Postulato hinc an esset locus oris aperitioni? responsum fuit: Scribatur Episcopo juxta instructionem [140]: *Perusina, Commutationis voluntatis*, 5 *maii* 1731, *dub.* 1. Retulit Episcopus proventus capituli varios ob casus magnum detrimentum subiisse; et S. C. locum non esse oris aperitioni definivit: 9 *aug.* 1732. Replicabatur, quod applicatio hujus hæreditatis massæ capitulari emolumentum nullum præ tenuitate afferat, et quod præbendæ haud erant tenues. Num itaque standum, vel recedendum a decisis exquisito responsum prodiit: *Dilata, et Episcopus interim mandet celebrari Missas ex pecuniis depositis ad rationem eleemosynæ manualis: necnon de exequutione certiorem reddat S. C., et ad D. Secretarium juxta mentem* [141]: 6 *febr.* 1734.

8. Chirographum Benedicti XIII, Pont. Max., reportavit capitulum ecclesiæ cathedralis, quo, considerata solutione scutorum mille in alia pia opera erogandorum, confirmatur applicatio proventuum cujusdam legati pii in favorem pauperum relicti, ab Episcopo et capitulo facta anno 1680, in reparatione dictæ ecclesiæ; item liberatur capitulum a reddenda ratione fructuum dicti legati in eam causam impensorum; ac denique mensæ capitulari pecunia ex fructibus dicti legati congesta unitur, ac incorporatur, et quidquid ad hoc legatum pertinet, necnon deinceps ab hac distributione eximitur, subrogato alio onere. Adversus hunc chirographum petitur modo aperitio oris, et conceditur. Nam, annis 1700 et 1703, binæ resolutiones S. C. [142] huic oppositæ præcesserant: *Gerunden., Vestarii*, 7 *julii* 1731, *dub.* 1.

9. Heva Zakorosuscha ante legitimam ætatem matrimonium contraxit cum Antonio Radechi. Ad legitimam ætatem cum pervenisset, Heva matrimonio contradixit, et nullum fuit matrimonium declaratum. Religiosum itaque induit habitum, et expleto tirocinio solemniter vota in eodem monasterio emisit. Sed statim infringere professionem frustra tentavit; hinc e monasterio fugam arripuit, et cum Antonio sobolem procreavit. Ambo ad Pontificem Max. confugerunt, et Congregatio particularis deputata constare de validitate matrimonii, sed ad cautelam esse consulendum Sanctissimum pro illius convalidatione in radice, resolvit. Quod decretum breve pontificium confirmavit. Quum autem exposuisse oratores matrimonium ante ingressum in religionem consummatum fuisse pateret; et reclamatum esset a monasterio pro votorum validitate; hinc causa remissa ad S. C. cum facultate aperitionis oris concedendi; hæc nihil de aperitione oris, addendo ad mentem, respondit: *Wilnen., seu Luceorien., Matrimonii et professionis*, 21 *junii* 1732, *dub.* 1.

10. Aperitio oris denegatur a S. C. adversus Bullam Benedicti XIII, Pont. Max., anno 1727 editam, qua, audito Archiepiscopo *ex rationabilibus, et justis causis sibi notis*, sodalitium B. M. V. de Misericordia oppidi nuncupati *Civitas nova* suppressit, plenoque jure capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Pauli ejusdem oppidi quæcumque bona, onere Missarum manente, ac aliis pietatis officiis, quæ a sodalibus præstabantur, addixit; etiamsi sodales extinctæ societatis reclamassent: ac non constare de capituli redituum tenuitate retulissent, Bullamque idcirco esse subreptitiam contendentes: *Firmana, Aperitionis oris et reintegrationis*, 6 *dec.* 1732, *dub.* 1.

11. Benedictus XIII, Pont. Max., constitutione imperavit, ut possessores prædiorum, quæ intra fines illius parœciæ sita sunt, tributum in annuis scutis centum parochiali ecclesiæ S. Francisci in Monte Mario solverent. Possessores alienam fore mentem Pontificis, si rem totam perspectam habuisset, existimarunt. Probabant itaque satis consultum per proventus a fundatore Bartholemeo

[140] Datæ fuerunt litteræ, quibus referre jubebatur, an, et quot annui proventus destinati essent quotidianis distributionibus, antequam canonici apostolicum illud diploma impetraverint. Itemque quot essent annui fructus singularum præbendarum, et num ex iis detrahi posset aliqua portio in distributiones convertenda; *Ead. causa*, 23 *januar.* 1734, § 5.

[141] Mens fuit: S. C. edoceri cupit circa veram quantitatem capitalium, et fructuum capituli cathedralis, necnon præbendarum, et distributionum, ac etiam circa alienationes factas a societate S. Benedicti: *Regist. lit. lib.* 28, *die* 6 *maii* 1734.

[142] Prima die 25 sept., secunda 3 martii, in quibus applicatio præcitata facta tam ab Episcopo, quam a canonicis, et capitulo non sustineri deciditur, necnon præcipitur redintegratio legati pii, ac redditio rationis fructuum ejusdem legati coram Episcopo peragenda.

Nerio donatos religiosæ familiæ B. Petri de Pisis, ut spirituali ruricolarum saluti prospiceret. Aperitionem hinc expostulabant oris; sed concessum illis est, ut firmaretur status cœnobii : *Romana*, *Aperitionis oris et congruæ*, 27 *junii* 1733, *dub.* 1. Iterum proposita causa, rescriptum est, ad Card. præfectum pro concordia : 9 *januar.* 1734.

12. Aperitio oris super apostolicum chirographum Benedicti XIII, Pont. Max., pro cumulo dotium scut. 400 pro singulis filiabus quinque Septimii Alberti descendentis testatoris Francisci Surci permissa fuit. Officiales societatis sanctissimæ Annuntiationis, ad quam hæreditas pervenit, contendebant subreptionis, ac obreptionis vitio chirographum laborare, tum quia orator bona hæreditaria ascendere ad scuta 60,000 supposuit, quum ea scuta 10,950 non excedant; tum quia reticuit testatorem prævidisse casum, quo ad subsidia dotalia concurrere potuissent puellæ sanguine conjunctæ, quibus tradi duc. 100 singulatim decernit : *Romana*, *Aperitionis oris et subsidiorum dotalium*, 9 *febr.* 1737.

13. Aperitio oris adversus breve Clementis XII, Pont. Max., per canonicos ecclesiæ cathedralis impetratum, quo fuerat eis tributa facultas convocandi capitulum libere, independenter ab Episcopo, et sede vacante ab archidiacono, quoties agendum foret de litibus vertentibus, vel excitandis inter capitulum ipsum, et Episcopum, ac archidiaconum, fuit tributa, nec non reducendum esse dictum Breve ad terminos indulti Julii III [143], Pont. Max., censuit S. C. : *Gerunden.*, *Juris convocandi capitulum*, 13 *sept.* 1738, *dub.* 1 *et* 2, confirmata 24 *januar.* 1739.

14. Denegavit S. C. aperitionem oris adversus breve Benedicti XIII, quo annuens præsidum hospitalis Pisauri petitioni, quod tum ob æs alienum, tum ob numerum expositorum, infirmorum, ac peregrinorum claudendum foret, nisi reditus augerentur, Episcopo præcepit, ut societatem sanctissimæ Conceptionis supprimeret, aliaque sodalitia ad annuam summam taxandam juxta quorumjam redituum quantitatem solvendam compelleret. Hinc renuentes sodales sanctissimi Nominis Dei annuam decem scutorum summam juxta Episcopi decretum persolvere, vitio subreptionis, et obreptionis enunciatum breve laborare conati sunt : *Pisauren.*, *Aperitionis oris*, 20 *dec.* 1738.

15. Aperitioni oris non esse locum adversus breve apostolicum Clementis XII, Pont Max., obtentum pro erectione conventus Cappucinorum in villa de Biar, necnon litteras Archiepiscopo mittendas juxta mentem [144] censuit S. C. Etiamsi parochus et clerus dictæ villæ certarent de vitio subreptionis, et obreptionis, quod expositus fuit eorum assensus, ac incolarum, silentio prætermissa conditione; *Che la presente concessione non si possa interpretare, ne stendere ad altro, che ad una semplice abitazione, ed ospizio di detta casa, in quanto questa al presente serve per uso profano. Valentina*, *Fundationis conventus*, 12 *sept.* 1739, *dub.* 1.

16 Quum Benedictus XIII, Pont. Max., per suas litteras apostolicas in forma brevis *motu proprio*, *et ex certa scientia* editas, decreta seu rescripta S. C quoad curiam archiepiscopalem Neapolitanam, quæ potuit cogere rectorem ecclesiæ S. Angeli ad Nidum, quamvis allegantem suam exemptionem ad interveniendum supplicationi occasione sedis vacantis indictæ, etiam per censuras approbasset, ac confirmasset; requisitum fuit, an locus sit arbitrio pro aperitione oris, et de dicti brevis validitate? S. C. sustineri prædictum breve declaravit. Haud enim ex rectoris privilegiis exemptio, quæ vera, et propria qualitate nullius cum territorio separato polleret, evincitur : *Neapolitana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 1 *et* 2 [145].

[143] Quod indultum refert Scarfant. tom. 1, *Animad. ad lucubr. can. Ceccoperi inter decis. Rot. Rom. Decis. XXVI in princ.* hisce verbis : « Et deinde aliquod plus canonici obtinuerunt de anno 1551 a Julio III, nempe facultatem se congregandi per unum capitularem semel in hebdomada pro negotiis capitularibus, dumtaxat, hac tamen adjecta conditione, quatenus scilicet vicarius (de capitulo) sic requisitus neglexerit, vel recusaverit. Hoc indultum fuit inviolabiliter, tam per Episcopos pro tempore, quam per canonicos observatum, necnon etiam de tempore sedis vacantis per archidiaconum, et illius vicarium, ex illius jurisdictione satis in præcedentibus decisionibus firmatum. » *Et in Decis. XXVII seqq. num.* 5, legitur : « Et demum non obstat altera limitatio, quod si agatur de interesse ipsius archidiaconi, seu ejus vicarii, in tali casu præsidere non debeant, tanquam ex adverso non impugnata, inutiliter fuit proposita, neque longam meretur discussionem; cum satis trita regula sit, et toties discussa in hoc nostro tribunali; quod etiam si agatur de interesse particulari, et speciali Episcopi, seu ejus vicarii, nihilominus ipse debet convocare capitulum, illi interesse, et expositis his, quæ ipsam rem conducere intendit, teneatur exire a capitulo, ut liberis suffragiis canonici super eadem re deliberare valeant. Aut agatur de interesse dignitatis episcopalis, et tunc nemo dubitat, quin ipse possit intervenire, et præsidere, ut pluries declaravit S. Congr. Concilii relat. per Barbos. *de Canon. dict. cap.* 35, *num.* 9, *et Rota in Hispalen. Juris præsidendi in capitulo* 2 *julii* 1700, § *Similiter*, *coram magno cancellario Mediolan.* »

[144] Mens fuit, ut Archiepiscopus curet consulere indemnitati parochi, et respective fratrum Excalceatorum circa tumulationem cadaverum, et circa designationem locorum, in quibus seorsim fieri debeat quæstuatio : *Registr. lit. lib.* 29, *die* 12 *sept.* 1739.

[145] Deinde accessit Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755,

17. Dum Romæ quæstio in S. C. Concilii agitabatur super jure capituli ecclesiæ cathedralis mulctandi suos capitulares, cæterosque ecclesiæ ministros pro levibus excessibus commissis etiam extra chorum et ecclesiam in functionibus ecclesiasticis ubi, capitulum sub cruce procedit, inita inter Episcopum, et capitulum transactio est; Romæ plane illam ignorantes utriusque partis actores definitionem a S. C. retulerunt, et inde breve pontificium, quo decreta S. C. confirmarentur, obtinuerunt. Episcopus concordiæ ex defectu pontificiæ confirmationis refragatur, et ad dubium, an sit locus aperitioni oris, aut sustineatur concordia? Concordiam haud servandam esse, S. C. respondit: *Civitaten.*, *Juris mulctandi seu approbationis concordiæ*, 28 *martii* 1744, *dub.* 1.

18. Adeptus est Felix Trullius Margaritæ filius advocati Pauli de Rubeis filiæ breve a Benedicto XIII, Pont. Max., cum consensu Philippi de Rubeis, quo dotium cumulum in scut. 2,500 pro qualibet filia, quas habebat, concedebatur, quamquam testator Paulus Paganinius in favorem puellarum tantum dotes in scut. 100 reliquisset. Adversus hoc breve postulata fuit oris aperitio, sed nullum vitium obreptionis, vel subreptionis inventum fuit, et e contra summa in puellis prædictis patebat egestas; aperitioni locum non esse S. C. resolvit: *Romana*, *Subsidiorum dotalium*, 30 *martii* 1748, *dub.* 1, confirmata 3 *aug. ejusd. anni.*

19. Constituit Card. Corradinius taxam pro seminario Setinæ pro unaquaque Setinæ, Privernati, et Terracinensi diœcesi erecto, illamque constituit ad rationem scut. 3, ac per breve apostolicum fuit approbata. Abbas commendatarius S. Mariæ Fossæ Novæ, et monasterium una cum monachis ordinis Cisterciensis civitatis Priverni solvere dictam taxam renuerunt. Hinc quæsitum fuit, an arbitrium intraret pro oris aperitione? et responsum exiit negativum, sed quoad monachos videatur particulariter: *Terracinen. seu Setina, Taxæ*, 9 *sept.* 1752, *dub.* 1.

20. Transactio inter familiam Franchini, et societatem nuncupatam *delli Trentatre* initam quoad hæreditatem Petri Francisci Franchini Taviani per breve Innocentii XI, Pont. Max., fuit firmata. Societas, inspecta redituum diminutione, ex dicta concordia detrimentum evenisse conquesta est, hinc aperitionem oris adversus illud breve exoptabat; sed S. C. illam non audivit. Nam nullo vitio obreptionis, vel subreptionis breve infectum, ac validam justamque fuisse transactionem familia prædicta ostendebat: *Pistorien.*, 2 *dec.* 1758.

21. Aperitio oris minime donata fuit adversus Constitutionem apostolicam Benedicti XIV, Pont. Max., quam procurator generalis ordinis canonicorum regularium Lateranensium impetravit, et qua novum onus canonicis regularibus Lateranensibus expediendi indultum pontificium, ut secularia beneficia consequi possent, imponebatur. Idem procurator in precibus oblatis totius ordinis consensum adesse narraverat, licet nemo certior factus esset, sed id ab eo factum fuit, ut gravibus impensis indulti canonici prædicti deterriti in ordine permanerent: *Brixien.*, *Indulti*, 12 *maii* 1759, *dub.* 2.

22. Certior factus Benedictus XIV, Pont. Max., cathedralem ecclesiam urbis Maceratæ ruinam minari, motu proprio mandavit, ut in aliam civitatis partem Episcopus eam transferret. Et ad hoc restaurationis opus perficiendum duorum testatorum duas voluntates commutavit. Institit communitas, et exposuit dilabentem, fatiscentemque minime esse cathedralem ecclesiam, ac provide necessariam deficere causam commutandarum voluntatum. Novus Episcopus chirographum restituit, ne exequutor esset et contradictor. Hinc urgente communitate pro oris aperitione, S. C. dixit *ad mentem*, et scribendum etiam mandavit Episcopo viciniori: *Maceraten.*, *Aperitionis oris*, 22 *sept.* 1759. Reproposita causa, et communitate docente cathedralem solum scut. 350 reparationis summa indigere, resolutum fuit, ut arbitrium intraret pro aperitione oris: 23 *aug.* 1760.

23. Benedictus XIV, Pont. Max., vigore brevis successionem Francisco Lopez canonico coadjutori ecclesiæ cathedralis resignatario in stallum, turnum et ætatis prærogativam canonici Matthæi Conia coadjuti resignantis concessit. De vitio obreptionis, et subreptionis modo dictum breve redarguitur, tum ob rescripti contrarii S. C. ad postulationem præfati indulti reticentiam, licet inde mutatus fuit status, sequuta resignatione; tum propter salarium coadjutori annuum ducat. 24 auri de camera assignatum silentio prætermissum; qua de causa Summus Pontifex dici non poterat; *attento servitio*, *ratione officii coadjutoris hujusmodi præstito;* aut saltem difficilius indultum tribuisset. Postulata idcirco oris aperitione adversus illud breve, S. C. eam impertivit: *Baren.*, *Præcedentiæ*, 19 *april.* 1760, *dub.* 1, confirmata 21 *junii ejusd. anni.*

24. Monasterium cæsarense ordinis Cisterciensis

Bened. XIV (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 4, pag. 152), qua hospitalis declaratur exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione, et § 15. Summus Pontifex rectorem prædictum, aliosque clericos presbyteros ecclesiæ, et hospitali prædicto inservientes accedere ad publicas, et generales processiones non teneri decernit.

ecclesiarum parochialium in Biberger, et Wallenhausen Augustanæ diœceseos juspatronatus e laico rum manibus redemit et gratuito cessit monasterio Roggenburgensi ordinis canonicorum regularium Præmonstratensium, quod antea illud possederat, et vendiderat. Bened. XIV, Pont. Max., retrocessionem hanc comprobavit, et sub narrativa consuetæ deputationis regularium ad nutum amovibilium in iisdem parochiis, potestatem insuper fecit abbatibus nominandi ad parochiales prædictas regulares ab Ordinario instituendos, illosque ad nutum amovendi, ut prius, sine tamen præjudicio jurium Ordinarii, firmavitque privilegium, ut possent absque dispensatione apostolica, et ad vitam retinere quascumque parochiales ecclesias sibi canonice collatas, etiam seculares, illarumque perpetuas vicarias clericis, seu presbyteris secularibus conferri, et assignari solitas. Episcopo Augustano admittere vicarii regularis nominationem, renuente de oris operitione quæstio instituta fuit. Sed arbitrium pro oris aperitione haudquaquam intrare S. C. decrevit, jussitque ut litteræ apostolicæ executionem habeant: *Augustana, Parochialium*, 10 *maii* 1760, *dub.* 1.

25. Aperitio oris denegatur adversus breve Clementis XIII, Pont. Max., quo deliberatio capitularis cathedralis ecclesiæ Tridenti, capta die 17 junii 1757, confirmatur, ejusque exequutio mandatur; etiamsi capitulares dissentientes exortum fuisse per obreptionem, atque subreptionem asserant, et vitio dictam deliberationem, quod non præmonitus Episcopus nec vocati absentes fuerunt, laborare autument: *Tridentina*, 14 *febr.* 1761, *dub.* 1.

26. Aperitio oris decernitur; ita ut sit locus revocationi gratiæ per breve apostolicum Bened. XIV, Pont. Max., concessæ administratoribus pii operis in vincula conjectorum Bononiæ pro assignatione ratæ partis redituum hæreditatis pii testatoris Raynaldi Duglioli, qui omnia in favorem pauperum erogari mandavit. Patres enim Dominicani hæredes fiduciarii de vitio obreptionis, et subreptionis edisserant ob non expressas ab administratoribus prædictis conditiones in pauperum delectu ex quibus illud pauperum genus exclusisse testator videtur: *Bononien., Aperitionis oris*, 14 *maii* 1763, confirmata 27 *aug. ejusd. anni.*

27. Aperitio oris adversus breve Benedicti XIII, Pont. Max., quo approbavit taxam solvendam seminario diœcesano Setiæ constituto ab apostolico visitatore præfinitam in scutis tribus pro centenario ex fructibus bonorum ecclesiasticorum diœcesum Priverni, Setiæ, et Terracinæ, ea lege, ut ex unaquaque civitate tres alumni alerentur, denegata fuit; quum non constaret de vitio subreptionis, et obreptionis; licet Privernenses gravatos se jactarent, ex quo duos retinendi alumnos vigore quorumdam bonorum cessionis in possessione erant: *Privernen., Aperitionis seminarii*, 20 *apr.* 1771, *dub.* 1.

28. Jacobus de Comitibus Asculanus universalem animam suam constituit hæredem, nonnullis per schedulas relictis tum legatis profanis, tum piis. Exequutores vero fecit testamentarios, eisque vetuit petendi, vel exequendi suæ voluntatis commutationem. Episcopus a Bened. XIV, Pont. Max., tenuit, ut commutata voluntate pii testatoris ex annuis superextantibus reditibus hujus hæreditatis extraherentur annua scuta 200 pro construendo, erigendoque conservatorio pro puellis periclitantibus, earumque manutentione. Obiit Episcopus, gratia non confecta. Novas obtulit preces successor, et reportavit nedum ejusdem gratiæ confirmationem, sed applicationem etiam aliorum annuorum scutorum 120 post obitum sororum de Comitibus. Hæc duo rescripta exequi volente vicario generali, obstiterunt exequutores, studueruntque ponere quæstionem, num intraret arbitrium pro oris aperitione? S. C. non dedit definitionem, sed demandavit, ut firmaretur tam status conservatorii, quam hæreditatis Jacobi de Comitibus: *Asculana, Commutationis voluntatis*, 20 *januar.* 1776, *dub.* 1.

29. Aperitio oris postulata a sodalibus societatis S. Catharinæ virginis ac martyris Castri S. Petri adversus breve Clementis XIII, Pont. Max., quo suppressionem ejusdem societatis ab Archiepiscopo Malvezzi occasione visitationis patratam approbavit, confirmavitque, denegata fuit a S. C.; etiamsi illud breve vitio obreptionis, et subreptionis laborare sodales decertarent: *Bononien., Aperitionis oris et redintegrationis*, 19 *febr.* 1781, *dub.* 1, confirmata 3 *junii ejusd. anni.*

30. Post lapsum quinquaginta annorum congregationi Scholarum Piarum a Porphirio Fantozzinio; præfinitum pro fundatione collegii in oppido Vetrallæ, a S. C. religiosi die 30 aug. 1766 termini prorogationem ad aliud decennium obtinuerunt. Pendente decennio patres Scholarum Piarum Urbis breve apostolicum impetrarunt pro erogandis reditibus dictæ hæreditatis ob æris alieni contracti occasione novi in Urbe constructi collegii solutionem, firma tamen remanente celebratione Missarum quas memorati testatores ordinarunt, et ut nominibus expeditis denuo investiri, ac multiplicari debeant proventus ad formam testamentorum. Adversus hoc breve clerus Vetrallæ petiit oris aperitionem et S. C. respondit, *negative: Viterbien., Aperitionis oris*, 15 *julii* 1780. Denuo allegatum fuit subreptionis vitium, ex quo silentio prætermissa fuerit oblatio annuorum scutorum biscentum pro fundatione collegii a communitate facta, ac jus cleri pro erectione canonicatuum, si post quinquaginta annos collegium perfectum non fuisset, et S. C. re-

scripsit: Dilata, et reproponatur, citata etiam communitate : 27 *febr.* 1790. confirmata 14 *januar.* 1792.

31. Vigore brevis papæ Pii V curata præpositura S. Petri Cillaveniæ in spiritualibus, ac temporalibus ecclesiaque collapsa, anno 1568, unita Dominicano ipsius Cillaveniæ cœnobio fuit. Adversus hoc aperitio oris fuit efflagitata non ex subreptionis, vel obreptionis capite, sed ob justam, ut Cillaveniensis sustinet populus, dissolvendæ unionis causam subortam. S. C. autem eam non admisit : *Papien.*, *Dissolutionis unionis et provisionis*, 3 *martii* 1787, *dub.* I.

APOSTOLICA BULLA. Vide *Bulla apostolica.*

APOSTOLICUM BENEPLACITUM. Vide *Alienatio bonorum ecclesiæ*, § I; *Applicatio*, § II; *Contractus*, § V; *Emphyteusis*, § II; *Transactio*, § I.

APOSTOLICUM CHIROGRAPHUM. Vide *Breve.*

APOSTOLICUS EXEQUUTOR. Vide *Exequutor apostolicus.*

APOSTOLICUS NUNTIUS. Vide *Nuntius apostolicus.*

APOSTOLICUS VICARIUS Vide *Vicarius apostolicus.*

APOSTOLICUS VISITATOR. Vide *Episcopus*, § XXV; *Vicarius*, § III.

APPELLATIO IN CONCURSU PAROCHIALIUM. Vide *Concursus.*

APPELLATIO.

§ I.

Appellatio devolutiva vel suspensiva [146].

1. S. C. Episcopo interroganti respondit: Ut hujusmodi inhibitione (curiæ nempe metropolitanæ) utpote nulla, ut contra dispositionem Concilii decreta, non obstante, compelleret curatum ad residentiam. Ad vicarium apostolicum Urbini scribendum a præcepto Episcopi, sive alio actu, quum procedat ad compellendos curatos ad residentiam, non dari appellationem ad effectum suspensivum, ut aperte cavetur decreto cap. 1, § *Eadem*, tit. 54 [147]. Itaque sciat eam inhibitionem ab Episcopo sperni posse, et propterea de cætero caveat ab hujusmodi inhibitionibus: *Feretrana*, 6 *sept.* 1591.

2. A visitatione ecclesiæ cathedralis, et personarum ipsius ab Episcopo facienda non admittitur appellatio ad effectum suspensivum, nec ideo illam appellatio impedire potest : *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 6.

3. Et ad dubium; an appellatio a decretis, et constitutionibus synodalibus impediat, et retardet exequutionem dictorum decretorum, vel solum suffragetur quoad effectum suspensivum? per appellationem a decretis, et constitutionibus synodalibus, quæ fuerunt a Sede Apostolica confirmatæ, non posse illorum exequutionem impediri, nec retardari respondetur : *Ibid.*, *dub.* 18 [148].

4. Quum Archiepiscopus posset in canonicos in choro etiam sine adjunctis procedere, dictis canoni-

[146] Pro recto judiciorum ecclesiasticorum ordine a Benedicto XIV Const. *ad Militantis* 30 martii 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 60) emanavit de appellationibus, et inhibitionibus concedendis, vel denegandis. Appellationes non recipiuntur, neque in earum vim inhibitiones conceduntur, nisi primum constiterit, intra legitima tempora, atque a legitima persona, item a definitiva, vel habente vim definitivæ, aut gravamine, quod per definitivam reparari non possit, appellatum fuisse, idque patere debet ex publicis monumentis, quæ in actis exhibentur. Appellatio autem ita legitime interposita jurisdictionem suspendit judicis inferioris, causamque defert ad superiorem, qui appellatus est. Quare interim, dum appellatio pendet, nihil amplius in causa inferior judex agere potest, et si quid egerit, cuncta a majore judice ad pristinum statum rediguntur. Verum cum hæc suspensio sententiæ, ejusque executionis in causis quibusdam minus congruens, et apta videretur ad rectum ordinem rerum, merito receptum est, ut sententiis quibusdam suspensiva vis adimatur: propterea fit interdum, ut quamquam sit appellatum, tamen sententia exitum obtineat, et postea causæ cognitio ad superiorem deferatur. Tunc autem sententiæ non suspensivum, sed devolutivum effectum habere dicuntur. In cit. Const. § 5, et seqq. Bened. XIV omnes causæ, in quibus suspensiva appellatio non conceditur, accurate recensentur.

[147] Nempe *Sess.* 23, *cap.* 1, *de Reform.* § *Quod si*, ubi quæcumque improbatur consuetudo, etiam immemorabilis, sive appellatio, etiam in Curia romana, sive vigore Eugenianæ, ad compellendos ad residentiam curatos usque ad privationem. Huic sanctioni accessit edictum Innoc. XIII emanatum anno 1723, et innovatum a Bened. XIII *in Concilio Romano*; *tit.* 17, *de Cleric. non resid. cap.* 7. Inter vetustiores Concilii Tridentini editiones nulla adest, quæ divisionem decretorum in capita, ac titulos exhibeat.

[148] « Quamquam porro a synodalibus statutis, de jure, admitti possit appellatio in devolutivo, hæc tamen ipsa a prudenti superiore non est statim, atque ad cujuslibet querelam admittenda; ne Episcopi deterreantur a suis cogendis synodis, timore litium, quas postea subire cogantur ob male feriatorum hominum adversus synodales constitutiones querimonias, et frivolas appellationes. Quare ad hæc præcavenda incommoda, cum appellatio interponitur ad sacram Congregationem Concilii, satius erit, ut ejusdem secretarius appellantes compellat ad designandas singulas constitutiones contra quas reclamant, eosque simul adigat ad momenta rationum exponenda, propter

is non competere appellationem ad effectum suspensivum decisum est : *Calaritana*, 20 *dec*. 1653, *dub*. 3.

5. Appellatio suspensiva non datur a sententia Episcopi super privatione canonicatus ob non residentiam canonici Jacobi Tavano provisi cathedrali ecclesia, sed tantum in devolutivo : *Cathacen*., *Canonicatus*, 14 *nov*. 1671, *dub*. 1.

6. Ad quæsitum, an, si in concursu habentium qualitates requisitas a Concilio, eligatur hujusmodi qualitatibus destitutus in vicarium capitularem, ab hujusmodi electione detur appellatio suspensiva ? negativum datum est responsum ; sed dari devolutionem ad Metropolitanum statutum est. *Majoricen*., *Electionis vicarii capitularis*, 13 *febr*. 1672, *dub*. 3.

7. Utrum a sententia judicis pronunciantis irritam electionem factam a capitulo canonici doctoris in sacra Theologia idonei et bene morigerati, relicto unico doctore in jure canonico non idoneo, et male morigerato, detur appellatio suspensiva? respondit S. C. ad primam partem affirmative, ad reliqua non est respondendum censuit : *Ecclesien*., *Electionis vicarii capitularis*, 3 *julii* 1677, *dub*. 1, 2 *et* 3.

8. Quum Archiepiscopus Bracharensis, et Ægitanien. Episcopus exposuissent, regulares vim ordinationum, ac decretorum S. Concilii Tridentini, et S. M. Clementis VIII, Gregorii XV, et Clementis X [149], quæ circa administrationem bonorum sanctimonialium, ipsis regularibus subjectarum, earumque clausuram, et quoad confessariorum ipsarum monialium approbationem faciunt, causa obviandi abusus, eludere solere interpositis appellationibus, ac recursis. Hinc apostolicum præsidium postularunt, quatenus his appellationibus, et recursibus tantum deferre teneantur ad effectum devolutivum. S. C. vero decretum tulit : Quoad monasteria monialium regularibus subjecta servandas esse Constitutiones S. M. Gregorii XV incipien. *Inscrutabili*, et S. M. Clementis X incipien. *Superna* [150], in quibus expresse disponitur, non esse attendendas inhibitiones in suspensivo circa compre-

quas eas irrationabiles, nimium graves, et onerosas, aliove vitio contendunt infectas: hæc verò omnia idem secretarius significabit sacræ Congregationi, quæ, in hunc modum rite instructa, provide decernet, an appellatio sit admittenda, an potius rejicienda veluti inanis, et calumniosa. Hæc methodus a nobis, cum prædicto secretarii munere fungeremur, adhibita fuit in gravi controversia excitata adversus synodum Fulginatensem, habitam anno 1722 ab Episcopo Baptistellio: eoque pacto ex innumeris causæ articulis, ab appellantibus propositis, paucos selegimus, qui videri poterant aliqua discussione digni, eosque dumtaxat Sacræ Congregationis judicio subjecimus, in quibus tamen iidem appellantes succubuerunt, causamque in omnibus obtinuit Episcopus : quod videre est in eadem synodo typis impressa pag. 285. » Ita Bened. XIV *de Synod. diœces*. lib. 13, cap. 5, num. 13, pag. 482, edit. Rom. 1755.

[149] Concil. Trid. *Sess*. 25, *cap*. 5, *de Regul*., cavit nemini licere ingredi septa monasterii sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis, quod declaratum est decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII, 13 *nov*. 1620 *et cap*. 2, *de Regul*. statuit, tam seculares quam regulares exercentes in seculares personas animarum curam in iis ecclesiis, quæ monasteriis, seu domibus regularium virorum, aut mulierum annexæ sunt, immediate subesse debere in pertinentibus ad dictam curam, et sacramentorum administrationem, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi diœcesani. Hoc decretum ampliatum est a Const. Gregorii XV 3 febr. 1622 *Inscrutabili* (*Bull. Rom* tom. 5, part. 5, pag. 1.), etiam in hoc, quod administratores bonorum monasteriorum monialium, regularibus subjectarum (de quibus nullam mentionem facit Trid.) cogi, et compelli possint ab Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, ad reddendam singulis annis rationem administrationis, eosque ex rationabili causa amoveri, si superiores, prius de causa moniti, id facere detrectaverint. Pro dictæ tamen Const. intellectu emanarunt a S. C. Concilii nonnullæ declarationes ab ipso Pontifice Gregorio, et subinde ab Urbano VIII approbatæ; quæ referuntur in calce Constitutionis. Clemens VIII, Const. *Suscepti muneris* 5 febr. 1596 (*Bull. Rom*. tom. 5, part. 2, pag. 93.) normam exequi decretum Concil. Trid. Sess. 25, cap. 14, *de Regul*., quod jubet regulares extra claustra notarie delinquentes certo modo puniri, præscribit.

Quoad confessarios monialium præmittendum est cap. 15, sess. 23, *de Reform*., ubi præter potestatem absolvendi acceptam in ordinatione, regulares antea idoneos ab Ordinario reputari, et approbatos esse, ut secularium audiant confessiones debere statutum fuit. Huic decreto accessit primum Const. S. Pii V *Romani Pontificis* 6 aug. 1571 (*Bull. Rom*. tom. 4, part. 3, pag. 177), qua, ab eodem revocata Const. *Etsi mendicantium*, 16 maii 1567 (*Bull. Rom*. tom. 4, part. 2, pag. 373), quam in favorem fratrum, et monialium ordinum Mendicantium ediderat, quoad exemptionem ab examine, et approbationem confessariorum ab Ordinariis faciendam, 16 maii 1567 declaratum est, hanc eamdem sanctionem extendi ad quoscumque regulares tam mendicantes, quam non mendicantes, quamvis lectores, atque magistri in sacra theologia essent. Deinde Urbanus VIII Const. *Cum sicut accepimus*, 12 sept. 1628 (*Bull. Rom*. tom. 6, part. 1, pag. 142) abrogavit quodcumque privilegium quibusvis ordinibus regularibus hactenus concessum audiendi secularium confessiones sine prævio Ordinarii examine et approbatione. Insuper Trid. sanctio ampliata fuit a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili* 5 febr. 1622 statuente, regulares non posse audire confessiones monialium iisdem subjectarum sine dicta approbatione. Imo approbati in confessarios ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbati pro alio, nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione toties quoties, earumdem monialium confessiones ex declaratione Clem. X, Const. *Superna* 21 junii 1670 (*Bull. Rom*. tom. 7, pag. 30). Huic Clementinæ Constitutioni quoad confessarios ordinarios, et extraordinarios monialium, accessit Const. Bened. XIV *Pastoralis curæ* 5 aug. 1748 (*Bull. ejusd. Pont*. tom. 2, pag. 213).

[150] Vide not. 149 antecedentem.

hensa in dictis Constitutionibus, et decretis S. C. Concilii sub S. M. Urbano VIII emanatis [151]: quoad regulares commorantes extra claustra, et delinquentes servandam esse dispositionem S. Concilii Tridentini, cap. 3, sess. 6 *de Reform.*, et cap. 14, sess. 25 *de Regul.* [152], in quibus cavetur, ut Episcopi in eos animadvertant juxta canonicas sanctiones, et sic quando agitur de correctione morum, aut in visitatione appellatio detur quoad effectum devolutivum tantum, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum visitator, citata parte, et adhibita causæ cognitione judicialiter procedit, ut alias S. C. declaravit: 23 febr. 1715. De hoc decreto reclamavit Fr. Emmanuel ab Incarnatione ordinis Minorum Observantium S. Francisci provinciæ Algarbiorum in Portugallia summe condolens, quod moniti regulares non fuerint. Et S. C. prodiit rescriptum: Audiantur, et interim supersedeatur in exequutione decreti in statu, et terminis a die intimationis faciendæ in partibus: 30 *martii* 1715. At explorata ex adverso difficultate proposita fuerunt dubia.

9. An, et quomodo standum sit, vel recedendum a decisis sub die 23 febr. anni 1715 quoad observantiam Constitutionis S. M. Gregorii XV incipien. *Inscrutabili*, et decretorum sub S. M. Urbano VIII emanatorum [153], et quatenus in decisis.

10. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die, quoad inhibitiones in suspensivo desuper non attendendas?

11. An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die quoad observantiam Constitutionis S. M. Clementis X incipien. *Superna* [154], et quatenus in decisis.

12. An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die quoad inhibitiones in suspensivo desuper non attendendas?

13. An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die quoad observantiam Sac. Conc. Trid. cap. 3, sess. 6 *de Reform.* et cap. 14, sess. 25, *de Regul.* [155] circa regulares commorantes, et delinquentes extra claustra?

14. Demum, an, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die quoad appellationes in devolutivo tantum attendendas, quando agitur de causis correctionis morum, aut in visitatione, dummodo de gravamine per definitivam irreparabili non agatur, vel in casu quo visitator judicialiter procedit? de hisce dubiis S. C. dixit: Dilata, et prævia revocatione suspensionis obtentæ sub die 30 martii proximi præteriti nuntius apostolicus informet, ac præfigat terminum quatuor mensium regularibus ad deducenda jura sua in S. C.: *Barcharen. et Ægitanien*, 13 julii 1715, *dub.* 1, 2, 3, 4, 5 *et* 6.

15. Sacerdos Palmerius Calabrese canonicus theologus ecclesiæ collegiatæ S. Matthæi urbis Sarni unionem ab Episcopo petiit cujusdam vacantis beneficii simplicis, et addidit, si secus fieret, ad S. C. appellaret. Episcopus vicario suo generali

[151] Quæ decreta S. Congr. Concilii ab Urbano VIII, Pont. Max., approbata subsequuntur Const. *Inscrutabili* Gregorii XV. Vide not. 149.

[152] In sess. 6, cap. 3, *de Reform.* habetur, quod excessus secularium clericorum, et regularium degentium extra monasteria ab Ordinario loci corrigantur. Et sess. 25, cap. 14, *de Regul.* legitur, quod regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea publice deliquerit, instante Episcopo, a superiore suo severe puniri debeat, et de punitione Episcopum certiorem faciat. Hoc decretum ampliatum est a Clem. VIII, Const. *Suscepti muneris* 3 febr. 1596 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 2, p. 93, § 3) infligente pœnam privationis dignitatum, et officiorum latæ sententiæ contra superiores hoc Tridentini decretum non servantes in omnibus; ac addente, quod si superior regularis suum religiosum, ut supra delinquentem, non punierit, sed ad alium locum transmiserit, instante Episcopo loci delicti, intra terminum ab eodem præfigendum, debeat dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare; alias idem superior incurrat pœnam privationis vocis activæ, et passivæ, Papæ reservatam; et crescente contumacia, possit, et debeat Ordinarius loci, ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, procedere adversus eumdem, eum punire juxta dictum decretum Trident. tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Id declaravit etiam Benedict. XIII motu proprio edito die 26 martii 1729 incipien. *Exponi nuper* (*Bull. Rom.* tom. 12, pag. 389); minime revocato a Clem. XII, Const. *Romanus Pontifex* 30 martii 1732 (*Bull. Rom.* tom. 13, pag. 221), in qua quædam aliæ dicti Benedicti revocatæ Constitutiones leguntur, cum illa transcripto Tridentini decreto sit omnino conformis, verumque ipsius intellectum explanet. Hinc evincitur tum ex Trid. decreto, tum ex Clementina Const., ac Benedicti XIII cit. declaratione, quod quamvis regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes intra claustra viventes, quomodolibet extra delinquant, non ideo recte puniri possint ab Episcopo, sed tunc dumtaxat quando ob negligentiam eorum superiorum in ipsos puniendo ad eum devoluta est jurisdictio in terminis Tridentini; extra quem casum privative subsunt jurisdictioni, et punitioni eorumdem superiorum. In Const. Greg. XV. *Inscrutabili*, 5 februar. 1622 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 5, pag. 1), § 4 cautum est, quod regulares nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se possunt, quominus, si deliquerint circa personas intra septa monialium degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum earumdem monialium etiam regularibus subjectarum *ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, et quando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant.*

[153] Vide not. 149, 150.

[154] Vide not. 149.

[155] Vide not. 152.

Nicolao Martinellio beneficium contulit, canonicus ad S. C. appellavit. Hæc dictam provisionem, ac possessionem sustineri decernit; qua de causa appellatio in suspensivo nullam vim habuit: *Sarnen.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 1.

§ II.

Appellatio quando detur, et sustineatur vel non.

1. Dubitatur, utrum inhibitiones contra cap. 20 sess. 24 [156] sint adeo nullæ, ut Ordinarius inhibitus possit ad ulteriora procedere non obstantibus dictis inhibitionibus? posse Ordinarium ad ulteriora procedere non obstantibus prædictis inhibitionibus emanatis contra cap 20 Sess. 24 [157] declaratur: *Avenionen. octob.* 1586, *dub* 12.

2. Censuit S. C. non obstantibus inhibitionibus A.C. Episcopum posse procedere ad exequutionem decreti ejusdem S. Concilii cap. 13, sess. 25, *de Regul* [158], et declarationis S. C. [159]: *Spoletana*, 25 *junii* 1629.

3. In responsione data Rhemensi Archiepiscopo, quum nullus ordinari debeat, quem suus Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, S. C. declaravit, non semel ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recurrendum duntaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam per Gregorium XIII, Pont. Max., approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante liceat illi eumdem recusatum ordinare: *Rhemensi*, 21 *apr.* 1668.

4. Quæritur, an remotio prioris a superioritate in vim constitutionum Carmelitarum discalceatorum congregationis Hispaniæ ob non interventum in choro ex alia causa, et præsertim voluntaria, sit inappellabilis etiam quoad effectum suspensivum, non secus, ac remotio ex causa infirmitatis? negativum datur responsum: *Ordinis Carmelitarum discalceatorum*, 3 *april.* 1700, *dub.* 2.

5. Appellationem ad curiam metropolitanam Acheruntinam interpositam ab Orontio Sarachella a decreto Episcopi Gravinæ, qui eumdem falsas attestationes facientem, falsaque emittentem juramenta publicum propterea peccatorem, et in rudi-

[156] *De Reform.*, ubi decernitur: « Neque appellationes ab eisdem interpositæ per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio, aut inhibitio, fiat, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. » Nam appellationem ab interloquutione jus civile non probat ex L. 7. Cod. Quor appell. non recip.; nisi ei vis definitivæ sententiæ sit, aut nisi ab ea illato gravamini nullum aliud adhiberi remedium possit ex L. 7 et 40 ff. *de Minor.* 25 an., L. 2, ff. *de Appell.* recip. sed canones ante Tridentinam Synodum editi appellationem permittunt tum a sententia, tum a quavis etiam simplici interloquutione, qua judicialis acta ordinantur ex cap. 1, *de Dilat. C.* 9, *C.* 13, *C.* 20, *de Appell. C.* 1, *eod. in* 6. Verum cum Patres Tridentini plane intelligerent, sæpe ad vexandos long frustratione litigantes appellationes interponi, sapiente statuerunt, ut his appellationibus tantum detur locus, cum interloquutio vim habet sententiæ definitivæ aut cum magnum attulit gravamen, quod per appellationem a definitiva removeri non potest, ex cit. cap et sess. 13, cap. 1, *de Reform.* quæ etiam juris civilis disciplina est. Sententia autem interloquutoria dicitur, quia judex, dum de primaria causa quæritur, interea loquitur, neque definitive pronunciat, sed ea tantum dicit, quæ ad causam promovendam pertinent, ut judicium ad propositum finem perducatur. Interloquutoria tamen habet vim definitive, quando judex rem aliquam incidentem definit, quæ tamen præcipuam causam respicit, paratque simul ad eam definiendam viam, qualis etiam sententiæ nomine comprehenditur ex L. 39, ff. *de Minor.*

[157] Vide not. 156, antecedentem.

[158] « Controversias (ait) omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam seculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella; et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat. » Hoc decretum declaratum est a S. Pio V, Const. *Divina*, 27 aug. 1568 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 3, pag. 51), quoad Fratres Prædicatores decernente, eis ubique competere præcedentiam ante quoscumque ordines mendicantes, etiam in privatis actibus. Quam præcedentiam postea Clem. VIII, Const. *Inter cætera*, 25 sept. 1592 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 1, pag. 595), iisdem concessit etiam ante alios quoscumque ordines regulares (exceptis canonicis, et clericis secularibus, ac antiquis ordinibus monachalibus) circa controversias præcedentiæ inter ordines mendicantium, et inter confraternitates laicorum in processionibus, attendenda est declaratio Gregorii XIII, Const. *Exposcit.*, 15 julii 1583 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 4, pag. 38), ex Const. Bened. XIII, *Pastoralis officii*, 14 febr. 1726 (*Bull. Rom.*, tom. 12, pag. 71), Fratres Minores, de Observantia ubique, et in omnibus gaudent præcedentia supra omnes Reformatos. Ex altera ejusdem Pontificis Const. *Militantis Ecclesiæ*, 27 april. 1727 (*Bull. Rom.*, *ibid.*, pag. 278), in qua confirmatur Const. S Pii V, super præcedentia canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis S. Augustini in processionibus, et in aliis actibus publicis, et privatis, statuendo quod ipsi, ubi interesse contigerit, statim ipsum clerum secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt, dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate sequi debeant.

[159] Concilii, quæ *die* 14 *febr.* 1594, censuit Episcopum ex cap. 13, sess. 25, *de Regul.*, controversias super præcedentia in processionibus, et aliis similibus ortas inter personas ecclesiasticas, tam seculares, quam regulares componere.

mentis fidei parum edoctum a paschali communione arcuerat, voluitque, ut prius in necessariis fidei rudimentis, et Sacramentorum ministeriis instrueretur, et commisit Francisco Gallo abbati collegiatæ S. Nicolai munus eum erudiendi, validam non esse; et decretum Episcopi super hac re appellationem non dari autumantis, esse exequendum S. C. censuit, addiditque ad mentem: *Gravinen.*, 10 *junii* 1724.

6. Appellatio ab Ordinarii decreto a reo convento canonico Palumbo in tempore habili, et pendente termino interposita, et respective inhibitio Metropolitani cum compulsoria pro actorum transmissione, sustinetur: *Minoren. seu Amalphitana, Censurarum*, 11 *julii* 1750, *dub.* 1.

7. Appellatio ab exactoribus congregationis presbyterorum SS. Stephani, et Nicolai civitatis Pisciæ ad tribunal Nuntiaturæ Florentinæ adversus pœnalia Episcopi præcepta, qui rationes eorum administrationis reddi quæsivit, valida est, ac respective illius admissio cum inhibitorialium concessione: *Piscien.*, 24 *martii* 1753, *dub.* 5.

8. Appellatio a curia episcopali pro contumacialibus decretis ab ipsa editis adversus Franciscum Conforti ab ipso interposita ad Metropolitanum, sustinetur, nec causa est remittenda ad curiam prædictam episcopalem, ut procedat usque ad definitivam sententiam: *Lucerina, Appellationis*, 15 *decemb.* 1753.

9. Appellatio interposita per sodalitium S. Mariæ de Populo Cæsenæ a rescriptis 29 novem. 1788 et 19 febr. 1791, super dotalibus subsidiis Camilli Beccari, præstandis nobilibus puellis ab eo descendentibus, necnon de illis, quoad præteritum non solutis, eorumque fructibus debitis ab anno 1773 ad formam donationis anni 1617 rejicitur: *Cæsenaten., Subsidiorum dotalium*, 21 *april.* 1792[160].

§ III.

Appellatio ad quem interponatur, et de judice appellationis.

1. Exorta inter Card. Cervantes Archiepiscopum Tarraconensem, et aliquos ipsius suffraganeos contentione; an, quando Episcopus procedit ad aliquem actum vigore decretorum Concil. Trid., quem etiam suo Ordinario jure facere poterat, et in decreto datur facultas Ordinario procedendi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, appellatio ab hujusmodi judicio Ordinarii sit interponenda ad Metropolitanum, et ibi in secunda instantia prosequenda; vel potius sit necessario interponenda ad Sedem Apostolicam tanquam a sententia emanata a delegato Sedis Apostolicæ? Summus Pontifex ex sententia S. C. declaravit, non esse hoc casu necesse ad Apostolicam Sedem appellare: *Tarraconen., anni* 1573.

2. Zamorensis Episcopi nomine porrectus est S. C. supplex libellus, in quo sic habetur. Episcopus Zamorensis optat scire a S. C., quando ipse procedit definitive ad aliquem actum vigore Concil. Trid., quem etiam de veteri jure ex facultate ordinaria facere potuisset, et in decreto Concilii datur facultas eidem procedendi etiam tamquam delegatus Sedis Apostolicæ. Proposito autem dubio; an appellatio a tali decreto Ordinarii, qui processit, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, sit interponenda ad Metropolitanum, et curam eo prosequenda; vel potius sit interponenda ad Sedem Apostolicam tamquam a sententia lata a delegato Sedis Apostolicæ? rescriptum est, posse interponi ad Metropolitanum: *Zamoren., anni circiter* 1576.

Edita fuit hæc resolutio. In his, quæ Episcopus circa visitationem, et morum correctionem decrevit juxta cap. 10 sess. 24[161] dari appellationem devo-

[160] Nam jam sub die 22 martii 1791, pro exequutione prædictorum rescriptorum sententia Riganti judicis a tribunali AC emanaverat, quod tribunal judex est exequutorialis decretorum S. C. Concilii ut vidimus in Introductione, § VII, *in fin.*

[161] *De Reform.*, ubi expresse habetur: « Episcopi ut aptius, quem regunt, populum possint in officio, atque obedientia continere, omnibus iis, quæ ad visitationem, et morum correctionem subditorum suorum spectant, jus et potestatem habeant, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati ea ordinandi, et exequendi, juxta canonum sanctiones, quæ illis pro subditorum emendatione, et diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur; nec in his, ubi de visitatione, et morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita exequutionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat. » Quod decretum concordat cum cap. 1, sess. 22, *de Reform.*, ibi. « Nec appellatio exequutionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. » Per quas sanctiones innovati sunt sacri canones cap. *Reprehensibilis* 26, *de Appellat.* et cap. *Irrefragabili* 13, *de Offic. judic. ordinar.* Ac Bened. XIV Const. *Ad Militantis*, 30 martii 1742 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 60), in qua § 21, quoad exequutionem decretorum circa correctionem morum ab Episcopo tam in visitatione quam extra interpositorum hæc habet. « Item adversus pastoralem visitationem diœcesis, et præsertim monasteriorum, commendatorum, abbatiarum, prioratuum et præpositurarum, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum, secularium et regularium qualitercumque commendatorum etiam exemptorum: prout etiam ab exequutione eorum, quæ in ipsa visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint; necnon similiter a quibuscumque decretis, et provisionibus etiam extra visitationem pro conservatione vel reparatione ecclesiasticæ disciplinæ, quoad vitam, mores, honestatem quorumcumque clerico-

utivam ad Metropolitanum, quamvis expresserit, e procedere tamquam Sedis Apostolicæ delegaum : *Januen.*, 2 *decem.* 1604.

4. Episcopo consulente decidit S. C. a sententia tiam definitiva contra verum contumacem prolata on esse recipiendam appellationem, nec dandam nhibitionem, aut aliam provisionem a curia metroolitana, quamdiu appellans in hujusmodi contunacia perstiterit alias Episcopum non teneri ad psam curiam processum transmittere : *Arianen.*, 28 *april.* 1635, *dub.* 7.

5. Quæstionem exortam, an judex, ad quem ossit sub pœnis, et censuris a notario judicis, a uo nedum copiam actorum, verum etiam ad intantiam partis, et expensis ipsius notarii prætenere, ut ipsa originalia transferantur, et ubi coningat dubitari de exemplo, collatio fiat parte vocata, t præsente? dirimit S. C. declarando; judicem d quem posse sub pœnis, et censuris cogere noarium judicis a quo ad copiam actorum authenicam transportandam, ad translationem vero origiıalium non posse, nisi in casu suspicionis de fide opiæ translatæ, idque ad effectum collationem aciendi, qua facta erunt ipsa originalia restituenda: *Vercellen.*, 21 *martii* 1643, *dub.* 1.

6. Et ad dubium : An quoties per judicem appelationis suspendantur censuræ prolatæ per judicem nferiorem, si ecclesiastici illi irretiti durante supensione, exerceant actus exerceri prohibitos sub œna irregularitatis, in illam incidant? respondeur, si censuræ per judicem appellationis simpliciter uspendantur ecclesiasticos illis irretitos, ac actus ub pœna irregularitatis eisdem prohibitos exerentes in irregularitatem non incidere, secus vero i limitatæ ad aliquem tantum effectum censuræ supendantur : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Appellationem quoad effectum suspensivum equit judex delegatus apostolicus simpliciter dmittere; quando Ordinarii ad evitanda malorum rritamenta procedunt, non citata parte, nec adhiita causæ cognitione in causis visitationis aut correctionis morum : *Sardiniæ*, *Jurisdictionis*, 15 *maii* 700, *dub.* 1.

8. Nec valet appellationem admittere ab interloutoria, vel alio quocumque gravamine, quod tamen otest per sententiam definitivam reparari : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Appellationem a gravamine, quod nequit per sententiam definitivam reparari, ut in carcerem conjectionis, torturæ, aut excommunicationis, interpositam nequit idem judex delegatus apostolicus quoad causæ cognitionem in gradu appellationis tantum, bene vero quoad brevem supersessoriam admittere : *Ibid.*, *dub.* 3.

10. Idem nequit appellationem admittere ab exequutione decretorum Concilii Tridentini : *Ibid.*, *dub.* 6.

11. Neque valet causas in curiis Ordinariorum, vel aliorum judicum inferiorum pendentes ad se advocare : vel illorum cursum impedire sub quolibet prætextu, præterquam per viam legitimæ appellationis fuerint ad ipsius tribunal delatæ : *Ibid.*, *dub.* 7.

12. Nec appellationem valet recipere nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, priusquam constiterit appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivæ, aut a gravamine, quod per sententiam definitivam reparare non possit in casibus a jure non prohibitis per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam, et prosequutam : *Ibid.*, *dub.* 8.

13. Ac post receptam appellationem haud potest idem judex delegatus apostolicus inhibitionem concedere absque insertione tenoris sententiæ, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis; etiamsi appellans asserat culpa judicis a quo, vel actuarii exemplum decreti non justificato impedimento habere non posse : *Ibid.*, *dub.* 9.

14. Nec potest dictus judex appellationes in secunda instantia recipere a decretis, seu sententiis suffraganeorum omisso medio curiæ metropolitanæ : *Ibid.*, *dub.* 10.

15. In causis autem de sui natura appellabilibus in quibus præfatus judex processit, quoad effectum suspensivum denegare : *Ibid.*, *dub.* 11.

16. Præpositus ecclesiæ S. Leucii loci de Atissa, anno 1612, institit in sacra Rota pro manutentione cognoscendi causas civiles, matrimoniales, et criminales allegans quadragenariam cum titulo, et obtinuit; S. C., cui fuit remissa articuli definitio, anno 1613, censuit : decretum Concilii Tridentini cap. 20 vers. *Ad hæc*, sess. 24 [162] omnino substulisse quadragenariam cum titulo, seu privilegio, ac proinde causas matrimoniales, aut criminales ab

um, luxum, comessationes, choreas, luxus, crimina et ecularia negotia fugienda, atque evitanda juxta plura ecreta dicti Sacri Concilii, et præsertim sess. 6 *de Reorm.*, cap. 4; sess. 13, cap. 1; sess. 14, cap. 4; ess. 21, cap. 8; sess. 22, cap. 1 et cap. 8, et sess. 24, ap. 10, ad formam tamen decretorum Sac. Cong. Episcoporum de mandato san. mem. Clem. VIII, editorum nno 1600. » Quæ decreta emanata *die* 16 *octob.* sunt relata num. 13 in appendice Concilii Romani celebrati sub Bened. XIII, anno 1725, una cura declarationibus Urbani VIII, additionibus, ac declarationibus ejusd. Sum. Pont., Bened. XIII, circa eamdem materiam appellationum ac inhibitionem.

[162] Ait enim : « Ad hæc causæ matrimoniales et criminales, non decani, archidiaconi, aut inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et

Archiepiscopo Theatino dumtaxat non autem a præposito de Atissa esse cognoscendas. Clerici, et parochi dictæ terræ ob excessus præpositi petierunt judicem appellationis, seu secundæ instantiæ in causis expeditis per præpositum, et S. C. respondit : *Negative, et detur decretum S. C. supra relatum* : *Theatina seu Nullius, Atissæ jurisdictionis*, 11 *martii* 1702 confirmata addendo : in reliquis ad Rotam, et interim præpositus se abstineat a concedendis dimissoriis, licentiis concionandi, et approbandi confessarius : 19 *aug. ejusd. anni.*

17. Archiepiscopo Turritano tempore visitationis cum confectione processus ad instantiam partis, vel promotoris fiscalis procedente, ab ejus decretis, seu sententiis ad delegatum apostolicum a B. Pio V, Pont. Max, specialiter constitutum in judicem appellationum, in regno Sardiniæ, licet appellare : *Turritana*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 7.

18. Capitularibus, ceterisque cathedralis ecclesiæ ministris competit ad Episcopum appellatio, quando capitulum ipsis mulctam imponit : *Civitatis provinciæ Compostellanæ, Juris mulctandi*, 3 *dec.* 1735, *dub.* 4; deinde, reproposita causa S. C. respondit prævio recessu a decisis in devolutivo tantum : *Ibid*, 12 *martii* 1746.

19. Quæsitum fuerat, num decano collegiatæ ecclesiæ S. Georgii civitatis Coloniæ Agrippinæ suos canonicos corrigendi, et mulctandi jus esset, sed nulla prodiit definitio. Quæsitum consentanee fuit, quomodonam a decretis a decano in materia correctionali latis ad curiam archiepiscopalem appellare liceret ; sed nulla pariter prodeunte definitione, demandatum est, ut coadjuverentur probationes juxta D. secretarii instructionem [163] : *Colonien, Juris mulctandi*, 11 *januar.* 1738, *dub.* 3.

20. Quum actum in S. C. fuisset, an Ubaldus Paulinius secretarius communitatis oppidi Maceratæ a curia episcopali Feretrana licite potuerit appellare ad Metropolitanum Urbini ; cum Episcopus ad promulgationem excommunicationis contra ipsum latæ devenerit post interpositam appellationem, ex quo Cancellariæ claves et libros intra triduum non exhibuerit, ut ipse præceperat ad effectum extrahendi resolutionem consiliarem deputationis concionatoris proprie jurisdictionis læsivam, S. C. eadem respondit ad mentem [164] : *Feretrana, Concionatoris*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 4.

21. Appellationes in causis, quæ a suffraganeorum provinciæ Ravennatensis judicatis in prima instantia devolvuntur in secunda ad curiam metropolitanam Archiepiscopi Ravennæ, admitti deinde nequeunt ad curiam legationis Ferrariæ : *Ravennaten. seu Ferrarien., Jurisdictionis*, 16 *januar.* 1745.

Reliqua. Vide *Archiepiscopus, seu Metropolitanus*, § I ; *Concursum*, § II, IV *et* V.

APPELLATIO A MALA EPISCOPI ELECTIONE, ET REPROBATIONE EXAMINATORUM. Vide *Concursus*, § I.

APPLICATIO MISSÆ CONVENTUALIS. Vide *Archidiaconus*, § V ; *Archipresbyter*, § VI ; *Beneficiati*, § III ; *Canonici*, § IV ; *Capitulum ecclesiasticum*, § V ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV ; *Presbyteri*, § IX.

APPLICATIO MISSÆ PRO POPULO. Vide *Archipresbyter*, § VI ; *Capellanus curatus*, § III ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Parochus*, § X ; *Præpositus*, § IV; *Vicarius curatus*, § V.

APPLICATIO MISSARUM. Vide *Capellanus*, § III; *Missa*, § I.

APPLICATIO.

§ I.

Applicatio seu unio quando, et quomodo concedi debeat, vel non.

1. S. C. censuit dandum esse duplicatum Episcopo tenoris sequentis die 19 martii 1625 sanctissimus D. N. ex S. C. sententia benigne annui, ut reditus annui, ut supra relicti pro missarum celebratione ab Episcopo convertantur in distributiones quotidianas inter dignitates obtinentes, et ceteros divinis intervenientes juxta divisionem ab eo faciendam proportione servata dividendas : *Polinianen.*, 13 *julii* 1630.

2. S. C. indulsit, ut medietas redituum hospi-

jurisdictioni relinquantur. » Hoc decretum quoad causas matrimoniales declaratum est a Benedicto XIV, Const. *Dei miseratione*, 3 novem. 1741 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 36), præscribente modum easdem tractandi.

[163] S. C. censuit coadjuvandas esse probationes tum super prætensa observantia emanata post decretum visitationis editæ de anno 1664, quam super assertis excessibus : *Registr. lit.* lib. 29, die 11 januar. 1738.

[164] Et mens est, ut petita per confalonerium, et consiliarios communitatis venia Episcopo in se abstineat ab ulteriori processu : lib. 93, decret., pag. 349.)

alis Montis Elbari, qui exacti adhuc non sunt, ab Episcopo possit seminario applicari: *Montis Alti*, *sept.* 1655.

3. Quum Hispali immineret gravissimum pestis periculum, Archiepiscopo concessa fuit facultas convertendi reditus ecclesiasticos aliis piis usibus destinatos pro subventione pauperum infirmorum, qui peste laborabant, et subsidium tantum postulabant: *Hispalen.*, *Indulti*, 7 *sept.* 1680.

4. Episcopus, et capitulum ecclesiæ cathedralis occasione erectionis seminarii exorarunt pro applicatione redituum superextantium hospitalis S. Nicolai *de Savora* accedente ejusdem administratorum consensu, quum reditus taxæ beneficiorum applicati fuerint PP. Societatis Jesu cum onere aperiendi scholas humanitatis, et grammaticæ; S. C. affirmativum dedit responsum, salva in totum hospitalite, et satisfactis oneribus: *Melevitana, Erectionis seminarii et unionis*, 18 *febr.* 1690.

5. Quum nec magnus dux Etruriæ, nec PP. Jesuitæ testamentum Virginii Maggii de terra Anglari pro erectione monasterii, ac collegii in favore juvenum acceptare, ac exequi voluissent; instantia facta fuit pro bonorum applicatione monasterio S. Martini dictæ terræ causa puellas educandi. At S. C. indulsit applicationem seminario loci Ordinarii cum denominatione alumnorum præscripta a testatore satisfactis prius legatis, et oneribus prout de jure: 15 *sept.* 1694, confirmavitque *Arretina, Commutationis voluntatis*, 20 *martii* 1700.

6. Decreverat jam S. C. distributionum quotidianarum, quæ amittuntur a dignitatibus ecclesiæ cathedralis, quæ habent a mensa capitulari fructus distinctos, applicationem fabricæ, quatenus indigeat, et nisi indigeat, esset in facultate Episcopi illas alteri pio loco applicare: hinc hodiernus Episcopus prætendit, etiam distributiones quotidianas, quæ amittuntur a canonicis, et præbendatis ob non residentiam, et in casu vacationis ad sui libitum posse locis piis, ac pauperibus diœcesis applicare. Sed S. C. instante, et allegante capitulo fabricæ necessitate, rescripsit: applicationem in casu proposito esse faciendam fabricæ, et quoad assertam superfluitatem expensarum Episcopus provideat etiam cum auctoritate S. C.: *Caurien.*, *Distributionum*, 4 *junii* 1701.

7. Inde quia in præcedenti dubio error irrepsit, quum distributiones quotidianæ amissæ a canonicis absentibus, ceterisque præbendatis inservientibus, accrescant, et subsint Conc. Trident. cap. 3, sess. 21 [165] minime vero applicantur fabricæ; capitulum declarari petiit, in resolutione S. C. comprehendi solummodo distributiones, seu fructus ob non residentiam, vel in casu vacationis; ideoque quoad dignitates, et præbendatos extra capitulum S. C. præfatam resolutionem esse intelligendam tantum de distributionibus, quæ amittuntur a dignitatibus extra capitulum declaravit: 5 *maii* 1703, *dub.* 1.

8. Ac insuper fructus vulgo vocatos plana, seu grossa dignitatum existentium extra capitulum applicari fabricæ cathedralis ecclesia debere, ea indigente, tam in casu amissionis ob non residentiam, quam etiam in casu vacationis, non autem esse in arbitrio Episcopi eos pro sua facultate alteri loco pio applicare S. C. decretavit: *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Ad succurrendum maximis necessitatibus, quibus ecclesia cathedralis, præsertim quoad fabricam, quum sit in majori parte proxime collapsura, laborat, statutum canonici ediderunt pro perpetua applicatione ducatorum 200 ex reditibus episcopatus, et quod Episcopus pro una vice in favore fabricæ ducat. 4000, et canonici ex eorum præbendis duc. 20 per singulos solvere debeant; quoque etiam ex beneficiorum fructibus aliæ in eamdem causam applicationes fierent. Hoc statutum pluries, prorogatum quoad applicationem specialiter fuit, modo perpetua confirmatio ejusdem postulatur; et S. C. firma, et exequuta oblatione pro gratia confirmationis ad annos 25 respondit: *Lucen.*, *Confirmationis statuti*, 27 *maii* 1702.

10. Statutum in S. C. fuit, quod ex fructibus, et proventibus dignitatum, personatuum, et officiorum in cathedrali ecclesia existentium non sit tertia pars deducenda, neque illa ecclesiæ fabricæ ad formam Sac. Concil. Trid. sess. 22, cap. 3 [166], applicanda, non obstante quod prædictæ dignitates,

[165] *De Reform.*, ubi decernitur, ut in ecclesiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum quorumcumque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum portionum et officiorum, separari debeat; et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes et ceteros divinis intervenientes, proportionabiliter, juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur; salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt; non obstantibus exemptionis, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscumque.

[166] *De Reform.*, ubi statuitur, ut tertia pars ex fructibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, officiorum fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur; si hi, qui eas obtinent, personaliter competens sibi servitium juxta formam ab Episcopo præscribendam quolibet die statuto non impleverint; duæ sunt ea de re Tridentini Concilii leges sess. 21, cap. 3., et cit. sess. 22, altera absentium distributiones præsen-

personatus, officiaque amissioni aliarum distributionum intervenientibus accrescentium subjaceant: *Catacen.*, *Constitutionum capitularium*, 19 *maii* 1703, *dub.* 1.

11. Tres morti proximus fecit diversas donationes Episcopus Scannagatta, in prima canonicatum in ecclesia cathedrali Frequentina erigi mandavit, in altera summam duc. 5,100 inter parochiales Frequentinæ diœcesis ecclesias distribui, et duc. 400 in beneficium ejusdem cathedralis erogari jussit, in tertia vero parochis diœcesis Abellinensis duc. 9,400 in præbendarum augmentum, et ut iidem pauperibus facilius subvenirent, reliquit. Dispositiones hasce instante capitulo S. C. non sustineri declaravit, et proposito dubio: An, et quomodo bona per dictum Episcopum relicta eroganda, seu convertenda essent? rescripsit juxta votum Card. Ursini juxta instructionem [167]: *Abellinen.*, *et Frequentina*, 18 *aug.* 1703, *dub.* 2.

12. Sub pœna sequestri fructuum mensæ Episcopus monitus fuit de mandato Summi Pontificis a nuntio apostolico causa palatium episcopale reparandi, quod ipse (inquit) fecisset, si reparationis fuisset capax, quum antecessor altissimas mansiones, quas fundamenta sustinere non valent, construxerit; de hac re S. C. requisita censuit esse applicandam quartam redituum ecclesiæ partem in episcopii restaurationem, addiditque ad mentem: *Bitecten.*, *Reparationis palatii episcopalis*, 15 *decemb.* 1703.

13. Seminario clericorum Montispessulani insufficienter dotato consulere exoptans Joannes Estival perpetuus commendatarius prioratus B. Mariæ de Monterbon habitu conventualis, ac electivi ad nominationem regis christianissimi, in quo nulla est animarum cura, eum dimisit in manibus Romani Pontificis, ut suppresso titulo uniretur dicto seminario, accedente regis consensu, sibique fructibus reservatis, quoad vixerit, et successoribus jus nominandi alumnum. At S. C. preces rejecit: *Montis Pesulan.*, *Unionis*, 15 *martii* 1704.

14. Joannes Callus de Excalda Rivera, et Vargas Marchio de Valdefuentes unicus descendens a Joanne Vargas in extremam paupertatem dejectus petiit, ut ex pio opere per eumdem testatorem pro alendis ad studia juvenibus, ac pro dotandis respective fœminis instituto annui reditus ducat 4,000; ex quibus reditibus hactenus deposita ob vocatorum defectum summa ducat. 17,500 adest, sibi tamquam unico dicti operis patrono integra præfata summa concederetur, qua majoratum suum a censu passivo ducat. 1,000 redimere, et fructus ejusdem census elapsos in duc. 7,500 persolvere, ac decentes nuptias ad fundatoris progeniem dilatandam contrahere valeret. S. C. autem rescripsit, ut transmittatur particula testamenti, et ad mentem [168]. *Toletana*, 29 *novemb.* 1704, deinde affirmativum responsum in forma commissaria suo Ordinario præbuit: 18 *julii* 1705.

15. Pietate erga parentibus orbatos ductus Michael Fructi loci paternarum opus pium sub Episcopi assensu institui existimavit. In sua domo duodecim parentibus orbatos sex masculos, et totidem fœminas dote constituta ducat. bis mille ali jussit. Sed hujusce dotis insufficientiæ causa orphanotrophium erectum minime fuit. Hinc prædicti loci consules a S. C. applicationem perpetuam, vel temporariam bonorum dicti Michaelis pii testatoris in favorem pauperrimi ejusdem terræ hospitalis petierunt, sed non reportarunt, quum S. C. negative rescripserit, et ad D. secretarium juxta mentem: *Carpenctoraten.*, *Commutationis voluntatis*, 19 *junii* 1706.

16. Exorantibus Episcopo, et capitulo ecclesiæ cathedralis pro temporali unione fructuum præposituræ, quæ est liberæ Sedis Apostolicæ collationis,

tibus, et altera ecclesiæ fabricæ, aut alio pio loco arbitrio Episcopi adscribit. Sed lex illa locum habet, cum communes sunt omnium canonicorum: altera vero, cum illi absunt, quibus sua capitulari mensa distincta præbenda est: consule Fagnanum in cap. *Quia nonnulli*, num. 22 et seqq. *de Cleric. non resident.*

[167] Votum Card. Ursini hoc fuit, ut erogarentur duc. 5,647 pro reparatione cathedralis Abellinen., et duc. 5189, 70 pro reparatione ecclesiæ cathedralis Frequentinæ, et duc. 4,123. 60 pro reparatione ecclesiarum parochialium ejusdem diœcesis; necnon duc. 2,653 pro reparatione ecclesiæ cathedralis Frequentinæ, et duc. 4123 60 pro reparatione ecclesiarum parochialium ejusdem diœcesis: in totum duc. 17,613, 30. Instructio vero quam S. C. misit eidem Card. Ursinio Archiepiscopo Beneventano, hæc continet. « Rispetto poi al secondo come debbano erogarsi li beni lasciati dal detto prælato, approvando in tutto il prudentissimo parere dell'E. V. raccomandano alla sua particolare cura di invigilare; che il danoro sinora esatto, e che si esiggera in avvenire, non vada in mano de canonici, ne de parochi; ma si depositi intiera mente presso l'E. V., o di persona sicura, ch'ella giudichera idonea, e che non possa spendersi alcuna somma senza precedente ordine sottoscritto dall'E. V., che il danaro debba impiegarsi in uso, restaurazione, e provisioni solamente necessarie, non gia in risarcimento di nuovo coro, e sidili, come ne anche in abellimento de marmi, e stucchi. » Inde quoad salarium prætensum a canonicis, qui spolio assistentiam præstarunt, et quoad prætensa debita a S. C. arbitrio, et prudentiæ ejusdem Card. Ursini remittitur: *Regist. lit.*, lib. 23 die 18 aug. 1703.

[168] Nempe, nuntio apostolico Hispaniarum rescribi mandatur, ut informationem, et votum suum redderet, simulque testamenti particulam transmitteret: *Ead. causa*, 18 *julii* 1705.

et in eadem ecclesia erectæ, post cessum, aut recessum moderni præpositi Othonis comitis de Schallenbergh ad effectum æri alieno, quo ecclesia illa in summa scut. 10,000 gravatur, satisfaciendi, S. C. respondit; *Audiantur officiales Datariæ: Constantien.*, *Indulti*, 2 *octob.* 1706. Et reproposita causa jussit, ut instet tempore vacationis: 23 *julii* 1707, confirmata 19 *maii* 1708.

17. Jo. Baptista Christinus Eugubinus conservatorii pauperum puellarum honore periclitantium erectionem mandavit. Administratores hæreditatis causa redituum inopia breve ab Alexandro VII, quo prævia derogatione voluntatis testatoris, et remoto conservatorio cautum fuit, ut de bonorum fructibus singulis annis dotes scut. 100 in favorem puellarum constituerentur, reportarunt. Modo autem gubernatore orphanotrophii S. Josephi unionem eorumdem bonorum petente una cum brevis derogatione, S. C. preces non admisit, et addidit, ut Episcopus cogat administratores ad redituum rationem reddendam prout de jure: *Eugubina*, *Unionis*, 20 *nov.* 1706.

18. Franciscus Tomacellus testatoris marchionis Friderici pronepos, ac primogenituræ possessor supplex S. C. adivit, enarrans, quod, licet præsignatæ in testamento dispositiones impletæ sint, diebus tamen procedentibus propter varias calamitates maximi hæreditatis proventus tam notabiliter diminuti sunt, ut longe infra operibus præscriptis suppetant; et familia Tomacella, cujus splendor apprime a testatore cordi fuit, ne privatæ quidem familiæ decus valeat sustinere. Hinc illorum proventuum, quos postremo testator in piis operibus incertis, arbitrio gubernatorum Montis Misericordiæ civitatis Neapolis erogandos disposuit, applicationem postulavit; sed S. C. ut audiatur mens, et ut scribatur pro meliori informatione juxta instructionem Card. præfecti [169] respondit: *Neapolitana*, *Assignationis subsidii*, 9 *junii* 1708.

19. Ad sublevandam archiconfraternitatem S. Hieronymi charitatis Urbis ære alieno gravatam exorant officiales, et deputati pro facultate sortem liberam scut. 41,887. 97 convertendi, et applicandi in extinctionem debiti scut. 92,201. 48, S. C. precibus arbitrio Card. relatoris prævia absolutione annuit. Nam expensum annuatim acceptum in scut. 3,210. 15 excedit. *Rom.*, *Operum piorum*, 7 *julii* 1708.

20. Quamquam dispositio Julii Cæsaris Raggioli, qui per dictionem taxativam locum celebrationis Missarum in Urbe limitavit, aperte obstaret, tamen applicatio hæreditatis ejusdem facienda ecclesiæ S. Luciæ Prænestis, cujus principi testator capellanum nominandi reliquerat facultatem, postulata, sed haud concessa fuit: exposuerat enim capitulum illius civitatis necessitatem erigendi in ea congregationem ecclesiasticorum communiter degentium sub directione, ac gubernio præsbyterorum congregationis Missionis: *Romana seu Prænestina*, *Beneplaciti*, 2 *aug.* 1710.

21. Ad restituendam ecclesiam collegiatam S. Paulini temporis injuria eversam, quum nulla adsint media ob proventus mensæ capitularis diminutos, ac direptos, nisi applicatio duarum ex tribus partibus dignitatis præposituræ nullam residentiam requirentis occasione tamen vacationis perficeretur; hæc a S. C. fuit petita; sed non obtenta. Nam, Archiepiscopus elector incongruam videri reædificationem ejusdem ecclesiæ expositæ injuriis direptionis, ac plura secula ad eam complendam labi debere exposuerat: *Treviren.*, *Reædificationis ecclesiæ*, 7 *febr.* 1711.

22. Applicatio prædiorum, ac sortium, quæ ex fructibus hospitalis oppidi Magdaluni exuberantibus fuerunt comparati, ac in dotes puellarum converti debebant, a S. C. conceditur in favorem monasterii monialium, quod fundare postulat ducissa Carlotta Columna, imposita eidem monasterio obligatione pro manutentione hospitalis erogandi, quatenus necessitas exigeret, annuatim ducatos 300, quod suadebat votum Card. Ptolomæi, juxta quod applicatio fuit donata: *Magdalunen.*, 22 *april.* 1719.

23. Nicolaus de Tedeschis Archiepiscopus Apamiensis tempore, quo ecclesiæ Liparitanæ præerat, cogitavit de seminario erigendo, et suam obtulit mensam annua contributione scut. 200 onerandam, ac deinde petiit a S. C., ut fas esset ex hæreditate Bartholomæi Russi ad annua scut, 500 ascendente, quæ juxta dispositionem testatoris erogari debuissent in erectionem cujusdam hospitalis, quolibet

[169] S. C. priusquam desuper quicquam decernat gubernatores Montis Misericordiæ hæredis instituti audiendos esse censuit, ac meliorem exquirendam informationem, et primum ad quam summam ascendant hodierni fructus sortis scut. 200 millium; 2. In quæ opera pia fructus hujusmodi erogentur; et 3 cum in testamento plura fuerint ordinata multiplica præsertim pro subsidiis scut. 220 assignandis equitibus pauperibus cum prælatione illorum de familia, qualia sint hujusmodi multiplica cum illorum distinctione, et expressione quantitatis in singulis annis, vel de viginti novem annos, et quomodo orator participet tam de hoc subsidio, quam de aliis multiplicis specificando multiplica, et quantitatem fructuum, quæ percipitur ex quolibet multiplico: Episcopus igitur terminum sibi benevisum præfigere non gravetur gubernatoribus dicti Montis ad deducendum prætensa jura in S. C., et quatenus nihil in contrarium deducere velint illorum potissimum consensum procurare, necnon de præmissis S. C. distincte instructam reddere non dedignetur: *Regist. lit.* lib. 24, *die* 9 *junii* 1708.

anno desumere scut. 300 facta applicatione reliquorum scut. 200 in favorem hospitalis jam erecti in civitate Liparitana. S. C. annuit pro gratia applicationis scut. 200 in favorem hospitalis jam erecti, et residui in favorem seminarii erigendi, necnon pro facultate imponendi pensionem perpetuam scut. 200 annuorum super mensa episcopali, apposito lapide tam in seminario, quam in hospitali prædictis in memoriam pii testatoris: *Liparien.*, 20 *novem.* 1723.

24. Ut canonicatus in ecclesia cathedrali erigeretur, Septimius Mareotti voluit, ut omnia bona suæ hæreditatis pro erectione cederent; ita ut canonicatus fructus ad annua scut. 100 pervenirent. Angelus Mareotti patronus ejusdem comperiens bona hæreditaria annuum reditum scut. 70 non excedere, supplicavit, ut sibi facultas concederetur, ut prædium quoddam in territorio Montis-Ulmi positum, et ad hæreditatem Lauretani Missarum onere gravatam pertinens sibi vero ex cessione delatam, adjiceretur canonicatus doti, injuncto illius possessori onere biscentum celebrandi in animarum Julii Lauretani, suorumque levamen Missas; sed præfatæ unionis gratiam minime impertiri S. C. censuit; *Maceraten.*, *Unionis*, 13 *april.* 1727.

25. Applicationem fructuum duorum beneficiorum reditus utriusque scut. 67 annui S. C. denegavit, ut proventus ejusdem ad cathedralis templi instaurationem, ac perfectionem tranferantur: *Papien.*, 18 *april.* 1733.

26. Modernus Episcopus Vigiliensis ob civitatis inopiam, et congrui reditus deficientiam novi seminarii erectionem ab Episcopo Pompeio Sarnellio scut. 1,500 legatis demandatam fieri non posse noscens postulavit, ut ejus loco publicum grammaticæ, cantus, aliarumque scientiarum gymnasium aperiri posset; S. C. anno 1734 petitioni annuit; ac modo quum quæreretur, an standum, vel recedendum sit ab hac decisione? rescriptum prodiit, in decisis, donec fieri possit erectio seminarii, et si quid ex fructibus quotannis supererit, investiatur in eamdem causam: *Vigilien.*, 14 *april.* 1736, *dub.* 1, confirmata 7 *julii ejusd. anni.*

27. Sacerdos Jo. Franciscus, et Cajetanus ad exemplum puellarum trium de Benedictis germanarum sororum, quæ ab hærede fiduciario Claudi Vodre scut. 400 in earum commodum, et dotem acceperunt, exponentes se in summa angustia una cum Isabella sorore versari, supplicarunt, ut suspensa celebratione Missarum, quæ quatuor capellaniis adnexæ sunt, annui earumdem reditus sibi, donec vixerint, applicentur; sed minime fuerunt auditi: *Romana*, *Commutationis voluntatis*, 1 *julii* 1741.

28. Omnia sua bona in monasterii monialium fundationem erogare voluit sacerdos Fabius Vecchionius. Monasterium vero ob redituum paucitatem erigi nequit. Descendentes inopes dotem sibi pluries applicari obtinuerunt. Postremo soror Maria Angela, et Teresa Vecchioni reliquos hæreditatis fructus sibi assignari impetrarunt. Ex his soror superstes Teresia nedum integros sibi sortium fructus tam in hanc usque diem decursos quam in posterum decurrendos sibi tradi, sed potestatem quoque fieri, ut de capitalibus ipsis libere, et ad sui libitum queat disponere, imploravit. Sed gratiam hanc quoad fructus tantum impetravit: *Capuana*, 20 *jan.* 1742.

29. Spoliorum bon. mem. Chyrliæ prædecessoris Episcopi applicatio fieri nequit in honorarium concionatoris, neque in stipendium capellani pro tempore ecclesiæ Sanctissimi-Crucifixi: *Juvenacen.*, *Decretorum*, 30 *martii* 1743, *dub.* 4.

30. Verum eadem spolia applicari quidem possunt in usum fabricæ dictæ ecclesiæ cathedralis ad formam Constitutionum apostolicarum [170]: *Ibid.*, *dub*, 5.

31. Ac dictorum spoliorum applicationem ab Episcopo cum scientia, et consilio capituli, faciendam esse decernitur: *Ibid.*, *dub.* 6.

32. Applicationi fructuum hæreditatis Caroli Zinnani expetitæ a capitulo ecclesiæ collegiatæ terræ Arcis Monfinæ sub onere recitandi quotidie officium divinum an esset locus ad formam testamenti quum controverteretur? Negativæ S. C. adhæsit sententiæ. Testator enim suam voluntatem, licet coactus ex renuentia quorumdam canonicorum in codicillis mutavit: *Theanen.*, *Testamenti*, 28 *sept.* 1743.

33. Populus Montis Milonis Summum Pontificem exoravit, ut parochialem ecclesiam inibi existentem in insignem collegiatam erigeret. Parata erant

[170] Quæ super Episcoporum spoliis emanatæ sunt: nempe Const. *Inscrutabili*, 28 januar. 1694 (*Bull. Rom.* tom. 9, p. 342). Innoc. XII, Pont. Max., a quo spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque prælatorum per regnum Neapolitanum, addicta fuerunt ecclesiis, quibus dum viverent, præfuerunt. Const. Bened. XII *Sacrosancti Apostolatus*, 11 julii 1724 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 21, pag. 324) præfatam Const. ampliavit, etiam ad Episcopos, qui extra residentiam moriantur. His postea accessit Const. Bened. XIV *Pastoralis*, 28 april. 1756 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 181), in qua nova forma asservandis, custodiendis, distribuendisque dictis spoliis prescribitur; ac jubetur, ut, quicumque sede vacante, quoquomodo eadem spolia administrarunt, vel administrationi præfuerunt; novo Præsuli rationem reddere teneantur.

omnia ad erectionem opportuna, deficiebant tantummodo scuta ter millia, quæ ex fructibus hæreditatis Accursii pro panis distributione pauperibus facienda ab Accursio destinatis erogari poterant. Ita excreverat multiplicum pro hac distributione, ut scuta sex millia, et ultra extarent, quæ et ad pauperes alendos, et ad erectionis opus perficiendum satis apta erant; hinc pro applicatione præfatæ summæ 3,000 in favorem erectionis collegiatæ exoratur; sed suspensa causæ definitione demandatum fuit, ut firmaretur, et transmitteretur status multiplici : *Marceraten.*, *Applicationis*, 5 *julii* 1749.

34. Duæ in civitate Messanæ aderant jacentes hæreditates una Placidi Missani, et altera Marii Cariddii. Ambo in favorem pauperum puellarum disposuerunt. Primus voluit vero ut puellæ pauperes in monasterio *alli Gentiloni* nunquam perfecto, alter in erigendo monasterio, quod inspecta redituum modicitate erigi nequit, alerentur. Serenissimus hinc Siciliæ rex, censuit, eas esse S. Mariæ Angelorum applicandas, adjecto onere recipiendi juxta testatoris mentem puellas; et in supplicatione adjiciebatur, ut sibi liceret uncias biscentum in reparationem monasterii erogare. Sed monasterium Sanctissimæ Conceptionis contradictorem sese præstitit, aiens ejus fabricam non indigere reparatione ulla. Attamen S. C. in favorem monasterii S. Mariæ Angelorum respondit: *Messanen.*, 12 *sept.* 1750.

35. Quum quæsitum fuisset ; an reditus superextantes societatis Sanctissimi Suffragii oppidi Stronconii applicari in commodum ecclesiæ S. Nicolai ; et ecclesiæ S. Michaelis, quæ sunt duo collegiatæ, ac parochiales, et in utraque erecta est societas, possint? S. C. esse applicandos juxta institutum societatis rescripsit : *Narnien.*, 11 *april.* 1752, *dub.* 3, confirmata 8 *julii ejusd. anni.*

36. Petita fuit a sodalitio Sanctissimi Sacramenti applicatio hæreditatis Angeli Sacchi, qui eidem sodalitio constructionem habitationis catechumenorum, eosque alere ex reditibus hæreditatis, mandavit; et applicatio prædicta, ut reditus in pios alios necessarios usus sui instituti erogare, et ut etiam pro neophytis fructus impendere propter majoris identitatis rationem valeant sodales juxta votum Episcopi concessa fuit : *Anconitana*, *Applicationis*, 13 *januar.* 1753.

37. Applicantur fructus archidiaconatus tam percepti, ab archidiacono Petro Grimaldo, quam percipiendi ecclesiæ cathedralis fabricæ vigore peculiarium constitutionum ejusdem tum ob non residentiam, tum ob non susceptos ordines sacros archidiaconatui adnexos : *Mindonien.*, *Fructuum*, 24 *martii* 1753, *dub.* 1 et 2. Deinde quoad fructus perceptos S. C. recessit a decisis 26 *junii* 1756 confirmatum, et additum, et quoad fructus percipiendos : Dilata, et scribatur Episcopo, ut partes componere curet : 18 *junii* 1757.

38. Theophilus Garganius civis Gallesii, communitatem instituit hæredem, dato onere alendi quatuor adolescentes, qui ibidem orti essent, ut in urbe Romæ studiis assidue operam darent. Horum singulis annua scuta 80 dari idem jussit testator. Si reditus tamen superessent, et quintum, et sextum juvenem insuper studiorum causa alendum Romæ jussit. Primorum studiorum curriculo impleto, voluit, ut idem iisdem stipendium continuaret per triennium ad hoc, ut possent jurisprudentiæ, vel medicinæ præceptis imbui. Episcopus, qui collegii erectionem cogitabat rescriptum a congreg. particulari anno 1729 confirmatum a Benedicto XIII, Sum. Pont., communitate minime audita reportavit, ut hæreditas præfata applicaretur collegio erigendo juxta modum [171]. Insuper alterum prodiit rescriptum audita eadem communitate pariter juxta modum [172]. Verum quum contra voluntatem testatoris fusius id omne factum fuisse communitas ostendisset, S. C. prævio recessu a decisis servandam esse dispositionem testatoris, juxta mentem sancivit : *Civitatis Castellanæ, Unionis, seu Applicationis et commutationis, 4 maii* 1754.

39. Applicationi bonorum in favorem rev. fa-

[171] Modus autem est, ut aperto seminario, illi applicetur medietas redituum cum onere manutenendi quatuor alumnos, qui esse debeant terræ Gallesii, et nominari a communitate, et pro instituendis juvenibus pro secunda classe grammaticæ in omnibus, et per omnia juxta voluntatem testatoris. Altera medietas erogari pariter debeat pro instituendis aliis tribus juvenibus itidem Gallesii in aliis scientiis juxta voluntatem ejusdem testatoris, qui tamen debeant permanere in aliquo collegio, seu seminario tantum in Urbe : ita tamen, ut semper communitas Gallesii nominare debeat ad loca prædicta Urbis tres juvenes instructos prius sufficienter in seminario erigendo : *Ead. causa*, 18 *sept.* 1745, § 2.

[172] Modus est, ut aperto seminario illi applicentur ex reditibus hæreditatis Theophili Gargani scut. 160 annua cum onere manutenendi quatuor alumnos terræ Gallesii, seu ex ea oriundos, habiles pro secunda classe grammaticæ, et nominandos a communitate, qui præstare non teneantur obligationem, seu juramentum de suscipiendis ordinibus sacris. Alia vero scut. 240 annua ejusdem hæreditatis erogentur pro instituendis in urbe aliis tribus juvenibus pariter Gallesii, seu oriundis, nominandis ab eadem communitate, et si aliquid supererit, investiatur ad formam testamenti cum declaratione, quod in reliquis, quæ non adversantur præsenti resolutioni servetur in omnibus, et per omnia voluntas testatoris : *Ead. causa*, 18 *april.* 1745, § 3.

bricæ S. Petri propter legatum pium de Amadoriis non expletum minime est locus. Card. visitator enim legata, quorum fundi distracti fuerant, delevit ad æs alienum, quo sodalitium S. Joannis nationis Florentinæ gravabatur, dimittendum ; et rev. fabrica illud legatum de Amadoriis inter adempta legata pia non comprehendi, quum fundus existeret, affirmabat: *Romana*, *Applicationis*, 17 *jan.* 1766.

40. Inter cætera legata sorores Zitelliæ duc. 200 conventui Carmelitarum civitatis Suessæ, ac nonnullos reditus in ornatum capellæ B. M. de Carmelo reliquerunt. Insuper jusserunt venditionem bonorum cum prælatione consanguineorum, si ea emere voluissent. Patres Carmelitæ putantes earum sororum dispositionem fuisse in favorem sui conventus exaratam, a curia laicali Suessæ sententiam assequuti sunt, qua conventui bona adjudicabantur, solutis legatis. Sed instantibus legatariis S. C. non applicationi bonorum in conventus prædicti favorem cui onere solvendi legata, sed eorumdem venditioni esse locum putavit : *Suessana*, 20 *nov.* 1766, *dub.* 1.

41. Unus ex presbyteris residentibus nuncupatis in templo oppidi Salodii servientibus obiit, et jussit, ut a residentibus consociis in eorum ecclesia sacra fierent cum stipendio solidorum triginta pro quolibet, et quatuor anniversaria. Residentes ingenti sacrorum numero gravati, censuerunt impossibile prorsus esse, ut voluntas consocii Antonii Pezze posset ab ipsis expleri. Preces ideo obtulerunt, ut eamdem hæreditatem, ejusque fructus uniret, atque applicaret præbendis residentiam, prout dictitabatur cogitasse testatorem, certo quodam constituto sacrorum numero, quæ inter eosdem distribuerentur. Sed votis, et postulationi eorum S. C. non favit : *Brixien.*, *Unionis et applicationis*, 21 *julii* 1759.

42. Dubio proposito in S. C.: An fructus tam percepti ex archidiaconatu nuncupato *de montes* in ecclesia cathedrali existenti, de quo provisus fuerat Franciscus Longorius, quam a die sequestri iisdem fructibus ad instantiam capituli, dum Longorius aberat, appositi, sint Fabricæ Ecclesiæ applicandi? rescribitur. Dilata, et exhibeantur indulta una cum libello : *Tuden.*, *Residentiæ*, 24 *nov.* 1759, *dub.* 3.

43. Tredecim capellaniæ liberæ collationis capituli ecclesiæ cathedralis ex concordia inita inter Episcopum, decanum, et capitulum a Sede Apostolica probata, professoribus artis musicæ conferri debent, ut divina canerent officia. Ex hujusmodi professorum deficientia ex his vacantes novem remanserunt; ita ut earum reditus maximopere excreverint. Horum fructuum augmentum applicari postularunt Episcopus, decanus, et capitulum pro musicorum, ac instrumenta musicalia pulsantium salario, supportatis tamen oneribus. Nuntio Hispaniarum in votis fuit gratiæ concessio, determinata tamen certa majori fructuum pro capellanis quantitate, vel hujus quantitatis præfinitionem arbitrio Episcopi remittendam. Annuit etiam S. C. juxta votum nuntii prædicti, qui concordet cum Episcopo, decano, et capitulo reparationem faciendam, et a S. C. approbandam ; *Corduben.*, 10 *maii* 1760.

44. Vigore motus proprii Summi Pontificis sequuta fuerat binarum hæreditatum testatorum, quorum primus erectionem Montis pietatis, alter capellaniam quamdam mandaverat, applicatio in favore fabricæ ecclesiæ cathedralis. Obtenta proinde adversus illum aperitione oris a communitate, hæc docuit S. C. ruinosam minime esse illam ecclesiam sed scut. 350 tantum instauratione indigere, et huic necessitati ex quarta fructuum episcopatus, ac canonicatuum, vel ope mediæ annatæ occurri posse contendit. Hinc proposito quæsito ; an esset bonorum, et multiplici applicatio facienda? responsum fuit contra applicationem; sed esse locum novi Montis pietatis erectioni : *Maceraten.*, *Applicationis*, 20 *decemb.* 1760.

45. Ad secundas conscientias administratorum piarum dispositionum trium testatorum, qui in favorem pauperum bona reliquerunt, petitum est, ut eorumdem hæreditatum reditus perpetuo applicarentur ecclesiæ parochiali, et hospitali pauperum ægrotantium, præsertim quia summa est ecclesiæ, et hospitalis egestas, et nulli amplius extant testatorum cognati, vel affines, quibus videatur jus quæsitum pro eleemosynis, aut vestibus consequendis. S. C. autem censuit medietatem redituum esse erogandam in subsidia dotalia ad formam testamentorum, reliquam medietatem in favorem hospitalis: *Vicen.*, *Commutationis et applicationis*, 20 *nov.* 1762.

46. Applicatio exuberantium fructuum hæreditatis Alexandri Godignola ad supplenda onera hæreditatis Angelicæ de Benedictis, cujus fructus imminuti impares sunt, ad implenda onera injuncta permittitur; cum onere tamen pecunias nomine hæreditatis Godignolæ investiendi : *Urbinaten.*, *Applicationis*, 21 *julii* 1764.

47. Altaris suffragii in ecclesia S. Antonii abbatis loci Pinnæ erecti, ejusdem bonorum applicatio in favorem sodalitii sortis, et Orationis ejusdem oppidi fuit a S. C. denegata. Nam hoc sodalitium reditus nonnullos, licet tenues habet, ac in ecclesia S. Elisabeth dicti oppidi erectum est : *Firmana*, 2 *martii* 1765.

48. Michael Vicens Hispanus trientem suæ hæreditatis pauperibus distribuendum reliquit. Aliam postea in codicillis pro eorum vestibus largitionem

addidit. Majores, quam testator putaverat, inventæ sunt pecuniæ; postulata itaque fuit, ac denegata applicatio earum in favorem seminarii cum onere alendi unum adolescentem; nam juxta auctos reditus etiam pauperum numerus augeri, et beneficio pii testatoris frui debet: *Vicen.*, 3 *aug.* 1765.

49. Fructus bonorum, quæ a capitulo Vadensi data et cessa fuerunt seminario episcopali sub lege, quod, deductis prius scutis 300 ad seminarii alumnos sustentandos, cætera, quæ superessent ad sacrarium, aliumque pium usum erogandos esse, adimpletis ante omnibus oneribus transactionis, et dictis scutis 300 solutis, et quatenus sacrarium non indigeat, applicandos esse in perpetuum in favorem seminarii ejusdem, facto verbo cum Sanctissimo, et ad D. secretarium ad mentem [173], responsum prodiit: *Vaden.*, *Supellectilium*, 28 *sept.* 1765.

50. Applicatio ratæ partis scut. 100 ex fructibus inexactis hæreditatis Antonii Justi in multiplicum relictæ pro quatuor canonicatuum erectione in favorem fabricæ ecclesiæ parochialis S. Petri Castrinovi permissa est. Voluntas enim testatoris impleri nequit, et ad consulendum fabricæ dictæ ecclesiæ desunt alia remedia: *Lucana*, 21 *junii* 1766, *dub.* 1.

51. Necnon aliorum scut. 203 ex fructibus inexactis hæreditatis Horatii Bertacchi pro capellaniarum erectione relictæ in ejusdem fabricæ favorem applicatio impertitur. Hæc enim summa est difficilis exactionis, nec ullo legato peculiari a testatore fuit destinata: *Ibid.*, *dub.* 2.

52. Applicatio bonorum, quæ ad sodalitium sanctissimi Rosarii, aliorumque legatorum, necnon personalium decimarum pertinent, in favorem parochiæ noviter erigendæ fuit denegata a S. C. addendo ad mentem [174]. Nam ipsius erectioni haud locus fuit: *Lunen.*, *Sarsanen.*, *Dismembrationis*, 20 *sept.* 1766, *dub.* 2.

53. Applicatio hæreditatum, quæ a Gratiosi, et Angelo Remigio Calbini pro tot sacris habendis eleemosynis, et subsidiis dotalibus fuerunt relictæ, populo oppidi Maceratæ Feltriæ, qui novam erigendam ecclesiam in suburbio dicti oppidi exoptabat, fuit denegata, et quoad reliquas pias hæreditates ceterorum testatorum, quarum applicatio quoque fuit postulata, jure suo uti censuit S. C.: *Feretrana*, 20 *dec.* 1766.

54. Applicatio medietatis redituum, qui sunt assignati a testatore Alexandro Palantieri Castri Bononiensis pro manutentione quatuor juvenum data prælatione adolescentibus de familia fuit denegata in favorem Lamberti, ejusque filii Alexandri Palantieri, quibus jus nominandi dictos juvenes erat; etiamsi ab his gravis paupertas enarrabatur: *Imolen.*, 26 *martii* 1768.

55. Consulendum esse Sanctissimum pro concessione indulti applicandi medietatem fructuum quatuor annorum præbendarum, quas vacare contigerit, firmis remanentibus solis carentiis, prout de jure, pro dissolvendo capituli ecclesiæ archidiaconalis Xantensis debito, quo premitur, causa bellorum, inundationis aquarum, luisque armentorum contracto, ne ministri ecclesiæ redacti ad mendicitatem hæreticis sint ludibrio; et direptioni ecclesia exponatur: *Colonien.*, 14 *januar.* 1769.

56. Hæreditatem Francisci Georgii Harsewinkel, ex qua idem jussit, ut, defectis a se vocatis, tria, vel quatuor beneficia simplicia in ecclesia cathedrali erigerentur, in favorem seminarii jamjam erigendi in alumnorum sustentationem, prout Episcopus petebat, applicandam non esse statuit S. C. Quamquam maxima futura foret utilitas ex hujusmodi seminarii erectione, quæ aliter obtineri non posse ab Episcopo exponebatur: *Paderbonen.*, *Applicationis*, 19 *dec.* 1772, *dub.* 1.

57. Joseph Scipio Olivierius institutis hæredibus PP. Congregationis Oratorii civitatis Nuceriæ mandavit, ut pars domus pro hospitio pauperum sacerdotum, seu religiosorum itinerantium inserviret, et inferiorem partem dictæ domus pro schola cantus in favorem clericorum. Inutilem asserunt patres dispositionem hujusmodi, quum schola cantus in seminario adsit, ubi omnes clerici ad interveniendum compelluntur. Hinc parati sunt pro seminario hæreditatem renunciare, dummodo sibi retineri possint summam scut. 85, pro qua cedere non recusant seminario omnem supellectilem propriis sumptibus comparatam, ac in hospitio existentem. Seminarium hospitium pro viatoribus, ac infirmis servare promittit. Et S. C. applicationem ad formam consensus, et juxta votum Episcopi [175] adimpletis omnibus oneribus juxta dispositionem testatoris, facto verbo cum Sanctissimo concessit: *Nucerina*, *Applicationis*, 13 *martii* 1773.

[173] In Regist. lit. lib. 32, die 28 sept. 1765, legitur rescriptum, nulla facta mentione *ad mentem*.

[174] Mens est, ut scribatur Episcopo juxta instructionem, et hujusmodi causam amplius non proponi mandavit: Lib. 116, decret. p. 385.

[175] Qui concludit: « Putarem, quod licet oratorii patribus quod superet concedatur ex præfata quinque, et octaginta nummorum summa, lectorum, linteorum, stragularumque vestium ceterorumque mobilium, quæ omnia ad eam compensandam libentissime cedunt, pretio ab eadem de eadem detracto, supradictam EE. VV. cessionem certa seminarii, tutaque utilitate possent approbare » *Ead. causa*, 13 *febr* 1773, § 3.

58. Petrus de Montalt e civitate Perpiniani, hærede instituto nepote, plures ei substitutiones fecit, quibus omnibus deficientibus collegium, seu alterum pium opus erigi voluit. Antonius de Montalt ultimus superstes septuagesimo suæ ætatis anno constitutus, sine liberis decessurus, penitusque extincta omnium substitutorum linea disponere volens; etiam de bonis hæreditatis Petri prædicti substituentis; sed dubitans de facultate, petit eorumdem bonorum adjudicationem cum onere persolvendi annua scut. 20 titulo eleemosynæ alicui hospitio applicanda: annuit S. C. sed juxta votum Episcopi [176] : *Elnen.*, 18 *dec.* 1793.

59. Applicanda sunt bona collegii orphanorum civitatis Ameriæ pro erigendo seminario clericorum, quum eadem bona reditus annui scut. 38 ob. 46 pro illius collegii manutentione satis non fuissent : *Amerina, Applicationis,* 23 *nov.* 1776, *dub.* 1.

60. Ac pacta contenta in consensu pro dicta applicatione a confratribus societatis mortis collegii orphanorum administratoribus, præterquam quoad jus nominandi sunt servanda : *Ibid.*, *dub.* 2.

61. Dominicus Frontini hæredem animam suam instituit, plurimaque legata pia reliquit. Petrus Frontini testatoris frater, antequam lis cum hærede uxoris Dominici super bonorum separatione absolveretur, postulavit, ut considerata paupertate, et consanguinitate, et prædefuncti Dominici fratris fortuna ad causas pias relicta, detrahatur summa scutorum centum eroganda pro filiæ suæ proxime nupturæ dotatione ; et obtinere minime valuit : *Firmana, Dotis,* 16 *sept.* 1780.

62. Jacobus Fasci canonicus cathedralis ecclesiæ Setinæ hæredem ex asse suum scripsit capitulum sub onere explendi legata quædam, et missas, quot Episcopus judicaverit celebrandas. Capitulum postulat, ut scuta 550 ex hæreditate collecta, sacrario restaurando, iisque omnibus comparandis applicentur, quæ pro illius ornatu, et usu requiruntur, et paratum interim se exhibet ad celebrationem, quolibet anno, die obitus præfati canonici, solemnis anniversarii. Sed S. C. rescriptum tulit, ut reformarentur preces, et ad D. secretarium ad mentem : *Terracinen. et Setina,* 17 *martii* 1781.

63. Indulsit S. C. applicationem seminario diœcesano indigenti fructuum superexstantium hospitalis villæ Coccorani in summa scut. 125 in expeditionem bullæ unionis beneficiorum in favorem seminarii prædicti factæ, eroganda : etiamsi integra summa scut. 250 pro eadem expeditione necessaria fuerit postulata : *Eugubina, Applicationis,* 15 *sept.* 1781. Sed postea recessit a decisis, et nihil esse præstandum ab hospitali seminario præscripsit, imo injunxit Episcopo, ut omnino incumbat exequutioni piæ voluntatis fundatorum, et benefactorum hospitalis, necnon certiorem eam de adimplemento redderet. Et seminarium summam concessam non sufficere pro expeditione, sed alia scut. 160 ob. 42 opus esse applicare exposuit : 20 *april.* 1782.

64. Quum adsit in civitate Fulginii conservatorium conversarum, quod est pauperrimum, necnon institutum puellarum Patris Cæsaris, qui domum emit, puellisque donavit, ubi absque peculiari habitu, et absque votis vivere possint; tres vel quatuor in dicta domo adesse consueverunt, et modo una mulier ægrota, cum duabus puellis vocatis ad præstandum eidem famulatum superstes est; quæsitum proinde fuit in S. C., an sit locus applicationi bonorum domus puellarum nuncupatæ Patris Cæsaris in favorem conservatorii conversarum? Responsum prodiit : Dilata, et exhibeantur dispositiones tam P. Cæsaris, quam Catharinæ quondam Simonis : *Fulginaten., Applicationis,* 26 *jan.* 1782.

65. Vacante parochiali ecclesia oppidi Meggiani inveniri non potuit ob illius redituum tenuitatem, qui illam assequi curet; ne igitur diutius careat pastore, populus ejusdem oppidi exorat, ut de universa hæreditate Bernardini Antonini, qua erigi debet capellania in dicta ecclesia parochiali, quæ erectio adhuc expleta non fuit, quia bonorum reditus ad onera implenda non sufficiunt, bona applicentur parochiali ; ac insuper donetur missarum reductio, una cum legato Mariæ Magdalenæ Statera, quod jam parochiæ unitum est, S. C. ad hæc rescripsit : ad dominum secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [177] : *Spoletana,* 5 *april.* 1783. At ad exitum properante quinquennio postulat populus supradictus perpetuam fieri temporariam gratiam ; et S. C. annuit ad aliud quinquen. et interim

[176] Episcopus in sua relatione existimat, oratorem posse de bonis Petri Montalt pro libito disponere, quia collegii institutio demandata fuit in casu, quo ultimus de familia intestatus decessisset. Advertit, hæreditatis vires non sufficere proprii operis institutioni, ac demum concludit, quod testator bonum litterarum, ac studiorum aliquo modo videatur, intendisse, dictam aureorum Parisiensium quinquaginta summam merito, sancteque applicari posse arbitramur Elnensis diœcesis ordinandis exercitiis seminarii vacantibus : *Ead. causa,* 18 *dec.* 1773, § 5.

[177] Pro quinquennii scilicet assignatione legatorum Antonini, et Statera ; ac reductione Missarum 85 ad 60, quibus parochus oppidi Meggiani, præter illas pro populo quotannis gravatur; in subsidium parochialis ecclesiæ : *Ead. causa,* 13 *junii* 1789.

curet Episcopus providere indigentiæ parœciæ aliis remediis a S. C. Concil. Trident. præscriptis [178]: 27 *junii* 1739. Tandem conceditur perpetua applicatio, et reductio juxta votum Episcopi [179]: 18 *dec.* 1790.

66. Fructuum hæreditatis Thomæ Ugolini canonici cathedralis, qui instituta hærede anima sua celebrationem in eadem ecclesia missarum, et anniversariorum mandavit, canonici ejusdem ecclesiæ petierunt applicationem ad reparandam potissimum capituli domum terræ motu concussam; et S. C. respondit, quando constet de impotentia oratorum, pro gratia arbitrio, et conscientia Episcopi pro summa vere necessaria tantum arbitrio peritorum, celebratis tamen decem missis pro quolibet centenario earum, quæ celebrari deberent ex dispositione testatoris, et anniversario uno quolibet anno, quo indultum necessario ex causa expressa in precibus perdurare debebit, et docto coram eodem Episcopo de fideli erogatione pecuniæ. Hinc Episcopus tradi mandavit capitulo scut. 1800, quæ in illam causam fuerunt erogata. Incepto vero opere graviora fuerunt inventa domus vitia; et denuo canonici exorarunt facultatem percipiendi fructus hæreditarios superexstantes, reductis oneribus, nempe celebratis anniversariis, et 100 sacris a singulis canonicis, ad domum perficiendam, et licet contradicente testamentario exequutore, S. C. rescripsit pro gratia juxta votum Episcopi [180] docto coram eodem de celebratione Missarum, et fiedeli erogatione pecuniæ: *Foroliviem.*, 24 *martii* 1787.

67. Ad domum parochialem ecclesiæ S. Georgii reparandam æs alienum contractum fuit auctoritate S. C. Episcop. et Regul., adjecta lege depositi. Quum vero annui reditus exigui nimis essent, ut vix scut. 30 attingant, hæreditas relicta a conjugibus Carlini pro Missarum celebratione in dicta ecclesia adimplenda applicata fuit in solutionem prædicti æris alieni cum onere peragendi annua sacra 40 in perpetuum: *Maceraten.*, 24 *martii* 1787.

68. Dum promotor fiscalis urgebat exequutionem decretorum præsulum Monti et Gambi, qui in sacra visitatione canonicis ecclesiæ cathedralis interdixerunt, ne fabricæ reditus in proprios, eorumque feudi Maltineani usus converterent, contradicentibus iisdem canonicis S. C. sancivit dicta decreta esse exequenda: *Asculana*, 21 *julii* 1788, *dub.* 4. Deinde causa reproducta rescripsit: Dilata, et proponatur particulariter sub congruo dubio: An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 30 nov. 1673, quoad expensas Castri Maltineani? 7 *febr.* 1789.

69. Ex legato pio Marci Antonii Gisgoni Innocentius XII, Pont. Max., prævia voluntatis commutatione unam partem redituum pauperibus invalidis, alteram dotalibus subsidiis, tertiam hospitali Misericordiæ Arimini destinavit, quum testator, cum prælatione illorum de domo pauperibus, ac hospitali legaverit. De hoc legato subsidia inde obtinuerunt variis temporibus consanguinei testatoris quanquam in gradu remotissimo cum testatore conjuncti. Modo agmine facto Lucas de Alexandris, ejusque quatuor filiæ, illius frater Marianus, ac Gertrudes soror, et Mariani neptis, qui jam annua ex illo habent subsidia, supplicarunt pro applicatione bessis redituum, pro qua jus habere aiunt, spectata eorum gravi paupertate, ac testatoris prælatione; S. C. eos non audivit; quod si integrum consequerentur redituum bessem, qui annuam summam attingit scut. 980, jam e pauperibus fierent ditissimi in præjudicium inopum Ariminensium: *Urbinaten. seu Ariminen.*, 17 *januar.* 1789, confirmata, 5 *april.* 1794, *dub.* 1.

70. At augmento in annuis scut. 9 pro qualibet ex filiabus Lucæ, sumendis ex subsidiis dotalibus locum esse S. C. definivit: *Ibid*, *dub.* 2.

71. Sacerdos Petrus Seccadellius ex sua hæreditate Missarum celebrationem, necnon pauperibus distributionem ordinavit, instituitque hæredem congregationem Paulinam Brisighellæ, eique substituit societatem suffragii. Neutra hæreditatem acceptavit.

[178] In Sess. 21, cap. 5, *de Reform.* tribuitur Episcopo facultas uniendi ecclesiæ parochiali ob ipsius paupertatem alias ecclesias parochiales, et beneficia etiam non curata; ac inde in sess. 24, cap. 13, *de Reform.* habetur, quod, si provideri non possit necessitatibus parochialium unionibus præmissis, curabit Episcopus, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut alia, quæ commodior ei videbitur, ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiæ necessitate decenter sufficiat.

[179] Qui ait: Oratores præ oculis habent, et ægre ferre coguntur bona dictorum legatorum adeo in pejus ruere, ut quam cito prorsus infrugifera ac sterilia evadant, qua de causa parochus, seu temporalis administer aliquid serere in illis prædiis se devinci non posse fatetur, tum quia illa inter se dissita, ac in diversis locis constituta, necnon ceterisque curæ bonis disjuncta sunt; tum quia ob belluarum copiam, qui damnum afferunt; inutilis est omnis satio. Quibus malis minime mederi potest, nisi reductio præfata ad tempus indefinitum, hoc est, donec ecclesia provisa remaneat, protendatur. *Ead. causa*, 18 *dec.* 1790.

[180] In sensu fuerat Episcopus, ut celebratis missis centum pro quolibet canonico, et anniversariis octo, quod reliquum erit ex reditibus prædictæ hæreditatis quotannis assignetur in causam reædificationis domus capituli perficiendæ usque ad summam scut. 1500, quæ quidem summa a canonicis, et perito in arte muraria necessaria creditur pro effectu explendæ reædificationis: *Ead. causa*, 16 *maii* 1789, § 1.

Hinc Laurentius Nepos, cui annua ad vitam scut. 10 ille reliquerat, postulavit, hæreditaria sibi bona, vel eorum partem, aut tres saltem domos perpetuo, sub certo Missarum numero a Summo Pontifice præfiniendo, concedi; quæsivitque: An esset pro commutatione voluntatis consulendum Sanctissimum? et non esse S. C. putavit: *Faventina, Commutationis voluntatis*, 25 *apr.* 1789, *dub.* 1.

72. Absoluto opere capellæ in ecclesia S. Mariæ *della Stella* Benedictinorum, ubi testator sepeliri eorum habitu indutus voluit, ac sacris omnibus ad ejus usum comparatis ustensilibus, annuisque detractis expensis, scuta circiter 132 supersunt. Omnia administrat abbas *della Stella*, qui, dum redundant capellæ reditus, ac angustiis premitur ejus collegium, ac ecclesia reparatione ob concussionem terræ motus anni 1755 indiget, exorat pro applicatione redituum redundantium, qui sunt, et futuri erunt; licet testator expresse etiam reditus exuberantes in alium usum converti prohibuerit. S. C. omnibus perspectis annuit pro fructibus in posterum decurrendis ad decennium, et ad affectum restaurandi ecclesiam tantum, facto verbo cum Sanctissimo: *Ulyssiponen.*, *Applicationis*, 18 *dec.* 1790.

73. Ad perficiendam fabricam seminarii Fani scut. 800 adhuc circiter requiruntur; annuique illius reditus tamen non permittunt alumnorum magnum numerum. Hinc supplicavit rector pro applicatione superexstantium scut. 400 societatis B. M. V. succursus Montis majoris, annuaque ex illius reditibus præstatione pro alumno, necnon pro augmento annui legati scut. 100, quæ PP. Oratorii S. Philippi dictæ civitatis ex hæreditate Juliæ Uffreducci Danieli pro alumnis 4 solvunt, et S. C. esse consulendum Sanctissimo pro fabrica seminarii juxta votum Episcopi [181]: *Fanen.*, *Seminarii*, 15 *dec.* 1790, *dub.* 1.

74. Hippolytus Callot, hærede instituta ecclesia SS. Martyrum Laurentii in Fonte, et Hippolyti, quam nobilium aulicorum congregatio, quæ *Urbana* dicitur, regit, multiplicum ordinavit ad capellanias sex erigendas, inde aliud conficeretur, ut aliæ usque ad 15 fundarentur; necnon alia pia opera conficerentur. Post erectam septimam capellaniam ecclesia obruta est ære alieno ad novas capellanis extruendas habitationis ædes; hinc preces porrexit pro unione redituum hæreditatis Callot, et annuit S. C. juxta votum Card. visitatoris [182]: *Romana, Unionis redituum*, 25 *junii* 1791, *dub.* 1.

75. Maria Bianca Riva Rosas clauda exorat S. C. ut ei applicetur ex legato missarum Philippi Rosas, cujus est consanguinea, aliquod subsidium eleemosynæ pro una vice tantum; at S. C. minime ejusdem preces excepit; nam, eadem cum sorore vivit *decentemente, come vivono nel pæse moltissime famiglie della loro qualita*: *Turritana*, 28 *maii* 1791, *dub.* 4.

76. Hæreditas Joannis Antonii Balbi Mossetto, et Matthæi Ubertini Bertetti in tot Missarum manualium eroganda applicanda non esse rescribitur congregationi Charitatis oppidi Ulpiani in subsidium pauperum: *Hiporegien. seu Eporedien.*, *Applicationis bonorum*, 17 *sept.* 1791.

77. In collegiata ecclesia, et parochiali SS. Conceptionis villæ de Portimao erat sub eodem titulo sodalitium. Hoc sive ob languidiorem fidelium charitatem, sive præ tenui reditu scut. 16 dissoluto, supplicavit prior collegiatæ pro applicatione reditus fabricæ ecclesiæ, cui annua tantum sunt scut. 15; petiitque, ut sacrum hebdomadale, quod canere sodales consueverant, in totidem lectas missas commutaretur? ei favet Episcopus, et S. C. quæ annuit juxta preces: *Pharaonen.*, *Unionis*, 16 *julii* 1791.

78. Postmodum, quum prædictum subsidium satis non esset ad reparandam ecclesiam illam a terræ motu anni 1755 fatiscentem, postulat applicationem eleemosynæ missarum, quibus gravatur ecclesia cum annuo reditu scut. 43, et pariter annuit S. C. juxta votum Episcopi ad decennium, quatenus non inveniantur alia media a S. Concil. Trid. [183] præscripta: *Ead. causa, Applicationis*, 17 *sept.* 1791.

79. Applicatio redituum hæreditatis Dominici Giordani, ejusque onerum implementum cum eleemosynis, quæ pro animabus colliguntur purgantibus ruralis ecclesiæ B. Mariæ Virginis, et S. Blasii de Cento in reparationem ejusdem ecclesiæ conceditur, ac præscribitur prædicta onera Giordani adimplenda esse ad formam fundationis. De paupere parœcia minime agebatur: *Bononien.*, 12 *maii* 1792, *dub.* 1.

[181] Qui censet « ut solutio scutorum 200; quæ intuitu fabricæ presbyteri oratorii cum vestri beneplaciti reservatione ex hæreditate Danieli seminario contribuere, hæc vestra concessione, approbationeque accedente firmetur. » *Ead. causa*, 18 *dec.* 1790, § 3.

[182] Qui ait « unde æquitati est summopere consentaneum, ut quoniam a dispositione Hippolyti Callot hocce tantum in congregatione damnum derivaverit, sic ex bonis, reditibusque ejus pii operis reficiatur, et quum nulla alia via hoc damnum reparari possit ex hæreditate Callot., quam unione, ac suppressione multiplici ab eo exoptati: hinc omnis juris, æquitatisque regulæ suaderent, ut unio, ac respective abolitio multiplici demandetur. » *Ead. causa*, 25 *julii* 1791, § 8.

[183] Vide not. 178.

80. Concessa commutatione voluntatis Joan. Andreæ Callegari Brictinoriensis olim Episcopi pro manutentione alumni seminarii, reliqua scut. 720 applicari sacrario collegiatæ ecclesiæ Brixichellæ, in cujus favorem cessa fuit hæreditas prædicti testatoris, juxta votum Episcopi S. Congr. permittit: *Faventina, Commutationis voluntatis et Applicationis,* 15 *sept.* 1792.

81. Parochiali ecclesiæ Soliani, cujus reædificatio jam cœpta per collatam a communitate, locis piis ac populo pecuniam, deficiente adhuc ære perfici non potuit, providendum statuitur per concursum, assignata congrua scut. 60 una cum incertis novo parocho; et reliqui parœciæ reditus fabricæ ecclesiæ usque ad complementum operis applicantur: *Ariminen., Ecclesiæ parochialis,* 24 *nov.* 1792.

82. Applicatio hæreditatis Joan. Lunardini denegatur communitati Longiani in augmentum mercedis publici præceptoris, et nobilibus viris de Turre, et Salvolini nepotibus Corneliæ Lunardini hæredis usufructuariæ, eamque applicandam esse decernitur post obitum usufructuariæ in celebrationem Missarum ad formam testamenti: *Cæsenaten., Applicationis hæreditatis,* 23 *februar.* 1793.

83. Hæreditatis Mariæ Nicolaæ Censori in celebrationem destinatæ applicatio denegatur pauperi Aloysio Amati testatricis consanguineo, qui legatum habuit ex testamento: *Firmana, Commutationis voluntatis,* 23 *febr.* 1793, *dub.* 1.

84. Ad ampliandam suam ecclesiam collegiatam S. Donati Montis Ulari archipresbyter Felix Paschalius cessit illius fabricæ archipresbyteratus reditus, annuis sibi reservatis scut. 120, ac fructus capellaniæ S. Mariæ de Paradiso, quam ad hunc effectum a patronis impetraverat. Sed causa quæstionum huic ecclesiæ unita fuit ecclesia altera collegiata SS. Petri et Pauli; hinc ecclesiæ S. Donati ampliatio interdicta fuit, et nova facta est cessio in favorem alterius collegiatæ; at nonnulli insurrexerunt ad opus impediendum. Igitur quæsitum est: An, et quæ cessio sit exequenda, et cui ecclesiæ sint applicandi reditus? S. C. respondit, esse exequendam secundam cessionem, et applicandos esse reditus ecclesiæ SS. Petri et Pauli, et Archiepiscopus incumbat exequutioni: *Firmana,* 16 *martii* 1793.

85. Obtenta a S. C. Missarum reductione ad sexennium capellaniæ fundationis Joannis Zini in oratorio S. Caroli oppidi Ggalliæ peractæ, inspecta redituum diminutione; modo ead. S. C. concedit applicationem pecuniæ cumulatæ ex omissa Missarum celebratione; quum vacante capellania abhinc septem annis novus capellanus haud inventus fuisset, in reparationem domus capellani erogandæ juxta votum Episcopi [184]: *Novarien., Reductionis Missarum,* 7 *sept.* 1793, *dub.* 2.

86. Episcopus Forlani proprio marte scut. 70, ex mulctis pecuniariis impendit in sacros suppellectiles. Modernus Episcopus jam scut. 10 ex multis percepta in eamdem causam in favorem utriusque ecclesiæ cathedralis erogavit. Sed modo exorat pro facultate applicandi in similem usum alias summas etiam ex capsa maleficiorum, et pro approbatione quoad mulctas jam erogatas. S. C. annuit quoad præteritum, quoad vero futurum scribi juxta instructionem [185] mandavit: *Civitatis Castellanæ et Hortana,* 11 *maii* 1793.

87. Summa Missarum 3022 in ecclesia parochiali S. Jacobi Matiati superioris non celebratarum per hæredes Francisci Viarana soluta in manibus parochi non applicatur eidem ecclesiæ in manutentionem ejus fabricæ, et sacræ suppellectilis: *Novarien.,* 8 *febr.* 1794, *dub.* 1.

88. Collegio capellanorum ecclesiæ cathedralis ultra debitum per errorem Missæ celebratæ legati sacerdotis Bernardini Zecchini cum missis currentibus compensantur; inde summa, quæ respondet Missis ultra debitum celebratis, et quæ quotannis supererit futuræ celebrationi, applicatur sacrario collegii, peculiaribus reditibus destituto: *Ferrarien., Missarum,* 10 *maii* 1794, *dub.* 2.

89. Oblationes collectæ ad celebrandam, centesimi instar, solemnem festivitatem in honorem S. Floridi protectoris Tipherni applicantur capitulo ecclesiæ cathedralis ejusdem civitatis ad reparandam ecclesiam terræmotu concussam; relictis in deposito scutis 300, pro celebratione festivitatis, et neglectis parochis diœcesis, qui congruæ provisi applicationem ejusdem pecuniæ ex eadem terræ motus causa postulabant pro suis ecclesiis parochialibus: *Civitatis Castelli,* 24 *jan.* 1795.

90. Nicolaus Quirini canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai legavit scut. 300, in ornatum interiorem ecclesiæ. Capitulum accepit legatum per

[184] Qui putat: « Ut tantum ex fructibus vacantibus in enunciatam domus, et prædiorum restaurationem impendere possint, quantum necessitas periti judicio expostularit. Reliquum vero, quod supersit, in alicujus fundi frugiferi emptione, vel alio quovis tuto, licitoque modo investiatur in dotis augmentum, superaddito, si EE. VV. placuerit, onere capellano aliquas preces semel in hebdomada una cum populo persolvendi in suffragium fundatoris. » *Ead. causa,* 17 *aug.* 1793, § 7.

[185] In qua præscribitur Episcopo, ut certiorem faciat S. C., quales ex tribus mulctarum speciebus a Benedicto XIV, indicatis in lib. 7, cap. 51, *de Synod. diœc.*, tom. 12, pag. 375, in sacra ustensilia erogare intendit: *Ead. causa, ibid.*

venditionem bonorum hæreditatis, cum obligatione evictionis. Hinc creavit cum facultate censum activum. Post annos 80 nunquam evenit casus evictionis, et nunc superest sors in censibus scut. 220 supplicatur itaque a capitulo pro applicatione, ut novum organum ecclesiæ construeretur, pro quo requiritur summa scut. 300, et annuit S. C. juxta preces : *Fabrianen., Legati*, 14 *martii* 1795.

91. Onere Missæ hebdomalis in ecclesia societatis S. Michaelis loci Vorolenghi Joan. Stephanus Ferreri, inde Joseph Joachim Ferreri duarum Missarum hebdomalium suos heredes, et successores gravarunt. Modo hæredes sunt Angela Maria Avenati, et Maria Catharina Galeazzo testatoribus consanguineæ, qui propter longævam ætatem, liberorum copiam, et angustam rem familiarem orant pro applicatione reductis missis ad annuas 12, in proprios usus maximæ sortis libell. 3000 partis, ex cujus fructibus onus adimpleverunt, relictis pro fundo Missarum 12 libell. 300, et S. C. assensa est juxta votum Episcopi[186] : *Hiporegien. seu Eporedien., Reductionis Missarum*, 16 *maii* 1795, *dub.* 2.

92. Concessa reductione Missarum duarum hebdomalium, quas præscripsit sacerdos Joan. Pirotio in oratorio S. Rochi loci Cervati, ad dies dominicos; esse applicandos decernitur reditus superextantes in augmentum sortis, dempta summa necessaria promissis celebratis, et in ecclesiis ab Episcopo præfiniendis celebrandis : *Novarien., Reductionis Missarum*, 28 *nov.* 1795, *dub.* 2.

93. Parochus Ravogli ecclesiæ parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ exorat S. C. pro perpetua legatorum Gratiosi et Angeli Remigii Galbini, qui in Missas, dotem, expensasque necessarias, et eleemosynas in favorem parœciæ pauperum eroganda bona disposuerunt, applicatione, ut ecclesiam, ædesque parochiales restaurentur. Ait ille pauperem esse parochiam; Episcopus favet, et oppidani consentiunt; sed S. C. non esse locum petitæ applicationi respondit : *Feretrana, Applicationis*, 15 *julii* 1796, *dub.* 1.

94. Quum plurima Melitæ essent Missarum legata, aliaque in dies accedant, et pro adimplendis non sufficiant pauci sacerdotes ibi existentes; crevit numerus semper Missarum non celebratarum. Qua de causa exoratur S. C. pro applicatione superexstantis pecuniæ in redemptionem filiorum, et virorum a servitute Turcarum, favet Episcopus, et S. C. annuit in casu, de quo agitur, pro applicatione superexstantis Missarum eleemosynæ in redemptionem captivorum, et quoad personas redimendas remisit arbitrio Episcopi cum prælatione in favorem attinentium fundatoribus legatorum : *Melevitana, Applicationis*, 15 *julii* 1797, *dub.* 1.

95. Et ad dubium : An sit consulendum Sanctissimum pro perpetua erogatione eleemosynæ in futurum superextantis in aliorum captivorum redemptionem? negative respondit, et recurrere in casibus particularibus mandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

96. Matthæus Restagno anima sua hærede instituta, jussit prioribus societatis Suffragii in parochiali *di Niella del Tanaro* erectæ, ut pretium suorum mobilium, necnon fructus bonorum stabilium in tot Missas erogaretur. Stabilia etiam distracta fuerunt, et pretio collocato in montibus Augustæ Taurinorum auctus est reditus ex scut. 77 ad scut. 133. Hinc petita applicatio fuit auctæ summæ in manutentionem vice-curati, ut rectius numerosum curare posset gregem dictæ parœciæ. Et S. C. mandavit fructus hæreditatis Restagno erogari debere ad formam testamenti, detracta tamen in favorem vice-curati summa ab Episcopo designanda : *Montis Regalis, Applicationis*, 9 *sept.* 1797.

97. Victoria Gasperini institutis hæredibus patribus congregationis Oratorii eis præcepit, ut fructus hæreditatis dimidii prævio deposito erogarentur quotannis pro dote puellæ familiæ ex consilio Forosemproniensis, in Domino nubat; et casu deficientiæ voluit, ut depositi fructus applicarentur in favorem seminarii pro alendo juvene, vel pluribus, qui ad sacerdotium sint vocati. Dotem ex triennii deposito constituta nemo petiit : hinc fœnori data ad unum juvenem alendum in seminario. Sed ob æs alienum e seminario alumni sunt dimissi. Quamobrem vir nobilis. Joan. Franciscus Pellegrini exorat S. C. pro applicatione fructus tertii subsidii ad alendam ejus filiam in monasterio. Episcopus testator de summa ejus paupertate, patres, et seminarium assentiuntur. At S. C. applicationem fructuum ad formam testamenti mandavit : *Forosempronien., Applicationis*, 9 *sept.* 1797.

Applicatio beneficiorum. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xiii; *Canonicatus*, § ii; *Capellania*, § i.

§ II.

Applicatio quoad confirmationem, et beneplacitum apostolicum.

1. Applicavit annua scut. 866 Episcopus Arata

[186] Qui ait : « In ea me esse sententia, ut facta a S. C. oratricibus facultate exigendi, et in proprios usus convertendi medietatem dictæ sortis, inter ipsas ex æquis portionibus dividendam, altera medietas alicui loco pio, seu ecclesiæ parochiali loci Verolenghi ab ipsis cedatur cum onere celebrandi in perpetuum Missam unam in qualibet hebdomada. » *Ead. causa*, 18 *apr.* 1795, § 3.

Liparitanus ex reditibus suæ episcopalis mensæ pro constituendis quotidianis distributionibus, quibus carebat sua ecclesia, ut dignitates, et canonici quotidie choro inservirent. Postmodum idem supplicavit, ut dicta applicatio semper, et perpetua firma sit? et annuit S. C. : *Liparitana*, *Indulti*, 18 *sept*. 1685. Quumque gravis expensa requireretur pro Bullæ expeditione; Episcopus prædictus ad eam evitandam proponi curavit; an potuerit applicationem illam facere sine beneplacito apostolico? et negative rescripsit : 5 *martii* 1689.

2. Anno 1659 Episcopus Cracoviensis collegiatam majorem Sandomiriensem nonnullas exiguas præbendas habere, ac nullos pro quotidianis distributionibus fructus constitutos perpendens a dignitate custodis reditus trium millium, a canonicatu de Turbia reditus sex millium florenorum de consensu regis Poloniæ patroni earumdem præbendarum auctoritate ordinaria quosdam fructus dismembravit, applicavitque mensæ ejusdem ecclesiæ in favorem personaliter intervenientium. Inde apostolicam quæsivit confirmationem, et obtinuit; modo novo proviso de canonicatu de Turbia obsistente resolutionem confirmavit S. C. : *Cracovien.*, *Dismembrationis fructuum*, 3 *oct*. 1711.

3. Antonius de Rego Pereira capellaniam quamdam cum onere Missarum, aliaque pia legata reliquit; sed diminutis inde reditibus S. C. reductionem elargita est. Modo quum passim bona in pejus ruerent, ac Missæ decrescerent, Franciscus Botellus Pereira dictæ capellaniæ administrator se, suosque successores ad perpetuam Missæ quotidianæ celebrationem obligavit, solutis etiam ustensilibus quoties sibi, et successoribus bona capellaniæ ad meliora facienda tribuantur omnesque fructus oneribus deductis Missæ quotidianæ libere ad ipsum, et successores spectent. Hinc beneplacitum apostolicum exposcit, et S. C. ei concessit, ea tamen conditione, ut omissa per annum celebratione Missæ quotidianæ bona una cum meliorationibus in favorem pii operis libere devolvantur : *Ulyssiponen.*, *Beneplaciti*, 31 *julii* 1717.

4. Applicatio facta ab Archiepiscopo Strigoniensi mensæ archiepiscopalis redituum in summa mille florenorum quotannis capitulo ecclesiæ metropolitanæ cum Missarum onere confirmatur juxta modum. Nam petierat ille apostolicam confirmationem; ac reditus prædictæ mensæ ad conspicuam summam annorum sexaginta mille circiter florenorum ascendunt : *Strigonien.*, 17 *dec*. 1718.

5. Joseph Politius præpositus parochialis, et collegiatæ ecclesiæ S. Joan. Evangelistæ animam suam scripsit hæredem, duoque laicalia salaria instituit, adnexo eorum cuique onere celebrationis unius Missæ quotidianæ una cum geminis perpetuis anniversariis. Capitulum prælatæ ecclesiæ ad servitium chori augendum se paratum obtulit, si libræ 500, quæ adimpletis oneribus ex prædicta hæreditate supersunt, massæ capitulari admodum tenui adjicerentur. Apostolicum a Clem. XII, Pont. Max., obtinuit breve. Sed exequutores testamentorii Politanæ voluntatis coram Episcopo, cui gratiæ exequutio commissa fuit, institerunt, exponentes, quod capitulum nequeat se obligare pro oneris implemento, quia libras 800 libere, et absque ullo distributionis onere non possideat. Sed alias donationes nuperrime factas, aliosque reditus pro securitate offerentes canonici, breve exequendum declarari postularunt, et obtinuerunt : *Placentina*, 1 *sept*. 1736, confirmata 16 *martii* 1737.

6. Florentius Poncelli nonnulla bona reliquit a Ludovico Valeriani, ejusque successoribus, quos etiam testamentarios exequutores designaverat, administranda, et horum reditus in Missas in ecclesiis, et a sacerdotibus a Valerianis benevisis celebrandas, erogari jussit. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Venantii bona hæc sibi sub beneplaciti Apostolici reservatione univit, domo et prædio hæreditario in favore Valerianorum loco mercedis assignatis, et loco jurium in sui favore cessorum. Beneplacitum nunc apostolicum impetrare exoptat capitulum, et assequi non valuit ; additum quin immo negativæ responsioni fuit, *ad mentem* [187] : *Camerinen*., *Beneplaciti apostolici*, 22 *dec*. 1781.

§ III.

Applicatio quoad Interpretationem et extensionem.

1. Guillelmus de Cabanelles, Episcopus Gerundæ, bona, quæ parta victoria in expulsione Saracenorum ab insulis Balearibus comparavit a Jacobo I, rege Aragoniæ in præmium servitii in bello præstiti, canonicæ ecclesiæ cathedralis, ut ecclesiæ servitium fieret, et in festo Paschatis pauperibus vestes distribuerentur, donavit. Episcopus Auther, et canonici perpendentes ingentem ruinam, quam antiquus paries frontispitii cathedralis minabatur, ac fabricæ redituum defectum, emolumenta pro vestiario eroganda ad ecclesiam reparandam applicarunt. Et obstantibus dignitatibus censuit S. C. dictam applicationem ab Episcopo canonicis, et capitulo factam reditus pro vestiarii pauperum impendendos comprehendere : *Gerunden*., *Commutationis voluntatis*, 25 *sept*. 1700, *dub*. I.

[187] « Et mens, ut scribatur Episcopo, ut procedat ad taxationem congruæ mercedis in favorem Valerianorum pro administratione bonorum pii operis. » *Ead. causa*, 22 *dec*. 1781.

2. Jam indulserat S. C., ut distributiones quotidianas, quæ amittuntur a dignitatibus, canonicis, et præbendatis ecclesiæ cathedralis ob non residentiam, et in casu vacationis, possit Episcopus fabricæ dictæ ecclesiæ applicare. Inde quia in prædicto indulto error irrepsit, quum distributiones amissæ a canonicis non intervenientibus, ceterisque præbendatis inservientibus accrescant, et subsint Concil. Trid. cap. 3, sess. 21 [188]; minime vero applicantur fabricæ; hinc in resolutione S. C. comprehendi solummodo distributiones, seu fructus ob non residentiam, vel in casu vacationis capitulum declarari petiit; adeoque quoad dignitates, et præbendatos extra capitulum; et S. C. præfatam resolutionem esse intelligendam tantum de distributionibus, quæ amittuntur a dignitatibus extra capitulum, explicavit : *Caurien.*, *Distributionum*, 5 *maii* 1793, *dub.* 1.

3. Ac insuper fructus vulgo vocatos *Plana*, seu *grossæ* dignitatum existentium extra capitulum applicari fabricæ dictæ ecclesiæ debere ea indigente, in casu amissionis ob non residentiam, quam etiam in casu vacationis, non autem esse in arbitrio Episcopi eos pro sua facultate alteri pio loco applicare, eadem S. C. decretavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Clemens VIII, Pont. Max., dismembravit fructus parochialis ecclesiæ loci de Nuri, et capitulo metropolitano pro auctione quotidianarum distributionum applicavit, deinde indulsit posse erigi canonicatum, et præbendam doctoralem ex dictis fructibus; ita tamen, ut fructus prædicti ad canonicum, demptis tantum duc. 150 rectori ecclesiæ de Nuri solvendis pro congrua ipsius sustentatione, debeantur. At capitulum consuevit a proviso novi canonicatus annuam summam scut. 252 exigere. Hanc summam hodiernus canonicus sacerdos Petrus Sanna minime esse solvendam contendit. Et S. C., cui res delata fuit, ait, dictæ applicationi in favorem capituli non esse derogatum in posteriori erectione canonicatus, seu præbendæ doctoralis : *Calaritana*, 18 *novem.* 1724, *dub.* 1.

5. Applicationi fructuum fundi, qui pastorali visitatione anni 1615 assignatus a communitate Castri Arronis fuit seminario pro alumni retentione, non est locus in favorem rev. fabricæ S. Petri. Nam etiamsi communitas nullum alumnum usque ad annum 1671 elegerit; tamen inivit postea pluries concordiam cum seminario, quam S. C. approbavit : *Spoletana*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 2.

6. Applicatio fructuum hæreditatis Caroli Zannini expetitæ a capitulo ecclesiæ collegiatæ terræ Arcis Monfinæ sub onere recitandi quotidie divinum officium, an esset locus ad formam testamenti, quum controverteretur? negativæ S. C. adhæsit sententiæ. Testator enim suam voluntatem licet coactus ex renuentia quorumdam canonicorum in codicillis mutavit : *Theanen.*, *Testamenti*, 28 *sept.* 1743.

Applicatio legati pii. Vide *Legatum pium*, § III.

Applicatio pensionis. Vide *Pensio ecclesiastica*, § I.

Applicatio subsidii dotalis. Vide *Subsidium dotale*, § II.

§ IV.

Applicatio temporaria quoad prorogationem.

1. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis ob ingentis, et magnifici ædificii constructionem antiqua eorum ecclesia diruta applicationem ad annos 20 fructuum omnium beneficiorum totius civitatis, et diœcesis pro tempore eorum vacationis inspecta fabricæ redituum tenuitate consequuti sunt. Hæc autem facultas ad alios annos 20 absque prorogationis ulterioris spe fuit concessa. At opere nondum absoluto, ac perfecto aliam induiti præfati prolationem expostularunt, quam S. C. ad alios annos 20 ab ultima die præcedentis prorogationis computandos concessit : *Salamantina*, *Prorogationis indulti*, 1 *april.* 1704.

2. Applicatio fructuum duorum annorum cujuslibet canonicatus, seu præbendæ vacantis ecclesiæ collegiatæ S. Phoilani oppidi Fossensis pro tertia vice ad decennium in favorem fabricæ ejusdem ecclesiæ donata fuit : *Leodien.*, *Prorogationis indulti*, 9 *febr.* 1765. Iterum ad aliud decennium eadem gratia fuit prorogata ad formam indultorum præcedentium : 22 *junii* 1776. Denique ob expensas necessarias in tuenda Ecclesiæ jura, in ecclesiarum unitarum, domorum, sepulcrorum instaurationes, in congruæ pro parochis augmentum, et in usuris æris alieni, erogatas, nec non spectata massæ capitularis tenuitate applicatio iterum ad aliud vicennium impertita est : 11 *maii* 1786.

3. Quum obtinuissent canonici ecclesiæ collegiatæ SS. Michaelis Archangeli et Joan. Baptistæ

[188] Gallemart in sess. 21, cap. 3, *de Reform.*, num. 5, pag. 121, ait, omnes capellanos, canonicos, et dignitates obtinentes teneri residere, et contra eos locum habet detractio fructuum, ac distributionum, et dicti decreti dispositio; et quod S. C. Concilii censuit, obtinentes dignitates in cathedralibus et collegiatis posse compelli ad residendum personaliter pœnis præfixis decreto Concil. sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, § *Præterea*, non obstante hoc, quod velint amittere tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis applicatam.

terræ Brixichellæ pro mansionariis in cantu gregoriano peritis applicationem medietatis quartæ portionis a donante Joanne Andrea Calligari pro dotandis puellis, alendisque pauperibus reservatæ, ac inde applicationem alterius medietatis quartæ partis ad decennium, prorogationem ad quinquennium, ulteriusque alias prorogationes; modo desiderant perpetuam applicationem prædictæ medietatis quartæ portionis ad commodum mansionariorum, sin minus prolationem ad decennium. S. C. vero eorum preces rejecit. Nam præ oculis jura pauperum habuit: *Faventina*, *Applicationis*, 19 *julii* 1777.

4. Universa hæreditas Bernardini Antonini applicata fuit S. C. auctoritate ecclesiæ parochiali oppidi Meggiani ratione illius redituum tenuitatis, sed gratia per quinquennium fuit concessa. Hoc properante tempore postulat populus oppidi perpetuam fieri temporariam gratiam, et S. C. annuit ad aliud quinquennium, et interim curet Episcopus providere indigentiæ parochiæ aliis mediis a S. Concil. Trident. præscriptis [189]: *Spoletana*, 27 *junii* 1789. Tandem conceditur perpetua applicatio, et reductio juxta votum Episcopi [190]: 18 *dec.* 1790.

§ V.

Applicatio quoad validitatem, vel nullitatem.

1. Bona Guillelmus de Gabanelles Episcopus Gerundæ donavit canonicæ ecclesiæ cathedralis, ut ecclesiæ servitium præstarentur, et in festo Paschatis pauperibus vestes distribuerentur. Episcopus Auther, et canonici ad reparandam dictam eorum ecclesiam, quæ ingentem ruinam minabatur, applicarunt emolumenta pro vestiario eroganda. At S. C. eamdem applicationem non sustineri mandavit: *Gerunden.*, *Commutationis voluntatis*, 25 *sept.* 1700, *dub.* 2, confirmata 3 *martii* 1703, *dub.* 1.

2. Quum ob alienationes nonnullorum bonorum abbatiæ commendatæ Sieciechovien. ordinis S. Benedicti ab antecessoribus abbatibus commendatariis Card. Radziovuski modernus abbas imminutos esse reditus mensæ abbatialis, ex quibus quarta pars in supellectiles, in fabricam, et in pauperum alimoniam erogatur, contenderet. Hinc proponi dubium curavit, an applicationes bonorum mensæ conventuali præviis facultatibus ab abbatibus antecessoribus peractæ sustineantur? et sustineri S. C. declaravit: *Cracovien.*, *Divisionis*, 14 *martii* 1705, *dub.* 1.

3. Unionem, seu applicationem bonorum hæreditatis Joannis Jacobi Rochi, qui hæredem ecclesiam collegiatam, et parochialem S. Matthæi instituerat, occasione visitationis sacræ anni 1657 duabus exiguis præbendis canonicalibus ejusdem ecclesiæ vicarius generalis peregit. De hac S. C. postulata, an sustineatur? et sustineri decrevit: *Sarnen*, *Jurium parochialium*, 15 *januar.* 1718, *dub.* 3, confirmata 25 *januar.* 1721.

4. Erecta antiquitus fuerunt ab Episcopo Servidio Volaterrano duo collegia duodecim clericorum pro quolibet, alterum pro servitio ecclesiæ collegiatæ oppidi S. Geminiani. In primo Episcopus de Rosso seminarium constituit, in secundo nil immutavit. In visitatione autem annui 1715 modernus Episcopus ratam exigi solitam a beneficiis terræ, ac districtus S. Geneminiani in favorem hujus collegii seminario applicavit, ac collegium prædictum ejusdem oppidi de medio sustulit. Hinc ad querelas capituli collegiatæ dictæ terræ respondit S. C.: Dilata, et scribatur Episcopo juxta intructionem [191]: *Volaterrana*, *Seminarii*, 4 *julii* 1722. Deinde Episcopi decretum anno 1717 emanatum quoad seminarium S. Geminiani sustineri juxta modum [192] censuit: 10 *junii* 1714.

5. Turusinus Salimbeni moriens conservatorii in favorem pauperum puellarum, quæ expositatæ sunt periculis, erectionem ope multiplici demandavit. Sed insufficienti hæreditate reperta, postulatum est, ut hanc monasterio S. Bernardi applicare fas esset, onusque ei adderetur unam puellam ab administratoribus nominandam recipiendi. Acceptavit hæ-

[189] Vide not. 178.

[190] Vide not. 179.

[191] Primum itaque caput instructionis fuit, ut Episcopus interformaret, an adhuc existeret in civitate Volaterrana collegium duodecim clericorum 2. An in hypothesi existentiæ dicti collegii beneficia contribuant pro ejus manutentione? 3. An reperiatur erectum seminarium clericorum in urbe prædicta ad tramites S. Concilii Tridenti. 4. An supposito, quod seminarium sit erectum, clerici in illud recepti vivant in eadem domo, quibus studiis vacent, an aliqui inter ipsos gratis alantur, et quale sit servitium, quod ab eis præstatur ecclesiæ cathedrali. 5. Cur in decreto anni 1717 statutum sit, quod octo clerici sic elegantur, ut duo ipso Episcopo, alter a capitulo, alter a clero, et reliqui a communitate nominentur. 6. Denique, qua de causa in eodem decreto statutum sit, quod clerici, qui per tempus determinatum inservierint ecclesiæ S. Geminiani, fruantur privilegiis, quibus fruuntur illi, qui in seminarium Volaterranum recipiuntur, et quæ sint hæc privilegia: *Ead. causa*, 29 *januar.* 1724, § 4.

[192] Et modus est, ut firmo remanente collegio S. Geminiani juxta statum antiquum, et firma remanente integra solutione taxæ, quæ modo solvitur a beneficiis S. Geminiani, solvatur ex eodem seminario Volaterrano ea summa, quæ eidem persolvitur a ceteris beneficiis diœcesis, et reliquum solvatur collegio S. Geminiani: *Ead. causa*, 10 *junii* 1724.

reditatem monasterium, ac voluntatis commutatio a Summo Pontifice fuit approbata. Modo vero cupit Episcopus posse ad demandatam a testatore erectionem devenire, sed voluntatis commutationem pro monasterio factam sustineri S. C. resolvit: *Montis, Politiani,* 9 *sept.* 1724, *dub.* 1.

6. Petrus de Tedeschis ex fructibus suorum bonorum multiplicum jussit. Si vero exstrui contigisset in oppido Massæ Lombardæ suæ patriæ monasterium sacrarum virginum multiplici pecuniam ad id impendi voluit. Vetuitque cuicumque ne quid ex capitali præfato decerpere unquam possint. Quum monasterium unquam id fuit ædificatum, Episcopus obtinuit litteras apostolicas pro applicatione scut. 7,000 seminario, ut in id duo alumni ejusdem oppidi cooptarentur. Communitas huic applicationi refragata est, sed S. C. dubio, an præfatæ litteræ exequutioni esset mandandæ? rescripsit: Dilata, et ad mentem. *Imolen., Commutationis voluntatis,* 19 *julii* 1732.

7. De suis bonis sacerdos Joan. Lucas Fabianus primum constructionem collegiatæ ecclesiæ in oppido S. Romuli, ejusdemque dotationem, deinde institutionem primogenituræ in favorem familiæ Arconatæ, constituto investimento in locis montium Urbis, ac multiplico mandavit. Hæc bona instante Marchione Josepho Antonio Arconato adjudicata fuere a senatu Januensi partim primogenituræ, partim piis operibus a testatore præstitutis cum onere multiplici. Vocato in jus Arconato a rev. Fabrica S. Petri, decretum a S. C. fuit, provisionem a senatu captam tam quoad multiplicum in civitate Januæ, quam quoad divisionem contra testatoris voluntatem sustineri non posse: *Januen., Erectionis collegiatæ,* 23 *januar.* 1734, *dub.* 1.

8. Quum capellaniam fundatam a comitissa Laura Castellini vicissim possidentes impares ad prædium pene devastatum reficiendum visi fuerint, nullusque reparandæ ruinæ pateret aditus, patronus facultatem suis patrimonialibus bonis illud incorporandi petiit, cum onere tamen expensas pro illius cultura subeundi, et deinceps Missarum celebrationem implendi: hanc facultatem obtinuit, inde fuit vitium obreptionis impactum gratiæ, tamquam testatricis voluntati adversanti. An gratia isthæc sustineatur? S. C. consulta nil definiit, mandavit vero ut conficeretur processus, auditis omnibus interesse habentibus juxta instructionem [193]: *Faventina,* 8 *aug.* 1767, *dub.* 1.

Reliqua, quoad applicationem, seu unionem. Vide *Unio.*

Approbatio. Vide *Administrator,* § i; *Capellanus sodalitii,* § ii; *Concionator,* § i; *Confessarius,* § i; *Transactio,* § i.

Aquæ benedictio. Vide *Benedictiones,* etc.

Aquæ lustralis aspersio. Vide *Cadaver,* § i.

Arbitrium. Vide *Aperitio oris.*

ARBORUM INCISIO.

1. Canonicus, cui onus incumbit reparandi ex fructibus sui canonicatus domum canonicalem, petiit arborum incisionem; et esse arborum incisionem petitam pro reparanda domo canonicali non concessit: *Senogallien,* 9 *dec.* 1631.

2. Ad dubium, an in alienatione arborum sylvæ ad mensam episcopalem spectantis ad cædendum requiratur apostolicum beneplacitum? non requiri respondit [194]: *Viterbien., Incisionis sylvæ,* 14 *januar.* 1679.

3. Jacobo Antonio Gerenzaro, et præposito Mombellio a patronis ad beneficium simplex Sanctissimæ Conceptionis B. V. in ecclesia parochiali S. Martini loci Sicomarii erectum præsentatis, institutionem cum possessione a vicario generali obtinuit Mombellus. Appellavit Gerenzarus, et sequestrum, et inhibitionem non incidendi arbores, nec quicquam attentandi expedivit. Quosnam tamen in summa scut. 60 cum venia præfati vicarii Mombellus incidit, in ususque beneficii utiles convertit.

[193] Nempe, ut Episcopus servatis servandis, citatis omnibus interesse habentibus deveniat ad confectionem processus super valore, statu, et reditu, tam antiquo, quam hodierno prædii *del Pantisano*, et super meliorationibus, de quibus tamen nullo modo hactenus constitit, ut deprehendi possit, an, et in qua summa subsistant, quænam necessaria, quæ utilia fuerint, et an ad ea conficienda capellaniæ reditus pares fuerint? Postquam hunc legitime compilaverit ad S. C. transmitteret suam adjiciendo animi sententiam: *Regist. lit.* lib. 32, die 8 *aug.* 1767.

[194] « Quod processit in sylva cædua per plures annos non cæsa, nempe ab anno 1679, habita tamen depositione peritorum, ac senum testium, dictam sylvam esse cæduam ratione situs, qualitatis arborum, quercuum, castanearum et cerrorum, nullo ordine plantatorum; sed in confuso ita natarum; ac audivisse etiam a suis majoribus, dictam sylvam fuisse venditam ad cædendum. » Card. Petra, *Comment. ad Const. V, Pauli II,* sect. 2, num. 13, pag. 216, tom. 5.

Joseph Camia patronus licentiam hanc incidendi beneficii arbores ægre ferens recurrit, et responsum habuit, licentiam hanc minime sustineri. Agebatur de arboribus non cæduis, etsi prætensis inutilibus, ut populis : *Papien., Incisionis arborum*, 1 *martii* 1710, *dub.* 1.

4. Episcopi licentiam ad effectum incidendi cæduas, ac infructiferas arbores, quarum pretium impendendum erat in necessaria, et a peritis agnita munitione riparum Rubiconis, cui vicariæ curatæ cathedralis prædia adjacent, datam absque capituli consensu sustinendam esse S. C. censuit. Sermo enim erat ibi de prætenso consensu capituli patroni beneficii pro concedenda licentia incidendi arbores pro reparatione prædiorum dicti beneficii, quæ incisio non excedebat dispositionem canonis *Terrulas* 12, qu. 2 ; *Cæsenaten., Beneplaciti*, 20 *martii* 1756, *dub.* 1, confirmata 8 *maii ejusd. anni.*

5. Arborum incisio pro reparandis domibus beneficii, comparandisque pro ecclesia B. M. V. Annunciatæ oppidi Muri sacris supellectilibus permissa fuit juxta modum, et instructionem [1] Episcopo transmittendam. Nam agebatur de arboribus aridis ac infructiferis, quas cædi permisit testator : *Senogallien.*, 10 *martii* 1770.

6. Arborum incisio vetita fuit a testatore Andrea Prosperi hæredi primo in bonis relictis vocato ; et S. C. servari hanc prohibitionem etiam ab ulterioribus hæredibus mandavit : *Aprutina*, 19 *maii* 1787, *dub.* 2. Ac reproposita causa rescripsit ad D. secretarium ad mentem : 28 *julii ejusd. anni.*

ARCHICONFRATERNITAS. Vide *Sodalitium*.

ARCHIDIACONATUS.

Archidiaconatus dignitas ecclesiastica quoad erectionem, provisionem ac suspensionem.

1. Ad obtinendum archidiaconatum, qui vere caret omni cura, et omni prorsus jurisdictione, non necessario requiri, quod quis sit magister in theologia, seu doctor, aut licentiatus, S. C. declaravit : *Polianen.*, 9 *dec.* 1602.

2. Ad dubium, an archidiaconus tolerandus sit in archidiaconatu, qui est prima dignitas, et possessionem accepit absque provisione apostolica concurrente diuturnitate temporis? respondit archidiaconum non esse tolerandum : *Curzolen.*, 13 *maii* 1651, *dub.* 2.

3. Ordinavit Bartholomæus Miccinellus erectionem archidiaconatus in ecclesia cathedrali cum assignatione scut. 70. Et erectio facta fuit per Episcopum ; sed orta quæstione super ejusdem validitate, quæsitum est, an fieri erectio possit per Ordinarium ? et affirmativum datum est responsum : *Sabinen., Erectionis archidiaconatus* 26 *novemb.* 1695, *dub.* 1. Deinde proposito dubio ; an erectio archidiaconatus sine consensu capituli facta sustineatur ? rescriptum fuit, non sustineri : 14 *april.* 1696. Insuper reproposita causa censuit S. C. procedendum esse ad ulteriora in erectione archidiaconatus, non obstante dissensu capituli : 2 *junii ejusd. anni.*

4. Et ad dubium ; an pro assequendo archidiaconatu prædicto requiratur laurea doctoralis in jure canonico, vel in sacra theologia? negative respondetur : *Ibid. dub.* 4.

5. Vacante archidiaconatu præcipua dignitate curata ecclesiæ collegiatæ oppidi seminariæ, quæ pro oppidanis nativis erecta fuerat, ex binis æmulis, ac idoneis approbatis Franciscus Clementi, qui citra controversiam est civis originarius, et Honuphrius Sanchez, qui ad summam qualitatem habet domiciliarem, seu ex privilegio deductam dignitatem hanc assequi petierunt ; et S. C. primo adjudicavit : *Mileten., archidiaconatus*, 24 *april.* 1717.

6. Quum clericus Didacus Nicolaus de Villanicenzo civitatis de Xerez cum amicis associatus, quorum unus ictu sclopi occubuit ; dubitaverit incurrisse irregularitatem, S. C. adiit, quæ juxta Ordinarii relationem nullam incurrisse censuram

[1] Modus, et instructio fuit, prevía virorum probatorum, ac peritorum deputatione inquirere quid, et quantum ad necessariam, ac decentem ecclesiæ instructionem pro sacris comparandis supellectilibus opus erit, et liquidare, qui pro rusticarum domorum reparatione requirantur sumptus. Deinde per peritos ad recognitionem arborum procedet indulgendo ad petitionis tramites, et necessitatis limites pro suo arbitrio, circumspectione, et conscientia facultatem incidendi, ac vendendi eas arbores dumtaxat, quæ aridæ, infrugiferæ, ac pene inutiles sunt, quæque vel ob densitatem, vel alias ob causas fundis potius noxiæ, quam utiles comperiantur. Ita quidem, ut ligna apta ad instaurationem domorum ceterarum vero pretium in propositas causas tantummodo convertantur, atque erogentur, injungendo oratori, ut loco cædendarum arborum alias, quæ fundis utiliores futuræ sint, secundum quantitatem, et tempus ab Episcopo præfiniendum subroget, ut hac ratione aliqua in parte damnum sarciatur in posterum : *Regist. lit.* lib. 33, *die* 10 *maii* 1770.

declaravit, quod nec verbo, nec concilio, nec consensu ipse cooperatus fuit. Huic postea collatus fuit archidiaconatus ecclesiæ metropolitanæ dignitas, sed Ferdinandus de Medina contradictorem se præbuit, asserens ingenue non fuisse seriem facti narratam, quum ex processu fuisse de homicidio consortem constaret; ob id Didacus quæstionem proponit; an exceptio prætensæ irregularitatis exequutioni litterarum apostolicarum obstet, vel nova supplicatio sit relaxanda? S. C. rescripsit, dandam esse novam provisionem ad cautelam : *Hispalen.*, *Archidiaconatus*, 30 *martii* 1726, *dub.* 1 *et* 2.

7. Flaminius Renzi erectionem dignitatis archidiaconatus in ecclesia S. Æmiliani ordinavit. Hanc erectionem Episcopus facere valet, nec pertinet ad Datariam apostolicam; quum non sint de illis, quæ in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis erigi consueverunt : *Ita S. C. in Spoletana*, *Erectionis dignitatum*, 24 *martii* 1736. Inde orta controversia super qualitatibus, et conditionibus, quibus erigi archidiaconatus debet ; qualitates præscribendas esse a Card. pro-datario voluit S. C.: 2 *junii ejusd. anni.*

8. Instituit Joseph Balduccius archidiaconatum secundam dignitatem ecclesiæ collegiatæ S. Justinæ Mondulphi, tribusque familiis jus nominandi reliquit, quibus communitatem Mondulphi substituit adjecta conditione, ut nominati laurea doctorali insigniti esse debeant. Quæritur hinc, an ad dictam dignitatem nominati a tribus expressis familiis teneantur doctoratum, et sacerdotium suscipere? S. C. requiri sacerdotium, non doctoratum respondit : *Senogallien.*, 30 *aug.* 1766, *dub.* 2.

9. Fundavit Thomas Tabonius archidiaconatus dignitatem in ecclesia cathedrali, ut eam assequi aliquis idoneus ex masculina linea familiæ Bisleti possit; in ejusque defectu concursum præscripsit, ad quem aliæ familiæ vocatæ una cum ceteris civibus, ac extraneis admitti deberent. Hac dignitate vacante preces obtulerunt clericus Deodatus Bisleti de masculina linea prædicta annorum 16, ac sacerdos Petrus Galuzzius, qui in dignitatis consecutione præferri prævia concursus dispensatione, quum idoneus de familia Bisleti deficiat, postulat. S. C. autem neutri adjudicavit : *Verulana*, *Archidiaconatus*, 27 *feb.* 1768.

10. Quum inter archidiaconos regulares amplissimæ diœceseos Monasteriensis recenseatur præpositus in Clarholtz ordinis Præmonstratensis, cui adnexus est archidiaconatus locorum Beelen, et Lette, et ad eamdem præposituram fuisset a capitulo Præmonstratensium electus religiosus Franciscus Philippus de Menseren; hic renuit confirmationem, et collationem officii archidiaconalis ab Episcopo exposcere. Qua de re resolutum a S. C. fuit, præpositum in Clarholtz confirmationem episcopalem in exercitio archidiaconalis jurisdictionis in parœciis Beelen, et Lette, reportare teneri : *Monasterien.*, *Confirmationis*, 18 *nov.* 1769, confirmata 10 *martii* 1770.

11. Causa æris alieni suspensio per septennium archidiaconatus dignitatis ecclesiæ collegiatæ B. M. V. oppidi Urceani interveniente consensu communitatis patronæ obtenta fuit. Ac nova perseverante causa ad alium sexennium fuit indultum prorogatum. Sed Paulus Ercolani interea fuit a communitate patrona nominatus; et novam suspensionem ex defectu ejusdem communitatis consensu nullam fuisse autumavit. Hinc actum fuit in S. C. de rescripti viribus super nova archidiaconatus suspensione, et decretum prodiit, eam sustineri debere : *Fanen.*, 10 *januar.* 1784, *dub.* 1.

12. Qua de causa validam non esse provisionem dicti archidiaconatus pariter definivit : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Necnon eidem Ercolani esse locum regressui ad suum canonicatum jussit : *Ibid.*, *dub.* 3.

15. Nobilis vir Curtius Rufini dotem constituit archidiaconatus ecclesiæ collegiatæ Pergulæ, et jus eligendi archidiaconum detulit capitulo, et canonicis, qui contendunt per schedas clausas, alii per secreta suffragia esse electionem peragendam. At S. C. fieri debere per suffragia secreta juxta votum Episcopi [196] resolvit : *Eugubina*, *Electionis*, 7 *sept.* 1793, *dub.* 3.

[196] Nempe « Ut ille, qui eligendus proponitur, electionis suæ tempore de aula capitulari recedat, iterum accessurus, suæ propositæ electionis publicato scrutinio. Isque certe modus opportunior videretur ad dignoscendam, et computandam pluralitatem suffragiorum. » *Ead. causa*, 7 *sept.* 1793, § 3.

ARCHIDIACONUS.

§ I.

Archidiaconus quoad coadjutorem.

Capitulum ecclesiæ cathedralis exponens in dicta Ecclesia exstare 18 canonicos, qui legitime impediti de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio adstricti; quumque archidiaconus ejusdem obtinuerit a Sede Apostolica coadjutorem, qui prætendit posse uti eodem privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; et S. C. respondit dictum coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi : *Casernata*, 26 *febr*. 1650.

§ II.

Archidiaconus quoad dignitatem, jurisdictionem, officium et potestatem.

1. Archidiaconis facultatem cognoscendi, et definiendi omnes causas beneficiales permanere, si ita vere se habeat consuetudo immemorabilis, et cum legitime probaverint archidiaconi; interea autem dum illam probaverint archidiaconi, ad Episcopum solum pertinere hujus jurisdictionis exercitium stante Concilio Trid., cap. 20, sess. 24 [197], statuitur : *Dubium anni* 1574, *dub*. 9.

2. Nequit archidiaconus occasione visitationis aliquos clericos deponere vel beneficiis privare, nec pœnas ordinarias imponere, sed eas tantum, quæ morum emendationem, et correctionem respiciunt : *Derthusen*., 11 *aug*. 1605, *dub*. 5.

3. In Ecclesia Gerundensi viduata pastore vigore antiquissimæ consuetudinis legitime præscriptæ jus episcopatum administrandi, quod alias de jure devolvitur ad capitulum, spectat ad archidiaconum majorem, qui in levamen pastoralis sollicitudinis tres deputavit vicarios, seu officiales generales. Hujusmodi electionibus capitulo non acquiescente tanquam post habitis de eodem capitulo dignioribus, et contra formam Concil. Trid., S. C. decrevit eumdem archidiaconum, sede episcopali vacante, non teneri in deputatione vicarii servare formam præscriptam in Sac. Concil., cap. 16, sess. 24 *de Reform*. [198] : 5 *sept*. 1699, *dub*. 3, confirmata *Gerunden*., *Deputationis vicarii*, 5 *junii* 1700.

4. Archidiaconus major ecclesiæ cathedralis vices Episcopi gerens sede vacante deputare nequit unum de canonicis coadjutoribus dictæ ecclesiæ in vicarium generalem de gremio, qui capitulum cathedralis ejusdem debeat convocare, in eo præsidere, primum votum proferre, vota colligere, et juxta majorem votorum partem resolvere negotia capitularia, et alia exercere, quæ ad officium vicarii de gremio competunt : *Gerunden*., *Jurisdictionis*, 12 *feb*. 1729, *dub*. 2, confirmata 28 *martii* 1733.

5. Archidiaconus prædictus per se visitare ecclesiam cathedralem nequit, bene vero diœcesim, et necessaria ad bonum ecclesiæ regimen demandare valet : *Ibid*., *dub*. 3. Dubio deinde reproducto rescripsit S. C.: Dilata, et ad mentem [199] : 18 *julii*

[197] Ait enim « Ad hæc causæ matrimoniales et criminales non decani, archidiaconi, aut inferiores judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquantur. » Amplissima olim erat potestas archidiaconi. Isidorus Hispalensis in can. 1, dist. 25 et can. 20, dist. 63, late describit archidiaconi jura, quæ sua ætate obtinebant. Ea vero diu perseverasse, lapsuque temporum aucta etiam fuisse, ostendit decretalium titulus *de Offic. archidiac.* Et licet ab initio archidiaconi fere omnia jura gererent mandato, arbitrioque Episcopi, tamen deinceps eo usque progressi sunt, ut propriam, atque ordinariam obtinerent jurisdictionem, quæ pridem erat delegata, ac jura etiam invaderent, quæ propria erant Episcoporum. Tantam hanc Archidiaconi potestatem Episcopi tollendam, aut minuendam curarunt, et nunc vix ejus umbra, et imago superest. Synodus Tridentina archidiaconis, aliisque inferioribus prælatis judicium ademit causarum matrimonialium, et criminalium, quas Episcopo reservavit ex cit. cap., quo decreto etiam beneficiales, majoresque causas comprehendi, omnes fere arbitrantur. Eadem Synodus cap. 14. sess. 25, *de Reform*. specialim vetuit archidiaconos clericorum de impudicitiæ causas cognoscere. Ipsis vero Concilium reliquit jus visitandi ecclesias, quas antea visitare consueverant, modo id faciant per semetipsos, et cum consensu Episcopi, cui debent intra mensem rationem reddere peractæ visitationis, atque integra acta exhibere ex cap. 3, sess. 24, *de Reform*. Nunc omne archidiaconi munus eo redactum est, ut adsistat Episcopo, cum generales ordinationes conficit, vocetque eos, qui ordines suscepturi sunt. Cumque archidiaconi nunc amplius non sint vicarii nati Episcopi, tanta hodie in singulis inest auctoritas, quanta vel Episcopi mandato, vel ecclesiæ statuto, vel diuturna consuetudine data est.

[198] In quo cavetur, ut capitulum, sede vacante, officialem, seu vicarium infra octo dies post Episcopi mortem, qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus, constituet.

[199] Quæ fuit, ut Episcopus instructam redderet S. C. de exemptione, quam sibi capitulum asserit, necnon referret

1733, et iterum : Dilata, et ad mentem [200]: 25 *sept.* 1734. Denique recessit a decisis, et responsum dedit quoad ecclesiam cathedralem, et capitulum affirmativum : 19 *dec.* 1739.

6. Idem extra visitationem contra capitulares cum adjunctis ad formam Concilii in criminalibus tantum, non in civibus, nec in visitatione procedere potest : *Ibid.*, *dub.* 4. Hoc dubium bis iterum propositum fuit, et responsum uti ad dubium 3 dedit, et tertio loco prævio recessu a decisis affirmativam tulit responsionem : *Ibid.*

7. S. C. etiam resolvit præsente archidiacono ecclesiæ cathedralis, vel eo absente a civitate, vel diœcesi non posse illius coadjutorem administrationem assumere, et omnia acta jurisdictionalia in ejusdem locum exercere, sed tantum in casu absentiæ archidiaconi de tempore vacationis sedis omnem jurisdictionem ad capitulum spectare : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

8. Et dictus archidiaconus potest eamdem jurisdictionem exercere per suos vicarios : *Ibid.*, *dub* 6.

9. Archidiacono ecclesiæ collegiatæ oppidi Liberani durante triennio servitii absque fructuum perceptione massæ communis juxta consuetudinem, quæ in eadem ecclesia quoad provisos viget, non competit jus celebrandi Missas fissas, ac quotidianas ejusdem ecclesiæ : *Brundusina*, *Servitii chori et participationis*, 12 *martii* 1736, *dub.* 2.

10. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis per modum supplicationis incedens nequit solus ambulare sed unum, vel geminos canonicos in comites assumere debet; ac quoque nequit cereum majoris ponderis deferre, sed ejus ponderis, quem deferunt alii canonici : *Verulana*, *Archidiaconatus*, 13 *julii* 1748.

11. Ad eumdem quoque in choro præsidentia spectat ad effectus expressos in *Eugubina*, 12 martii 1746 [201] : *Ibid.*, *dub.* 8.

12. Archidiaconus prædictus præter superpellicium, ac palliolum violaceum in choro, aliisque ecclesiasticis functionibus etiam vestem violaceam gestare potest : *Ibid.*, *dub.* 9.

13. Non autem archidiaconus prædictus quocumque habitu indutus, et indistincte per civitatem verulanam incedens gestare potest tibialia violacea, et signum pariter violaceum in pileo, atque collare violaceum : *Ibid.*, *dub.* 10.

14. Archidiaconus in electionibus officialium per capitulum ecclesiæ cathedralis in congregatione generali fieri consuetis per schedulas non habet jus eligendi schedularum scrutatores ex urnis, ubi vocalium nomina sunt inscripta, sed hoc jus ad capitulum, et clerum pro ejus arbitrio spectat : *Tarentina*, *Præeminentiarum*, 1 *aug.* 1750, *dub.* 1.

15. Quod procedit etiam urgente necessitate eligendi, seu substituendi infra annum unum, vel plures officiales, seu deputatos rerum capitularium, quo casu ad capitulum prout de jure, non autem ad archidiaconum prædictum spectabit electio : *Ibid.*, *dub.* 2.

16. Et urna pro excipiendis suffragiis in omnibus congregationibus capitularibus est in medio aulæ capitularis collocanda, et numeratio per scrutatores facienda est; non autem est per archidiaconum circumducenda ad sedes singulorum vocalium, vel retinenda per ipsum in sua sede manentem : *Ibid.*, *dub.* 4.

17. Ad archidiaconum spectat tabellæ, seu catalogi dignitatum, canonicorum, et presbyterorum formatio pro celebrandis officiis divinis in festis primæ, et secundæ classis servato semper ordine turni : *Ibid.*, *dub.* 5.

18. Et quoad jura, quæ archidiaconus, vel primus in ordine canonicus in examine faciendo prætendit in pleno capitulo clericorum admittendorum ad servitia, et ecclesiæ redituum partitionem, S. C. requisita ; servari solitum mandavit : *Ibid.*, *dub.* 7.

19. Dignitates demum, ac canonici sedentes ex parte archidiaconi ingredi, et egredi ex suis respective stationibus ante stallum archidiaconi transeundo, quatenus ex ea parte proximior egressus, ingressusque ad easdem stationes pateat, valent : *Ibid.*, *dub.* 9.

20. Celebratio Missæ solemnis in ecclesia cathedrali, absente Episcopo, spectat ad archidiaconum primam ipsius ecclesiæ dignitatem : *Nebien.*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 1, confirmata 9 *febr.* 1754.

21. Archidiaconum cathedralis ecclesiæ explere posse functiones omnes episcopales privative quoad præpositum, et alios canonicos si absit, vel impeditus sit Episcopus, resolvit S. C.: *Camerinen.*, *Præeminentiarum*, 7 *april.* 1782, *dub.* 1 [202].

22. Dicto archidiacono competit jus exercendi munus præfecti chori, eoque absente, vel impedito

quomodo idem capitulum visitari consueverit, sede episcopali plena, aut vacante : *Ead. causa*, 25 *sept.* 1734, § 1.

[200] Rescribendum duxit S. C., ut jura et documenta per eam transmissa, ut S. C. instrueret juxta alias litteras ipsi datas die 18 julii superioris anni 1733 extrahi mandet, audito, et in omnibus citato capitulo prædicto, ac ita extracta ad eamdem S. C. remittat : *Registr. lit.* lib. 28, *die* 25 *sept.* 1734.

[201] Vide verb. *Præpositus*, § 3, num. 58.

[202] Inspecta consuetudine ecclesiæ non eodem modo resolvit S. C. Rituum occasione contraversiarum, quæ inter archidiaconum Pilorei, et præpositum Fosci dignitates ecclesiæ cathedralis Setinæ civitatis ex una parte, et canonicos ejusdem ecclesiæ ex altera excitatæ fuerant. Nam dubio : « An, et cum competat jus exercendi functiones sacras in solemnioribus anni festivitatibus absen-

idem jus competit præposito, et successive alteri digniori de capitulo semper tamen absente Episcopo : *Ibid.*, *dub.* 3.

23. Qua de causa sustineri minime debent resolutiones captæ in capitulo diei 8 aug. 1779 : *Ibid.*, *dub.* 4.

24. Post vicarium generalem archidiacono aliisque in eadem parte chori succedentibus est thus offerendum : *Ibid.*, *dub.* 5

25. Coram eodem archidiacono, vel eo absente altero digniore fieri debet fidei professio, et juramentum eidem a novo canonico præstari, non autem competit eidem jus novos canonicos ad possessionem canonicatuum admittendi, sed ad capitulum : *Ibid.*, *dub.* 6

26. Penes eumdem privative quoad Episcopum ejusque vicarium generalem convocandi capitulum pro negotiis ad ipsum capitulum pertinentibus auctoritas residet : *Ibid.*, *dub.* 7.

27. Postulationem tamen capitulum convocandi singulis secundis dominicis cujuslibet mensis absque prævia ulla denunciatione S. C. improbavit : *Ibid.*, *dub.* 8.

28. Itidemque denegavit, ut eidem archidiacono denunciarentur negotia in capitulo peragenda actu, quo canonici pro illius convocatione instant : *Ibid.*, *dub.* 9.

§ III.

Archidiaconus quoad fructus et distributiones.

1. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis petebat, se haberi tanquam præsentem in choro ad effectum distributiones lucrandi, dum choro non intervenit ; canonici namque licentiam discedendi a choro ab ipso exposcere renuebant, et ipse ad vitandas populi offensiones absens erat a choro. Et non nisi negativum tulit responsum sine præjudicio litis pendentiæ coram Ordinario : *Lunen.*, *Sarzanen.*, 4 *junii* 1701.

2. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis dispensatus super ætatis defectu a Sede Apostolica causa archidiaconatum obtinendi, quum a presbyteratum ascendere nequeat quoties divinis officiis interest, distributiones quotidianas, licet primam Missam alternatim non cantaverit, lucrari debet : *Amerina*, *Distributionum*, 13 *januar.* 1714, *dub.* 1.

3. Consuetudo in ecclesia cathedrali vigebat, ut dignitates, et canonici, qui per novem menses integrum illi præstiterint servitium, integram suam portionem massæ grossæ consequantur, sin vero per sex menses medietatem, si infra integram amitterent portionem. Archidiaconus Antonius Zito, qui, etsi per quatuor menses aberat vigore indulti S. C., integram distributionem ejusdem massæ percepit. Capitulum distributionum medietatem repetit. Hinc quæsito num esset restitutioni locus? responsum fuit, ut exhiberetur statutum ecclesiæ cathedralis, quatenus adesset, sin minus coadjuvarentur probationes super asserta consuetudine, et extraherentur formaliter partitæ ex libro punctatoris : *Rossanen.*, *Distributionum*, 28 *nov.* 1716.

4. Ecclesia Cæsaraugustana, in qua præter portionarios, beneficiatosque introducti fuerunt canonici regulares S. Augustini, qui deinde in locum canonicorum secularium sunt suffecti, ad instantiam Philippi IV, Hispaniarum regis, ad statutum secularem redacta fuit. Archidiaconatus fuit in annuis duc. 700 in favorem mensæ capitularis solvendis, ac in annuis duc. 1000 loco antiquarum menstruarum præstationum taxatus. Fructus ejusdem decreverunt ; ita ut archidiaconus conquestus fuerit impares ad contribuendum fructus esse, ac proinde quamdam expostulabat provisionem. S C. vero quæstionem non definivit, sed ad mentem rescripsit : *Cæsaraugustana*, 30 *sept.* 1724. Inita fuit postmodum concordia inter capitulum, et archidiaconum tunc existentem, qua stante cessione bonorum per archidiaconum fuerunt assignata annua scut. 250 præter distributiones quotidianas. Sed sequuta vacatione de eo fuit provisus Joseph Amat Mauleon, qui noluit concordiam præfatam servare, et stante redituum diminutione non teneri ad solutionum duc 1700 putavit. De hoc fuit S. C. interrogata, et retulit responsum ad Card. præfectum juxta mentem : 2 *julii* 1729. Deinde respondit ad eumdem Card. præfectum pro concordia : 23 *ejusd. mensis et anni.*

5. Cosmus Marcucci, archidiaconus ecclesiæ collegiatæ oppidi Liberani, gratis præstare in eadem ecclesia post possessionem dicti archidiaconatus servitium triennale tenetur; ita ut durante dicto tempore de fructibus massæ communis participare nequeat. Nam aderat consuetudo non admittendi ad dictam partionem provisos de dignitatibus, ac canonicatibus, nisi gratis per triennium ejusdem Ecclesiæ servitium præstiterint : *Brundusina, Servitii chori et participationis*, 12 *maii* 1736, *dub.* 1.

6. Archidiaconum Antonius Cappellarius, qui indultum jubilationis obtinuit, non potest percipere de emolumentis a præposito Romagnoli relictis, quæ intervenientibus distribui voluit testator, non obstante quod præfatum indultum contineat clausu-

tibus, vel impeditis Episcopo, et archipresbytero cathedralis Setinæ ? decrevit S. C. Rituum die 27 maii 1786. « Competere canonico digniori juxta solitum, non autem « archidiacono, vel præposito, et amplius. »

lam, quod *quamvis imposterum non inserviat, nihilominus omnes fructus, ac distributiones sui archidiaconatus percipere valeat, perinde ac si choro, et divinis officiis personaliter interesset : Mantuana, Jubilationis,* 16 *martii* 1737.

7. Francisco Carolo ecclesiæ Aquilanæ acrhidiacono, cui indultum vacandi a choro ratione morborum concessum fuit, omnia emolumenta exceptis iis, quæ sive ex dispositionibus testatorum, sive ex statuto, et Ecclesiæ consuetudine acquirunt tantum actu inservientes, debentur : *Aquilana, Indulti,* 26 *junii* 1745, *dub.* 2.

8. Quum quidam parochus, qui pro vicarii generalis munus gerebat, absente Episcopo, sacrum solemne in ecclesia cathedrali peragere voluisset, archidiaconatus prima ejusdem ecclesiæ dignitas arrepto itinere adiit Episcopum, qui eo non audito, sub pœna suspensionis præcepit statim ad ecclesiam redire, sed in itinere incidit in febrim, et ita detentus præcepto obtemperare non potuit. S. C. requisita an distributiones quotidianæ tempore suspensionis ei deberentur? eas utique deberi censuit : *Nebien.,* 17 *nov.* 1753, *dub.* 3, confirmata 9 *februar.* 1754.

9. Quum Franciscum Longorium provisum de archidiaconatu ecclesiæ cathedralis ad residentiam teneri fuisset declaratum, quæsitum insuper fuit ; an perceptos fructus, dum aberat, restituere debeat? et S. C. rescripsit : Dilata, et exhibeantur indulta una cum libello : *Tuden., Residentiæ,* 24 *nov.* 1759, *dub.* 2.

10. Decretum emanavit ab Episcopo, in quo statuebatur tertiæ partis fructuum archidiaconatus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi separatio illiusque conversio facienda in usum quotidianarum distributionum pro modo servitii ab archidiacono lucrandarum. Contendit archidiaconus suam fundationem fuisse cum lege de omnibus distributionibus participandi factam. Idcirco S. C. præfatum decretum validum non esse censuit : *Imolen., Distributionum,* 30 *maii* 1761, *dub.* 1, confirmata 29 *aug. ejusd. anni.*

11. Neque eumdem archidiaconum Bolis ad restitutionem fructuum dictæ tertiæ partis massæ distributionum restituere adstringendum esse decernitur : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

12. Neque etiam supradictum archidiaconum ad restitutionem distributionum perceptarum de communi massa, esse compellendum deciditur : sed immo solvendæ illi sunt distributiones in aliis annis non præceptæ, et solvendæ sunt habita ratione interventus : *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

13. Archidiaconus ecclesiæ collegiatæ SS. Petronii et Prosperi, terræ Lugi, participare de distributionibus quotidianis juxta ratam portionem, quam confert, debet. Nam est de corpore, et de gremio capituli; etiam dotem ex massa communi distinctam habeat : *Imolen., Distributionum,* 8 *maii* 1773, *dub.* 1, confirmata 15 *sept.* 1787.

14. Et quum ageretur; an, et de quibus emolumentis Missarum participare, aliorumve legatorum debeat idem archidiaconus? rescriptum prodiit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem[203] : *Ead.* 30 *maii* 1772, ac ad examen iterum subjecto dubio negativum S. C. præbuit responsum juxta votum Episcopi quoad legata præexistentia ante erectionem collegiatæ ; non autem de emolumentis anniversariorum, et Missarum lectarum, quæ inter omnes participantes dividi solent : 8 *maii* 1773, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

15. Clerico Antonio Severoli archidiacono ecclesiæ cathedralis absenti ratione studiorum concessæ fuerunt omnes distributiones ad formam indulti pontificii, quod hæc continet verba : *Sanctissimus D. Noster rejecta oppositione capituli mandavit servari decretum Sanctitatis suæ in favorem oratoris, quibuscumque contrariis non obstantibus ;* quamvis ex constitutionibus capitularibus, ad quarum observantiam juramento se obstrinxerat Severoli, distributiones non debeantur, nisi in sacerdotio constitutis : *Faventina, Distributionum,* 13 *julii* 1776, *dub.* 2.

16. Archidiacono ecclesiæ collegiatæ oppidi Carticeti, qui est prima dignitas, et cui animarum cura incumbit, eleemosyna ex massa communi pro celebratione Missæ pro populo debetur : *Fanen.,* 29 *april.* 1780, *dub.* 1, confirmata 15 *julii ejusd. anni et* 20 *januar.* 1780.

17. Ac eidem a die motæ litis debetur : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

18. Archidiaconus Alexander Maria Piantanida ecclesiæ cathedralis, qui ad residentiam tenetur, medietate fructuum a die præcepti Episcopi privari debet ; quum ad civitatem Bastiæ, ubi adest domus consanguineorum, se contulerit : *Nebien.,* 28 *julii* 1781.

19. Ad dubium ; an archidiacono ecclesiæ cathedralis debeantur distributiones pro tempore ejus absentiæ? respondit, provisum per D. secretarium : *Camerinen., Præeminentiarum,* 7 *april.* 1781, *dub.* 10.

[203] Ut referret, an Missarum, et legatorum emolumenta ex capitulari, et communi, vel ex alia desumerentur massa : an inter præsentes fieret illorum distributio ; a quibus eorumdem legatorum onera adimplerentur ; et an ulla post erectum archidiaconatum, et archipresbyteratum relicta essent legata : *Ead. causa,* 15 *sept.* 1787, § 1.

§ IV.

Archidiaconus quoad privationem.

Vicarius generalis contra Franciscum Ferrignum archidiaconum ecclesiæ cathedralis causa absentiæ per tredecim annos ad pœnam privationis dimidiæ partis fructuum processit. Et non reperto eo in domo consuetæ habitationis ad valvas ejusdem ecclesiæ citatio exequuta fuit; deinde in contumaciam servatis temporum debitis intervallis ad privationem devenit; quamvis testes deponerent Ferrignum mentis inopem. Re in S. C. deducta, hæc de legitima privatione archidiaconatus non constare sancivit: *Vicoæquensis*, *Archidiaconatus*, 14 *januar.* 1720, confirmata 3 *aug.* 1709, *dub.* 1. Ac quum in contumacia perseverasset, et in civitate Neapoli, ubi ille publicam juris lecturam exercebat, resideret, fuit citatus, et S. C. de nova legitima privatione constare resolvit: *Ibid.*, *dub.* 2.

§ V.

Archidiaconus quoad residentiam, Missam conventualem et alia onera.

1. Carolus Antonius Scalzi archidiaconus ecclesiæ cathedralis cura animarum, ac jurisdictione carens, declarari exorat; an ipse esse doctor, et licenciatus in jure canonico teneatur? et negativum tulit responsum: *Aquipendii*, *Archidiaconatus*, 20 *junii* 1671.

2. Ut decretum applicationis Missæ conventualis in ecclesia cathedrali effectui daretur, æstimavit Episcopus folium quoddam applicationis dictæ Missæ declarationum a canonicis subscribi. Sed archidiacono renuente, S. C. prædictum folium obligationis archidiaconum subscribere ad Missæ conventualis applicationem probandam minime teneri decrevit: *Civitatis*, *Plebis*, 17 *maii* 1704, *dub.* 1.

3. Archidiacono unicæ ecclesiæ cathedralis dignitati a choro et ecclesiæ servitio temporibus adventus, et quadragesimæ, necnon in dominicis, aliisque festis, quæ in eadem ecclesia solemnia non dicuntur, ac in octavis privilegiatis vacare non licet: *Asculana*, 5 *junii* 1706, *dub.* 2.

4. Robertus Valia archidiaconus ecclesiæ cathedralis ad residentiam sese non teneri asserit, tum quia ecclesia Nazarena sita in oppido Baruli diœcesis Tranensis non sit proprie cathedralis, sed hospitium Archiepiscopi Nazareni, cui non licet in oris Palestinæ sub Turcarum tyrannide residere; sed instante fiscali promotore S. C. ad residentiam teneri decidit: *Nazarena*, *Residentiæ*, 8 *feb.* 1710.

5. Archidiaconus major ecclesiæ cathedralis vices Episcopi gerens, sede vacante, in vicarium generalem, quoad actus capitulares tantum unum de gremio capituli, non autem pro causis, negotiis, rebusque ecclesiæ de gremio capituli deputare tenetur: *Gerunden.*, *Jurisdictionis*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 1, confirmata 28 *martii* 1733.

6. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis putans Archiepiscopum nec solemne sacrum, nec proprie pontificalia peragere dici posse, nisi quum manus imponeret, quæstionem excitavit, num ipse assistere Archiepiscopo Missam pontificalem non solemnem celebranti teneretur? S. C. rescripsit, ut scriberetur eidem Archiepiscopo pro præfixione termini archidiacono ad deducendum jura sua in S. Congr.: *Urbinaten.*, *Visitationis sacr. liminum*, 14 *januar.* 1747, *dub.* 2.

7. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis duplices habens præbendas ad duplum omnium expensarum pro ecclesiæ manutentione, et sacrarii non tenetur; sed tantum instar omnium aliorum canonicorum a die captæ possessionis eas solvere debet: *Verulana*, *Archidiaconus*, 13 *julii* 1748, *dub.* 1.

8. Ac quoque jura sacrario debita a singulis canonicis in actu ingressus ab archidiacono in consueta summa scut. 12 non in duplo ratione antedictæ duplicis præbendæ debentur: *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Idem vero archidiaconus ad officium hebdomadarii, et respective ad Missas conventuales et parochiales per vices non tenetur: *Ibid.*, *dub.* 5.

10. Franciscum Longorium de archidiaconatu ecclesiæ cathedralis a Sede Apostolica provisum teneri ad residentiam S. C. declaravit. Abfuerant enim illius prædecessores cum dispensatione: *Tuden.*, *Residentiæ*, 24 *nov.* 1759, *dub.* 1.

11. Archidiaconus religiosus Franciscus Philippus de Menseren a capitulo Præmonstratensium locorum Beelen, et Lette electus, cui vigore unionis spectat præpositura Clarholtz, ab Episcopo confirmationem pro exercitio suæ jurisdictionis archidiaconalis in parœciis de Beelen, et Lette, referre tenetur; quamquam exemptionem tum ex privilegio, tum ex consuetudine ille desumi posse putaret; *Monasterien.*, *Confirmationis*, 18 *nov.* 1769, confirmata 10 *martii* 1770.

12. Archidiaconus collegiatæ ecclesiæ oppidi Carticeti celebrare Missam conventualem alternatim cum canonicis hebdomadariis absque ulla eleemosyna tenetur: *Fanen.*, 29 *april.* 1780, *dub.* 3. Causa iterum in trutina posita, S. C. susceptum consilium deposuit: 15 *julii ejusd. anni*, confirmata 20 *jan.* 1781 [204].

[204] In S. C. Rituum habentur hæc dubia proposita, ac resoluta occasione controversiæ exortæ in capitulo ecclesiæ cathedralis Ovetensis, nempe: 1° An archidiaconi non habentes temporalem præbendam adnexam, teneantur

13. Alexander Maria Piantanida cathedralis ecclesiæ archidiaconus a residentia dispensari nequit; etsi gravitatem oneris subeundi residentiam, et sese a Bastia, ubi suorum adest consanguineorum domus, ad civitatem in salubris æris S. Florentiæ, ubi sita est cathedralis, transferendi, ex sui archidiaconatus reditibus ostendisset : *Nebien.* 28 *julii* 1781, *dub.* 1.

§ VI.

Archidiaconus quod stallum in choro et vocem in capitulo.

1. Quæsitum est : an novo archidiacono fundationis Bartholomæi Miccinelli debeatur stallum supra canonicos? rescribitur, deberi post archipresbyterum : *Sabinen.*, *Erectionis archidiaconatus* 14 *april.* 1696, *dub.* 2.

2. Et ad dubium, an sine consensu capituli, seu canonicorum possit habere vocem activam, et passivam in capitulo ? negative præterquam in concernentibus servitium ecclesiæ, respondetur : *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Archidiaconum Alexandrum Geraldinum, qui dispensatus super ætate ab Apostolica Sede retinet archidiaconatum cathedralis ecclesiæ, vocem in capitulo habere S. C. decernit : *Amerina*, *Distributionem*, 13 *januar.* 1714, *dub.* 1.

4. Postquam Thomas de Thomasettis provisus fuerat a Sancta Sede de archidiaconatu, quæ unica, ac primaria est dignitas in ecclesia cathedrali Marsorum, prætensionem excitavit contra capitulum super interventu in congregationibus capitularibus, et proponi curavit dubium ; an archidiaconus prædictus debeat, vel intervenire possit in congregationibus capitularibus, et habere vocem activam, et passivam instar aliorum canonicorum ? S. C. protelavit resolutionem, ut coadjuverentur probationes hinc inde juxta instructionem : *Marsicana*, *Vocis in capitulo*, 11 *junii* 1729.

5. Archidiaconatus ecclesiæ cathedralis, quæ est dignitas major noviter erecta, habet vocem in capitulo : *Verulana*, *Archidiaconatus*, 13 *julii* 1748, *dub.* 3.

6. Ad ipsum quoque capitulum convocare spectat : *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Archidiaconus ecclesiæ collegiatæ SS. Petroni, et Prosperi terræ Lugi vocem activam, et passivam in actis capitularibus factis, ac faciendis habet, præter ea, quæ massam capitularem respiciunt : nam ille dotem ex massa communi distinctam habet : *Imolen.*, *Distributionum*, 30 *maii* 1772, *dub.* 3, confirmata 8 *maii* 1773, 15 *sept.* 1787.

ARCHIEPISCOPUS.

§ I.

Archiepiscopus, seu Metropolitanus, quoad appellationem, visitationem, jurisdictionem ac potestatem.

1. Vacante ecclesia suffraganea capitulo carente, illius administrationem, et vicarii, sede vacante, deputationem, ad Metropolitanum spectare statutum est : *Dubium administrationis ecclesiarum* 28 *aug.* 1683, *dub.* 1. Et, etiamsi obstet in casu allegata consuetudo, ac constitutio provincialis concilii in favorem suffraganei antiquioris, confirmatur decretum : 14 *april.* 1685.

2. Discusso dubio, an ceteris omnibus Episcopis suffraganeis in provinciali synodo consentientibus, quod eorum Metropolitanus cunctas provinciæ diœceses visitet, uno dumtaxat suffraganeo dissentiente, eo quod nulla adsit necessitas hujusmodi visitationis faciendæ, nihilominus Metropolitanus diœcesim dicti suffraganei dissentientis visitare possit ? responsum præbuit negativum : *Hyberniæ*, *Visitationis*, 29 *nov.* 1687 [205].

3. In edictis emanatis ab Archiepiscopo Turri-

exercere officium diaconale in Missis conventualibus, alternando cum canonicis, a quocumque Missa celebretur?

2. An Archidiaconi, et dignitates adnexam habentes temporalem præbendam, teneantur in iisdem Missis conventualibus subire officia diaconale, et subdiaconale in duplici turno cum canonicis, ratione nimirum dignitatis, et præbendæ ?

3. An archidiaconi, et dignitates, et canonici pro exercitio dictorum officiorum assumere teneantur qualitates ad id ab Ecclesiæ statuto præscriptas, et sub quibus pœnis ? responsio fuit, ad 1 affirmative ; ad 2 affirmative ; ad 3 affirmative sub poenis contentis in concilio provinciali Compostellano anni 1565. Et ita declaravit, et servari mandavit, *die* 9 *august.* 1760.

[205] Dum Episcopus Laonensis in Hibernia questus est contra Archiepiscopum Cassallensem, qui volebat quovis triennio visitare ecclesiam suffraganeam, volebatque interim Episcopum carere jurisdictione, et ipse reditus episcopatus percipere pro tempore visitationis, apud S. C. Concilii. Hæc decernit *die* 10 *maii* 1631 Metropolitano

tano, et in diœcesi Bosanensi affixis, enunciare patrem, et pastorem non potuit : *Turritana, seu Bosanen*, *Jurisd.*, 12 *martii*, *dub.* 1.

4. Nec idem Archiepiscopus præfata edicta in diœcesi Bosanensi affigere potuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Insuper in eisdem edictis Archiepiscopus prædictus censuras sibi reservatas in subditos episcopatus Bosanensis tam ecclesiasticos, quam laicos, in casu amotionis illorum comminari nequit : *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Ac curia archiepiscopalis Turritana non rite processit ad expeditionem litterarum citatorialium ad instantiam Alviræ Nater, et Solgiu adversus œconomum capituli Bosanensis : *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Et idem Archiepiscopus pro causis ad curiam metropolitanam devolutis in gradu appellationis exequutores suæ curiæ pro exequendis mandatis in diœcesi Bosanensi pro juribus curiæ archiepiscopalis, salario sententiarum, advocati, et similibus mittere nequit : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Præfatus Archiepiscopus pro exequutione dictorum mandatorum Episcopum suffraganeum interpellare tenetur : *Ibid. dub.* 6.

9. Et quatenus Archiepiscopus in casibus supradictis limites suæ facultatis in diœcesim, ac diœcesanos Episcopi Bosanensis excesserit, in censuras non incidit : *Ibid.*, *dub.* 7.

10. Archiepiscopus Turritanus appellationem admittere, et inhibitionem concedere in causa ad curiam episcopalem Algarensem suffraganeam devoluta in gradu appellationis a licentiato Francisco Flori, et operario ecclesiæ Putifagan. contra Antonium Soro interpositæ non potuit : *Altaren. seu Turritana, Jurisdictionis*, 3 *aug.* 1709, *dub.* 1.

11. Idem Turritanus Metropolitanus appellationem ad instantiam Michaelis Ruiz Saniento in causa pendente in eadem curia Algarensi recipere nequit : *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Dictus Metropolitanus appellationem suscipere, ac inhibitionem impertiri ad instantiam Antonii Oddo in causa pendente in dicta curia Algarensi, quam idem Antonius Oddo in eadem curia introduxit contra Salvatorem Datori non valuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Idem Metropolitanus appellationem ad ipsum interpositam pro parte Antonii Soro officialis secularis in causa, in qua rector dicti oppidi processit, uti delegatus Episcopi Algarensis omisso ipsius Episcopi delegantis medio, non potuit admittere : *Ibid.*, *dub.* 4.

14. Archiepiscopus prædictus se ingerere in causam in prima instantia in ejus curia Turritana introductam pro parte licentia Joan. Antonii Mulas Meloni contra Rosaliam Quersa, Petrum Paulum Manunta de Villa Salurii, ac doctorem Franciscum Maggio non valuit : *Ibid*, *dub.* 5.

15. Ac idem archiepiscopus in prima instantia citare nonnullos villæ Berquidda diœcecis Algarensis ad deducendum suas querelas contra Augustinum Pessata villæ de Tempio subditum Episcopi Ampuriensis non potuit : *Ibid.*, *dub.* 7.

16. Curiæ metropolitanæ Amalphasis inhibitionem vigore appellationis interpositæ a sacerdotibus Francisco Vassallo, et Sabbato de Stephano ab Episcopo Capritano suffraganeo ex causis sibi notis, et informata conscientia suspensis, contra curiam Capritanam concedere non licuit, nec absolutionem cum reincidentia parocho cuiquam committere : *Capritana*, 16 *dec.* 1730, *dub.* 3.

17. Neque etiam eidem curiæ metropolitanæ eosdem sacerdotes e vinculis carcerum liberare licuit; sed eamdem in carcerem injectionem fuisse attentatam resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 4.

18. Curiæ metropolitanæ Capuanæ inhibitiones concedere adversus residentiam parochorum ad effectum suspensivum non licet, sed mandatur a S. C. dari decretum in *Feretrana*, *anni* 1591 [206] : *Suessana*, *Residentiæ et censurarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 1.

19. Archiepiscopum Kioviensem, et Metropolitanum totius Russiæ habere jus visitandi monasterium Melicense ordinis S. Basilii Magni, liceat intra diœcesis Luceoriensis limites situm sit, declaratur; ita ut visitatio peracta per delegatos sustinenda sit : *Kioven.*, *Juris visitandi*, 12 *septemb.* 1739, *dub.* 1.

20. Idem Archiepiscopus occasione visitationis abbatem dicti monasterii Innocentium Pickowoza a suis monachis de inhonesta, turpique vivendi ratione accusatum uti punibilem, abbatia privandum, et suspendendum ab usu pontificalium definitiva sententia declaravit. Hæc de injustitia, et nullitate ex defectu jurisdictionis redarguitur, et S. C. rem ablegavit ad D. nuntium, ut procederet prout de jure ad confirmandam, vel infirmandam sententiam

non est permissnm visitare diœcesim Episcopi suffraganei ad præscriptum Concil. Trid. cap. 3, sess. 24, *de Reformat. vers. Metropolitanis*. Hoc decretum Urbanus VIII Const. *Exponi Nobis*, 7 *junii* 1631, § 1 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 1, pag. 277) confirmavit.

[206] Die 6 sept., in quo S. C. rescripsit Episcopo, ut hujusmodi inhibitione, ut pote nulla, et contra dispositionem Concilii decreta non obstante, compelleret curatum ad residentiam. Ad vicarium apostolicum Urbini scribendum a præcepto Episcopi, seu alio actu, cum procedit ad compellundos curatos ad residentiam, non dari appellationem ad effectum suspensivum, ut aperte cavetur decreto cap. 1, § eod. tit. 44, itaque sciat, eam inhibitionem ab Episcopo sperni pœse, et propterea de cetero caveat ab hujusmodi inhibitionibus : *Ead. causa*, 1 *martii* 1738. Vide verb. *Appellatio*, § 1, num. 1.

etiam cum facultatibus S. C., et scribi mandavit eidem nuntio juxta instructionem[207] : *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Non licet Archiepiscopo, vel curiæ archiepiscopali Ravennæ deputare in civitate, et diœcesi Faventina notarium ad recipiendas appellationes, aliosque ministros pro exercitio suæ jurisdictionis : *Ravenaten., seu Faventina, Jurisdictionis*, 18 *apr.* 1750, *dub.* I. Deinde prævia documentorum collatione citata parte coram D. secretario confirmata 9 *sept.* 1752 et 11 *aug.* 1753.

22. Et ad postulatum, an eadem curia archiepiscopalis possit pro sui libito ministros deputare, et quoad eos ita exercere jurisdictionem, ut transmittere commissarios, et familiam armatam valeat, processus conficere, et similia in civitate, et diœcesi Faventina, ita ut processus ultimo loco constructus contra Barbettum sustineatur? S. C. respondit provisum in secundo, in quo statutum fuerat ministros deputatos pro exactione redituum mensæ archiepiscopalis non esse exemptos a jurisdictione Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

§ II.

Archiepiscopus quoad collationem sacrorum ordinum.

1. Subditi Episcopi Bosanensis, qui ratione studiorum moram in civitate Saxerensi traxerunt, tam ratione domicilii, quam originis ad ordines promoveri ab eodem Episcopo sine testimonialibus Archiepiscopi potuerunt : *Turritana seu Bosanen.*, *Jurisdictionis*, 17 *martii* 1708, *dub.* 8.

2. Et tam Episcopus Bosanensis, quam ordinati in pœnas contentas in Constitutione Innocentii XII, Pont. Max. [208], non inciderunt : *Ibid.*, *dub.* 9.

3. Quum esset nunciatum S. C., an Archiepiscopus Turritanus potuerit sine litteris testimonialibus Episcopi Algarensis ad presbyteratus ordinem Matthæum de Aqueria oppidi de Ocier dictæ diœcesis Algarensis promovere?

4. An idem Archiepiscopus sine testimonialibus Episcopi Algarensis ad presbyteratus ordinem Andream dicti oppidi de Ocier diœcesis Algarensis, et ad ordinem diaconatus Gasparem Sacta Oliveras ejusdem oppidi de Ocier, et diœcesis Algarensis promovere potuerit? et quatenus negative.

5. An tam præfatus Archiepiscopus, quam ordinati in pœnas contentas in Constitutione Innoc. XII, Pont. Max., inciderint? S. C. rescripsit pro meliori informatione auditis etiam ordinatis : *Algaren. seu Turritana, Jurisdictionis*, 3 *aug.* 1709, *dub.* 8, 9 *et* 10.

ARCHIMANDRITA.

Archimandrita quaod convocandi synodum.

Contendebat Massanensis archimandrita, quod ratione monasterii S. Salvatoris de Lingua Phari jurisdictionem se quasi episcopalem in sibi subjectis locis exercere, ac synodum convocare, et in ea examinatores deputare posset; sed quum se contradictorem exhibuisset Massanensis Archiepiscopus, disserere necesse fuit; num præfato archimandritæ jus synodum convocandi competeret? Sed non competere S. C. definivit : *Nullius*, *seu Messanen.*, *Juris convocandi synodum*, 5 *julii* 1738 [209].

[207] Ut Episcopus pendente judicio super confirmatione, vel infirmatione sententiæ, de qua agitur, provideat regimini monasterii Melicensis, et si monachus eidem monasterio præfectus a reverendissimo Metropolitano idoneus sit eidem regimini ipsum relinquat : *Regist. lit.*, lib. 29, die 12 *sept.* 1739.

[208] Die 4 novem. 1694 incipien. *Speculatores* (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 374), ubi § 8, legitur. « Ita vero præmissa omnia, et singula perpetuo, et inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum exequutione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque super gravioribus pœnis, pro modo culpæ, nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat. » Vide not. 75.

[209] « Verum (ita Bened. XIV) cum, post nostram assumptionem ad supremum Pontificatum, Cardinalis Silvias de Valentibus, commendatarius archimandrita præfati monasterii S. Salvatoris, nobis supplicasset, ut potestatem, quam hactenus caruerat, Apostolica auctoritate, ei concedere dignaremur, nos ejusdem Cardinalis precibus annuentes, nostris in forma brevis litteris datis die 14 januarii 1741 privilegium eidem Cardinali indulsimus celebrandi synodum in aliquo loco suæ jurisdictionis, extra civitatem Messanensem : quod tamen privilegium personale dumtaxat esse, declaravimus, nec suffragari voluimus futuris archimandritis, nisi simile indultum a Sede Apostolica ipsi quoque obtinuerint. Eodem apostolico privilegio, nunc temporario, nunc perpetuo, a Sede Apostolica exornatos fuisse alios plures inferiores prælatos tertiæ speciei, non ignoramus; cum frequenter occurrant synodi ab iis habitæ, ac præsertim ab abbatibus Cassinensi, Nonantulano, Farfensi, S. Salvatoris Majoris, et similibus. » *De Synod. Diœces.* lib. 2, cap. 11, num. 6. edit. Rom. 1755, pag. 44.

ARCHIPRESBYTER.

§ I.

Archipresbyter quoad coadjutorem.

1. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ loci Sondrii causa morbi apoplesiæ elegit sibi coadjutorem sacerdotem Ignatium Carbonera, quæ per quadriennium curam animarum laudabiliter exercuit. Modo Episcopus injunxit illi remotionem coadjutoris, et electionem alterius absque ulla causa; hinc archipresbyter adiit S. C., quæ instantiam, audita relatione Episcopi, rejecit : *Comen.*, 12 *apr.* 1698.

2. Franciscus Marras ecclesiæ metropolitanæ canonicus a Sede Apostolica ob archipresbyteri dementiam coadjutoriam ejusdem cum clausula, quod is una cum canonicatu retineret absque dispensatione, obtinuit; qua de causa duplex in capitulo suffragium ferre, duplicatasque percipere distributiones prætendit. Utrumque S. C. indulsit ad formam apostolicarum Constitutionum [210] : *Arboren.*, 25 *apr.* 1700.

3. Suppressionem unius ex parochis duobus ecclesiæ parochialis Castri Madamæ, et respective erectionem duorum vicariorum in locum parochi suppressi firmam, et ratam esse decernitur. Sed iisdem vicariis, seu coadjutoribus nullum jurium parochialium exercitium competere, nisi de licentia, et consensu archipresbyteri statutum fuit : etiamsi competere iidem asserant jura parochialia, eo quod juxta episcopalia edicta subrogati sunt *cum omnibus honoribus, et oneribus* in locum suppressi parochi : *Tyburtina, Parochialia*, 16 *junii* 1792.

§ II.

Archipresbyter quoad ejus congruam.

1. Archipresbyter S. Joannis in Plagra terræ Aqualaneæ sub prætextu congruæ insufficientiæ in manibus Archiepiscopi Urbinatensis bona conventus S. Francisci Min. Conv. vigore Constitutionis Innoc. XII, Pont. Max., suppressi, eidemque ecclesiæ pro congrua unita, dimisit, ac contestando se nolle ex præfatis bonis ullum commodum, vel incommodum amplius referre denunciavit. Archiepiscopus cum clausula *Si, et in quantum* admisit dimissionem, quam validam haud esse S. C. declaravit : *Urbinaten.*, *Congruæ*, 30 *julii* 1701.

2. Requisita S. C.; an archipresbyter parochialis ecclesiæ receptitiæ terræ Opi congruam sufficientem habeat, vel ex decimis, et aliis emolumentis, ac distributionibus prætensis per alios sacerdotes dictæ ecclesiæ sit supplenda? respondit esse provisionem ab Episcopo in ejus voto [211] præscriptam servandam : *Marsicana, Congruæ et participationis*, 12 *januar.* 1709, *dub.* 1.

3. Quum Paulus Granus archipresbyter parochialis ecclesiæ ac matricis S. Nicolai oppidi Policastri vehementer super modicitate proventuum condoleret ac dismembrationem familiarum sub parochiis, S. Mariæ *della Magna*, et S. Mariæ de Græcis pro consequendis decimis personalibus, preces in S. C. exhibuit, et non fuit auditus; hinc quomodo consulendum esset pro ejus conservatione quæsivit; et S. C. ut procederetur ad formam sacrorum Canonum, et Sacri Concilii respondit : *Sanctæ Severinæ, Dismembrationis*, 1 *dec.* 1714, *dub.* 3.

4. Archipresbyter parochialis ecclesiæ Montis Leonis ex decimis tres partes ex quatuor percepit; ex his unam pro sacris ustensilibus, ac supellectilibus Episcopus destinavit; ita ut libere parochus duas partes una cum emolumentis stolæ, aliorumque bonorum colligat; idcirco archipresbyter salvam non esse congruam autumat, et S. C. requisita decretum distulit, ut coadjuventur probationes : *Arian. Congruæ*, 20 *febr.* 1717, *dub.* 1.

5. Nicolaus Gentili archipresbyter ecclesiæ Ca-

[210] Quibus S. S. haud derogavit. Hæc gratia, quod obtinenti duo beneficia in eadem ecclesia debeantur duo vota, ac duplex distributio, innititur communi, ac receptissima doctorum sententia, in generali illa legum dispositione fundata. Nam quotiescumque duorum jure in unius persona resident, unumquodque remanet illæsum, nec unius personæ jus, cum jure alterius personæ confunditur, leg. *Si mihi, et tibi* in cap. *Cum olim*, de re judic.; Et ita sacrum Rotæ tribunal respondit in favorem Thomæ, qui auctoritate apostolica dignitatem archidiaconatus cum canonicatu in eadem ecclesia obtinuerat; ipsi deberi sedem archidiaconi, duo vota, et duplicem distributionem tum ratione archidiaconatus, quam canonicatus decidit; ut constat ex decis. 94. 124, tom. 2, part. 4, recentior.

[211] Nam Episcopus censuit ex emolumentis dictæ ecclesiæ duplicem portionis ratam archipresbytero assignandam, necnon certam aliam ratam ante alios capiendam ab uno, vel duobus sacerdotibus adjungendis archipresbytero; *Ead. causa*, 15 *decem.* 1708.

stri Turritæ archipresbyteratum cum onere pensionis scut. 15 acceptavit. Inde quæsivit, num congrua ab oneribus pensionis sit exempta? S. C non dedit resoluionem, sed mandavit, ut ordinarius nomine etiam S. C. quacumque provisionem caperet pro regimine animarum, et pro restauratione ecclesiæ, ac suppellectilium expensis archipresbyteratus, et his deficientibus aliis modis ad formam concilii [212]. Hinc Episcopus jussit, ut per modum provisionis deponeretur tertia pars fructuum, sed instante communitate aliud ab ipso editum fuit decretum pro deputatione œconomi, et pro solutione archipresbytero præstantanda scut. 72 pro congrua alimentaria, et reclamante archipresbytero, decrevit, ut ipsi consignaretur medietas fructuum omnium archipresbyteratus. Reclamavit ex his decretis ipsa communitas. Sed S. C. decisionem protelavit, et dixit, ut firmaretur status, et ut interim decretum servaretur Episcopi : *Nepes*, *febr*. 1726.

6. Archipresbytero terræ Cisternini ecclesiæ collegiatæ, qui in eadem ecclesia prima est dignitas, ac curam animarum actualem adnexam habet, congrua alimentaris ex decimis, et quarta funerum, quas percipit Episcopus, non debetur; etsi ratione curæ modici sint reditus, emolumenta tamen nonnulla ratione dignitatis, quorum pro congrua habenda est ratio, accipit : *Monopolitana*, *Congruæ* 30 *martii* 1726, confirmata 28 *sept*. 1737, *dub*. 2.

7. Idcirco haud eidem debetur congrua a capitulo præfatæ collegiatæ : *Ibid*., *dub*. 3.

8. Quum S. C. fructus, reditus, decimas, juraque, et emolumenta funerum non integre ad archipresbyterum receptitiæ, ac parochialis ecclesiæ S. Nicolai terræ Laureæ spectare decrevisset; non acquievit idem archipresbyter, sed efflagitavit, ut prævio recessu a decisis statuatur sibi certa congrua ex dictis fructibus, et emolumentis, et S. C. minime audivit, et servari solitum demandavit : *Policastren*., 13 *sept*. 1738, *dub*. 2.

9. Residente cura habituali penes capitulum terræ Nojæ, archipresbyter, apud quem extititit cura actualis, num ei debeatur congrua, in qua summa, et ex quibus reditibus, seu portio duplicata postulavit? Sed S. C. non deberi, sed solitum servari, rescripsit : *Baren*., *Congruæ et expensarum*, 9 *febr*. 1760, *dub*. 1.

10. Archipresbytero ecclesiæ parochialis S. Donati loci de Polenda, quæ antea unita mensæ episcopali ad statum collativum redacta est, nonnullis assignatis bonis, et jure percipiendi decimas mensæ episcopali reservato; in qua summa assignari debeat congrua? a S. C. interrogatum est; quum assignata bona detractis oneribus scut. 12 supersint ad parochi conservationem, et fabricæ Ecclesiæ manutentionem eroganda; respondit S C.: Dilata, et ad mentem [213] : *Brictinorien*., *Congruæ*, 14 *dec*. 1782, *dub*. 2. Postmodum deberi in annuis scut. 17 ab Episcopo præstandis censuit : 10 *dec*. 1785, confirmata 15 *sept*. 1787.

11. Archipresbyter, et parochus collegiatæ ecclesiæ S. Pauli Firmi parochialem sibi domum, augmentumque congruæ deberi putans, et a canonicis de super præventus, auctoritatem imploravit S. C. capitulum congregatum decernit, quod tradi archipresbytero deberent ædes juxta ecclesiam, ac pluviale, et velum humerarium pro functionibus parochialibus, exemptusque esset ab annua præstatione scut. 5 pro distributione candelarum in festo Purificationis Deiparæ, aliorumque scut. 17 pro oleo lampadis. Iterumque die 7 sept. 1786, coadunatum capitulum deliberavit, ut conventio hæc non ad vitam, sed perpetuo duratura esset. Concordiam hanc petunt approbari canonici; et Episcopus eam probandam censuit, eo quod archipresbyter a domus locatione liberatus non tam ægre capellanum vicarium retinebit; et censuit, ut magnæ domus manutenendæ expensæ ad capitulum habitualem habens curam pertinerent; et ut demum firmum penes ipsum capitulum remaneret onus alium retinendi capellanum coadjutorem. Proposita causa, et expostulato; quænam sit resolutio capitularis probanda, et a quibus exequenda? illam profecto diei 7 sept. emanatam juxta votum Archiepiscopi approbandam S. C. deliberavit : *Firmana*, 7 *junii* 1788, confirmata 7 *febr*. 1789.

[212] Vide not. 178.

[213] Et mens fuit, ut scribatur Episcopo Ariminensi juxta votum secretarii. Instructio, juxta votum data ad Ariminensem Episcopum hujusmodi fuit, ut prævia exhibitione librorum mensæ episcopalis Britinorii, ductoque calculo per decennium, statum conficiat omnium bonorum parochiæ S. Donati dictæ mensæ episcopali unitæ. Inquirat etiam quos reditus percipiat Episcopus; quotnam habeantur ex bonis parocho assignatis, quot, et quæ sint onera, quibus idem parochus gravaus, et quænam expensæ requirantur pro manutentione ecclesiæ, domus parochialis, et ædium ruralium. Referat quid in hanc causam impenderit Episcopus, et quantum, vicariis curatis amovibilibus persolverit, antequam dicta parochialis ad statum collativum restitueretur. S. C., instructam pariter reddat de incertis emolumentis parocho obventuris; num ipse in exercitio curæ animarum opera indigeat alterius sacerdotis, et demum quænam sit deterior conditio ecclesiæ, et domus parochialis, et cujus culpa evenerint : *Ead. causa*, 26 *novem*. 1785, § 1 *et* 2.

§ III.

Archipresbyter quoad dignitatem, jurisdictionem et potestatem.

1. Capitulum ecclesiæ collegiatæ terræ Apiri hæredem instituit Joan. Jacobus Baldinus, et inter pia opera subsidiorum dotalium distributionem ab archipresbytero dictæ ecclesiæ peragendam ordinavit. At Paulus de Turchis modernus archipresbyter interesse cum aliis condeputatis noluit; et inde coadjutor Mercurius Moriconus ei datus fuit. Hic interveniendi electioni puellarum statim jus sibi competere asseruit; et re in S. C. deducta capitulo instante, negativum coadjutor retulit responsum: *Camerinen.*, *Subsidiorum dotalium,* 10 *maii* 1710.

2. Archipresbytero ecclesiæ S. Mariæ urbis Riveliæ, ubi alter clerus S. Nicolai adest, sub pœnis arbitrio Episcopi remissis, propriam ecclesiam matricem majorem, et collegiatam insignem denominare prohibendum esse S. C. statuit. *Policastren.*, *Præeminentiarum et jurium parochialium,* 22 *januar.* 1746, *dub.* 14, confirmata et additum salvis juribus ecclesiæ S. Mariæ quoad præteritas ecclesias filiales tantum prout de jure : *Ibid.*

3. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis S. Viti potest independenter a capitulo curam animarum exercere, omniaque ad illam respicientia disponere, etiamsi cura habitualis penes capitulum resideat : *Senogallien.*, *Jurium parochialium et præeminentiarum,* 17 *novemb.* 1753, *dub.* 2.

4. Inde quæsitum quum esset : An sine consensu, et ejusdem archipresbyteri venia canonici baptizare, matrimoniis assistere, aliaque munera parochialia exercere possint? S. C. respondit : Servetur concordia[214], quæ inter archipresbyterum, et canonicos inita fuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Idem archipresbyter independenter a capitulo, nec ipso certiore facto per seipsum potest exequi rescripta venias agendi supplicationes respicientia, signanter illam patrum Conventualium occasione festivitatis S. Antonii Patavini fieri solitam, quæ ab Ordinario eidem exequenda committitur : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Minime vero dictus archipresbyter precisive a licentia Ordinarii ex se ipso independenter a capitulo venias PP. Minoribus Conventualibus supplicationes extra claustra conventus peragendi, et signanter in festivitate prædicta nec cum scientia, et consensu capituli, impertire potest : *Ibid.*, *dub.* 5.

7. Item ab archipresbytero haud designandæ sunt viæ, ac ratio præscribenda dictis patribus in supplicationibus peragendis extra claustra; etsi capituli consensus accedat; sed ad Ordinarium spectat : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Idem archipresbyter jus habet, ne canonici a choro sine ejus venia, juxta capitulares constitutiones discedere possint : *Ibid* , *dub.* 7.

9. Præter unam clavem archivi capitularis a canonico camerario retinendam aliam diversam ejusdem archivi archipresbyter præfatus retinere valet; ita ut unus absque altero aperire nequeat : *Ibid.*, *dub.* 12.

10. Adest in terra Nojæ ecclesia collegiata, de cujus erectione omnia incerta sunt, quod latent in tenebris vetustatis. Capituli caput et prima dignitas est archipresbyter, qui suæ dignitati annexam habet curam actualem animarum. Et hæc dignitas confertur a Sancta Sede. Tentarunt pluries canonici et primicerii parochialia jura invadere, et modo majori conatu causam excitarunt, quam ita decidit S. C., nempe ad dictum archipresbyterum spectat cura animarum actualis, quum habitualis penes capitulum resideat : *Baren.*, 28 *aug.* 1756, *dub.* 1, confirmata 3 *dec.* 1757.

11. Et ad eumdem archipresbyterum pertinent denunciationes, et publicationes, quæ fiunt inter Missarum solemnia pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad sacros ordines, excommunicationibus, indulgentiis, salvo tamen jure Archiepiscopi; non autem constat de contraria consuetudine in favorem canonicorum primiceriorum : *dub.* 2, confirmata *ibid.*

12. Item per eumdem sunt explendæ delatio stolæ in funeribus, et absolutio super cadavera, nec constat de contraria consuetudine in favorem canonici confessarii : *Ibid. dub.* 3, confirmata *ibid.*

13. Ac ad ipsum privative pertinet jus deferendi sacrum Viaticum, et oleum sanctum infirmis; nec constat de consuetudine in favorem canonici confessarii, qui peccata eorum audierit : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

14. Ad archipresbyterum præfatum privative quoque spectat benedictio domorum in die sabbati sancti, nec de contraria constat consuetudine : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

15. Et quoad benedictiones mulierum post partum an spectet privative ad archipresbyterum; seu constet de contraria consuetudine in favorem capituli? respondit servari solitum : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

[214] In qua facta fuerunt communia inter canonicos, et archipresbyterum, sive res esset de honoribus, sive de oneribus, sive de emolumentis, aliisque juribus universis : *Ead. causa*, 11 *aug.* 1753.

16. Non licet, privative quoad dictum archipresbyterum, canonicis confessariis independenter sacramentum baptismatis ministrare : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

17. Ita in omnibus supradictis actibus, et functionibus, quatenus expleri possunt per canonicos, non est intelligendum exclusive, et privative quoad ipsum archipresbyterum præsentem, et per se ipsum ministrare volentem : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

18. Ac quoad supra enunciatos actus et functiones, quatenus spectent privative ad archipresbyterum eo absente, vel impedito, expleri valent ab ejus substituto, etiam non canonico ; non autem quoad eas functiones, quæ fiunt in sabbato sancto, in dominica palmarum, in feria quarta cinerum, quinta cœnæ Domini, ac in Purificatione B. M. V. *Ibid.*, *dub.* 9, confirmata *ibid.*

19. Per ipsum archipresbyterum sunt custodiendæ claves baptisterii, et olei sancti, non autem per æedituum ejusdem ecclesiæ et capituli ; penes autem utrumque est retinenda sacri tabernaculi clavis : *Ibid.*, *dub.* 9, confirmata *ibid.*

20. Absque intelligentia, denique, ac archipresbyteri approbatione eligi quolibet anno in eadem ecclesia subæditui possunt : *Ibid. dub.* 12, confirmata *ibid.*

21. Archipresbyter congregationis S. Andreæ, quum in congregationibus divisa sit diœcesis Faventina, prælative ad sacerdotes simplices invitari debet ad festivitates, funera, ac anniversaria, quæ celebrantur in parochiali ecclesia S. Joannis Evangelistæ Granarolli, et in aliis ecclesiis parochialibus ejusdem congregationis : *Faventina*, *Jurium parochialium ac præeminentiarum*, 18 *sept.* 1756, *dub.* 1.

22. In casu impedimenti archipresbyter curatus ecclesiæ ruralis S. Joannis Gradariæ supplere potest diebus festivis in ecclesia ipsa per simplicem sacerdotem in sacro celebrando, indicendis jejuniis et festis decurrentibus, christianæ fidei rudimenta edocendo : *Pisauren.*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 2.

23. In oppido Costacciari adest ecclesia secularis et parochialis S. Marci, ejus archipresbyter una cum clero seculari plerumque consueverat ecclesiasticas functiones peragere in ampliori, et elegantiori ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium ; latuit tamen an jure dominii, vel subjectionis, an alio titulo ; hinc nonnullis exortis controversiis ; an scilicet archipresbyter posset supplicationes peragere independenter a prædictis patribus, an in sua ecclesia ad sui libitum functiones peragere posset in dominica palmarum, aliisque solemnitatibus independenter ab ecclesia S. Francisci, an etiam quatenus supradicta libere exercere posset, inde is, ejusque successores redire possent ad primæva jura pro exercendis dictis functionibus in ecclesia S. Francisci ? horum dubiorum resolutio protelata est, et scribi Episcopo juxta instructionem[215] mandatum fuit : *Eugubina, Jurium parachialium*, 28 *maii* 1762, *dub.* 5, 6 et 7.

24. Archipresbyter vicarius curatus capituli ecclesiæ cathedralis Andriæ, quæ sola ab antiquo totius civitatis est parochia, non debet solus confessarios certiores facere illorum, quibus justis de causis sacramenta non sint administranda : *Andrien.*, 24 *januar.* 1767, *dub.* 18, confirmata 19 *septemb. ejusd. anni.*

25. Quæsitum vero fuit, an soli archipresbytero præfato competat veniam dare invalidis, aut alias legitime impeditis implendi præceptum paschale in alia ecclesia præter cathedralem, et coadjutricem ? prodiit resolutio competere id unicuique ecclesiæ intra proprium ambitum : *Ibid.*, *dub.* 19, confirmata 15 *sept.* 1770.

26. Pius vir Xaverius Malerbi quinque in ecclesia parochiali S. Georgii civitatis Maceratensis erigi jussit beneficia sive canonicatus, et mortua uxore, cui bonorum nonnullorum reliquit usumfructum, duo alia beneficia minoris ordinis. In horum erectione archipresbyter ejusdem ecclesiæ consensu præstito nonnullas adjecit conditiones. Desideravit archipresbyteratui unum ex majoris gradus beneficiis uniri, et non valuit impetrare ; postulat nunc inter ceteros beneficiatos tamquam primus haberi ; et ejus pariter corruit prætensio : *Maceraten.*, 16 *martii* 1771, *dub.* 2.

27. Vigore suppressionis nonnullarum parochialium terræ Montis S. Joannis erecta fuit in collegiatam ecclesia parochialis S. Mariæ della Valle, ac archipresbyteratus dignitas instituta fuit, necnon canonicatus curatus, et coadjutor illius. Quæstio inde orta est super præeminentiis eidem archipresbytero debitis ; et quæsitum fuit : An, et quæ præeminentiæ, prærogativæ, ac functiones competerent archipresbytero ejusdem ecclesiæ collegiatæ? S. C. protelando definitionem, jussit, ut reportentur, et reformentur litteræ apostolicæ juxta votum Episcopi diei 14 aug. 1775. *Verulana, Jurium parochialium et præeminentiarum*, 18 *maii* 1776, *dub.* 2, confirmata 9 *aug.* 1777.

215 Instructio fuit, ut exquireretur votum Episcopi, an ex alteratione soliti in peragendis enunciatis functionibus, et supplicationibus obvenire possit aliqua perturbatio, et inconveniens etiam ex parte populi, super quibus, præcipitur Episcopo, ut se informet, audito populo : *Regist. lit.* 32, *die* 22 *maii* 1762.

28. Non privative ad archipresbyterum, sed ad capitulum ecclesiæ parochialis in collegiatam noviter erectæ S. Petri Montis Martiani juxta modum per canonicum [216] ædituum annuatim ab ipso eligendum exercendum regimen, et administrationem ecclesiæ collegiatæ prædictæ, sacrarii, chororum, et cubiculi super capellam B. M. Carminis existentis, et turrium sacrarum spectare S. C. resolvit : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 1.

29. Soli archipresbytero subesse debere non autem capitulo societatem sanctissimi Rosarii in eadem ecclesia S. Petri, ut asseritur, erectam deciditur : *Ibid.*, *dub.* 8.

30. Supplicationes vero prædictæ ecclesiæ indicendæ sunt per archipresbyterum de consensu capituli juxta decretum Card. Episcopi anni 1781 : *Ibid.*, *dub.* 9.

31. Non licet archipresbytero, et rectori ecclesiæ terræ Uarceni, seu cuilibet alteri scamna, et sedilia posita intra ambitum capellæ S. Bartholomæi a patrona familia de Rubeis, amovere, et respective in ea apponere, ac retinere exedram ad confessiones recipiendas, vel aliud quodcumque impedimentum, inaudito vel invito patrono : *Alatrina*, 7 *maii* 1785, *dub.* 3. Deinde sententiam sustulit, et causam remisit arbitrio Episcopi : 26 *novem. ejusd. anni.* Postmodum rediit ad in primo loco decisa : 16 *dec.* 1786.

32. Sacerdos Andreas Mei, archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Misericordia oppidi Belviderii, qui jam ante adeptam dignitatem erat publicus oppidi præceptor, inspectis peculiaribus facti circumstantiis, ad retinendum ludi magistri munus potest omnibus scholæ diebus alium substituere in chorali servitio ad sexennium : *Senogallien.*, 24 *januar.* 1795, *dub.* 1.

33. Definivit S. C. archipresbyterum ecclesiæ S. Petri oppidi Supini, ubi alii duo parochi adsunt, esse manutenendum in possessione juris peragendi in ipsa ecclesia benedictionem fontis baptismalis, Missamque solemnem cantandi assistentibus parochis S. Mariæ, et S. Nicolai in sabbatis sanctis ante paschata Resurrectionis, et Pentecostes, cum de ejus majoritate super aliis constet : *Ferentina, Matricitatis et fontis baptismalis*, 18 *martii* 1798, *dub.* 3.

§ IV.

Archipresbyter quoad fructus, distributiones et emolumenta.

1. Deciditur, quod præbenda archipresbyteratus primæ dignitatis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Bergolis non est divisibilis, sed ex illa tertia integra pars est separanda; pro tempore autem, quo archipresbyter curæ animarum inservit, illum habendum esse pro præsente in choro : *Alexandrina, anni* 1581, *dub.* 4.

2. Ad dubium, an archipresbyter ecclesiæ cathedralis exclusus a partitione distributionum, et emolumentorum possit participare de eleemosynis, quæ dantur capitulo pro funeribus, et anniversariis occasione funebris functionis, quæ inter præsentes participantes distribuuntur? respondit S. C. archipresbyterum participare non debere de his, quæ proveniunt ad manus camerarii, ex quibus diminueretur portio canonicorum, secus vero in aliis : *Faventina*, 12 *dec.* 1654, *dub.* 2.

3. Commissarius Nuntiaturæ apostolicæ prætendit distributiones quotidianas, quas archipresbyter cathedralis ecclesiæ lucratus fuerat, ad cameram spectare. Et S. C. censuit dandam esse declarationem alias editam 9 febr. 1669 in *Neapolitana, Distributionum* [217] : *Termularum*, 25 *jan.* 1671.

4. Archipresbytero ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ Novocomi distributiones, ac parochialia emolumenta tantum pro tempore, quo idem de licentia sui Ordinarii litteris tradita absens fuit, adjudicatæ fuerunt a S. C. : *Comen., super dubiis*, 26 *junii* 1700, *dub.* 7, confirmata 5 *martii* et 18 *junii* 1701.

5. Sacerdoti Philippo Bonellio ecclesiæ S. Mariæ Majoris civitatis Baruli archipresbytero, tempore infirmitatis, omnes et quæcumque distributiones quotidianæ, et signate mortuaria, anniversariaque juxta ecclesiæ consuetudinem debentur : *Tranen., Jubilationis*, 15 *januar.* 1703, *dub.* 2.

6. Propter exortas controversias inter archipresbyterum ecclesiæ parochialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii, ac presbyteros deputatos a Card. abbate, cujus abbatia simplex in dicta ecclesia erecta fuit; S. C. sancivit archipresbyterum in functionibus, ac festivitatibus debere in sui commodum totius ceræ relictæ spolium facere, ac pro se retinere, exceptis ceris ratione funerum : *Imolen., Jurium parochialium*, 12 *febr.* 1707, *dub.* 7, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

7. Dictumque spolium intelligendum esse statuitur etiam de reliquiis cerei paschalis, qui parochiæ sumptibus in eadem ecclesia conservatur : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

8. Necnon dicto archipresbytero deberi sextam partem fructuum ad formam bullæ erectionis parochiæ, sancitur; et quoad consuetas contributiones

[216] Nempe ad formam primi decreti Card. Episcopi anni 1781. *Ead. causa*, 13 *junii* 1789, *dub.* 1.

[217] Vide verb. *Spolium ecclesiasticum*, num. 1.

a ministris abbatis accipiendas; etiamsi scut. 100 summam non constituant, remitti censuit S. C. Card. Capraræ juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

9. Demum archipresbyterum ob absentiam a cura cum licentia S. C., vel Episcopi posse dictam sextam partem prætendere, et Card. abbatem illam solvere debere jubetur; in casu autem absentiæ absque venia applicationem ejusdem ratæ partis ad Episcopum ad formam S. Conc. Tridentini [218] spectare, existimatur: *Ibid.*, *dub.* 12, confirmata *ibid.*

10. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ SS. Gervasii et Protasii oppidi Domus Ossulæ uti canonicus ante suæ idoneitatis periculum, non postea, prout præscribitur in concilio provinciali Mediolanensi, potest quotidianis distributionibus gaudere : *Novarien.*, *Præeminentiarum*, 14 *april.* 1714.

11. Archipresbytero Montis Ærei, qui super cadaveribus, quæ primo deferuntur ad parochialem, et alibi sepeliuntur, exequias, et alias funebres functiones peragere potest; intortitia tantum, quæ circa cadaver ponuntur, debentur : *Volaterrana*, 16 *martii* 1726, *dub.* 3.

12. Capitulum ecclesiæ collegiatæ B. M. V. de Bosco civitatis Cunei postulavit decerni, num archipresbyter admittendus sit ad perceptionem fructuum pro tempore, quo non intervenit choro, sed animarum suæ parochiæ S. Mariæ de Plebe ejusdem civitatis, cujus est rector, ministerio incumbit? Episcopo pro meliori informatione juxta mentem [219] S. C. responsum primo dedit : *Montis regalis*, *Distributionum*, 5 *april.* 1732. At referente, et docente Episcopo archipresbyterum punctari consuevisse, quamvis a ministerio parochiali ille detineretur, S. C. in favorem archipresbyteri resolvit, quatenus ille eodem tempore sit actualiter occupatus ecclesiæ parochialis ministerio : 6 *decem.*, *ejusd. anni.*

13. Archipresbytero ecclesiæ collegiatæ, ac parochialis S. Pauli de Barete tempore, quo residet in alia ecclesia suburbana, ac unita ejusdem tituli non competere distributiones quotidianas, perinde ac si interesset divinis officiis in dicta collegiata intra civitatem, S. C. arbitrata est: *Aquilana*, 5 *apr.* 1732, *dub.* 2, confirmata 19 *julii ejusdem anni*, *prævio rescripto* 26 *januar. ejusdem anni edito; iterum proponatur, et ad mentem* [220].

14. Ad archipresbyterum ecclesiæ parochialis, et receptitiæ S. Nicolai oppidi Laureæ fructus, reditus, decimas, oblationes, jura, ac emolumenta funerea integre, ac privative non spectare deciditur, sed solitum servandum esse mandatur: *Policastren.*, *Procurationis*, 1 *junii* 1737 *dub.* 7, confirmata 13 *sept.* 1738, *dub.* 1.

15. Quæsitum quum esset, num archipresbytero, qui curam actualem exercet, ecclesiæ collegiatæ terræ Cisternini emolumenta parochialia debeantur, quarta nempe funerum, sepulturæ jus, intortitia, quæ per viam deferuntur, et prope cadavera in die obitus ardent, et quoties defuncti commemoratio peragitur, oblationes, quæ fiunt in missa benedictionis nuptialis, præstationes pro male oblatis, et alia? S. C. mandavit servari solitum : *Monopolitana*, *Congruæ*, 28 *sept.* 1737 *dub.* 4.

16. Exhibito dubio in S. C.; an archipresbytero ecclesiæ parochialis oppidi Nerulæ, seu canonico danda sit eleemosyna Missæ solemnis *de requiem* pro defuncto, quando nulla adsit eleemosyna pro alia Missa de Sancto? remittitur ad Card. Episcopum cum facultatibus necessariis, et opportunis etiam concordandi : *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1742, *dub.* 16.

17. Proposita hæc fuerunt dubia: An in præsenti rerum statu, ob prætensam diminutionem quantitatis emolumentorum archipresbyteratus, locus sit separationi, et assignationi emolumentorum provenientium ex funeribus, decimis, et oblationibus in favorem archipresbyteri ecclesiæ collegiatæ Foggiæ, privative quoad capitulum?

18. An, et in qua quantitate, et ex quibus aliis bonis sit providendum archipresbytero eidem, tam pro tempore futuro, quam a tempore, quo, ut præ-

[218] In sess. 6, cap. 2, et sess. 23, cap. 2, *de Reform.* inter cetera habetur, quod parochi sine licentia non residentes, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciunt; imo contra eos Episcopus ad subtractionem fructuum devenire debet. Nec dictos fructus ita subtractos potest Ordinarius pro libito applicare ad alios usus, quam a Concilio præscriptos, fabricæ scilicet ecclesiæ, aut pauperibus loci, ut S. C. die 8 junii 1624 respondit ad dubium : Cum Concilium sess. 23, cap 1, voluerit parochos non residentes non facere fructus suos pro rata temporis absentiæ, eosque fructus fabricæ ecclesiæ, aut pauperibus loci erogari, quid agendum de hujusmodi fructibus, si nec fabrica parochialis egeat, nec pauperes intra ejus limites reperiantur, et an Ordinarius fructus ipsos ejus arbitrio in alios pios usus erogare possit? S. C. Concilii censuit : Debere applicare fabricæ ecclesiæ, quæ licet nunc non egeat, potest tamen in dies indigere, saltem quoad ornamenta.

[219] Ut instructa reddi posset S. C., quid fuerit servatum tempore proximo promulgationi statutorum ejusdem collegiatæ, et assignationi fundi pro distributionibus quotidianis factæ; tum etiam, quantum pecuniæ percipi soleat jure, ac titulo distributionum ab aliis canonicis, assiduum servitium præstantibus : *Ead. causa*, 22 *nov.* 1732, § 1.

[220] Datis interea ad Episcopum aliis litteris ad investigandas nonnullas suburbanæ parochiæ conditiones, quæ ad rem facere posse videbantur : *Ead. causa*, 5 *april.* 1732, § 2.

tenditur, sunt imminuta emolumenta archipresbyteratus?

19. An, et a quo tempore eidem distributiones debeantur? respondit S. C. ad D. secretarium juxta mentem: *Trojana*, 13 *febr.* 1751, *dub.* 1, 2 *et* 3.

20. Archipresbytero parochiæ S. Nicolai terræ Ferentiæ carolenos tres pro quolibet matrimonio contrahendo in dicta ecclesia S. Mariæ de Longobardis exigere non licet: *Venusina*, 27 *martii* 1751, *dub.* 5.

21. Habetur pro dubio; an emolumenta pro administratione sacramentorum, aliarumque functionum ob curam animarum spectantium ab archipresbytero ecclesiæ collegiatæ, et parochialis terræ Nojæ, penes quem residet cura actualis, percipi debeant; vel de consuetudine contraria in favorem capituli, penes quem residet habitualis cura, constet? S. C. respondit: Dilata, et coadjuventur probationes: *Baren.*, 28 *aug.* 1756, *dub.* 10. Deinde affirmativum ad primam partem, negativum ad secundam partem responsum dedit: 3 *dec.* 1757. Demum confirmatur quoad emolumenta stolæ tantum: 28 *januar.* 1758.

22. Quum archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai terræ Meldulæ interesse divinis officiis teneatur, ac habeat reditus separatos, ac distinctos a massa capitulari; ex illis detrahenda est aliqua portio pro distributionibus servata forma cap. 3 sess. 22. Concil. Trid. [221]: *Nullius, Terræ Meldulæ officiaturæ et aggregationis confraternitatis*, 22 *jan.* 1757, *dub.* 2.

23. Archipresbytero oppidi S. Victoris licet exigere julium unum supra eleemosynam aliorum sacerdotum *pro septimis* tantum celebrandis in propria ecclesia ad formam synodi Fontana [222], non pro aliis festivitatibus, et officiis, nec in aliis ecclesiis, et oratoriis positis intra limites suæ parœciæ; licet parœciæ incolæ injustum esse hoc jus autumarent: *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 1.

24. Archipresbyter ecclesiæ cathedralis simul esse particeps de bonis, decimis, juribus patronatus, legatis, aliisque juribus dictæ ecclesiæ cathedrali relictis, aut ejusdem capitulo usque ad diem 25 maii 1743, in quo erectus sub hac conditione admissus fuit, nequit: *Tolentina, archipresbyteratus*, 1 *febr.* 1766, *dub.* 2.

25. Eidemque debentur functionum peragendarum ab ipso in locum archidiaconi emolumenta: *Ibid.*, *dub.* 7.

26. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ SS. Petronii, et Prosperi terræ Lugi debet de distributionibus quotidianis juxta ratam portionem, quam confert, quum sit de corpore ac capituli gremio, participare; quamquam ille dotem a massa communi distinctam habeat: *Imolen.*, *Distributionum*, 8 *maii* 1773, *dub.* 1, confirmata 15 *sept.* 1787.

27. Et quum ageretur, an, et de quibus emolumentis Missarum participare, aliorumque legatorum debeat idem archipresbyter? respondit S. C.: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [223]: *Ead. causa*, 30 *maii* 1772. Deinde negativum responsum prodiit juxta votum, quoad legata nempe præexistentia ante erectionem collegiatæ, non autem de emolumentis anniversariorum, et Missarum lectarum, quæ inter omnes participantes dividi solent: 8 *maii* 1773, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

28. Incerta minoribus officialibus ecclesiæ parochialis in collegiatam noviter erectæ S. Petri Montis Martiani præstari solita a defunctorum hæredibus, aliisque privative non pertinent ad archipresbyterum, sed inter ipsos a capitulo dividi debent: *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 12.

29. Quum sacerdos Andreas Mei, archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Misericordia oppidi Belviderii, qui jam ante adeptam dignitatem, erat publicus oppidi præceptor, inspectis peculiaribus facti circumstantiis ad ludi magistri munus retinendum posset alium in chorali servitio substituere omnibus scholæ diebus; hinc pro tempore, quo eadem de causa præstitit servitium per alium, fecit fructus suos: *Senogallien.*, 24 *januar.* 1795, *dub.* 2.

30. Necnon ablati fructus sunt ei restituendi: *Ibid.*

ARCHIPRESBYTER *quoad funebria emolumenta, eorumque quartam*. Vide *Emolumenta*, § II; *Quarta funerea*.

§ V.

Archipresbyter quoad jurisdictionem episcopalem cum territorio separato.

1. In dubio positum est, an constet de territorio

[221] *De Reform.*, et sess. 21, cap. 3, *de Reform.* Nam præcipit S. C. hisce capitibus tertiam partem quorumque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, et canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum convertendam esse in distributiones quotidianas; ubi eæ sunt ita tenues, ut negligantur, dividi solis intervenientibus.

[222] In synodo diœcesana R. P. D. Fontana sub. cap. *delle Sepulture* in appendice cautum est, solvendum esse parochis ruralibus julium unum supra eleemosynam aliorum sacerdotum occasione decimarum defunctorum, ita dixit, et declaravit licuisse, et licere D. archipresbytero ecclesiæ S. Victoris exigere eamdem summam julii unius supra eleemosynam aliorum sacerdotum etiam occasione officiorum, et festivitatum, quæ in ejus parochiali ecclesia, eique adnexis oratoriis celebrantur ex identitate rationis etc. *Ead. causa*, 19 *januar.* 1765, § 2.

[223] Vide not. 205.

separato cum jurisdictione quasi episcopali archipresbyteri terræ Cirignolæ in Apulia? rescripsit S. C.: Quod de eo videretur particulariter : *Nullius, seu Minerbien., Jurisdictionis et attentatorum*, 16 *novem*. 1715, *dub*. 3.

2. Archipresbyter S. Blasii olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ, una cum suis dependentiis non habet territorium separatum cum qualitate *Nullius*, et jurisdictionem quasi episcopalem; etsi asserat esse in possessione libere omnes actus jurisdictionales a suis antecessoribus factos, exercendi : *Nullius, seu Aquilana, Jurisdictionis*, 4 *maii* 1726, *dub*. 1, confirmata 7 *decem. ejusd. anni*.

3. Nequit insuper dictus archipresbyter impedimentum inferre, quin Episcopus Aquilanus valeat in ecclesiis ad archipresbyterum ipsum spectantibus, ac intra, et extra civitatem Aquilæ existentibus edicta affigere, ac publicare, signante de vita, et honestate clericorum, disciplina ecclesiastica, et culto divino : *Ibid.*, *dub*. 3.

4. Dictus archipresbyter ecclesiam terræ Pizzuli, et Sancti Vittorini non privative, sed cumulative cum dicto Episcopo, et servata forma Sacri Concilii Tridentini sess. 24 *de Reform*. cap. 3 [224] visitare potest: *Ibid.*, *dub*. 4.

5. Non licet eidem archipresbytero tempore prædictæ visitationis in ecclesiis terræ supradictæ umbellam elevare, atque per ecclesias, vias, plateas eorumdem locorum populum benedicere : *Ibid.*, *dub*. 5.

6. Nec ipse retinere potest in eadem ecclesia S. Blasii sedem cameralem permanentem, elevatam super duos gradus, vel cum suppedaneo tantum; sed illi licet tantum in festivitate S. Blasii absque tamen gradibus in actu, quo præsto est Missæ sacrificio : *Ibid.*, *dub*. 6.

7. Inde dubio exhibito, an liceat eidem archipresbytero elevare, et apponere gentilitia stemmata suæ domus super januas dictarum ecclesiarum intra et extra civitatem existentium, necnon in ecclesia monialium S. Catharinæ martyris ejusdem civitatis? S. C. respondit ad mentem : *Ibid.*, *dub*. 7.

8. Idem archipresbyter potest instituere clericos Aquilanos in beneficiis de jurepatronatus in dictis ecclesiis existentibus, dummodo beneficia fuerint ante Concilium fundata; non autem valet absque prævio examine, et adprobatione Episcopi Aquilani contra dispositionem S. Concilii Tridentini sess. 7, cap. 13, *de Reform.*, et sess. 25, cap. 9, vers. ad hæc *de Reform*. [225] : *Ibid.*, *dub*. 8.

9. Jus autem conferendi beneficia simplicia, sive residentialia, et canonicatus in dictis ecclesiis existentia ad eumdem archipresbyterum non ad præfatum Episcopum spectat : *Ibid. dub* 9.

10. Et quoad jus erigendi, ac instituendi nova beneficia ex fundatione, vel dote patronorum in prædictis ecclesiis, an competat Episcopo Aquilano, aut eidem archipresbytero S. C. interrogata, rescribit, ut videatur particulariter: *Ibid.*, *dub*. 10.

11. Nequit tamen ille archipresbyter licentias, sive oretenus, sive in scriptis ad cancellos, et clausuram dictarum monialium S. Catharinæ martyris spectantes concedere : *Ibid.*, *dub*. 11.

12. Valet autem idem cognoscere causas civiles, criminales, et mixtas in prima instantia in dictis locis privative, non cumulative cum eodem Episcopo : *Ibid.*, *dub*. 12.

13. Item cognoscere causas immunitatis personalis, non autem localis, et pro hujusmodi effectu censuras ferre, necnon procedere ad declarationem censurarum, quæ a jure intentantur, et ab eisdem censuris in casibus Episcopo permissis absolvere valet: *Ibid.*, *dub*. 13.

14. Prædictus archipresbyter retinere, et constituere pro exercitio concessæ jurisdictionis intra civitatem Aquilæ vicarium, non autem eumdem vicarium generalem appellare potest: *Ibid.*, *dub*. 14.

15. Ac insuper non potest archipresbyter intra dictam civitatem familiam armatam, et carceres retinere, sed uti eadem familia armata, et carceribus

[224] In quo inter cetera statuitur : Ut Episcopi, Primates, et Metropolitani propriam diœcesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non potuerunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio compleatur, visitare non prætermittant; ac ut visitatores modesto famulatu, et equitatu sint contenti, et quam celerrime debita cum diligentia visitationem absolvant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves sint.

[225] Il prima cit. sess. cautum est, ut præsentati ad quævis ecclesiastica beneficia curata a quocumque non instituantur, atque admittantur sine prævio examine Ordinarii, et approbatione ; exceptis præsentatis, aut nominatis ab universitatibus, seu collegiis generalium studiorum. In secunda sess. Synodus ait : « Ad hæc liceat Episcopo, præsentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere Quod si ad inferiores institutio pertineat ; ab Episcopo tamen, juxta alias statuta ab hac Sancta Synodo, examinentur: alioquin institutio, ab inferioribus facta, irrita sit, et inanis. » Giraldus *Expos. Jur. Pont.* tom. 3, pag. 831, in sess. 7, cap. 13, ait : « Hic loquitur in casu, quo præsentatio, electio, vel nominatio fiat aliis, quam Episcopo ; ac proinde ad præservandam ipsius jurisdictionem, jubet præsentatum, electum, vel nominatum non aliter confirmandum, vel instituendum, quam prævio Episcopi examine ; prout etiam declaratur alio ejusd. Concilii textu cap. 9, sess. 25, non autem loquitur in casu, quo ipsimet Episcopo fieret præsentatio, vel nominatio : tunc enim extra controversiam illæsa remaneret illius jurisdictio, ut consideranti patet. »

episcopalibus tenetur, et Episcopus brachium, et carceres præstare debet: *Ibid.*, *dub.* 15.

16. Ac quoad interdicta, vel excommunicationes, an possit inferre archipresbyter contra suos parœciæ incolas non adimplentes paschale præceptum? rescribitur, quod ipse potest procedere ad formam textus in cap. *Omnis utriusque*, *de Pœnit. et remiss.* [226]: *Ibid.*, *dub.* 16.

17. Jus vero causas matrimoniales dictorum locorum cognoscendi ad Episcopum, donec ab archipresbytero de immemorabili doceatur, spectat: *Ibid.*, *dub.* 17.

18. Idem etiam decrevit S. C. quoad fides seu testimonia danda ab archipresbytero status liberi pro matrimoniis per suos parœciæ incolas extra Aquilanam diœcesim contrahendis: *Ibid.*, *dub.* 18.

19. Nequit idem archipresbyter denunciationes matrimoniorum. quæ per suos fideles contrahuntur, in casibus Ordinario loci permissis, remitttere: *Ibid.*, *dub.* 19.

20. Neque licet dicto archipresbytero absque venia Episcopi concedere facultatem exponendi ad publicam adorationem venerabile Sacramentum in dictis ecclesiis intra et extra dictam civitatem existentibus: *Ibid.*, *dub.* 20.

21. Item non licet eidem ferre lineum amiculum, cum palliolo nigro, ac chlamide per vias civitatis Aquilæ occasione quorumdam functionum, etiam cum Episcopi licentia: *Ibid.*, *dub.* 21.

22. Nec licet dicto archipresbytero dare assensum, ac interponere decreta pro alienatione bonorum dictarum ecclesiarum vigore can. *Terrulas* [227], nec id competit ejus vicario substituto: *Ibid.*, *dub.* 23.

23. Nequit etiam idem veniam, et benedictionem concionatoribus tam quadragesimalibus, quam extra dictum tempus, qui in dictis ecclesiis prædicare debent, impertiri: *Ibid.*, *dub.* 24.

24. Neque dictus archipresbyter potest manus apponere cum prætenso *liceat* in monitoriis pro rebus deperditis, a curia episcopali relaxatis, et in dictis ecclesiis publicandis: *Ibid.*, *dub.* 25.

25. Nec eidem in suis titulis, et subscriptionibus competit titulus Ordinarii, et Nullius: *Ibid.*, *dub.* 26.

26. Sæpedicto archipresbytero S. Blasii, contradicente Episcopo Aquilano, confirmatur ejus antiqua jurisdictio in cognoscendis causis civilibus, criminalibus, et mixtis dummodo tamen acceptet pro se suisque successoribus resolutiones supra descriptas, S. C. super exclusione territorii separati, jurisdictionisque ordinariæ: *Ead.* 5 *maii* 1731, *dub.* 2.

27. Archipresbytero ecclesiæ collegiatæ terræ S. Donati non licet admittere presbyteros ad perceptionem incertorum: sed admissio per schedulas secretas per præbendarios ejusdem ecclesiæ fieri debet: *Sorana*, *Jurium parochialium*, 5 *maii* 1731, *dub.* 11, confirmata 1 *decem. ejusd. anni.*

28. Archipresbyterum ecclesiæ S. Petri ad Scafatum nullius diœcesis insignibus episcopalibus uti, populum per eamdem ecclesiam, terramque benedicere, et thronum in dicta ecclesia retinere non posse declaratur: *Nolana*, 11 *martii* 1752, *dub.* 2.

29. Eumdem archipresbyterum confessarios adprobare, licentias concionandi impertiri, ac indulgentias publicare non posse; sed ad Episcopum Nolanum hæc omnia pertinere, sancitur: *Ibid.*, *dub.* 3.

30. Neque prædictum posse litteras dimissoriales

[226] In quo statutum est: Ut omnis fidelis, scilicet baptizatus, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia peccata proprio sacerdoti sacramentaliter confiteri teneatur semel in anno, et pœnitentiam injunctam studeat implere pro viribus: item, ut suscipere teneatur reverenter Eucharistiæ sacramentum in paschate ad minus, nisi forte proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione sacramenti duxerit abstinendum: alioquin, et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Hunc textum expendens Giraldi *Exposit. Jur. Pontif.* tom. 2, pag. 750 ait: « Ad pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ quod spectat, quam incurrit culpabiliter omittens annuam confessionem, et communionem in paschate, quamvis juxta communem sententiam sit ferendæ sententiæ, in aliquibus tamen locis est latæ sententiæ, quæ incurritur ipso facto in foro conscientiæ, ut Romæ: ubi præterea tam interdictum, quam peccatum hujusmodi culpabilis omissionis est reservatum Urbis vicario: sicuti excommunicatio lata contra mutuodantes, vel recipientes schedulam, vulgo *Biglietto*, Communionis peractæ ad fallendum parochos, juxta prescriptum Innoc. XI, sub die 7 april. 1688. » Insuper idem auctor: « A quibus peccato et interdicto, non autem ab excommunicatione absolvere possunt in foro conscientiæ dumtaxat, ex concessione laudati Innocentii a die immediate sequenti post dominicam in albis usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, soli proprii delinquentium parochi: quo tempore elapso, recurrendum est pro facultate ad ipsum vicarium, vel ad ejus vicesgerentem; semper tamen pro foro conscientiæ dumtaxat. » Pœna vero privationis ecclesiasticæ sepulturæ est latæ sententiæ. Nam licet talis nominatim interdictus non sit, si tamen notorium sit, ipsum dolose, et culpabiliter negligentem circa sacramenta fuisse, notorium ex consequenti est, ipsum in mortali decessisse: notorietas facti supplet sententiam judicis, et sic non debebit in loco sacro sepeliri. Cit. Giraldus in not. ad *Thesaurum de Pœn. Eccles.* verb. *Sacramentum*, cap. 2, pag. 375.

[227] Caus. 12, q. 2. « Terrulas, aut vineolas exiguas, et ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem. »

concedere jubetur; verum ab Episcopo Nolano discipulos dictæ ecclesiæ prima clericali tonsura initiari, et clericos tam ad minores, quam ad sacros ordines promoveri debere responsum prodiit : *Ibid.*, *dub.* 4.

§ VI.

Archipresbyter quoad Missam parochialem et conventualem.

1. S. C., audita parte, et rationibus deductis præmature perpensis, censuit archipresbyterum ecclesiæ cathedralis, qui curam animarum habet, teneri diebus dominicis, et aliis diebus festis de præcepto Missam in dicta ecclesia cathedrali celebrare, et sacrificium pro fundatoribus, benefactoribus, et suis ovibus applicare, absque eo quod eisdem diebus aliam possit eleemosynam recipere : *Civitatis Castellanæ,* 8 *aug.* 1648.

2. Ad solum archipresbyterum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ S. Ginesii, qui actualem animarum curam exercet, onus applicandi pro populo Missam lectam parochialem spectare decernitur : *Camerinen.*, *Missæ conventualis,* 6 *junii* 1705, *dub.* 1.

3. Archipresbyterum ecclesiæ cathedralis Tusculi Missam conventualem juxta turnum celebrare cogendum esse, non vero esse exemptum definitur : *Tusculana*, *Missæ conventualis,* 13 *april.* 1709, *dub.* 1.

4. Jus canendi Missam conventualem, aliasque functiones peragendi ecclesiasticas in die sabbati sancti privative ad archipresbyterum ecclesiæ Vetiani superioris, uti matricis, spectat : *Lunen-Sarzanen.*, *Præeminentiarum*, 15 *maii* 1717, *dub.* 1, confirmata 23 *julii* 1718.

5. Archipresbyter curatus ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ insulæ diebus festivis hora congrua, Missam parochialem populo celebrare, ac pro eodem applicare tenetur; etiamsi Missa conventualis a capitulo celebretur : *Comen.*, *Missæ parochialis et conventualis*, 11 *maii* 1720, *dub.* 3.

6. Et idem agere debet in ferialibus diebus quadragesimæ, in quibus in ecclesia habentur conciones, sed sine applicatione : *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Et occurrente, quod archipresbyter parochus celebret Missam conventualem, vel alias legitime absit, sive sit impedimento detentus tam in diebus festivis, quam ferialibus quadragesimæ, celebrare facere per alium Missam parochialem pro populo, sed cum applicatione diebus festivis tantum debet : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Et an archipresbyter satisfacere propter Missas etiam parochiales hucusque non applicatas teneatur? S. C. rescripsit : Affirmative, et ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 7.

9. Disputatum fuit, an in solemnitatibus incidentibus in die, quo spectat ad canonicos parochialis ecclesiæ oppidi Nerulæ jus canendi Missam etiam solemnem, competat archipresbytero jus dictam Missam canendi ? et quatenus affirmative

10. An sit præstanda archipresbytero eleemosyna, quæ canonicis competit?

11. An idem jus canendi Missam etiam solemnem in aliis festivitatibus minus solemnibus, tam de præcepto, quam ex devotione, in diebus spectantibus ad canonicos, ad archipresbyterum spectet? et quatenus affirmative

12. An eidem parocho sit præstanda eleemosyna?

13. An parochus idem singulis festis diebus teneatur sacrificium applicare pro populo?

14. An canonicis subrogantibus alium presbyterum in eorum locum, jus competat archipresbytero celebrandi, seu officiandi in exclusionem dicti substituti ? et quatenus affirmative

15. An eidem archipresbytero competat eleemosyna, seu emolumentum ?

16. An sit facienda officiorum, seu anniversariorum, quæ celebrantur per sodalitia, ac sodales vel ex fidelium oblationibus, divisio; ita ut distribuantur æqualiter in diebus, quibus spectat ad archipresbyterum, et canonicos cantus Missæ; seu competat archipresbytero, ita ut celebrentur in suis diebus?

17. An, quando canenda est Missa solemnis, vel minus solemnis pro defuncto præsente cadavere in die festo etiam solemni occurrente in diebus, quibus spectat ad canonicos jus canendi Missam, spectet ad archipresbyterum canere dictam Missam *de requiem* pro defuncto, et aliam solemnem, vel minus solemnem ad canonicos? et quatenus affirmative

18. An eidem archipresbytero, seu canonico danda sit eleemosyna supradictæ Missæ *de requiem,* quando nulla adsit eleemosyna pro alia Missa de Sancto? S. C. hæc omnia dubia remisit ad Card. Episcopum cum facultatibus necessariis, et opportunis etiam concordandi : *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1742, *dub.* 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 et 16.

19. Archipresbyter ecclesiæ cathedralis, qui etiam actualem curam animarum habet, tenetur celebrare sive per se, sive per vicarios amovibiles Missam parochialem, nec est celebranda alternatim a capitulo : *Urbevetana*, *Missæ parochialis*, 18 *decem.* 1745, *dub.* 1.

20 Et eidem aut vicariis non est solvenda eleemosyna a capitulo, sed vicariis ab archipresbytero *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ Sabiniani, quæ est prima dignitas, non tenetur solus, etsi habeat pingues reditus, ad applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus : *Ariminen., Missæ conventualis*, 18 *sept*. 1751, *dub*. 1.

22. Sed alternis vicibus cum canonicis ab ipso incipiendum tenetur : *Ibid.*, *dub*. 2.

23. Et ad dubium, an archipresbyter teneatur pro tempore præterito ad applicationem Missarum conventualium non celebratarum? S. C. rescripsit, ad D. secretarium facto verbo cum Sanctissimo : *Ibid.*, *dub*. 4.

24. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Sancti Viti tenetur celebrare Missam parochialem pro populo in hora diebus festivis arbitrio Ordinarii : *Senogallien., Jurium parochialium et præeminentiarum*, 17 *nov*. 1753, *dub*. 10.

25. Archipresbyter ecclesiæ parochialis S. Pauli terræ Genazzani adstrictus est cum beneficiatis a Card. Ruffo Episcopo Prænestino ad celebrationem Missæ conventualis pro benefactoribus in genere. At his reclamantibus, et nulla adesse signa collegialitatis ostendentibus, S. C. non teneri resolvit; nam jam judicaverat minime de collegialitate constare : *Prænestina, Missæ conventualis*, 17 *april*. 1779.

26. Archipresbyterum collegiatæ ecclesiæ S. Stephani terræ Cotiniolæ teneri simul cum canonicis tam antiquæ, quam novæ erectionis, et mansionariis novæ erectionis Zarabinæ celebrare, et applicare pro benefactoribus Missam conventualem statis vicibus, resolvitur, et additur ad mentem [228] : *Faventina, Missæ conventualis*, 3 *junii* 1780, *dub*. 1.

27. Archipresbyterum una cum canonicis ecclesiæ collegiatæ terræ Matterillæ teneri in posterum applicare Missas conventuales pro benefactoribus ; et quoad præterita impetrare debere absolutionem a Sancta Sede edixit visitator abbatialis Lateranensis, cujus decretum adprobavit S. C. : *Nullius, Ferentilli, Visitationis sacr. liminum*, 28 *april*. 1781, *dub*. 1.

28. Imo idem in orbem applicare tenetur Missam cum eleemosyna ad rationem manualis ex distributionum massa juxta Concilium [229] constituenda : *Ibid.*, *dub*. 2.

29. Missam conventualem celebrare vicissim non tenetur archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in burgo Civitellæ, qui distinctos habet reditus, nilque percipit ex legatis benenefactorum capituli. Ideoque minime esse decretum episcopalis curiæ confirmandum, quo celebrandam ab archipresbytero Missam conventualem anno 1788, mandaverat : *Brictinorien.*, 20 *apr*. 1793, *dub*. 2.

30. Decretum autem curiæ prædictæ super hora celebrandi Missam parochialem ante ortum nempe solis est confirmandum. Id enim servatum est ab anno 1735 per decessores archipresbyteros ; atque exemplo sunt archipresbyteri collegiatarum Brixichellæ, Meldulæ, et Fori Pompilii : *Ibid.*, *dub*. 3.

31. In receptitia ecclesia Casalis Novi sex sunt beneficiati, et archipresbyter, qui principalem curam habet animarum ; qui licet choro non inserviant, tamen ex consuetudine Missam quotidie conventualem celebrant. Ob redituum tenuitatem, et ecclesiæ qualitatem, reductionem Missæ conventualis implorat archipresbyter, et assequutus est ad dies festos per vices : *Cassanen., Missæ conventualis et pro populo*, 22 *nov*. 1794, *dub*. 1.

32. Item etiam reductionem Missæ pro populo efflagitat, cum paucos supra reliquos beneficiatos percipiat carolenos, et cura gravatur animarum 600, et S. C. non esse locum ad formam Const. Benedict. XIV *Cum semper* [230] respondit : *Ibid.*, *dub*. 2.

[228] Mens fuit, ut scriberetur Episcopo, ut transmitteret constitutiones capituli et super ipsis informationem redderet, necnon referret, an tenuis, vel sufficiens dici debeat fructus triginta novem scutorum pro congrua mercede canonicorum, necnon et an canonici Zarabini soli interveniant in celebrationem Missæ quotidianæ pro Zarabino, vel etiam adsistant alii primæ fundationis : *Ead. causa*, 10 *febr*. 1781, § 2.

[229] Sess. 24, cap. 12, ubi legitur : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compelluntur obire officia, etc. » Et sub nomine divinorum officiorum comprehenditur Missa conventualis ; de qua etiam loquitur text. in cap. *Cum creatura* tit. *de celeb. Miss.*, et hæc decretalis, etsi directa fuerit ad Prælatos, et clericos, collegialiter divina celebrantes per Galliam constitutos, tamen in vulgata Gregorii IX compilatione extensa est ad omnes ecclesias collegiatas. De applicatione vero Missæ conventualis singulis diebus canendæ in ecclesiis patriarchalibus, et collegiatis in ea nihil statuitur. Verum hodie attenditur constit. Bened. XIV, *Cum semper* 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 163), ubi § 2 præcipitur semper applicandam esse pro benefactoribus in genere ; uti in not. præced. 48 vidimus; et in § 16 supra laudatæ const. ; « Aliorum (ait Sum. Pont.) pariter exceptio fuit, quod Missa conventualis non semper a canonicis, aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis, et mansionariis, quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum. »

[230] 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, p. 163) ubi § 6, inter cetera discernit : « Et quamvis compertum habeamus id, quod alias a S. Congr. Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere ; eum vero qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri, quum tamen pa-

§ VII.

Archipresbyter quoad officium et onera.

1. Disceptato dubio, an archipresbyter ecclesiæ collegiatæ Montis Rotundi teneatur ad contributionem seminario etiam respectu portionis in distributiones conversæ, et respectu redituum sacrarii provenientium ex legatis piis tam pro celebratione Missarum quotidianarum, quam pro manutentione sacrarii? rescriptum est: Teneri contribuere seminario, non tamen pro portione, quæ cedit in usum quotidianarum distributionum, nec etiam pro legatis piis pro celebratione Missarum relictis, prout nec ex incertis, et eleemosynis sacrario elargitis, sed tantum ex illius reditibus certis constitutis; etiamsi provenientibus a legatis piis: *Sabinen.*, 23 *junii* 1640, *dub.* 1.

2. Inter capitulum ecclesiæ cathedralis, et archipresbyterum, et canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Platea transactum fuit, ut canonici in sacris Natalis Domini, et Paschatis diebus, et quandocumque Episcopus pontificalia perageret, in cathedralem convenirent divina officia celebraturi; quin etiam Episcopo non celebrante eumdem morem gererent, festis diebus SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Horatii civitatis patroni; archipresbyter vero, benedictioni sacri fontis in cathedrali saltem interesset. Archipresbyter animarum curæ intentus, se sacris ministeriis intervenire non posse prætendit, id Episcopo probante. At S. C. illum assistentiam in cathedrali ad formam concordiæ præstare teneri decernit, et mandavit, ut in casibus particularibus necessitatis curæ Episcopus provideret: *Fundana, Assistentiæ*, 12 *nov.* 1712, *dub.* 1.

3. Provicarius generalis Tusculi archipresbyterum cathedralis ecclesiæ ad verbum Dei, dominicis saltem diebus, ovibus suis explicandum sub mulcta pecuniaria damnavit. Munus hoc vel per se, vel per alios in cathedrali Episcopum subire debere contendit archipresbyter: sed archipresbyterum onus hoc explicandi verbi Dei inter Missarum solemnia dominicis, et aliis festivis diebus subire debere S. C. sancivit: *Tusculana, Explicationis verbi Dei*, 28 *julii* 1713.

4. Archipresbyterum ecclesiæ collegiatæ SS. Gervasii, et Protasii oppidi Domus Ossulæ, uti canonicum, hebdomadam per vices, ceteraque adimplere, sicuti alii canonici sub pœna amissionis quotidianarum distributionum adimplent, teneri S. C. declaravit, nihil autem definiendo, an munus diaconi, vel subdiaconi ipse exercere debeat? *Novarien.*, *Præeminentiarum*, 14 *apr.* 1714, *dub.* 3.

5. Idem archipresbyter in festo Sancti titularis ecclesiæ præbere convivium concanonicis non tenetur: *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Ab archipresbytero ecclesiæ cathedralis capellanis curatis persolvi non debet eleemosyna ob Missas pro populo diebus festivis applicatas, sed persolvi debet a capitulo; etsi dubitabatur, num penes archipresbyterum, et capitulum cura resideret habitualis: *Ferrarien.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 1.

7. Quæsitum fuit in S. C., an archipresbyter terræ Medicinæ teneatur subministrare sacram Eucharistiam confratribus S. Mariæ Salutis saccis indutis instar supplicationis ad ecclesiam archipresbyteralem accedentibus ad effectum illam sumendi tum tempore paschali, tum aliis diebus infra annum? S. C. remisit id arbitrio Ordinarii: *Bononien.*, 28 *julii* 1724, *dub.* 15.

8. Archipresbyteros collegiatarum S. Mariæ de Paganica, et S. Petri de Popleto feria quinta in consecratione olei sancti intervenire teneri S. C. decrevit; ad hanc functionem Episcopus, ut illi assistent, petiit; hi vero renuebant, tum quod in dignitate constituti sunt, tum quia assistere canonici cathedralis possunt, tum denique quia habentes onus curæ actualis animarum, eo die peragunt in eorum ecclesia sacras functiones: *Aquilana*, 3 *maii* 1725.

9. Archipresbyter ecclesiæ SS. Hippolyti, et Cassiani de Saliceto terræ Pontremoli recipere olea sacra e manibus præpositi ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Populo minime tenetur: *Lunen-Sarzanen.*, *Præeminentiarum*, 9 *junii* 1725, *dub.* 3.

10. Vicariæ perpetuæ erectione in ecclesia parochiali oppidi S. Blasii invalida defensa, S. C. statuit, ut Episcopus per modum provisionis mandet, ut archipresbyter per totum annum exerceat curam animarum, et deputet capellanum coadjutorem cum salario ab eodem statuendo, sumptibus thesaurarii ecclesiæ cathedralis: *Neocastren.*, *Parochialis*, 23 *junii* 1725.

11. Archipresbyter Montis Ærei patres Conven-

riter nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ; nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiæ parochialis proventus, ut pingues, et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum excitatæ, nobis innotescant; idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, nobis abunde satisfactum fore, vobis proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent, atque applicent in dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto. »

tuales ejusdem oppidi ad officia, quæ in parochiali peragi solent, invitare non tenetur; neque iidem patres non invitati dictis officiis intervenire possunt: *Volaterrana*, 16 *martii* 1726, *dub* 8. Quum antea S. Congr. scribi Episcopo juxta instructionem [231] mandaverit: 30 *januar.* 1723.

12. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ oppidi Pontis Curoni minime tenetur ad suppeditationem ustensilium vini nempe, ceræ, et hostiarum, capellanis illis ac presbyteris de clero, qui in propria ecclesia ratione beneficii, vel capellaniæ celebrant, exceptis illis, cum quibus habet peculiares conventiones; et quoad Missas adventitias teneri ad dictam subministrationem quatenus permittat, eas in sua ecclesia celebrari, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi soluti per celebrantes ustensilibus: *Derthonen.*, 6 *julii* 1726, *dub.* 2, confirmata 28 *sept. ejusd. anni.*

13. Prior archipresbyter collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ loci Orbetelli prædicare, ac catechismum per se ipsum explicare omnibus festivis diebus tenetur, haud vero quatuor canonici coadjutores in hebdomadis, quibus ipsi curam animarum exercent, adstricti sunt: *Nullius Orbetelli*, 28 *april.* 1736, *dub.* 1.

14. Definiit S. C. quod archipresbyter oppidi Nerulæ præsens, et non impedimento detentus, nec in aliis exercitiis parochialibus occupatus debet per seipsum munia parochialia exercere: *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1742, *dub.* 5.

15. Inde disputatum fuit; an concurrente necessitate assistendi infirmo de tempore exercitiorum parochialium in ecclesia oppidi Nerulæ spectet ad archipresbyterum assistendi onus, vel ad canonicos, responsum prodiit: Ad. Card. Episcopum cum facultatibus necessariis, et opportunis etiam concordandi: *Ibid.*, *dub.* 6.

16. Archipresbytero ecclesiæ parochialis vici Sancti Salvatoris ob continuam auctionem populi esse duos tantum coadjutores adjungendos, qui eidem in cura animarum præsto essent, S. C. mandavit; etsi populus dicti vici saltem quatuor sacerdotum subsidium petebat: *Thelesina*, 8 *febr.* 1744, *dub.* 1.

17. Archipresbyterum, et clerum S. Mariæ civitatis Riveliæ, nec in vigilia Nativitatis Domini, nec in sabbato majoris hebdomadæ, archipresbytero S. Nicolai candelas longitudinis palmorum septem ceræ usualis, bina bucellata panis, unamque gallinam præstare teneri S. C. definivit: *Policastren.*, *Præeminentiarum et jurium parochialium*, 28 *maii* 1746.

18. Petrus Giovanellius parochiæ ruralis S. Sophiæ, ac S. Joannis intra Gradariam, in qua residet, archipresbyter, quum de gravi crimine accusatus Romam venisset, capellanum curatum suis sumptibus pro servitio ruralis ecclesiæ deputare non tenetur, oneribus tamen parochialibus vel per se, vel per alium adimpletis. Aderat enim œconomus in ecclesia S. Joannis: *Pisauren.*, 1 *sept.* 1753, *dub.* 1.

19. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis S. Viti in archivum reportare tenetur omnes ejusdem ecclesiæ collegiatæ scripturas, et libros ad capitulum quomodocumque spectantes, exceptis libris parochialibus: *Senogallien.*, *Jurium parochialium et præeminentiarum*, 17 *nov.* 1755, *dub.* 13.

20. Archipresbyter dignitas capituli ecclesiæ cathedralis, licet non participet de distributionibus, attamen pro rata parte aliarum dignitatum tenetur ad contributionem expensarum litis actæ pro vindicandis juribus, et excellentia capituli · *Faventina*, 15 *decem.* 1764.

21. Archipresbyter oppidi S. Victoris haud adstrictus est sacerdotes parochiæ incolas suæ congregationis invitare ordine ætatis prærogativæ, vel proximitatis, et prælative ad sacerdotes exteros in funeribus, septimis officiis, festivitatibus, aliisque functionibus ecclesiasticis, sed servetur synodus Urselli [232]: *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 2.

22. Archipresbyter prædictus, quum esset rector ecclesiæ suæ parochialis, ære proprio ad reparationem fornicis turris sacræ suæ ecclesiæ tenetur: *Ibid.*, *dub.* 6.

23. Necnon idem ære proprio distribuere candelas die Purificationis B. M. V. populo debet: *Ibid.*, *dub.* 7.

24. Insuper quæsito; an teneatur supplere distributiones non actas, seu illarum pretium in usus pios a S. C. constituendos? respondit ad mentem, et ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Ibid.*, *dub.* 8.

25. Interrogata est S. C., an archipresbyter ecclesiæ cathedralis, cujus archipresbyteratus recenter erectus fuit, teneatur ad contributionem ratæ

[231] Instructio fuit, ut Episcopus referret numerum religiosorum in dicto conventu degentium, et an iidem sint exempti a sua jurisdictione, vel potius sint subjecti: *Ead. causa*, 23 *febr.* 1726, § 2.

[232] Celebrata anno 1737, quæ sub. tit. *de Parochiis*, cap. 4, mandavit « Et quoad alios sacerdotes parochiæ incolas invitandos fore, et esse ad interessendum sepulturis, septimis, officiis, festivitatibus, aliisque functionibus ecclesiasticis arbitrio domini archipresbyteri pro tempore dictæ ecclesiæ S. Victoris. » *Ead. causa*, 19 *januar.* 1765, § 6.

partis scut. 5, 85 pro expensis ordinariis ad dictum capitulum annuatim spectantibus, et ad ratam portionem expensarum extraordinariarum? S. C. respondit: Dilata, et scribatur juxta instructionem: *Tolentina, Archipresbyteratus*, 1 *febr.* 1766, *dub.* 4.

26. Ac eamdem responsionem præbuit S. C. quoad dictas expensas ordinarias, et extraordinarias, si haberi ratio de præterito post adeptam ab eo possessionem archipresbyteratus debeat: *Ibid.*, *dub.* 5.

27. Eumdem autem non teneri etiam ad contributionem expensarum factarum occasione expeditionis indulti magni pallii, deciditur; quum jam ante archipresbyteri admissionem præfatum indultum capitulum obtinuerit: *Ibid.*, *dub.* 6.

28. Archipresbyter prima dignitas collegiatæ ecclesiæ oppidi Canini curam habens animarum, persolvere non tenetur cathedraticum ratione parochiæ, ultra illud, quod a capitulo dictæ collegiatæ persolvitur; nam unum cum capitulo corpus constituere asserit: *Aquipendien.*, *Cathedratici*, 20 *dec.* 1766, *dub.* 1.

§ VIII.

Archipresbyter quoad præcedentiam et vocem in capitulo.

1. Quum ageretur de archipresbyteratu, in cujus erectione explicata aderat exclusio a partitione massæ capitularis, sed eidem expresse datum fuerat stallum in choro, et locus, et vox in capitulo; propositum dubium fuit; an archipresbyter, qui in bulla erectionis excluditur a partitione distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum ad manus camerarii capitularis pervenientium, debeat habere vocem in capitulo, quando de istorum interesse, et massæ capitularis tantummodo tractatur? respondit S. C., archipresbyterum vocem habere debere etiam in capitulis supra expressis: *Faventina*, 12 *dec.* 1654, *dub.* 1.

2. Archipresbyterum ecclesiæ parochialis et abbatialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii tam in choro, quam in functionibus ecclesiasticis capellanos ejusdem ecclesiæ, et alios quoscumque præcedere, primumque locum tenere debere fuit declaratum: *Imolen.*, *Jurium parochialium*, 12 *februar.* 1707, *dub.* 6, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

3. Archipresbytero collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Novarum, cui quædam superioritatis species super ceteras ecclesias parochiales adjudicata fuit, debetur præcedentia accedente capitulo ad funus; non autem competit parochis ecclesiarum SS. Petri, Andreæ et Nicolai: *Derthonen.*, *Jurium parochialium*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 10, confirmata 7 *decem.* 1720, *dub.* 1; et explicatum fuit, quod præcedentia potius archipresbytero, quam capitulo debeatur.

4. Archipresbyter ecclesiæ S. Mariæ Majoris oppidi Civitæ S. Campimarini, de cujus super ecclesiam S. Georgii ejusdem loci præeminentia constat, quæsivit, num, et in quibus supplicationibus, ac functionibus ecclesiasticis sibi, vel parocho ecclesiæ S. Georgii competant præcedentia? et responsum tulit, ut servetur solitum ecclesiæ S. Mariæ Majoris: *Guardien.*, *Erectionis fontis baptismalis et præeminentiarum*, 21 *maii* 1735, *dub.* 3.

5. Archipresbyter ecclesiæ cathedralis nequit intervenire, nec habere suffragium in capitulis; seu capitularibus resolutionibus faciendis super bonis legatis, juribusque capitulo, aut ecclesiæ relictis; nam, obstant conditiones, quibus archipresbyteratus erectionem acceptavit capitulum, et de bonis, juribusque agitur, de quibus idem minime participat: *Tolentina*, *Archipresbyteratus*, 1 *februar.* 1766, *dub.* 3.

6. Archipresbytero metropolitanæ ecclesiæ intervenienti in sessionibus capitularibus jus vocis activæ, et passivæ competit, etiam in negotiis spectantibus ad massas, de quarum distributionibus non participat. Nam absque ulla vocis limitatione admissus fuerat: *Senen.*, *Vocis in capitulo*, 26 *martii* 1768.

7. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ SS. Petronii et Prosperi terræ Lugi habet vocem activam et passivam in actibus capitularibus factis, et faciendis, præter ea, quæ respiciunt massam capitularem. Quum habeat dotem a massa communi distinctam: *Imolen.*, *Distributionum*, 30 *maii* 1772, *dub.* 3, confirmata 8 *maii* 1773 *et* 15 *sept.* 1787.

8. An archipresbytero seu plebano loci S. Damiani præeminentiæ jus competat in omnibus functionibus ecclesiasticis fieri solitis parochialibus eidem suffraganeis? huic dubio, servari constitutiones synodales [233] S. C. respondit: *Sarsinaten*, *Erectionis plebanatus*, 5 *sept.* 1778, *dub.* 3.

[233] In quibus inter onera subjectionis, reverentiæ, præeminentiarum, et similium, quæ a suffraganeis parochis jure debentur plebano, sive archipresbytero S. Damiani, ea sunt, accedendi singulis mensibus ad ecclesiam plebanam, ut sese congregent in conferendis conscientiæ casibus, necnon die sabbati majoris hebdomadæ, ut intersint sacri fontis benedictioni: *Ead. causa*, 18 *julii* 1778, § 2: et in causa *Ariminen.*, *Præeminentiarium*, S. C. Rituum definiit plurimas controversias exortas inter archipresbyterum Joannem Paulum Jovanardi ex una, et Franciscum Bartolucci, Carolum Antonium Pecci, et Nicolaum Cossium ex altera partibus. Hæc fuerunt dubia:

1. An in plebanatu SS. Viti et Modesti reperiatur congregatio aliqua composita ex rectoribus ecclesiarum

§ IX.

Archipresbyter quoad præeminentias, jura et functiones parochiales.

1. Quum in ecclesia parochiali S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii Urbanus VIII, Pont. Max., perpetuum seculare beneficium non residentiale *Abbatia* nuncupatum, erexisset; nonnullæ subortæ fuerunt controversiæ inter dominicum Aldourandum unum ex presbyteris deputatis a moderno Card. abbate, et hodiernum archipresbyterum parochialis ecclesiæ. Qua de causa S. C. sancivit, archipresbyterum prædictæ ecclesiæ omnes, et quascumque functiones etiam non parochiales facere posse, ac ecclesiam eamdem regere; sicuti rectores ecclesiarum peragere solent. *Imolen.*, *Jurium parochialium,* 12 *febr.* 1707, *dub.* 1, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

2. Capellanos, æditumque ejusdem ecclesiæ archipresbytero in ecclesiasticis functionibus, et in divinis obedientiam præstare, eidemque inservire debere resolvitur: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

3. Minime vero licere abbati, et capellanis functiones tam parochiales, quam non parochiales in dicta ecclesia absque licentia ejusdem archipresbyteri peragere jussit: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

4. Dictosque capellanos pro tempore aliquam ex dictis functionibus curam animarum non respicientibus agere exoptantes, non a Card. abbate, sed ab archipresbytero veniam obtinere debere constituit S. C.: *Ibid.*, *dub.* 4. confirmata *ibid.*

5. Archipresbyterum præfatum in dicta ecclesia eleemosynas colligere pro animabus Purgatorii, Sanctissimi Sacramenti non posse cum licentia, vel absque, Card. abbatis; sed petendam esse ab Episcopo deciditur: *Ibid.*, *dub.* 9, confirmata *ibid.*

6. Atque archipresbyterum semper habere liberum ingressum tam ad ecclesiam supradictam, quam ad sacrarium debere; ita ut licitum minime sit æditui, vel alteri ecclesiam vel sacrarium tam nocturno tempore, quam diurno claudere, et archipresbytero aditum ad illud sine ejus placito vetare S. C. mandat: *Ibid.*, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

7. Decreta Card. Episcopi 1 et 16, demandant, quod archipresbyter sit unicus parochus utriusque parœciæ simul unitæ S. Andreæ, et S. Joan. Baptistæ oppidi Bagnariæ, et uti talis integrum habeat regimen, et animarum curam; rector vero seu capellanus perpetuum solam facultatem dictam curam animarum in auxilium archipresbyteri exercendi, et omnia circa dictum gubernium animarum deferre eidem archipresbytero cum debito honore, et dependentia teneatur: S. C. eadem decreta sustineri censuit: *Imolen.*, *jurium parochialium*, 1 *junii* 1715, *dub.* 1.

8. Item sustineri S. C. mandavit decreta Card. Episcopi 2 et 11, quo cautum est archipresbyterum tanquam parochum utriusque ecclesiæ unitæ,

S. Justinæ, S. Martini in Ripa rupta, S. Mariæ Magdalenæ de Cellis, ceterarumque ecclesiarum in prædicto plebanatu existentium?

2. An ecclesia archipresbyteralis SS. Viti et Modesti sit caput ejusdem congregationis?

3. An constet de matricitate in propria ecclesiæ archipresbyteralis SS. Viti et Modesti?

4. An archipresbytero SS. Viti et Modesti competat jus peragendi processionem die festo SS. Corporis Christi privative ad parochos S. Justinæ, S. Martini ad Ripam ruptam, S. Mariæ Magdalenæ de Cellis, aliosque parochos plebanatus?

5. An parochi plebanatus teneantur eadem die interesse eidem processioni?

6. An iidem parochi teneantur sabbato sancto interesse fontis renovationi in ecclesia SS. Viti et Modesti?

7. An et pro quibus functionibus cum uno vel pluribus sacerdotibus celebrandis in respectivis ecclesiis parochialibus plebanatus invitari debeat archipresbyter SS. Viti et Modesti?

8. An idem archipresbyter SS. Viti et Modesti in omnibus festis, functionibusque, ut supra celebrandis, in ecclesiis parochialibus plebanatus debeat privative quoad parochum ecclesiæ vesperas, et Missam solemniter canere, aliasque functiones peragere; seu potius ad libitum rectorum earumdem ecclesiarum?

9. An in cadaverum associationibus ad parochiales ecclesias S. Justinæ, S. Martini in Ripa rupta, et S. Mariæ Magdalenæ de Cellis, aliasque ecclesias plebanatus peragendis cum interventu parochi proprii, ac unius, vel plurium sacerdotum plebanatus, archipresbyter SS. Viti et Modesti, omnibus præcedere debeat, etiam parocho proprio.

10. An in functionibus, ac exequiis in eisdem ecclesiis plebanatus celebrandis, et peragendis, ut supra ad archipresbyterum SS. Viti et Modesti spectet Missam solemnem celebrare, functionesque agere, atque in omnibus quoad parochum, aliosque sacerdotes plebanatus præcedere, et præeminentiam habere? S. C. Rituum *die* 17 *maii* 1768 decrevit: « *Ad* 1 *et* 2, *negative et amplius*; *ad* 3, *constare de majoritate tantum*; *ad* 4, *servetur solitum et amplius*; *ad* 7, *arbitrio parochorum*; *ad* 8, *negative ad primam partem, affirmative ad secundam et amplius*; *ad* 9 *et* 10, *negative et amplius.* » Inde ex parte archipresbyteri implorata nova audientia, iterum causa proposita fuit super novo dubio; an sit standum, vel recedendum a decisis? S. C. respondit *die* 15 *julii* 1775. « *Ad* 1 *et* 2, *iterum proponatur*; *ad* 3, *prævio recessu a decisis affirmative*; *ad* 4, 5 *et* 6, *in decisis et amplius*; *ad* 7, *prævio recessu a decisis affirmative ad formam constitutionum synodalium*; *ad* 8 *et* 9, *in decisis, et amplius*; *ad* 10, *in decisis quoad parochum et amplius, in reliquis serventur constitutiones synodales claræ memoriæ daviæ et mastæ.*

in quibusvis actibus ac functionibus titulo archipresbyterali uti sub invocatione utriusque SS. Joan. Baptistæ, et Andreæ; et e contra rectorem, seu capellanum perpetuum in subscriptionibus, et denominationibus non sese appellare veluti parochum, seu curatum absolute illius ecclesiæ, sed se vocare, aut subscribere cum expressione capellani curati perpetui, seu rectoris perpetuæ capellaniæ curatæ in ecclesiis SS. Joan. Baptistæ, et Andreæ, deebre: *Ibid., dub.* 2.

9. Insuper decretum, quo demandatur, ut in festo utriusque Sancti celebrando in eadem ecclesia archipresbyterali, tota functio ecclesiæ per archipresbyterum peragatur, sustineri, S. C. resolvit: *Ibid., dub.* 3.

10. Decretum etiam, quo præcipitur, ut directio chori, Missarum, et functionum quarumcumque in ecclesia pro tempore peragendarum ad archipresbyterum spectet; et eo absente, vel impedito, chorus dirigatur, et functiones peragantur per capellanum perpetuum, si ipse velit; sin minus, per alterum capellanum amovibilem, sustineri S. C. declarat: *Ibid., dub.* 4.

11. Et decretum, quo jubetur, ut incepta functione ordine supradicto, per capellanum amovibilem, vel perpetuum respective per capellanum, seu archipresbyterum supervenientem non perturbetur, sustineri sancitur: *Ibid,, dub.* 5.

12. Atque decretum, quo decernitur, ut in omnibus functionibus, in quibus archipresbyter Missas, vel vesperas solemniter celebrat, capellanus curatus perpetuus eidem inservire, altari, vel choro teneatur, sustinetur : *Ibid., dub.* 6.

13. Insuper decretum, quo jubet, ne capellanus perpetuus ad primam susceptionem sanctissimi sacramenti Eucharistiæ pueros, et puellas, nisi certiore facto archipresbytero de sufficientia, et idoneitate eorumdem puerorum in primordiis, ac rebus fidei, sustineri præfinitur : *Ead. causa,* 22 *ejusd. mensis et anni, dub.* 7.

14. Item decretum, quo injungitur, ut administratio sacramenti Eucharistiæ tempore paschali exerceatur per ipsummet archipresbyterum, quatenus impeditus non reperiatur, quo casu per capellanum perpetuum curatum peragatur, nisi alias fuerit per archipresbyterum demandatum ; ita nempe, ut nonnisi cum scientia, ac voluntate archipresbyteri administretur Eucharistia dicto tempore ad præceptum paschale implendum, sustineri deciditur: *Ibid., dub.* 8.

15. Pariter decretum, quo statuitur, ut in solemni administratione sacramenti baptismatis, ac matrimonii, capellanus perpetuus sese ingerat, quatenus archipresbyter illa ministrare nolit, sustineri consilium S. C. cepit: *Ibid., dub.* 9.

16. Ac decretum, quod constituit, ut capellanus perpetuus sacramento matrimonii non adsit, nisi archipresbytero certiore facto, sponsos satis esse instructos in primis fidei rudimentis, libere matrimonio consensisse, ambos in statu libero reperiri, nec ullum inter eos revelatum esse impedimentum, sustineri, imperatur: *Ibid., dub.* 10.

17. Demum decretum, quo edixit, ne capellanus perpetuus audeat inconsulto archipresbytero sacerdotes exteros in funeribus, vel aliis functionibus parochialibus, præsertim ministrando matrimonii sacramentum substituere, ratum S. C. habuit: *Ibid., dub.* 11.

18. Archipresbyter collegiatæ ecclesiæ SS. Gervasii, et Protasii oppidi Domus Ossulæ est etiam canonicus: *Novarien., Præeminentiarum,* 14 *april.* 1714, *dub.* 1.

19. Quæsitum quum fuisset, an archipresbyter habeat primariam administrationem, seu regimen suæ ecclesiæ, et quas præeminentias præter præcedentiam? S. C. respondit, recurrant in casibus particularibus: *Ibid., dub.* 8.

20. Ecclesiæ parochiali SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ejusque parocho oppidi Ossani Episcopus titulum archipresbyteralem concessit ad instantiam tum parochi, tum cleri illius ecclesiæ sine tamen præjudicio archipresbyteralis, et matricis ecclesiæ S. Joannis Baptistæ. Hac tamen exceptione minime obstante archipresbyter S. Joannis jura suæ ecclesiæ imminuta existimans præfatæ concessioni contradixit; novus archipresbyter concessioni renunciavit; et S. C. concessionem ipsam validam non esse dixit : *Thelesina, Archipresbyteratus,* 31 *julii* 1717.

21. Archipresbyter ecclesiæ cathedralis canonicos, et beneficiatos, ut diaconi, et subdiaconi officium sibi præstent, cogere potest : *Tusculana, Missæ conventualis,* 21 *april.* 1708, *dub.* 5, confirmatur addendo ad formam decreti visitatoris apostolici: 13 *april.* 1709, *dub.* 2.

22. Ad archipresbyterum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ oppidi Novarum, cui quædam superioritatis species super ceteras ecclesias parochiales fuerat a S. C. adjudicata, jus deferendi stolam in supplicationibus, et funeribus privative haudquaquam spectare firmatur: *Derthonen., Jurium parochialium,* 3 *decem.* 1718, *dub.* 11, confirmata 7 *decem.* 1720, *dub.* 1.

23. Jus benedicendi fontem, aliasque faciendi functiones ecclesiasticas in die sabbati sancti spectat privative ad archipresbyterum ecclesiæ Vetiani superioris, uti matricis: *Lunen-Sarzan., Præeminentiarum,* 15 *maii* 1717, *dub.* 1, confirmata 23 *julii* 1718.

24. Et archipresbyter prædictus una cum capi-

tulo potest in supplicationibus solemnibus, et rogationibus ingredi alias ecclesias, ibique solitas orationes, seu functiones peragere: *Ibid.*, *dub.* 13, confirmata *ibid.*

25. Eidemque archipresbytero ad infirmos pro benedictione elargienda in mortis articulo accedenti superpelliceum, et stolam sine parochi licentia in actu benedictionis deferre licet: *Ibid.*, *dub.* 14, confirmata *ibid.*

26. Archipresbytero ecclesiæ sanctorum Hippolyti, et Cassiani de Saliceto, terræ Pontremoli, non competit jus canendi Missam die festo sanctissimi Corporis Christi in ecclesia S. Mariæ de Populo, postquam dicta ecclesia in collegiatam erecta fuerat: *Lunen-Sarzanen.*, *Præeminentiarum,* 9 *junii* 1725, *dub.* 1.

27. Nec eidem competit supplicatio prædicta die facienda cum venerabili Sacramento, illam inchoando ab ecclesia collegiata, vel ab alia ecclesia oppidi Pontremoli privative quoad præpositum, et capitulum ecclesiæ collegiatæ: *Ibid.*, *dub.* 2.

28. Archipresbyter terræ Montis Ærei super cadaveribus, quæ primo deferuntur ad parochialem, et alibi sepeliuntur, exequias, et alias funebres functiones peragere potest, ac eidem intortitia tantum, quæ circa cadaver ponuntur, debentur: quemadmodum S. C. decrevit, prævia instructione [234] Episcopo missa: *Volaterrana*, 16 *martii* 1726, *dub.* 3.

29. In associatione cadaverum sepeliendorum in ecclesia patrum Minorum Conventualium dicti loci, sub illorum cruce incedere idem archipresbyter tenetur; nec propriam elevare potest: *Ibid.*, *dub.* 4.

30. Nec ingredi cum cruce, et stola eorum ecclesiam, nec super cadaveribus ibidem tumulandis officium peragere valet: *Ibid.*, *dub.* 5.

31. Nullam S. C. invenit difficultatem, quod ad archipresbyterum S. Mariæ Magdalenæ terræ Montis Barutii, quæ majoritate gaudet, jus indicendi, et convocandi supplicationes generales, quæ juxta ecclesiæ ritum, et consuetudinem loci fiunt, privative spectaret; et quod in sua ecclesia supplicationes illæ incipiendæ, ac absolvendæ essent: *Aquen.*, *Præeminentiarum, et jurium parochialium*, 8 *martii* 1732, *dub.* 4.

32. Ad dubium; an, et qui teneantur assistere in officio diaconi, subdiaconi archipresbytero S. Leonardi terræ Campobassi, cui adjudicata fuit majoritas super alias ecclesias parochiales dicti oppidi, celebranti in supplicationibus, et Missis solemnibus Pentecostes, Ascensionis, et Corporis Christi? rescriptum prodiit: Serventur statuta anni 1715: *Bojanen.*, *Jurium parochialium, et præeminentiarum,* 24 *maii* 1732, *dub.* 15; deinde deciditur dicto archipresbytero assistere teneri in officio diaconi, et subdiaconi non presbyteros simplices ejusdem collegiatæ, sed canonicos ad formam statuti anni 1715 [235]: *Ead. causa*, 19 *april.* 1760, *dub.* 1.

33. Postea resolvit S. C., quod archipresbytero impedito, non œconomus, sed canonicus antiquior assistentibus aliis canonicis celebrare debet: *Ibid.*, *dub.* 16. Inde resolvitur in omnibus functionibus canonicos antiquiores ad formam § 5, cap. 10, *ejusd. statuti* [236] teneri: *Ibid.*, *dub.* 2.

34. Postmodum ad quæsitum; an in supplicationibus feriæ secundæ, tertiæ et quartæ Rogationum, et in supplicatione votiva, quæ fit prima die maii, possit archipresbyter ad suum libitum functiones explere per se ipsum cum pluviali; vel id privative spectet ad rectores juxta regulas capitulationum anni 1715? præcipitur, ut servarentur statuta anni 1715: *Ibid.*, *dub.* 16.

35. Insuper declaratur eidem archipresbytero competere jus die octava festivitatis sanctissimi Corporis Christi gestandi venerabile in serotina supplicatione: *Ibid.*, 19 *april.* 1760, *dub.* 3.

36. Celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai sita intra limites parochialis, et collegiatæ ecclesiæ S. Martini civitatis Ceretti non spectat ad archipresbyterum, et canonicos collegiatæ prædictæ privative quoad omnes, sed capellanum dictæ ecclesiæ cum facultate assumendi in dicta Missa, et anniversario presbyteros sibi benevisos. Nam Joan. Angelus Rosatus, qui in ea ecclesia fundavit capellaniam per suos capellanos peragi dictas functiones mandavit: *Thelesina*, *Anniversarii, et Missæ solemnis,* 9 *febr.* 1732, *dub.* 1.

37. Item celebratio Missæ solemnis cum primis et secundis vesperis in die festo S. Nicolai non spectat ad dictum archipresbyterum, sed ad capellanum dictæ ecclesiæ independenter, et sine parochi venia, et cum facultate presbyteros, quos voluerit, assumendi: *Ibid.*, *dub.* 2.

38. Archipresbyter, et canonici ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Nicolai terræ Pontiani non

[234] Vide not. 230.

[235] Cap. 4, in quo cautum est, ut duo canonici in officio diaconi, et subdiaconi assistere debeant archipresbytero tamquam primo canonico celebranti in festivitatibus S. Leonardi, Nativitatis Domini, vigiliæ Epiphaniæ, dominicæ Palmarum, Ascensionis Domini, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi: *Ead. causa*, 19 *apr.* 1760, § 1.

[236] Quo cavetur: « Circa l'assistenza dell'arciprete deesi fare dalli canonici piu decani appresso li rettori; agli altri poi debbono assistere altri successive gradatim. » *Ead. causa*, 19 *april.* 1760, § 1.

possunt celebrare Missam solemnem in duobus festis S. Michaelis Archangeli in ecclesia eidem dicata; sed spectat ad capellanum ejusdem ecclesiæ, cui fundator capellaniæ hoc onus imposuit. Nam non constat de jurepatronatus capituli : *Nullius, seu terræ Pontiani, Missæ solemnis*, 9 *julii* 1735.

39. Expostulatum est, an archipresbyter terræ Caggiani possit in ecclesiis S. Catharinæ et S. Mariæ Græcorum, quas esse filiales intendit, functiones parochiales peragere, eoque impedito, alium deputare? rescriptum fuit: Dilata, et coadjuventur probationes hinc inde : *Satrianen., Jurium parochialium*, 17 *nov*. 1736, *dub*. 6.

40. Quum esset quæsitum ; an distributio oleorum sanctorum spectaret privative ad archipresbyterum ecclesiæ plebanæ Stephani loci Sigestri? responsum fuit: Dilata, et extrahantur documenta citatis partibus. Non erat adhuc de matricitate ecclesiæ præfatæ definitum : *Brugnaten., Plebanatus et præeminentiarum*, 20 *nov*. 1745, *dub*. 5.

41. Archipresbytero S. Mariæ de Podio civitatis Riveliæ propriam ecclesiam matricem majorem, et collegiatam insignem denominare prohibendum est sub pœnis arbitrio Episcopi : *Policastren., Præeminentiarum et jurium parochialium*, 22 *januar*. 1746, confirmata 28 *maii ejusd. anni*, et additum fuit : Salvis juribus ecclesiæ S. Mariæ, quoad prætensas ecclesias filiales tantum prout de jure.

42. Inde quæsitum fuit ; num præfatus archipresbyter S. Mariæ ab Archipresbytero S. Nicolai olea sancta recipere teneatur ; sive et licitum sit ea ab ecclesia cathedrali sumere? responsum fuit, servetur solitum : *Ibid., dub*. 10, confirmata *ibid*.

43. Archipresbyter terræ Galatri non potest ab ecclesia S. Mariæ de Valle, quam extructam in solo Lateranensi fuisse, ideoque immunem a jurisdictione sive Episcopi, sive parochi perhibetur, sumere Viaticum, illudque ad parochiæ incolas infirmos deferre, excepto necessitatis casu : *Mileten., Jurisdictionis, et jurium parochialium*, 6 *maii* 1737, *dub*. 8.

44. Neque idem archipresbyter habere propriam sedem in choro dictæ ecclesiæ S. Mariæ debet, neque functionibus inibi peragendis assistere potest : *Ibid., dub*. 9.

45. Archipresbyterum, omnesque capituli cleri secularis oppidi Dungi presbyteros, associando cadavera ad ecclesiam PP. Reformatorum non teneri incedere sub illorum cruce ; sed hos Reformatos patres interveniente capitulo sub cruce dicti cleri procedere debere ; ac proinde propriam crucem ambos elevare non posse S. C. sancivit : *Comen., Funerum, et functionum conventualium*, 19 *dec*. 1750, *dub*. 1.

46. Item prædicta occasione cum stola, et cruce elevata ingredi eis licere, non vero ad ejusdem ecclesiæ fores sistere, ibique ultimum defuncto vale dicere, eos debere ; postquam tum super collegialitate, quam super consuetudine coadjuvari probationes dixerat, S. C. definivit : *Ibid., dub*. 2.

47. Eumdemque archipresbyterum, eosdemque presbyteros patribus his Reformatis Missas celebrare aliasque conventuales etiam cum præventivo tintinnabulorum sonitu peragere ante, vel actu celebrationis Missæ parochialis prohibere non posse, S. C. statuit : *Ibid., dub*. 8.

48. Archipresbytero parœciæ S. Nicolai terræ Forentiæ comitari non potest etiam sine stola decedentium sub parochia S. Mariæ de Longobardorum cadavera invito rectore ejusdem ecclesiæ, ac parochiæ incolis : *Venusina*, 27 *martii* 1751, *dub*. 2.

49. Et absque archipresbyteri prædicti S. Nicolai venia rector S. Mariæ in propria ecclesia denunciationes matrimoniorum emittere potest : *Ibid., dub*. 4.

§ X.

Archipresbyter quoad privationem et redintegrationem.

1. Instanti universitate Castri Novi coram S. C. Episcoporum, et regularium pro privatione archipresbyteratus a dominico Crognali retenti ob ejus absentiam per decennium, rescriptum prodiit, ut vicarius capitularis omnino provideret. Hinc compilato processu, et tribus præfixis terminis ad privationem tanquam contumacem procedi debere, decrevit ; sed per partem dicti archipresbyteri fuit allegatum indultum absentiæ, quo elapso aliud expetiit, nec obtinuit, et adhuc aberat ille ; idcirco communitas, ut ad ulteriora procederetur in privatione postulavit ; et S. C. decrevit Ordinarium procedere debere ad privationem ex integro ob non residentiam : *Lancianen., Residentiæ*, 13 *januar*. 1703.

2. Episcopus Uxentinus, nullum prætendens esse concursum ob Concilii formam non servatam, eo quia vicarius generalis tertii examinatoris vices suppleverit, Marium Giglium, qui a Sede Apostolica de archipresbyteratu cathedralis ecclesiæ provisus fuerat sub pœna interdicti citavit tribus assignatis diebus. His elapsis quarto die decretum relaxavit eumque interdixit ab ecclesiæ ingressu, nullum concursum declaravit, subreptitias esse bullas, ac archipresbyteratum vacare. Giglio reclamante S. C. placitum fuit, nec interdictum, nec privationem omnibus circumscriptis per Episcopum gestis sustineri respondere : *Ugentina, Archipresbyteratus*, 6 *junii* 1 16.

3. Petro Joannellio archipresbytero ecclesiæ parochialis S. Sophiæ oppidi Gradariæ duo apposita fuerunt crimina, quod scilicet et puellam, quam uti ancillam domi retinebat, vitiaverit, ita ut etiam pepererit, et perpetuo ebrius esset maxima populi offensione. Processu ab Episcopo desuper confecto, ac eodem Petro remoto ab archipresbyteratu ; hic S. C. adiit, et quum probationes plenissime crimina non adstruerent, rescriptum fuit, non esse locum parochiæ privationi : *Pisauren.*, *Parochialis*, 2 *aug.* 1749, *dub.* 1.

4. Et quum quæsitum quoque fuerit, quomodo providendum esset, quatenus parochiæ privandus non foret? ad mentem [237] respondit : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Episcopo vero indignatione commoto, jussum fuit, ut ille ad actus irrevocabiles contra ipsum archipresbyterum inconsulta S. C. non deveniret : *Ead.*, 20 *januar.* 1759, *dub.* 2.

6. Angelus Peruginius archipresbyter terræ S. Laurentii Minoris de negligentia in exercitio curæ animarum accusatus fuit coram vicario capitulari, sede episcopali vacante ; compilato processu a curia episcopali lata fuit sententia suspensionis per decennium a cura animarum, omniaque emolumenta adjudicata œconomo deputando fuerunt. Decennio elapso pars populi obstitit redintegrationi perpetuo privandum esse parochia contendens. Postulavit Angelus igitur a S. C. redintegrationem ad curam animarum cum omnibus fructibus, emolumentis, damnis, et interesse ; disceptatumque fuit, an perpetuo ejusdem curæ perpetuo privandus esset? et rescriptum fuit, redintegrandum esse ad curam animarum tantum, non autem ad ejusdem curæ exercitium : *Thelesina*, *Reintegrationis ad curam animarum*, 10 *febr.* 1759.

§ XI.

Archipresbyter quoad servitium chori et residentiam.

1. Archipresbyterum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ Otriculi absentem a servitio chori ad solutionem punctaturarum pro summa ab Episcopo Picarello taxata teneri S. C. censuit : *Narnien.*, *Servitii et punctaturarum*, 14 *apr.* 1714, *dub.* 1.

2. An archipresbyter ecclesiæ collegiatæ et parochialis S. Pauli de Baretis intra civitatem sitæ, residere in dicta ecclesia, non in ecclesia parochiali S. Pauli extra civitatem juxta decretum anni 1697 debeat [238] ? Huic dubio S. C. ut iterum proponeretur addendo ad mentem [239] rescripsit : *Aquilana*, 26 *januar.* 1732. Inde affirmativum retulit responsum : 5 *april. ejusd. anni*, confirmata 19 *julii pariter ejusd. anni*.

3. Archipresbytero ecclesiæ parochialis oppidi Nerulæ junctis interpolatis absentiæ vicibus, licet quolibet anno a parochia juxta tantum Concilii Tridentini dispositionem abesse [240] : *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1752, *dub.* 1.

4. Idem archipresbyter tempore, quo a parochia abest, relinquere tenetur substitutum arbitrio Card. Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Archipresbyter ecclesiæ cathedralis, cui ex defectu integri reditus permissum interesse choro, et divinis officiis diebus tantum festivis de præcepto, et tempore Adventus, ac Quadragesimæ fuerat, ad formam hujusmodi facultatis non autem quotidie choro inservire tenetur; etiamsi ignorans indultum prædictum quotidie interfuerit : *Recineten.*. *Servitii chori*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 1. Postmodum recessit a decisis, et teneri quotidie statuit : 12 *martii* 1757, confirmata 17 *sept. ejusd. anni* et 2 *sept.* 1758.

6. Non vero solvere fallentias de tempore præterito tenetur : *Ibid. dub.* 2. Inde recessit S. C. a decisis, et teneri a die motæ litis pro tertia parte redituum : *Ibid.* Postea quæsitum fuit de summa solvenda per eumdem; et responsum dedit affirmativum : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

7. Archipresbyter collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai terræ Meldulæ, qui curam animarum habet, interesse divinis officiis cum ceteris canonicis in choro tenetur. Nam pro præsente habetur, dum curæ incumbit : *Nullius Terræ Meldulæ*, *Officiaturæ et*

[237] Mens fuit, ut archipresbyter per tres menses se recipiat in domum missionis Urbis, ibique peractis exercitiis spiritualibus, non redeat ad suam parochiam inconsulta S. C. : *Ead. causa*, 20 *januar.* 1759.

[238] Quo anno Universitas dictæ terræ Baretis exposuit jam defecisse familias intra civitatem Aquilæ antea existentes, ideoque postulavit, eum potius compelli ad residendum in antiqua parochiali ecclesia terræ Baretis, cui subjectæ erant 1,300 animæ. Itaque S. C. commisit Episcopo Aquilano, ut si narrata niterentur veritate, cogeret juris remediis archipresbyterum ad residendum in dicta veteri ecclesia terræ Baretis : *Ead. causa*, 2 *junii* 1731, § 2.

[239] Datis interea ad Episcopum aliis litteris ad investigandas nonnullas suburbanæ parochiæ conditiones, quæ ad rem facere posse videbantur : *Ead. causa*, 5 *april.* 1732, § 2.

[240] Nempe in cap. 2, sess. 6, et cap. 1, sess. 23, *de Reform.* disponitur de residentia parochorum, aliorumque beneficiatorum curam animarum habentium, « ita tamen (sess. 23, cap. 1), ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. »

aggregationis confraternitatis, 22 *januar.* 1757, *dub.* 1.

8. Quæsitum quum esset; an, et quomodo, et quibus diebus archipresbyter una cum canonicis collegiatæ ecclesiæ Ariciæ teneatur dvinum officium in choro recitare? affirmativum responsum datum est in omnibus juxta votum Card. Episcopi [241] : *Albanen.*, 16 *maii* 1789, confirmata 26 *mart.* 1791.

9. Choralis servitii exemptio, quam anno 1766 tribuit tribunalis AC. sententia archipresbytero ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in burgo Civitellæ, ac ratam habuerunt canonici per transactionem, confirmatur; quum S. C. decreverit minime esse recens decretum curiæ episcopalis confirmandum, sed potius infirmandum. Aiebat enim archipresbyter distinctos habere parochiales reditus, nilque omnino percipere ex capitulari massa, piisque capituli relictis : *Brictinonien.*, 20 *april.* 1793, *dub.* 1.

Archipresbyteralis ecclesia. Vide *Ecclesia archipresbyteralis.*

ARCHIPRESBYTERATUS.

Archipresbyteratus dignitas ecclesiastica.

1. Laurentius Doccius vir genere, et pietate nobilis, archipresbyteratus secundam in collegiata ecclesia S. Mariæ, ut aiunt, *di Provenzano*, dignitatem fundavit. Supplex modo petit per S. C. declarari, an ipse ad prædictam archipresbyteratus dignitatem possit clericum nepotem suum, qui annum 14 attingit præsentare ; et S. C. censuit non posse, et oratorem dignum esse, ut illi utpote fundatori per Datariam ex apostolica benignitate indulgeatur : *Senen.*, 29 *novem.* 1659 [242].

2. Capellania sacerdotalis fundata a Margarita Cioffi cum onere Missarum, quod personale capellani non esse S. C. judicaverat, non est incompatibilis cum beneficio curato, qualis est archipresbyteratus : *Interamnen.*, *Capellaniæ*, 3 *febr.* 1685, *dub.* 3.

3. Archipresbyteratus erectioni locus est juxta modum [243] in ecclesia cathedrali, prout erigi Joseph Demetrius ex suis bonis hæreditariis mandavit; etiamsi canonici ratione jurispatronatus laicorum, ac præcedentiæ renuerent : *Cæsenaten.*, *Erectionis archipresbyteratus*, 6 *martii* 1723.

4. Archipresbyteratus in parochiali ecclesia S. Mariæ oppidi S Donati non est prima dignitas : *Sorana*, *Jurium parochialium*, 5 *maii* 1731, *dub.* 5.

5. Erectio dignitatis sub titulo archipresbyteratus a Flaminio Renzi demandata in ecclesia S. Æmiliani ab Episcopo potest fieri, nec ad Datariam apostolicam pertinet; quum hujusmodi erectiones ex iis essent, quæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis erigi consueverunt : *Spoletana, Erectionis dignitatum*, 24 *martii* 1736. Sed postmodum orta quæstione super qualitatibus, et conditionibus, quibus erigi debeat hujusmodi dignitas; has qualitates præscribendas esse a Card. pro-datario fuit resolutum : 2 *junii ejusd. anni.*

6. Archipresbyteratus erectus in ecclesia cathedrali vera, et propria est dignitas, licet jurisdictionem, et curam non habeat; quum fundator erigi dignitatem voluerit : *Tolentina, Archipresbyteratus*, 1 *febr.* 1766, *dub.* 1.

[241] Cardinalis Episcopus concludit, quod collegiatæ canonici haud posse eximi videntur ab integra officii recitatione in choro, nedum in festis primæ classis, uti decrevit Card. Pallotta, verum etiam in omnibus diebus festis de præcepto, uti Card. Gesualdus anno 1583, et visitator apostolicus Thomati annno 1661 constituerant. Quin mos, et consuetudo in contrarium afferenda officere debeat ; quæ nonnisi obreptionibus, et subreptionibus, ac perpetua inobedientia decretis Card. Episcoporum, et visitatorum invaluit. Id vero non solum aliquo modo consonum erit desuper allatæ conciliari providentiæ quoad cathedrales, et collegiatas insignes, quæ certe providentia non videtur omnino prætereunda, sed frequenti etiam populo Aricino, ac potissimum canonicorum numero ad tertium decimum nuper aucto : *Ead. causa*, 4 *april.* 1789, § 5.

[242] Nam ex cap. 12, sess. 24, *de Reform.*, nemo dignitates obtinere potest quibus animarum cura subest, nisi qui saltem 25 suæ ætatis annum attigerit : et ceteras, quibus animarum cura nulla subest, nisi qui 22 annis non minores sint. Archipresbyter est princeps presbyterorum, eaque dignitate donabatur interdum qui ætate, interdum qui sapientia præstarent. Nunc omnis archipresbyteri auctoritas pendet ex mandato Episcopi, et statuto ecclesiarum, ex consuetudine ; et plerumque archipresbyter adjunctam habet curam animarum.

[243] Et modus est, ut deleatur conditio reductionis archipresbyteratus ad legatum pium in casu, quo pensio imponatur, necnon alia, quod in casu collationis archipresbyteratus extero teneatur hic solvere patronis scuta annua 20 titulo pensionis : *Ead. causa*, 6 *martii* 1723. De hac causa diffuse loquitur Ursaya *Discept. Eccl. XVIII* tom. 5, part. 1, per tot dum in favorem capituli anno 1703 in eadem scripsit.

7. Archipresbyteratum collegiatæ ecclesiæ, et unicæ parochialis S. Leonardi in oppido Arcisgurgæ adhuc vacante officiales oppidi communitatis nomine preces porrexerunt, ut distributis in æquas partes archipresbyteratus, et parochiæ reditibus, una eidem, altera canonico curato noviter constituendo tribueretur. Multum enim aiebant numerum animarum excrevisse, uberesque esse parochiæ reditus affirmabant. Ad ea autem, quæ proponebantur, responsum fuit haud esse locum dismembrationi archipresbyteratus, et erectioni præbendæ pro canonico curato, et ut Episcopus ad formam Concilii sess. 21, cap. 4, *de Reform.* [244], provideret: *Terracinen. et Privernen.*, 17 *martii* 1781, *dub.* 1.

ARCHIVUM.

1. Antistiti Astoricensi exoptanti proprium, separatumque archivum constituere, in quo omnia jura, scripturæque ad mensam, ac dignitatem episcopalem spectantia custodiri debeant, quæ antea in archivo capituli reponebantur; S. C. benigne hujusmodi facultatem indulsit: at reclamante capitulo eum minime fuisse auditum, ac immemorabilem consuetudinem allegante, causa in S. C. reproducta fuit, quæ gratiam Episcopo prædicto concessam esse exequendam decrevit: *Astoricen.*, *Archivi*, 12 *jan.* 1704.

2. Palatium episcopale assignatum pro loco, ubi archivum erigi debet, securius non videtur, et ideo locum tutum invenire relinquendum est Episcopi arbitrio exceptis conventibus, et monasteriis: *Astoricen.*, *Archivi*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 1.

3. Archivum in monasteriis monialium SS. Catharinæ martyris, et Senensis, necnon SS. Monicæ, et Rochi Ferrariæ, quæ regularibus sunt subjectæ, intra claustra, non in cancellis monialium debet conservari: *Ferrarien.*, *Jurisdictionis*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 13.

4. Collegiatam ecclesiam olim S. Mariæ, et S. Hilarii nunc S. Francisci de Paula, terræ Lugi, suppressit Benedictus XIV, Pont Max., et ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi olim nunc SS. Petronii, et Prosperi una cum juribus, et emolumentis univit. Sed ecclesiæ suppressæ patres præfecit scholarum piarum una cum animarum cura, et pensione 40 scut. capitulo solvenda, salvo collegiatæ unicæ parochialis matricitatis jure; ob id quæsitum est; num archivum collegiatæ et parochialis olim SS. Mariæ, et Hilarii sit consignandum curato S. Francisci de Paula? S. C. consignandum haud esse respondit: *Imolen.*, *Jurium parochialium*, 20 *decem.* 1760, *dub.* 17.

5. Ut Ecclesia SS. Felicis, et Adaucti archivum, ne scripturæ, et libri deperditionis periculo subjacerent, haberet, decrevit Firmanus Antistes; quæsivit hinc rector, num sibi retinere liceret extra ecclesiam, et diœcesim libros, aliasque scripturas respicientes jura, et legata, seu aliud quodcumque ecclesiæ interesse? Sed præsto illi responsum fuit, ut Card. Archiepiscopi serveretur decretum: *Firmana*, 8 *aug.* 1772, *dub.* 7.

ARCHIVISTA.

1. Archivista ecclesiæ parochialis S. Mariæ Virginis civitatis Maratonæ non ab Episcopo, sed a rectore ejusdem ecclesiæ, et ad ejus arbitrium est eligendus: nec ille ex beneficiatis, et perpetuo residentibus, seu etiam amovibilibus dictæ ecclesiæ eligi debet: *Barchinonen.*, *Erectionis communitatis*, 9 *septembris* 1702, *dub.* 2.

2. Dubio proposito; an, et in qua summa ex fructibus mensæ episcopalis sit taxandum stipendium archivistis ecclesiæ cathedralis sede vacante? S. C. respondit arbitrio Episcopi: *Astoricen.*, *Archivi*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 3.

[244] In hoc capitulo statuitur. 1. Ut ubi unus parochus non sufficit pro administratione Sacramentorum, hic cogatur sibi tot sacerdotes adjungere. 2. Ut si populus ob locorum distantiam, cum magno incommodo accedere nequeat ad parochiam pro recipiendis Sacramentis, divinisque officiis audiendis constituatur nova parochia, invito etiam parocho. 3. Ut deficientibus reditibus pro assignanda portione, seu congrua novo parocho, compellatur populus ad subministrandum necessaria pro illius sustentatione.

ARS.

§ I.

Ars aromataria quoad exercitium.

1, Inspecto jussu Sanctissimi D. SS., ut per viam temperamenti de consensu partium provideretur, censet S. C., referendum Sanctitati Suæ esse, per viam præcepti inhibendum, sub pœna suspensionis a divinis, privationis vocis activæ, et passivæ, et omnium officiorum, necnon perpetuæ inhabilitatis absque alia declaratione incurrendæ a superioribus quorumcumque ordinum, congregationum, societatum, domorum, collegiorum et locorum regularium, ne in posterum religionis nomine, seu particulari audeant exercere venalem artem aromatariam, præterquam pro suis religiosorum, aut alumnorum usibus, et conventui Minimorum Sanctissimæ Trinitatis de Urbe habenti facultatem pro nationalibus etiam Galliæ, nec pharmaca cuique vendere etiam prætextu amicitiæ, seu familiaritatis, exceptis theriaca, hyacintho, aliisque vulgo nuncupatis *chimiche*, non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in favorem dictorum ordinum, congregationum etiam Cassinensium, Fratrum Prædicatorum, Minimorum, Societatis Jesu, et aliorum quorumcumque mendicantium, et non mendicantium cujuscumque instituti etiam necessario, et in individuo exprimendi, quibus S. C. Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, et expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscumque: *Romana, Aromatarior.*, 2 *sept.* 1647. Die vero 16 *decem. ejusd. anni* facta relatione in consistorio S. Sanctitas annuit facta intimatione oretenus.

2. Alias S. C. visitationis apostolicæ sub die 29 aug. 1637 dicitur emanasse contra regulares, aliosque ecclesiasticos quæstuosas artes in Urbe, ejusque districtu exercentes pro secularibus decretum, cujus copia datur per informantem. Decretum hoc tanquam rationi congruum communitas, et artistæ Barchinonenses ad eamdem civitatem per libellum a Sanctissimo remissum extendi supplicant, proinde quæritur; an petita extensio sit concedenda? S. C. censuit extensionem petitam esse denegandam, sed danda decreta alias facta: *Barchinonen., Aromatariæ*, 12 *aug.* 1679.

3. Quum collegium aramatariorum Taurinensium, anno 1694, emissa obligatione gratis distribuendi medelas pauperibus, institisset pro omnimoda prohibitione venditionis pharmacorum in aromatariis PP. S. Francisci strictioris observantiæ, ac Minimorum S. Francisci de Paula propositis dubiis; an sit prohibenda dictis patribus, aliisque regularibus civitatis facultas exercendi aromatariam etiam pro secularibus?

4. An, et quomodo eisdem sit permittenda pro privatis, et pauperibus personis? respondit esse servandum decretum in *Romana, Aromatariorum Urbis* 2 *sept.* 1647 [245]: *Taurinen., Aromatariæ*, 11 *sept.* 1694, *dub.* 1 *et* 2.

5. Aromatariæ regularium civitatis Barcinonæ causa fuerunt controversiarum cum collegio aromatariorum ejusdem civitatis, quæ delatæ ad S. C., respondit hoc esse providendum ad formam resolutionis particularis anni 1702 [246], firma remanente obligatione emissa per aromatarios, et ab

[245] Vide præsent. § num. 1.

[246] Deputata a Sum. Pont., Innoc. XIII, ad amputandas omnes fraudes, et prætextus mercimonii in aromatariis regularium Urbis, in qua censuit die 25 januar. 1722 insinuandum, et consulendum esse Sanctissimum, ut omnino prohibeantur omnes, et singuli regulares utriusque sexus in urbe Romæ, ejusque districtu degentes, nec per se, neque per alios, nec etiam religionis nomine artem aromatariam, præterquam suorum religiosorum, aut alumnorum usibus exerceant, ac insuper ne ullo modo secularibus, aut aliis religiosis, et ecclesiasticis pharmaca, aut medicamenta, sive composita, sive non composita, sive præparata, sive non præparata, nec etiam theriacam, metridatum, hyacinthum, balsamum, chinam, rebarbarum, atque res ullas chimichas cujusvis generis, et speciei, nec sub prætextu amicitiæ, aut familiaritatis, aut alio quocumque titulo, causa, vel colore, vendant, permutent, aut donent prævia etiam revocatione omnium singulorum decretorum, seu rescriptorum cujuslibet S. C. quocumque tempore latorum; etiamsi fuerint cum brevibus apostolicis, clausula sublata, et decreto irritante communiter approbata; sub pœnis superioribus utriusque sexus religiosorum contravenientibus suspensionis a divinis ipso facto irremissibiliter incurrendæ privationis vocis, activæ et passivæ, prohibitionis in posterum exercendi, aut exercere faciendi aromatariam in eorum domibus, monasteriis, aut conventibus, etiam pro eorum usu, et ulterius confiscationis ejusdem aromatariæ a thesaurario generali faciendæ cum facultate procedendi etiam per solam inquisitionem, et applicandi tertiam partem secreto denunciatori.

Facta inde relatione Pont. Max., Innoc. XIII, Sanctitas Sua præfatam insinuationem, seu resolutionem laudavit, approbavitque cum his tamen declarationibus, nempe, ut in dicta generali prohibitione non intelligantur comprehensi Fratres Hospitalis S. Joannis de Deo Urbis, et districtus. Insuper declaravit Sanctitas Sua posse eis indulgeri, ac permitti venditionem theriacæ, et balsami apopletici tantum pro majori publico bono, dummodo obtineant a Card. Vicario licentiam in scriptis ad tempus

Ordinario acceptata in favorem pauperum, et pro remotione aromatoriarum a locis publicis scribatur Ordinario juxta mentem : *Barchinonen.*, 30 *julii* 1768, confirmata 17 *junii* 1769.

§ II.

Ars Medica.

1. Quum sacerdos medicus obtinuerit a Summo Pontifice facultatem exercendi artem medicam cum solitis clausulis; *citra incisionem, et adustionem, gratis, et amore Dei erga omnes, attenta penuria medicorum:* hinc idem quærit; an nomine incisionis veniant etiam sectiones venarum, aperitio, seu dissectio tumorum, et sinvositatum in ulceribus, necnon amputatio carnium mortuarum et similium?

2. An nomine adustionis non solum veniat applicatio realis ignis; sed etiam alia remedia urentia, et cautherizantia, cujusmodi sunt lapides caustici, lapis infernalis, spiritus, et olea chimica urentia, et his similia?

3. An præfata prohibitio intelligenda sit tam de incisione, et abustione facienda per se ipsum propriis manibus, quam de ea, quæ fieret ministerio alterius ipso consulente, vel mandante? S. C. rescripsit ad D. secretarium ad mentem [247] : *Cadurcen., Dubiorum medici*, 14 *april.* 1696, *dub.* 1, 2 et 3.

4. Ad postulatum ; an illud gratis, et amore Dei erga omnes ita intelligatur, ut non liceat neque etiam a sponte, et liberaliter absque ullo pacto, vel preambula obligatione dantibus recipere ; an e contra ? S. C. non licere neque a sponte dantibus respondit : *Ibid., dub.* 4.

5. Et ad quæsitum, an clausula illa *attenta penuria medicorum* importet prohibitionem in locis, in quibus alii, vel saltem aliquis alius medicus fuerit, si forte illuc vocatus accerserit, vel etiam in proprio loco, ubi aliquis alius medicus vocatus accederet, et aliquo tempore permaneret? rescripsit intelligi de penuria morali : *Ibid., dub.* 5.

6. Sacerdos Carolus Sansone per Summum Pontificem facultatem in Bellæ suæ patriæ oppido quinque fere capitibus millibus referto medicinam profitendi, nulla etiam a sponte dantibus accepta mercede, consecutus est. Post 25 annorum spatium Romano Pontifici supplicavit, ut ex causa tenuitatis sui patrimonii, et angustiæ rei familiaris sui fratris, qui uxorem habebat, et sororis viduæ, posset mercedem aliquam etiam a sponte dantibus accipere. Gratiam obtinuit; sed aliis duobus refragantibus medicis, fuit a S. C. coactus, ut jura sua deduceret, neque interim medicinam exerceret. Populus ab hoc rescripto commotus proponi curavit; num ille posset artis medicæ exercitium facere, mercedemque a sponte dantibus percipere et posse responsum retulit : *Murana*, 21 *julii* 1759.

7. S. C. concessit indulti prorogationem ad annum canonico Bernardo evangelistæ perspecta pecunia medicorum exercendi artem medicam in civitate S. Germani ; quum esset in ea arte satis versatus, nec intermittit ecclesiæ servitium, chorique frequentiam : *Nullius Montis Cassini*, 17 *decemb.* 1761, *dub.* 3. Iterum prorogatur indultum præfatum ad triennium non accepta mercede etiam a sponte dantibus : 2 *junii* 1764.

Aspersio aquæ lustralis. Vide *Benedictiones*, etc.

Aspersio cadaverum. Vide *Cadaver*, § I.

Artium universitas. Vide *Universitas artium*.

Assessor. Vide *Judex.*

ejus arbitrio duraturam, et lucra exinde retrahenda in beneficium ecclesiarum, et sacrariorum, unius cujusque eorum domus, monasterii, aut conventus simili modo erogent, et ita prohiberi, servari, et respective exequi omnino mandavit sub pœnis, ut supra expressis. Hanc resolutionem specifice, et expresse confirmavit Bened. XIV, Pont. Max., motu proprio *Essendo noi* 14 nov. 1740, ut in Const. 6, tom. 1. *Bull. ejusd. Pont.*, et in *ead. caus.* 4 *junii* 1768, § 15 et seq. Et antea Innoc. XII, Const. *Alias*, 29 *julii* 1700. (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 347) confirmaverat decretum S. C. visitationis 15 maii 1690 in *causa Romana* pro collegio aromatariorum contra religiosos aromatariam exercentes, hisce verbis : « Servetur decretum S. Visitationis anni 1662, nempe licere regularibus utriusque sexus retinere aromatariam intra claustra monasterii pro religiosis pauperibus, et benefactoribus dumtaxat, quibus gratis medicamenta suppeditari debeant juxta Barchinonen. coram Caccia ; secus vero illa vendere secularibus, et aliis personis ecclesiasticis exceptis theriaca, et jacyntho, et aliis vulgo nuncupatis *chimice*, dummodo tamen non sint præparata, non composita, neque admixta cum aliis speciebus medicaminum ad usum portionis, vel alterius medicamenti confecti cum receptis medicorum. »

[247] Ad tria vero antecedentia dubia S. C. noluit respondere, eo quod rem pure medicam concernebant : Ursaya *Inst. Crim.* lib. 1, tit. 10, § 6, num. 99. Illa conditionalia verba, quæ in omnibus litteris dispensationum inscribuntur ; medicinam scilicet exercendi *absque incisione, et adustione*, desumpta sunt ex decretali Innoc. III, in cap. *Sententiam, ne Clerici, vel Monachi*. Et hujusmodi facultates tributæ regularibus missionariis habent providas sequentes conditiones ad formam decreti Congregationis de propaganda Fide. « Ut scilicet missionarius sit in arte medicinæ peritus ; ut eam gratis exerceat ; ut absque incisione, et adustione operetur ; ut in loco, ubi missionarius degit, non sint medici, et chirurgi laici, vel sint hæretici, aut hæbrei. » Vide Bened. XIV. *De Synod. diœces.* lib. 13, cap. 10, num. 7 et 8.

ASSIGNATIO.

Assignatio quibus, de quibus, et quomodo facienda sit?

1. Marchio Vincentius Justinianus ex insula Chios in supremis tabulis conditis de anno 1631, præordinato opulenti multiplico scut. centum millium, ejusdem proventus ita annuatim distribui mandavit, ut pro medietate cum aliis scutis centum perpetuo collocarentur in locis montium; tertia pars alterius medietatis in beneficium, et honorem Januensis reipublicæ pro arbitrio congregationis Justinianæ gentis Januæ erogaretur; et de aliis dictæ medietatis partibus pro sublevanda nobilium dictæ familiæ, qui contra hæreticos, aut infideles pugnarent, vel studiis in collegiis præsertim Urbis incumberent, paupertate disposuit; cum facultate etiam Prælatis menstruum subsidium scut. 50 elargiendi, ac familiæ egenis juxta temporis opportunitatem auxilium præbendi. Hinc complures ex eadem familia voti compotes facti fuerunt. Nunc Hippolyta mater, Laurentius, et Vincentius filii nobiles ex ipsa familia, ac Januenses bonis fortunæ spoliati congruum sibi postulant subsidium in S. C., quæ esse suppetias, ut ceteris nobilibus de familia Justiniana Januæ degentibus, subministrandas rescripsit: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 30 *aug.* 1704, confirmata addendo: *Aucta tamen assignatione in menstruis scut.* 10 *unicuique ex supplicantibus:* 19 *nov. ejusd anni.* Deinde quoad tempus assignationis S. C. requisita distulit resolutionem, subministratis aliis scutis 50 in causam declarandam: 25 *januar.* 1705. Et stetit in secundo loco decisis, et præcepit faciendam esse præstationem a die 19 novem. 1704, 8 *aug. ejusd. anni* confirmata 21 *april.* 1708. Postmodum instante altero filio dictæ Hippolytæ Paulo, qui in tribunali Rotæ succubuit; propositis dubiis; an præfata decreta S. C. emanata in favorem Hippolytæ, et filiorum Laurentii, et Vincentii edita fuerint ex justitia, an ex gratia? Et an eadem gratia dignus sit orator? S. C. rescripsit D. secretario cum Sanctissimo juxta mentem: 17 *junii* 1713, *dub.* 1 *et* 2.

2. Nuper Joan. Antonius Justinianus ex insula Chios litterarum studia in Urbe prosequens ex multiplico marchionis Vincentii Justiniani adjumentum aliquod implorat. Sed S. C. eam denegavit, addendo, ut experiantur prætensa jura suis loco, et tempore: *Romana seu Januen.*, *Legati*, 9 *sept.* 1713. Deinde mandat, ut concordetur factum coram D. secretario: 11 *sept.* 1717, ac ejusdem oratoris nobilitate, ac descendentia vindicata S. C. recedendum esse censuit a decisis, et danda Joanni Antonio scut. 10 menstrua: 9 april. 1718 confirmata cum additione alimenta deberi a die 9 april. 1718, quum subsidium hoc loco alimentorum cedat: 11 *junii ejusd. anni.*

3. Nobiles Justinianæ Chienses puellæ Appollonia Pauli et Palma Thomæ defunctorum filiæ summa pressæ adjumentum in scutis 20 menstruis ex multiplico marchionis Vincentii postularunt; et S. C. pro scutis 10 menstruis pro qualibet ex oratricibus annuit: *Romana seu Januen.*, *Legati*, 13 *martii* 1717.

4. Maria, et Paulina Justinianæ natæ in insula Chios, filiæ Simonis Petri Justiniani albo nobilium Januæ adscripti, ab insula prædicta extorres, et profugæ a Turcarum immanitate, patria, laribus, fortunisque omnibus derelictis a S. C. petunt subsidium scut. 20 pro qualibet mensuatim. At S. C. ex legato marchionis Vincentii tantum scuta menstrua 10 pro qualibet assignavit: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 13 *martii* 1717.

5. Expostulata attributione in scut. 25 menstruis ex multiplico Vincentii marchionis Justiniani ab Ignatio Justiniano nobili Januensi, et dum Januæ degebat, ut in trimeribus Pontificiis contra Turcas juxta testatoris præceptum militare valeat, S. C. annuit durante præsenti bello a die, quo ad expeditionem actualem contra Turcas accedet, et dummodo ibi permaneat etiam tempore hyberno: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 5 *junii* 1717.

6. Nobili Marulu Justinianæ, et viduæ comitis Jacobi Balsarini expulsæ prius ab insula Chios ejus patria, novissime e regno Peloponnensi ad Urbem pervenientes bonis fortunæ spoliatæ S. C. subministrari debere decrevit menstrua scut. 10, ex legato marchionis Vincentii Justiniani: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 10 *julii* 1717.

7. Hieronyma Dandoria vidua Pauli Justiniani Chiensis, et sacerdos Joannes Baptista Justinianus dictorum conjugum filius exorant pro menstrua assignatione scut. 10 pro quolibet ex legato marchionis Vincentii Justiniani, ad ejus communicationem admissæ eorum filiæ fuerunt. Sed preces viduæ prædictæ in irritum abierunt; et Joan. Baptistæ scut. 10 menstrua ex eodem legato assignavit S. C.: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 10 *julii* 1717.

8. Quum efflagitasset Xaverius Justitianus, et

Franciscus, ac Pantaleon ejus ex fratre nepotes aliquod congruum auxilium ex marchionis Vincentii Justiniani legato; S. C. rescripsit, ut coadjuventur probationes, et testes formaliter examinentur; etiamsi filium Leonis Justiniani, ac ipsius ascendentiam probasset: *Romana, seu Januen.*, 11 *dec.* 1717. Deinde iterum, ut examinentur formaliter testes Romæ existentes, et interim per modum provisionis, et sine præjudicio jurium ambarum partium subministrentur oratoribus scut. 50 pro expensis examinis, et alia scut. 30 pro alimentis, voluit: 7 *maii* 1718.

9. Ignatius Marincola hæredem sibi fecit Bernardum Marincolam ex fratre pro-nepotem, ab eoque singulis annis quingentos dari mandavit ducatos pro decem subsidiis dotalibus puellis civitatis Catacensis, et locorum Borgiæ, S. Flori,Selliæ, et Stalletti. De Cæsare Marincola æquali consanguinitatis sibi conjuncto, testatorique valde cognito, nullum in testamento protulit verbum. Attamen hic septem filiorum numero gravatus, tenuique ac ad parce vivendum non sufficienti patrimonio dotatus, supplicavit, ut ex his dotalibus subsidiis aliqua sibi, reique domesticæ fieret assignatio; sed obtinere id non valuit: *Catacen., Commutationis voluntatis*, 18 *nov.* 1719.

10. Quum Thomas, et Marietta conjuges de Justinianis Chienses consanguinitate, ac respective affinitate in primo, et secundo gradu non Xaverio Pantaleone, et Francisco de Justinianis conjuncti essent, postularunt aliquod subsidium pro se, suaque familia alenda ex celebri multiplico marchionis Vincentii Justiniani, responsum retulerunt: Dilata, et ut scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem [248], et deputentur a Card. præfecto ratiocinatores pro revisione multiplici, et iterum consignentur Thomæ scut. 60 in causam declarandam: *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 31 *maii* 1721. Exhinc S. C. assignationem summæ scut. 15 mensuatim tam in favorem Thomæ, et Mariettæ, quam in favorem filiarum, quæ e monasterio S. Laurentii in Perpenna educantur, indulsit: 7 *februar.* 1722, *dub.* 1.

11. Appollonia quoque Justiniani similem exhibuit postulationem, ut ad eamdem legati marchionis Vincentii communicationem admitteretur, tum paupertatem, tum consanguinitatem, quum esset soror Joannis Antonii ad subsidium admissa, allegans; et S. C. eidem auxilium in scut. 6 mensuatim concessit: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 6 *junii* 1725.

12. Alexander Zuccolius e civitate Mutinæ hæredem usufructuariam uxorem suam scribens, voluit, ut post obitum istius bona omnia exequutores venderent, et ex pretio tot Missas pro sua anima celebrari curarent. Ex fratre nepos Joseph Zuccoli, in cujus favorem nil ille disposuit, Clementem XI, Pont. Max., precatus est pro aliqua assignatione sibi ex bonis a patruo relictis facienda. Ordinarius referebat Josephum esse nobilem, et egestate laborantem, ac cum filiorum onere; et nonnisi 71 scutorum fructus habere annuos. Referebat ulterius totum testatoris assem in Missas erogaturum ad 7,121 scuta ascendere. Josephi petitioni refragabatur Joanna usufructuaria. Discusso jure, nil habuit nepos ex hæreditate patrui: *Mutinen.*, 13 *junii* 1722.

13. Margarita Justiniana in insula Chiensi nata et comiti Micolao domestici nupta Venetiis cum viro commoratur, ac octo liberos habens in maxima inopia est constituta; postulat hinc alicujus menstruæ summæ ex celebri legati marchionis Vincentii Justiniani attributionem; et S. C. distulit resolutionem, imperavitque, ut scribatur Cardin. Archiepiscopo Januensi an Januæ fiat distributio legati fœminis Justinianis in aliena familia nuptis: *Venetiarum, seu Januen*, *Legati*, 22 *sept.* 1725. Deinde ad tramites Archiepiscopi relationis, negativum præbuit responsum: 23 *febr.* 1726.

14. Cajetanus *la Russa* hæredem sibi scripsit montem-pietatis urbis Catacensis, imposito inter cetera onere solvendi duabus filiabus Ignatii Paladini suis neptibus, quæ in monasterio S. Claræ educationis causa morantur, summam ducatorum 300 pro qualibet pro expensis, quibus in professione indigerent. Legatum hoc sufficit quidem pro dote monasterio solvenda, sed non est satis pro expensis in vestitione necessariis, et in annui livelli constitutione. Qua de re exoratum fuit, ut aliqua fieret in favorem Ignatii Paladini nobilis et pauperis, ex hæreditate Cajetani la Russa suppeditatio, sed servari mentem testatoris S. C. rescripsit: *Catacen.*, 13 *april.* 1726.

15. Angela Magdalena Massetti uxor advocati Horatii Postumi in paupertatem extremam prolapsa

[248] Juxta calculum enim familiæ Justinianæ Januæ prætendebatur, quod Justiniani Chienses admissi ad perceptionem legati essent quatuordecim, et haberent scuta 10 pro unoquoque quolibet mense, et quod e contra Justiniani Januenses essent septuaginta quatuor, et quod unusquisque ex eis non haberet ex multiplico quolibet anno, nisi scut. 9 ob. 96. Porro instructio transmissa ad Card. Archiepiscopum Januæ, ad hæc sequentia capita fuit reducta, ut ipse videlicet informare dignaretur circa numerum Justinianorum, qui in urbe Januæ de legato marchionis Vincentii participant. Item circa eorum qualitatem, an scilicet revera sint pauperes, et quo paupertatis genere, et demum circa modum quo fit distributio, an fiat nempe pro unaquaque familia, vel singulis personis familiarum: *Ead. causa*, 20 *dec.* 1721, § 3 et 4.

et testatoris Raymundi Massetti germana soror, expetivit hæreditatis proventus, se offerens sumere sibi onus 50 Missarum, ac præstationes duabus puellis solvendas. At audiri non valuit. Interim una ex duabus annuis præstationibus vacavit, et ad ejusdem Angelæ preces S. C. respondit : Consulendum Sanctissimum pro assignatione subsidii vacantis Angelæ Magdalenæ, ejus vita naturali durante, necnon alterius quando ipsa superstite, vacaverit : *Romana, Commutationis voluntatis*, 12 *febr.* 1735, confirmata 26 *martii ejusd. anni.*

16. Quum poposcissent a gubernatoribus familiæ Justiniani, et administratoribus multiplici marchionis Vincentii Justiniani Franciscus, Augustinus, ac monialis Maria Altomira, in seculo Joanna, Justitiani congruam eis aliquam summam assignari, ac repulsam passi essent, ad S. C. confugerunt, ubi descendentiæ documenta, licet in insula Tabarca moram trahant, exhibuerunt ; sed S. C. *ex hactenus deductis* negativum dedit responsum : *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 2 *dec.* 1741, confirmata cum eadem clausula 16 *januar.* 1745, 28 *januar.* 1747.

17. Subsidium indultum jam ex legato marchionis Vincentii Justiniani non deberi ampliari Francisco Mariæ, et Isabellæ de Justinianis a die eorum nativitatis resolvit S. C. : *Romana, seu Januen.*, *Legati*, 7 *april.* 1742.

18. Præstationem factam Paulo Justitiano pro suæ familiæ decore, ac splendore in scut. 10 mensuatim ex eodem legato marchionis Vincentii non esse consignandam hæredibus Batelli, veluti improvide ab eodem Paulo an illum translatam, sancitum fuit : *Romana, seu Januen.*, *Assignamenti*, 5 *maii* 1742, confirmata 11 *julii* 1750.

19. Auxilium annui scut. 22 pro livello, et parapherni expensis Mariæ Attiliæ Franciscæ Paluzzi ex dotibus relictis a Raymundo Innocentio Massetti sui proavi S. C. denegavit. Nam licet angustia rei familiaris urgeret, tamen bis dotale subsidium dicti testatoris obtinuerat : *Romana, Subsidii dotalis*, 26 *martii* 1746, *dub.* 2, confirmata 17 *septemb. ejusd. anni.*

20. Invenerat militare officium *di Alfiere supranumerario della Piazza, e Presidio di Civita-Vecchia* Franciscus Justinianus, quando annua præstatio ex legato Silvani Justiniani causa studiorum impertita cessaverat. Hinc preces obtulit pro menstruo auxilio ex cognitissimo multiplico marchionis Vincentii, ut impensas subire possit, sed incassum pro nunc. Nam verba dispositionis adversantur : *Romana seu Januen.*, *Legati*, 20 *decem.* 1739, *dub.* 1. Inde recessit a decisis juxta modum [249] : 9 *maii* 1750, confirmata 27 *martii* 1751.

21. Maria ex familia Justiniana in statu virginali ad communicationem legati marchionis Vincentii pro menstrua summa scut. 5 admissa eodem auxilio in casu, de quo agitur, etiam post nuptias cum Josepho Possenti Fabrianensi contractas gaudere debet. Nam Maria nullam in indulto pontificio conditionem status adesse contendit : *Romana seu Fabrianen.*, *Legati*, 7 *junii* 1755.

22. Quædam mulier Margarita Paglicci nomine, piam erigendam domum, quam duodecim puellæ incolerent, cogitavit. Ut id perficeret, aliorum bona pio oneri instituendo subjicere existimavit ; hinc imploravit, ut bona sodalitii SS. Rochi et Sebastiani piæ erigendæ domui addicerentur, quum ea in epulas sodales inter se discordes insumere diceret. In jus eam vocarunt sodales, hac inusti nota, sed non comparuit. Decidi tamen sibi curarunt, haud esse locum attributioni fructuum, et proventuum societatis in favorem piæ domus, seu pro manutentione duodecim puellarum in aliquo conservatorio, seu monasterio : *Pisauren.*, 30 *junii* 1759.

23. Locus est præstationi pro scut. 40 pro quolibet anno in favorem Rosæ Christianæ Stamdini ex annuis reditibus hæreditatis Flaviæ Bertolelli, quæ pie disposuit in favorem pauperum mulierum. Est enim Rosa egena, ætate senili, ac sanguine testatrici conjuncta : *Bononien.*, *Assignamenti*, 21 *junii* 1760, confirmata 20 *dec. ejusd. anni.*

24. Assignationis augmentum usque ad scuta 7 pro quolibet mense in favorem Isabellæ Justiniani donatum fuit. Hæc enim causa educationis in monasterio S. Luciæ in Silice moratur, et summam ex legato marchionis Vincentii pro subsidiis dotalibus relicto scut. 5 obtinuerat ; ita ut ei deficiebat quidquid pro vestibus, famulatu, decentia familiæ juxta testatoris mentem est necessarium : *Romana seu Januen.*, *Assignamenti*, 28 *febr.* 1761.

25. Petrus Dominicus Chiappolinius masculina linea penitus extincta mandavit, ut hæreditas ad venerabilem pauperum infirmorum societatem devolveretur, ad hoc ut nobilibus Forosemproniensibus angustia rei familiaris laborantibus, et familia onustis elargiretur stipes. Sola adest modo Smeragda, quæ usum fructuum, quem puellis nobilibus testator destinaverat, sibi ad vitam assignandum postulavit, et obtinuit pro medietate redituum ad decennium, injuncto onere piarum precum ad formam testamenti : *Forosempronien.*, 23 *martii* 1765.

26. Franciscus Lacoma unicus legati pii a sa-

[249] Et modus est, ut durante cursu tryremium subministrentur scuta quindecim menstrua, altera scuta quinque ; et quoad primas expensas, nihil : *Ead. causa*, 9 *maii* 1750.

cerdote Francisco Anglada fundati, ad hoc ut administratorum arbitrio distribuerentur dotes patronus supplicavit, ut ex redditibus causæ piæ congruum duarum filiarum in Domino jam nuptarum vitalitium assignaretur. Gravatus est numerosa prole orator, inopia laborat, et unicus est hodie patronus et administrator dotium. Ex æquitate itaque filiabus suis subveniendum rogitat; sed frustra : *Barchinonen.*, 16 *dec.* 1769.

27. Assignationem annuam in scutis 18 detrahendam ex subsidiis dotalibus non ex eleemosynis pauperibus distribuendis, ac ex dote annua pro nobili puella Ariminensi relicta a testatore Marco Aurelio Gisgionio, cum prælatione in omnibus consanguineorum, S. C. in favorem Nicolai de Alexandris cum testatore sanguine conjuncti præstari putavit : *Urbinaten. seu Ariminen.*, 9 *julii* 1774.

28. Et quum Marianus etiam consanguineus de Alexandris nihil assequutus fuisset, iterum preces exhibuit; sed minime fuit auditus. Nam de ejusdem paupertate satis non constabat : *Ead. causa, 7 junii* 1777. Tandem assignationem annuam consequutus est in scutis 18 ex ipso pio legato; quum pauperior effectus, ac senesceret, malisque laboraret : 11 *martii* 1786.

29. Legatum, quod fratribus de Artusinis in testamento dederat pœnitens testator Marcus Antonius Curroli Cavina in codicillis ademit, servato jure puellis ab iis descendentibus ad dotes obtinendas. Frater idem Artusinus de Artusinis a Summo Pontifice adeptus est, sibi ob angustiam rei familiaris subministrari annua scuta quinquaginta ex fructibus tantum superextantibus. Societas S. Gregorii voluntatis exequutrix attributionem hanc impugnat, tamquam voluntati testatoris contrariam, et obreptitie obtentam. Hinc causa utrinque examinata, gratiæ locum haud esse, facto verbo cum Sanctissimo S. C. resolvit : *Faventina*, *Commutationis voluntatis*, 30 *maii* 1778.

30. Ex legato pio subsidiorum dotalium, quæ reliquit Marcus Aurelius Gisconius, attributio facta fuit in favorem Gertrudis de Alexandris in scut. 18 facto verbo cum Sanctissimo; nam satis de conjunctione sanguinis, ac paupertate constabat : *Urbinaten. seu Ariminen.*, 7 *febr.* 1784.

31. Reliquit pium legatum dotium Antonius Pelucchi. Ex hoc Margarita Pacini cum filiis testatoris consanguinea, necnon monialis ejus filia, ac Anna Pacini soror Margaritæ assignationem assequutæ sunt. Anna Maria Pacini del Drago tantum ex hisce subsidiis licet sit altera ex filiabus Margaritæ, eo quod veluti nuptam mater prætermisit, exclusa fuit. Hæc miseriis pressa participare de annuo subsidio scut. 50 exorat; sed incassum : *Romana, 7 febr.* 1789, *dub.* 1.

32. Ex notissimo legato marchionis Vincentii Justiniani jam obtinuerat Franciscus Justiniani locum tenens in præsidio Centumcellarum attributionem, etsi non militaret contra fideles, contra quos in militantium favorem testator disposuerat; hinc S. C. exoravit Antonius Justiniani Francisci filius, sed denegata eidem fuit petita summa scut. 25 ob insufficientiam etiam redituum; licet sit ille supranumerarius pontificiarum triremium signifer, ac per nonnullos per menses militaverit : *Romana seu Chien.*, *Legati*, 7 *maii* 1791, *dub.* 1, confirmata 27 *aug. ejusd. anni.*

Reliqua. Vide *Applicatio*, § I; *Bona ecclesiastica*, § II.

ASSOCIATIO. Vide *Cadaver*, § III; *Sacramentum Eucharistiæ*, § III.

ATTENTATA.

Attentata quando, et quomodo dicantur commissa, et quando revocanda, et purganda sint.

1. Causa unionis vicariæ perpetuæ certæ præbendæ canonicali peractæ capitulum reclamavit appellatione interjecta, quæ in devolutiva fuit admissa; hujus rei causa Episcopus frumentum existentem in horreo capituli pro complenda congrua vicarii sequestro posuit. Iterumque capitulum a sequestro appellavit, et capitulares sequestro non considerato frumentum diviserunt. Episcopus excommunicatos illos declaravit, ac inde in S. C. quæsitum fuit; an constaret de attentatis; ita ut censuræ sustineantur? et non constare responsum est : *Isernien.*, *Vicariæ*, 20 *april.* 1697, *dub.* 1.

2. Decretum, seu sententia lata a Metropolitano Aquileiense, qua omnia revocavit per Episcopum Comensem gesta contra sacerdotem Gatti, non obstante appellatione interposita, quæ nulla, ac attentata fuerint declarata, sustinetur : *Comen.*, *Irregularitatis et gravaminum,* 9 *sept.* 1702, *dub.* 4, confirmata 1 *martii* 1704.

3. Decisione cujusdam controversiæ pendente ab oraculo S. C. Concilii, Episcopus existimans interdictam sibi non esse possessionis perpetuitatem compellendi simplices sacerdotes diebus festivis ad

ecclesiæ cathedralis servitium, plures ex eis suspendit. His instantibus S. C. acta per Episcopum gesta attentata fuisse resolvit : *Trojana*, *Servitii*, 20 *sept.* 1704, *dub.* 2.

4. Acta quomodolibet adversus sodales, et priores oratorii S. Jacobi juxta oppidum Borzonaschæ facta per Episcopum Bobiensem, qui prohibuit sub pœna interdicti structuram novi ædificii turris sacræ, quam ædificare illi volebant, quum recursum habuerint confratres ad Archiepiscopum Januensem existimantes oratorium in ejus jurisdictione esse situm. S. C., Episcopo Bobiensi adjudicata jurisdictione, sustineri, et illos qui censuras incurrerunt, plane ad eumdem Episcopum pro absolutione adire debere declaravit : *Januen. seu Bobien.*, *Jurisdictionis*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 2. Causa inde reproposita, respondit : Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem Card. Præfecti : 5 *julii* 1710.

5. Resolutione emanata a S. C. die 19 junii 1660, quod nempe, jus visitandi ecclesias, ac oppidi Cerignolæ in Apulia nullius diœcesis personas ex cap. 9, sess. 24, *de Reform.*, Episcopo Minerbiensi competeret, hic inde conquestus est de archipresbytero Cerignolæ, quod nonnullos subditos ordinandos dimiserit eidem Episcopo cum dimissorialibus absque testimonialibus, quos a se rejectos archipresbyter cum eisdem dimissorialibus non dubitavit ad Episcopum Asculanum, a quo fuerunt ordinati, dimittere. Idcirco S. C. quæsita de attentatis num constaret ? et de eis non constare respondit sub die 30 maii 1699, confirmavitque in *Nullius seu Minerbien.*, *Concordiæ*, 1 *junii* 1709, *dub.* 2.

6. De attentatis non constare S. C. declaravit ob sepulturam cadaveri Joannis Pozzuoli in ecclesia parochiali S. Geminiani civitatis Laudæ datam. Nam patres curarunt exequutionem indulti Innocentii XI, non admittendi parochos in eorum ecclesia, cum stola, et cruce, minusque ut ab eis detur cadaveri ultimum vale : *Lauden.*, *Funerum*, 2 *maii* 1711, *dub.* 6 [250].

7. Non constare censuit S. C. de attentatis ; idcirco acta, non obstante tribunalis AC. inhibitione super observantia bullæ Sixtianæ unionis duarum cathedralium obtenta a communitate Tolentina, gesta per Episcopum Maceratensem et Tolentinum, qui causas Tolentinæ diœcesis advocavit, dum in civitate, et diœcesi Maceratensi resideat, circumscribenda non sunt : *Tolentina*, *Recursus*, 5 *sept.* 1711, *dub.* 2.

8. Abbas S. Mariæ de Salzedas sub obtentu territorii separati synodum diœcesanam cogere, et publicare, ac summo jure ordinario uti curat ; etiamsi eumdem non habere facultatem litteras dimissoriales suis subditis concedendi S. C. decreverit ; hinc exhibitis querelis, hæc de attentatis haud constare resolvit : *Lamacen.*, *Jurisdictionis*, 16 *dec.* 1713, *dub.* 2.

9. Quum in congregatione diei 24 sept. 1712 favorabile reportaverint oraculum presbyteri participantes, quod onus Missæ conventualis canonicis tantum incumberet ; quodque communeriæ rationes Episcopo reddendæ sint cum assistentia deputatorum, qui ab ipsis presbyteris designandi sunt, tamen prodiit in choro tabella quædam, qua certis designatis diebus Missæ conventualis injungitur dictis presbyteris celebratio ; rursus in rationis redditione reditus communeriæ admissi deputati presbyterorum haud fuerunt ; hinc S. C. constare de attentatis in spretum decretorum S. C. quoad affixionem tabellæ circa Missam conventualem, et redditionem rationis tantum decernit : *Squillacen.*, *Attentatorum et Missæ conventualis*, 17 *martii* 1714, *dub.* 1.

10. Et quoad purgationem eorumdem, eam faciendam esse per viam nullitatis tantum, definivit : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Episcopus Minerbiensis prævia intimatione ad visitationem processit oppidi Cerignolæ in Apulia. Hoc oppidum archipresbyter, ac capitulum ecclesiæ collegiatæ ejusdem esse exemptum, et separatum territorium habere prætendit. Hinc Episcopus fores matricis ecclesiæ occlusas, quas aperire nequivit, invenit, qua de causa anathemate capitulum, et clerum, et ecclesiam interdicto subjecit. Ad S. C. recursum habuit jam archipresbyter ; inde quæsivit, an constaret de attentatis ; ita ut acta per Episcopum sint circumscribenda ? respondit : Dilata, non retardata interim visitatione per Episcopum Minerbiensem jure delegato sine præjudicio jurium partium, tam in petitorio, quam in possessorio : *Nullius seu Minerbien.*, *Jurisdictionis et attentatorum*, 1 *junii* 1715. *dub.* 1. Inde negativum præbuit responsum : 16 *nov. ejusd. anni.*

12. Clerus ecclesiæ S. Petri oppidi Vasti Archiepiscopum Theatinum in attentatis incidisse deducit, eo quia pendente controversia in S. C. sub pœnarum comminatione coegerit clerum prædictum sibi obedientiam præstare in ecclesia S. Mariæ ; quamvis sacr. visitationem neque tunc perageret, neque consuetis, et opportunis assistentibus ad visitationem comitatus esset. Desuper S. C. interrogata est ; quæ sancivit de attentatis constare, ac purganda

[250] Rationes in favorem patrum prædictorum sustinuit in hac causa advocatus Dominicus Ursaya, cujus jura habemus *in Discep. Eccl. XIV et seqq.* tom. 1, part. 2, per tot.

esse, necnon amovendum esse lapidem, quem clerus S. Mariæ in ejus ecclesia apposuerat, ibique inscripserat dubia, ac resolutiones S. C. anni 1704 superaddita denominatione matricis : *Theatina, Præstationis obedientiæ,* 10 *april.* 1717, *dub.* 3.

13. Pendente de punctaturis causa in S. C. a canonico Gagliardi ecclesiæ collegiatæ Sinalongæ promota et ejus prosequutionem negligente, Episcopus sequestro supposuit fructus præbendæ dicti canonici designato depositario ad illos consignandos ad omne S. C. mandatum. Actum fuit propterea de attentatis, de quibus non constare S C. constituit : *Pientina, Distributionum et Missarum,* 15 *maii* 1717, *dub.* 2.

14. Ab archipresbytero, et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Paganica civitatis Aquilæ nonnullæ constitutiones editæ fuerunt, et a vicario apostolico approbata. Beneficiati sibi has graves esse contendentes ad Episcopum per compromissum recursum habuerunt. Hic laudum pronunciavit, et contra laudi transgressores pœnam imposuit. Canonici duo laudum observare detrectantes interdicti ab exercitio divinorum fuerunt. Quæsitum hinc fuit ; an constaret de attentatis, et an censuræ, et interdictum sustineretur ? et responsum fuit : Dilata, et Card. Ptolomæus dignetur rem perpendere, reservatis attentatis in fine litis, et suspensis censuris, et interdicto usque ad exitum causæ, et cum facultate capiendi quamcumque provisionem : *Aquilana,* 18 *april.* 1722, *dub.* 3 *et* 4.

15. Attentata sunt patrata a Cajetano de Leto, quia possessionem cepit bonorum post exhibitionem personalis citationis auditoris Sanctissimi ; ac purgantur cum circumscriptione omnium actorum post dictæ citationis præsentationem : *Neapolitana seu Caven.,* 15 *januar.* 1725, *dub.* 2.

16. Latæ censuræ a curia archiepiscopali Neapolitana contra rectorem ecclesiæ S. Angeli ad Nidum, qui cum suo clero ad interessendum supplicationi indictæ post obitum Innocentii XIII, Pont. Max., causa auxilium divinum implorandi in Summi Pontificis electione se exemit, non sunt attentata : *Neapolitana,* 24 *martii* 1725, *dub.* 2, confirmata 21 *julii* 1742, *dub.* 3.

17. De attentatis constare S. C. sancivit, ex eo quia commendatarius, et fratres capellani conventus SS. Joan. et Cordulæ religionis Hierosolymitanæ admiserunt novitium, qui traditis litteris dimissorialibus tanquam professus fuit ordinatus titulo mensæ, sive domus prioralis cameræ, dicti conventus, absque consensu, imo cum inhibitione magni prioris Alemanniæ cui illa commenda, sive conventus est subjectus, ac cum demandato auditoris Sanctissimi, ne memoratus novitius ordinaretur titulo paupertatis, et mensæ conventualis : *Colonien.,* 22 *sept.* 1725, confirmata cum additione ad mentem : 17 *april.,* 19 *junii* 1728, *dub.* 3.

18. Necnon sunt purganda juxta instructionem[251] ad nuntium Coloniensem dirigendam : *Ibid.,* confirmata, *ibid.*

19. Constat de attentatis quoad chorum. et quoad archipresbyterum collegiatæ ecclesiæ oppidi Pontis Curoni. Primus habuit recursum ad judices laicos causa impediendi curiæ archiepiscopalis sententias ; secundus acta gessit post denunciationem brevis a clero obtenti a Sede Apostolica simplicis appellationis, et non obstante protestatione nullitatis, et attentatorum propter appellationem per breve commissam : *Derthonen.,* 6 *julii* 1726, *dub.* 1, confirmata 28 *sept. ejusd. anni.*

20. Necnon sunt in clerum ; ita ut archiepiscopus procedat prout de jure ; in archipresbyterum cum circumscriptione omnium actorum, quæ post brevis intimationem cum omnibus inde sequutis gessit : *Ibid.,* confirmata *ibid.*

21. Attentata purgari debent, quum a curia episcopali Calaguritana nonnulla gesta fuerint circa provisiones beneficiorum villæ Manrique contra præscriptum S. C.; et pro hujusmodi effectu provisiones factas circumscribendas esse, et indicendum coram Ordinario concursum ad formam resolutionis S. C. definitur : *Calaguritana,* 27 *julii* 1726, confirmata 7 *junii* 1727, et 2 *julii* 1729, *dub.* 1.

22. Patribus Carmelitis calceatis renuentibus exedras ad confessiones excipiendas in eorum ecclesia S. Mariæ de Albiano removere archipresbyter S. Petri Pontis Nurii ab Episcopo delegatus ad visitationem peragendam ecclesiam illam interdixit. Et per duos annos tanquam interdicta habita fuit. Inde nulla prævia licentia patres ipsi festum S. Firmi, aliasque festivitates in ea expleverunt; proindeque de attentatis fuit dubitatum. Sed S. C. non fuisse eadem attentata resolvit : *Placentina,* 15 *aug.* 1726, *dub.* 3, confirmata 2 *januar.* 1727.

23. Majoricensis Episcopus ad taxam beneficiorum in favorem seminarii inter cetera subjecit quatuor beneficia unita, et annexa monasterio patrum

[251] Instructio fuit, ut prædictus nuntius nomine S. C. suspenderet ab exercitio sacrorum ordinum Joannem Henricum sub pœna irregularitatis contrahendæ in casu contraventionis, necnon voce activa, et passiva, quam uti assertus professus in conventu, seu commenda sanctorum Joannis, et Cordulæ, sibi poterat asserere, et quod etiam suspenderet commendatarium, sive gubernatorem, et rectorem commendæ ab officio, et alium in ejus locum substitueret : *Ead. causa,* 17 *april* 1728, § 3.

Carthusianorum Vallis de Mossa. Primo anno patres persolverunt, sed mota lite coram Gentili AC, et ab ipso prolata sententia, quæ monasterium, et beneficia unita eximebat a contributione, causa delata fuit in S. C., et a patribus interim exacta fuit solita contributio. Quum hinc quæsitum esset; utrum constaret de attentatis per ipsam exactionem prætensis? responsum prodiit, ut scriberetur juxta instructionem : *Majoricen.*, 10 *maii* 1727, *dub.* 1.

24. Non constare de attentatis S. C resolvit, eo quod Episcopus capellam in ecclesia PP. Minorum Conventualium terræ Montis Leonis sitam, visitaverit; ubi pia societas, seu cœtus mulierum absque sacco certas regulas, ac statuta habens erecta est : *Spoletana, Jurisvisitandi,* 30 *sept.* 1730, *dub.* 3.

25. Arbitrata est S. C. haud esse attentata in carcerem traditionem ab Episcopo Capritano suffraganeo demandatam quorumdam sacerdotum, qui obtenta a curia metropolitana Amalphis absolutione a suspensione lata ab Episcopo ex causis sibi notis, et ex informata conscientia, alteri quam Episcopo commissa, publice celebraverant : *Capritana,* 16 *dec.* 1780, *dub.* 4.

26. Ita quoque quum non licuerit eidem curiæ metropolitanæ eosdem sacerdotes e carceribus liberare, attentata fuit demandata a curia præfata eorum liberatio : *Ibid.*, *dub.* 5.

27. Ac purganda sunt, ita ut vicarius generalis Amalphitanus, cui exequutio commissa fuit, accedat ad urbem : *Ibid.*

28. De attentatis commissis a parocho ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ terræ Barutii constat; quum functiones, et jura parochorum S. Antonii, et S. Martini in eorum ecclesiis perturbaverit; ac proinde purganda sunt, per viam circumscriptionis : *Aquen.*, *Præeminentiarium et jurium parochialium*, 8 *martii* 1732, *dub.* 10.

29. S. C. requisita quum esset, an constet de attentatis, et quomodo purganda sint, quoad jurisdictionem oratorii publici villæ Trini intra limites parochialis ecclesiæ S. Laurentii terræ Accumuli siti, de qua contendunt parochus dictæ ecclesiæ et capellanus seu rector ejusdem oratorii, respondit; arbitrio Card. Præfecti et scribatur, juxta mentem [258] : *Asculana, Jurium, et Functionum parochialium,* 29 *april.* 1733, *dub.* 6.

30. Attentata fuerunt patrata ab Episcopo Constantiensi, qui non obstante appellatione a magno priore Alemanniæ ordinis Hierosolymitani interposita, ac nuntii apostolici apud Helvetios inhibitione a regimine Austriæ impetravit, ut regulares deputati a magno priore ab ecclesiis parochialibus exularent; et ut proventus illarum pro taxa sibi solvenda manciparentur : *Constantien.*, 20 *nov.* 1734, *dub.* 2.

31. In attentata incidisse curiam Oritanam, quæ Metropolitani Tarentini decretum, ne ulterius in causa procederet, aspernata est; et interea processit ad executionem super domi mobilibus jampridem sequestro mandatis contra Joannem Donatum de Hippolyto, qui accusatus de quodam illicito commercio intra præfixum terminum non comparuit in eadem curia Oritana, rescriptum, declaratumque fuit; ita ut sint rigorose purganda : *Oritana seu Tarentina, Attentatorum*, 20 *aug.* 1735, *dub.* 1, confirmata 24 *sept. ejusd. anni.*

32. Et consequenter sententiam per vicarium generalem Tarentinum judicem metropolitanum in favorem dicti sacerdotis Joannis Donati de Hippolyto latam in gradu appellationis a decreto exequutionis pœnarum contumacialium facto per dictam curiam Oritanam fuisse attentatam; nullam S. C. habuit rescribendi difficultatem : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

33. Non constare de attentatis S. C. decrevit, occasione litigiorum, quæ exorta erant inter canonicos, et presbyteros hebdomadarios ecclesiæ metropolitanæ : *Capuana,* 17 *decemb.* 1735, *dub.* 5, confirmata 28 *april.* 1736.

34. Quum constare de attentatis, quod pendente recursu ad S. C. habito super dismembratione parochiæ licet rite facta, capta possessione, deputatus rector cœpit animarum curam administrare, S. C. decreverit; loco purgationi mandavit esse restituendas tantum primitas a parocho ecclesiæ dismembratæ post decretum diei 26 maii 1745 exactas : *Derthonen., Dismembrationis,* 28 *januar.* 1736, *dub.* 5.

35. Clerici beneficiati, contra quos Episcopus tribus edictis sancivit, ut in divinis ecclesiæ cathedrali inservirent sub pœna quatuor ducatorum, contendunt, secundum ex præfatis edictis, utpote quod post appellationem ipsorum nomine a primo interjectam, et ab episcopali curia admissam, quin et pendente ad S. C. recursu, promulgatum fuerit, labe attentati infectum esse, proindeque illud postu-

[258] Nempe, ut Episcopus pro sua prudentia provideat, ne parochus S. Laurentii ad emulationem sive ad inanem juris ostentationem utatur prædicto oratorio, sed quantum visum fuerit pro spirituali necessitate, aut commodo parochiæ incolarum eo in loco degentium ob distantiam parochialis ecclesiæ cavendum etiam ne idem parochus sancti Laurentii dissentiat, et abnuat administrationem sacramentorum pœnitentiæ, et Eucharistiæ in memorato publice oratorio ea die, qua ibi celebratur solemnitas sanctissimæ Annuntiationis, cui illud dedicatum est; decet enim pietatem populi tunc confluentis commodis satisfieri : *Regist. lit. lib.* 28 *die* 29 *aug.* 1733.

lant circumscribi; verum negativa eis extitit responsio : *Suessana*, *Servitii*, 14 *januar*. 1736, *dub*. 2.

36. Censuit S. C. attentata patrata non fuisse, quum, interposita appellatione a clero parochialis ecclesiæ S. Mariæ de Colle contra edictum ejusdem Episcopi, hic comminatus fuerit suspendere, ac alia pœna non obtemperantes mulctare : *Cassanen.*, 15 *dec.* 1736, *dub.* 3.

37. Vicarius generalis adversus parochum villæ Fassinelli Jacobum Antonium Mutium, qui ad S. Sedem appellationem interjecerat ab archiepiscopali curia admissam, decrevit ecclesiæ parochiali deputandum esse œconomum, eo quod populo dictæ villæ esset invisus. De hac sententia se gravatum esse credens parochus iste reclamavit, et quæsivit; num de his constaret attentatis? et S. C. respondit : Dilata, et ad mentem[283]: *Januen.*, 9 *februar.* 1737, *dub.* 5.

38. Non constare de attentatis decrevit S. C., si egit coram vicario generali Vincentius Marcellius secundo loco vocatus ad obtinendam capellaniam fundationis Joannis Cenciarelli, statim ac primus vocatus oneribus impositis satisfacere non poterat : *Signina*, *Capellaniæ*, 9 *febr.* 1737.

39. Non constare de attentatis, etsi patres Minores Conventuales S. Francisci terræ Argentæ pendente lite coram S. C. ausi fuerint supellectilia nonnulla ab uno altari dictæ ecclesiæ amovere sine patronorum consensu, quæ ad eorum libitum S. C. reliquerat : *Ravennaten.*, *Applicationis Missarum*, 17 *aug.* 1737, *dub.* 6.

40. Adjudicata Episcopo solutione decimarum incolarum, et habitatorum S. Agathæ, seu civitatis ad Mare SS. Leuci et Ramitelli, tum prædialium, tum personalium censuit S. C. minime esse attentata earumdem exactionem ab Episcopo factam : *Larinen.*, 19 *dec.* 1739, *dub.* 3.

41. Episcopus Senogalliensis canonicos cathedralis posteriores, seu secundæ erectionis ad Missæ conventualis celebrationem edito decreto compulit, et pendente ipsorum nomine appellatione, præcipit, imo explere, et exequi fecit edictum; propterea canonici modo quærunt; an constet de attentatis, ita ut sint purganda, et a quo purganda? Sed S. C. tantum respondit ad mentem : *Senogallien.*, *Missæ conventualis*, 16 *dec.* 1741, *dub.* 2.

42. Quum capitulum ecclesiæ cathedralis humaverit cadaver ejus, qui in ecclesia fratrum Conventualium tumulari exoptabat, petitur a S. C., an constet de attentatis, et quomodo sint purganda? quæ respondit, purganda esse attentata per viam nullitatis, et citra exhumationem cadaveris : *Vasionen.*, *Jurium parochialium*, 17 *feb.* 1742, *dub.* 4.

43. Attentata commisit Episcopus Urbevetanus eo quod contra resolutionem S. C. vigore decreti ab ipso lati novum fontem baptismalem ædificari jusserat in ecclesia collegiata S. Christianæ, et veterem, atque unicum fontem in parochiali ecclesia Sanctissimi Salvatoris destrui præscripserat; adeoque damnatus fuit ad fontem reponendum in dicta ecclesia Sanctissimi Salvatoris suis sumptibus; et rescripto additum fuit ad mentem : *Urbevetana*, *Attentatorum*, 6 *aug.* 1746.

44. Attentata declarata fuerunt acta ulteriora ab Ordinarii curia Minorensi gesta; ac per viam nullitatis purgari propterea debent; necnon nullæ etiam sunt censuræ latæ ab eodem : quum appellatio ab Ordinario per reum conventum in tempore habili interposita fuerit, et respective inhibitio a Metropolitano cum compulsoria pro actorum transmissione, quam Episcopus sprevit, decreta fuerit : *Amalphitana*, *Censurarum*, 11 *julii* 1750, *dub.* 2.

45. Postquam S. C. particulariter videri præceperit, quoad pertinentiam functionum parochialium in ecclesiis, et locis extra mœnia oppidi Frusinonis, et in parte territorii respondentis districtu parochiæ S. Petri explendarum, actum magna animorum contentione fuit de attentatis ob exercitium functionis parochialis in districtu territorii S. Petri. De horum hodie validitate disputatur; et de iis non constare S. C. declaravit : *Triventina*, *Jurium parochialium*, 27 *martii* 1751, *dub.* 3, confirmata 8 *maii ejusd. anni*.

46. De attentatis non constare rescripsit S. C.; etiamsi capellani curati functiones parochiales in parte Casalis, quæ ad Gallinarium pertinet, exercere cœpissent, de quo parochi terræ Gallinari conquesti fuerunt : *Sorana*, *Jurium parochialium*, 17 *nov.* 1753, *dub.* 5, confirmata 20 *julii* 1754.

47. Attentata commissa fuerunt per curiam ecclesiasticam Pisciæ ob spretas litteras citatorias, ac inhibitorias a tribunali Nuntiaturæ Florentinæ datas ad instantiam capituli ecclesiæ prioralis SS. Stephani et Nicolai civitatis Pisciæ, quod a præcepto tradendi libros priori Chelio dato, ac Simio exacto-

[283] Mens est, ut insinuetur parocho, ut curet dimittere parochiam reservata sibi congrua pensione, vel eam commutare cum alio beneficio non curato, quod jam actum est, et interim dicta parochia redigatur ab œconomo nomine S. C. deputato cum menstrua provisione librarum decem et octo jam assignata, reliqui vero reditus liberi, et integri consignentur parocho. Exequutioni itaque dictæ mentis manus adjutrices præbere, et ad S. C. sententiam se conformare non omittat : *Regist. lit.* lib. 29, 9 *febr.* 1737.

ribus rationum appellavit; quum hi functi officio fuissent, et libri repositi in archivo capitulari fuerant : *Piscien.*, 24 *martii* 1753, *dub.* 8.

48. Quum Episcopus Montis Alti in visitatione terræ Montis Elpari cognovisset tria loca pia hospitale scilicet, montem-pietatis, et montem-frumentarium, ex mala communitatis administratione iterum collapsa esse, satius duxit circumscribi sententiam contumacialem boni regiminis, quæ communitas manutentionem possessionis, seu quasi administrandi dicta loca pia vindicavit; ob id inter cetera controversum est causa electionis officialium a communitate peractæ ; an constet de attentatis? et non constare de attentatis S. C. resolvit : *Montis Alti*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 9.

49. Possessio capta per sacerdotem Augustinum Sanna beneficii, quod erectum erat in ecclesia parochiali S. Eulaliæ, et apud S. Sedem impetraverat, attentata declarata fuit ; et ideo circumscribenda, quia pendente lite apud eamdem Sanctam Sedem in possessionem venerat ; non autem præsentatio Francisci Mariæ Calvi per syndicos expleta attentata est, nec circumscribenda, ac revocanda : *Calaritana, Suppressionis beneficiorum et attentatorum*, 22 *martii* 1755, *dub.* 1.

50. Pro attentatis est habendum quidquid actum fuit lite pendente in S. Tribunali S. C. Concili, ea occasione, dum parochus Baldaxar Ceretti villæ Rosaræ petiit purgationem attentatorum, quod, pendente lite in S. C., non potuerant homines villæ mandatum expedire, ac exequi pro litis expensis pignoratis bobus tribus parochi, qui plus inde offerenti deliberati fuerunt : *Asculana*, *Beneplaciti apostolici*, 10 *maii* 1755, *dub.* 2, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

51. Ac sunt eadem purganda per viam nullitatis : *Ibid.*, confirmata, *ibid.*

52. Capellanus curatus ecclesiæ receptitiæ S. Mariæ de Castello civitatis Castrivillarum obiit, et ad partitionem massæ communis admissus fuit Carmelus Casellius, uti supranumerarius; sed indicto concursu electus fuit in capellanum curatum Antonius Campanella. Casellius contra eum in curia episcopali egit, ut sua custodiretur possessio, sed victus fuit. Appellavit Casellius, ad tribunal AC., quod decrevit, ut attentata purgarentur; et circumscripsit omnia acta post appellationem facta in curia Cassani : *Cassanen.*, 3 *april.* 1756, *dub.* 3.

53. Constare de attentatis declaravit S. C. satis ex dolosa egressione monasterii, ac matrimonio contracto cum Ciotti, non obstante inhibitione S. C. traducendæ puellæ Baptistæ Rosanæ Zivillia in aliud monasterium pro ejus exploranda voluntate quia spoponderat Joan. Bernardino Carosio, ac Francisco Ziotti : *Civitatis Castellanæ*, *Matrimonii clandestini et attentatorum*, 3 *dec.* 1757, *dub.* 1.

54. Quæ sunt purganda cum refectione expensarum tam judicialium, quam extrajudicialium taxandarum a D. secretario : *Ibid. dub.* 2.

55. Constat de attentatis, quum plurima vicarius generalis gesserit, quamvis monitorium expeditum ab archipresbytero collegiatæ ecclesiæ terræ Nojæ in tribunali AC. ac capitula insinuatum fuisset : *Baren.*, 3 *dec.* 1756, *dub.* 13.

56. Et ea purganda sunt per viam nullitatis : *Ibid.*

57. Decreverat episcopalis curia Cracoviensis, ut decimæ percipiendæ ex villis, in loco, ubi olim nemora fuerunt excisa, ædificatis; servarentur præposito oppidi Pacanowiensis ratione sacrorum, ac piorum operum; decimas vero novalium agrorum, capellam ac reliqua omnia, quæ ad curam animarum pertinent, parocho Zhorovecensi adjudicavit. Post decennium præpositus, interposita clam appellatione, possessionem, quam parochus ceperat, repente turbavit, abscissis violenter foribus ecclesiæ, expilata arca eleemosynarum, ablatisque etiam sacris indumentis. Sententiam quippe S. C. infirmandam esse duxit, sed definivit constare de attentatis, et per viam nullitatis esse purganda : *Cracovien.*, *Piorum operum inadimplementi*, 21 *julii* 1759, *dub.* 2, confirmata 12 *jan.* 1760.

58. Attentata dicitur ingressus parochi S. Terentii occasione associationis cadaveris Cajetani Navarra in cathedralem cum stola, et cruce erecta post decretum contrarium provisionale, vicarii generalis : *Faventina, Præeminentiarum et funerum* 7 *junii* 1760, *dub.* 4, confirmata 11 *apr.* 1761.

59. Necnon purgari per viam nullitatis demandatur : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

60. De attentatis, et si novus curatus noviter ædificatæ ecclesiæ SS. Angelorum Custodum auctoritate Archiepiscopi Firmani in exercitio curæ continuaverit super parœciæ incolis a dissita ecclesia parochiali S. Æpidii dismembratis, nullimode constare S. C. firmavit : *Firmana*, *Dismembrationis*, 15 *dec.* 1759, *dub.* 1.

61. Canonici collegiatæ ecclesiæ terræ Galatonæ contendebant, quod, quum conclusiones capitulares ex pluralitate suffragiorum cum interventu, etiam portionariorum de expensis litis ex communi massa detrahendis processerint, de illarum efficacia dubitandum non erat, ac propterea nec etiam horum intuitu locum esse posse subdebant prætensæ purgationi attentatorum ; contra vero portionarii autumabant : ex massa tamen communi litis expensas canonici decerpserunt. Proposito hinc dubio; an constaret de attentatis, ita ut canonici in massam communem reportare tenerentur ducatos 36? resolutio prodiit attentata per viam nullitatis esse pur-

ganda, et pecunias esse reportandas : *Neritonen.*, *Plurium*, 7 *junii* 1768, *dub.* 20.

62. Dedit Episcopus facultatem filiabus Francisci Baccari subsidium dotale assequendi, quod reliquerat Lucius Salvi, inde præcepit novo decreto summam, quæ in arca depositi in monasterio S. Caroli terræ Urceani existente, asservabatur, eisdem puellis consignari : sed renuentibus officialibus mandato obtemperare, delegatus Episcopi spreta appellatione interposita ad AC. turba satellitum stipatus clausuram ingressus, ac fabro ferrario, testibusque omnem pecuniam abstulit, ac dicto Francisco tradidit ; idicirco esse S. C. constare de attentatis, ac purganda esse ea per viam nullitatis decernit : *Fanen.*, *Subsidiorum dotalium*, 14 *febr.* 1761, *dub* 2.

63 Attentata reputantur a S. C., quidquid gestum fuit post recursum habitum ad S. C., atque exequutas citationes camerales ; etiamsi ageretur de admissione capellani, qui parocho inhabili in coadjutorem erat deputandus : *Asculana*, 26 *februarii* 1763, *dub.* 2.

64. Ac purgatio de his facienda est per viam nullitatis : *Ibid.*

65. Non constare de attentatis edixit S. C.; ita ut nominatio ad unum ex canonicatibus a Gabriele Trianguli ordinatis facta a capitulo S. Christinæ patrono in favorem Gabrielis Perusini circumscribi non debeat. Hanc enim circumscriptionem postulabat Ubertus Gismondius e familia primo loco vocata incapax tamen ad canonicatum assequendum propter ætatis defectum, de qua petierat a S. C. dispensationem antequam a capitulo fieret nominatio : *Eugubina*, *Dispensationis*, 18 *febr.* 1764.

66. Quæsitum quum esset ; an acta curiæ archiepiscopalis Coloniensis, quæ patrata fuerunt contra vicarium Thenhoff librum præsentiariæ subripientem in judicio non sistentem, et officium demandatum deserentem pendente de nonnullis quæstionibus judicio in S. C., judicari attentata possent? responsum exiit : Dilata, et ad mentem [254] : *Colonien.*, 14 *febr.* 1767, *dub.* 21.

67. Etiamsi capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Martini Leodii sæpe litis pendentiam coram S. C. allegasset,, sæpe fuisset protestatum de actorum nullitate, ac judicem, ut a judicando se abstineret, monuisset ; his tamen non obstantibus in spretum, et S. C. contemptum repente sententia declaratoria emanavit ab archidiacono de Trappe, qui dictam sententiam ad valvas ecclesiæ prædictæ maxima totius civitatis offensione affigi jussit. De his S. C. requisita constare de attentatis, purgandis per viam rigorosam sancivit : *Leodiensis*, *Beneficiorum*, 14 *maii* 1798, *dub.* 4.

68. Rejicienda sunt attentata, ob collationem sequutam, et possessionem captam archidiaconatus ecclesiæ cathedralis ; quia etsi appellatio antea fuerat interposita, tamen ea minime acceptata, imo repulsa fuit : *Verulana*, *Archidiaconatus*, 16 *sept.* 1769, *dub.* 2, confirmata 10 *febr.* 1770.

69. De attentatis contra parochum S. Mariæ in Aquiro, qui licet a novitia Maria Bernardini, uti parens testatricis, dotem ab eo judicialiter petierit ante, et Sanctissimum adierit, ut res arbitrio S. C. commendaretur ; ad nominationem tamen interim devenit Dominicæ Venturæ ejusdem testatoris proximioris, et pauperioris, non constare responsum fuit : *Romana*, *Subsidii dotalis*, 16 *decemb.* 1709, *dub.* 2.

70. Emanavit a curia episcopali sententia super validitate donationis a sacerdote Paulo de Alessio in favorem fratris Natalis factæ, et inde idem Paulus appellationem interposuit ad S. C.,; sed sententiæ post modum exequutio fuit demandata, quum intra terminum appellationis litterarum curiæ prædictæ appellans non exhibuerit causa injuste appositi impedimenti ; quare de attentatis fuit dubitatum ; sed S. C. gesta pendente appellatione attentatorum vitio infecta nequaquam remanere sancivit : *Monopolitana*, *Donationis*, 20 *jan.* 1770, *dub.* 2.

71. Attentata non fuisse patrata S. C. judicavit. Nam nihil a sodalibus S. Antonii Patavini actum fuisse asseritur, quod spretum decretorum S. C. quoquomodo præferat : *Imolen.*, *Legati*, 12 *martii* 1774, *dub.* 4.

72. Constat de attentatis ob possessionem canonicatus a Ghighio adeptam prorsus præcedenti inhibitione adversus illum exequuta coram Card. præfecto S. C. contempta : *Urbanien.*, 9 *septemb.* 1775, *dub.* 3.

73. Ac Purganda ea per viam nullitatis : *ibid.*

74. De attentatis constare rescripsit S. C. Nam a sententia vicarii generalis appellatio ad Sedem Apostolicam fuit interposita, et hac non obstante clericus Abbiati beneficii possessionem nactus est : *Comen.*, *Beneficii*, 7 *febr.* 1784, *dub.* 2.

[254] Nam scriptum fuit eminentissimo electori, quod quoad tria postrema dubia proferre sententiam S. C. noluit, eo scilicet adducta in eminentissimum electorem studio, quo plurimum profitetur. Petit igitur S. C. ab eminentissimo electore, ut vicarios kempenses plenarie a censuris absolvat, et si qui sunt carceribus mancipati, vel in claustra aut seminarium detrusi, dimitti jubeat, multas item, quas illa curia exegerit, restitui, condonarique faciat. Quæ omnia S. C. confidit peractum iri ab eminentissimo electori, cum id majorem in modum exoptet ac petat, nihilque ipsis gratius fieri potest : *Regist. lit.* lib. 32, *die* 14 *martii* 1767.

75. Ac purganda ea sunt per viam nullitatis ac fructus sunt restituendi Joan. Baptistæ Casati : *Ibid.*

76. Nequaquam constat de attentatis, quia licita fuit a capella remotio scamni familiæ de Rubeis; necnon licita fractio, et respectiva combustio, et alia hujusmodi, quæ archipresbyter ne servitium divinum turbaretur, ac ne ei esset impedimento, egit; quum de jure patronatus an constaret in favore dictæ familiæ dubitaretur : *Alatrina*, 26 *nov.* 1783, *dub.* 4, confirmata 16 *dec.* 1786.

77. Decernitur contra Valentinum per viam nullitatis purgatio attentatorum ob occupata bona capellaniæ institutæ a Petro Andrea Marinucci pendente inhibitione : *Montis Alti, Capellaniæ*, 22 *aug.* 1795, *dub.* 5.

78. Quum contra capitulares constitutiones ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi Murivallium capitulum a canonico seniori, licet præsens in oppido esset præpositus, cui jus hoc competit, *die* 20 *jan.* et pluries postea convocatum fuerit; orta est quæstio, quam dirimit S. C.; et etiam decidit de attentatis commissis tam in capitulo diei 27 maii, quam in altero diei 12 julii 1796 constare; nam spretis protestationibus seniorum canonicorum, et absque mandato præpositi, imo secundum capitulum cum inhibitione S. C. *nihil innovari* interposita, fuit convocatum : *Firmana, Præeminentiarum*, 26 *nov.* 1786, *dub.* 6.

79. Quamquam ecclesiæ archipresbyteralis S. Petri terræ Supini ab antiquissimo tempore jure privativo fontis baptismalis, aliarumque præeminentiarum gauderet; tamen duo alii parochi ejusdem terræ spreto monitorio AC. Riganti fontem baptismalem in propriis ecclesiis ex præcedentis Episcopi licentia erexerunt; quare se in S. C. deducta; hæc censuit constare de attentatis, quæ sunt purganda per viam nullitatis : *Ferentina, Matricitatis et Fontis baptismalis*, 18 *martii* 1797, *dub.* 4.

Auctoritas. Vide *Consuetudo*, § II.

AUDIENTIA.

1. Placitum fuerat S. C. decernere invaliditatem interdicti in sodales SS. Matthæi et Francisci de Assissio Neapolis inflicti, propter privilegia, quibus vigore aggregationis sacrosanctæ basilicæ Lateranensis urbis usi erant. Modo petita nova audientia, concedi eam minime censuit : *Neapolitana, Censurarum*, 10 *julii* 1717.

2. Nova audientia impertitur parocho ecclesiæ S. Petri ad Scafatum, qui ex documentis authenticis ait esse se exemptum a jurisdictione Episcopi, ac extractio documentorum citata parte præcipitur; etiamsi in confirmatione decreti S. C. clausulam *amplius* addidisset : *Nolana*, 14 *dec.* 1754.

3. Sacerdos Ambrosius Casonius possessor beneficii S. Sebastiani fundati in ecclesia collegiata S. Petri massæ fiscalæ nonnullis resolutionibus ab eo excitatis non acquisciens postulavit de redeundo licentiam adversus 1, 2, 5, 6, 7, 8 et 9. Et S. C. novam audientiam denegavit : *Cervien.*, 14 *martii* 1789.

Baccalaureatus. Vide *Doctor*.

Bajulivatus, Bajulivus. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § I.

Baptismales ecclesiæ. Vide *Ecclesia matrix*.

Baptismalis fons quoad benedictionem. Vide *Benedictiones*.

BAPTISMALIS FONS.

Baptismalis fons quoad erectionem ac retentionem.

1. Fontem baptismalem in sola cathedrali matrice esse asservandum, eoque infantes totius civitatis ad Sacramentum baptismatis suscipiendum esse deferendos, definitum est : *Lycien.*, 19 *april.* 1606.

2. Episcopum fontem baptismalem in ecclesia sub parochia Leucensi constituta erigere non posse S. C. sancivit; sed permisit, ut illa posset concurrente necessitate, seu incommodo propter distantiam parochialis ecclesiæ, in novam parochiam ad præscriptum cap. 4, sess. 21, *de Reform.* [1] constitui : *Sedunen.*, 17 *aug.* 1626.

[1] In quo statuitur ; 1. Ubi unus parochus non sufficit pro administratione Sacramentorum, hic cogatur sibi tot sacerdotes adjungere. 2. Ut si populus ob locorum distantiam cum magno incommodo accedere nequeat ad parochiam pro recipiendis Sacramentis, divinisque officiis audiendis, constituatur nova parochia, invito etiam parocho.

3. Fontis baptismalis erectio conceditur de consensu tamen Ordinarii, et interesse habentium, si Sanctissimo domino nostro placuerit : *Massilien., Ecclesiæ S. Stephani*, 7 *januar.* 1640.

4 Instantibus archipresbytero ecclesiæ S. Mariæ Majoris, et parocho Georgii terræ Civitæ Campomarani, S. C. censuit ex deductis erectionem fontis baptismalis in ecclesia S. Georgii ab Episcopo novissime factam, non esse confirmandam : *Guardien.*, 13 *junii* 1654.

5. In terra Cirdarii adest ecclesia S. Petri, quæ parochialis ac matrix est. In ejus territorio reperitur ecclesia S. Mariæ *dell' armi*, ubi duo capellani præsunt. Ibidem exponuntur infantes, oblati et oblatæ recipiuntur. Nuper dicta ecclesia jura postulavit matricis ecclesiæ, sed S. C. non posse in dicta ecclesia erigi fontem baptismalem in præjudicium matricis S. Petri decidit : *Cassanen., Jurium parochialium*, 9 *julii* 1672, *dub.* 1.

6. .Quum capitulum cathedralis ecclesiæ fontem baptismalem in parochiali ecclesia S. Nicolai ultra Mosam erigi non posse contenderet, propugnaretque, quod omnes infantes in ea nati salutaribus aquis sint a parocho ecclesiæ matricis B. Virginis ad fontes eidem capitulo unitæ regenerandi ; parochus præfatæ ecclesiæ S. Nicolai exponens suam parochiam octo mille fere incolas continere, ab ecclesia per u num circiter lapidem distare, et Fortalitium tunc recens constructum ita esse impedimento, ut facilis ad eamdem B. Virginis ad fontes ecclesiam haberi non possit aditus, obtinuit disputari dubium : an sit locus erectioni fontis baptismalis in ecclesia S. Nicolai trans Mosam ? et affirmativum accepit responsum : *Leodien., Erectionis fontis baptismalis*, 7 *junii* 1692.

7. Binæ in oppido Atrani principales ecclesiæ reperiuntur ; parochialis una et collegiata S. Mariæ Magdalenæ, simplex sub titulo Sanctissimi Salvatoris altera. In utraque sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum asservatur ; sed fons baptismalis, et olea sacra in secunda dumtaxat ecclesia retinentur, quamvis collegiatæ præposito totius oppidi animarum cura incumbat. Qua de causa, eodem instante præposito, definitum ab S. C. est, quod fons baptismalis, et cetera prædicta non in ecclesia Sanctissimi Salvatoris, sed in ecclesia collegiata retineri, ac asservari deberent : *Amalphitana, Asservationis sacramentorum*, 29 *april.* 1715.

8. Baptismalis fontis erectionem in parochiali S. Mariæ Novæ Castri Seronis ab Episcopo in visitatione præscriptam juxta parochiæ incolarum petitionem, sustinendam esse S. C. declaravit ; data vero parochianis libertate deferendi juxta solitum filios baptizandos etiam ad alias ecclesias : *Fulginaten., Fontis baptismalis*, 22 *junii* 1720.

9. Parochis ecclesiarum S. Georgii, S. Bartholomæi et SS. Angeli, et Mercurii propriis sumptibus in suis respective ecclesiis oppidi Campibassi particulares fontes erigere postulantibus ; S. C. nihil innovandum esse rescripsit ; quum fons in sola archipresbyterali ecclesia S. Mariæ Majoris asservaretur : *Bojanen., Jurium parochialium et præeminentiarum*, 24 *maii* 1732, *dub.* 3.

10. Quæsitum exinde est ; quomodonam sit in defectum fontis ecclesiæ S. Leonardi recenter dirutæ, providendum ? S. C. respondit, fontem reponendum esse in ecclesia S. Leonardi, quatenus reædificata fuerit ; alias pro suo arbitrio Episcopus provisurus sit : *Ibid.*, *dub.* 4.

11. Fontis baptismalis erectio a monachis Camaldulensibus in sua parochiali ecclesia S. Blasii peracta, sustinendam non esse S. C. censuit, ecclesia cathedrali contradicente : *Fabrianen., Fontis baptismalis et juris baptizandi*, 21 *junii* 1732, *dub.* 1. Verum postea recessit a decisis : 22 *nov. ejusd. anni*, confirmata 2 *maii* 1733.

12. Decretum a S. C. 8 augusti 1654 editum quo mandabatur erectionem fontis baptismalis in ecclesia S. Georgii ab Episcopo novissime factam confirmandam haud esse, exequendum non est, sed observanda est concordia inter parochum S. Georgii et archipresbyterum S. Mariæ Majoris oppidi civitatis Campimarani, de cujus præeminentia jam constabat, inita, et ab Ordinario Sedis Apostolicæ delegato approbata ; ut nimirum S. Georgii archipresbyter fontis benedictionem in sua parochia hac conditione peragat, ut sabbati sancti functiones prius ab archipresbytero S. Mariæ Majoris fieri debeant : *Guardien., Erectionis fontis baptismalis et præeminentiarum*, 21 *maii* 1755, *dub.* 1.

13. Erectio fontis baptismalis in ecclesia parochiali S. Mariæ terræ Castri ab Episcopo ob grave

3. Ut deficientibus reditibus pro assignanda portione, seu congrua novo parocho, compellatur populus ad subministrandum necessaria pro illius conservatione. Hoc decretum Tridentinum innovavit decretalem cap. *Ad audientiam* tit. *de Eccles. ædif.* Quibus circumstantiis vere concurrentibus, Episcopus auctoritate sibi attributa a Concilio Tridentino cit. cap. potest ad dismembrationem procedere, et novam parochiam erigere. Non permittitur tamen dismembratio supradictis non obstantibus, quoties parochiæ incolis distantibus consultum est per coadjutorem, qui possit sacramenta ministrare in commodiori ecclesia ; vide Ferraris, *Biblioth. Canon.* verb. *Dismembratio.* Quum autem contingere possit, quod parochiæ incolarum paupertas tanta sit, ut hac via provideri nequeat novæ paroeciæ decori, et rectoris conservationi, remedia suppeditat Fagnanus ad cit. decretalem num. 6, seqq. lib. 3, pag. 623.

incommodum deferendi pueros baptizandos ad ecclesiam archipresbyteralem S. Olivæ, in qua fons tantummodo existebat, imperata, fuit a S. C. adprobata, quamvis præfata archipresbyteralis ecclesia ad probandam matricitatem jura sua deduxit : *Verulana, Fontis baptismalis*, 24 *martii* 1736.

14. Novam fontis baptismalis in ecclesia parochiali et collegiata SS. Georgii et Christianæ martyrum terræ Vulsini, constructionem ab Episcopo præscriptam, perficiendam haudquaquam esse S. C. declaravit. Etenim non constare de itineris asperitate, et longitudine ab inferiori oppidi parte, et adesse fontem in ecclesia S. Salvatoris prætendebatur. *Urbevetana, Fontis baptismalis*, 22 *sept.* 1742, confirmata addendo ad mentem [2] : 2 *decem.* 1747, *dub.* 1 et 2. Prævio deinde recessu a decisis, fuit petita erectio concessa, et præscriptum fuit, ut Episcopus omnino incumberet, ne ecclesia Sanctissimi Salvatoris, quæ una ab antiquo fontem retinebat, debitis fraudaretur obsequiis : 3 *aug.* 1748, confirmata 14 *dec. ejusd. anni.*

15. Unica parochialis mater ecclesia S. Michaelis Archangeli est in insula Prochyte, quam in commendam postea datam scimus. Adaucto populo filiales quoque ecclesiæ, et coadjutoriæ adauctæ sunt. Card. Spinellius Archiepiscopus Neapolitanus insulam visitans decrevit, ut qui intra fines ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum assignatos nascuntur, in parochiali ecclesia baptisma susciperent : ratione vero distantiæ, et itinerum longitudine, voluit, in ecclesia Annuntiationis B. Mariæ Virginis extrui fontem baptismalem, quo lavarentur ii, qui ortum habent intra fines illius ecclesiæ, atque alterius ecclesiæ S. Antonii abbatis, ab œconomo sive capellano primæ baptismalis ecclesiæ, qui infantium nomina describeret, et singulis mensibus vicario perpetuo traderet, ut ab eo in libros nominales referri possent, et baptismatis testificationes exciperentur. Provocavit ab hoc decreto Card. Ruffus commendatarius abbas, atque perpetuus vicarius; proposito hinc congruo dubio, declaratum est, sustineri decretum super erectione fontis baptismalis de consensu tamen vicarii; neque vero in sola ecclesia curata, et matrice esse fontem retinendum, et ad mentem : *Neapolitana, Decretorum*, 20 *febr.* 1744, *dub.* 2.

16. Ex quatuor civitatis Vercellarum parochialibus ecclesiis, duæ tantum fontem baptismalem habent, et oleum sanctum retinent, civibusque omnibus ministrant. Alii duo parochi, postularunt facultatem extruendi fontem baptismalem, eo quod parochis omnibus fuit ab Episcopo indictum, ut in propriis ecclesiis oleum sanctum, vase ad id comparato, asservaverint. Sed voti compotes fieri non valuerunt : *Vercellen., Jurium parochialium*, 18 *nov.* 1747, *dub.* 2.

17. Baptismalis fontis erectio denegata fuit canonicis collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Venantii, quum semper ecclesia cathedralis dumtaxat fontem retinuisset, quamvis incommoda nonnulla pro infantium baptismate suscipiendo probarentur : *Camerinen., Erectionis fontis baptismalis et juris baptizandi*, 10 *febr.* 1748.

18. Fons baptismalis in ecclesia S. Honufrii massæ dirutæ nullius diœceseos removeri non debet, ut S. C. rescripsit, et addidit ad mentem [3] : *Caputoquen., Jurisdictionis*, 11 *dec.* 1756, confirmata 3 *julii* 1757, 13 *martii* 1762.

19. In ecclesia S. Joannis commendæ Villingensis inclyti Hierosolymitani ordinis, quæ parochialis non est, fontem baptismalem erigendum haud esse, quamvis in ea sacramenta administrantur; ne pro infantibus quidem intra illius septa nascituris, S. C. rescripsit, addiditque ad D. secretarium ad mentem : *Constantien., Jurium parochialium et exemptionis*, 18 *dec.* 1765, *dub.* 5.

20. Quum filiales ecclesiæ parochiales S. Laurentii terræ Gattei, et S. Angeli in Salute intra fines territorii Gattei sitæ ab ecclesia S. Luciæ terræ Sabiniani earum matrice disjunctæ fuissent ob diœcesum dismembrationem; quumque ecclesia S. Angeli baptismalem fontem non habuisset, ejus erectionem postulavit. Contradixit ecclesia S Laurentii; sed viarum asperitas, distantia loci, et periculum, ne infantes recens nati absque baptismate perirent, concessionem gratiæ suadebtan, præsertim quia ecclesia hæc matrici ecclesiæ S. Luciæ amplius non subjiceretur, ac vere parochialis, cum populi, ac finium assignatione existeret. Hinc pro erectione S. C. respondit : *Fontis baptismalis*, 19 *febr.* 1780.

21. Quæsitum quum esset; an esset locus erectioni fontis baptismalis in collegiata ecclesia S. Joannis in parochialem nuper erecta? responsum fuit, ad Card. Capraram, qui secretarii jam munere functus est, cum facultatibus S. C.: *Terracinen., Dismembrationis et erectionis parochiæ*, 30 *julii* 1785, *dub.* 4.

22. Denegata a S. C. dismembratione parochialis ecclesiæ S. Nicolai terræ Canthiani, ac erectione ecclesiæ S. Anastasiæ villæ Clasernæ in novam parochialem; etiam in eadem ecclesia S. Anastasiæ erectionem fontis baptismalis noluit admittere;

[2] Et mens fuit, ne ecclesia Sanctissimi Salvatoris debitis fraudaretur obsequiis: *Ead. causa*, 3 *aug.* 1848.

[3] Et mens est, ut non utatur, nisi consulta S. C. *Ead. causa*, 11 *dec.* 1756, *dub.* 5.

sed servari capitula et decreta Episcopi Sperelli S. C. voluit : *Eugubina, Dismembrationis*, 31 *julii* 1790, *dub*. 3.

23. Ex tribus ecclesiis parochialibus, quæ adsunt in oppido Supini, tantum ecclesia archipresbyteralis S. Petri gaudet ab antiquissimo tempore fonte baptismali, in cujus benedictione conveniunt alii parochi; hi tamen hanc privativam non semel impugnarunt, ita ut spreto monitorio tribunalis A C, fontem quisque in sua ecclesia de præcedenti Episcopi licentia baptismalem construxerunt. Sed quæsita de hac quæstione S. C, constare de privato jure ecclesiæ archipresbyteralis S. Petri habendi fontem baptismalem putavit : *Ferentina, Matricitatis et fontis baptismalis*, 18 *martii* 1797, *dub*. 2.

BAPTISMI SACRAMENTUM.

§ I.

Baptismi sacramentum quoad collationem seu jus conferendi.

1. Parocho S. Petri in Vaticano, qui Summorum Pontificum indulta præ se ferebat, baptizare commorantes in omnibus aliis Urbis parochiis licere S. C definivit[4]: *Romana, Juris baptizandi*, 10 *maii* 1700[5].

2. Archipresbyter terræ Campobassi aliquando, et ad ejus libitum ministrare per seipsum sacramentum baptismi infantibus de familiis ecclesiarum parochialium dicti loci nequit, sed id semper privative spectat ad proprium cujuscumque familiæ rectorem, aut alium ab eo substitutum : *Bojanen., Jurium parochialium et præeminentiarum*, 24 *maii* 1782, *dub*. 7.

3. Pueri nati intra octavam paschatis Resurrectionis, et octavam Pentecostes baptizandi sunt a parocho cathedralis ecclesiæ, minime vero ab aliis parochis, in quorum parochiis nascuntur: *In Savonen., Jurium parochialium*, 17 *junii* 1713, *dub*. 32. Inde decretum confirmatur, et additur, ad formam concilii provincialis : 16 *dec. ejusd. anni*.

4. Ac hujusmodi jus baptizandi privative spectat ad parochum cathedralis : *Ibid., dub*. 33, confirmata *ibid*.

5. Quodque intelligi debet etiam de illis pueris, quos natos intra octavas prædictas baptizari contingat extra easdem octavas : *Ibid., dub*. 34, confirmata *ibid*.

6. Quum disputatum fuisset, an liceret parocho cathedralis ecclesiæ, in ea baptizare natos in alienis parochiis etiam fontem baptismalem habentibus; seu baptismatis collatio ad unumquemque parochum fontem baptismalem in sua ecclesia habentem, privative quoad proprios parochi incolas, spectaret? rescriptum, resolutum fuit, ut servaretur solitum : *Fabrianen., Fontis baptismalis et juris baptizandi*, 21 *junii* 1732, *dub*. 2. Nova inde impetrata audientia, mandatum fuit, ut Episcopus terminum præfigeret parochis ad deducenda jura sua in S. C.: 2 *maii* 1733. Expositis ab his juribus suis, recessit S. Congr. a decisis, et statuit, ut sublata etiam consuetudine, quisque parochus, habens fontem baptismalem, infantes in sua parochia natos aqua salutis respergat : 14 *novem*. 1733, confirmata 20 *martii* 1734.

7. Infantes, qui nascuntur in parochialibus unitis, S. Lucæ, et SS. Faustini, et Jovitæ civitatis Viterbii baptizandi non tantum sunt in ecclesia collegiata dictorum sanctorum, sed cumulative baptizari possunt in dicta ecclesia, et in illa Carmelitarum S. Joanni dicata. Aderat consuetudo, et privilegium PP. Carmelitis concessum : *Viterbien., fontis baptismalis*, 22 *martii* 1749

8. Declaravit S. C. parocho ecclesiæ cathedralis cumulativum haud competere jus baptizandi subditos parœciæ S. Mariæ in Thebano absque licentia

[4] « Id enim, sive ex placito pontificio factum sit, sive etiam ex tacita reliquorum parochorum Urbis permissione, aut tolerantia, nunquam satis pro hujus inclytæ basilicæ meritis factum esse inficiabitur nemo; præcipue in obsequium ejus fontis baptismalis, religione, ac vetustate adeo conspicui, ut non inconstans fama sit, ipsum Apostolorum principem inibi pluries baptisma ministrasse. » Ita Card. Petra *Comment. ad Const. II, Gregor. XI*, num. 36, tom. 6, pag. 157.

[5] Hoc decretum confirmatum fuit a Benedicto XIV, Const. *Ad honorandam*, 22 *martii* 1752 (Bull. ejusd. Pont., tom. 3, pag. 214), injunctoque § 15, parochis præcepto gratis tradendi infantium parentibus, quoties ab his petantur, schedulas, typis datas, a se subscriptas cum impressione sigilli propriæ parochiæ, exhibendas parocho ejusdem basilicæ, in quibus adnotata sint nomina parentum, et nativitatis prolis, sub pœna in contrafacientes quinque ducatorum auri in auro, erogandorum in subventionem piæ domus, et hospitalis S. Spiritus in Saxia, gravioribusque pœnis, et mulcti, crescente contumacia, a competentibus judicibus, tam ex officio, quam ad recurrentium instantiam infligendis.

proprii parochi. Nam parochus S. Mariæ in sui favorem allegat juris dispositionem, quæ prævalet etiam assertæ consuetudini, et synodalibus Constitutionibus, de quibus parochus cathedralis suadere contendit : *Æsina, Juris baptizandi,* 15 *julii* 1797.

§ II.

Baptismi sacramentum quoad validitatem vel nullitatem.

1. Ad dubia exposita, an infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione iterum baptizandi sub unico prætextu, quod ignoretur, quæ, et qualis fuerit intentio, cum qua fuerint baptizati?

2. An, et in quibus casibus hæretici debeant sub conditione denuo baptizari, si ad fidem catholicam convertantur? negative ad utrumque respondetur, dummodo non adsit probabile dubium invaliditatis baptismi : *Dubia baptismi,* 27 *martii* 1683, *dub.* 1 et 2 [6].

3. Quærebatur, an matrimonium inire posset fœmina, quam certo non constabat fuisse sacro profusam lavacro. Erat enim tunc addicta servitio nobilis matronæ Neapolitanæ, 30 agebat ætatis annum, et sacramentis pœnitentiæ, ac Eucharistiæ refici catholico ritu consueverat, sed in Barchinonensi civitate orta, sexto post nativitatem die tradita cuidam fœminæ fuerat ab ignoto homine, qui eam deferebat expositurus in hospitali nothorum domo, cum ceteroquin de ante suscepto baptismate nullum extaret documentum. Itaque rescriptum fuit, fœminam esse baptizandam sub conditione, ac secreto, et deinde procedi posse ad contractum matrimonii, servatis servandis : *Neapolitana, Matrimonii,* 1 *sept.* 1714.

4. Dubio proposito, quomodo se gerere debeat parochus S. Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem, sive non habeant, et etiam si ex colore, et ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio : respondit S. C. esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem [7] : *Urbis,* 15 *januar.* 1724.

5. Baptismus sub conditione, et secreto collatus fuit Mariæ Salome, ex quo perlustrato diligenter codice baptismali, qui extabat Confluentiæ, ubi puellam ortum duxisse Guillelmus Urciz peregrinus affirmabat, qui etiam puellæ patrem se dixerat, nihil prorsus de baptismate Mariæ repertum fuerit, nec aliunde eadem notitia haberi potuerit, adeoque nullo certo documento probari potuit Mariam hoc sacramentum suscepisse; licet eadem in orthodoxæ fidei rudimentis reperiatur instructa : *Ripana,* 12 *dec.* 1733.

6. Laura procreata a Petro Dolfino fuit. Locus ignoratur, necnon conditio, et religio matris. Hæc ex oriente traditur deferenda Venetiis filio cuidam nautæ, ut aviæ suæ committeretur, quæ in nosocomio pauperum educandam Travisium misit. Exactis pluribus annis Laura viro Travisino nupsit, et vivit christianis moribus ornata. Nihil habetur certi, an lustralibus undis baptismi fuerit abluta. Hinc S. consulta respondit : Dilata, et, ut scribatur Archiepiscopo Corcyriensi juxta instructionem, mandat :

[6] S. Leo in Const. *Epistolas fraternitatis* anno 443 vel 444 (*Bull. Rom.*, tom. 1, pag. 27) ait, quod illi, de quorum baptismo nemo potest fidem facere, sunt baptizandi, non autem ii, quos certum est fuisse ablutos baptismate, sed a quo homine, et cujus fidei fuerit baptizans, non constat. Et quoad intentionem, die 6 sept. 1625. S. Congr. universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo delatis litteris Archiepiscopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infra scripti dubii : An cum sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et a lupis, an in tali casu possint ficte eos baptizari, adhibita baptismi materia sine debita forma? respondit negative, quia baptismus est janua omnium sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest. Hoc habetur in concilio provinciali, seu nationali Albano anni 1703, pag. 32, edit. Rom. 1706.

[7] Instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulæ, quæ habeat certitudinem : Ibid. « Nam (ait Benedict. XIV) cum ejusdem schedulæ auctor deprehendi possit, cui fides merito præstanda sit, unico illis testimonio baptismus rite traditus satis comprobatur, uti ex communi scriptorum opinione, et apertissime ex jure pontificio declaratur ; et præcipue in ea sanctione, quæ incipit, *Cum itaque*. Hanc etiam interpretationem additam legimus : *Unius testimonio quandoque credendum est, sic hoc casu tantum credendum esse christiano, et non pagano, vel judæo testificanti.* Ita pariter illud caput, *Cum nuper de testibus,* in hunc modum explicatum accepimus : *Quandoque tamen bene creditur uni; quando non fit præjudicium alicui, puta, utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset ecclesia consecrata.* Quæ cum ita sint, baptismum rite collatum, nec sub ulla iterum conditionis formula conferendum procul dubio judicare possumus, quoties infantium collo scriptum appensum ejus naturæ, de qua mox sermonem habebimus, reperiatur. » *Inst. Eccl. VIII,* num. 8, tom. 11, pag. 44. In eadem sententia fuerunt patres concilii provincialis Tolosani, habiti a Card. Francisco de Joyosa anno 1590, in cujus part. 2, cap. 2, decernitur : « Cum projectis, expositisque puerulis, licet affixa reperiatur schedula, quæ eos baptizatos esse testetur, in id tamen, an verum, fictumque sit, parochi diligenter inquirent : si certi nihil compererint in scripto chartulæ nomine, eos sub conditione baptizabunt : tom. 10, *Collect. Harduini,* col. 1798.

Tarvisana, *Baptismi*, 28 *april*. 1736. Deinde esse baptizandam sub conditione, et secreto, et sine præjudicio validitatis matrimonii decrevit : 4 *maii* 1737 [8].

7. Baptismus ab obstetrice collatus sub hac forma : *Mi te abatezzo in nome del Padre e del Figlio, dello Spirito Santo;* tum propter omissionem particulæ *et*, tum propter verbum de novo inventum *abatezzo*, an reiterandus esset sub conditione? respondit S. C.: Ut scribatur juxta mentem [9] : *Ceneten.*, 12 *maii* 1753.

8. Baptismum non esse sub conditione conferendum Mariæ Catharinæ ob incertos, quos habuit parentes catholica tamen fide imbutos, quæ christianis semper moribus vixit, et ad sacramentorum communionem admissa fuit; quamvis de baptismate recepto nulla haberentur monumenta : *Nullius*, *Nonantulæ*, 2 *martii* 1765.

9. David Marcus judæus Polonus pro se, suaque uxore, et quatuor filiis baptismum pluries petiit, tandem voti compos evasit. Nam quædam mulier, quum ille cum tota sua familia maneret in hospitali Rottemburgensi nil cogitans actu baptismum suscipere, bona fide putans urgente necessitate, quamlibet baptizare posse, nulla præmissa catechesi, neque postulato baptizandorum consensu, aqua lustrali aspersit omnes dicens : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen ;* eosque inde monuit baptizatos, et christianos esse. Post varia Davidis itinera dubitavit de validitate sui, suorumque baptismi; prolatum fuit dubium in S. C., quæ primum rescripsit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [10] : *Constantien.*, 8 *julii* 1769. Deinde cum non constaret de aspersione recte facta, de forma rite prolata, ac de intentione baptizatorum S. C. censuit baptizandos esse prædictos sub conditione : 20 *januar*. 1770.

10. Desperato naturali partu Fortunatæ Giacobini, chirurgus fœti caput infixum deprehendit, *tra l'osso pube, ed il sagro*. Tum ex aperto uteri ostio capitis verticem inspexit; ob id sub conditione baptizandum censuit, licet nullam sui partem ab utero emisisset. Inde ope remediorum puerpera viventem masculum in lucem edidit. Sed orta de collationis baptismatis validitate dubitatione, quæsitum est, an sub conditione sit iterandum? et affirmativum datum est responsum [11] : *Sutrina, Baptismi*, 12 *julii* 1794.

11. Cajetanus Vernetti ad cauponam prope Gallorum castra infantulam ex catholicis parentibus loco filiorum, quibus ipse carebat, obtinuit. In illa tradenda parentes dixerunt, eam baptismum a muliere habuisse, sed de hoc dubitabatur, et cum precati sunt, ut denuo baptizaretur; propterea hoc dubio agitato sub formali examine, mater attestata est, jacens in lecto vidisse obstetricem filiam suam baptizasse, et formam audivisse hisce verbis prolatam : *Enfante te baptise en nom de Père, de Fils et de Saint-Esprit :* inde S. C. desuper quæsita, constare de sacramenti validitate, ita ut minime esse sub conditione iterandum statuit : *Brixien.*, *Baptismi*, 11 *febr*. 1797.

[8] Ad hæc notat Giraldi (*Exposit. Jur. Pont.* part. 1, pag. 443) « Notandum, et quidem speciatim, quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus ligatus sit, sive non, matrimonio, et sine præjudicio matrimonii, si quod prius fuerit rite contractum. »

[9] Formæ dubiæ sunt : 1. si dicatur : ***Ego te baptizo in virtute Patris, et Filii, et Spiritus Sancti***; 2. si dicatur : ***Ego te baptizo in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto***, vel ***in uno Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto*** ; 3. si dicatur : ***Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, et Procedentis ab utroque***, vel ***in nomine Ingeniti , Geniti, et Doni***, vel ***in nomine Creatoris, Redemptoris, et Sanctificatoris***, vel ***in nomine Omnipotentis, Sapientis, et Boni***; vel ***in nomine primæ, secundæ, et tertiæ Personæ SS. Trinitatis***; 4. si dicatur : ***Ego te baptizo in nomine Filii, et Patris, et Spiritus Sancti***, vel, ***in nomine Spiritus Sancti, et Patris, et Filii*** ; vel ***in nomine Filii, et Spiritus Sancti, et Patris***; 5. si dicatur : ***Ego Patris baptizo te in nomine, et Filii, et Spiritus Sancti***; 6. si dicatur : ***Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus***, omittendo ***Sancti*** ; 7. si dicatur: ***Ego te baptizo nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti***, omittendo ***in***. Unde baptizati in istis, et similibus formis dubiis, debent iterum rebaptizari sub conditione, dicendo v. g.: ***Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti***, textu expresso cap. ***de Quibus dubium 2, de Baptismo, et ejus effectu***.

[10] « Injunctum ei (nuntio apostolico) fuit, ut, prævio accurato examine tum mulieris, quæ baptismum contulit, tum etiam Marci Davidis, ejusque uxoris, ac filiorum, circumstantias omnes percunctaretur. » ***Ead. causa*** 20 ***jan***. 1770.

[11] Benedictus XIV in *Synod. Diœces.* lib. 7, cap. 5, hanc expendit quæstionem, et num. 6, ait: « His argumentis nimium confisus Gualdus in cit opusc. cap. 12, num. 216, Episcopos hortatur, ut parvulos intra matris uterum adhuc occlusos, cum in vitæ discrimine versantur, et obstetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari præcipiant, atque edicant. Verum, quoniam ipsemet fatetur ultimum controversiæ judicium a Sede Apostolica esse proferendum, tutius erit, ut Episcopus istud expectet, nec interim quidquam suis constitutionibus inserat, quo implexæ istius quæstionis decisionem sibi arrogasse videatur. Ad parochos vero pertinebit obstetrices instruere, ut, cum casus evenerit, in quo infantem, nulla adhuc sui parte editum, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, et foras prodeat : quemadmodum, post alias, faciendum monet Tournely in suis *Prælection.*, *de Sacram. baptism.*, quæst. 5, art. 5.

12. Dubium in S. C. proponit Episcopus Brixiensis de baptismo Elisabeth Pegorini jam adulta, et uxor. Hujus pater post ann. 29 dubitavit de ejusdem baptismi validitate, et testatur occasione difficilis partus suæ uxoris. *Aver veduto la levatrice... versare l'acqua di battezare la bambina, che crede in gran pericolo prima che nasca, ma non ho veduto emergere dall' utero materno niuna parte della bambina medesima e sono moralmente sicuro, che nessuna parte d'acqua non ha tocco nessuna parte della bambina medesima, che venne poi alla luce dopo tre ore.* Parochus Ecclesiæ S. Faustini inde obstetricem interrogavit de collato baptismo, et affirmativo accepto responso, alias cæremonias sacramenti tantum adhibuit. Interrogata S. C. respondit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [12] : *Brixien., Dubia baptismi et matrimonii*, 27 *august.* 1796, *dub.* 1. Deinde decidit baptismum non esse iterandum sub conditione, et oratrix acquiescat : 17 *dec. ejusd. anni.*

Basilicæ lateranensis urbis vicarius. Vide *Vicarius basilicæ Lateranensis urbis.*

Basilicæ S. Petri fabrica. Vide *Fabrica basilicæ S. Petri.*

Benedictio abbatis. Vide *Abbas*, § i.

BENEDICTIO.

§ I.

Benedictio in articulo mortis.

Archipresbytero ecclesiæ collegiatæ oppidi Novarum, quæ super ceteras parochiales ecclesias quadam superioritatis specie potitur, ad infirmos pro benedictione in articulo mortis elargienda accedenti superpelliceum, et stolam sine parochi licentia in actu benedictionis deferre licet : *Derthonen., Jurium parochialium*, 3 *dec.* 1718, *dub.* 14, confirmata 7 *dec.* 1720.

Benedictio cadaverum. Vide *Cadaver*, § i.

§ II.

Benedictio concionatoris.

1. Vigore Episcopi Vigiliensis in stantiæ in relatione status suæ ecclesiæ porrectæ S. C censuit, si concionatores regulares ab universitate ex vetusta consuetudine nominati, atque in ecclesiis suorum ordinum sint prædicaturi, utique sufficere, ut ab Episcopo benedictionem petant; quod si sacras conciones habituri sint in aliis ecclesiis debere ab Episcopo etiam obtinere licentiam, quæ in eorum conciones poterit, si ita ei visum fuerit expedire, etiam per examen illorum idoneitatem scrutari : *Vigilien.*, 7 *junii* 1601.

2. Dubio proposito; an concionator monasterii, seu ecclesiæ abbatialis, et parochialis S. Euthitii ab abbate commendatario nominatus possit ad sui libitum ad Episcopum accedere pro recipienda benedictione, dummodo id fiat paulo ante quadragesimam? S. C. rescripsit, ad mentem [13] : *Spoletana, Concionatoris*, 13 *april.* 1737, confirmata 28 *jan.* 1741.

3. Concionatorum benedictio, et licentia prædicandi in ecclesia exteriori S. Angeli ad Nidum concedi debet ab Archiepiscopo Neapolitano, minime obstante exemptione ab ejus rectore prætensa : *Neapolitana*, 21 *junii* 1742, *dub.* 5 [14].

4. Sacer orator ordinis Carmelitarum deputatus, et approbatus a suo provinciali pro concione habenda in ecclesia parochiali terræ Cremolini a PP. Carmelitis retenta, non tenetur se subjicere novo examini coram Episcopo, sed tantum benedictionem ab ipso petere : *Aquen., Concionatoris*, 13 *sept.* 1749, *dub.* 4.

Benedictio oratorii. Vide *Oratorium*, § ii.

§ III.

Benedictio super populum.

1. In posterum tolerandum minime est, quod in ecclesia cathedrali fiat feria quinta majoris hebdo-

[12] Nempe ut « Episcopus procedat ad examen obstetricis, patrinorum, aliarumque testium, etiam de auditu, quatenus vivant, et previa inspectione libri parochialis baptizatorum parochi Bussi, referat, utrum in eodem adsit descriptum aliquod baptisma domi collatum, et de formula in eo describendo adhibita, transmissis prædictis examinibus, et formula in describendo Elisabeth baptismate adhibita, necnon aliorum baptismatum domi collatorum ob mortis periculum. » *Ead. causa*, 17 *dec.* 1796.

[13] Quæ fuit, ut deberet potissimum inspici, et certius edoceri, quid hac in re synodales hujus diœcesis constitutiones præciperent. *Ead. causa*, 18 *januar.* 1741, § 2.)

[14] Hanc resolutionem sequuta est Const. *Præclarum*, 4 octob. 1753. (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 152. Bened. XIV, qua declaratur qualis exemptio conveniat ab archiepiscopi Neapolitani jurisdictione hospitali prædicto, ecclesiæ et personis.

mandæ expositio Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, et detur benedictio solemnis super populo feria sexta sequenti post Missæ celebrationem : *Verulana, Visitat. sacr. liminum,* 21 *januar.* 1719, *dub.* 4.

2. Supplicatione expleta benedictionem super populum impertiri potest capellanus confraternitatis B. V. Mariæ Salutis, Humilitatis, et Subsidii terræ Medicinæ in propria ecclesia, superpelliceo, et stola indutus, absente, vel etiam renuente parocho; secus vero extra illam : *Bononien.*, 28 *julii* 1724, *dub.* 4.

3. Deinde ad quæsitum : an capellanus dictæ societatis in functione Novendiali ante festivitatem suæ ecclesiæ, et expositionis Sanctissimi Sacramenti occasione infirmitatis alicujus sodalis liceat populum benedicere? S. C. servari synodales constitutiones mandavit : *Ibid.*, *dub.* 11.

4. Archipresbyter ecclesiæ S. Blasii civitatis Aquilæ tempore visitationis, quam ipse cumulative cum Episcopo servata forma Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 3, *de Reform.* [15], peragere potest in ecclesiis terræ Pizzuli, et S. Victorini, benedictionem super populum elargiri nequit tam in dictis ecclesiis, quam per vias et plateas eorumdem locorum : *Nullius, seu Aquilana jurisdictionis,* 4 *maii* 1726, *dub.* 5.

5. Societas S. Mariæ de Libertate dum dominica ultima septembris ducit supplicationem cum imagine S. Mariæ ad plateam maximam civitatis assistente parocho, vel in ejus absentia proprio capellano, potest populum benedicere tam in dicta platea, quam sub stillicidio propriæ ecclesiæ, et intus eamdem; accedente tamen Ordinarii venia, et comitante parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia : *Bononien.*, 15 *maii* 1728, *dub.* 14.

6. Benedictionem cum augustissimo Sacramento elargiri non potest parochus S. Mariæ loci Rapagnani in ecclesia seu oratorio confraternitatis suffragii intra fines suæ parochiæ existente invitis sodalibus : *Firmana, Jurium parochialium,* 2 *junii* 1736, *dub.* 3.

7. Quamplurimis exortis controversiis inter PP. ordinis Prædicatorum conventus Centumcellarum, cui adnexa est parochialis ecclesia S. Mariæ, et sodales confraternitatis Orationis, et Mortis, quæsitum etiam fuit; an occasione processionis B. M. Virginis Septem Dolorum extra ambitum societatis ecclesiæ, ejus capellano liceat populum benedicere irrequisito parocho, num ipse intervenire, et benedicere velit? respondit S. C., affirmative de licentia Episcopi : *Viterbien.*, 16 *dec.* 1741, *dub.* 11.

8. Et ad dubium : an benedictio populo impertienda cum augustissimo Sacramento occasione illius expositionum, quæ peraguntur in ecclesia dictæ societatis, volente parocho, danda sit per ipsum sive potius per capellanum societatis? S. C. respondit, affirmative ad formam concordiæ : *Ibid.*, *dub.* 13.

9. Decretum capituli ecclesiæ S. Eustachii Urbis, quo præcipitur inter cetera vicario curato super populo benedictio sanctissimi Eucharistiæ sacramenti occasione ejusdem expositionis in prædicta ecclesia juxta legem donationis ab Aloysio Greppio factæ sodalitio Sanctissimi Sacramenti, servandum esse decernitur : *Romana,* 14 *sept.* 1748, *dub.* 2.

[15] Quo præcipitur, ut Episcopi, aliique superiores visitationem suæ diœcesis faciant, eamque intra biennium absolvant. Hac occasione, et extra etiam visitationem datur super populum benedictio. Benedicere per vias abbati non conceditur, ex decreto S. C. Rituum in Nullius provinciæ Burgen. 24 aug. 1609. Immo abbates neque possunt per ecclesiam incedentes benedicere populis quamvis pleno jure subjectis, ex S. C. Rituum in decreto circa usum pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum ab Alexandro VII, Sum. Pont., edito 26 sept. 1659, § 13 (vel a Giraldi ***Exposit. Jur. Pont.***, tom. 2, pag. 723 seqq.), his verbis: « Pontificales benedictiones cum trina crucis productione in Missis tantum pontificalibus, necnon vesperis, et matutinis pontificaliter itidem celebratis, licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per ecclesiam incedentes, benedicere non præsumant. » Et denuo in declaratione dicti decreti edita die 12 junii 1660, cit. § legitur : « Asserentibus monachis, abbates in Missis privatis hactenus episcopali more benedixisse, et pontificalibus præsertim indutos per ecclesiam transeuntes occurrenti populo benedictionem elargiri consuevisse. » S. Congr. Rituum censuit ***Servandum esse decretum.*** » Clemens XIII Const. ***Inexhaustum***, 3 nonas sept. 1762 et alia ***Decet*** 3 kal. sept. 1763, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliquibus inferioribus prælatis benedicendi populo nomine Sanctitatis Suæ facultatem postulantibus concedendam esse duabus anni solemnitatibus, nimirum paschate Resurrectionis Domini, et alio die solemni eorum respective arbitrio designando : sed prælatis inferioribus semel in anno, statuitur, ritusque servandus præscribitur ; videlicet, expleta in utraque solemnitate Missæ solemnis celebratione, in primis alta voce, per ministrum superpelliceo indutum, legatur litteræ apostolicæ, in quibus indulgentia plenaria conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem, ad populi intelligentiam, translata recitetur. Postea Episcopus surgens, juxta ritum in ***Cæremoniale Episcoporum*** expressum dicet: ***Precibus, et meritis*** etc., ***Misereatur*** etc., ***Indulgentiam*** etc., ***Et Benedictio Dei*** etc. Demum post impertitam benedictionem, publicabitur latino, vel vernaculo idiomate concessio plenariæ indulgentiæ.

BENEDICTIONES.

Benedictiones aquæ, campanarum, candelarum, cerei paschalis, cinerum, fontis baptismalis, ignis, ovorum, palmarum, puerperarum et sponsarum.

1. Regularibus non prohibetur in eorum ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere : *Bononien.*, 20 *junii* 1620, *dub.* 1.

2. Regularibus civitatis Antuerpiæ non licet mulieres post partum ad purificationem admittere in propriis ecclesiis : *Antuerpien.*, *Jurisdictionis*, 18 *nov.* 1662 [16].

3. Benedicere mulieres post partum in ecclesia S. Mariæ de Populo non spectat ad solum parochum ecclesiæ S. Joan. de Vico, intra cujus ecclesiæ parochialis limites illa ecclesia jacet : *Forolivien.*, *Jurium parochialium*, 18 *nov.* 1684, *dub.* 1.

4. Ad dubium, an vicario ecclesiæ, seu oratorii S. Mariæ Angelorum liceat candelis, palmis, cineribus, cereis, ovis, domibus benedictionem imper-

[16] Attamen eadem S. C. posse mulieres accedere ad quascumque ecclesias sibi benevisas, et regulares ad purificationem admittere censuit, uti in num. 15 legitur. Inde iterum hoc jus parochus clare vindicavit, ex num. 24 habetur. S. Congr. visitationis apostolicæ *in Romana*, *Jurium parochialium*, 15 sept. 1695, et 23 januar. 1698. Amiculo partibus informantibus plene discusso, decisum est benedictionem puerperarum spectare privative ad parochum S. Nicolai in Carcere ad exclusionem ecclesiæ, et ministrorum hospitalis B. M. Consolationis ; et S. C. Rituum *in Urbis*, *et Orbis Jurium parochialium*, ad dubium 6. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium, sint de juribus mere parochialibus ? respondit, *negative*, die 1 dec. 1703 ; sed benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a parochis ; quod decretum confirmavit Sum. Pontifex, et publicari mandavit die 23 jan. 1704. Quæstio proinde est, an benedictio mulieris post partum fieri possit, ac recipi in quavis ecclesia, et a quovis sacerdote, sive seculari, sive regulari ? Rituale romanum *de Benedictione mulieris post partum.* « Si qua, (inquit), puerpera post partum, juxta piam, et laudabilem consuetudinem ad ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a sacerdote benedictionem. » Hæc verba expendens Joseph Catalanus presbyter oratorii S. Hieronymi Charitatis in suis eruditis commentariis ad præfatum Rituale tit. 7, cap. 3, § 1, tom. 1, pag. 454 et seq. ait num. 4 : « Minister itaque benedictionis est quilibet sacerdos, non absolute parochus ; cumque nulla ibidem mentio fiat ecclesiæ parochialis, cui ista benedictio alligetur, hinc satis deducitur posse hanc benedictionem in quavis ecclesia fieri, et a quovis sacerdote, qui illi scilicet ecclesiæ præsit, ad quam benedictionem post partum susceptura mulier accedit » et paulo post : « Porro vidi sæpe Romæ hujusmodi benedictionem in ecclesiis non parochialibus celebratam, imo iterum atque iterum in nostra ecclesia S. Hieronymi Charitatis, parochis scientibus, et nequaquam reclamantibus » et num. 5 : « Cæterum tametsi ex Rituali nostro romano liberum sit mulieri ad quam malit ecclesiam accedere, non addubito tamen, quin standum sit receptæ locorum consuetudini, ac synodalibus statutis. Certe quod a parocho debeant puerperæ benedictionem accipere statuit non uno in loco S. Carolus, et præsertim in provinciali concilio superius memorato. Ne sponsorum, et mulierum post partum benedictiones a regularibus persolvantur, vetuit, et quidem sub excommunicationis pœna. Synodus provincialis X Beneventana sub Jacobo III Card. Sabello anno 1567 sess. 7, tit. 1, cap. 5. Quoniam vero intelligimus, a regularibus nullam curam animarum habentibus falcem in alienam messem immitti, et sponsorum, sponsarumque benedictiones fieri, itemque mulierum a partu ad ecclesiam venientium, quæ munera propria parochorum sunt ; eis sub pœna excommunicationis mandamus, ne se hujusmodi officiis ad eos minime spectantibus nullo pacto immisceant. Esse proprium parochi munus sponsorum benedictionem aperte constat ex nostro Rituali, ex Concilio Tridentino, ex repetitis S. C. ejusdem Concilii Interpretum decretis ; sed non puto idem dici posse de mulieris benedictione post partum, ex rationibus superius a nobis jam explicatis ; potissimum vero ex illa, quod ubi nostrum Rituale absolute parocho benedictionem sponsorum tribuit, benedictionem vero mulieris post partum, non quidem parocho, sed sacerdoti ; ei scilicet, a quo mulier benedictionem ipsam petierit. » Et Matheuc. *Offic. curiæ eccles.*, cap. 36, num. 18, cui concordat decretum factum in Antuerpien. cum eo edito ab ead. S. C. 2 julii 1620 in causa Bononien., quod « Regulares non prohiberi in eorum ecclesias mulieres post partum ad purificationem admittere. » dub. 9. ait « Illud procedere in locis, ubi non adest consuetudo, quod regulares mulieres in propriis ecclesiis ad purificationem admittant : alterum vero in locis, in quibus hæc reperitur. Consideratur etiam, quod hoc est juxta resolutionem ejusd. S. C. Concilii in Aquen., 9 junii 1708, ad dub. 10. » Denique Schmalzgrueber consil. 58, *de Jur. bapt. et purif. post part.*, quæst. 2, num. 10, pag. 627, tom. 1, edit. Dilingæ 1740 concludit : « Ubi consuetudo contrarium non præscripsit, vel de hoc non adest speciale privilegium regulares in suis ecclesiis non posse admittere puerperas pro benedictione post partum, sed quoad ipsos soli parocho id privative competere » et rationem assignat, præter alias a Pignatell. tom. 5, consult. 76, num. 2, et seqq. allatas : « Quia benedictio hæc, cum fiat cum superpelliceo, stola, et aqua benedicta, ac cum oblatione candelæ, quæ sunt signa jurisdictionis, ad solum parochum, intra fines parochiæ suæ jurisdictionem, et fundatam in omnibus oblationibus intentionem habentem, spectare debet. » Vide etiam Monacell. part. 1. tit. 10, form. 18, num. 10, et seqq.

tire? affirmative præterquam quoad benedictionem domorum respondit: *Nullius, seu Nonantulana, Jurium parochialium*, 13 *januar*. 1685, *dub*. 2.

5. Et ad alterum dubium: an mulieres eidem liceat ad purificationem post partum recipere? affirmative rescribitur: *Ibid., dub*. 3.

6. Benedictio candelarum in die Purificationis B. M. V., cinerum, et palmarum in ecclesia conservatorii Sanctissimæ Conceptionis terræ S. Severini spectat ad ecclesiæ capellanum: *Salernitana, Jurium parochialium*, 19 *aug*. 1702, *dub*. 6.

7. Ob quæstionem inter patres Carmelitas, et præpositum loci Incisæ dubio disputato; an possint in propria ecclesia mulieres post partum benedicere, et ad purificationem admittere? respondit S. Congr. affirmative: *Aquen., Jurium parochialium*, 9 *junii* 1708, *dub*. 10, confirmata, 27 *april*. 1709.

8. Monasterio congregationis Olivetanæ Sculchæ nuncupatæ reperiuntur unitæ plures ecclesiæ parochiales, quæ administantur per vicarios ab abbate deputatos. Harum matrix semper reputata fuit ecclesia S. Laurentii in Monte, ad quam accedunt alii rectores in Sabbato sancto, et Pentecostes die ad coadjuvandum parochum S. Laurentii in functionibus peragendis. Anno 1689 exarsit quæstio, cui ex vicariis committi deberet benedictio fontis, ignis, et similium? et Episcopus per modum provisionis decrevit spectare ad seniorem. Ast vicarius S. Laurentii synodali consuetudine fretus S. C. adiit, quæ in ejus favorem quæstionem resolvit sub die 13 januar. 1691, ac iterato certamine resolutio confirmata fuit: *Ariminen., Jurium parochialium*, 10 *jan*. 1711, *dub*. 1.

9. Ac rector ecclesiæ curatæ Vergiani renuens tenetur assistere benedictionibus præfatis in die Sabbati sancti, aliisque functionibus in die Pentecostes peragendis: *Ibid., dub*. 2.

10. Absentes vero ex dictis rectoribus Episcopus cogat juris remediis: *Ibid., dub*. 3.

11. Benedicere fontem, et similia, aliasque in die Sabbati sancti functiones peragere ad archipresbyteralem, et matricem ecclesiam Vetiani superioris spectat privative quoad alias: *Lunen-Sarzanen., Præeminentiarum*, 15 *maii* 1717, *dub*. 1, confirmata 23 *julii* 1718.

12. Eidemque benedictioni, ceterisque functionibus præfatis assistere tenentur parochi inferiores; ita ut renuentes cogendi sint juris remediis: *Ibid., dub*. 2 et 3, confirmata *ibid*.

13. Fontis, et cerei paschalis benedictio ad ecclesiam collegiatam oppidi Novarum, quæ quadam superioritatis specie supra ceteras parochiales ecclesias gaudet, in die Sabbati sancti spectare debet: *Derthonen., Jurium parochialium*, 3 *dec*. 1718, *dub*. 2, confirmata 7 *dec*. 1720, *dub*. 1.

14. Et eidem benedictioni assistere debent parochi aliarum ecclesiarum, vel per se, vel per eorum deputatos: *Ibid., dub*. 3, confirmata *ibid*. [17].

15. Jus benedicendi sponsas ad parochos privative, non autem benedicendi puerperas, spectat: *Ibid., dub*. 7. Deinde in libertate puerperarum esse ad quacumque ipsis benevisam ecclesiam accedere, ut benedictionem recipiant, sancitur: 7 *dec*. 1720, *dub*. 1.

16. Benedicere candelas in oratorio societatis Orationis, et Mortis loci Prædarii potest capellanus ejusdem societatis pro confratribus, et sororibus, in die festo Purificationis B. M. V., etsi non accedat parochi consensus: *Novarien., Aggregationis*, 24 *sept*. 1718, *dub*. 12. Reproposita causa, fuit rescriptum ad mentem: 13 *januar*. 1720.

17. Præposito S. Georgii terræ Urbisaliæ benedicere non licet domos subjectas plebaniæ S. Laurentii non monito, vel invito ejusdem plebano: *Maceraten., Jurium parochialium*, 17 *junii* 1719, *dub*. 1.

18. Benedictio fontis, et similium in Sabbato sancto, et Pentecostes privative spectat ad archipresbyterum pro tempore ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ terræ Barutii, quæ gaudet prærogativa majoritatis; minime vero ad unumquemque ex tribus parochis dicti loci: *Aquen., Præeminentiarum et jurium parochialium*, 8 *martii* 1732, *dub*. 2.

19. Postulantibus rectoribus ecclesiarum parochialium terræ Campobassi an benedictio fontis baptismalis ecclesiæ archipresbyteralis dicti loci fieri debeat ab archipresbytero, vel per vices? S. C. decrevit faciendam esse alternatim juxta statuta anni 1715 [18]: *Bojanen., Jurium parochialium et præeminentiarum*, 24 *maii* 1732, *dub*. 6.

20. Quæsitum etiam fuit, an, a quibus, et quibus diebus fieri deberet benedictio crucium distribuendarum juxta solitum per januas dictæ terræ ad pii populi devotionem? S. C. rescripsit: Ut serventur statuta anni 1715: *Ibid., dub*. 18.

[17] *In Causa Savonen*. 17 nov. 1691 etiam constitutum fuerat parochos ecclesiarum filialium assistere in ecclesia matrice benedictioni fontis teneri, confirmata die 28 febr. 1693, de qua re loquitur Benedictus XIV, *Inst. Eccles*. I, num. 6, tom. 11, pag. 4, et Card. Petra *Comment. ad Const. V, Innoc. IV*, sect. unic. num 19 tom. 3, pag. 30, qui addit dictæ declarationi, ita ut etiam præcedentia « fuerit adjudicata canonicis ecclesiæ collegiatæ supra parochos, sine tamen horum præjudicio; et quidem juste, cum canonici ecclesiæ matricis constituant corpus ipsius ecclesiæ, quæ est major filialium. »

[18] Vide notam 235 lit. A.

21. Benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et ovorum explere, mulieres ad purificationem post partum recipere in oratorio B. M. V. ab ejus capellano minime licere decrevit S. C. in casu, de quo agitur. Agebatur quippe de oratorio, quod publicum eadem S. C. declaraverat, sed cujus ædificatio ab eminentissimo abbate Nonantulæ concessa fuerat ad commodum nobilis familiæ Bevilacqua, salvis tamen juribus parochialibus ecclesiæ S. Jacobi, intra cujus limites parœciæ oratorium ædificatum fuit: *Nullius, seu Nonantulana, Jurium parochialium*, 27 *junii* 1744, *dub.* 5, confirmata 8 *maii* 1745.

22. Orta est quæstio, an benedictio fontis baptismalis facienda in die Sabbati sancti spectet privative ad archipresbyterum ecclesiæ S. Stephani Sigestri cum interventu omnium parochorum, et rectorum Sigestri; seu idem archipresbyter adire debeat ecclesiam S. Mariæ de Nazareth, quum nondum de ecclesiæ S. Stephani matricitate definitum sit? S. C. rescripsit: Dilata, et extrahantur documenta citatis partibus: *Brugnaten.*, *Plebanatus et præeminentiarum,* 20 *nov.* 1745, *dub.* 3.

23. Benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et ovorum non sunt de juribus mere parochialibus, adeoque expleri possunt a rectoribus ecclesiarum ruralium etiam cum pulsatione tintinnabuli; nec privative spectant ad parochum, ita ut suspensionis pœna ab Episcopo inflicta rectori, qui functiones prædictas in sua ecclesia peragebat, nulla declarata fuerit: *Amerina*, *Functionum,* 3 *dec.* 1757, *dub.* 1.

24. Benedictionem super puerperas ad ecclesiam regularium post partum accedentes impertiri non possunt regulares civitatis Cervariæ, non obstante immemorabili consuetudine in eorum favorem inducta, ac re judicata super eorum jure exorta; sed jus benedicendi puerperas spectat ad parochos dictæ civitatis: *Celsonen.*, 31 *martii* 1759.

25. Cathedralem ecclesiam visitans Ilerdæ Episcopus, moremque ibi inveniens, quod cathedralis parochus utpote parochus ecclesiæ matricis, omnibus matrimoniis incolarum cujuslibet parochiæ privative benedictionem impertitur, decrevit benedictionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario licentiam alii sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, vel privilegio non obstante. Inde quæstione excitata, et dubio proposito, resolutum fuit, non consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo cathedralis ecclesiæ parocho standum, sed decreto Episcopi, quod matrimonia benedicantur a propriis parochis, quorum est matrimoniis interesse, adhærendum esse: *Ilerden.*, 28 *maii* 1785, *dub.* 1.

26. Episcopus Burgi S. Domnini quæsivit; an liceret minoribus Cappucinis suæ diœceseos puerperas admittere ad purificationem; seu an hoc jus potius sit parochiale? statuta synodalia parochis favent, sed expressa lex deficit, quæ hoc jus tantum parocho tribuat; hinc re perpensa a S. C., non licere prædictis patribus puerperas ad purificandum admittere, statutum est: *Burgi S. Domnini, Visit. SS. liminum*, 26 *april.* 1788.

27. Declaravit S. C. archipresbyterum ecclesiæ S. Petri oppidi, esse manutenendum in possessione juris benedicendi fontem baptismalem assistentibus parochis S. Mariæ, et S. Nicolai in Sabbatis sanctis ante paschate Resurrectionis, et Pentecostis: *Ferentina Matricitatis, et Fontis baptismalis,* 18 *martii* 1797, *dub.* 3.

Reliqua. Vide *Regulares,* § III.

BENEFICIA ECCESIASTICA.

§ I.

Beneficia ecclesiastica quoad capacitatem illa assequendi, vel retinendi.

1. Proposito dubio: an intelligi debeant filii patrimoniales ad effectum consequendi beneficia filiis patrimonialibus reservata locorum Higheæ Cornagi, et Valdeperilli, qui nati fuerunt in villis prædictis etiam ex parentibus exteris, qui saltem per decennium habuerunt domicilium in eis? S. C. rescripsit, ut servetur constitutio synodalis: *Calaguritana, Distinctionis beneficiorum*, 3 *dec.* 1712, *dub.* 2.

2. Beneficium seculare, et parochiale a serenissimo electore Palatino collatum fuit Francisco Wernero Hansen Cisterciensi, ut cœnobio reditibus satis non instructo succurreretur. Ab ipso retineri non posse, adeoque dispensationem denegandam esse S. C. censuit inter summa. precum; quia beneficia secularia regularibus, et regularia secularibus conferri vetitum est. Modo confirmatur decretum: *Colonien.*, *Dispensationis,* 9 *febr.* 1632.

3. Ecclesiasticorum beneficiorum minime ido-

neum esse absque apostolica dispensatione Sebastianum Passanha de Torres, qui ad sui defensionem absque tamen moderamine inculpatæ tutelæ homicidium perpetraverat, dum in clericali statu reperiebatur, et prævia dispensatione ab Episcopo obtenta, ad sacros ordines promotus fuerat, rescripsit S. C.: *Elboren., Irregularitatis*, 16 *martii* 1737, *dub.* 1.

4. Beneficium S. Joannis a Galasso retineri debet ab Episcopo Guardiæ Alferiæ non obstante unione dicti beneficii ecclesiæ oppidi Armenti, quia unio prædicta effectum suum dumtaxat sortiri potuisset in casu vacationis dicti beneficii, quæ sequuta non fuit per promotionem ad Episcopatum, quum gratia retentionis eidem concessa fuerit, adeoque fructus ab ecclesia oppidi Armenti ex beneficio percepti restituendi sunt Episcopo: *Tricarien., Beneficii*, 10 *febr.* 1748, *dub.* 2, confirmata 17 *julii* 1756.

5. Beneficium seculare erectum in ecclesia parochiali S. Sebastiani terræ Massæ, cujus patronatus pertinet ad patres Scholarum Piarum, ab ipsis retineri non potest; quamvis ab ipsomet fundatore præsentati fuerint in testamento, quo eos hæredes nuncupavit, ideoque oneri Missarum per seipsos satisfacere nequeunt: *Marsorum, Capellaniæ*, 18 *febr.* 1764, *dub.* 1.

6. Sacerdos Joseph Boghetti Anconæ natus ex patre Illyrico, quum linguæ illyricæ, cui tamen addiscendæ sedulo operam dabat, nequaquam peritus esset, super hoc defectu habilitationem obtinuit ad assequendum canonicatum seu beneficium in ecclesia collegiata S. Hieronymi nationis Illyricæ. Hinc habilitationi utpote legibus fundationis adversæ sese opposuit congregatio illyrica, ast S. C. rescriptum habilitationis sustineri edixit: *Romana, Habilitationis*, 13 *julii* 1776.

7. Clericus Augustinus Boschi annorum 43 patronus, et rector cujusdam beneficii S. Petri adeo obtusæ est mentis, ut neque canonicas horas recitare sciat, neque spes est, ut hanc obligationem explere valeat. Temporariam hactenus illarum commutationem in alias preces obtinuit, sed de prorogationibus habendis timens rogat S. C., ut demisso ab eo beneficio, illud sibi, vel alteri administrationis titulo permittat, qui unico adimpleto annui sacri onere die festo S. Petri, reliquos ei reditus alimentorum causa tribuat. De ejusdem paupertate testatur Episcopus; sed S. C. maluit potius arbitrio Episcopi divini officii commutationem ei indulgere, quam preces administrationis titulo beneficium retinendi admittere: *Collen.*, 30 *aug.* 1788, *dub.* 1 et 2.

[19] Vide not. 18, lit. A

§ II.

Beneficia ecclesiastica quoad collationem, seu provisionem, et impetrationem.

1. Non est S. C. Concilii decidere, an provisio beneficiorum spectet ad priorem, vel ad Archiepiscopum; examen tamen, et approbatio instituendorum ex Concilio pertinet ad Archiepiscopum: *Teanen. anni* 1581, *dub.* 3.

2. Manifestum est facultatem nuntii, quoad beneficia conferenda non extendi, nisi ad beneficia 24 ducat. annui reditus: *Tarraconen.*, *febr.* 1590, *dub.* 3.

3. Quum in diœcesi reperiantur beneficia simplicia liberæ collationis tam modici valoris, ut non sit, qui velit adipisci, et vacent in præjudicium cultus divini, et salutis animarum; hinc quæritur quomodo Episcopus id his se gerere debeat? S. C. respondit, quod in beneficiis non excedentibus annua scuta 2 auri, sola signatura Papæ est sufficiens, et pro reliquis fiant expeditiones in forma: *Vicen., Visitationis sacrorum liminum*, 15 *aprilis* 1690, *dub.* 4.

4. Clerus, et populus villæ de Sos postularunt, quod beneficia ibidem existentia conferri deberent solis filiis patrimonialibus, et naturalibus ejusdem villæ, et S. C. censuit, si Sanctissimo placuerit, supplicationem signari posse quoad beneficia servitoria, necnon etiam quoad parochiales, dummodo adsint idonei ad easdem juxta formam concessionum locorum vicinorum: *Pampilonen., Beneficiorum*, 26 *januar.* 1704.

5. Quæstione exorta inter Cardinalem Archiepiscopum Firmanum, et Cardinalem abbatem Farfensem cuinam spectaret jus conferendi, seu instituendi ad beneficia erecta in collegiata ecclesia S. Antonii Castri Altidonæ? placuit Sacræ Congregationis exquirere votum Rotæ [19]: *Firmana, Juris conferendi et instituendi*, 2 *octob.* 1706, confirmata 7 *maii* 1707.

6. Duodecim beneficia servitoria existunt in parochiali ecclesia Sanctissimæ Assumptionis, et S. Benedicti villæ de Miranda, quæ una cum parochiali non minus civibus, quam exteris conferuntur; postulatum hinc fuit, ut fierent patrimonialia, et solum naturalibus adjudicentur; annuit S. C. quoad beneficia servitoria, et parochiales dummodo adsint idonei, et ad formam indulti in alia Pampilionen si sub die 26 januar. 1704 [20]: *Pampilonen., Beneficiorum*, 31 *julii* 1706.

7. Apostolicam provisionem obtinuit clericus

[20] Vide præsent. § num. 4.

Josephus Curucheta de beneficio in parochiali ecclesia oppidi de Tafalla existente. Obreptionis, vel subreptionis vitium oppositum fuit, quia non expressit se ordinibus sacris nequaquam esse insignitum contra statutum ecclesiæ præscribens, ut in dictis beneficiis presbyteri diaconis, diaconi subdiaconis, hi vero clericis infra annum promovendis præferantur, quod ab Alexandro V, Pont. Max., approbatum fuerat. Sed hoc non obstante S. C. censuit supplicationem Josephi relaxandam esse: *Pampilonen.*, *Beneficii*, 12 *januar.* 1709, confirmata 16 *martii ejusd. anni.*

8. Quoad beneficia parochialis ecclesiæ S. Mariæ de Aqualata sequentia dubia disputata fuere : An assertum statutum concernens admissionem beneficiatorum actu presbyterorum, prævio eorum examine super cantu Gregoriano, et cum carentia fructuum ad sex menses sustineatur? et quatenus affirmative

9. An quoad beneficia liberæ collationis habeat etiam locum in provisionibus faciendis in mense reservato?

10. An decretum factum ab Episcopo in visitatione anni 1698 de non facienda admissione beneficiatorum bis in anno, sustineatur? et S. C. ad omnia respondit : Dilata, et audiatur Episcopus juxta instructionem : *Vicen.*, *Statuti*, 27 *august.* 1712, *dub.* 1, 3 *et* 4.

11. Beneficium erectum ad altare S. Matthæi in ecclesia parochiali S. Silvestri civitatis Hortæ impetratum a S. Sede, quod vacavit in mense reservato, sive ex jure devoluto ob negligentiam patronorum, recte impetratum fuisse S. C. decrevit; ita ut litteræ apostolicæ in favorem impetrantis sint exequendæ; non obstante unione dicti beneficii cum præbenda theologali ab Episcopo expleta absque patronorum consensu : *Hortana, Beneficii seu capellaniæ,* 19 *nov.* 1757, confirmata 14 *januar.* 1758.

12. Beneficiorum, quæ jam ante obtinuerat, nova provisione non indiget Joannes Baptista Vivier, qui natus ex parentibus Turcis, baptismum in infantili ætate susceperat, et inde sacris ordinibus, ne presbyteratu quidem excepto, insignitus fuerat, facultate a tribunali Sacræ Inquisitionis Melevitano Episcopo tributa, ut ad sacros ordines ascendere posset : *Melevitana*, 13 *aug.* 1718, *dub.* 2.

13. Collationem duorum beneficiorum simplicium ab Episcopo factam sustinendam esse sancivit S. C., non obstante contradictione canonici Guadaleta tenuitatem redituum suæ præbendæ theologalis summam scutorum sexaginta non attingentis, quique unionem dictorum beneficiorum postulabat. Præbendæ enim prædictæ augmentum annuorum ducatorum triginta imminebat : *Melphiten.*, *Præbendæ theologalis*, 3 *dec.* 1740, *et* 18 *nov.* 1741, confirmata 17 *febr.* 1742.

14. Beneficii collatio jure devoluto ab Episcopo facta approbata non fuit; patroni namque Fr. Hyacinthum Mancerium in ordine Minimorum professum præsentaverant intra debitum tempus, qui erat ex patronorum familia, sub spe dispensationis obtinendæ. Inde aliud tempus indultum fuerat ad præsentandum, quo transacto nulla alia nominatio expleta fuerat : *Bitecten.*, *Beneficii*, 18 *dec.* 1745, *dub.* 1.

15. Palmerius Calabrese canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Matthæi ab Episcopo postulavit, ut suæ præbendæ theologali, quæ ad scuta sexaginta non ascendebat, aliud beneficium simplex annuorum scut. sex uniretur. Ast Episcopus beneficium hoc suo vicario generali contulit. Putavit enim præbendæ addenda esse alia ducata triginta ex decimis, et animarum cura percipiendis. Ad S. C. convolavit Palmerius, quæ provisionem Episcopi sustineri censuit : *Sarnen.*, 28 *maii* 1747, *dub.* 1.

16. Joannes Franciscus Marx primarias preces obtinuit ab imperatore Francisco I, ad assequendum unum ex duobus beneficiis erectis in ecclesia monialium Veteris Cellæ primo vacaturum. Archiepiscopus Moguntinus illas exequendas minime duxit. Prædictorum enim beneficiorum collatio ad abbatissam pertinebat, ac indultum apostolicum in favorem imperatoris locum habebat tantum quoad collatores quatuor beneficiorum, minime vero duorum abbatissæ, et S. C. dubio; utrum sint illæ exequendæ preces, vel an ad abbatissam collatio libera pertineat? respondit : Ad judices suos [21] : *Moguntina, Primariarium precum*, 14 *dec.* 1748.

17. Ut seminarium necessariis instrueret reditibus, octo beneficia simplicia eidem univit Episcopus, sed unio nunquam effectum sortita est. Nam sive ab Episcopo, sive a Sede Apostolica semper ea collata fuere. Duo ex his vacarunt, eaque a Dataria apostolica obtinuit Joseph Arenas : ubi vero vacationem novit seminarii rector, possessionem nactus est vigore unionis, ac proviso apostolico contradixit, verum S. C. litteras apostolicas esse exequendas declaravit : *Vallisoletana*, 3 *febr.* 1753, dub. 2.

18. Beneficium S. Sophiæ frustra impetratum fuit a canonico Januario Cominellio, adeoque ejus supplicatio relaxari non debuit. Unitum enim jampridem fuerat seminario auctoritate Episcopi : *Potentina, Beneficii*, 12 *maii* 1753. Reproposita causa rescriptum fuit, quod extrahentur partitæ ex libris seminarii, et firmaretur status beneficiorum,

[21] Qui omnes difficultates hujus controversiæ inquirerent, et summo jure judicarent.

quæ taxæ seminarii subjacent, citatis interesse habentibus : 15 *decem. ejusd. anni*. Inde mandatum fuit, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [22], transmissis actis, qui unionem præcesserunt : 9 *julii* 1757, ac tandem S. C. perstitit in decisis : 3 *dec. ejusd. anni*, confirmata in casu de quo agitur : 12 *aug*. 1758.

19. Beneficium simplex S. Mariæ de Vallefreda, quod pleno jure ad mensam abbatis monasterii de Aversa congregationis Cassinensis pertinet, utpote regulare, non est subjectum reservationibus apostolicis; sed ejus collatio ad solum abbatem pertinet, ut auditis ministris Datariæ S. C. resolvit : *Casertana, Capellæ seu beneficii*, 22 *martii* 1760.

20. Beneficii sub invocatione SS. Cosmæ et Damiani oppidi Granarii collatio ab Episcopo facta, pendente recursu in S. C. a patronis habito nulla declarata fuit, ita ut circumscribenda foret : *Mediolanen. seu Novarien.*, 21 *nov.* 1767, *dub.* 1.

21. Joseph Barberinius provisus fuit a Sede Apostolica de beneficio erecto in ecclesia S. Homoboni, quum in supplicatione reticuisset qualitatem sacerdotalem a fundatrice inter ceteras volitam, quaque ipse destituebatur, eam vero expressisset, postquam sacerdos Jacobus Vermiglius suas obtulerat preces, beneficium ipsum obtinere ille non potuit. Nam S. C. censuit signandam et relaxandam esse supplicationem sacerdotis Jacobi: *Cæsenaten.*, *Beneficii*, 17 *sept*. 1768.

22. Antonius Cosimi duo beneficia possidens, unum in ecclesia S. Luciæ Ripanæ diœcesis erectum, alterum sub invocatione S. Mariæ diœcesis Firmanæ, ære alieno gravatus aufugit. Bernardinus Volaturni bona, debito accedente consensu, in emphyteusim accepit, curamque plurimam in eorum instauratione impendit, rurales extruxit domus, ecclesiam S. Luciæ restauravit, curavitque ut pueri a sacerdote Dominico filio suo instruerentur. Hinc idem sacerdos pro collatione dictorum beneficiorum Sum. Pontifici preces obtulit, postquam per viginti, et ultra annos ad exteras nationes beneficiatus profugus abierat, sed ea obtinere nequivit : *Firmana et Ripana*, 18 *martii* 1780.

23. Dum nonnulli decurionis communitatis Castri Cryptarum ad mare postulaverant quatuor beneficia de jurepatronatu communitatis erigi in capellanias concuratas, perspecta populi multitudine, Ermenegildus Tanursi impetravit unum ex his vacans sub expressione, quod communitas negligens fuisset in præsentando, et gratiam obtinuit. Inde nominavit communitas, et supplicationem in favore Ermenegildi minime relaxandam esse statutum fuit : *Ripana, Beneficii*, 7 *junii* 1775, *dub*. 2.

24. Vincentius Cataldius quoad beneficia vacantia de suo jurepatronatu rescriptum retulit : *Tempus et tempora non currere per duos menses tantum :* postquam tamen alias temporis prorogationes obtinuerat : lapsis duobus mensibus neminem nominavit. Clericus itaque Aloysius Ciucci beneficium S. Marci jure devoluto a Sede Apostolica obtinuit; illico Vincentius nominationem explevit, et nihilominus beneficii possessionem nactus Aloysius Ciucci, cui manutentionem dandam esse, nec relaxandam supplicationem in favorem nominati a patrono S. C. putavit : *Asculana*, 6 *maii* 1786, *dub.* 1.

25. Beneficium ecclesiasticum erectum in ecclesia S. Josephi oppidi Appineani vacavit 9 septemb. 1788; jus nominandi ad Joannem Aloysium Ferri pertinebat, qui die 25 april. 1789 adeptus est suspensionem nominationis ob Josephum filium impuberem. Pubertatem ingressus die 12 junii 1791, iteravit preces pro prorogatione gratiæ, et eam non obtinuit; et assequutus est aliud quadrimestre computandum ad die elapsi quadrimestris. Sed clericus Antonius Galanti autumans ducendum esse prorogati quadrimestris initium ab expleta per Josephum Ferri 14 annorum ætate beneficium impetravit, uti ad S. Sedem devolutum, et Ferri statim ad S. C. confugit, quæ declaravit quadrimestre jam expirasse de tempore obtentæ collationis a clerico Galanti : *Asculana, Beneficii*, 17 *aug*. 1793.

BENEFICIA ECCLESIASTICA QUOAD CONCURSUM. Vide *Concursus*.

§ III.

Beneficia ecclesiastica quoad dotem seu dotationem.

1. Quum beneficium simplex sub titulo SS. Caroli, et Aquilini in oratorio publico oppidi Cassani a Christophoro Benzio fundatum fructus ad onera sustinenda impares redderet; abbas Paulus de Cantiis beneficii possessor bona pro dote non taxative, sed demonstrative tantum assignata fuisse putans vel onerum reductionem, vel dotis augmentum postulavit, et responsum habuit non esse locum reductioni, et quoad supplementum scribatur Episcopo juxta instructionem [23] : *Cremonen.*, *Supplementi*

[22] Ut Episcopus notulam omnium beneficiorum suæ diœcesis confici mandet cum expressione annuorum redituum cujuslibet beneficii, et in qua summa pro unoquoque taxa in favorem seminarii persolvatur, illamque distincte completam ad S. C. transmittat una cum actis, quæ præcesserunt unionem beneficii, de cujus controversia nunc agitur : *Regist. lit.* lib. 31, die 9 julii 1757.

[23] Qua mandatur, ut Episcopus ad electionem periti partibus non suspecti, servatis servandis deveniat, et quatenus partes non concordent, illum eligat ex officio,

dotis, 13 *aug*. 1729. Ad examen iterum reducta causa rescriptum fuit : Dilata, et Episcopus deveniat ad electionem alterius periti juxta instructionem[24], non retardata tamen interim celebratione Missarum salvis juribus abbatis : 26 *nov*. 1733, confirmata 20 *aug*. 1735. Tertio tandem decretum fuit : dotem esse augendam ab omnibus cohæredibus pro virili in scutis 130 annuis præter bona assignata computanda ab anno 1729, et redintegrato hodierno abbate de pecuniis ultra fructus perceptos erogatis pro oneribus beneficii ab anno 1713 usque ad dictum annum 1729 habita ratione fructuum perceptorum in annua summa scutorum 120 : 8 *febr*. 1738.

2. Dum de duorum beneficiorum a Joanne Carafini fundatorum erectione agebatur, inter moniales Carmelitas discalceatas civitatis Cremonæ ab ipso hæredes institutas, et exequutores testamentarios patronos quæsitum est ; an dos assignari deberet in pecuniis vel in fructibus terrarum fertilium, ac quænam esse deberet fructuum quantitas ? et S. C. postquam status hæreditarii firmationem præscripserat, decrevit assignanda esse tot bona stabilia hæreditaria, quæ æstimata juxta morem regionis quotannis redderent in fructu annua scuta 70 monetæ romanæ tam pro eleemosyna Missarum, quam pro necessariis expensis pro illarum celebratione : *Burgi S. Domnini*, 30 *april*. 1729, *dub*. 1, 2, 3 *et* 4.

3. In ecclesia parochiali S. Eulaliæ sitæ in suburbio Leopoli syndici suburbii, a quibus ecclesia regitur, petierunt ab Archiepiscopo consensum pro fundatione octo beneficiorum, et obtinuerunt, dote constituta in bonis et censibus ; et syndici de evictione caverunt in assignatione dotis, sed bona ecclesiæ, minime vero eorum bona obligarunt : inde autem presbyterorum communitas defectum dotis in fundatione assignatæ proposuit, et S. C. sancivit syndicos prædictos cogi non posse ad supplendam dotem insufficienter assignatam : *Calaritana, Suppressionis beneficiorum et attentatorum*, 22 *martii* 1756, *dub*. 3.

4. S. C. requisita ; an tria prædia *il Molino de' Frati, il Palombaro, la Maesta de' Frati* sint assignanda pro fundo beneficiorum, quæ erigenda mandavit in testamento Virginis Turchi in cathedrali ecclesia ; sed nonnulla in codicillis diversimode expresserat ? respondit, assignanda esse pro fundo beneficiorum, quorum erectionenem in codicillis confirmaverat : *Fulginaten*., 27 *aprilis* 1765, *dub*. 1.

5. Marcus Antonius, et Joseph Maria fratres Mazzocchini licet in erectione laicalis beneficii loca montium pro fundo ex bonis ipsorum venditis comparata constituerint ; tamen Marcus Antonius superstes altero testamento instituto beneficio prædicto nullam fecit mentionem investimenti pro beneficii fundo ; hinc S. C. consulta decrevit esse investienda bona Mazzocchini juxta votum Episcopi, qui putabat prædia, et domus remanere penes beneficiatum. Nam fructus locorum montium beneficii onera haud sustinebant : *Civitatis, Plebis beneficii*, 12 *martii* 1796, *dub*. 1.

§ IV.

Beneficia ecclesiastica quoad dismembrationem, seu divisionem, et distinctionem.

1. Ad beneficia, quæ sunt in parochialibus ecclesiis civitatis Calaguritanæ, quibus adnexa est parochialis ecclesia S. Bartholomæi villæ de Aldeanueva nominabantur tantum filii patrimoniales civitatis, exclusis originariis ejusdem villæ. Ad instantiam itaque universitatis villæ declaratum fuit esse locum distinctioni beneficiorum pro rata decimarum, et fructuum, qui capitulo solvuntur a populo de Aldeanueva ; ita ut ad eadem beneficia in concursu præferendi essent filii patrimoniales ejusdem villæ ad normam decreti emanati die 1 decem. 1685[25], servata in reliquis forma Motus proprii Clementis VIII, Pont. Max.[26] : *Calagurit*., *Beneficiorum*, 30 *sept*. 1702. Re rursus proposita rescripsit S. C. : Dilata, et coadjuventur probationes : 4 *martii* 1719. Inde recessit a decisis : 8 *febr*. 1721, confirmata et addidit ad mentem[27] : 8 *aug*. 1722.

et firmato, ut supra, statu prædicto eumdem ad S. C. transmittat, et certiorem faciat præcipue, ex cujus culpa deveniat redituum diminutio, an scilicet ex culpa rectoris beneficii, seu potius ex naturali bonorum qualitate : *Regist. lit*. lib. 27, die 13 aug. 1729.

[24] Injunctum fuit Episcopo, ut, non retardata Missarum celebratione, et salvis juribus abbatis, ad alterius periti electionem deveniret juxta instructionem, quæ in eo versabatur, ut peritus referret super valore bonorum, eorumque fructibus, tam anni 1702 et 1713, quam temporis præsentis, necnon causam, ob quam valor annuique reditus eorumdem bonorum fuerint imminuti, exprimeret : *Ead. causa*, 20 *aug*. 1755, § 3.

[25] Vide num. 1, § 7.

[26] Beneficia ecclesiarum Calaguritanæ, et Calciatensis diœcesis, ubilibet vacantia, utpote constituta ex decimis et fructibus solvi solitis a populo ipsorum locorum Pont. Max., Clem. VIII, de anno 1596 de voto hujus S. C., conferri mandavit solis filiis patrimonialibus, et originariis eorumdem locorum, ea tamen lege, quod major pars beneficiatorum ecclesiæ præsentare debeat Episcopo, quem maluerit ex illis, qui prævio examine idonei fuerint renunciati : *Ead. causa*, 8 *julii* 1702.

[27] Nempe ut Episcopus moneat capitulum, et beneficiatos, ne in futuris vacationibus despiciant Aldeanos, aliter S. C. ad assignationem beneficiorum pro eisdem ad

2. Capitulum beneficiatorum ex duabus ecclesiis altera loci de Munillo, et altera loci de Sarzosa constituitur. Episcopus ne Munillenses, qui numero majores sunt et beneficia patrimonialia, arcerent a dictis beneficiis Sarzonenses, facultate a Pont. Max., Clemente XI ad instantiam populi de Sarzosa concessa, beneficia, seu portiones distinxit, totidemque Munillensibus assignavit, quot Sarzonensibus, ac distinctionem attributionemque prædictam S. C. probavit, confirmavitque : *Calaguritana, Beneficiorum*, 28 *nov*. 1705.

3. Patres societatis Jesu collegii Auriensis ad occurrendum indigentiæ collegii, quod impar est ad alendos magistros, postularunt uniri bina beneficia curata in eadem diœcesi sita, quum primum vacare contigerit, cum deputatione vicarii perpetui in utraque parochia, eorumque preces a S. C. rejectæ fuerunt : *Aurien., Unionis*, 26 *febr*. 1707.

4. Sub assertiva quod Vincentius Limata ex una, et fratres de Aloysiis ex altera partibus sint in possessione, seu quasi juris præsentandi respective pro medietate ad beneficium S. Mariæ, et S Benedicti erectum in ecclesia S. Erasmi oppidi Duratiani, quodque occasione vacationum plurimæ, et gravissimæ lites exortæ fuerint, decreverunt ad bonorum divisionem in duas æquales partes devenire, et duo beneficia constituere ; ad id itaque beneplacitum apostolicum petitum, denegatum fuit : *Sanctæ Agathæ Gothorum, Divisionis tituli beneficii*, 15 *junii* 1709.

5. Capitulum duodecim beneficiatorum constat ex incolis trium villarum nempe Cornagi, Highæ, et Valdeperilli, quorum tamen octo sunt naturales Cornagi, tres Higheæ, alter Valdeperilli ; hinc major suffragiorum pars prævalet in favorem incolarum Cornagi pro obtinendis beneficiis, quæ constituta sunt ex decimis, ac fructibus, qui ab iis populis solvuntur. Hac de causa requisita S. C. decrevit si Sanctissimo placuerit locum esse distinctioni, ac divisioni beneficiorum pro rata decimarum, et fructuum, qui solvuntur capitulo a populo Higheæ ; ita ut ad eadem beneficia in concursu sint præferendi filii ejusdem villæ : *Calaguritana, Distinctionis beneficiorum*, 5 *dec*. 1712, *dub*. I.

6. In villa S. Petri Manrique quatuor adsunt parochiæ cum beneficiatis eorum servitio addictis, et singulæ habent distinctos reditus ex decimis provenientes, et uti matrices alias vinginti quatuor ecclesias filiales habent in totidem locis et castris, quæ Aldæ nuncupantur. Hinc Aldarum populares, qui majores sunt illorum villæ S. Petri supplicarunt pro distinctione, et divisione beneficiorum pro rata decimarum, et fructuum, qui ab ipsis persolvuntur capitulo ; ita ut ad eadem beneficia in concursu præferendi sint filii patrimoniales Aldearum, et responsum fuit : Dilata et pro meliori informatione juxta instructionem : *Calaguritana, Beneficiorum*, 13 *nov*. 1717. Inde vero inhærendo antiquis decretis editis in Calaguritana, juris eligendi, seu præstandi 1 decem. 1685, et in alia Calaguritana, beneficiorum 30 sept. 1702 [28] : affirmative ad formam aliorum decretorum [29] responsum fuit : 15 *januar*. 1718. At defecit in facto suppositum gravamen continuæ exclusionis Aldeanorum a præsentationibus, et S. C. recessit a decisis : 13 *april*. 1726, confirmata 7 *junii* 1727 et 2 *julii* 1729, *dub*. 1, ubi additum fuit ad mentem [30].

7. Beneficiorum hebdomadariatuum, quæ vera, et ecclesiastica beneficia esse S. C. declaravit, erectorum in ecclesia metropolitana divisionem ab Episcopo factam ; ita ut de uno hebdomadariatu vacante provisi fuerint ab Episcopo Philippus Ciminius, et Constantius Porpora ; sustinendam non esse decrevit : *Amalphitana*, 30 *sept*. 1724, *dub*. 1.

8. Theodorus Fantonus Episcopus S. Marci, in visitatione anni 1657, agnovit parochialem ecclesiam S. Petri terræ Roggiani paupertate laborare, eidem itaque univit beneficium simplex S. Mariæ de Constantinopoli. Postquam a quinque parochis possessum fuerat beneficium præfatum, dismembratum fuit ab alio Episcopo, ex quo non constaret de legitima parochorum possessione, illudque univit

mensuram decimarum, quæ ab ipsis persolvuntur, devenire minime dubitabit : *Regist. lit.* lib. 26, die 8 aug.

[28] Vide num. 1.

[29] Ad normam istius resolutionis expeditum fuit breve cum solita clausa *Salva auctoritate hujus S. C.*, et in dicto brevi commissum fuit Episcopo Calaguritano, ut ad mensuram decimarum, quæ a populis Aldearum villæ Manrique capitulo ejusdem villæ persolvebantur, numerum portionum beneficialium populis prædictis assignaret, et patrimoniales dictarum Aldearum, dummodo alias essent approbati, ad proprias portiones præferri mandaret, servata in reliquis forma motus proprii Clem. VIII : *Ead. causa*, 2 *julii* 1729, § 4.

[30] Nempe, ne beneficia sint assignanda Aldeanis ad mensuram decimarum, quæ ab ipsis persolvuntur : attamen ne beneficiati ansam ex hujusmodi resolutione capiant, vel in totum vel magna in parte excludendi Aldeanos a beneficiis scriptum fuit Episcopo, ut beneficiatos hos serio moneret, et adverteret, ut in futuris præsentationibus per eos faciendis rite, et recte se gerant, et rationem habeant meritorum, quibus prædicti erunt dicti Aldeani ad beneficia concurrentes, ac omnino se abstineant a quacumque specie, et similitudine monopolii, quod si aliter fecerint præcipitur Episcopo, ut S. C. certiorem facere non omittat, a qua providebitur assignando beneficia pro Aldeanis ad mensuram decimarum. Præcipitur etiam ut præsentes litteræ in cancellaria episcopali registrentur : *Regist lit.* lib. 27, die 2 julii 1729.

præbendæ theologali, aut pœnitentiarii : ast reclamante parocho Thoma Lippo dismembrationem S. C. ratam non habuit : *Sancti Marci*, 24 *martii* 1725.

§ V.

Beneficia ecclesiastica quoad erectionem et fundationem.

1. Episcopus auctoritate ordinaria quoddam hospitale in beneficium de jurepatronatu familiæ de Pepe erexit, præsides civitatis erectioni contradixerunt, et S. C. die 2 maii 1693 eam nullam atque irritam declaravit ; institit inde pro erectione ejusdem hospitii in capellaniam cum onere Missarum, et rescripto S. C. in precibus Sanctissimo porrectis minime expresso, per litteras apostolicas in forma brevis expeditas gratiam reportavit, ac reclamante communitate, decretum fuit : Gratiam erectionis hospitii in capellaniam non sustineri : *Acernen.*, *Commutationis voluntatis*, 19 *junii* 1694.

2. Quum testator demandasset erectionem unius canonicatus relicto jurepatronatus ei, qui erat filius Circitoris Urbis, et ob id canonicatus erectioni contradiceret capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Plebis, proposito dubio ; an vice præbendæ canonicalis sit erigendum simplex beneficium cum eodem onere Missarum, et sub eadem reservatione jurispatronatus ad formam testamenti? rescripsit S. C., affirmative duplicato onere Missarum, et servata in reliquis testatoris voluntate : *Aretina, Capellaniæ seu canonicatus*, 29 *nov.* 1698. Deinde non acquiescente oratore pro ultima rescripti parte, sed S. C. a proposito non declinavit : 19 *febr.* 1701.

3. Sodales congregationum laicalium Terracinæ existentium consilium ceperunt, ut ex omnibus eorum bonis erigatur in collegiatam ecclesia S. Joannis cum octo canonicis, onere illis injuncto choro inserviendi, et Missis satisfaciendi. Sed ob impensas deterritti petierunt facultatem erigendi octo beneficia residentialia in dicta ecclesia cum præfato onere loco collegiatæ, adjuncta clausula vocatis vocandis. Itaque Episcopus erectionem peregit, at reclamantibus nonnullis sodalibus, S. C. illam non sustineri sancivit : *Terracinen.*, *Capellaniarum*, 20 *aug.* 1701, *dub.* 2.

4. Noluit S. C., ut loco erectionis præbendæ canonicalis in ecclesia cathedrali a sacerdote Julio de Onedo demandatæ, erigatur beneficium simplex cum titulo abbatiæ, et cum iisdem oneribus, et reservatione jurispatronatus ad formam ejusdem testamenti, licet ecclesia prædicta, et substituta illi ecclesia collegiata S. Antonini acceptare illius canonicatus erectionem renuerint. Et denegando S. C. dictam commutationem voluntatis erectionem canonicatus præcepit : *Placentina, Commutationis voluntatis*, 18 *febr.* 1702.

5. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in via lata Urbis ex sex capellaniis perpetuis erigendis de jurepatronatus laicali ex dispositione Michaelis Archangeli prope castri S. Elpidii Morici exoptat erigere beneficia ecclesiastica cum reservatione juris instituendi ad favorem sui ipsius juxta testamenti dispositionem S. Concilii Trid., sess. 14, cap. 12, *de Reform.* [31], non obstante contraria testatoris voluntate ; hinc S. C. dicti capituli supplicationem minime signavit : *Firmana, Capellaniarum,* 30 *sept.* 1702 [32].

6. Spectata redituum diminutione causa litium bonorum, quæ eques Angeluccius de Angeluccis reliquit pro quatuor canonicatuum erectione in ecclesia collegiata terræ Castilionis, exequutores testamentarii supplicarunt, ut eis facultas sit erigendi quatuor beneficia simplicia, vel cum residentia, aut duo canonicatus, prout capitulum exoptat, ac duo simplicia beneficia. Erectionem vero quatuor canonicatum cum conditionibus præscribendis a Card. præfecto S. C. jussit. Etsi reditus totius assis ad annua tantum scut. 368 ascenderet : *Aretina*, *Erectionis canonicatuum*, 5 *maii* 1703, *dub.* 1.

7. Erectis jam duobus canonicatibus in ecclesia collegiata SS. Petri, et Catharinæ Roncilionis ex fundatione Francisci Bruscia, prævia canonicorum acceptione, ob obitum Lucretiæ uxoris Francisci factus est locus erectioni tertii canonicatus, seu clericatus ; sed renuentibus canonicis illum acceptare, hæres exorat, ut declaretur, an erigi valeat in ecclesia S. Andreæ absque onere servitii chori, in qua testator voluit erectionem in casu recusationis canonicorum, loquendo de aliis in testamento præscriptis ; et S. C. quæsivit meliorem informationem præfixo termino canonicis, ac aliis ad deducenda jura in S. C. : *Sutrina, Erectionis*, 19 *junii* 1706. Inde respondit negative, et Episcopus cogat canonicos ad erectionem tertii canonicatus ad formam testamenti : 26 *martii* 1707.

[31] Ubi habetur : « Nemo, etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, et construxerit ; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit ; juspatronatus impetrare aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut donationis hujusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori, reservetur. »

[32] In favorem capituli prædicti plurimas rationes, ac auctoritates cumulavit advocatus Dominicus Ursaya in sua *Discept. Eccl. XV*, tom. 1, part. 1, per tot.

8. Dubio in S. C. proposito; an legatum 24 locorum Montium Cameralium relictum a Carolo de Baldis ecclesiæ S. Andreæ de Valle urbis cum onere unius Missæ quotidianæ, erigi debeat in beneficium collativum auctoritate Ordinarii, vel ad patres dictæ ecclesiæ spectet? respondit S. C. negative ad primam, affirmative ad secundam partem. Verba enim testatoris legatum pium instituisse præ se ferebant excepto casu sacerdotis descendentis, quo voluit eum posse ejus titulo ordinari: *Romana, Capellaniæ*, 5 *maii* 1708, confirmata 23 *junii et* 18 *aug. ejusd anni.*

9. Officiales ecclesiæ SS. Faustinæ et Jovitæ nationis Brixiensis urbis dubitarent, an legatum pium Missarum a Marco Turroni relictum erigi deberet in beneficium ecclesiasticum, quamvis ex verbis testamenti compertum non sit, sed tantum voluerit, ut capellanus ad ejus titulum promoveri posset? et S. C. resolvendo erigendum non esse, dubium explicavit: *Romana, Capellaniæ*, 14 *junii* 1710, *dub* 1.

10. Hisce conditionibus Dominicus Antonius de Felicibus sub invocatione Sanctissimæ Triadis beneficium in oppido Planellæ erexit: 1. Reservato sibi, suisque descendentibus jurepatronatus; 2. Cum qualitate amovibilitatis; 3. Ut semper ex familia clericus præsentaretur; 4. Cum onere recitandi officium B. M. V., si beneficiati in minoribus ordinibus tantum constituti fuissent; 5. Ut beneficiati expletis oneribus, reliquos fructus disponerent, perinde ac si esset patrimonialis reditus; 6. Quod conferri posset clericis etiam septennibus; 7. Quod reservationibus, et devolutionibus obnoxium non sit; 8. Nec inducat ullam pluralitatem, vel incompatibilitatem etiam sub eodem tecto; 9. Reservata patronis facultate alibi transferendi beneficium. Fundator inde S. C. adiit, ut conditiones probaret, et rescriptum fuit: esse approbandas omnes conditiones præter quintam; et quoad nonam esse permittendam translationem cum consensu Ordinarii pro tempore prout de jure: *Pennen., Beneficii*, 13 *maii* 1713.

11. Beneficium ecclesiasticum erigi debet ab Anna de Aptis, et Jacobo Silvestrelli, quibus hæredibus institutis a Margarita Ruberti demandata fuerat erectio dicti beneficii cum onere Missæ quotidianæ, vel totidem Missarum, quot juxta reditus bonorum ad rationem taxæ synodalis celebrari possent, in ecclesia et altari, quibus ipse maluerit, cum onere residentiæ ad eorum libitum; nec dicti hæredes molestari possunt a legatariis, fabrica S. Petri, et Episcopo de ejusdem dispositionis exequutione: *Romana seu Viterbien.*, 23 *febr.* 1726, *dub.* 1, confirmata 13 *april. ejusd. anni.*

12. Elisabeth Boschi donataria onera a Guidone donata exacte implevit quoad tria officia, et Missæ celebrationem quolibet die festo de præcepto; putavit tamen consentaneum menti donatoris fundum reditus scut. 20 assignare capellæ S. Annæ ecclesiæ S. Jacobi pro dote ecclesiastici beneficii, ad cujus titulum clericus promoveri posset; exoravit itaque S. C. pro erectione, quæ annuit, ita tamen ut beneficiatus teneatur loco anniversariorum celebrare quolibet anno Missas lectas 25 præter Missas celebrandas diebus festis: *Florentina*, 7 *junii* 1727.

13. Margarita Roberti ex suo universo asse hæreditario constitui mandavit perpetuum beneficium cum onere celebrationis Missarum, reservato jurepatronatu de familiæ de Aptis et Silvestrelli; expleta per Episcopum erectione, nonnullæ exortæ fuerunt quæstiones super erectionis validitate, qualitate, ac dote beneficii, patronorum juribus, et passiva nominatione, quas in duodecim dubiis collectas S. C. remissit ad Card. præfectum cum omnibus facultatibus S. C.: *Viterbien.*, 6 *dec.* 1727, *ad dub.* 1, *usque ad* 12.

14. Joannes Philippus Carafini hæredibus suis injunxit erectionem duorum beneficiorum cum onere Missæ quotidianæ, data eisdem facultate assignandi vel tot bona in Zibello sita, vel sors pro celebratione sufficiens. Devenerunt hæredes ad bonorum assignationem, et in limine erectionis, cujus expensis vel legatarii scilicet, vel hæredis esset illa explenda disceptatum fuit, et expensis hæredis faciendam esse rescribitur: *Burgi S. Domnini*, 30 *apr.* 1729, *dub.* 5.

15. Beneficium simplex cum onere tamen celebrationis erigi non debet ex duabus capellaniis, quas testator Hercules Drallus erigendas præscripserat cum onere servitii choralis, et celebrationis Missarum; quamvis reditus a testatore relicti minores haberentur: *Mediolanen., Capellaniarum*, 7 *febr.* 1733.

16. Petrus Antonius Gattus ortus Tillii in Valle-Tellinæ, ut ad sacros ordines promoveri posset beneficium ecclesiasticum, sive canonicatum fundavit cum dote annui reditus 52 scut. reservato, jurepatronatu in favore fratris Antonii, et descendentium. Fundator ipse cogitans, quod nullus inter descendentes a fratre posset reperiri idoneus ad beneficium obtinendum, facultatem mutandi fundationis leges postulat; ita ut si nemo ex fratris descendentia reperiatur aptus, extraneus nominari non debeat, sed suspensa collatione, sibi ipsis descendentes possent adscribere proventus, subeundo oneri duodecim Missarum quotannis celebrandarum usque dum aliquis de familia fiat idoneus. Pro oratore, cujus ascendentes Calvini dogmata ejurarunt, et qui nobilis quidem sed divitiis haud affluens est, supplicat

Episcopus, ne acatholicis illic commorantibus præbeatur ansa deridendi ejurantes. Proposito hinc dubio quomodonam sit oratori annuendum? responsum prodiit pro nunc negative; sed habebitur ratio in futuris vacationibus : *Comen.*, *Beneficii*, 27 *febr.* 1734.

17. Episcopus Asculanus bona suppressi oratorii S. Philippi Nerii, et pariter suppressæ societatis S. Angeli oppidi Offidæ pro dote beneficii simplicis cum onere Missæ quotidianæ, quo eadem bona jam pridem affecta reperiebantur, assignavit, beneficiumque sub invocatione S. Philippi Nerii erexit. Hujusmodi erectionem impugnavit communitas, ne bona a collectarum solutionibus eximerentur, illam vero validam esse censuit S. C. : *Asculana, Erectionis beneficii*, 19 *nov.* 1735.

18. Sanc. mem. Innoc. XIII Didaco de Avalos marchioni terræ Vasti indulsit, ut ecclesia, seu capella B. M. V. de Pinna ab illo ornata, sacrisque supellectibus instructa erigeretur in beneficium cum reservatione jurispatronatus in favorem sui, suorumque successorum, dummodo se, suosque ad sacram supellectilem a piratis defendendam, et capellanum, qui in ea celebraret, manutenendum adstringeret. Super hujus gratiæ exequutione et erectione, cum omnibus inde sequutis propositum fuit dubium in S. C., quæ sustineri erectionem decrevit, facta tamen obligatione per hodiernum marchionem Avalos solvendi etiam eleemosynam pro Missa quotidiana : *Thealina*, 21 *maii* 1736.

19. Erectio duorum beneficiorum sub titulis archipresbyteratus, et archidioconatus a Flaminio Renzi demandata in ecclesia S. Æmiliani fieri potest ab Episcopo; nec pertinet ad Datariam apostolicam, quum hujusmodi erectiones ex iis essent, quæ in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis erigi consueverunt : *Spoletana*, *Erectionis dignitatum*, 24 *martii* 1736. Verum refragante capitulo orta est quæstio super qualitatibus, et conditionibus, quibus erigi deberent hujusmodi beneficia, et resolutum fuit, hujusmodi qualitates præscribendas esse a Card. pro-datario : 2 *junii ejusd. anni*.

20. Erectio beneficii ab Episcopo Tridentino facta in ecclesia B. M. terræ Pellizani sustineri non debet, erectioni obstante testatoris voluntate, juxta quam legatum florenorum 4000 dictæ ecclesiæ relictum censendum est simplex opus pium cum onere Missarum : *Tridentina*, *Translationis oneris Missarum*, 13 *sept.* 1738, *dub.* 1. Sed reproposita causa, et sensu verborum, quibus testator animi sui sententiam, et voluntatem germanica lingua declaraverat, clarius exposito, prævio recessu a decisis, erectionem prædictam validam esse censuit S. C. : 24 *jan.* 1739, confirmata 12 *septemb. ejusdem anni*.

21. Beneficii jam erecti in ecclesia parochiali loci *Isola bella* nova erectio cum variatione conditionum in prima erectione appositarum, et cum facultate disponendi de bonis in augmentum dotis assignatis, denegata fuit Lucæ Peretto, qui primam erectionem simoniace peregisse dubitans, novam efficere cupiebat : *Salutiarum*, *Beneficii*, 3 *sept.* 1740.

22. Mandavit sacerdos Theodorus Ulodrop canonicatus erectionem in ecclesia cathedrali nonnullis adjectis conditionibus, quæ, quum juribus, et capitularibus legibus præjudicium inferrent, minime a capitulo acceptatæ fuerunt. Preces itaque porrectæ sunt pro erectione simplicis beneficii absque onere residentiæ, et servitii chori; has tamen rejecit S. C., et mandavit, ut præfigeretur terminus capitulo ad deducenda jura sua : *Ruremunden.*, *Erectionis canonicatus*, 22 *julii* 1741.

23. Opus pium Missarum a populo Castilionis instructum ex collectionibus Episcopus in beneficium ecclesiasticum erexit ad instantiam ministri dicti operis, sed contradicente populo, fundationem prædictam non sustineri decrevit S. C. : *Balneoreg.*, *Beneficii*, 21 *nov.* 1744, *dub.* 1.

24. Beneficii erectio in ecclesia archipresbyterali S. Petri a Josepho Leoni demandata perficienda est juxta conditiones ab exequutore testamentario designatas, cui facultas facta fuerat a testatore, excepta tamen reservatione administrationis facta in sui favorem : *Prænestina*, *Fundationis beneficii*, 12 *martii* 1746.

25. Piis testatoribus mandantibus erectiones beneficiorum sub expressis conditionibus, quod nimirum primo sint clericorum, et sacerdotum secularium, et deinde regularium, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios et judices visitationis testamentorum piarum dispositionum, ad quos quomodocumque spectat jus approbationis, teneri omnino approbare hujusmodi erectiones S. C. decrevit; ita ut impedire nequeant quominus regulares per se ipsos Missas celebrent, sustineant onera, bona administrent, fructusque percipiant. In regnis enim Indiarum occidentalium sæpius in dubium fuit revocata ratio, et modus exequendi hujusmodi erectiones : *Mexicana*, *Erectionis capellaniarum*, 25 *januar.* 1749, *dub.* 2.

26. Non est erigendum beneficium simplex cum onere Missarum celebrationis, quod erigi ordinaverat in ecclesia collegiata S. Secundi Joan. Jacobus Beccarius, quando reditus ad capellaniam fundandam satis haud sint; sed est erigenda capellania residentialis ad formam ejusdem testamenti : *Asten.*, *Capellaniæ*, 28 *aug.* 1751, *dub.* 1.

27. Joannes Frisarius testamento jussit, ut post obitum suum ab hærede Florillo Frisario beneficium

fundaretur : nominationem familiæ Frisariæ tribuit, voluitque ut filius Florilli ejusque descendentes nominarentur. At fundationem hanc ipse vivens explevit, nominavitque Petrum de Mango, qui possessionem nactus fuit. Testatore vita functo ad fundationem devenit hæres, et filium suum nominavit, sed Episcopus renuit huic fundationi decretum interponere : quæsito itaque, quænam fundatio sustinenda esset, S. C. illam a Joanne Frisario factam esse sustinendam, censuit : *Vigilien.*, *Jurispatronatus*, 7 *april.* 1755, confirmata 12 *maii ejusd. anni.*

28. Erectionem capellaniæ manualis, quam sacerdos Joan. Merula ecclesiasticam fundaverat, in beneficium ecclesiasticum S. C. denegavit. Adversatur enim testatoris mens, ac præjudicium infertur descendentibus agnitionis, ac familiæ de Merulis jus ex testamento habentibus, quando ætatis annum decem et octo attingunt, assequendi controversam capellaniam dimisso extraneo possessore; quod sublatum lugerent dictæ familiæ vocati, sequuta capellaniæ in beneficium ecclesiasticum erectione : *Viglevanen.*, *Capellaniæ*, 25 *april.* 1761, *dub.* 1.

29. Quinque capellaniæ per archipresbyterum terræ Alviani Franciscum Mariam Titolivii institutæ fuerunt, inde dubitatum an voluerit qualitatem laicalem vel ecclesiasticam ex duplici adhibita denominatione, ex qua qualitas laicalis prævalere videtur. Hæ non sunt per Ordinarium in beneficium ecclesiasticum collativum erigendæ. Ita S. C. constituit : *Amerina*, *Capellaniarum*, 12 *martii* 1763, *dub.* 1.

30. Michael Vicens hispanus trientem suæ hæreditatis pauperibus distribuendum reliquit. Aliam postea in codicillis pro eorum vestibus largitionem addidit. Majores, quam testator putaverat, adinventæ sunt pecuniæ, postulata itaque fuit simplicis beneficii erectio cum onere implendi testatoris præscripta, ac unius sacri quolibet mense pro testatoris anima celebrandi; sed instantiam rejecit S. C., et ut reditus pauperum in favorem erogarentur, ac ut scriberetur ad Episcopum juxta instructionem [33] mandavit : *Vicen.*, 28 *januar.* 1764. Inde rejecta etiam fuit postulatio pro applicatione dictæ pecuniæ in favorem seminarii cum onere alendi unum adolescentem; et quum pecuniæ fructus quotannis superessent rescriptum fuit, ut augeretur numerus pauperum juxta reditus, et methodum a testatore præscriptam : 3 *aug.* 1765.

31. Ut recte statueretur beneficiorum erigendorum numerus juxta fundationem Virginii Turchi rescriptum fuit : Dilata et firmetur status coram Ordinario citatis interesse habentibus : *Fulginaten.*, 27 *april.* 1765, *dub.* 3.

32. Beneficium fundavit in altari B. M. V. de Porticu villæ de Olot sacerdos Bonaventura Pararolo tribuens patronatum activum sorori suæ, ejusque hæredibus in infinitum. Hinc auctoritate Ordinarii erectum fuit : at postea instrumento confecto, reservato tamen beneplacito apostolico, statuit fundator passivum patronatum in favorem familiæ suæ sororis, fructus tempore vacationis investiendos esse, donec habilis ex ea aliquis evaderet; et voluit, ut reditus augerentur ad libras 100, reliqui vero erogarentur in puellas dotandas, et quoque esse beneficium compatibile cum alio, nec beneficiatum teneri ad onus divini officii, nisi post completam ætatem annorum 24 ei placitum fuit. S. C. hujus instrumenti approbationem concessit juxta modum [34] : *Gerunden.*, 11 *januar.* 1772.

33. Capellania fundata a Magdalena Venanzetti in ecclesia collegiata S. Mariæ Mathelicæ cum onere celebrandi Missas a capellano nominato, et per alium tempore infirmitatis, erigi non debet in beneficium ecclesiasticum, et erectio peracta a provicario generali non sustinetur : *Camerinen.*, *Capellaniæ*, 24 *nov.* 1772, *dub.* 1.

34. Hæreditas Joan. Pauli Petruccini, qui deficientibus suis hæredibus totum assem capitulo ecclesiæ cathedralis attribuit cum onere tot canonicatus erigendi, vix illa ob varias lites satis inventa fuit ad unius canonicatus fundationem; hinc exoravit capitulum pro erigendo beneficio residentiali, et chorali; et S. C., pro commutatione voluntatis juxta votum Card. Episcopi [35], annuit, in reliquis ad

[33] Instructio fuit, ut Episcopus distincte referret de vero reditu, qui esse posset ex pecuniis a testatore relictis, de statu parochiæ *de Mura*, ejusque pauperum, ac ut de modo inter pauperes tantum distribuendi sensum sui animi aperiret : *Ead. causa*, 8 *junii.* 1765, § 2.

[34] Modus est, ut ex cônditionibus in instrumento adjectis serventur tantum dispositiones quoad patronatum activum, et passivum, ita tamen, ut nunquam suspendatur præsentatio in favorem passive vocatorum, et quatenus non adsint in favorem cujuscumque etiam extranei : *Ead. causa*, 11 *januar.* 1772.

[35] Qui ait quod si petita commutatio ex adductis causis rationabilis esse videtur, utilissimum, et pene necessarium censendum esse onus coadjuvandi parochum. Ne tamen novus beneficiatus absque ulla mercede prædictum onus coadjuvandi in cura animarum fere teneatur, adjiciendam in sui favorem censerem conditionem, quod a parocho pro tempore, si coadjuvari velit, ipsi quarta incertorum pars subministretur, sicuti præsens canonicus parochus libenter animo subministrare spondet. Pariter consona videtur petita, et limitata præstatio in favorem Josephi, quem uti a testatore prædilectum, humana non patitur ratio, omnino excludi a fructu hæreditatis : *Ead. causa*, 15 martii 1777, § 8.

mentem [36] : *Prænestina, Commutationis voluntatis*, 19 *april.* 1777.

35. Beneficium instituit Carolus Solidi in ecclesia collegiata S. Columbani cum onere Missæ quotidianæ assignata eleemosyna, aliisque additis oneribus; fructus vero superextantes in dotandas puellas erogari præcepit. Capitulum vero dictæ ecclesiæ postulavit, ut eleemosyna a testatore præfinita, quæ est manualis, augeretur in erectione dicti beneficii, reliquique fructus in dotes puellarum erogarentur, et S. C. decrevit, constituto fundo pro duobus anniversariis, et duodecim Missis lectis, faciendam esse ab eminentissimo Ordinario erectionem beneficii annui fructus taxandi, ratam partem vero fructuum superextantium erogandam esse in dotes pariter ab eodem Ordinario taxandas : *Vercellen.*, 29 *april.* 1780.

36. Liberatus Emilii duo beneficia testamento erigi jussit ad altare animarum purgantium ecclesiæ parochialis oppidi Tessennani. Nominandi facultatem Francisco Antonio Bizzi, et Joanni Baptistæ Silvestrelli, et post eorum mortem mensæ episcopali tribuit. In codicillo autem mandavit, ut idem Bizzi nominationem unius beneficii perpetui haberet; hic nepotem nominavit, ac declarari petiit; an erectio duplicis beneficii facta ad formam testamenti servanda foret, seu reformanda, et exequenda ad formam codicilli? et ad formam codicilli esse exequendam resolvit S. C.: *Montis Falisci, Beneficiorum,* 27 *nov.* 1784.

37. Beneficium ad altare B. M. V. Rosarii in ecclesia parochiali villæ Gramignatis S. C. voluit erigendum esse juxta fundationem sacerdotis Horatii; qui sub oneribus a se designatis erectionem a Hieronymo nepote perficiendam demandaverat, et Missæ pro rata parte redituum pro tunc actu existentium ad taxam perpetuæ celebrari debebant. Hieronymus quippe erectionem exequi neglexerat, complura bona distraxerat, adeoque reditibus imminutis, diminutis oneribus explendam esse jusserat: additum a S. C. etiam fuit, quod scriberetur Episcopo juxta mentem [37] : *Parmen.*, *Beneficii,* 29 *julii* 1786. Sed reproposita causa, et Episcopo referente erectionem Horatii perfici non posse ob imparitatem fructuum, et bona distracta vindicari non posse; parochum quoque eosque, qui in priori testamento, Horatii scilicet, ad juspatronatum vocati fuere, exoptare, ut erectio perficeretur ad tramites testamenti Hieronymi; hinc prævio recessu a decisis, perspectis peculiaribus facti circumstantiis beneficium esse erigendum juxta fundationem Hieronymi, rescriptum fuit : 28 *julii* 1787.

38. Horatius Zeppi erectionem jubendo capellaniæ de simplici capellano, et de legato pio loquutus est, et in suis codicillis Missas reduxit ob onus minuendum in favorem consanguineorum. Hanc capellaniam, seu legatum pium Missarum Archiepiscopus erexit in ecclesiasticum beneficium perpetuum. Consulta S. C., hæc respondit : hanc erectionem sustineri. Testator enim qualitatem laicalem illius haud significaverat: *Urbinaten.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 1.

§ VI.

Beneficia ecclesiastica quoad incompatibilitatem et compatibilitatem, seu pluralitatem.

1. S. C. respondit, Episcopum habenti unum simplex beneficium non sufficiens ad illius sustentationem posse aliud simile conferre; sed non posse plura, quamvis simplicia, usque ad ejus sufficientem sustentationem eidem conferri : *Aquilana, Rel.* 14 *aug.* 1632, *dub.* 1.

2. Ac idem, quod superius de beneficiis liberis, judicandum esse de beneficiis jurispatronatus laicorum ; *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Insuper, ad quæsitum, num præsumpta dispensatio, in qua fundatur regula de triennali, habeat locum contra decreta sacri Concilii Tridentini, cap. 4, sess. 7 ; cap. 17, sess. 24 [38]; et cap. 15,

[36] Facto verbo cum Sanctissimo, factaque de præmissis per infra scriptum secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro: Sanctitas Sua S. C. sententiam approbavit, et respective confirmavit die 23 apr. 1777, lib. 127 Decret. pag. 34.

[37] Mens fuit, ut præcise referret Episcopus de causa impediente vindicationem honorum Horatii a tertiis possessoribus : *Ead. causa*, 7 *julii* 1787, § 1.

[38] Sess. 7 cap 4 *de Reform.* ubi sancitur, quod quicumque plurium beneficiorum retentor contra canones, et constitutionem Innocentii III, quæ incipit *De multa de præben.*, iis ipso jure, et præsentis canonis vigore privatus existat. Et sess. 24, cap. 17 *de Reform.* cautum est, ut unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod, si ad vitam honeste sustentandam non sufficiat, liceat aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Et hoc decretum inter canonistas dubitatur, an vindicaret sibi locum etiam in beneficiis de jure patronatus, ita ut obtinens primum beneficium, sive liberæ collationis, sive de jure patronatu laicorum ad sui conservationem sufficiens, possit retinere secundum de jure pariter patronatus laicorum. Sed dubium S. C. diluit negativa responsione; sed opus esse dispensatione apostolica. Vide præsenti § num. 12, et in causa Alexanen., 14 nov. 1654 (lib. 19 Decret. fol. 425) relatum fuit, quod, sacerdos Joannes Hyacinthus Frazza provisus ab Ordinario de tribus beneficiis simplicibus de jurepatronatus tenuis reditus, ad necessariam conservationem insufficientibus, humiliter petit declarari, an absque dispensatione apostolica possit illa retinere? S. C. respondit, non posse absque dispensatione apostolica retinere. Itaque merito damnata fuit a Pio V

sess. 25, *de Reform.* [39]; ita ut possidentes beneficia contra dispositionem dictorum decretorum ex tali præsumpta dispensatione suam possessionem tueri valeant? S. C. respondit, non habere locum contra dicta Concilii decreta, quod Sanctitas Sua approbavit: *Ibid., dub.* 3.

4. Ad dubium; obtinens beneficium ecclesiasticum sufficiens ad se honeste sustentandum, fuit institutus ab Episcopo ad aliud beneficium juris patronatus ad præsentationem patroni laici, et utrumque beneficium retinuit, eorumque fructus percepit per duos annos absque apostolica dispensatione; quæritur, quodnam ex dictis beneficiis vacaverit? utrumque ipso jure vacasse respondit: nam obtinentem plura beneficia incompatibilia non potest se juvare regula de triennali: *Leodien., Rel.,* 14 *aug.* 1632.

5. Ad dubium: an dispositio Concilii, cap. 17, sess. 24, *de Reform.* [40], quod obtinenti beneficium sufficiens ad se honeste sustentandum possit aliud simplex beneficium conferri, intelligatur de sufficientia, detractis oneribus Missarum, pensionis, decimarum, et similium? respondit S. C., intelligi debere deductis oneribus supradictis: *Nullius,* 19 *martii* 1639, *dub.* 1.

6. Et ad alterum dubium; an obtinenti a Sede Apostolica simplex beneficium non sufficiens possit ab Ordinario conferri canonicatus, seu dignitas, non tamen prima in cathedrali, vel in alia ecclesia; etiamsi sit de jurepatronatus laicorum sive clericorum, et utrumque insimul retineri? respondit posse: *Ibid., dub.* 2.

7. Ad instantiam Episcopi postulantis resolutionem dubii, respondit S. C., quod ab Episcopo permitti non potest absque dispensatione apostolica retentio trium beneficiorum simplicium de jurepatronatus laicorum sub eodem tecto non existentium, et quorum reditus non sufficiunt ad congruam conservationem: *Curzolen.,* 13 *maii* 1651.

8. Capellania sacerdotalis fundata fuit a Margarita Ciolfi cum onere Missarum; quoad personale onus capellani non esse S. C. judicaverat; modo decidit eamdem capellaniam cum alio beneficio residentiali non esse incompatibilem: *Interamnen., Capellaniæ,* 3 *feb.* 1685, *dub.* 3.

9. Jurispatronatus beneficium in ecclesia B. M. Gratiarum extra castrum Angugliani sita fundatum cum obligatione residentiæ, paratis ad hanc a fundatore ædibus, ac celebrationis omnibus dominicis, ac festivis diebus, Virgilius de Virgiliis obtinuit. Obtinuit idem etiam nuper canonicatum in ecclesia cathedrali Anconæ. Modo decidi postulat; an constet de eorum incompatibilitate? et de ea quippe constare S. C. statuit: *Anconitana, Capellaniæ,* 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

10. Christophorus Ernestus de Guttemberg monachus professus abbatiæ Fuldensis ordinis S. Benedicti præposituram Cellensem, cui animarum cura incumbit, una cum abbatia monasterii S. Michaelis Bambergæ consecutus est; hinc de incompatibilitate orta est dubitatio, et ea simul possidere non posse statutum est: *Bambergen seu Nullius, Fulden., Incompatibilitatis,* 30 *sept.* 1713, confirmata 28 *april.* 1714 et 23 *febr.* 1715, *dub.* 1.

11. Faustus Passerius canonicatum cum præbenda in collegiata ecclesia S. Ginesii possidens, præsentatus fuit ad simplex beneficium de jurepatronatus familiæ de Passeris in eadem ecclesia erectum. Et licet hoc beneficium oneribus detractis scut. 2 cum obulis 30 annua reddat; tamen quia sub eodem tecto Episcopus institutionem ei concedere noluit, dubitans de necessitate dispensationis, et S. C. consulta, ut ad Episcopum recurrat [41], re-

in cons. ***Auctorem fidei***, 18 ***aug.*** 1794, proposit 57: « Præscriptio synodi pistoriensis anni 1786 tit. ***de Ordine***, § 22, quæ generaliter, et in discriminatim velut abusum rejicit, quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur: « item in eo, quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plusquam uno beneficio, tametsi simplici « neminem frui posse; » tanquam ***pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess.*** 7, ***cap.*** 5, ***et sess.*** 24, ***cap.*** 17. Nam hac sua ***moderatione*** Concilium Tridentinum agnovit, uti antea synodus Basileensis in ep. synod. num. 5, apud Labbeum ***Concil.*** tom. 17, col. 484, quidem propriam Summi Pontificis potestatem dispensationum, qui potest legem relaxare, supra quam potestatem habet. Ille Ecclesiæ caput, princepsque est, cujus in totam Ecclesiam fertur jurisdictio. Sane plenæ sunt ecclesiasticæ historiæ dispensationum, quæ a Sede Apostolica concessæ sunt. Vide Mamacchium advers. auct. opusc. ***Quid est Papa?*** ep. 3, § 2, tom. 1. pag. 232, edit. an. 1787, et doctissimum Card. Gerdilium ***Confutazione di due libelli contro il breve*** Super soliditate tom. 1, pag. 35, 115 seqq. et tom. 2, pag. 129.

[39] Quo in capite innovatæ sunt decretales cap. ***Ad præsentiam*** tit. ***de Filiis Præsb. Ord.*** cap. ***Conquerente*** eod. tit., extendente prohibitionem cuique beneficia obtinendi in ecclesia, in qua pater ejus sacerdos ministravit, ad filium, nedum sacerdotis, sed etiam cujuscumque clerici; addente insuper, ne pensionem quidem super fructibus beneficiorum, quæ ejus pater obtinet, vel obtinuit, habere possit.

[40] Ubi statuitur, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.

[41] De hac declaratione loquitur Bened. XIV ***Inst. Eccles. XCI***, num. 7, tom. 11, pag. 604, hisce verbis: « Ac primum S. Congregatio permittit Episcopum in eum clericum, qui ex primo simplici beneficio satis honeste

scripsit : *Camerinen.*, *Dispensationis*, 14 *novem.* 1716.

12 Episcopus Bitecti S. C. exposuit consuetudinem vigentem in provincia Barensi retinendi a clericis plura beneficia absque ulla dispensatione apostolica ; eadem igitur decrevit, quod obtinens primum beneficium sive liberæ collationis sive de jurepatronatus laicorum ad sui conservationem sufficiens, non potest absque dispensatione apostolica retinere secundum de jurepatronatus laicorum : *Bitecten.*, 6 *dec.* 1721, *dub.* 1.

13. Insuper sancivit, quod obtinens duo beneficia sive liberæ collationis sive de jurepatronatu laicorum minime sufficientia ad congruam conservationem non possit retinere tertium, et quartum de jurepatronatu laicorum absque dispensatione apostolica et additum fuit ad mentem [42] : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Quamplurima proposita fuere dubia a S. C. definienda, prout sequuntur :

An liceat Episcopo plura quam duo beneficia compatibilia uni atque eidem conferre, si nec duo sufficiant ad congruam conservationem?

15. An qui possident absque apostolica dispensatione plura quam duo beneficia compatibilia, et conjunctim insufficientia ad congruam conservationem cogendi sint ab Episcopo, ut vel dispensationem petant, vel cetera beneficia præter duo dimittant?

16. Utrum possidentes plura beneficia sufficientia cogendi sint vel ad impetrandam apostolicam dispensationem, vel ad dimittenda cetera beneficia præter unum sufficiens?

17. An si possidenti unum beneficium insufficiens conferatur ab Episcopo aliud per se sufficiens, retineri possit utrumque?

18. An dispositio Sacr. Concilii Tridentini circa pluralitatem beneficiorum locum habeat etiam in beneficiis jurispatronatus laicorum?

19. An eadem dispositio habeat locum etiam in capellaniis, quæ conferuntur in titulum?

20. An ad effectum retentionis indigeat apostolica dispensatione etiam ille, cui ex vocatione fundationis competat jus vel ad duo beneficia, quorum unumquodque sit per se sufficiens, vel ad plura, quam duo insufficientia?

21. An et quomodo definiri debeat sufficientia beneficii ad congruam conservationem?

22. An in præmissis contraria consuetudo, quatenus vigeat, sustineatur, et sit servanda?

Hisce itaque dubiis S. C. respondere censuit : Dabitur resolutio in casibus particularibus, servata dispositione S. Concilii Tridentini[43] : *Abulen.*, *Beneficiorum*, 26 *jan.* 1732, *dub.* 1, *usque ad dub.* 9.

23. Beneficium sub titulo S. Catharinæ erectum in ecclesia parochiali oppidi Rirlinghausen, incompatibile declaratur cum parochiali ecclesia sex milliariis a dicto oppido distante. Fundator enim præscripserat, quod præsentandus nullum retineret beneficium, quod ibidem resideret, Missasque per seipsum celebraret : *Colonien.*, *Beneficii*, 6 *febr.* 1734, *dub.* 1.

24. Beneficium præbenda nuncupatum in oppido Gemphing sub onere residentiæ erectum incompatibile declaratum fuit cum ecclesia parochiali obtenta a Benedicto Grienwal, præsertim etiam quia unumquodque ex dictis beneficiis ad conservationem satis est : *Augustana*, *Beneficiorum*, 24 *martii* 1736, *dub.* 1.

25. Parochialem ecclesiam castri S. Jacobi obtinuit Matthias Calabrese dum jam in eadem ecclesia capellaniam perpetuam retinebat : parochialem hanc impetravit Carminus Gorrese, qui tum defectum concursus, tum beneficiorum incompatibilitatem in S. C. deduxit, postulans propterea, ut sua supplicatio relaxaretur, sed negativum retulit responsum; quum neutrum suæ intentionis fundamentum subsisteret ad effectum obtinendi hoc parochiale beneficium : *Salernitana seu Caputaquen.*, *Parochialis*, 8 *martii* 1760.

26. Sacerdos Matthæus Rispolius parochus Casalis Pugerulæ hebdomadariatum in ecclesia cathedrali assequutus est ab Archiepiscopo, sed ob incompatibilitatem beneficiorum apostolicas litteras expedivit, quæ nunquam executionem habuerunt, quum sub nonnullis falsis expressionibus obtentæ fuerint. Instante igitur Archiepiscopo quæsitum fuit; an parochiam, et hebdomadariatum retinere posset Rispolius, et responsum fuit: Dilatata et ad mentem [44] : *Amalphitana*, 14 *febr.* 1761. Perseverante autem Rispolio in retentione hebdomadariatus, et parochiæ absque eo quod ad Sum. Pontificem recurreret, reproposita causa rescriptum fuit, utrumque beneficium retinere non posse, et esse indulgendam retentionem parochiæ facto verbo cum Sanctissimo : 18 *julii ejusd. anni.*

sustentari nequit, secundum beneficium sive sufficiens, sive haud sufficiens conferre, licet *sub eodem tecto*, modo tamen inter se diversa extiterint : *In causa camerinen*, etc. »

[42] « Videlicet, ne Episcopus molestiam ullam afferret iis, qui præditi jam duobus beneficiis non sufficientibus, aut liberæ collationis tertium pariter, vel quartum beneficium jurispatronatus laicalis bona fide possiderent. » Rel. a Bened. XIV cit. loc. num. 8.

[43] Vide not. 38.

[44] Et mens fuit, ut Rispoli recurreret ad Sanctissimum : *Ead. causa*, 18 *julii* 1761.

27. Beneficium fundavit Americus de Capponibus in ecclesia monialium S. Felicitatis, ac præter onera complura, voluit etiam, quod beneficium prælatum incompatibile foret cum alio quocumque vel cum cura, vel sine cura, quamvis reditus impares forent quoad onera injuncta. Decreverunt inde reditus, ita ut adsit nemo, qui beneficium cum incompatibilitatis qualitate obtinere velit. Patronus itaque Ferdinandus de Capponibus senator pro deletione dictæ incompatibilitatis institit, obtinuitque quoad beneficia de jure compatibilia : *Florentina*, 8 *junii* 1765, *dub.* 1.

28. Beneficium residentiale erectum sub titulo SS. Caroli Borromæi, et Emerentianæ in ecclesia parochiali S. Petri oppidi Castignani cum onere celebrandi per se ipsum, et personaliter choro inserviendi, retineri non potuit a Friderico Pignotti proviso de præbenda thesaurariæ in ecclesia cathedrali almæ Domus Lauretanæ cum onere ibidem residendi; quamvis unius ex his esset, qui tanquam passive vocatus qualitatibus a testatore requisitis polleret : *Montis Alti*, *Dispensationis*, 14 *septemb.* 1782.

Beneficia ecclesiastica, *quoad indultum ea assequendi, vel retinendi.* Vide *Dispensatio*, § iv.

§ VI.

Beneficia ecclesiastica quoad nominationem, præsentationem, adjudicationem et institutionem.

1. Quum ecclesia loci Zarzosæ non conflaret capitulum, sed unum et idem capitulum constituit cum ecclesia Munillæ, cujus beneficiati sunt numero complures, quam ecclesiæ Zarzosæ; hinc ad beneficia vacantia Munillienses tantummodo præsentantur, quæritur, an, et quomodo sit providendum? rescripsit S. C. posse committi Episcopo Calaguritano, ut ad mensuram decimarum, quæ ex uno, vel altero loco exiguntur, distinguat numerum portionum beneficialium, sive integræ sint, sive diminutæ, et ex illis Mulliensibus tot, quæ decimis illius correspondeant; et similiter ad eamdem portionem alias assignet Zarzosensibus quot ex illorum decimis proveniunt, ita ut patrimoniales nati utriusque loci ad proprias portiones respective, dummodo alias approbati sint, præferantur, servata in reliquis forma Motus proprii Clementis VIII, Pont. Max. [45] : *Calaguritana*, *Juris eligendi et præstandi*, 1 *dec.* 1685.

2. In diœcesi beneficia simplicia de jurepatronatus ecclesiasticorum, et laicorum reperiuntur devoluta ob defectum patronorum, tam modici valoris ut non sit, qui velit adipisci, et illa vacant in præjudicium cultus divini, et salutis animarum; ideo quæritur, quommodo Episcopus in his se gerere debeat? respondit S. C. quod in beneficiis non excedentibus annua scuta duo auri, sola signatura Papæ est sufficiens, et pro reliquis fiant expeditiones in forma : *Vicen.*, *Visitat. sacr. liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 4.

3. Præsentationem factam per hæredem ad beneficium fundatum a canonico Joanne de Comitibus quod habitu est sacerdotale, in favorem clerici Josephi Guerreri, infra annum juxta cathedralis ecclesiæ constitutiones sacros ordines non susceperit, immo nec infra successivum quatriennium, quia ob delicta ab ipso patrata exilii pœna mulctatus fuit, sustinendam esse decrevit S. C. : *Tusculana*, *Beneficii seu capellaniæ*, 4 *sept.* 1760, *dub.* 2.

4. Quoad beneficia parochialis ecclesiæ S. Mariæ de Aqualata disceptatum est, an assertum statutum concernens admissionem beneficiatorum actu presbyterorum prævio eorum examine super cantu gregoriano, et cum carentia fructuum ad sex menses sustineatur? et quatenus affirmative.

5. An etiam locum habeat in beneficiis de jurepatronatus laicalis?

6. An decretum factum ab Episcopo in visitatione anni 1698 de non facienda admissione beneficiatorum, nisi bis in anno sustineretur? et S. C. respondit : Dilata, et audiatur Episcopus juxta instructionem : *Vicen.*, *Statuti*, 27 *aug.* 1712, *dub.* 1, 2 *et* 4.

7. Petrus de Rapacciolis donavit patribus Augustinianis excalceatis juspatronatus sibi competens tum ecclesiæ S. Mariæ *del Colle*, tum duorum beneficiorum, quæ erecta sunt in ecclesia S. Nicolai Collescipionis. Vacarunt beneficia, et patres Augustiniani præsentarunt Dominicum de Scipiis, e contra Petrus donator præsentavit Nicolaum Leandrum Paterni, nullam ipse donationem dicens, ex quo laicus loco pio donaverat absque Episcopi consensu et ex quo donatarii conventum non fundarunt, uti promiserant. Orta itaque controversia super præsentationibus S. C respondit: Præfigatur terminus unius mensis religioni ad faciendem renunciationem legitimam, eoque elapso Leander instet : *Narnien.*, *Jurispatronatus*, 19 *nov.* 1718. Donatarii renunciationem minime expleverunt, sed consensum præstiterunt, ut nominatio beneficiorum ad Petrum donantem spectaret, quousque ipse viveret, et S. C. rescripsit : Dilata, et exhibeatur actus definitorii, in quo data fuit facultas provinciali nominandum : 1 *april. ejusdem anni :* ac tandem validam decrevit nominationem factam in favorem Nicolai Leandri

[45] Vide not. 26.

Paterni : 9 *maii ejusd. anni*, confirmata 5 *aug. ejusd. anni.*

8. Patroni familiæ Simbeni nullum invenire potuerunt, qui vacans beneficium simplex S. Crucis cum onere Missarum, ob redituum tenuitatem exciperet; Episcopum itaque post quadrimestre rogarunt, ut de beneficio disponeret; ast nec ipse reperire potuit, qui illud acceptaret. Fere biennio elapso adfuit clericus, qui cum augmento beneficium postulavit, ac patroni illum præsentarunt; vicarius vero capitularis de devolutione dubitans oraculum S. C. exquisivit; quæ rescripsit præsentationem prædictam esse admittendam; nequaquam enim constabat de patronorum culpa aut negligentia : *Mantuana*, 24 *febr.* 1720.

9. Demandata erectione cujusdam beneficii a Margarita Ruberti, voluit ipsa, ut jus nominandi esset penes Jacobum de Aptis, et Jacobum Silvestrelli, eorumque hæredes. Erectione peracta, ac Jacobo de Aptis vita functo, declaratum est jus prædictum spectare ad Annam, hæredem Jacobi de Aptis, et Jacobum Silvestrelli : *Romana seu Viterbien.*, 23 *febr.* 1726, *dub.* 3, confirmata 13 *april. ejusd. anni.*

10. Sacerdos Franciscus Biffius instituit beneficium simplex in ecclesia parochiali S Stephani oppidi Casalis Majoris de jurepatronatus suæ familiæ, qua deficiente in favorem beneficiatorum dictæ ecclesiæ disposuit cum conditione, quod in casu erectionis ecclesiæ prædictæ in collegiatam, tunc juspatronatus spectaret ad canonicos, dummodo inter canonicales præbendas beneficium adscriberetur. Pro erectione rescripsit S. C., sed antequam signaretur a Sanctissimo supplicatio, vacavit beneficium, et familia de Biffis ad illud nominavit clericum Josephum de Biffis, ac hujusmodo præsentationem admittendam esse censuit eadem S. C. : *Cremonen.*, *Erectionis præbendæ theologalis*, 2 *julii* 1729, *dub.* 1.

11. Ac hujusmodi jus præsentandi ad beneficium præfatum licet in canonicatum erectum continuare debere in dicta familia sancitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Beneficium seu capellaniam sub titulo S. Benedicti in parochiali ecclesia S. Mariæ de Vetranto cum onere Missarum, instituit Paschalis Troisius, voluitque, ut si quis *de domo et stirpe, seu genere de Troisio* presbyter esset, præferri deberet in nominatione. Extincta familia Troisii, parochi cum familia Maura ex parte fœminæ a Troisio descendente transactione ita convenerunt, ut titulum parochi retinerent, Missas vero presbyteri de familia Maura celebrarent; ast concordia hujusmodi minime approbata fuit : *Caven.*, *Transactionis*, 21 *junii* 1732.

13. Legatum perpetuum Missarum ab Alexandro Josepho Guarischetti relictum ecclesiæ B. M. V. terræ Pellizzani erectum fuit in beneficium ecclesiasticum, reservato jure nominandi in favorem familiæ Guarischetti : rector dictæ ecclesiæ hoc jus sibi vindicare studuit, verum S. C. illud familiæ prædictæ adjudicavit : *Tridentina*, *Translationis oneris Missarum*, 24 *januar.* 1739, *dub.* 3.

14. Nicolaus Cæsar de Avalos beneficium de jurepatronatus laicorum fundavit, vocavitque masculos lineæ masculinæ primum, inde vero fœminæ familiæ de Avalos, his vero deficientibus capitulum oppidi Cyliarum substituit : beneficiato vita functo, extinctisque lineis vocatis, adhuc fundatore vivente, capitulum susbtitutioni locum factum fuisse putavit, e contra fundator, vel alium nominare, vel pro se supplicare voluit, et S. C. censuit in casu, de quo agitur, Nicolaum Cæsarem pro se ipso supplicare posse : *Baren.*, *Beneficii*, 21 *nov.* 1739, *dub.* 1.

15. Institutio ad beneficium a Marco Paschali fundatum clerico Tanozzini attentate facta fuit ab Ordinario, quum in S. C. Episcoporum et Regularium instantia promota fuisset a clerico Bramanti ad beneficium præfatum passive vocato, adeoque ipsam institutionem sustineri non debere constituitur : *Aquipendien.*, *Beneficii*, 17 *februar.* 1742, *dub.* 1.

16. Et ad beneficium præfatum clericus Bramanti per verba deprecativa vocatus institui debet, quamvis Episcopus vitam turpem eum agere referret : *Ibid.*, *dub.* 2.

17. Canonicus cathedralis ecclesiæ Hieronymus Ammone nulla indigebat apostolica dispensatione pro consecutione beneficiorum, rectoriatuum, et capellaniarum de jurepatronatus familiæ suæ, eidem itaque ea omnia adjudicanda esse decrevit S. C. in concursu alterius clerici præsentati ab uno ex patronis. Nam canonicatus est exigui reditus, ac capellaniæ sunt laicales : *Surrentina*, *Beneficiorum*, 28 *april.* 1759, *dub.* 2, confirmata 30 *junii ejusd. anni.*

18. Joannes Franciscus Bondi beneficium fundavit pro universa descendentia masculina suarum filiarum cum substitutione agnatorum familiæ Bondi illa penitus extincta : inter Sebastianum Sancti ex filia fundatoris descendentem, et Basilium Bondi descendentem ex senioribus agnatis orta est quæstio super beneficio prædicto, et Sebastiano assignandum esse decrevit S. C. : *Mutinen.*, *Capellaniæ seu legati pii*, 6 *dec.* 1760.

19. Supplicatio relaxari debet in favorem Dominici Serrani, qui præsentatus, et unicus qualificatus ad beneficium exstiterat; licet indigeret dispensatione saltem ad cautelam ab irregularitate ob præteritorum criminum maculam, quam dispensationem tamen obtinuit; etsi adesset contradictor

Petrus Sodos Bagœna, qui habilis erat ad beneficia assequenda : *Terulen.*, *Beneficii*, 22 *sept*. 1763, *dub*. 2.

20. Beneficium concedendum esse clerico Cæsari Sparacciari utpote a vero patrono præsentato, adeoque ejus supplicationem relaxandam esse ad impetrandam dispensationem super ætate, declaravit S. C., neglecta præsentatione a prætenso patrono expleta in favorem sacerdotis Philippi Sanni, qui provisionem apostolicam cum derogatione medietatis vocum efflagitaverat : *Tolentina*, *Canonicatus*, 20 *januar*. 1770.

21. Ad beneficium ludi magistri, et coadjutoris communitatis Bellinzonæ, quod sacerdotale declaratum fuerat a S. C., nominatio, seu electio a communitate patrona expleta in favorem clerici defendentis Molo, qualitate sacerdotali destituti, facta fuit, quia bona fide clericum posse præsentari opinata est ; propterea consulta S. C. de validitate nominationis, respondit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem : *Comen.*, *Beneficii*, 31 *martii* 1770, *dub*. 2. Deinde putavit eam sustineri non debere, quamvis ante causæ decisionem ad sacerdotium ille promotus fuisset : 13 *julii* 1771. Fuit inde concessa nova nominatio a communitate eidem Molo cum expressione *per esser ora sacerdote*. Sed compertum fuit, nominationem peractam esse a paucis consiliariis nominatim consanguineis ; adeoque nominationem pluribus vitiis affectam improbavit S. C.: *Ibid.*, *dub*. 4, confirmata 9 *maii* 1772.

22. Prout etiam nec sustineri debet nominatio in favorem Antonii de burgo Caratti, quamvis sacerdotis. Nominatio enim sequuta fuerat pendente recursu ad S. C. habito a defendente Molo : *Ibid.*, *dub*. 3.

23. Beneficium simplex S. Francisci de Paula fundatum est a Petro de Sebastianis ea lege, ut, eo vacante, singuli sacerdotes participantes *de communia* antiquæ parochiæ S. Mariæ oppidi Lugi in novam collegiatam cum unione alterius parochiæ pariter communia constituentis erectæ in urnam ponerentur, et sorte novus beneficiatus extraheretur. Hac forma servata extractus fuit canonicus Verlicchius. De eadem conquesti sunt archidiaconus, et archipresbyter novæ collegiatæ, quod minime vocati, ac in urnam positi fuerint. Desuper S. C. consulta rescriptum distulit, et dixit ad mentem [46] : *Imolen.*, *Distributionum*, 30 *maii* 1772, *dub*. 4. Deinde constare de validitate resolvit : 8 *maii* 1773.

24. Qua de causa denegavit S. C. eodem tempore relaxari supplicationes signatas, et præsentatas ab impetratore sacerdote Brignani innixo reservationi Sedis Apostolicæ ob vacationem in mense reservato : *Ibid.*, *dub*. 5.

25. Sacerdos Rosatus Antonini beneficium instituit in capella B. M. V. Pietatis terræ Appositæ, reservato jurepatronatus activo in favorem Jacobi de Leonoris, ejusque fratri, et hæredibus, et successoribus, ac jurepatronatus passivo in favorem sacerdotis, seu clerici ejusdem familiæ Antonini. Vacante ob matrimonium beneficio, ac nemine de vocata familia de Leonoris existente, qui illud consequi posset, Joannes Baptista Antonini nominationem pro se postulavit ; ast patroni alium præsentarunt ; et S. C. beneficium a die vacationis prælato Antonini deberi decrevit : *Realina*, *Capellaniæ*, 27 *novem*. 1773, *dub*. 1, confirmata 9 *julii* 1774.

26. Dum nonnulli decuriones communitatis castri Cryptarum ad mare postulaverant quatuor beneficia de jurepatronatus communitatis erigi in capellanias concuratas considerata populi multitudine, Ermenegildus Tanursi impetravit unum ex his vacans, sub expressione, quod communitas negligens fuisset in præsentando novum rectorem, et gratiam obtinuit. Ast communitas intra quadrimestre nominaverat rectorem, et Ordinario nominationem præsentaverat ; ob id re in S. C. delata supplicationem in favorem Ermenegildi minime relaxandam esse statutum fuit : *Ripana*, *Beneficii*, 17 *junii* 1775, *dub*. 2.

27. Simon Grammatica, Joan. Baptista Casati, et Joseph Abbiati passive vocati ad beneficium fundatum a Catharina Taffini Paravicini institutionem postularunt, et vicarius generalis prælationem Abbiati concessit ; utpote præ ceteris juxta fundationem qualificato ; huic tamen originis requisitum deerat, super quo inde fuerat habilitas obtenta ; et S. C. censuit decretum Episcopi non sustineri, prælationemque Casati competere : *Comen.*, *Beneficii*, 7 *febr*. 1784, *dub*. 1.

28. Præsentatio a patronis facta in favorem clerici Clementis Marini ad beneficium in ecclesia castri S. Petri a Nicolao Cecconi fundatum, cui inest onus celebrandi per seipsum, non sustinetur : *Prænestina*, 12 *martii* 1785, *dub*. 2.

29. Vincentius Cataldi quoad beneficia vacantia de suo jurepatronatus rescriptum obtinuit *tempus, et tempora non currere per duos menses tantum*, postquam tamen alias temporis prorogationes reportaverat ; quibus elapsis neminem nominavit. Clericus itaque Aloysius Ciucci beneficium S. Marci jure devoluto a Sede Apostolica obtinuit ; illico

[46] « Mens est, ut citato etiam sacerdote Antonio Brignani, impetretur commissio super supplicatione in ejus favorem signata. » Rel. a Ferrari in sua *Biblioth. Canon. jurid.* tom. 8, pag. 468, edit. Rom. 1789.

Vincentius nominationem explevit, et nihilominus beneficii possessionem nactus est Aloysius Ciucci, cui manutentionem dandam esse, nec relaxandam supplicationem in favorem nominati a patrono S. C. arbitrata est: *Asculana*, 6 *maii* 1786, *dub.* 1.

30. Item quoad alia quatuor beneficia litteras expediendas esse in favorem provisorum apostolicorum eadem ratione, nec signandas esse supplicationes in favorem nominatorum ab eodem Cataldi patrono rescriptum fuit: *Asculana*, 6 *maii* 1786, *dub.* 1, 2, 3 *et* 4.

31. Beneficium æditui fundatum a Bernardino Lupi in ecclesia collegiata S. Nicolai oppidi Ædisti de jurepatronatus communitatis, ut ea æedituum nominaret *in eta legitima da potersi ordinare al sacerdozio in termine di un anno* denegatur pauperi Cajetano Lupi parum ad assumendum clericatum idoneo; licet de genere vocatorum sit; ac servandum est decretum visitationis anni 1650: *Nullius, Sancti Ædisti beneficii sacristæ*, 19 *junii* 1790. Non obstante hoc rescripto communitas patrona nominavit clericum Josephum Fiori annorum 17, et favente vicario generali, ac necessitate ac utilitate Ecclesiæ suadente a S. C. conceditur eidem institutio: 21 *junii* 1792.

32. Ecclesia parochialis S. Lucæ Viterbii unita collegiatæ SS. Faustini et Jovitæ proximam minatur ruinam, et indiget prompta reparatione. Hinc exoratur S. C. pro suspensione collationis beneficii annui reditus scut. 40 cum duplicis Missæ hebdomadalis onere institutionis Laurentii Franchini. Card. Episcopus testatur deesse parocho congruam, parochiæ incolas labore tantum vivere, capitulum collegiatæ ære alieno gravatum. Interim patroni absque præjudicio petitionis ad beneficium nominarunt clericum Borgassi, et S. C. locum suspensioni collationis beneficii, juxta votum Episcopi [47], suspensa interim exequutione nominationis ad septennium; *Viterbien., Beneficii*, 18 *novem.* 1797.

§ VIII.

Beneficio ecclesiastica quoad permutationem seu commutationem.

1. Quoad permutationes beneficiorum censuit S. C. permutationes minime admittendas ab Ordinario, nisi ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiarum: *Tarraconen.*, *febr.* 1590, *dub.* 2.

2. Carceribus curiæ episcopalis mancipato Francisco Antonio Florentino parocho oppidi Altii ob nonnulla supposita carnis delicta, inchoato processu opportunum duxit curia prædicta, ut Florentinus suam parochiam cum aliqua capellania permutaret, interim eadem curia processus continuationem intermisit. Permutatio evenit, et nondum adepta capellaniæ possessione Florentinus ad S. C. convolavit, quæ permutationem non sustineri decrevit: *Novarien.*, *Permutationis*, 6 *octob.* 1703, *dub.* 1.

3. Beneficium simplex sub titulo S. Angeli in Fonte, et S. Bernardi commutatum fuit in simplicem capellaniam manualem ad instantiam familiæ de Bigottis patronæ, quæ pro dotis augmento Molendinum obtulerat, ceteraque bona libera obligare promiserat; firma tamen remanente qualitate beneficii ecclesiastici, et prævia assignatione Molendini una cum specifica obligatione omnium bonorum tam pro evictione Pistrini, quam pro perpetua manutentione redituum in ducatis quinquaginta, prout decrevit S. C., postquam tamen sub die 23 febr. 1726 nova informatio ab Episcopo requisita fuerat juxta instructionem; ac sub die 20 sept. 1727, rescriptum fuerat; scribatur Episcopo juxta novam instructionem [48]: *Caputaquen.*, 17 *apr.* 1728.

4. Quum pluries sacerdotem Joannem Wolfangum Baumharter inhoneste viventem paterne monuerit Augustanus Ordinarius, tandem contra ipsum non resipiscentem sententiam protulit, qua Joannem condemnavit ad permutandum intra quatuordecim dies simplex beneficium primiceriatus, quod in civitate Donaverthæ obtinebat, cum altero simplici beneficio in Liechtenau existente, ac Joanne contradicente Ordinarii judicatum sustineri deliberatum est: *Augustana*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 1.

5. Beneficium sub titulo S. Januarii erectum in publico oratorio eidem divo Januario dicato de jurepatronatus familiæ Salines, quum vacans reperiretur, nullusque existeret clericus passive vocatus, ad instantiam patronorum, qui etiam dotis augmentum in favorem ecclesiæ, cujus bona grave detrimentum passa fuerant, obtulerunt, commutatum fuit in simplicem capellaniam manualem ad nutum patronorum, retenta tamen qualitate beneficii, et facta per patronos obligatione manutenendi bona assignata in fundatione, necnon reditus ducatorum 12 assignatorum in augmentum beneficii: *Satrianen. seu Potentina*, 27 *januar.* 1748.

6. Beneficium simplex S. Nicolai ad Montes de

[47] « Qui suum aperiendo votum censuit suspensionem statuendam esse dumtaxat pro comparandis scutis biscentum, scilicet pro annis septem; quam summam satis credo pro pavimenti, et tecti instauratione, et interiorum parietum munditie. » *Ead causa*, 18 *novem.* 1797, § 2.

[48] Et signanter, an iidem patroni vellent sua bona obligare pro manutentione augmenti ducatorum quinquaginta et an haberent bona libera, quæ possunt obligare: *Ead. causa*, 17 *april.* 1728, § 3.

jurepatronatus sodalitii S. Laurentii oppidi Tophiæ commutari non debet in residentiale, seu in canonicatum erigendum in ecclesia collegiata dicti oppidi etiam reservato patronatu, et imposita celebratione unius sacri pro qualibet hebdomada in favorem sodalitii; major enim pars sodalium commutatione dissentiebat, et quando agitur de commutatione simplicis beneficii jurispatronatus laicalis requiritur omnium patronorum consensus: *Nullius, seu Farfen.*, *Commutationis Beneficii*, 2 *aug.* 1749.

7. Beneficium residentiale erectum in ecclesia parochiali S. Laurentii Morsunii cum onere, ut interesset omnibus horis canonicis diurnis, atque nocturnis, et ut unum sacrum celebraret quolibet anno, imminutis adeo reditibus, ut non inveniretur, qui beneficii onera impleret, instante patrono commutatum fuit in beneficium simplex aucto Missarum numero arbitrio Episcopi: *Celsonen.*, *Beneficii*, 11 *martii* 1752.

8. Circumspecta populi multitudine nonnulla decuriones castri Cryptarum ad Mare postularunt, ut quatuor beneficia simplicia erecta in ecclesia matrici S. Joannis dicti castri de jurepatronatus communitatis in capellanias concuratas commutarentur, sed contradicentibus passive vocatis, rejecta fuit instantia: *Ripana, Beneficii*, 17 *junii* 1775, *dub.* 1.

§ IX.

Beneficia ecclesiastica quoad privationem.

1. Ad consulendum detrimento servitii ecclesiæ, et ad removendam populi publicam offensionem, capitulum ecclesiæ cathedralis declarari supplicavit, quod dicti absentes ex causa omnino illicita, atque ordini sacerdotali injuriosa pœnas incurrissent privationis beneficiorum, propositis hinc dubiis; an esset locus privationi? et quatenus negative.

2. An et in qua pœna esset procedendum contra hujusmodi beneficiatos? responsum est, esse locum privationi ad formam Sacr. Concilii [49] et sacr. Canonum [50]: *Vercellen.*, 15 *dec.* 1696, *dub.* 1, *et* 2.

3. Joseph Fuentes de Lebrixa suspensus, ac irregularis declaratus fuit a S. C. ob ejus promotionem ad sacros ordines factam ab Episcopo Samensi, cujus servitio addictus erat, absque litteris commendatitiis Archiepiscopi Hispalensis, cui erat subditus, et ad titulum insufficientis beneficii. Eadem S. C. oratorem remisit ad Archiepiscopum pro absolutione impetranda, quam ab ipso obtinere non valuit, obtinuit tamen a Card. Urbis vicario: inde vero quæsitum fuit, an privatus remanserit beneficiis, et capellania? et S. C. respondit: Negative quoad beneficia, et capellanias in titulum obtentas ante contractam irregularitatem, affirmative vero quoad obtentas ex post: *Hispalen.*, *Irregularitatis*, 9 *julii* 1701.

4. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Martini, eo quod Joannes Stenualt beneficii SS. Martini, et Oddæ possessor, cui onus canendi Evangelium incumbit, a pluribus annis a civitate abfuerat, ad privationem beneficii devenit, ac S. C. declaravit Joannem in pœnam prædictam incurrisse; ita ut esset locus nominationi, et institutioni alterius: *Leodien.*, *Beneficii*, 22 *febr.* 1710.

5. Privatio beneficii residentialis in sacerdotem Antonium Lacingula beneficium possidentem in ecclesia archipresbyterali oppidi Serræ Capriolæ ab Episcopo decreta ob omissam residentiam non sustinetur; sed manutentio dari debet beneficiato, cui tamen injunctum fuit a S. C., ut infra mensem omnino ad residentiam rediret absque spe: illa enim fuit advocatus visitationis pastoralis dicti oppidi cum mandato non omittendi ecclesiæ servitium sub privationis pœna: *Larinen.*, *Privationis*, 2 *maii* 1711, *dub.* 1.

6. Duo ex beneficiatis ecclesiæ cathedralis, qui onus habebant canendi tum in cantu gregoriano, tum in figurato, relicta ecclesia in exteris ditionibus operas suas in publicis theatris locarunt; quæsita S. C. præcepit, ut Ordinarius nomine S. C. pœnam privationis eisdem imponat: *Vercellen.*, *Residentiæ*, 1 *octob.* 1720.

7. Henricus Eustachius Coroy beneficiatus collegiatæ ecclesiæ S. Martini non est beneficio privandus, non obstantibus Constitutionibus Alexandri VI,

[49] Decretalis cap. *Ex tuæ* tit. *de Clericis*, statuit, clericum absentem a sua ecclesia, si nescitur, ubi sit, citandum esse tribus edictis, in valvis ejusdem suæ ecclesiæ affigendis, et ea privandum, si post sex menses non revertatur, et ex contrario sensu, si scitur, ubi sit, et quomodo citari possit, personaliter citari debere, nec esse ipso jure privatum fructibus infra dictos sex menses. Hæc sanctio moderata est a Concilio Trid., quum hodie in privatione beneficii respectu obtinentium dignitates, canonicatus, vel portiones in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, omnino servandus esset ordo ab eodem Concilio præscriptus sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, § *Præterea obtinentibus*. Is igitur est, ut primo anno absentes ultra tres menses, priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecerunt suos, secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni. Ac demum, crescente contumacia, ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint, et debeant juxta SS. Canonum sanctiones ipso beneficio. Alia vide verb. *Canonicatus*, § 5.

[50] Vide not. antecedentem.

Pont. Max., quibus sub pœna privationis præscripta fuit personalis residentia; ita ut absentes per tres menses ipsam incurrerent; ac proinde nec capitulo licet alium præsentare, nec decano illum instituere; aberat ille enim causa litis agendæ in favorem beneficii : *Leodien.*, *Servitii*, 19 *junii* 1751 *dub.* 1.

Beneficia ecclesiastica religionis Hierosolymitanæ. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § II.

§ X.

Beneficia ecclesiastica quoad resignationem [51], *cessionem, et dimissionem.*

1. Censuit S. C. prohibitionem de non resignandis beneficiis, ad quorum titulum clerici fuerunt promoti, juxta cap 2, sess. 21, *de Reform.*[52] locum habere; etiamsi beneficia hæc de jurepatronatus capitulorum exemptorum sint : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 2.

2, Camillus Maninus præpositus insignis collegiatæ Gaudiani beneficium simplex sub titulo prioratus in ecclesia S. Mariæ loci de Barro erectum obtinens illud resignare postulavit in favorem sui ex fratre nepotis octavum annum agentis; ita tamen ut resignatarius obligatus remaneret ad celebrationem diebus festis per se vel per alium in dicto loco de Barro, et ad rudimenta fidei populo explicanda; sed contradicente Galeatio vicecomite de Aragona asserto patrono, illius petitioni contradixit quoque S. C. : *Novarien.*, *Resignationis*. 8 *aug.* 1705.

3. Episcopus Lanciani dubitavit, an ordinatus ad titulum beneficii in illius resignatione teneretur speciatim exprimere : se fuisse ad ejus titulum ordinatum, et S. C. dubium solvit responso affirmativo : *Lancianen.*, 9 *febr.* 1726 *dub.* I.

4. Quæsitum pariter fuit, an hæc individua expressio suppleatur per assertivam *forsan ordinatus ?* et S. C. respondit negative, et ad mentem [53] : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Prout etiam definitum fuit, quod per concludentes probationes constare debet hujusmodi resignantem habere, quo commode vivere possit : *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Nec sola confessio jurata perficit probationem prædictam . *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Resignans vero tenetur aliud beneficium obtentum, vel alia bona subrogare beneficio resignato, et hæc subrogatio facienda est per Episcopi declarationem : *Ibid.*, *dub.* 5 *et* 6.

8. Beneficii simplicis, ad cujus titulum sacros ordines susceperat Johannes Malabayla, resignatio postquam ipse parochialem ecclesiam obtinuerat, valida declarata fuit; quamvis reticuisset se ad titulum dicti beneficii ordinatum, ut requiritur ex Trid. *sess.* 21, *de Reform.* cap. 2 [54]. Expresserat tamen Ordinario, coram quo resignationem expleverat, se habere unde viveret : *Asten.*, *Resignationis beneficii*, 3 *apr.* 1734, et iterum instante Joanne Malabayla pro nullitate resignationis, rescriptum fuit, *in decisis* facto verbo cum Sanctissimo, et facta subrogatione parochialis per Episcopum : 22 *maii ejusd. anni*.

9. Renunciationem beneficii sive capellaniæ erectæ in ecclesia Sanctissimi Salvatoris a Consentino factam in favorem sacerdotis Gigli de consensu majoris partis patronorum sustinendam esse decrevit S. C., et quum disputatum etiam fuisset; an resignans in caducitatem beneficii incurrisset; et an nominationes patronorum sustineri deberent? ho-

[51] Const. *In Sublimi* 29 aug. 1741. (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 32.) Resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, et pacto eam cassandi, prohibentur, et annullantur a Bened. XIV; adjecta pœna privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ, et irritantur cassationes, et extinctiones pensionum, intra sex menses a capta possessione beneficii obtentæ. Inde altera Const. *Ecclesiastica*, 15 junii 1746 (*Ibid.* tom. 2, pag. 28). Bened. XIV, occurritur abusibus in expeditione beneficiorum inductis, ad eludendam Const. Gregorii XIII incipien. *Humano*, 5 jan. 1584. (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 41), qua forma publicandi resignationes beneficiorum ecclesiasticorum in curia, et extra decernebatur.

[52] Ubi postquam decretum est, neminem secularem promovendum esse ad sacros ordines sine beneficio ecclesiastico, quod sibi ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat, statuit : « Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus : neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio, nulla sit. »

[53] Mens fuit, ut resolutio prædicta habeat locum futuris resignationibus : *Ead. causa*, 9 *februar.* 1726, *dub.* 2.

[54] Hoc decretum statuit, neminem secularem promovendum esse ad sacros ordines sine beneficio ecclesiastico, quod sibi ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat, et hoc extensum est a S. Pio V. Const. *Romanus* 14 octob. 1568. (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 46) etiam ad clericos regulares non professos, sive seculares, more religiosorum in communi viventes.

In causa *Camerinen. seu Nullius*, 1 julii 1593 censuit S. C. tutum esse in conscientia eum, qui beneficia, ad cujus titulum erat promotus resignavit, et aliud ex causa permutationis obtinuit tacendo in resignatione, quod erat promotus ad titulum prædicti beneficii, dummodo secundum beneficium sit æquivalens primo.

rum cognitio ad exequutorem litterarum apostolicarum a resignatario expeditarum remissa fuit : *Veliterna*, *Beneficii*, 4 *dec.* 1762.

10. Beneficium possessum ab Idelphonso Valentino Fernandez Montero, quum simoniace obtentum fuerit, ex quo ipse adhuc non clericus beneficium ipsum dimisit in favorem cujusdam sacerdotis, pactione inita, quod statim ad clericus evasisset, ad beneficium regrederetur, prout consentiente patrono accidit, ab ipso dimitti debet, fructusque perceptos restitui, denegatis interim absolutione, dispensatione, et convalidatione tituli beneficii, de quibus postea supplicet : *Cavrien.*, *Censurarum*, 30 *julii* 1774.

11. Beneficiato Josepho Cozzi denegata fuit facultas resignandi beneficium in favorem Joannis Massari communitate urbis Salviæ patrona dissentiente : *Maceraten.*, *Resignationis beneficii*, 5 *apr.* 1778.

12. Quum Antonius Amaya beneficium cum officio æditui ecclesiæ parochialis villæ *Fuentes de Leon* resignaverit in favorem Josephi Sanchez Brioso, cum privata conventione cum eodem, ejusque patre inita, ut officii exercitium incumberet resignatario, perciperet ipse fructus beneficii; postmodum monitus Joseph de simonia confidentiali, supplicavit pro approbatione resignationis ; sed noluit S. C. illam indulgere : *Nullius S. Jacobi de Spatha*, 21 *apr.* 1792, *dub.* 2.

BENEFICIA ECCLESIASTICA SACERDOTALIA, SECULARIA, REGULARIA, SIMPLICIA, RESIDENTIALIA ET MANUALIA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XI.

§ XI.

Beneficia ecclesiastica quoad statum et qualitatem,

1. Triginta capellani seu beneficiati metropolitanæ de Massa nuncupati obtinuerunt a Sum. Pont. ex voto S. C. breve, ut eorum beneficia possent in manu Papæ resignare, et coadjutores impetrare. Sed capitulo obsistente, quæsitum est, an loca illa sint beneficia perpetua, seu collativa? Et S. C. negative respondit : *Januen.*, *Coadjutoriarum et resignationum*, 24 *aug.* 1680, ac iterum dubio, an breve, de quo agitur, sit exequendum? negativum datum est responsum : 5 *julii* 1681.

2. Fundator statuit, *che se vivera dopo la di lui morte qualche sacerdote della famiglia Olivieri*, *ovvero Piccina debba essere eletto a tal beneficio*. Clericus Petri exoptans sacros Ordines suscipere ad titulum beneficii, curavit proponi dubium; an dictum beneficium sit sacerdotale actu, ita ut in eligendo requiratur qualitas sacerdotalis de tempore electionis, vel satis sit, ut eligendus reperiatur in ætate habili ad assequendum ordinem presbyteratus? cui responsum fuit : beneficium esse sacerdotale, sed supplicandum Sanctissimo pro dispensatione in hoc casu, concurrentibus tamen aliis requisitis : *Tridentina*, *Beneficii*, 5 *junii* 1688.

3. Canonici cathedralis ecclesiæ habentes undecim beneficia, seu simplices capellanias amovibiles, supplicant pro commutatione perpetuitatis earumdem in amovibiles ad nutum. Et S. C. audita relatione Episcopi instantiam rejecit : *Gerunden.*, 18 *apr.* 1693.

4. Beneficium fundatum a canonico Joanne de Comitibus in ecclesia cathedrali cum onere celebrandi, et inserviendi in choro est sacerdotale habitu, et non actu tempore præsentationis ; ita tamen ut præsentatus infra annum ad sacerdotium promoveri debeat in casu, de quo agitur : *Tusculana*, *Beneficii seu capellaniæ*, 4 *sept.* 1700, *dub.* 1.

5. Sex in collegiata ecclesia S. Martini beneficia simplicia in certis altaribus numerantur erecta, quæ *servitoria* dicuntur, quia singulis aliquod ecclesiæ servitium incumbit, quæque Episcopus mensa capitulari univit. Hæc non esse manualia, et amovibilia, sed perpetua declaravit S. C. : *Leodien.*, *Beneficiorum*, 27 *martii* 1706, *dub* 1.

6. Necnon esse residentialia, et beneficiatos teneri præstare servitium, quod præscripsit decretum Episcopi Ernesti [85] decidit : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Beneficium institutum a Martino de Benedictis in ecclesia S. Caroli esse sacerdotale censuit S. C. ; quamvis non adesset obligatio celebrandi se ipsum, sed in sua fundatione semper de presbyteris a fundatore sermo institutus fuerat : *Imolen.*, *Beneficii*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1.

8. Beneficia hebdomadariatus nuncupata, quæ juxta synodales constitutiones existunt in ecclesia metropolitana non esse mera officia, sed beneficia ecclesiastica declaravit S. C. ; quum beneficiati sint de gremio capituli, habeant vocem activam, et passivam, stallum in choro, insignia, almutiam nempe gerant, non sint amovibiles ad nutum, et nonnulli ad titulum eorumdem hebdomadariatuum ad sacros ordines promoti fuerint : *Amalphitana*, 30 *sept.* 1724, *dub.* 1.

[85] Episcopus Ernestus Leodii ad petitionem capituli, et decani exponentium quod nonnulli beneficiati ob provisiones a Sede Apostotolica obtentas ad servitium personaliter obeundum, utpote non impositum a primæva fundatione, sed ex antiqua potius consuetudine promanans, non teneri contendebant, statuit, quod dictorum beneficiorum possessores sive ordinaria, sive apostolica auctoritate provisi ad munia prædicta per se ipsos quotidie subeunda etiam per sequestrum fructuum, et alia juris, et facti remedia compelli possent. *Ead. causa*, 6 *febr.* 1706.

9. Beneficium residentiale ex quatuordecim similibus erectis in ecclesia parochiali Castri Fidardi sacerdotale declaratum fuit. Instituta enim fuerant beneficia prædicta, ut beneficiati opem ferrent parocho, quandoque tamen justa concurrente causa clericis etiam collata fuere : sed hac deficiente denegata fuit institutio simplici clerico a patronis præsentato : *Lauretana*, 16 *decemb.* 1724, *dub.* 1.

10. Margarita Ruberti erigi mandavit suis hæredibus quoddam beneficium cum onere Missæ quotidianæ, eis relicto jure nominandi, et data etiam facultate declarandi, an erigendum esset residentiale, et amovibile ; jussit quoque, ne hæredes sui molestari ullo modo possent a legatariis, fabrica S. Petri, et Episcopo. In hujusmodi erectione peragenda dubium fuit, an ecclesiasticum esse debeat, vel mere laicale ? et S. C. censuit illud ecclesiasticum esse debere : *Romana seu Viterbien.*, 25 *febr.* 1726, *dub.* 2, confirmat. 13 *april. ejusd. anni.*

21. Populus, et clerus villæ de Sos indultum obtinuit, quo beneficia quælibet sive servitoria, sive parochialia in dicta villa existentia conferri tantum possent filiis patrimonialibus et naturalibus Villæ : declaratum inde fuit a S. C. beneficium seu rectoriam ruralem S. Mariæ de Zenito in dicto indulto comprehensam esse : modo standum esse in decisis, addendo ad mentem [56] resolvit eadem S. C. : *Pampilonen.*, 7 *april.* 1731. Inde reproducta causa dictum fuit, in decisis, et quoad futuras vacationes pro informatione indulti juxta resolutionem S. C. anni 1704 [57] : 22 *sept. ejusd. anni.*

12. Beneficium perpetuum in ecclesia cathedrali fundatum a Laura Zaccone, absque eo quod de qualitate amovibilitatis conditione conferebatur, concessum fuit patrono octavum annum agenti, prævia dispensatione per litteras Apostolicas expedienda si Sanctissimo placuerit, *dempta tamen conditione amovibilitatis* : *Catacen.*, *Dispensationis*, 25 *januar.* 1738.

13. Beneficium canonicatus titulo erigendum in ecclesia Sanctissimi Salvatoris juxta fundatoris voluntatem cum onere celebrandi binas Missas in qualibet hebdomada, ac deinde auctoritate S. C. in mansionariatum commutatum, firma in reliquis remanente dispositione testatoris, declaratum fuit non esse sacerdotale neque actu, neque habitu ; fundator enim dum de personis ad beneficium præsentandis egerat, nunquam de sacerdotibus sermonem instituerat : *Maceraten.*, *Mansionariæ*, 6 *decemb.* 1738.

14. Beneficium simplex sub invocatione S. Silvestri erectum in ecclesia collegiata SS. Stephani, et Nicolai de Piscia, ad quod ex fundatoris voluntate eligendus est unus sacerdos, qui deputetur ad celebrandum divina officia, esse sacerdotale ; ideoque rectorem teneri ad ordines sacros suscipiendos, rescriptum fuit : *Piscien.*, *Beneficii*, 23 *sept.* 1747, confirmat. 16 *decem. ejusd. anni.*

15. Beneficium de jurepatronatus erectum in cathedrali ecclesia, lege per fundatorem his verbis adjecta, quod si descendentes vocati in statu clericali vivere nollent, possent reditibus frui, et beneficii onera per alium adimplere statuta mercede, seu eleemosyna, et hac lege ab Episcopo probata, quatenus sacris Canonibus, et apostolicis Constitutionibus non adversaretur, declaratum fuit verum beneficium esse, minime legatum pium laicale ; et concessum fuit, ut Lelius beneficii possessor, qui a statu clericali sese abdicaverat, beneficiique administrationem postulaverat, suos faceret beneficii fructus, et Missarum celebrationi satisfaceret, facta tamen renunciatione clericatus, et beneficii : *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 6 *junii* 1750, *dub.* 1.

16. Franciscus Bennati ad beneficium a se fundamentum nonnisi sacerdotes sibi propinquiores vocavit, his deficientibus, alios a sua familia exteros vocari permisit, qui binas in hebdomada Missas celebrarent. Sacerdotes ad beneficium semper præsentati fuere, excepto ultimo possessore, qui in clericatu constitutus præsentatus fuit. Hoc vita functo patronus filium impuberem præsentavit. Beneficium actu esse sacerdotale definivit S. C. : *Imolen.*, *Beneficii*, 23 *sept.* 1758, *dub.* 1.

17. Joannes Franciscus Bondi de castro Flumalbi fundationem beneficii testamento jussit in favorem descendentium suæ familiæ, ita ut major ex his, qui presbyter fuerit, vel fiet, nunc pro tunc ad beneficium nominaretur cum onere celebrandi viginti quatuor Missas annuas. In erectione beneficii prædicti actum est, num beneficium ecclesiasticum erigendum esse S. C. declaravit : *Mutinem.*, *Capellaniæ seu legati pii*, 6 *decem.* 1760. *dub.* 1.

18. Beneficium communitatis Bellinzonæ sacerdotale est, ita ut ad illud sit præsentandus Sacerdos actu idoneus, et in ejus defectu is, qui infra annum promoveri posset ad sacerdotium, et his omnibus deficientibus etiam simplex clericus. In unione enim beneficiorum, et erectione dicti beneficii seu præbendæ magistralis a D. Carolo Borromæo expleta sacerdotalis qualitas expresse requiritur : *Comen.*, *Beneficii*, 31 *martii* 1770, *dub.* 1, confirmata 18 *aug. ejusd. anni, et* 13 *julii* 1771.

[56] Mens est, ut Franciscus Azpiliqueda, qui licet non patrimonialis, et alienigena, rectoriam obtinuit, et Litterarum Apostolicarum exequutionem, Datariæ commendaretur. *Ead. causa*, 5 *martii* 1731.

[57] Vide § 2, num. 4.

19. Sex beneficia erecta in collegiata ecclesia B. M. V. Tungrensis, *Vicariæ* nuncupata, sunt beneficia perpetua; ita ut beneficiati a decano, vel capitulo ex legitima, et rationabili causa nequeat removeri, seu privari: nam beneficia perpetua probata fuere ex eorum origine, ex litteris Eugenii IV, Pont. Max.; constitutæ insuper fuerant vicariæ prædictæ ex beneficiis perpetuis, nec evincta fuerat qualitas beneficii manualis: *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 1, confirmata 30 *aug.* 1777.

20. Beneficium sub nomine capellaniæ a Paulo de Bonianis in ecclesia plebis S. Petri civitatis Guastallæ cum onere Missarum fundatum testator manuale, et non perpetuum esse voluit. Quum autem die procedente in titulum perpetuum conferri consueverit, S. C. beneficium esse ecclesiasticum decidit: *Nullius, Guastallæ*, 31 *maii* 1783, *dub.* 1.

21. Et ex voluntate testatoris, qui sacerdotem esse nominandum demandaverat, ad capellaniam prædictam nonnisi sacerdotem actu, vel habitu præsentandum esse; adeoque clerico in decimo quarto ætatis anno constituto conferri non debere declaratum fuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

22. Beneficium erectum in ecclesia parochiali castri S. Petri a Nicolao Cecconi est residentiale; et beneficiatus tenetur per se ipsum onera implere. Fundator quippe, et residentiam præcepit, et onerum satisfactionem per alium prohibuit. *Prænestina*, 12 *martii* 1785, *dub.* 1.

23. Lucia Ramasco beneficium instituit perpetuum simplex, et mere laicale post ejus obitum erigendum, adjecto onere duodecim sacrorum quotannis, assignatis reditibus tenuissimi census. Auctoritate Ordinarii beneficium erectum fuit, ab exequutore testamentario, et patrono. Modernus autem patronus postulavit, ut ad originariam formam, et qualitatem mere laicalem reduceretur; et S. C. rescripsit, erectionem illam non esse sustinendam: *Bugellen.*, 16 *decem.* 1786.

24. Beneficia ecclesiæ parochialis S. Andreæ apostoli Roncilionis, quæ habent onus servitii chori, sunt simplicia; ita ut retineri valeant cum beneficiis residentialibus servata dispositione Concil. Trid. Sess. 24, cap. 17, *de Reform.*[38]: *Sutrina*, 20 *sept.* 1788, *dub.* 3.

§ XII.

Beneficia ecclesiastica quoad suppressionem et reductionem.

Beneficium fundavit Anna Lingotti cum onere Missarum, ac sustentandi magistrum cantus, qui etiam pueros doceret, statutis reditibus in summa triginta florenorum ex assignato fundo percipiendis, et his deficientibus ab hærede præstandis. Imminutis redditibus, capitulum collegiatæ Ecclesiæ oppidi Montiscalerii, ubi erectum fuerat beneficium, patronum hujus suppressionem postulavit, ut ex ejus reditibus capellæ musicus provideret, ejusque instantiam rejecit S. C., et mandavit, ut Archiepiscopus cogeret hæredes ad supplementum. *Taurinen.*, *Suppressionis beneficii*, 12 *april.* 1710.

2. Quum adessent in ecclesia parochiali B. M. V. villæ de Aquaiata triginta quatuor beneficiati capitulares, quorum beneficia majori ex parte sint de jurepatronatus laicorum, cum onere residendi, et personaliter choro inserviendi, tenuis tamen reditus, instante etiam communitate petita fuit reductio, ac suppressio nonnullorum beneficiorum, donec reditus augerentur; et nonnullis ex beneficiatis contradicentibus rejectæ fuerunt preces: *Vicen.*, *Suppressionis seu reductionis beneficiorum*, 28 *martii* 1711.

3. Capitulum insignis collegiatæ civitatis Taurentinæ ex una dignitate sub nomine abbatis, tredecim canonicis, totidemque præbendatis, præter ceteros ministros, et capellanos constat. Hoc autem reditus admodum tenues habet in distributionibus consistentes; pro unione unius ex duabus parochiis loci de Villar Don Diego prope Taurentinam civitatem existentis, fructuumque applicatione in favorem mensæ capitularis, perspecto parvo incolarum numero, et duorum parochorum fere continua discordia, supplicavit, et rescriptum fuit: Consulendum esse Sanctissimum pro suppressione unius ex duobus beneficiis curatis primo vacaturi cum applicatione in favorem capituli omnium redituum, exceptis tamen emolumentis stolæ applicandis alteri parocho cum unione dictæ curæ: *Zamoren.*, *Unionis*, 19 *april.* 1738.

4. Quum a deputatis hospitalis majoris Mediolani postulata fuerit suppressio cujusdam beneficii, quod ab ipsis conferri debet parocho seniori inservienti hospitali, cum applicatione fructuum in favorem hospitalis, quod tamen onus haberet manutenendi sacerdotem inservientem, S. C. hisce precibus minime annuit: *Mediolanen. seu Novarien.*, 21 *novemb.* 1767, *dub.* 2.

5. Postulavit communitas beneficiatorum suppressionem, et unionem septem beneficiorum fundatorum a syndacis suburbii Leopolis in ecclesia parochiali S. Eulaliæ ratione diminutionis redituum; et S. C. dedit facultatem Archiepiscopo supprimendi suo arbitrio prout de jure: *Calaritana*, *Suppressionis beneficiorum et attentatorum*, 22 *martii* 1755, *dub.* 2.

[38] Vide not. 40.

§ XIII.

Beneficia ecclesiastica quoad translationem et reportationem.

1. Ad dubium, an possit Episcopus in actu visitationis titula beneficiorum simplicium ad aliam ecclesiam viciniorem transferre? si ecclesiæ, ut supponitur fere dirutæ, et collapsæ Episcopum, auditis, quorum interest, posse ut Sedis Apostolicæ delegatum, transferre beneficias implicia ad alias ecclesias viciniores, S. C. respondit: *Narnien.*, 24 *martii* 1657, *dub.* 1.

2. Beneficii titulus sub invocatione S. Mariæ de Scopulis erecti in ecclesia rurali B. Mariæ nuncupata *la Pasquarella* translatus ad parochialem ecclesiam castri Aquælaureti, ex quo dicta ruralis ecclesia adeo labefactata fuerat, ut Missæ sacrificium amplius in ea celebrari nequiret; refecta, et instaurata eadem rurali ecclesia ibidem reportandus non est. Nova enim ecclesia veteri non succedit: *Tudertina, Beneficii*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1.

3. Sacerdos Joannes Oddi beneficium cum Missarum onere post obitum suum erigi jussit in ecclesia parochiali oppidi Martignanæ: inde mutato consilio facultatem postulavit transferendi beneficium præfatum ad oratorium in agro Martignano, ubi complures degunt colonorum familiæ, et intra fines ejusdem parochiæ S. Luciæ existens. Hæc animadvertit Episcopus; scilicet et quod a fundatore petatur translatio, et in gratiam colonorum, qui per obrutam viam fere tribus millibus passuum a parochia distant; et facultas exoptata concessa fuit sine præjudicio tamen jurium parochialium: *Cremonen.*, *Translationis beneficii*, 3 *julii* 1762.

§ XIV.

Beneficia ecclesiastica quoad unionem et applicationem.

1. Quæritur, an quælibet beneficia simplicia propriam ecclesiam non habentia, sed in alia ecclesia ex fundatione, seu translatione alias facta existentia, quocumque nomine nuncupentur, ab ipsis Episcopis seminario uniri possint? respondit S. C., si beneficia simplicia sint, possent uniri: *Cremonen.*, *anni* 1582, *dub.* 7.

2. Et ad alterum dubium, an etiam ab Episcopis uniri possint beneficia simplicia secularia fundata, et existentia in ecclesiis parochialibus alias secularibus nunc unitis, et annexis monasteriis regularium, et quod collatio spectet, seu spectare prætendatur ad superiorem regularem vigore dictæ unionis? rescribit, non comprehendi a Concilio beneficia, quorum collatio spectat ad inferiores: *Ibid.*, *dub.* 8.

3. Unionem capitulo factam juxta formam Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 15. [59] validam esse declaravit S. C., si facta fuit, antequam beneficia vacent, nec impediri, vel per vacationem in mensibus reservatis, vel per resignationem, si in resignatione non fuit nominatim facta suspensio unionis: *Narnien.*, *mensis junii* 1586.

4. Quæsito, an si aliqua beneficia simplicia unita post erectionem seminarii in vita possessorum ex decreto Archiepiscoporum servata forma Concilii Tridentini vacarunt, et non sunt unita, et applicata seminario virtute dicti decreti unionis, sed Archiepiscopus absque dispensatione apostolica contulit familiaribus suis, et aliis, si legitime potuisset, et possessores legitime possident? et an seminarium juste judicium contra dictos possessores suscipere potest, postquam non fuit detractum tantum summa taxæ seminarii, quantum reditus illorum beneficiorum capit? respondit S. C., uniones factas seminariis suspendi, aut impediri non posse, sed omnino quacumque vacatione effectum sortiri debere juxta cap. 18, sess. 23, vers. *necnon beneficia* [60]; ideoque familiaribus hujusmodi beneficia unita ab Episcopo conferri non potuisse, et propterea jus esse seminario judicium instruere adversus eorum possessores: *Salernitana*, *julii* 1589, *dub.* 6.

5. S. C. censuit unionem beneficiorum ab Epi-

[59] *De Reform.*, ubi legitur: « In ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus, et proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commode valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus, et privilegiis, aut quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione; neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli, seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus. » De hisce unionibus agitur etiam cap. 13, ead. sess. 24. Quibus autem sublata sint privilegia ea uniendi, patet ex Const. S. Pii V *Sacrosanctum*, 9 septemb. 1568 (***Bull. Rom.*** tom. 4, part. 3, pag 38), in qua moderantur, et revocantur privilegia officiis romanæ curiæ, et militiis concessorum, circa pensiones obtinendas, et transferendas ac expectativas concedendas, unionesque, et suppressiones beneficiorum faciendas, ac facultatem de bonis ecclesiasticis testandi.

[60] « Necnon beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis, et dignitatis fuerint, et etiam præstimonia, vel

copo factam seminario reipsa nondum erecto nullam, et irritam esse: *Nullius*, 8 *junii* 1595.

6. Item declaravit non posse uniri beneficia seminario, si juxta formam ipsius Concilii [61] unionis tempore minime erectum fuerit, utpote nec magistris, nec scholaribus actu existentibus: *Nullius*, 3 *martii* 1597.

7. Ait S. C. in seminarii perfectionem Episcopo diligenter incumbendum esse, eique unire posse beneficia simplicia, etiam canonicatus nuncupata, si in ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis, ut proponitur, non existant: *Aquilana*, 5 *febr.* 1601, *dub.* 2.

8. Episcopum non potuisse unire beneficia dignitati decanatus cum impositione oneris legendi sacram scripturam, vel prædicandi; sed in erectione præbendæ theologalis servandam esse formam in cap. 1, sess. 5, *de Reform.* [62] traditam definitur: *Liparen.*, 10 *maii* 1651, *dub.* 2.

9. Quatuor perpetua beneficia, *Portiones* nuncupata, collativa ad capituli præsentationem, capitulum ipsum ab Archiepiscopo petiit manualia reduci, ut ad nutum assignarentur magistro capellæ, organistæ, magistro grammaticæ, et æditui, qui onera beneficiis imposita implerent. Annuit Archiepiscopus absque præjudicio illas tunc obtinentium; ast S. C. decretum Episcopi non sustineri decrevit: *Cæsaraugustana*, *Portionum*, 14 *novem.* 1705.

10. In ecclesia cathedrali nullæ adsunt distributiones assignatæ pro hora prima; hinc pauci, vel nulli intersunt præbendati illius recitationi, sed nec in diœcesi beneficia simplicia extant, quæ mensæ capitulari uniri possint; postulavit itaque capitulum unionem parochialis S. Stephani de Valdeorres reservata congrua vicario perpetuo pro exercitio curæ animarum, sed exaudiri non meruit: *Astoricen.*, *Unionis*, 16 *maii* 1711.

11. Beneficia tredecim erecta in ecclesia parochiali villæ Casedæ, quorum reditus valde imminuti fuerant, unita fuere, et ad septenarium numerum redacta, ad instantiam communitatis dictæ villæ; ad hoc ut beneficiati majori parochialis ecclesiæ servitio incumberent, accedente patronorum, collatoris, et beneficiatorum consensu: *Pampilonen.*, *Unionis*, 4 *decem.* 1723.

12. Duorum beneficiorum unionem ab Episcopo factam canonicatui pœnitentiario posthabita præbenda theologali, cujus reditus ad scuta 60, ut statutum fuit in constitutione Benedicti XIII incipien. *Pastoralis* [63], non ascendebat, Contradicente canonico theologali validam esse in præsenti casu re-

præstimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, sine cultus divini, et illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt, et incorporabunt; quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum, uniones, et applicationes suspendi, vel nullo modo impediri possunt; sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, et quacumque constitutione non obstante. »

[61] Sess. 23, cap. 18, *de Reform.* Huic Tridentinæ dispositioni accessit Const. Bened. XIII. *Creditæ Nobis* 9 maii 1725 (*Bull Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 409), qua præscribitur Ordinariis Italiæ, insularumque adjacentium ut seminariorum erectionem promoveant, deque congruis reditibus provideant, cum nonnullis ordinationibus, et erectione congregationis super hac re; ac quod unionem beneficiorum, hæc statuitur § 5 in subsidium, et eo casu, quo taxa erectioni, ac conservationi seminarii non sufficiat.

[62] In Concilio Trid. cit. cap. habetur: « In ecclesiis autem metropolitanis, vel cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, sive stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligatur. » Et in cap. 8, tit. 1. Concil. Romani anni 1725 legitur: « Episcoporum conscientiam, quam alias ipsi in episcopatus bullis oneratam agnoscunt, iterum Nos gravando, injungimus eisdem, ut æternæ suæ, suorumque salutis memores, in cathedralibus, seu collegiatis in oppidis diœcesis insignioribus, theologalem præbendam ad sacræ Scripturæ expositionem, et interpretationem, sicubi erecta non est, cujusque erectionem adeo Concil. Trid. inculcat, tandem aliquando instituant; iis, ceteroquin expeditissimis mediis adhibitis, quæ eodem in Concilio proponuntur; ut scilicet in ecclesiis, sive cathedralibus, sive collegiatis prædictis, ulla adhuc præbenda ad id instituta non reperitur, Episcopi canonicatum quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacaturum, etiam (quod Nos adjungimus) Nobis, et Sedi Nostræ Apostolicæ quovis modo affectum, vel reservatum, cui tamen onus illud incompatibile non sit annexum, ad eum usum ipso facto perpetuo constituant, et constitutum Nos esse volumus; ita ut collatio aliter facta ab Episcopo nullius sit roboris ac momenti, et præbendæ ipsius provisio ad Apostolicam Sedem Nostram devolvatur, prout in Nostra, nuper edita Const. legetur sequenti typis imprimenda cum appendice. »

[63] Et primum Concil. Trid. statuit, quod Scripturæ sacræ, si nulla reperitur præbenda in quacumque civitate, insigni oppido, vel loco nullius diœcesis, quam primum, seu primo vacatura præbenda, præterquam ex causa resignationis ad illum usum constituta, et deputata intelligatur. Si autem præbenda nulla sufficiens foret Episcopus per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum provideat de consilio capituli; sess. 5, cap. 1, *de Reform.* Deinde Bened. XIII Const. *Pastoralis* 19 maii 1725 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 414), theologalem præbendam ad præscriptum Concil. Trid. in cathedralibus, seu collegiatis in oppidis diœcesis insignioribus ad sacræ Scripturæ expositionem, et interpretationem, ubi non est erecta, per Episcopos erigi statim debere mandat, et præcipit. Propterea canonicatum primo vacaturum, etiam Sanctæ Sedi quovis modo affectum, vel reservatum, cui tamen onus aliud incompatibile

scripsit S. C.; quamvis illi de jure præferenda foret præbenda theologalis: *Nucerina, Paganorum præbendæ theologalis*, 1 *martii* 1738, *dub.* 1.

13. Capitulum insignis collegiatæ civitatis Taurentinæ, ex una dignitate sub nomine abbatis tredecim canonicis totidemque præbendatis, præter ceteros ministros, et capellanos constat; hoc autem reditus admodum tenues habet in distributionibus consistentes, pro unione unius ex duabus parochiis loci de Villar Don Diego prope Taurentinam civitatem existentis, fructuumque applicatione in favorem mensæ capitularis, perpenso parvo incolarum numero, spectataque duorum parochorum fere continua discordia, supplicavit, et rescriptum fuit: Consulendum esse Sanctissimum pro suppressione unius ex duobus beneficiis curatis primo vacaturi cum applicatione in favorem capituli omnium redituum, exceptis tamen emolumentis stolæ applicandis alteri parocho cum unione dictæ curæ: *Zamoren.*, *Unionis*, 19 *april.* 1738.

14. Fabritius de Capua Episcopus distributiones, quas capitulum metropolitanæ ecclesiæ percipit, impares servitio chori dijudicavit; plurima itaque beneficia simplicia massæ illius communi univit. Sacerdos Silvester Tosques, qui unum ex his beneficiis a Sede Apostolica obtinuerat, invaliditatem unionis opposuit, ex quo defecerit beneplacitum apostolicum, et ex quo præbendæ sint satis congruæ, et massa communis ex aliorum beneficiorum unionibus per antecessores Episcopos adaucta. Hinc proposita definienda causa S. C. unionem non esse validam decrevit: *Salernitana, Unionis*, 21 *nov.* 1739.

15. Duorum beneficiorum unionem postulante canonico theologali Guadaleta, eo quod fructus præbendæ ad scuta 60 non ascendebat, ejus instantia rejecta fuit. Brevi namque temporis spatio præbendæ accessurus erat annuus reditus ducatorum triginta, et beneficia pro unione petita jam collata fuerant ab Ordinario: *Melphicten.*, *Præbendæ theologalis*, 3 *dec.* 1740 *et* 18 *nov.* 1741, confirmata 17 *febr.* 1742.

16. Puteolanus Episcopus beneficia seminario indigenti univit, et inde unionis confirmationem petiit. Inter beneficia unita quædam aderant a canonico Albinio Romæ commorante possessa, et in manus Sanctissimi in favorem januarii Mariæ Sperandio resignata: qua de re unionem impugnavit Dataria apostolica, et S. C. juxta Datariæ votum respondit: *Puteolana, Unionis*, 25 *januar.* 1744.

17. Canonicus theologus ecclesiæ collegiatæ S. Matthæi unionem beneficii suæ præbendæ faciendam postulavit, quum ex ejus reditu annua scuta 60 non reciperet; retulit tamen Episcopus fructibus præbendæ alios addendos, qui a singulis canonicis percipiuntur ex decimis, et animarum cura, quæ penes capitulum residet; ita ut canonicus scuta 60 percipiat. Ejus itaque instantia rejecta fuit: *Sarnen.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 2.

18. Moniales S. Francisci de Observantia ordinis Excalceatorum unionem petierunt simplicis beneficii S. Petri de Royo de Copean de ipsarum jurepatronatus; ut ex illius reditu deficientem ipsis victum pararent, labentemque ecclesiam reficerent. Episcopus narrata comprobavit, ac de vera monasterii egestate retulit, et S. C. monialium voto indulsit: *Zamoren.*, *Unionis*, 22 *novem.* 1749.

19. Ut seminarium necessariis augeret reditibus Vallisoletanus Episcopus octo beneficia simplicia, quando vacare contigerit, eidem univit. Unio hæc sive ex rectorum seminarii incuria, sive quia invalida reputata fuerit, nunquam effectum sortita est; nam sive ab Episcopo, sive a Sede Apostolica toties collata fuere, quoties vacarunt: occasione vero, qua Joseph Arenas duo ex his a Dataria apostolica beneficia obtinuit, seminarii rector quæsivit, num vetus illa unio valida esset? eamque minime esse validam declaratum fuit: *Vallisoletana*, 3 *febr.* 1753, *dub.* 1.

20. Sacerdos Vincentius Minutellius simplex beneficium ecclesiasticum de jurepatronatus Angeli de Pandis, ejusque hæredum, et successorum fundavit. Ultimus masculus Joannes de Pandis unicam habens filiam testamento jussit, ut post rectoris obitum seminario novo illud adderetur. Hinc facta seminarii erectione, et unione ex vacatione sequuta, Joannis prædicti filia nominavit rectorem. Sed ad S. C. quæstione delata, validam esse unionem beneficii in favore seminarii, et vigore testamenti Joannis de Pandis peractam eadem S. C. putavit: *Uxentina, Unionis*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 1, confirmata 14 *dec. ejusd. anni.*

21. Septem beneficiorum fundatorum a syndicis suburbii Leopolis in ecclesia parochiali S. Eulaliæ suppressionem, et unionem postulante beneficiatorum communitate ratione diminutionis redituum, rescriptum fuit: Pro facultate supprimendi arbitrio Archiepiscopi prout de jure: *Calaritana*, *Suppressionis beneficiorum et attentatorum*, 22 *martii* 1755, *dub.* 2.

non est annexum, ad eum usum ipso facto perpetuo constituant, et quatenus canonicatus idem, etiam cum præbenda, si quam unitam habet non sufficiens ad sustinendum onus prædictum, Episcopus idem usque ad summam scut. 60 cum ipso canonicatu, et præbenda fructus alicujus simplicis beneficii, etiam Sedi Apostolicæ reservati, de consilio capituli, salvis tamen oneribus, si idem beneficium habet assignet. *Relat. in appendice Concil. rom.* celebrati anno 1725, num. 2.

22. Episcopus tria beneficia simplicia, quæ Michael Saglioccus cathedralis ecclesiæ canonicus possidebat, univit hebdomadariis ejusdem ecclesiæ. Saglioccus modo nullam fuisse unionem defendit, quum nulla adesset necessitas, nulla redituum imminutio quoad hebdomadarios; ac præterea unionem fieri posse præbendis, minime vero personis, ostendit; ideo S. C. constare de nullitate unionis respondit: *Aversana, Nullitatis unionis*, 12 *julii* 1755, confirmata 23 *aug. ejusd. anni*, *dub.* 1.

23. Et statuit etiam, ne idem Episcopus devenire possit ad novam unionem: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

24. Cardinalis Caraffa Episcopus Tricaricensis beneficium simplex sub titulo S. Joannis a Galasso erectum in oppido Armenti univit archipresbytero, et clero ejusdem oppidi. Unio hæc nullum habuit effectum, adeoque iterum ab Episcopo successore expleta fuit, citra tamen possessoris detrimentum, qui tunc erat clericus paschalis Zaini, qui renunciatus Episcopus Guardiensis obtinuit a Clem. XII san. mem. facultatem illud retinendi: verum a possessione ejectus fuit ab archipresbytero, et clero prædicto; S. C. autem unionem prædictam, nec esse confirmandam, nec esse sanandam censuit: *Tricanicen.*, *Beneficii*, 17 *julii* 1756, *dub.* 1.

25. In actu erectionis septem beneficiorum ex fundatione Xaverii Malerbi in ecclesia parochiali S. Georgii civitatis Maceratæ cum onere recitandi horas canonicas instar cathedralis, archipresbyter dictæ ecclesiæ S. Georgii postulavit, ut unum ex beneficiis majoris gradus archipresbyteratui perpetuo uniretur; sed voti compos factus non fuit: *Maceraten.*, 16 *martii* 1771, *dub.* 1.

26. Beneficiorum extra diœcesim Vico-Equensem erectorum unio mensæ capitulari ecclesiæ cathedralis denegata fuit Episcopo in sua relatione eam efflagitanti; sed tantum concessa fuit gratia unionis quatuor beneficiorum suæ diœcesis pro massa distributionum: *Vico-Equen.*, *Visitationis sacr. liminum*, 7 *junii* 1777.

27. Sacerdos Franciscus discreti parochus ecclesiæ S. Mariæ de Puteo sitæ in oppido Montis S. Martini postquam inutiliter ejus translationem ad ecclesiam S. Joannis ejusdem oppidi petierat, postulavit quoque beneficium ejusdem ecclesiæ reditibus suæ parœciæ uniri, eodem tamen exitu: *Firmana*, *Translationis et unionis*, 17 *julii* 1779, *dub.* 2.

28. Ex tribus beneficiis fundatis a Bernardina Almerigi in ecclesia priorali oppidi Fori Saraceni duo possidet Petrus Antonius Mami, alterum Julianus Mami canonicus coadjutor ecclesiæ cathedralis. Eorumdem beneficiorum compatroni exorarunt S. C. pro unione dictorum beneficiorum in favorem dicti Antonii; ita ut omnia ad unum redigantur. Episcopus de redituum tenuitate retulit, et S. C. gratiam concessit: *Sarsinaten.*, *Unionis et reductionis*, 29 *julii* 1786, *dub.* 1.

29. Joannes Jacobus Columbus mandavit, ut ex universa hæreditate bina sub canonicatuum nomine laicalia erigerentur beneficia, unum in ecclesia S. Caroli, alterum in ecclesia S. Jacobi. Tot cuilibet beneficiato præscripsit Missas, quot ad rationem obol. 20 pro qualibet reditus ferrent. Joannes Andreas Piccionius hæres animadvertens reditus omnium bonorum annuam attingere summam scut. 70 circiter, Summum Pontificem Pium VI, adiit postulans, ut beneficia præfata ad unum cum onere Missæ quotidianæ redigeretur; hujus rei causa quæsito, an, quot, et quomodo beneficia erigenda sint? responsum fuit, affirmative juxta votum Ordinarii[64] facto verbo cum Sanctissimo: *Alexandrina*, 8 *aug.* 1789.

30. Seminario Tolentino postulatum fuit duo applicari beneficia simplicia fundationis Joan. Baptistæ Orselli, ut binæ philosophiæ et theologiæ erigerentur cathedræ; de quibus beneficiis vigore initæ concordiæ chirographo Pontificio confirmatæ inter hæredes, et capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi inibi erigi debebat mansionaria; idcirco ecclesia collegiata de erectione mansionariæ sollicita restitit petitioni; et S. C. applicationi annuit addendo ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Tolentina*, *applicationis beneficiorum*, 20 *martii* 1790, *dub.* 1.

31. Tria beneficia, quorum duo annuum habent reditum scut. 4. 10 et onus Missarum respectivum 36, tertium reditum scut. 1. 34, onus Missarum trium, a nonnullis annis vacant et nemo est, qui ea præ tenuitate accipiat; ex hac parte Episcopus supplicat pro facultate applicandi duo prima ecclesiæ parochiali S. Pancratii tenui redditus 20 scut., nullis deductis oneribus; aliud parochiæ S. Sebastiani Cassinalbi reditus scut. 10, deductis tamen Missis. S. C. annuit juxta votum Episcopi, reductis Missis ad taxam perpetuæ: *Mutinen.*, *Unionis et reductionis*, 26 *nov.* 1791.

32. Beneficium reditus scut. 20 cum onere 14

[64] « Ubi unum tantummodo ex hisce duobus a pio fundatore præscriptis erigatur beneficium, præterquod unus idemque beneficiatus potest omnibus oneribus Missarum, quæ tercentum triginta sex quotannis non excederent, satisfacere, juvari etiam posset ab eo in tituli constitutione, addito aliquo patrimonii ecclesiastici supplemento, quum usus in hac curia episcopali inductus esset, ut si quid est supra eleemosynæ Missarum taxa beneficiorum reditus, illud in titulum ordinationis imputetur. » *Ead. causa*, 18 *julii* 1789, § 3.

Missarum erectum in ecclesia cathedrali sub titulo S. Hieronymi, de consensu congregationis Matris Dei patronæ unitur cum omnibus oneribus domui piæ mulierum pœnitentium Lucæ ob gravem ejus paupertatem: *Lucana, Unionis beneficii*, 16 *martii*.

Reliqua quoad beneficia. Vide *Episcopus*, § I.

BENEFICIATUS.

§ I.

Beneficiatus quoad fructus, distributiones quotidianas et emolumenta.

1. Decidit S. C. inquisitoribus hæreticæ pravitatis minime de jure competere facultatem percipiendi distributiones quotidianas beneficiorum; esse tantum intelligendam juxta juris dispositionem, non autem, uti specialibus privilegiis a Sede Apostolica concessum fuisse, ut quotidianas distributiones inquisitores ipsi, atque alii Sancti Officii ministri, quamvis absentes, perciperent; tunc enim privilegia hujusmodi quoad tempus, pro quo fuerint concessa, eo firmius esse custodienda, quo præstantius, et utilius est christianæ reipublicæ inquisitorum officium ad conservationem, ac per purgationem orthodoxæ fidei constitutum: *Toletana, 4 junii* 1594.

2. Ad dubium, an tempore, quo divina officia celebrantur in choro, vel anniversarium, vel cantantur horæ, si præbendati Missam celebrent, habeantur pro præsentibus ad effectum lucrandi emolumenta, et distributiones ratione horæ et anniversarii? respondit S. C., præbendatos prædicto tempore Missas planas celebrantes non lucrari distributiones quotidianas, nec emolumenta, nisi illa hora ad celebrandum Missas ab eo, ad quem pertinet, compulsi, aut jussi fuerint: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 12.

3. Beneficiatos ecclesiæ cathedralis non posse pro illis horis, quibus divinis non inter sunt, distributiones quotidianas percipere, nisi excusentur ex causis in jure expressis, resolvitur: *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 3.

4. Quoad reditus capaces, et an in usus per constitutiones destinatos erogentur per litteras S. C. significandas eidem nuntio, ut moneat capitulum ad deducendum jura sua in eadem S. C., ut, quid jussum fuerit, decerni possit, statutum est: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Episcopum posse ad effectum instaurationis ecclesiæ, ubi beneficia sunt fundata, et pro conficiendis sacris supellectilibus, reditus eorumdem beneficiorum sequestri fidei dare: *Narnien.*, 24 *martii* 1657, *dub.* 3.

6. Quum Sperandeus Cavaroleus beneficium ecclesiæ cathedralis assequutus est ætatem agens annorum 23, capitulum per illud tempus, quo ob defectum ætatis presbyterali ordine initiari ille non potuerat, contendebat, medietatem dumtaxat distributionum ei deberi ad normam bullæ Pii II, Pont. Max.[65]. Sed S. C. rescripsit integras deberi distributiones: *Realina*, 26 *jan.* 1658.

7. Episcopus quærit, an saltem Quadragesimæ, et Adventus tempore, vel in aliis solemnibus festis possit beneficiatos, qui legitimo careant impedimento remediis extraordinariis aliquarum pœnarum præscriptarum cogere, quum alias non curent, quod, quidquid residendo, et interveniendo est lucri, aliis accrescat? et S. C. respondit licere etiam per alias pœnas: *Castellanaten.*, *Residentiæ*, 7 *junii* 1659.

8. S. C. censuit oratorem lucratum fuisse fructus duorum mensium a die captæ possessionis, reliquos vero usque ad emissam fidei professionem suos non fecisse. *Alatrina*, 12 *febr.* 1661.

9. Beneficiatus, qui solitus ceteroquin inservire,

[65] Inter Constitutiones apostolicas Pii II, de distributionibus quotidianis nulla habetur mentio quoad beneficiatos, qui ordines sacros assequuti non sunt. Sed id cautum fuit *in Clementina II. Ut ii, qui, de ætat. et qualit. præficend.* a Concil. Trid. sess. 22, cap. 4, innovata, in qua non promoto infra annum, justo cessante impedimento, statuitur, substrahendam esse dumtaxat dimidiam partem distributionum, quæ dari solent iis, qui certis horis intersunt; sed aliter dicendum de canonico, vel beneficiato, qui super ætate fuerit ad suscipiendos ordines sacros dispensatus, quo casu distributiones quotidianas integras acquirit, et adveniente congruo tempore, si promoveri neglexerit, tunc distributionibus privatur. *Monacell. Formul.* 6, tit. 2, num. 19, part. 1, et Scarfantonius *Animad. ad Lucub. can. Ceccoperii*, lib. 2, tit. 6, num. 22 ibi. « Canonicus dispensatus super defectu ætatis, cum conditione suscipiendi sacros ordines, adveniente tempore congruo, si tunc non curaverit illos suscipere, amittit distributiones. » Quod eadem S. C. Concilii statuit etiam in Eugubina 14 febr. 1609. (*Lib. Decret.* 21, fol. 45.) « S. C. censuit si orator est legitimæ ætatis ita ut infra annum possit promoveri ad sacerdotium uti requirunt canonicatus ecclesiæ Eugubinæ durante anno, si statis horis interfuerit percipere debere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas sui canonicatus, sed vocem in capitulo habere. Quod si elapso anno, justo impedimento cessante, non fuerit promotus ei subtrahendam esse dimidiam partem distributionum, quamvis divinis interfuerit, sicut cavetur Const. S. M. Clem. V, quæ incipit. » *Ut ii, qui* « innovata decret. ejusdem Concilii cap. 4, sess. 22. »

a civitate legitimæ vacationis tempore discedens in vicinum oppidum se contulit, unde tamen in dictæ vacationis fine potest opportune reverti ad inserviendum ecclesiæ, ibique superveniente infirmitatis impedimento ita detinetur, ut ad civitatem redire, et choro interesse non valeat, distributiones quotidianas lucratur : *Nullius*, *Distributionum*, 18 *dec.* 1666, *dub.* 1.

10. Idipsum vero locum non habet, si adsit contraria consuetudo, quæ sit legitime præscripta : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Contendebant canonici ecclesiæ cathedralis medietatem fructuum, quæ amittebatur a canonicis sacerdotali ordine nondum decoratis, adjudicandam esse ceteris tantum canonicis; neque eam participare posse beneficiatos; et dubio proposito; an beneficiati, et clerici participare bebeant de medietate redituum, quæ canonicis non constitutis in sacris decrescit? causam ad judices suos [66] S. C. rejecit : *Realina*, *Juris accrescendi*, 13 *sept.* 1675.

12. Quoad quæstionem in ecclesia cathedrali de massæ distributionum participatione exortam inter canonicos, et capellanos beneficiatos, quæsitum est; an iidem canonici possint in propriam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad officium massæ quotidianarum distributionum; vel potius illa sint inter canonicos, et capellanos beneficiatos pro parte rata partienda? responsum fuit, negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam : *Asten*, *Administrationis et participationis*, 12 *julii* 1687, *dub.* 4.

13. Et ad alterum; an iidem canonici possint in suam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad cetera officia; vel potius illa converti debeant in utilitatem unius cujusque officii, ad quod bona alienata spectant? respondit ut supra : *Ibid*, *dub.* 5.

14. Et inde, an, et quomodo servandum sit decretum S. Congr. editum 17 junii 1673 [67]; vel potius servanda concordia inita anno 1674 [68]? rescripsit servandam esse concordiam quod contrahentes tantum, et quoad non contrahentes, et beneficiatos successores servandum esse decretum S. C. anni 1673 : *Ibid.*, *dub.* 6.

15. Beneficiati et clerici beneficiati ecclesiæ cathedralis a die intermissi servitii in ecclesia ex causa terræ motus sunt admittendi ad distributiones quotidianas, anniversaria, et nocturna usque ad dies completi tentorii; nec illæ augentur aliis, qui in ecclesia divina officia persolverunt : *Realina*, *Distributionum*, 19 *april.* 1704, *dub.* 1.

16. Ii vero, qui completo tentorio in eadem ecclesia divina officia continuarunt, sunt admittendi ex gratia ad distributiones quotidianas, nocturna, et anniversaria; etsi reluctantes intervenire deberent in tentorio: ac proinde adaugeri non debent aliis, qui sub tentoria divina officia persolverunt : *Ibid.*, *dub.* 2.

17. Præbendati hospites unius ecclesiæ ex duabus unitis cathedralibus eidem inserviendo, quum haud sui officii partes impleverint servitium præstandi ecclesiæ sibi assignatæ; ita prædicto tempore non possent lucrari distributiones ecclesiæ hospitii eidem inserviendo : *Giennen.*, *Vacationum*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 4, confirmata 20 *sept. ejusd. anni* et 14 *martii* 1705.

18. Prædictique præbendati unius ecclesiæ de consensu præbendatorum alterius non posse ad participationem anniversariorum fixorum admitti, decernitur : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

19. Et quoad probationes, quæ requiruntur ad evincendam infirmitatem ad effectum beneficio gaudendi, ut dicitur *patitur*, servari statuta anni 1525 et 1577 mandatum fuit : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

20. Conquestus est Sebastianus Morigius beneficiatus ecclesiæ cathedralis, quod absens infirmitatis curandæ causa exclusus fuerit per capitulum a partitione quotidianarum distributionum, S. C. eidem deberi distributiones præfatas resolvit : *Lauretana*, *Distributionum*, 16 *nov.* 1709.

21. Ut germano fratri morbo Neapolis laboranti auxilium præberet Rochus Massicencius beneficiatus collegiatæ ecclesiæ S. Joannis, a sua ecclesia abfuit; ac proinde juxta illius statutum pars ratæ fructuum sequestro posita fuit; disceptatum itaque est, an fructus et emolumenta anni 1709 eidem deberentur, ac restituendi forent? et S. C. rescripsit Episcopo pro informatione juxta instructionem [69] : *Terracinen.*, *Residentiæ*, 24 *maii* 1710. Inde af-

[66] Qui ad tramites juris quæstionem explanarent.

[67] In qua S. C. confirmat decretum visitatoris apostolici, qui præcipit, ut capellani beneficiati participes fieri debeant, quorumcumque redituum, et emolumentorum, etiam sub prætextu regaliarum, quæ sub massa distributionum veniunt, *in Asten.*, *Distributionum*, rel. in lib. 37, decret. fol. 421.

[68] Concordia peracta fuit mediante interpositione Episcopi anno 1674 die 19 febr., in qua capellani beneficiati quosdam cappones regaliarum jure debitos annuatim canonicis relaxarunt : rel. in lib. 37, decret. fol. 421.

[69] Nimirum, an statuta ejusdem collegiatæ ecclesiæ ab Apostolica Sede sint confirmata, et an sint in viridi observantia, et quatenus sint confirmata, citatis interesse habentibus, hujus confirmationis exemplar, una cum partitis fallentiarum ex libris punctaturarum extrahi faceret, ad recognoscendum, an ipse orator abfuerit a residentia super tempus præscriptum in tertio, ex præfatis statutis : *Ead. causa*, 15 *novem.* 1710.

firmativum præbuit responsum : 15 *novem. ejusd. anni*.

22. Alexander Fabritius præbendatus ecclesiæ metropolitanæ absentiæ indultum obtinuit ; sed eidem distributionum partitio a capitulo impugnata fuit ; tum quia absentes absque capituli licentia, ut Fabritius, ex ejus statuto distributiones amittunt ; tum quia nec in precibus, nec in indulto de distributionibus sermo fuit institutus ; hinc S. C. quæsita, rescripsit : Dilata, et pro meliori informatione juxta instructionem [70] : *Firmana, Distributionum*, 14 *martii* 1711, *dub*. 2. Deinde dedit Fabritio responsum negativum, et ut ille redeat ad residentiam præcepit : 2 *dec*. 1713, confirmata *juxta modum* [71] 3 *martii* 1714.

23. Decrevit etiam eidem Fabritio deberi integras distributiones pro tempore, quo post indultum in urbe remansit : *Ead*. 3 *martii* 1714, *dub*. 3.

24. Fructus beneficii residentialis ecclesiæ archipresbyteralis oppidi Serræ Capriolæ minime S. C. sacerdoti Antonio Lacingulæ possessori adjudicavit, qui illos amisit tempore non factæ residentiæ nec alteri illud beneficium vindicanti deberi, sed aliis præsentibus accrescere eadem S. C. putavit : *Larinen*., *Privationis*, 2 *maii* 1711, *dub*. 2.

25. Ægidius Paulinus beneficiatus et vicarius ecclesiæ collegiatæ S. Eustachii, qui curam animarum gerit, præter propriam exemptionem a punctaturis, quando ratione administrationis sacramentorum est legitime impeditus, participare valet in casu, de quo agitur, de distributionibus, et fallentiis aliorum beneficiatorum absentium, prout consuetudo vigebat : *Romana, Distributionum*, 13 *junii* 1711.

26. Rector simplicis beneficii sub titulo Trium Regum erecti in ecclesia cathedrali, quod antea unitum fuerat collegio societatis Jesu, ac in primævum statutum postea redactum sub die 12 januar. 1697 vigore decreti S. C. participare debuit, et debet etiam de reditibus, et emolumentis Cryptæ, quemadmodum alii beneficiati Cryptanei partem capiunt vigore ejusdem decreti : *Paderbonen., Participationis*, 12 *nov*. 1712, confirmata 8 *julii* 1713.

27 Reditibus academiæ, seu universitatis Beacensis diminutis, ut augerentur, et ad pristinum statutum restituerentur, postulatum fuit a S. C. indultum, quo rector, lectores, doctores, magistri, licentiati, bacchalaureati, et studentes in dicta academia pro tempore docentes, vel discentes licite percipere possent omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura cujuslibet ecclesiæ, etiam canonicatus, dignitatis, perinde ac si inservirent, ac residerent personaliter ; sed denegatum fuit : *Giennen., seu Beacen., Indulti*, 1 *dec*. 1714.

28. Ex synodalibus constitutionibus cavetur, ne beneficiati ecclesiæ cathedralis ægrotantes in civitate punctentur, dummodo eadem die e domo non exeant ; ægrotantes vero extra civitatem testimonium juratum medici exhibeant. Beneficiatus Montanus recuperandæ valetudinis causa in patriam sese recepit, et Episcopus decrevit, illum punctare pro diebus, quibus celebravit, et e domo exivit, quamvis testimonium prædictum jam transmisisset, quia imperaverat idem Episcopus amissionem distributionum, nisi eum de infirmitate certiorem faceret. Ast S. C. Montano deberi distributiones quotidianas resolvit : *Lauretana, Distributionum*, 2 *maii* 1716, *dub*. 1.

29. Quæsitum etiam fuit, an Episcopi decretum sustineri deberet, et responsum fuit : Dilata, et audiatur Episcopus : *Ibid*., *dub*. 2.

30. Beneficiatus cathedralis ecclesiæ Joannes Balduinus infirmitatem suam pluribus medicorum testimoniis comprobavit, dum tamen incolumis fuerat, chorum laudabiliter frequentavit. Hic ex oraculo S. C. tempore suæ absentiæ ex causa infirmitatis beneficii oneribus satisfecit. Eidem deberi fructus anniversariorum, quotidianas distributiones quoad præteritum, et pro futuro tempore ad annum proximum tantum, si tamdiu infirmitas duraverit, adjecto onere supplendi per alium antea S. C. mandaverat. Ast capitulo decreto contradicente, proposita fuit causa, et quoad præterita confirmata fuit præcedens resolutio, et quoad futurum indulta fuit prorogatio ad annum, injuncta interim confectione processus coram Ordinario super qualitate infirmitatis, ut illum cum voto ad S. C. transmitteret : *Osnabrugen*., 20 *sept*. 1727, *dub*. 1 *et* 2. Deinde dubitatumque de infirmitate, eidem proinde

[70] Quæ ejuscemodi fuit, quatenus comprobaretur, an consuetudo, vel statutum in controversia adductum, sit in viridi observantia, præsertim vacationis tempore, quæ præbendatis a S. Concilio Trid. permittuntur, a quo tempore emanaverit, anve a Sede Apostolica, vel ab Ordinario fuerit approbatum. Rursus vacationum tempus probaretur, ac edoceretur, num prænominatus Alexander Fabritius præbendam habeat a distributionibus quotidianis separatam, quot fructus annuos percipiat, quæque onera subeat, super quibus probationes formiter reciperentur, quamprimum ad hanc S. C. transmittendæ : *Ead. causa, die* 30 *sept*. 1713.

[71] Et modus est, ut si reditus præbendæ Fabritii tertiæ parti distributionum, quæ eum tangunt non accedant, duas ex tribus partibus fructuum præbendæ, et ad rationem distributionum insimul cumulatarum percipiat amissa tertia, quæ inservientibus accrescat : si autem reditus præbendæ attingant tertiam partem distributionum, nullas distributiones deberi : *Ead. causa*, 3 *martii* 1714, *dub*. 2.

concessæ fuere distributiones, fructusque anniversariorum debitos usque ad annum 1728; quoad futurum vero rescriptum fuit, ut Episcopus procederet prout de jure ad formam Concilii [72]: 24 *martii* 1736, *dub.* 1 *et* 2; confirmata 4 *aug. ejusd. anni.*

31. Pœna privationis distributionum quindecim dierum per capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ bis imposita Practicon beneficiato hebdomadario valida est: *Avenionen.*, 19 *septemb.* 1733, *dub.* 3.

32. Disceptatum pariter fuit, an distributio satis fieri debeat beneficiatis in duabus ex tribus partibus, quæ dantur canonicis; vel sint servandæ constitutiones capitulares anni 1641 et 1688, ac decretum vicarii generalis desuper latum anno 1680?

33. Et an distributio emolumentorum ex funeribus fieri debeat unicuique beneficiato pluviali induto in duabus ex tribus partibus, quæ dantur canonico officium celebranti? S. C. censuit servari solitum: *Ibid.*, *dub.* 11 *et* 12.

34. Georgius Valerius beneficium obtinens in cathedrali ecclesia nomine collegii Portionariorum litis agendæ causa Romam se contulit, ac indultum lucrandi distributiones quotidianas ad tres menses obtinuit, quod inde pluries prorogatum fuit. Indultorum exequutioni repugnavit capitulum; complures inde ortæ controversiæ a S. C. definitæ fuere, prout sequuntur, scilicet, fructus, et distributiones debentur Georgio etiam per illud tempus, quod ab Hispania ad Urbem veniens in itinere consumpsit, usque ad diem primi indulti: *Conchen.*, *Fructuum et distributionum*, 6 *febr.* 1734, *dub.* 1.

35. Eidem vero non debentur fructus a die 24 sept. 1729, quo tempore impetravit indultum ad sex menses, usque ad diem resolutionis editæ a S. C. diei 30 sept. 1730 pro omnimoda exequutione indultorum; distributiones tamen debentur post terminum indulti, quo tempore ipse moram duxit in Urbe, ut indultorum exequutionem urgeret: *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Et distributiones nec ei debentur a die 30 septem. 1730 usque ad diem 1 decem. 1731, quo tempore incertus de exequutione præcedentium indultorum, ære destitutus, morbo, et senio detentus absque indulto Romæ moratus fuerat: *Ibid.*, *dub.* 3.

37. Sub indultis autem ab ipso obtentis non comprehenduntur dies inter unum et alterum ex ipsis intercedentes pariter quoad distributiones: *Ibid.*, *dub.* 4.

38. Sub eisdem tamen pro toto tempore suæ absentiæ comprehenduntur etiam distributiones extraordinariæ, quæ partiri solent ex massa communi in certis solemnioribus festis anni, nisi obstet mens testatoris: *Ibid.*, *dub.* 5.

39. Beneficii fructus percepti a beneficiato Benedicto Grienvald postquam jure, meritoque beneficio privatus fuerat, debentur Antonio Merki a die institutionis eidem Merki traditæ: *Augustana*, *Beneficii*, 24 *martii* 1736, *dub.* 2.

40. Christophoro Ferrer beneficiato ecclesiæ parochialis existentis in Portu nuncupato *di Maone* a laicis ministris exilio proscripto, eo quia rationem de nonnullis ecclesiasticis proventibus ipsis reddere noluerat, a dicta ecclesia absenti ob allatum impedimentum fructus omnes, et distributiones solis assistentibus debitas solvendas esse a tempore discessus decrevit S. C.: *Majoricen.*, *Distributionum*, 14 *april.* 1736.

41. Opus pium Missarum in beneficium erectum fuit ab Episcopo, illudque Antutio collatum; hanc erectionem validam haud esse declaravit S. C., et Antutium ad omnium fructuum perceptorum restitutionem, detractis expensis eleemosynæ sacrorum teneri existimavit: *Balneoregien.*, *Beneficii*, 21 *novem.* 1744, *dub.* 2.

42. Canónici collegiatæ ecclesiæ S. Eustachii diminutionem, reductionemque emolumentorum, quæ in bulla Clementis VIII, Pont. Max. [73], in favorem beneficiatorum ejusdem ecclesiæ assignata fuere, postularunt, ex quo fructus præbendarum canonicalium valde decrevissent, et negativum tulerunt responsum: *Romana*, *Reductionis*, 12 *febr.* 1745, *dub.* 1.

43. Fructus inde beneficiorum vacantium aliis beneficiatis, minime vero capitulo accrescere deciditur: *Ibid.*, *dub.* 2.

44. Et occasione interventus beneficiatorum in qualibet ex supplicationibus, iisdem scutum unum præstari debet a capitulo: *Ibid.*, *dub.* 3.

45. Beneficiatus Dominicus Rodriguez obtinens beneficium erectum in ecclesia parochiali S. Joannis de Nava Regis cum onere præstandi servitium in sacris functionibus, dispensationem super ætate

[72] Nempe sess. 21, cap. 3, sess. 22, cap. 3, *de Reform.*, ac sess. 24, cap. 12, in quibus pœna amissionum distributionum absentibus statuitur.

[73] Edita anno 1597, qua cautum est, ut ex reditibus archipresbyteratus ecclesiæ collegiatæ S. Eustachii Urbis, detraheretur una portio canonicalis ex duabus, quas possidebat, et quarum quælibet reddebat annua scut. 200, necnon canon perpetuus annuorum scut. 90, et ex quibus erecta fuit vicaria perpetua, et tria beneficia servitoria; dotis verò nomine tradita fuit potio illa canonicalis, et canon mansæ capitularis, ut a camerario capituli solverentur vicario annua scut. 58, ac tum vicario tum aliis tribus beneficiariis solverentur, alia scut. 224 annua in usum distributionum quotidianarum, ex quibus vicarius dimidiam, singuli vero beneficiarii integram portionem perciperent. *Ead. causa*, 22 *januar.* 1716, § 1.

obtinuit cum facultate percipiendi fructus sui beneficii. Sed hisce prætensis fructibus privatus fuit. Absens enim fuerat ratione studiorum contra beneficiatorum statutum, quo etiam præscribitur, ut nemo, nisi sacerdos ad beneficii fructus percipiendos admittatur : *Vallisoletana*, 13 *julii* 1748, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

46. Joannes Bernardus Vantreip clericus beneficiatus collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in via lata; ob neglectam promotionem ad sacros ordines, ex quo nec patrimonium, nec beneficium sufficiens haberet, prout Romæ requiritur, quarta fructuum parte privandus est juxta constitutiones a Card. Farnesi fundatore editas, quibus cautum fuerat, ut quisquis ex beneficiatis, et clericis beneficiatis, nisi ad sacros ordines ex quavis causa ascenderet, quarta fructuum parte privaretur : *Romana*, 18 *april.* 1750.

47. Fructus beneficii S. Petri uniti duabus ecclesiis parochalibus tum S. Mariæ de Longobardis, tum S. Nicolai, quæ suum pecularem clerum habent, dividi debent æqualiter inter duas ecclesias prædictas, nullo habito respectu majoris, vel minoris numeri presbyterorum dictis ecclesiis inservientium, prout etiam onera beneficii æqualiter alternatim ab ipsis adimplentur : *Venusina*, 27 *martii* 1751, *dub.* 1.

48. In parochiali ecclesia S. Eulaliæ sita in suburbio Leopoli syndici suburbii octo beneficia dote assignata fundarunt. Quæsitum inde fuit, an beneficiatis hujusmodi beneficia possidentibus injungendum esset, quod haberent massam separatam, eisque prohibendum, ne quidquam acciperent ex reditibus beneficiorum in eadem ecclesia tam antea, quam postea fundatorum? et S. C. rem omnem remisit ad Card. Archiepiscopum prout de jure etiam cum facultate : *Caloritana, Suppressionis beneficiorum et attentator.*, 22 *martii* 1755, *dub.* 4.

49. Beneficii fructus conventi inter litigantes de eodem beneficio; ita ut usque ad determinatum tempus percipiantur a possessore beneficii; tempore vero præstabilito jam transacto beneficium ipsum alteri ex litigantibus adjudicetur, ex quo reservatum fuit beneplacitum apostolicum, debentur absque eo quod simoniæ labe in conventione intercesserint : *Forosempronien.*, 3 *april.* 1756.

50. Tam rectorem parochialis ecclesiæ S. Mariæ in cœlum assumptæ villæ de Llimiana, quam quatuor ejusdem ecclesiæ beneficiatos residentes vocatos, qui juste impediti Missis cum cantu, anniversariis, aliisque functionibus non interveniunt, solita lucrari emolumenta posse S. C. censuit : *Urgellen.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 11.

51. Beneficiati ecclesiæ parochialis oppidi Kempensis absentes haberi pro præsentibus ad effectum consequendi distributiones etiam intercedente consensu intervenientium non possunt : *Colonien.*, 14 *martii* 1767, *dub.* 12.

52. Fructus inexacti, ac assignati pro Missarum celebratione, et anniversariis, ex censibus provenientes augere nequeunt sortem, ut inde majores habeantur distributiones, beneficiorum reditibus notabiliter imminutis; ut contra petitionem beneficiatorum ecclesiæ parochialis B. M. villæ oratorum regis, qui onere servitii chori quam plurimum gravati tenues percipiunt reditus, resolvit S. C. : *Vicen.*, 16 *maii* 1767.

53. Disceptatum fuit an, et quæ retributio deberetur beneficiatis vicariis nuncupatis ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis, qui a S. C. perpetui declarati fuerant, intuitu onerum, et servitii ecclesiæ, quæ præter alia onera in institutione demandata, ipsis imposita fuere? et S. C. respondit, arbitrio capituli : *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 5, confirmata 30 *aug.* 1777, *dub.* 1.

54. Et proposito dubio; an iidem distributionibus quotidianis potiri debeant, et de quibus anniversariis participare? S. C. respondit : Dilata, et scribatur juxta instructionem [74] : *Ibid.*, *dub.* 6. Inde rescripsit vicarios potiri non debere distributionibus quotidianis ex massa canonicorum provenientibus, in reliquis affimative pro iis anniversariis, in quibus non obstat lex fundationum : *Ibid.*, *dub.* 3.

55. Patroni beneficii a Rosato Antonini fundati despecta petitione Joannis Baptistæ Antonini, qui patronatu passivo fruebatur, alium nominarunt. Antoninus itaque primo nominationem sibi deberi obtinuit, inde vero fructus, vel a patrono, vel a be-

[74] Episcopus partibus auditis curet, quoad vicarios referre an præter præbendas peculiaribus potiantur distributionibus, et qui sint præcipue earumdem reditus, et ad quam summam ascendant, et an inspecta istius regionis consuetudine tenues, seu potius ac congruæ censeri valeant. Quo vero ad capitulum enucleatius explicare qualitatem massæ distributionum ejusdem; an hæ a capitularibus percipiantur dumtaxat, seu potius omnibus choro inservientibus debeantur. Recensendo insuper ea anniversaria, quæ seclusa peculiari disponentium voluntate capitulum ad ejus massam, privative spectare, et de quibus ad formam consuetudinis ecclesiæ vicarios nunquam participasse supponit. Præter hæc de modo, et qualitate servitii, quod a capitularibus ecclesiæ præstatur, de numero chori inservientium, an peculiari aliquo in munere eidem inserviant vicarii, an ecclesiæ servitium omnium interventum requirat : et qua tandem ratione in concedendis eisdem vicariis vacationibus capitulum hactenus se gesserit distincte referat. Super his, et aliis quæ ad rem conferre putaverit, documenta necessaria transmittat, sententiam suam significet : *Registr. lit.* lib. 55, die 12 maii 1770.

neficiato sibi restitui postulavit, et S. C. resolvit deberi a patrono detractis oneribus usque ad diem motæ litis, et a capellano a die motæ litis: *Reatina*, *Capellaniæ*, 27 *novem*. 1775, *dub*. 2, confirmata 9 *julii* 1774, *dub*. 1.

56. Quum Ildephonsus Valentinus Fernandez Montero adhuc non clericus ad quoddam beneficium nominatus, simoniace dimiserit illud in favorem cujusdam sacerdotis, facta obligatione, quod statim ac clericus evasisset, ad beneficium regrederetur, prout accidit. Actum hinc est de censuris; et etiam S. C. eumdem ad fructuum perceptorum restitutionem eum condemnavit: *Caurien.*, *Censurarum*, 30 *julii* 1774.

57. Beneficiati ecclesiæ cathedralis distribuere non valent inter se fructus præbendæ, seu beneficii, cui præbendatus, seu beneficiatus renunciavit, et ab eodem beneficiato non perceptos tempore primi semestris suæ residentiæ, ad formam statuti præscribentis; quod fructus primi semestris inter ceteros beneficiatos non dividerentur, sed restitui debent beneficiato renuncianti: *Burgen.*, 27 *novem*. 1779.

58. Postquam S. C. rescripserat scribatur Episcopo juxta instructionem [75]: 21 *april* 1787, *dub*. 2, et iterum scribatur Episcopo juxta mentem [76]: 24 *maii* 1788, decrevit beneficiatos ecclesiæ parochialis S. Andreæ Roncilionis participes esse debere emolumentorum funerum, et Missarum, quæ in dicta ecclesia offeruntur: *Sutrina*, 20 *sept*. 1788, *dub* 2.

59. Sacerdos Tuschius beneficiatus S. Mariæ trans Tyberim, coadjutore ob gravem suam ætatem impetrato, anno 1768 in Sabinas se recepit annuente S. C. per biennium, quod absentiæ indultum usque ad annum 1780 protractum fuit, sequenti vero quinquennio neglectum: re comperta destitit beneficiatorum collegium a solutione distributionum, ac Tuschium in jus vocavit, propositoque dubio, an esset locus repetitioni distributionum solutarum tempore quo deficiebat indultum? negative responsum fuit: *Romana*, *Distributionum*, 4 *april*. 1789, confirmata 8 *aug*. *ejusd*. *anni*.

60. Ad unum ex duobus residentialibus beneficiis, seu legatis fundatis a Petro Stecconi in ecclesia collegiata S. Bartholomæi Busseti clericus Dominicus Stecconi fuit nominatus in villa S. Andreæ sub parochia Busseti natus. Hic ob defectum nativitatis, et educationis in oppido Busseti a testatore impositæ adeptus est habilitatem assequendi beneficium, modo exorat, ut ei concedatur ejusdem fructus a die vacationis ad diem futuræ possessionis cum jam quinque elapsi sint anni, et obtinuit. Agebatur de paupere consanguineo testatori: *Burgi S. Domnini, Legati*, 19 *aug*. 1797, *dub*. 2.

§ II.

Beneficiatus quoad jura et potestatem.

1. Beneficiatus, seu rector ecclesiæ S. Mariæ Missam celebrare potest in sua ecclesia ante Missam a parocho celebrandam, nisi aliter Episcopus rationabiliter disponat: *Forolivien.*, *Jur.*, *paroch.*, 18 *novem*. 1684, *dub*. 6.

2. Inter parochum ecclesiæ S. Nicolai terræ Aquævivæ, et beneficiatos eidem ecclesiæ addictos plures quæstiones exortæ sunt; plura itaque in S. C. proposita fuere dubia, scilicet: An præbendati seu beneficiati valeant invito, et præsente præposito canere Missam diebus festivis, deferre stolam, ac eam deferendo præcedere præposito in associatione cadaverum, parvis in supplicationibus, et in choro, registrare in libris parochialibus sacramenta per ipsos administrata, et ex illis partitas extrahere, ac de extractionum emolumenta percipere?

3. An dicti libri parochiales, omnesque aliæ scripturæ retineri debeant a præposito privative, vel etiam a dictis beneficiatis?

4. An beneficiati prædicti valeant admittere ad primam susceptionem Sanctissimæ Eucharistiæ pueros, vel puellas non certiore facto præposito de earumdem scientia, eodemque non monito, nec impedito administrare sacramentum Eucharistiæ in satisfactionem præcepti paschalis, assistere tanquam parochi celebrationi matrimonii, denunciationes tam pro matrimoniis ineundis, quam pro ordinibus suscipiendis, monitoria excommunicationum, indulgentias, aliaque in ecclesia publicare?

5. An iidem in subscriptionibus se denominari possint absolute curati, seu parochi in ecclesia S. Nicolai, seu capellani perpetui ejusdem ecclesiæ?

6. An electio æditui facienda sit a solo præposito, vel ab ipso una cum beneficiatis, prout salarium integre a præposito sit persolvendum, vel ab omnibus?

7. An in mensibus ad beneficiatos spectantibus liceat præposito se ingerere in functionibus ecclesiasticis? quæstiones omnes tam in his dubiis com-

[75] Nempe, ut transmittat bullas erectionis, sin minus fundationis; necnon referat, an dicti beneficiati unum collegium constituant, communi utantur sigillo, massam communem habeant, at aliis signis collegialitatis prout de jure, et de qualitate servitii per hebdomadam ab oratoribus præstiti: *Ead. causa*, 21 *april*. 1787.

[76] Iterum S. C. hac supersedit causa, ut de qualitate servitii beneficiatorum S. Andreæ Roncilionis, ac præsertim hebdomadalis Episcopus referret: *Ead. causa*, 12 *julii* 1788, § 1.

prehensas, quam non comprehensas S. C. ad Card. Petra cum facultatibus S. C. ablegavit [77] : *Ripana, Jur., parochial.*, 15 *decem.* 1723, *dub.* 3, 4, 5, 6, 7, 9 et 12, confirmata, et additum fuit, ut Episcopus incumberet exequutioni, necnon ut daretur dubium super immutatione status capellaniarum; 20 *novem.* 1762.

8. Ecclesiæ parochiali S. Mariæ in cœlum assumptæ villæ de Limiana servitium præstant rector, et quatuor beneficiati, qui vocantur *Residentes.* Hos inter controversia tam in spiritualibus, quam in temporalibus de ecclesiæ regimine orta est quum ex antiqua consuetudine sibi privative regimen competere rector prætenderet. Relata quæstione S. Cong. visum est declarare, gubernium, et regimen ejusdem ecclesiæ ad rectorem quoad spiritualia independenter a sacerdotibus beneficiatis privative pertinere; quo vero ad temporalia juxta modum præscribendum : *Urgellen.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 2.

9. Inde non ad beneficiatos, sed ad eumdem rectorem jus retinendi claves ecclesiæ sacrarii, et archivi, pertinere decisum est : *Ibid.*, *dub.* 3.

10. Nec beneficiatis, sed rectori jus retinendi librum, in quo adnotantur Missæ, anniversaria, aliaque opera pia, in eadem ecclesia fundata, adjudicatum fuit : *Ibid.*, *dub.* 4.

11. Neque a beneficiatis, sed a rectore libellum in quo Missæ singulis diebus, aut hebdomadis celebrandæ adnotantur, conficiendum esse, statuitur : *Ibid.*, *dub.* 5.

12. Et postulato ; an horæ pro celebratione Missarum solemnium, aliarumque functionum ecclesiasticarum in supradicta ecclesia a rectore, vel a beneficiatis essent statuendæ S. C. juxta votum Episcopi respondit : *Ibid.*, *dub.* 6.

13. Ad dictum rectorem, non ad beneficiatum constitutum dierum pro celebratione Missarum, et anniversariorum, quæ ob aliquod obstaculum statutis diebus celebrari nequeunt, spectare, responsum est : *Ibid.*, *dub.* 7.

14. Tam ab ipso rectore, quam a beneficiatis exactorem redituum, et proventuum ecclesiæ ejusdem eligendum esse, definitur : *Ibid.*, *dub.* 8.

15. Inde non ad beneficiatos, sed ad rectorem spectare jus recipiendi, retinendique pecuniam, dum aliquis extinguitur census, statutum est : *Ibid.*, *dub.* 9.

16. Minime vero rectori secundum suum arbitrium de investimentis pecuniarum, novisque cen-

[77] Vigore hujus rescripti Card. Petra die 27 april. 1726 suum tulit decretum.

I. In præsenti, et usquequo non vacaverint per cessum, vel decessum beneficia, de quibus agitur, præpositus una cum beneficiatis in solidum exerceat curam animarum ; nempe præpositus semper, et quandocumque, beneficiati vero singuli per mensem alternis vicibus una cum ipso præposito, juxta modum infra describendum ; qui beneficiati sese subscribere et denominari debeant capellani curati.

II. In functionibus solemnibus, et præeminentialibus per annum, præpositus possit, si velit, præcedere, et exercitium assumere ; veluti Missas, et vesperas solemnes canere : candelas in die Purificationis, et palmas in dominica Palmarum benedicere, et distribuere : functiones Hebdomadæ sanctæ exercere : in processionibus, et funeribus stolam deferre : expositionem, et benedictionem Sanctissimi Sacramenti, prout de jure, facere ; in quibus casibus beneficiatus *turnarius*, quatenus necesse sit, teneatur coadjuvare ipsum præpositum.

III. In aliis vero functionibus mere parochialibus, tam præpositus, quam beneficiatus *turnarius* possint in solidum procedere, prout unus, vel fuerit a parochianis requisitus ; proinde alteruter possit, altero irrequisito, sacramenta administrare : pueros et puellas ad primam eorum susceptionem approbare, et admittere : sacramentum Eucharistiæ in satisfactionem præcepti paschalis administrare, assistere matrimoniis.

IV. Doctrinam christianam tam præpositus, quam beneficiatus simul publice docere debeant statutis temporibus : Missam vero parochialem teneantur alternatim celebrare, et applicare, in eaque, qui celebrat, Evangelium explicet : debeat etiam publicare denunciationes, tam pro matrimoniis celebrandis, quam pro promovendis ad ordines ; monitoria excommunicationis promulgare : sicut etiam denunciationes festivitatum, et indulgentias promulgare.

V. Libri parochiales retineri debeant in communi capsa tam a præposito, quam a beneficiato *turnario ;* atque quilibet eorum propriam clavem ejusdem capsæ habeat, ac possit registrare in ipsis libris sacramenta administrata, aliasque descriptiones parochiales : atque ex illis extrahere partitas.

VI. Præpositus, sive beneficiatus de turno valeat, etiam altero inconsulto, substituere sacerdotes exteros in functionibus parochialibus, cum licentia, et approbatione Episcopi in casibus, prout de jure. Nequeat tamen præpositus alios substituere in functionibus expressis in § 2 ; sed quatenus sit impeditus, vel nolit ea exercere, teneatur prius requirere beneficiatum *turnarium,* antequam sacerdotem exterum substituat.

VII. Tam præpositus, quam beneficiatus, etiam altero irrequisito, abesse possit a residentia ex legitima causa, cum licentia Episcopi, prout de jure : ita tamen, ut substitutus, vel œconomus pro servitio curæ ab ipso absente subrogetur, cum approbatione ejusdem Episcopi.

VIII. Electio sacristæ spectet privative ad præpositum.

IX. Altare S. Nicolai manuteneri debeat pro medietate expensarum a præposito, et pro altera medietate a beneficiatis. Altaris vero S. Stephani manutentio spectet ad beneficiatum.

X. Quoad decimarum exactionem, expensas, ac alia ecclesiastica onera, per duos annos præpositus, et singuli beneficiati per annum teneantur succumbere juxta conventionem initam sub anno 1572 : *Ead. causa,* 20 *novem.* 1762, § 5.

sus creationibus disponere licere, sed exquirendum, et obsequendum suffragiis singulorum beneficiatorum in capitulo ad hoc præcise convocando, decretum est : *Ibid.*, *dub.* 18.

17. Cum dictis beneficiatis rectoris coadjutorem vicarium nuncupatum unum corpus non facere, constituitur : *Ibid. dub.* 12.

18. Eodem autem absente rectore, ad illius vicarium jus regendi chorum, ac in ecclesia præsidendi, non ad seniorem beneficiatum, spectare, stabilivit : *Ibid.*, *dub.* 13.

19. Jus insuper convocandi beneficiatos presbyteros pro gerendis ecclesiæ negotiis prædicto rectori tribuitur : *Ibid.*, *dub.* 14.

20. Ad dubium, an horum beneficiatorum seu presbyterorum convocatio fieri debeat ad sonitum tintinnabuli, aut per nuntium de ordine rectoris? arbitrio rectoris, rescribitur : *Ibid.*, *dub.* 15.

21. Venia pulsandi tintinnabula, quando opus fuerit a rectore independenter a beneficiatis, seu residentialibus est concedenda : *Ibid.*, *dub.* 16.

22. Ad hunc quoque rectorem jus constituendi numerum Missarum, quæ qualibet die sunt canendæ, spectare, putatum est : *Ibid.*, *dub.* 17,

23. Quæsitum quum fuisset ; an designatio sacerdotum, et ministrorum pro Missis canendis spectaret ad præfatum rectorem, seu esset procedendum vicissim?

24. An designatio presbyterorum, aliorumque sacrorum ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, et aliorum divinorum officiorum, in Hebdomada sancta, et die Nativitatis Domini spectaret ad eumdem rectorem, seu duo ultimi beneficiati, alter ad officium diaconi, alter subdiaconi inservire debeant? respondit S. C. juxta votum Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 18 *et* 19.

25. Dubioque, an qui, et quomodo teneatur more, et loco consuetis exorcizare tempestates? dedit responsum, teneri rectorem : *Ibid.*, *dub.* 20.

26. Quæstione exorta super electione signatoris, seu punctatoris fallentiarum beneficiatorum ecclesiæ parochialis oppidi Kempensis, S. C. mandavit servari decretum Ordinarii [78] : *Colonien.*, 14 *martii* 1767, *dub.* 13.

27. Beneficiati nuncupati vicarii ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis a S. C. perpetui declarati possunt titulo eorumdem vicariorum seu beneficiorum ad sacros ordines promoveri, prout consuetudo vetustissima vigebat : *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 2, confirmata 30 *aug.* 1777, *dub.* 1.

28. Præbendati ecclesiæ collegiatæ S. Antonini Placentiæ, qui approbarunt, et ratihabuerunt transactionem cum canonicis initam, ligare non potuerunt eorum successores : *Placentina*, 13 *septemb.* 1777, *dub.* 2.

29. Licitum non est possessori beneficii S. Sebastiani in ecclesia collegiata S. Petri massæ Fiscaleæ permutare, ad longum tempus locare, vel in emphyteusim concedere bona dicti beneficii sine beneplacito apostolico, et non monitis confratribus commissariis exequutoribus testamentariis a fundatore designatis : *Cervien.*, 7 *junii* 1788, *dub.* 7.

§ III.

Beneficiati quoad Missam conventualem.

1. Beneficiati ecclesiarum S. Martini, S. Angeli et S. Mariæ Valliscursæ non tenentur Missam, quam alternatim ex antiquissima consuetudine in unaquaque ex dictis ecclesiis diebus ferialibus celebrant, pro populo, vel pro benefactoribus applicare. Dictæ enim ecclesiæ, quamvis præter parochum habeant duos beneficiatos, nihilominus inter ecclesias collegiatas minime recensentur : *Fundana, Applicationis Missarum*, 2 *oct.* 1721, *dub.* 1.

2. Proposito dubio : An beneficiati ecclesiæ cathedralis teneantur celebrare Missas conventuales diebus ferialibus, et canere Evangelia in omnibus Missis solemnibus, tam diebus ferialibus, quam festis? protelatur decisio, et scribi Episcopo juxta mentem [79] Card. præfecti præcipitur : *Reatina*, 2 *junii* 1731, *dub.* 2. Deinde ipsos teneri resolvitur : 1 *sept. ejusd. anni.*

3. Quum quæsitum fuerit, an beneficiati ecclesiæ Pisanæ tenerentur celebrare, et respective applicare Missam conventualem in primitiali ecclesia Pisana? et eleemosyna pro dicta applicatione sit persolvenda ex massa capitulari etiam pro tempore elapso? S. C. rescripsit: Dilata, et scribatur Archiepiscopo pro meliori informatione super reditibus utriusque massæ, eorumque provenientia, necnon super numero canonicorum et beneficiatorum : *Pisana, Applicationis Missæ conventualis*, 6 *julii* 1737, *dub.* 1 *et* 2.

[78] Electio signatoris fallentiarum postremo decreto vicarii generalis commissa fuit tam pastori, quam beneficiatis, ea lege, ut ille ex gremio censeretur electus, in quem major pars sacerdotum choralium convenisset : *Ead. causa*, 14 *febr.* 1767, § 17.

[79] Censuit S. C. resolutionem esse differendam, et interea audiendum Episcopum circa assignationem sacrorum ordinum faciendam canonicis, et beneficiatis ad normam Sac. Concilii Tridentini sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, sine tamen detrimento eorum, qui præbendas modo obtinent, donec pervenerint ad legitimam ætatem pro iisdem ordinibus suscipiendis : *Ead. causa*, 1 *septem.* 1731, § 1.

4. Post publicationem litteræ Encyclicæ Benedicti XIV, Pont. Max., super Missæ conventualis celebratione, canonici ecclesiæ cathedralis in beneficiatos, sive capellanos onus præfatum rejicere curarunt, qui distinctam a canonicis fundationem noscunt, et S. C. decrevit, beneficiatos prædictos Missas conventuales, quas alternis vicibus celebrant, pro benefactoribus in genere appplicare debere : *Lucana, Missæ conventualis*, 14 *martii* 1750, *dub.* 1.

5. Quoad Missas vero non applicatas ab ipsis S. C. respondit ad D. secretarium cum Sanctissimo : *Ibid., dub.* 2.

6. Beneficiati ecclesiæ cathedralis quoties diebus feriatis duas Missas conventuales celebrant, utramque juxta dispositionem Encyclicæ Bened. XIV, Pont. Max., epistolæ [80] applicare non tenentur : *Realina, Applicationis Missarum*, 3 *febr.* 1753, *dub.* 2.

7. Dictis beneficiatis, præter distributiones omnibus de choro Missis conventualibus adstantibus assignantes, eleemosynam pro harum Missarum conventualium applicatione deberi decernitur : *Ibid., dub.* 3.

8. Eleemosynam vero hanc ex massa communi, et dictorum beneficiatorum seu mansionariorum propria, non vero ex distincta canonicorum massa, detrahendam esse firmatur : *Ibid., dub.* 9.

9. Quatuor beneficiati parochialis ecclesiæ S. Pauli terræ Jennazzani adstricti fuerunt a Card. Ruffo Episcopo ad celebrationem Missæ conventualis pro benefactoribus in genere. Ipsi vero reclamarunt, ac in eorum ecclesia nulla adesse collegialitatis signa ostenderunt ; hinc eos ad dictam celebrationem minime teneri, autumant. Et S. C. non constare de collegialitate, ita ut Missa conventualis celebrari non debeat, decidit : *Prænestina, Missæ conventualis*, 17 *april.* 1779.

10. In relatione status suæ diœcesis Episcopus exposuit, neque in cathedrali, neque in collegiata ecclesia S. Mariæ de Castello ejusdem civitatis applicari Missam conventualem pro benefactoribus ; ideo a S. C. decretum fuit, quod prædicti Missam pro populo applicare non teneantur, sed pro benefactoribus in genere : *Castri Albi, Visitationis sacr. liminum*, 18 *julii* 1789, *dub.* 1.

11. Animarum curam alternatim gerentes beneficiati parochialis ecclesiæ *de Balmaseda* duplicem ab immemorabili tempore applicare consueverunt Missam pro populo, et benefactoribus ; hinc quærunt num illud ferre teneantur onus in futurum, quum eorum ecclesia non sit collegiata. Et S. C. rescripsit esse locum celebrationi Missæ pro benefactoribus juxta votum Episcopi [81] : *Santandrien.*, 16 *junii* 1792, *dub.* 1.

12. Inde decidit non esse locum supplemento illarum, quæ per annos 19 bona fide, ex privata interpretatione Encyclicæ Benedicti XIV, Pont. Max. [82], omiserunt : *Ibid., dub.* 2.

13. In receptitia ecclesia Casalis Novi sex sunt beneficiati, et archipresbyter, qui curam animarum habet. Hi non inserviunt choro, sed onus Missæ conventualis ex consuetudine eis incumbit; singulorum reditus vix ad ducat. 20 ascendit ; propterea exorant Missæ conventualis reductionem ; et ad dies festos per vices obtinent : *Casanen., Missæ conventualis et pro populo*, 22 *nov.* 1794, *dub* 1.

§ IV.

Beneficiati quoad onera in genere.

1. Censuit S. C. possessori beneficii simplicis S. Blasii de Valecchio novum onus non esse imponendum : *Ariminen.*, 28 *april.* 1589.

2. Circa sex beneficiatos servitio ecclesiæ cathedralis addictos, quorum singuli ecclesias obtinent, et segregatum sibi populum in pagis civitati finitimis habent, decretum alias ab hac S. C. factum, cum charitate, et dexteritate exequutioni esse demandandum, statuitur : *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 5.

3. Quoad beneficiatos *altaristas* nuncupatos, constitutiones in fundatione appositas esse omnino observandas, si vero beneficiati aliquid vigore consuetudinis prætendant in S. C. auditos iri : *Ibid., dub.* 6.

4. Beneficiatos ecclesiæ cathedralis cogendos esse ad ostendendum sibi titulos, et providendum, ut oneribus impositis satisfaciant, resolvitur : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 3.

5. Quoad beneficiatos diœcesis, ut contribuant

---

[80] Incipien. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163), § 2, præcipitur applicatio omnino facienda Missæ conventualis non obstante quacumque, etiam immemorabili consuetudine ; et § 20, seqq. disponitur, quod, si duæ, vel tres Missæ in aliquibus ecclesiis patriarchialibus, et collegiatis quotidie cantari soleant, nullatenus in ea jubetur applicatio secundæ, et tertiæ, nisi aliud fuerit usu receptum.

[81] Qui censet, quum dicta Missa ex grato animo benefactorum ortum duxisset propter oblationes, quæ alias in magna satis quantitate quotidie ad ecclesiam a fidelibus deferebantur ; reduci possunt ad Missas 9 annuas cum cantu, totidemque defunctorum nocturnos : *Ead. causa*, 12 *maii* 1792, § 3.

[82] Quæ incipit *Cum semper*, 19 aug. 1744 relata in not. 80.

expensis pro juribus Ecclesiæ defendendis, ipsis inauditis nihil esse decernendum S. C. putavit: *Ibid.*, *dub.* 11.

6. Declaravit S. C. Episcopis licere pro suo servitio adhibere etiam beneficiatos tam ecclesiæ cathedralis, quam ecclesiæ collegiatæ suæ diœcesis, ideoque declarationes S. C. Concilii extendi etiam ad hujusmodi beneficiatos, ita tamen, ut præter duos non adhibeant: *Avenionen.*, *Distributionum*, 7 *januar.* 1640 [83].

7. Possidentes beneficia simplicia in terra Carbii tenentur una cum parochis contribuere procurationi Episcopo diœcesim visitanti debitæ: *Narnien.*, 12 *sept.* 1654.

8. Rectores beneficiorum in quacumque etiam dignitate constituti, dum tituli dictorum beneficiorum transferuntur, tenentur post translationem sequutam ad futuram instaurationem ecclesiarum, ad quas beneficia fuerunt translata: *Narnien.*, 24 *martii* 1657, dub. 2.

9. Eosdemque beneficiatos cogi posse ab Episcopo ad celebrandum, seu celebrari faciendum in die festivitatis illius Sancti, sub cujus invocatione beneficium est erectum, nisi aliter constet in erectione seu fundatione, sancitur: *Ibid*, *dub.* 3.

10. Joan. Dominicus Gesualdi nominatus a fundatore ab beneficium erectum cum onere Missarum in ecclesia parochiali Montis Alti celebrandarum, exceptis mensibus æstivis circumspecta mala aeris qualitate ejusdem loci, quo tempore tribuit idem fundator facultatem inibi celebrandi, supplicat, ut Missas præfatas, vel in sua patria, vel alibi celebrare valeat, quod toto anni tempore saluti oratoris aer obnoxius est; et S. C. precibus annuit: *Viterbien.*, 11 *januar.* 1698.

11. Philippus Spanus rector beneficii simplicis sub invocatione SS. Thomæ, et Theodoreti tenetur ad expensas ornatus, et manutentionis capellæ, seu altaris in ecclesia parochiali S. Benedicti existentis, ad quod beneficii titulus translatus fuerat: *Verulana*, *Translationis*, 30 *sept.* 1702.

12. Demetria de Vannis oppidi S. Victoriæ legavit ecclesiæ S. Mariæ Angelorum agrum suum pro anima sua, suorumque parentum nullo tamen adjecto onere. Factæ inde fuerunt institutiones, prout ad beneficia fieri solent, in quibus habita ratione longævæ consuetudinis expressum fuit onus celebrandi in dicta ecclesia singulis hebdomadis, quod etiam expressum reperitur in visitatione anni 1624. Prætermissa inde oneris prædicti satisfactione; S. C. decrevit beneficium hujusmodi habere onus unius Missæ hebdomadalis: *Firmana*, *Oneris Missarum*, 10 *julii* 1706, *dub.* 1.

13. In visitatione Episcopi de Tufo anni 1585 beneficium erectum in altari S. Stephani ecclesiæ parochialis oppidi Calogeri, cui onus Missarum adnexum est, ob redituum tenuitatem cantoratui cathedralis unitum fuit, orata quæstione super celebratione dictarum Missarum in cathedrali, ubi etiam aderat altare D. Stephano dicatum, S. C. statuit Missas celebrandas esse in altari S. Stephani oppidi S. Calogeri: *Mileten.*, *Celebrationis Missarum*, 1 *decemb.* 1708. Reproducta causa responsum fuit in decisis, et cantor redeat ad residentiam: 23 *febr.* 1709.

14. Antonius Maria Baluganus obtinens beneficium, cui a fundatore adjectum fuerat onus celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada, ac diebus dominicis, et festis, existimans onus prædictum moderatum fuisse in generali reductione a Nicolao V, Pont. Max., expleta, Missas 36 quotannis celebravit, quemadmodum et sui prædecessores ab immemorabili tempore egerant. Conscientiæ hic stimulis actus oraculum S. C. exquisivit, et responsum tulit, *quoad Missas teneri ad formam fundationis*: *Mutinen.*, *Onerum Missarum*, 25 *junii* 1712, *dub.* 1.

15. Beneficiatorum congregationi *Consorteria* nuncupatæ, erectæ in ecclesia cathedrali, cujus tamen institutio delitescit, nonnulli canonici præsunt hi dubitarunt num beneficiati prædicti onera explerent, dum quoad Missas celebrandas ea agerent, quæ de more agi consueverant. Rem omnem itaque S. C. exposuerunt, quæ quoad præteritum beneficiatos non esse molestandos respondit: *Bononien.*, *Missarum*, 9 *sept.* 1713, *dub.* 1.

[83] S. C. Rituum definivit nonnulla dubia respicientia ministerium acolythi basilicæ Vaticanæ Urbis pontificalibus seu per ardinalem archipresbyterum, seu per Episcopum ab eo delegatum peragendis, et hæc fuerunt:

I. An acolythus beneficiatus seu clericus beneficiatus basilicæ Vaticanæ sustinens librum Cardinali archipresbytero, dum sedens legit præparationem ad Missam solemnem, teneatur genuflectere prout Cardinali celebranti placuerit, ejusve commoditas postulaverit?

II. An idem modus sustinendi librum ad commodum celebrantis servari debeat ab eodem acolytho in omnibus aliis sacris actionibus, in quibus Cardinalis archipresbyter sedens legit aliquid, vel cantat?

III. An idem modus sustinendi librum in omnibus supradictis actionibus debeat ad commodum celebrantis pariter servari ab eodem acolytho, quotiescumque Episcopus canonicus ejusdem basilicæ, vel quicumque alter Episcopus de mandato Cardinalis archipresbyteri exercet munia pontificalia in dicta basilica? ead. S. C. respondit in omnibus affirmative, *die* 9 *febr.* 1762. Sed beneficiatis, et clericis beneficiatis minime acquiescentibus prædicto decreto, iterum fuit controversia examinata, et in *decisis et amplius* respondit S. C. die 28 aug. ejusd. anni.

16. Et quoad futurum proposito dubio, responsum fuit: Dilata, et ad mentem: *Ead. causa*, 17 *nov.* 1714. Ac tandem decrevit scribendum esse Card. Archiepiscopo juxta instructionem: 13 *januar.* 1720.

17. Administrator ecclesiæ Reatinæ Pompeius Card. Columna anno 1520 canonicis, ac beneficiatis addidit clericos beneficiatos ex reditibus quarumdam capellaniarum ejusdem ecclesiæ, quibus inter cetera onera præcepit, ut teneantur celebrare, et celebrari curare bis in qualibet hebdomada; quod onus ex veteri usu beneficiati habebant. Orta est dubitatio, an uterque ad sacrificii applicationem teneatur? Et S. C. de beneficiatis judicium distulit, ut novis probationibus juxta instructionem afferendis melius quæstio enodaretur: *Reatina, Applicationis Missarum*, 12 *januar.* 1716, *dub.* 1. Deinde negativum reportarunt responsum: 3 *febr.* 1753.

18. Clericos beneficiatos teneri applicare binas Missas hebdomadales sancitur: *Ibid., dub.* 2. Sors, quæ beneficiatis arrisit, animum his addidit iterum sua jura proponendi, aientes, quod excluditur præsumptio demandatæ applicationis, quum de clericatibus institutis ad chori, et ecclesiæ servitium agatur; hinc prævio recessu a decisis non constare de onere applicandi fuit decisum: 20 *decemb.* 1766.

19. Quatuor sunt in ecclesia Veliterna beneficiati *candelses* nuncupati ex dispositione Fulviæ Candelsis, quæ eosdem in cantu figurato peritos esse voluit, ut choro inservirent, prout canonici inserviunt: item alia duo beneficia adsunt pro peritis in cantu figurato instituta, qui pro præcipui muneris implemento canere, et choro inservire debent. Super hisce institutionibus obortas quæstiones S. C. resolvit, definiendo beneficiatos candelses non teneri canere cantu figurato: *Veliterna, Cantus*, 23 *febr.* 1715, *dub.* 1, confirmata 25 *januar.* 1716.

20. Alios binos beneficiatos nempe S. Joannis Baptistæ, et S. Catharinæ teneri canere cantu figurato: *Ibid., dub.* 4. Recessit inde a decisis: *Ibid.*, confirmata 19 *junii* 1717.

21. Et quæsito, an, in quibus festivitatibus, et quo loco canere debeant, et an qua punctatura, seu pœnis beneficiati prædicti sint mulctandi in casu deficientiæ? S. C. censuit id remittendum esse arbitrio Ordinarii: *Ibid., dub.* 5 *et* 6.

22. Beneficiati ecclesiæ parochialis S. Pauli urbis Vallettæ, quorum beneficia a Catharina Valenti instituta fuere, tenentur intervenire cum clero dictæ ecclesiæ in omnibus functionibus, quæ a clero peraguntur in ecclesia præfata, quæ tamen compatibiles sunt cum fundatione: *Melevitana, Divinorum officiorum*, 29 *januar.* 1718, *dub.* 1.

23. Dum vero iidem ad chorum pergunt, incedentes tantum cum clero, tenentur ordine instructo supplicationis incedere juxta decretum ab Ordinario latum in sacr. visitatione, sub pœnis tamen mitioribus arbitrio Ordinarii infligendis: *Ibid., dub.* 3 *et* 4.

24. Candelas, vinum, et hostias propriis expensis sibi comparare debent beneficiati S. Petri, et S. Mariæ ad Præsepe pro sacris, quæ ex beneficiorum obligatione ab ipsis celebrantur in ecclesia collegiata, et parochiali S. Matthæi; adeoque subministrari non debent a rectore, vel capitulo: *Sarnen., Jurium paroch.* 15 *januar.* 1718, *dub.* 6, confirmata, 25 *januar.* 1721.

25. Beneficiati ecclesiæ S. Pauli non participantes de emolumentis curæ, quæsierunt num ad onera, et expensas pro eadem cura tenerentur? et S. C. misit ad eminentissimum præfectum in omnibus [84]: *Verulana*, 15 *januar.* 1724, *dub.* 3. Contradixerunt inde declarationibus Card. præfecti, ac proinde denuo audiri petierunt, ac iterum rescriptum fuit ad eumdem Card. præfectum: *Ead. causa*, 28 *febr.* 1733.

26. Nonnulla beneficia, seu præbendæ ecclesiæ parochiali S. Nicolai adjunctæ fuere; ita tamen, ut beneficiati onus haberent perpetuo inserviendi dictæ ecclesiæ, animarum curam exercendi, ceteraque onera pro medietate cum rectore subeundi. Hos inter, et præpositum complures obortæ quæstiones sunt, et in S. C. proposita hæc fuere dubia: An beneficiati teneantur coadjuvare præpositum in cura animarum, eique inservire in choro, et altari, dum Missas et vesperas celebrat?

27. An altare SS. Nicolai, et Stephani promiscue manuteneri debeat a præposito et beneficiatis?

28. An teneantur explere actus omnes parochiales de consensu, et licentia præpositi?

29. An cura actualis sic exerceri debeat a præposito et beneficiatis, ut unusquisque possit, ac teneatur sacramenta administrare ad parochiæ incolarum nutum: S. C. rem omnem ad Card. Petram cum facultatibus ejusd. S. C. remisit [85]: *Ripana, Jurium paroch.*, 15 *decem.* 1725, *dub.* 2, 8, 10 et 11, confirmata 20 *novem.* 1762.

30. Beneficiatus Joseph Ambrosius beneficium obtinet sub titulo S. Mariæ Magdalenæ erectum in ecclesia S. Petri Forelli. Hujus fundatio habetur ex duobus testamentis, in quibus diversus Missarum numerus assignatur, in uno scilicet unius Missæ singulis diebus, in alio quatuor qualibet hebdomada.

[84] Card. declaravit ad tertium per modum provisionis, et sine præjudicio jurium ambarum partium, pro nunc servari solitum, donec aliter declaratum non fuerit: *Ead. causa*, 28 *febr.* 1733, § 2.

[85] Vide not. 77.

De testamentorum viribus disputatum fuerat, deque Missis, certus neque in visitationibus resultat numerus. Declaratum hinc fuit beneficiatum prædictum teneri ad celebrationem quatuor Missarum in hebdomada, reservato eidem jure agendi pro reductione, quatenus ei competat: *Praten.*, *Oneris Missarum*, 4 *decem.* 1728.

31. Beneficiatus, seu rector ecclesiæ S. Sebastiani sitæ extra mœnia terræ Rendarum tenetur reddere rationem Episcopo omnium, et singulorum redituum, obligationum, et eleemosynarum ecclesiæ: *Consentina, Capellæ*, 3 *decemb.* 1729, *dub.* 3.

32. Proposito dubio : an beneficiati cathedralis teneantur canere Evangelia in omnibus Missis solemnibus tam diebus ferialibus, quam festis? S. C. respondit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem Card. præfecti [86] : *Realina*, 2 *junii* 1731, *dub.* 2. Inde vero ipsos teneri decrevit : 1 *sept. ejusd. anni.*

33. Possidentes beneficia in diœcesi Firmana erecta, quorum reditus non excedunt annua scuta quindecim deductis oneribus cathedraticum solvere tenentur : *Firmana, Cathedratici*, 24 *julii* 1734, *dub.* 1.

34. Beneficium parochiale obtentum a sacerdote Matthæo Baldi non subest oneri solutionis mediæ annatæ in favorem fabricæ ecclesiæ cathedralis. Idem enim ratione reservationis pensionis ab Episcopo factæ litteras apostolicas expedierat, et beneficia collata ab Episcopo, vel alio collatore inferiori huic oneri dumtaxat subjiciuntur; minime vero quæ ab Apostolica Sede conferuntur : *Ariminen.*, *Mediæ annatæ*, 15 *januar.* 1735.

35. Beneficiati abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis seminario Miletensi taxam per peritos liquidatam persolvere tenentur, quum abbatia prædicta sit mensæ episcopali unita, et illius pueri inter alumnos seminarii recipiantur; licet ante unionem taxam non solverint, et in unione ei privilegia, et jura fuerint præservata : *Mileten.*, *Taxæ seminarii*, 6 *dec.* 1738.

36. Ægidius Lakayus possidens beneficium in altari S. Joan. Baptistæ erectum, quod præter sacra, et chori servitium munus custodis chori adnexum habet, agnoscens tenuitatem reditus beneficii, ita ut pro dicto munere percipiat quotidie obolum unum, quæsivit an teneretur ad illud implendum? et S. C. teneri rescripsit : *Leodien.*, *Beneficii*, 27 *junii* 1744, *dub.* 1.

37. Remunerationem tamen eidem deberi juxta conventionem cum capitulo initam decrevit : *Ibid.*, *dub.* 2.

38. In fundatione beneficii erecti in ecclesia SS. Simeonis et Judæ Robertus Guinisius fundator scripsit, ut capellanus teneretur ad celebrandum qualibet tertia hebdomada, videlicet, una de tribus, et illa intelligatur esse duplex ; item teneatur quotannis festum diem agere in honorem SS. Fabiani et Sebastiani cum Missa magna, et tribus planis. Hujus sermonis interpretatio eadem non semper fuit. Franciscus Antonius Ferrara beneficii possessor observantiæ innixus, duo qualibet hebdomada sacra fecit, ac festum prædictum, cum anniversario a fundatore demandato peregit, dubitavit tamen an onera expleverit? ac utique explevisse responsum fuit : *Lucana*, 21 *nov.* 1744, *dub.* 1.

39. Quoad futurum vero solitum servari præscriptum fuit . *Ibid.*, *dub.* 3.

40. Beneficiati possidentes beneficia post Concil. Trid. erecta tenentur contribuere pro mercede ludimagistri seminarii; ita ut sit locus novæ divisioni ad formam Concilii [87] : *Sarsinaten.*, *Contributionis*, 12 *febr.* 1746.

41. Possessores beneficiorum, quæ a fundatoribus ita sunt instituta, ut regulares ea consequi possint, dum hi servata fundationis forma eadem consequuntur, possunt per se ipsos onera adimplere, bona administrare, fructusque percipere ; minime vero tenentur hæc omnia per sacerdotes seculares explere, proindeque standum esse in decisis, diebus 16 maii 1609 et 8 julii 1713 S. C. decrevit : *Mexicana*, *Erectionis capellaniarum*, 25 *januar.* 1749, *dub.* 1.

42. Beneficium possidens sub invocatione S. Joan. Baptistæ erectum in ecclesia S. Martini oppidi Arborei, de cujus fundatione nulla penitus extat memoria, onera ab Episcopo in pastorali visitatione imposita adimplere tenetur, ideoque sequestrum jussu Episcopi positum minime removeri debet : *Vercellen.*, 21 *nov.* 1750.

43. Rector beneficii in altari S. Leodegarii secundæ fundationis ecclesiæ collegiatæ S. Martini te-

[86] Vide not. 79.

[87] Sess. 23, cap. 18, *de Reform.* Ne seminaria ex redituum defectu unquam pereant, in hoc decreto statuit Concilium, ut ex reditibus mensæ episcopalis, et capituli, et quorumlibet beneficiorum diœcesis certa pecuniæ summa detrahatur, quotannis seminario præstanda, juxta taxam ab Episcopo præscribendam cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab ipso Episcopo, alter a capitulo eligatur, ac duorum de clero civitatis, quorum alterius electio ad Episcopum, alterius vero ad eumdem clerum pertineat. Circa beneficia vero, quæ uniri possunt, quæque taxam pro manutentione seminarii, tam erecti, quam erigendi contribuere tenentur, et in qua summa, et taxa constituenda sit, clare omnia hæc exprimuntur in Const. Bened. XIII. *Creditæ Nobis*, 9 maii 1725, *Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 409.

netur adimplere munus hebdomadarii juxta Episcopi ordinationes alias a S. C. probatas : *Leodien.*, *Servitii*, 19 *junii* 1751, *dub.* 1.

44. Jacobus Balduccius fundator quatuor filios Julii Laureti successive ad beneficium vocavit, ea tamen lege, ut beneficiatus, dum studiis operam daret ad ætatem usque 25 annorum a recitatione divini officii dispensaretur, ejus tamen loco officium parvum B. M. V. diceret. Dubitatum est, an testatori facultas foret dispensandi familiam Laureti ab onere præfato, et affirmativum prodiit responsum : *Firmana*, *Beneficii*, 2 *sept.* 1758, *dub.* 1.

45. Ad beneficii prædicti nominationem substituta fuit gens Simonetti ; nil tamen de officio expressit, sed tantum inquit cum eodem onere ; dubitarunt hinc fratres Simonetti, num onus divini officii familiæ Laureti primo loco vocatæ injunctum, repetitum censeretur etiam pro familia Simonetti, et minime repetitum censeri S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 2.

46. Beneficiati ecclesiæ cathedralis S. Rochi tenentur assistere functionibus in præscriptis diebus in eorum constitutionibus in actu fundationis ab Episcopo confectis : *Setina*, *Plurium*, 18 *dec.* 1762, *dub.* 1, confirmata 23 *junii* 1764.

47. Et onus prædictum beneficiatis incumbit etiam iis diebus, quibus in eorum ecclesia festivitates celebrantur : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

48. Intimari tamen ipsis debet hora nisi in tabella horaria adnotata reperiatur : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

49. Quoties vero ad cathedralem non accedunt mulctandi sunt arbitrio Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

50. Beneficiati ecclesiæ parochialis oppidi Kempensis, vicarii nuncupati tenentur bini orare per horam ante sanctissimum Eucharistiæ sacramentum dum exponitur in Ecclesiæ solemnitatibus, et diebus publicarum precum, comprehenso parocho et sacellanis : *Colonien.*, 14 *martii* 1767, *dub.* 1.

51. Tabella vero distributionis horarum, et designationis beneficiatorum confici debet a parocho : *Ibid.*, *dub.* 2.

52. Tenentur etiam choro interesse, dum canitur Missa solemnis in diebus dominicis, publicarum precum, et solemnioribus : *Ibid.*, *dub.* 3.

53. Id vero ; qui ex fundatione habent onus assistendi parocho, tenentur etiam benedicere puerperas, dum rogati sunt a parocho, vel a sacellanis : *Ibid.*, *dub.* 4.

54. Non tenentur tamen coadjuvare parochum in distributione sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, nec eidem assistere, dum sacrum diebus festis celebret : *Ibid.*, *dub.* 5 *et* 6.

55. Et quoad associationem cadaverum pauperum defunctorum ipsos teneri ad formam decretorum Ordinarii [88] : *Ibid.*, *dub.* 7.

56. Beneficiati prædicti nec exceptis iis, quibus ex fundatione non est statutum certum tempus celebrationis, diebus dominicis, festis, et publicarum precum cogi possunt ad celebrandum sacrum certis horis tabella præfiniendis : *Ibid.*, *dub.* 8.

57. Tabella vero confici debet a parocho cum approbatione Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 9.

58. In oblationibus vero erogandis, aut investiendis in favorem ecclesiæ tenentur benificiati exquirere consilium parochi : *Ibid.*, *dub.* 18

59. Petrus Michael de Champs rector beneficii S. Leodegarii secundæ fundationis erecti in ecclesia collegiata S. Martini, cui adnexum est hebdomadarii onus tenetur præstare juramentum adimplendi onus prædictum per se ipsum : *Leodien.*, *Beneficiorum*, 14 *maii* 1768, *dub.* 2.

60. Clerus Oconiensis statuit, ut quilibet beneficiatus, cui in territorio curam animarum incumbit Missas pro populo tres hedomadales celebrare debeat. Hoc grave onus, ut nimis grave ob inopiam redituum sentientes beneficiati, supplicarunt pro reductione applicationis ad solos dies festos et dominicos et S. C. scribi juxta instructionem Episcopo mandat : *Calaguritana*, *Applicationis Missæ pro populo*, 16 *jan.* 1768. Deinde reductionem applicationis prædictæ indulsit applicatis duabus Missis quotidianis in ecclesia Ochonii, necnon quotidiana una in pago Corerii, ac gratiam impertivit pariter reductionis ad unam pro diebus festivis et dominicis in quolibet ex cæteris pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo, facto verbo cum Sanctissimo, et detracta eleemosyna pro omnibus Missis applicandis ex massa communi : 14 *januar.* 1769.

61. Beneficio in ecclesia rurali castri Plumbinaria erecto, de cujus fundatione nulla extat memoria, onus inest celebrandi Missam singulis diebus dominicis, et festis de præcepto, prout ex observantia evincitur : *Signina*, *Beneficii*, 3 *aug.* 1771, *dub.* 1.

62. Et prædictum onus a rectore expleri debet per seipsum, quemadmodum etiam ex litteris apostolicis eruebatur : *Ibid.*, *dub.* 2.

63. Ex dispositione Galeotti Uffreducci sex be-

[88] Decretum Ordinarii his verbis conceptum legitur : Quarto, ut mos corrigatur etc. humandi christianorum cadavera sine sacerdotum comitatu, et cantu ; volumus, ut si propter defuncti tenuitatem totus chorus nequeat convocari, saltem D. pastor cum sacellanis, et duo ex vicariis, præeunte crucifero erga salarium medii imperialis, unde quinque stufferi pro fabrica solvendi sunt, comitentur, etc. *Ead. causa*, 9 *aug.* 1766, § 16.

neficiati fundati fuerunt in ecclesia cathedrali onere beneficiatis adjecto inserviendi choro, comitandi Sanctissimum Sacramentum infirmis delatum ac celebrandi Missas 10 mensuatim cum congrua scut. 40 pro quolibet beneficiato. Hæres census assignavit; inde orta quæstione de eorumdem manutentione in favorem hæredis fuit quæstio resoluta; sed quum valde imminuti sint reditus, censusque deperditi, hæres exorat pro reductione onerum capitulo assentiente, et dubio, an sit locus redintegrationi censuum, seu reductioni onerum? Dilata, et ad mentem S. C. rescripsit: *Fanen.*, *Reductionis onerum*, 10 *maii* 1777.

64. Canonicus Henricus Nicolas ad augendum divinum cultum ecclesiæ collegiatæ oppidi Huensis hæredibus suis præcepit tradi capitulo reditum flor. 2400 inter canonicos, et flor. 500 inter beneficiatos dividendum cum onere assistendi laudibus Sanctissimi Sacramenti die Jovis, ac B. M. V. post completorium quotidie persolvi cum cantu solitis. Quum reditus hodie vix ad flor. 199 ascendat inter 30 beneficiatos partiendus; hinc exorant beneficiati reductionem oneris ad dies dominicos, Jovis, aliosque festivos intra annum occurentes, in quibus benedictio cum Sanctissimo Sacramento christifidelibus impertitur. S. C. jussit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [89]: *Leodien.*, *Reductionis onerum*, 30 *jan.* 1779.

65. Joannes Fock duo beneficia obtinuit in ecclesia collegiata Munsterbliensi erecta, Missarum tamen celebrationem neglexit; hinc capitulum propriis pecuniis satisfactionem curavit, et Joannes Fock a Nuntio Coloniensi ad redintegrationem in favorem capituli, et ad satisfactionem damnatus fuit: proposita quæstione in S. C., beneficia præfata celebrationis, et applicationis onus adnexum habere decretum fuit: *Leodien.*, 2 *decem.* 1780, *dub.* 1.

66. Eorumdemque rectorem duas Missas qualibet hebdomada pro unoquoque beneficio cum applicatione pro fundatoribus, et alias duodecim annuas pro baronissa Diercheim nuperrime fundatrice teneri declaravit S. C.: *Ibid.*, *dub.* 2.

67. Rector beneficii erecti in ecclesia collegiata S. Bartholomæi terræ Buxeti sub titulo Assumptionis B. M. V., quum de fundatione nulla extaret memoria, obligatus fuit ad celebrationem duarum Missarum qualibet hebdomada, et unius anniversarii quolibet anno, quum hujusmodi onus in nonnullis visitationibus expressum fuerit: *Burgi*, *S. Domnini*, *Beneficii*, 17 *martii* 1781.

68. Beneficiatus S. Joannis Baptistæ, et S. Aloysii ecclesiæ loci de Albizatæ plebis Galleratæ, qui ex lege fundationis onus Missarum habet, ratione infirmitatis defecit a dictarum Missarum celebratione; hinc S. C. requisita quoad Missas non celebratas usque ad diem 21 julii 1777 remisit rem ad D. secretarium cum Sanctissimo; quo vero ad alias a die dicta usque nunc præteritas teneri adimplere intra terminum ab Card. Archiepiscopo præfigendum in quantitate liquidanda ab eodem putavit: *Mediolanen.*, *Beneficii*, 18 *aug.* 1781, *dub.* 4.

69. Inter rectorem beneficii a Georgio de Panizza fundati cum onere Missarum in ecclesia S. Bernardini ab eodem Georgio extructa, et confraternitatem S. Spiritus in dicta ecclesia subinde erectam transactio inita fuit qua rector juribus suis cessit, et societas beneficii onera a se adimplenda assumpsit; defecit tamen patronorum consensus, et apostolicum beneplacitum. Deficientibus inde societatis reditibus, et onera ferre non sustinens societas de transactione conquesta est, declaratumque fuit rectorem teneri adimplemento onerum beneficii, nec obstare transactionem: *Parmen.*, 26 *januar.* 1782, *dub.* 1.

70. Rector beneficii a Nicolao Cecconi in ecclesia parochiali castri S. Petri absque curæ animarum onere instituti parochum in sacramentorum administratione adjuvare non tenetur; et quamvis ex lege fundationis ad residentiam teneatur, nihilominus onus prædictum eidem non est addendum, etiamsi unicus in eo castro adsit sacerdos, parochus scilicet, in senili ætate constitutus: *Prænestina*, 21 *aug.* 1784, *dub.* 3, confirmata 11 *dec. ejusd. anni*, *dub.* 4.

71. Beneficiati ecclesiæ cathedralis nuncupati de massa non tenentur juxta votum Episcopi [90] applicare pro benefactoribus in genere Missam B. M. V. de S. Britio, quam singulis sabbatis canunt in ejus altari; sed pro illis commemoratio generalis sufficit. Hujus enim celebrationis origo ignoratur, nec in bullis erectionis de ea mentio ulla fit: *Urbevetana*, 24 *nov.* 1787.

72. Beneficiatus S. Sebastiani ecclesiæ collegiatæ S. Petri massæ Fiscaleæ tenetur celebrare sacrum in capella B. M. V. Consortii in oratorio

[89] Nempe, ut S. C. instructam redderet de quantitate redituum, quos hodie beneficiati percipiunt, de causa ipsius decrementi, an scilicet ædacitas temporum, aliaque infortunia litibus, ac controversiis accesserint in damnum beneficiatorum; quale divinis officiis, et choro vespertinis horis teneantur beneficiati reddere obsequium, utrum nempe quotidie inservire debeant, an vero aliquoties a choro pomeridiano tempore vacare possint: *Regist. lit.* 34, die 30 jan. 1779.

[90] Qui consultum putat beneficiatorum serenitati, si firma remanente celebratione cum cantu, declaratio prodeat, qua beneficiati ab applicatione Missæ de Beata Virgine eximantur: *Ead. causa*, 15 *nov.* 1787, § 2.

dictæ ecclesiæ existenti ad placitum confratrum societatis sub invocatione dictæ B. V. erectæ, minime vero ad altare eidem dicatum in ecclesia collegiata : *Cervien.*, 7 *junii* 1788, *dub.* 1.

73. Item intervenire debet supplicationibus ordinariis, et extraordinariis, vestitionibus novitiorum, et tumulationi confratrum, publicis etiam sacrarum reliquiarum expositionibus in eo oratorio, et capella faciendis : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 14 *martii* 1789.

74. Onera vero prædicta non tenetur explere per seipsum, sed potest etiam per alium : *Ibid.*, *dub.* 3.

75. In festis vero principalibus, aliisque diebus, in quibus confratres divina officia agere non solent, tenetur assistere etiam per alterum ad formam testamenti ad altare S. Sebastiani : *Ibid.*, *dub.* 5.

76. Et in casu necessitatis, paramenta sacra, et calicem altaris S. Sebastiani dictæ societati consortii commodare tenetur : *Ibid.*, *dub.* 5.

77. A die vero adeptæ possessionis tenetur ad refectionem bonorum beneficii : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

78. Annuis locorum montis Ambrosii Mediolani fructibus imminutis nullus est amplius sacerdos, qui beneficia simplicia erecta in ecclesia S. Mariæ ad Nives, et in ecclesia S. Mariæ Magdalenæ accipiat. Hinc patroni supplicarunt pro dispensatione officii, et pro reductione onerum, quibus gravantur, nempe quotidiani sacri, et pariter officii quotidiani Deiparæ, vel mortuorum, alterius sacri quotidiani, vel tot Missarum juxta reditus, et oneris doctrinam christianam docendi festivis diebus ; S. Cong. autem annuit juxta votum Episcopi [91] : *Viglevanen.*, 4 *april.* 1789.

79. Erectione beneficii ecclesiastici in ecclesia parochiali Vallis Formatiæ peracta cum onere hebdomadales Missas 4 celebrandi, residendi in dicto loco, administrandi sacramenta, assistendi parochialibus functionibus, fructus ejusdem imminuti sunt a scut. 55. 64 ad scut. 48, et non est, qui illud appetat. Hinc petita est reductio Missarum, et commutatio ceterorum onerum, et S. C. in omnibus negative respondit. Nam communitas in erectione se obligavit pecunias in fundo fructifero implicatas manutenere : *Novarien.*, *Reductionis et commutationis onerum*, 26 *martii* 1791.

80. Rectori beneficii de jurepatronatus communitatis in ecclesia collegiata S. Mariæ *della Torre* oppidi Leonis decernitur onus esse hebdomadalium Missarum trium, et assistendi parocho in sacris functionibus juxta antiqua documenta et testes ; licet deficiat fundatio beneficii : *Civitatis Plebis*, 11 *maii* 1793, *dub.* 1.

81. Eidem conceditur reductio Missarum ad taxam Missæ perpetuæ sublato onere assistendi parocho in sacris functionibus. Nam reditus beneficii sunt in scut. 15 annuis, ita ut ad manualem julii unius non sufficiunt : *Ibid.*, *dub.* 2.

82. Ad beneficium laicale fundatum a fratribus Mazzocchini in ecclesia B. M. V. in villa S. Fatuchii pertinet onus Missarum per seipsum implendum diebus festis de præcepto, residendi, et habitandi in eorum domibus. At ab uno ex fratribus superstite altero condito testamento nullam mentionem fecit de oneribus dicti beneficii. Hodiernus rector sacerdos Angelus Santucci supplicat pro facultate celebrandi, dum occasio urget, per alium, et S. C. non audivit et ei servari legem fundationis præcepit : *Civitatis Plebis*, *Beneficii*, 12 *martii* 1796, *dub.* 2.

83. Etsi beneficium fundatum in ecclesia S. Mariæ de Figulis diruta translatum ad ecclesiam cathedralem simplex et liberum ab onere Missarum semper habitum fuerit ; tamen inventum est decretum S. Visitationis anni 1573, in quo notatur ad ecclesiam S. Mariæ in Figulis onus Missæ in quolibet mense ; propterea beneficiatus post inutiles alias perquisitiones supplicavit S. C. an et quomodo sit locus celebrationi Missarum quoad præteritum ? et negativum dedit responsum : *Casertana*, *Beneficii*, 17 *dec.* 1796, *dub.* 1.

Reliqua. Vide *Missa.*

§ V.

Beneficiati quoad præcedentiam et vocem in capitulo.

1. Dubium ; an beneficiatus, seu rector ecclesiæ S. Sebastiani extra mœnia Rendarum sitæ præcedere, vel capellanus societatis S. Mariæ Constantinopolis in eadem receptæ, in functionibus in dicta ecclesia explendis, debeat ? S. C. definiendum Ordinario, qui pro suo arbitrio, et prudentia provideat, commendavit : *Consentina*, *Capellæ*, 3 *dec.* 1729, *dub.* 6.

2. Beneficiatis ecclesiæ primatialis Pisanæ in choro ordinario sedere licet immediate post canonicos, et in eadem linea, et in subselliis ejusdem qualitatis juxta modum tamen a S. C. præscriptum [92] :

[91] Qui in omnibus annuit, excepto onere doctrinæ christianæ, pro qua nunquam satis provisum est, aucta tamen per hoc onere taxa synodali a solidis 20 ad 25 pro qualibet Missa : *Ead. causa*, 14 *martii* 1789.

[92] Modus autem fuit, ut « Genuum flexoria canonicorum ornarentur panno viridi, nec ea licet vacua possent a capellanis, seu beneficiatis occupari : » *Ead. causa*, 18 *aug.* 1731, *dub.* 1.

Pisana, 18 *august.* 1731, *dub.* 1, confirmata 12 *januar.* 1732.

3. Idipsum vero servari non debet nec in choro æstivo, nec in sacris functionibus peragendis a capitulo, canonicis et beneficiatis intervenientibus in omnibus aliis ecclesiis dictæ civitatis : *Ibid.*, *dub.* 2 *et* 8, confirmata *ibid.*

4. Beneficiati seu præbendarii ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis sedere non possunt in superioribus subselliis chori, quoties illa vacant ob canonicorum absentiam, sed semper sedere debent in inferioribus subselliis : *Placentina, Juris sedendi in choro,* 27 *febr.* 1734.

5. In basilica Lateranensi adsunt beneficia sacerdotalia, diaconalia et subdiaconalia. Sacerdotale beneficium obtinuit Alexander Mandellius, sed causa adversæ vatetudinis promoveri ad sacerdotium non potuit; exoravit itaque pro commutatione sui stalli presbyteralis cum Petro Cassari beneficiato diaconali, in hac autem permutatione expressum fuit; ***che non s'intenda permutata la natura intrinseca del beneficio di ambedue, ma il mero esercizio.*** Lapsis novem annis, Mandellius indultum impetravit retinendi beneficium sacerdotale, licet non sacerdos, et annuente Cassaro recuperavit pristinum locum inter sacerdotes. Disputat modo Cassarus, an ipsi competant stallum, et præeminentia, quæ ante permutationem competebant, et S. C. respondit : Dilata, et supplicet exhibita nova gratia : *Romana*, *Præcedentiæ*, 12 *sept.* 1750.

6. Beneficiatis ecclesiæ S. Rochi, qui tenentur assistere functionibus certis diebus in cathedrali ecclesia peragendis, assignandæ sunt sedes distinctæ a clericis seminarii, inferiores tamen illis canonicorum : *Setina*, *Plurium*, 18 *dec.* 1762, *dub.* 3, confirmata 23 *junii* 1764.

7. Non debent tamen ad cathedralem ordine instructo supplicationis accedere ad præstandam assistentiam supradictam cum cruce elevata : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

8. Beneficiato Angelo Maceronio quamvis clerico, quum unum ex beneficiis in ecclesia S. Joannis Terracinæ, quæ collegialitatis jure non potitur, erectis obtineat, competere jus ferendi suffragium in capitularibus actis S. C. definivit, et addidit, locum esse habilitationi pro habendo voto in beneficiatorum capitulo : *Terracinen.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 1 *et* 2.

9. Cathedralis ecclesiæ beneficiati nec vocari, nec suffragari debent in capitulis, in quibus agitur de rebus ecclesiæ S. Mariæ de Ponte, cujus bona mensæ capitulari, non canonicis et beneficiatis unita fuere : *Narnien.*, *Juris interessendi et votandi,* 8 *febr.* 1783, *dub.* 1.

10. Ecclesia parochialis S. Bartholomæi Murrivallium in collegiatam erectam constat canonicis, mansionariis et clericis choralibus; cum autem mansionariis jus habere interveniendi, et suffragium ferendi in capitulis, dum agitur de administratione bonorum vel erogatione pecuniarum ad massam communem spectantium, decisum fuerit ; instantibus clericis choralibus, qui beneficia perpetua clericatus nuncupata possident, S. C. idem jus etiam his competere resolvit : ***Firmana, Vocis in capitulo***, 17 *junii* 1797, *dub.* 2, confirmata 19 *nov. ejusd. anni.*

11. Attamen eadem S. C. eorum interventum in capitulo noluit, occasione electionis, et remotionis officialium ; quum hoc jus privative absque eorum interventu ad capitulum spectare firmaverit : *Ibid.*, *dub.* 3.

§ VI.

Beneficiati quoad residentiam et absentiam.

1. Non licet præbendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres menses abesse : *Calaguritana, anni* 1581.

2. Beneficiatos obtinentes beneficia residentiam requirentia ad residendum in illis juxta juris, et Sacri Concilii dispositionem omnino esse cogendos, decernitur : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 3.

3. Dubio ; an saltem in quadragesimæ, et adventus tempore vel in aliis solemnibus festis, possit Ordinarius beneficiatum, qui choro intervenire debet, et in eadem civitate adest et quemcumque alium, qui legitimo careat impedimento, remediis extraordinariis aliquarum pœnarum præscriptarum cogere ; quum alias non curent, quod quidquid residendo, et interveniendo est lucri, aliis accrescat ? respondit S. C. licere etiam per alias pœnas : *Castellanetæ*, *Residentiæ*, 7 *junii* 1659, *dub.* 1.

4. Octo beneficiati adsunt in ecclesia collegiata S. Odæ oppidi Amaniensis, qui neglecta residentia, nullum ecclesiæ præstant servitium, etsi reditus sufficientes habeant; ita ut capitulum coactum fuerit nonnullos conducere præsbyteros ad inserviendum ecclesiæ ; eodem itaque instante capitulo, proposito dubio ; an beneficiati actu existentes eorumque successores adstringi possint ad residentiam ? responsum fuit, ut coadjuventur probationes : *Leodien.*, *Residentiæ*, 7 *julii* 1703.

5. Beneficiati ecclesiæ collegiatæ S. Martini, quorum beneficia a S. C. residentialia declarata fuere, per seipsos inservire recusarunt ; quapropter contra ipsos non residentes, et non inservientes S. C. decrevit procedi debere ad formam litterarum

apostolicarum Alexandri VI [93] Pont. Max. : *Leodien.*, *Beneficiorum*, 27 *martii* 1706, *dub.* 3.

6. Sacerdotes Joachim Arquatus, et Sylvester de Philippis beneficia canonicatus nuncupata erecta in ecclesia parochiali terræ Capistrelli obtinentes onus habent residentiæ, quoad residentiam tantum causativam pro servitio ecclesiæ ad formam decreti Episcopi : *Marsicana*, *Residentiæ*, 16 *julii* 1712, *dub.* 1.

7. Beneficium sub invocatione S. Leonardi in loco Puechack existens, de cujus fundatione nulla extabat memoria, iterum erexit Archiepiscopus, ejus bona instauravit, onusque personale Missarum adjecit. Beneficiatus Bernardinus Pancherius contendens onus prædictum per alium expleri posse, S. C. adiit, ejusque instantia inter summaria precum relata, rescriptum fuit sub *die* 11 *jan.* 1712, beneficium esse residentiale, et Ordinarius procedat ser. ser. contra beneficiatum : iterum institit Pancherius assertam declarationem in actu collationis nullius esse ponderis ostendens ; sed S. Congr. stetit in decisis : *Salisburgen.*, *Residentiæ*, 4 *febr.* 1713, *dub.* 1.

8. Postulavit autem ; an ipse Pancherius per alium onus adimplere posset? et ead. S. C. jussit, ut doceat de legitimo impedimento coram Ordinario : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Duo ex beneficiatis ecclesiæ cathedralis onus canendi tum in cantu Gregoriano, tum figurato, relicta ecclesia, in exteris ditionibus operam suam in publicis theatris locarunt, et anno 1696 quoad prædictos S. C. decrevit, esse locum privationi ad formam Concilii, et sacrorum Canonum [94]. Complures inde abfuerunt beneficati, ad eorum quidem absentiam coercendam postulavit capitulum, ut declararetur esse locum privationi ipso jure a statuto imposita contra absentes, nisi absentiæ causa a capitulo probata fuisset, et S. C. rescripsit, procedendum esse adversus beneficiatos non residentes ad tramites Concilii Trid. [95] ; et quoad beneficiatos in theatris canentes Ordinarius nomine S. C. imponat pœnam privationis eisdem : *Vercellen.*, *Residentiæ*, 1 *octob.* 1720.

10. Quæsitum fuit in S. C., an beneficiati ecclesiæ S. Nicolai terræ Aquævivæ valerent inconsulto præposito substituere sacerdotes exteros in functionibus ecclesiasticis, et a residentia abesse saltem ad notabile tempus? rescriptum fuit : Ad Card. Petram cum facultatibus S. C. [96] : *Ripana, Jur. paroch.*, 15 *decem.* 1725, *dub.* 6, confirmata, additum fuit, ut Episcopus incumberet exequutioni ; necnon ut daretur dubium super immutatione status capellaniarum : 20 *novem.* 1762.

11. Qui beneficia obtinent in collegiata ecclesia S. Martini Leodii jusjurandum præstare debent de inserviendo per se ipsos ad formam declarationis S. C. diei 27 martii 1706 [97] : *Leodien.*, *Beneficiorum,* 1 *martii* 1766, *dub.* 2, confitmata 14 *maii* 1768.

12. Beneficiati ecclesiæ parochialis oppidi Kempensis, *Vicarii* nuncupati, qui ex fundatione habent onus assistendi parocho, vel residendi, si ab ecclesia spatio dierum octo abesse velint, parocho indicare tenentur absentiam, qui suppleat eorum vices, ceteri vero non tenentur : *Colonien.*, 14 *martii* 1767, *dub.* 10.

13. Quod si ad longum tempus abesse voluerint, consensum ab Ordinario obtentum parocho exhibere non sunt adstricti : *Ibid.*, *dub.* 11.

14. Beneficiatus SS. Joan. Baptistæ, et Aloysii loci de Albizate Plebis Galleratæ, qui ex fundationis lege cadere debet a beneficio, si per quindecim dies in Missarum celebratione deficit, ad residentiam non minus, quam ad implendum per alium in casu infirmitatis, Missarum onus tenetur : *Mediolanen.*, *Beneficii*, 18 *aug.* 1781, *dub.* 2.

15. Sacerdos Nicolaus Romani possessor beneficii erecti in ecclesia parochiali S. Mariæ de Trivio, cujus servitium auctoritate ordinaria canonice translatum fuerat ad majorem ecclesiam Veliternam, tenetur ad residentiam præstare in eadem ecclesia cathedrali S. Clementis juxta votum Card. Episcopi : *Veliterna, Residentiæ ac servitii chori*, 20 *martii* 1790, *dub.* 1.

16. Et cogendus est ad dictam residentiam ad formam Concilii Tridentini [98] : *Ibid.*, *dub.* 2.

[93] Quibus Sum. Pont. anno 1493 apostolica auctoritate confirmavit concordiam initam inter capitulum dictæ ecclesiæ, ac decanum ejusdem qua cautum fuerat, quod beneficiati in eorum receptione de personaliter residendo juramentum præstare deberent, et quatenus per tres menses continuos abessent, ex tunc eo ipso obtentis altaribus privati essent, aliique in locum ipsorum a capitulo præsentati per decanum instituerentur : *Ead. causa*, 6 *febr.* 1706, § 2.

[94] Vide not. 49.

[95] Vide not. 49.

[96] Vide not. 77.

[97] Vide num. 5.

[98] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, ubi decretum fuit, quod beneficiati non residentes primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit ; crescente vero contumacia, contra eos, juxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur.

§ VII.

Beneficiati quoad sacros ordines.

1. Beneficium regulare sub invocatione S. Mariæ de Fornellis canonicorum regularium ordinis S. Augustini obtinuit in commendam Hieronymus Grimaldus conditione adjecta, ut infra annum ad sacros ordines ascenderet; ob id requisita S. C., an teneatur ipse ad hoc onus, quod, ut ex immemorabili constat, obtinentibus idem beneficium nunquam impositum fuerat? respondit secundum ea, quæ proponuntur negative: *Alben.*, *Abbatiæ*, 24 *martii* 1703.

2. Cathedralis ecclesiæ beneficiati præteritis temporibus ad sacros ordines suscipiendos minime erant adstricti; verum orta quæstione super hac obligatione S. C. rescripsit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem Card. Præfecti [99]: *Reatina*, 2 *junii* 1731, *dub.* 1. Inde vero decrevit, ipsos in posterum teneri sacros ordines suscipere facto verbo cum Sanctissimo, sine tamen præjudicio beneficiales præbendas tunc temporis obtinentium: 1 *sept. ejusd. anni*.

3. Clericus Jacobus Matthæus ad sacerdotale beneficium in basilica S. Mariæ in Cosmedin nominatus causa infirmitatis indultum obtinuit, ne interim ad sacerdotium ascenderet, inde causa morbi non cessante prorogationem indulti postulavit, et impetravit ad sex menses absque spe ulterioris prorogationis: *Romana*, *Indulti*, 10 *martii* 1759.

4. Beneficiati ecclesiæ collegiatæ S. Martini Leodii, hebdomadarii nempe, *Evangelarii*, et *Epistolarii* nuncupati, in respectivo presbyteratus, diaconatus ordine, vel saltem in ea ætate constituti esse debent, ut infra annum ad respectivum ordinem promoveri possint juxta Conc. Trid. sess. 22, cap. 4 et sess. 24, cap. 12, de *Reform.* [100], quæ locum obtinent etiam in beneficiis ante Concilium erectis: *Leodien.*, *Beneficiorum*, 1 *martii* 1766, *dub.* 1, confirmata 14 *maii* 1768.

§ VIII.

Beneficiati quoad servitium chori [101].

1. S. C. censuit modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio Trid.; dum tamen novem mensibus integris ecclesiæ inserviatur juxta cap. 12, sess. 24 [102]: *Cassanen.*, *Mense junii* 1589.

2. Beneficiati ecclesiæ parochialis S. Pauli urbis Vallettæ, quorum beneficia a Catharina Valenti instituta fuere, tenentur officium divinum solemniter celebrare, et canere in certis festivitatibus ab Ordinario præscriptis non obstante quadragenaria consuetudine contraria: *Melevitana*, *Divinorum officiorum*, 29 *januar.* 1718, *dub.* 2.

3. Punctaturæ indictæ per præcentorem contra Isnad beneficiatum hebdomadarium collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ non sustinentur: *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 1.

4. Indictæ vero per eumdem præcentorem, contra Rousset, Astier et Moulet beneficiatos non sustinentur ex gratia, et in posterum servari debet *Cæremoniale Episcoporum* [103]: *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Beneficiati dictæ ecclesiæ gaudere debent semel in hebdomada vacatione a matutinis; ita ta-

[99] Vide not. 79.

[100] In sess. 22, cap. 4, *de Reform.* habetur, quod Episcopi graviores pœnas imponant obtinentibus beneficia in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, nisi infra annum, justo impedimento cessante, promoti fuerint ad ordinem iisdem beneficiis annexum; et sess. 24, cap. 12, *de Reform.* cautum est, ut « Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit: aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, et ab hac Synodo statutum, initiari valeat. »

[101] Super jure substituendi in chori servitio a S. C. Rituum emanavit decretum, dum agebatur de jure supplendi vices beneficiatorum in patriarchali basilica Lateranensi Urbis tam in servitio altaris, quam in functionibus chori causa controversiarum, quæ inter clericos beneficiatos et capellanos ejusdem basilicæ excitatæ fuerant; ad dubium: « An, et quibus competat supplere vices beneficiatorum in basilica Lateranensi tam in servitio altaris, quam in functionibus chori? » *Competere clericis beneficiatis, et amplius*, respondit S. C. sub die 7 julii 1753 confirmavitque decretum, addendo, *salva præintonatione antiphonarum*. *Die* 17 *maii* 1760.

[102] *De Reform.*, quo statuitur, non licere obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno a suis ecclesiis abesse.

[103] Lib. 1, cap. 26, num. 1, ibi: « Plerumque evenit, ut ex his, qui in aliquo peculiari ministerio, dum officia divina peraguntur, servire solent, sive illi dignitates, sive canonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo impedimento detenti: ut quia absentes, vel infirmi, vel senio languentes, seu aliis justis de causis occupati, munus eis competens obire nequeat. Quo casu, ne debitum ministerium deseratur, dum alter alterius onus, aut curam subire negligit, vel recusat, deficientium vices ab aliis suppleri debent, et nihilominus, si qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem ecclesiæ, in divisione distributionum multandi erunt; et quidem regulariter majores minorum vices non supplent, nisi ex necessitate; sed contra, inferiores superiorum vices subeunt, præterquam in iis, quæ sunt ordinis peculiaria, velut, si in aliqua ecclesia gradus, et ordines distincti sint; nempe dignitates, canonici, presbyteri, diaconi, et subdiaconi, tum beneficiati, et clerici.

men ut duæ ex tribus partibus beneficiatorum semper intersint : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Beneficiati præterea ecclesiæ parochialis oppidi Kempensis, *Vicarii* nuncupati, qui ex fundationis lege habent onus assistendi parocho pro qualibet absentia, etiam in summo sacro diebus dominicis, festis, et quoties Sanctissimum Sacramentum exponitur; punctis notandi sunt : *Colonien.*, 14 *martii* 1767, *dub.* 14.

7. Beneficiati ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis, *Vicarii* nuncupati, et a S. C. perpetui declarati tenentur assidue choro, et ecclesiæ inservire, etiam absentibus canonicis, non autem in festis dumtaxat; quamvis reditus vix ascendant ad annua scut. 42 : *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 3, confirmata 30 *aug.* 1777, *dub.* 1.

8. Onera unicuique ex ipsis imposita per se ipsos adimplere debent : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

9. Postquam vero prima Missa cum cantu celebrata ab ipsis fuerit, tenentur etiam aliis ex consuetudine cani solitis juxta solitum interesse : *Ead. causa*, 30 *aug.* 1777, *dub.* 2.

10. Beneficiati collegiatæ ecclesiæ S. Erasmi Verularum ex fundatione canonici Matthiæ Bisleti unum, et separatum corpus constituentes quoad beneficiorum fructus, quamvis teneantur ecclesiæ inservire prout ceteri beneficiati, non tamen tenentur choro interesse, et inservire Missis cantatis, aliisque functionibus provenientibus ex piorum fundatorum voluntate, nisi admittantur ad participationem emolumentorum pro iis relictorum : *Verulana*, 3 *febr.* 1776, *dub.* 1.

11. Præbendati ecclesiæ collegiatæ S. Antonini Placentiæ virtute transactionis inter eosdem, et canonicos initæ non sunt compellendi etiam multis pecuniariis ad præstandum servitium ecclesiæ in eadem transactione conventum; quum valida haud fuisset concordia judicata, præsertim quoad successores : *Placentina*, 13 *sept.* 1777, *dub.* 3.

12. Beneficium ex fundatione fratrum de Barbatiis erectum in ecclesia collegiata S. Petroni cum onere quotidiani sacri, et servitii chori obtinuit sacerdos Petrus Cossinius, ac inde reductionem servitii chori postulavit, ex quo deductis oneribus scuta 20, pro dicto servitio supersint. Ipse tamen cum prædicto onere beneficium acceptaverat, ac prædecessores illud semper adimpleverant, et S. C. censuit præfatæ reductioni minime esse locum : *Bononien.*, *Reductionis servitii chori*, 16 *junii* 1787. Pontificem Opt. Max. Pium VI. adiit Cossinius, ad obtinendam reductionem; ast remissis ad S. C. precibus, responsum fuit, in decisis : 24 *novem. ejusd. anni.*

13. Proposito dubio, an et quomodo beneficiati ecclesiæ parochialis S. Andræ Roncilionis, ubi adsunt rector, et quinque beneficiati, teneantur præstare servitium per hebdomadam, S. C. respondit : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [104]: *Sutrina*, 21 *april.* 1787, *dub.* 1. Inde prodiit responsum : Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem [105] : 24 *maii* 1788. Tandem rescripsit affirmative juxta decretum Episcopi Sylvestri anni 1753 [106]: 20 *sept. ejusd. anni.*

14. Sacerdos Nicolaus Romani possessor beneficii erecti in ecclesia parochiali S. Mariæ de Trivio, cujus servitium auctoritate ordinaria canonice translatum fuerat ad majorem ecclesiam Veliternam, tenetur servitium præstare in eadem ecclesia cathedrali S. Clementis juxta votum Card. Episcopi [107]: *Veliterna, Residentiæ ac servitii chori*, 20 *martii* 1790, *dub.* 1.

15. Ac cogendus est idcirco ad dictum servitium ad formam sacri Concilii Tridentini [108]: *Ibid.*, *dub.* 2.

[104] Vide not. 75.

[105] Vide not. 76.

[106] Decrevit Episcopus, quod « non essendo la chiesa di S. Andrea eretta in collegiata, ed essendo inessa fondati alcuni benefici, che si godano da preti secolari, quali con il rettore la officiano a guisa della collegiata di questa nostra citta da di Ronciglione, ed essendo i medesimi rettori, e beneficiati gravati di molti pesi, e fra questi per consuetudine immemorabile del peso dell'eddomada, sebbene le prebende siano di molto tenue fruttato; ed inoltre l'esito superi l'entrata ecc., percio con lasciare nel suo primiero immemorabile vigore, ed osservanza la predetta eddomada permettiamo solo all'eddomadario la libera applicazione. » *Ead. causa*, 21 *april.* 1788, § 1.

[107] Qui ait: « Quum beneficium a me oratori collatum est, cum omnibus juribus, honoribus, oneribus, et pertinentiis universis, nec mihi mens esse poterat, nec plane fuit, ut omnia onera cohiberentur ad normam fundationis, quæ non extabat; sed fuit, et esse debebat, ut novus beneficiatus beneficium ita haberet, uti habuerunt ejus immediati prædecessores; quæ mea mens satis expressa haberi poterat per verba cum omnibus oneribus, quibus verbis onera cum vetera, tum nova satis comprehenduntur ac multo magis comprehensum intelligi debebat onus impositum perpetuis futuris temporibus, ut statutum fuit a Card. Berberino : » *Ead. causa*, 20 *martii* 1790, § 3.

[108] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.* disponit, quod : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia; et Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere, et inservire; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. » Cui obligationi minime satisfaciunt, nec lucrantur tam fructus, quos *grossos* vocent, quam distributiones, forte pro sola præsentia alias assignatas juxta statuta, consuetudinem, et fundationem, quos et restituere tenentur, et mortaliter peccant, si nec submissa voce in choro, nec alibi privatim officium recitent, contenti sola materiali præsentia, ut ex Constit. S. Pii V *Ex proximo*, 20 *sept.* 1571 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 179.

§ IX.

Beneficiati quoad vacationes.

1. Præbendato Alexandro Fabritio, et ceteris præbendatis ecclesiæ metropolitanæ quærentibus, an ipsis licuerit, et liceat abesse a servitio ecclesiæ absque licentia capituli per tres menses quolibet anno a S. Concilio permissos non obstantibus assertis constitutionibus capitularibus? S. C. respondit: Dilata, et pro meliori informatione juxta instructionem [109]: *Firmana, Distributionum*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1. Inde prodiit rescriptum licere per mensem tantum, neque requiri licentiam capituli: 2 *decem. ejusd. anni*, confirmata 3 *martii* 1714, *dub.* 1.

2. Ac prætensas constitutiones capitulares, in quibus cavetur, ut non possint præbendati a civitate discedere animo alibi moram trahendi sine licentia capituli haud validas esse pro tempore permisso se absentandi a choro, quam præter dictum tempus S. C. judicavit: 3 *martii* 1714, *dub.* 5.

3. Beneficiatos ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ semel in hebdomada vacatione a matutinis, ita tamen ut saltem duæ ex tribus partibus beneficiatorum semper intersint, gaudere debere S. C. putavit: *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 4.

4. Ac ad dubium; an vacationes dictæ ecclesiæ infra annum esse debeant æquales tam canonicis, quam beneficiatis? S. C. rescripsit, ut servetur solitum: *Ibid.*, *dub.* 15.

5. Quum fuisset quæsitum, an beneficiatis ecclesiæ metropolitanæ sit concedendum indultum vacationis ad tres menses, cum laboriosum sit chori servitium, et absque intermissione mane, vespere, ac etiam media nocte? S. C. distulit resolutionem, ut scriberetur Archiepiscopo juxta mentem [110]: *Valentina, Indultorum*, 18 *julii* 1761, *dub.* 1.

6. Præbendarii ecclesiæ parochialis villæ *de Reus* triginta sunt, et una cum priore collegium constituunt. Quotidie in choro adsunt; hinc ut per duos menses quovis anno vacare possint, petierunt. Annuit S. C. pro quatuor capitularibus vicissim, et pro duobus mensibus tantum et cum solitis clausulis [111]: *Taraconen.*, 18 *febr.* 1764. Clausulæ inde illis non placuerunt; iterum postulant, ut vel moderentur, sive numerus capitularium absentium augeatur, et S. C. clausulas non moderavit; sed numerum auxit ad sex capitulares tantum: 23 *martii* 1765, *dub.* 1.

7. Quum fuisset disputatum, an, quæ, et ad quod tempus concedenda sit beneficiatis *Vicariis* nuncupatis ecclesiæ collegiatæ S. M. V. Tungrensis vacatio a servitio continuo chori? In litteris vero Eugenii IV, Pont. Max., vetitum vicariis fuerit ne absque capituli licentia ab ecclesia se absentare quoquo modo audeant; S. C. respondit: Dilata, et scribatur juxta instructionem [112]: *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 9, ac reproposita causa putavit concedendam esse vacationem duorum mensium statis vicibus, et temporibus a capitulo præfiniendis excepto adventu, et quadragesima: 30 *aug.* 1777, *dub.* 6.

8. Beneficiati ecclesiæ cathedralis, quibus in novis legibus, et constitutionibus capitularibus ab Antistite Antonio Seneca efformatis, observatisque tum a canonicis, tum a beneficiatis, tributum fuerat beneficium vacandi a choro per unicum tantum mensem anno quolibet, supplicarunt, ut sibi concederetur indultum annuæ vacationis duorum mensium, sicuti eo potiuntur canonici, eisque denegatum fuit: *Anagnina, Indulti*, 3 *julii* 1777.

9. Beneficiatis ecclesiæ cathedralis, qui ex ecclesiæ statuto, et sexcentenaria consuetudine nullis gaudebant vacationibus, et chori servitio continuo gravabantur, conceditur a S. C. vacationes per duos menses; amissa tamen tertia parte distributionum: *Illerden.*, *Absentiæ et distributionum*, 3 *martii* 1702, *dub.* 1.

---

[109] Vide not. 70.

[110] Nempe ut S. C. instruat super qualitate residentiæ beneficiatorum, an sit causativa tantum, vel præcisa, et an canonici gaudeant indultis a beneficiatis postulatis. De his faciat S. C. certiorem, exprimendo ulterius ejus votum quoad indultum Jubilationis. *Regist. lit.* lib. 32, die 18 julii 1761.

[111] Quum daretur rescriptum, clausulæ adjectæ sunt: • Ita tamen, ut capitulares omnes tempore adventus et quadragesimæ, omnibus diebus festis, et solemnioribus Nativitatis, et Resurrectionis D. N. J. C., Pentecostes, et Sanctissimi Corporis Christi, et per totam octavam ejusdem, ac aliis temporibus Ordinario benevisis interesse, et jugiter servire teneantur: *Ead. causa*, 23 *martii* 1765, § 3.

[112] Vide not. 74.

BENEFICIATUS JUBILATUS.

Beneficiatus jubilatus, coadjutus et coadjutor.

1. Ad dubium, an beneficiati basilicæ Liberianæ exempti a choro propter servitium quadragenarium gaudere debeant fallentiis aliorum absentium, et portionibus emolumentorum, si personaliter divinis, et anniversariis intersint?

2. An itidem exempti admitti debeant ad delationem pluvialium in vesperis, et aliis ecclesiæ functionibus quatenus sint præsentes, et actualiter inservire voluerint? affirmativum ad utrumque datum est responsum : *Romana, Distributionum,* 10 *maii* 1692, *dub.* 1 *et* 2

3. Nicolaus Argenti basilicæ Vaticanæ clericus beneficiatus post exactum quadragenarium servitium obtenta a S. C. jubilatione, a quocumque etiam ecclesiæ servitio exemptus declaratus fuit, non obstante contraria consuetudine præstandi altari servitium a jubilatis in propria hebdomada, et contradictione alterius ex clericis beneficiatis : *Romana, Jubilationis,* 28 *aug.* 1751.

4. Franciscus Gravenago coadjutor Cajetani Marinoni beneficiati ecclesiæ metropolitanæ cum futura successione, et onere residentiæ, et servitii chori decem et septem annorum spatio ecclesiæ inserviit, sed adversa inde correptus valetudine a Benedicto XIV Pont. Max. indultum recedendi obtinuit. Mortuo coadjuto ceteri beneficiati putarunt, quod beneficium vacaverit, quodque Gravenago adversæ valetudinis causa ecclesiæ inservire non posset, noluerunt itaque illum ad chorum, et ad fructuum partitionem admittere, sed S. C. Gravenago et ad interveniendum in choro, et ad fructuum partitionem admitti decrevit : *Mediolanen., Beneficii seu coadjutoriæ,* 10 *febr.* 1759.

Beneficium, cap. *Odoardus*. Vide *Clerici,* § iii.

BENEFICIUM RESTITUTIONIS.

§ I.

Beneficium restitutionis in integrum [113].

Joannes Coppola annuam præstationem scut. 30 ad augendam solemnem cæremoniam die festi S. Rosaliæ hæredi præcepit hac conditione, ut si ecclesia a Sicula natione amplius non administretur, liberum hæredem ab hoc onere declaravit. Natio prædicta ecclesiam patribus Minoribus observantibus ordinis S. Francisci cessit; idcirco disputatum fuit de caducitate legati, necnon an dictæ nationi sit concedenda restitutio in integrum adversus pacta occasione dictæ receptionis conventa? responsum fuit: Dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem [114], et proponatur citatis patribus observantibus: *Calaritana, Contributionis,* 18 *april.* 1750, *dub.* 2.

§ II.

Beneficium restitutionis in integrum quoad professionem religiosam [115].

1. Fr. Franciscus laicus ordinis B. Petri de Pisis prætendit nullam professionem jamdiu emis-

[113] Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet restitutionis in integrum, per quod omnia in antiquum statum restituuntur. Non temere, ac sine delectu, sed tantum justis de causis in integrum restitutio conceditur. Exemplo Minorum ecclesia etiam eodem beneficio fruitur, ex cap. 1, *De in integr. restit.* cap. 2, eod. tit. in-6, *Clem. unic. eod.* Datur restitutio in integrum etiam contra sententiam principis, aut Summi Pontificis. Datur præterea tam in judicio, quam extra judicium cum quis ex aliquo facto aut contractu læsus est. Hinc regularis qui legitime fuerit impeditus ad reclamandum contra nullitatem suæ professionis intra quinquennium sibi concessum a Concilio Tridentino sess. 25, cap. 19, *de Regul.* allegatis causis dicti sui justi impedimenti, potest restitui in integrum ad reclamandum etiam post quenquennium. Hæc tamen restitutio in integrum non conceditur nisi a Summo Pontifice, vel a S. Congreg. Concilii, aut Episcoporum, et regularium, ut docet praxis et stylus hodiernæ disciplinæ Ecclesiæ, et recte observant Barbosa *in Collect. ad dict.* cap. 19, *Concil. Trid.* num. 9, Fagnan. in cap. *Consuluit* num. 35. *Qui clerici vel voventes*, Reiffenstuel, lib. 1, Decret. tit. 41, num. 91. Et ita declaravit S. C. Concilii in causa relata num. 4, § sequenti.

[114] Idest, ut Episcopus referat, quale sit gubernium, quod modo natio Sicula exercet in præfata ecclesia S. Rosaliæ, exprimendo omnes et singulos actus dictum gubernium respicientes, terminum competentem præfigat patribus observantibus ad deducenda jura sua in S. C. ex *Regist. lit.* lib. 30 die 18 april. 1750.

[115] Vide notam antecedentem num. 113.

sam, ex quo statutam ætatem non expleverat, quam præscribit canonica dispositio [116]; ideo ad proponendam nullitatem suæ professionis in integrum restitui postulavit, et negativum tulit responsum: *Neapolitana seu Romana, Professionis*, 14 *junii* 1681.

2. Scipio Cajetanus de Assaro professionem emisit inter carmelitas Discalceatos, ac reticuit contra ordinis constitutiones se ex adulterio genitum fuisse. Detecta ejus illegitimitate, provincialis supplicavit declarari locum esse illius ejectioni, et dubio proposito; an religio sit in integrum restituenda adversus lapsum quinquennii ad effectum dicendi de nullitate dictæ professionis? affirmativum S. C. dedit responsum, et commisit Ordinario, et superiori locali, ut prævia in integrum restitutione cognoscant causam nullitatis professionis ex dicto capite illegitimitatis; ac postquam illum illegitimum esse, et contra constitutiones ordinis nulliter professum fuisse compererint, e religione eum ejiciant: *Neapolitana, Ejectionis*, 16 *januar.* 1683.

3. Censuit S. C. declarare quinquennium, intra quod regularis prætendens professionem suam fuisse nullam, potest ex dispositione S. Concilii Tridentini audiri, et causas prætensæ nullitatis coram Ordinario, et superiori locali allegare, incipere, et continuo currere a die professionis emissæ, non tantum a die cessantis metus, vel sublati impedimenti, aut impotentiæ reclamandi: *Mechlinien.*, *Restitutionis in integrum*, 22 *martii* 1687, *dub.* 1.

4. Et ad dubium, an cognitio, et concessio restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii competat Ordinario loci, et superiori locali; vel potius sit reservata Sedi Apostolicæ? S. C. rescripsit non posse concedi, nec cognosci restitutionem in integrum, nisi per Sedem Apostolicam, non obstante quacumque consuetudine contraria: *Ibid.*, *dub.* 2.

5. P. Albertus Restanus ex duritia patris tandem inter Carmelitas professus est. Adversus hanc professionem apud amicos, et religiosos continuo reclamavit, et durante patris timore et duritia 17 annos in religione permansit. Post hujus temporis spatium pater de vi, metuque incusso se purgavit, et tunc pater Albertus petiit restitutionem in integrum, quam S. C. non impertivit: *Januen*, *Restitutionis in integrum*, 29 *julii* 1690.

6. Fr. Joseph de Torres a patris persuasionibus, minis, verberibus, et vulneribus inductus religiosum habitum assumpsit in conventu S. Crucis ordinis Prædicatorum, ibique probationis anno expleto professionem emisit, propter quam statim est protestatus, se nunquam consensum præstitisse, et fugiit e conventu; postea restitutus sacris ordinibus est initiatus patre adhuc vivente. Inde in integrum restitui poscit, sed eum S. C. non audivit: *Granaten.*, *Restitutionis in integrum*, 19 *aug.* 1690

7. P. Nicolaus Lopez professus est in religione S. Francisci, et conventu D. Antonii Patavini propter vim, ac metum a patre illatum, a quo ab initio semper questus est. Sed officia religionis exercuit; idcirco S. C. non concessit beneficium postulatum restitutionis in integrum, et, ut Archiepiscopum procedat ad censuras contra patrem, si adhuc vivat, jussit: *Hispalen.*, *Restitutionis in integrum*, 23 *sept.* 1690.

8. Agens annum 11 circiter soror Cæcilia Michaelia jussu genitoris detrusa fuit in monasterium S. Annæ ordinis S. Francisci, in quo idem genitor physicus mercede conductus existebat. Inde minis ab eodem incussis, etiam cum pugione evaginato coacta fuit assumere habitum religionis, et professionem emittere, quod fecit animo tamen adverso, protestans reclamandi, statim ac metus ipse cessaret. Genitor obiit, et eadem quæsivit in integrum restitui, et postulatum beneficium est assequuta: *Ulissiponen.*, *Restitutionis in integrum*, 13 *januar.* 1691.

9. Fr. Bonaventura a Cirenensi minis, et percussionibus sibi a patre, et matre illatis regularem professionem emisit in conventu S. Mariæ de Monte PP. Observ. Reform. S. Francisci, in quo nullum officium, aut dignitatem exercuit, sed majores ordines suscepit, et continuo expostulavit. Modo restitutionem integram efflagitavit, et ei S. C. concessit injungens Ordinario, qui procedat contra cogentes: *Januen.*, *Restitutionis in integrum*, 30 *januar.* 1694.

[116] S. Basilius *Regul. fus. tract.* cap. 15, pag. 337 opp. tom. 2, Paris 1722, S. Ambrosius *de Virgin*, cap. 7, num. 39, col. 275, opp. tom. 3, ed. Venet. 1751, et Alexander III. in cap. 8, *de Regul.* ætatem postulant perfectæ, et absolutæ rationis. Capitula Theodori Cantuariensis apud Harduinum tom. 3, *Concil.* c. 1778, cap. 118, in maribus annos 15, in fœminis 16 aut 17 constituunt ipse Basilius *Ep. ad Amphiloc.* Can. 18, p. 292, opp. tom. 3, edit. indic. annum memorat 16 aut 17, denique Concilium Trid. sess. 25, cap. 15, *de Regul.* annum 16 exactum definivit. Vide Pallavicin. *Histor. Concil. Trid.*, lib 24, cap 6. Verum Tridentini patres cum ætatem constituerunt annorum sexdecim, minime improbarunt peculiares quorumdam ordinum constitutiones, quibus major ætas requiritur, quod et S. Congr. Concilii declarasse, testatur Fagnanus in cap. *Nullus de regul.* num. 15. Conversi autem nequeunt recipi ante vigesimum ætatis suæ annum. Clemens VIII Pont. Max. Const. *Cum ad regularem disciplinam*, in fine § et tertii habet præcisa verba: *Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum.*

10. P. Maurus Rueb professus est inter PP. S. Benedicti in monasterio Sonutelrano, citra tamen liberum monachorum consensum, sed elicitum ex metu tantum reverentiali erga abbatem, qui omni conatu id urgebat, cujus conscientiæ a monachis res commissa fuit. Defuncto abbate nullitatem suæ professionis professus promovit coram vicario Episcopi, a quo ad S. C. instantia fuit remissa. Hæc non esse locum restitutioni in integrum decrevit : *Argentinen.*, *Restitutionis in integrum*, 13 *febr.* 1694.

11. Quum expositum fuisset Franciscam de Vignon adhuc, et vix in decimo quinto ætatis anno constitutam delicatæ nimirum, ac debilis corporis habitudinis ad tirocinium admissam, nullas austeritates fere ob morbos continuos, et præcipue sanguinis vomitus, quibus per tempus tirocinii, et postea afflicta fuit, neque jejunia, neque usum vestis instituti, neque vigilias in nocte, neque abstinentiam carnis et probare, et servare potuisse ; tamen nullo alio tirocinio inchoato ab abbatissa, et monialibus ad professionem admissam fuisse ; discusso proinde dubio ; an petitæ restitutioni in integrum sit annuendum ? affirmativum datum est responsum : *Parisien.*, *Restitutionis in integrum*, 28 *sept.* 1697.

12. Quum soror Victoria Felix passa fuisset stuprum a viro nobili, et præpotenti, inde matrimonium contraxit cum altero viro ; sed postea ab eodem stupratore rapta fuit, demum in monasterium conversarum ab illo fuit dimissa ; ibique solemnem professionem cum mariti consensu emisit. Post integrum septennium intentavit suam professionem infringere, tum ob vim, et metum sibi, ut asseritur, a stupratore violenter incussum ; hinc petita restitutio in integrum ei fuit concessa : *Mantuana seu Veronen.*, *Professionis*, 25 *januar.* 1698.

13. Fr. Ludovicus a Rosan religiosus professus in ordine S. Francisci, *Cordigerorum* nuncupato, ob vim, metumque sibi a matre, et fratre incussum reclamasse testatur intra quinquennium coram vicario civitatis Carnotensis. Nuper vero illis defunctis, ut in integrum restituatur, petiit ; et S. C. posteaquam exhibendas esse probationes decreverat, ejusdem precibus annuit : *Bajocen.*, *Restitutionis in integrum*, 16 *januar.* 1700.

14. Fr. Archangelus Galvani solemnem emisit professionem in conventu B. M. de Monte Carmelo congregationis Mantuæ, quam postea ratam habuit ; inde coram Ordinario institit pro declaratione nullitatis ejusdem professionis, ac ratihabitionis tanquam per vim, et metum sibi a matre, et fratribus illatum elicitæ ; sed judicium deseruit, ac in religione usque ad obitum matris permansit, quo tempore animum recepit, et S. C. adiit, quæ oratorem indigere restitutionis in integrum respondit : *Mantuana*, *Restitutionis in integrum*, 16 *jan.* 1700, *dub.* 1, confirmata 9 *julii* 1701.

15. Et ei esse concedendum resolvit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

16. Fr. Joannes Maria Ferrarius clericus regularis Cruciferorum ministrantium infirmis emissa professione regulari per vim, et metum, ut supponit, a patre incussum, obsecravit, ut S. C. in integrum restituatur ; et S. C. receptis probationibus, et processu, religione non contradicente, ut Archiepiscopus procedat juris remediis contra patrem, mandavit : *Mediolanen.*, *Restitutionis in integrum*, 6 *febr.* 1700.

17. Fr. Jacobo Philippo Salvio ex Minoribus conventualibus S. Francisci post viginti, et ultra annorum in religione perseverantiam supplicanti restitutio denegata fuit ; etiamsi professus fuerit, ut aiebat, per sex menses, et dies 11 ante completam ætatem 16 annorum, sub fundamento ignorantiæ nullitatis suæ professionis desumptæ ex quadam fide baptismatis ab eo producta, in qua ultimus numerus aritmethicus est visibiliter adulteratus, et abrasus, ita ut pro anno 1662 factus fuit an. 1663 : *Assisien.*, *Restitutionis in integrum*, 3 *april.* 1700.

18. Pater Antonius Esparvier professionem solemnem emisit in religione patrum Prædicatorum S. Dominici per vim, et metum incussum juxta juratas testium depositiones, mediantibus minis, ac verberibus, privatione necessarii victus, ac exhæredatione. Ad petitionem in integrum restitutionis responsum tulit, ut coadjuventur probationes, addendo ad mentem [117] : *Aquen.*, *seu Arelaten.*, *Restitutionis in integrum*, 4 *sept.* 1700. Inde beneficium postulatum fuit impertitum : 19 *febr.* 1701.

19. Minime obtinere valuit a S. C. restitutionis in integrum beneficium pater Carolus Emmanuel a S. Amadeo in seculo Marcus Antonius ex marchionibus de Incisa ad effectum destruendi suam professionem in congregatione Scholarum piarum emissam. Exposuerat enim non habuisse completam ætatem juxta Constitutiones Alex. VII, Pont. Max., annorum 18, ac tirocinii interruptionem, quod minime in conventibus designatis peregit. At ei ratihabitio per ipsum Florentiæ facta obstabat : *Januen.*, *Restitutionis in integrum*, 26 *junii* 1700.

20. Nullitatem professionis ex duplici capite allegavit Fr. Joannes Baptista a S. Maria laicus, et conversus ordinis Eremitarum S. Augustini. Primo

[117] Mens est, ut exhibeatur breve, seu licentia transitus ad aliam religionem : *Ead. causa*, 29 *januar.* 1701, § 2.

quia eam coram seniore fratrum conventus Januæ, uti vice superiori, absente superiore, seu priore emisit; secundo quia annus probationis notabiliter fuerat interruptus. Postulata igitur in integrum restitutio illi fuit denegata : *Januen.*, *Restitutionis in integrum*, 25 *sept.* 1700.

21. Ludovica et Maria de Magallanes coactæ fuerunt ab ipso patre ingredi monasterium divi Honufrii civitatis Pacensis, ubi professionem emittere ob vim, metumque grave incussum devinctæ fuerunt, et de qua semper querimonias habuerunt, et pater, quum in ipso esset mortis limine, coram notario, atque testibus filias compulisse declaravit. Hinc effusas earum preces S. C. excepit in integrum illas restituendo : *Elven.*, *Restitutionis in integrum*, 9 *april.* 1701.

22. Quum Fr. Dominicus Ximenes postulasset, ut in integrum restituatur adversus elapsum quinquennii ad redarguendam de vitio nullitatis suam professionem propter metum sibi incussum a genitoribus emissam in conventu Ubedæ carmelitarum Discalceatorum, de qua necessaria habentur documenta, S. C., ut doceat de reditu ad claustra, respondit : *Giennensis*, *Restitutionis in integrum*, 9 *april.* 1701.

23. Fr. Michael Carassa religionem seraphicam S. Francisci in conventu civitatis Cordubæ per vim et metum a patre incussum ingredi coactus fuit. Id fecisse ad evadendam mortem intentatam a patre ipsum insequente pugione denudo testatur ; qua de causa fugam arripuit a domo paterna, et habitum assumpsit, et professus est. Quum inde post dimidium primi anni patri significasset, velle judicium super nullitate professionis instruere; pater ita fuit ira commotus, ut Michael relicta religione habitum secularem suscepit, et aufugit; postmodum fuit restitutus. S. C. ad preces prædicti protelavit definitionem, et, ut orator doceat, quare tamdiu distulerit reclamare post mortem patris, mandavit : *Corduben.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *maii* 1701. Inde affirmativum datum fuit responsum ; nam post patris mortem præpeditum fuisse infirmitatibus docuerat : 17 *dec. ejusd. anni.*

24. Fr. Bonaventura in seculo Nicolaus Pulica sacerdos professus ordinis Minorum de Observantia provinciæ Sardiniæ prætendens nullam esse suam professionem ante expletum annorum 16 emissam, a qua inscius non reclamavit ; modo petiit in integrum restitutionem exhibens necessarias probationes, S. C. tamen minime beneficium exoptatum indulsit : *Turrinata*, *Restitutionis in integrum*, 7 *maii* 1701.

25. Maria Amata Caissel monialis professa in monasterio Carmelitarum oppidi Grayacen, post spatium 13 annorum a die emissæ professionis, quam causa metus, ac vis a genitrice illatæ fecit, poposcit in integrum restitutionem, a qua vi metuque reclamare non valuit. Hinc probatis minis, violentiis, matrisque asperitate, quæ verberibus, privatione obsonii filiam tractavit, nec non ejusdem filiæ lacrymis, querelis, S. C., censuit petitum restitutionis beneficium ei concedendum : *Bisuntina*, *Restitutionis in integrum*, 9 *julii* 1701.

26. Contendens Fr. Joseph Cavallinus ordinis Eremitarum S. Augustini congregationis Lombardiæ professionem emisisse in conventu S. Agnetis Mantuæ per vim, metumque sibi a noverca, et genitore incussum, postulavit restitutionem in integrum, sed rescriptum prodiit, ut coadjuventur probationes : *Mantuana*, *Restitutionis in integrum*, 4 *februar.* 1702. Deinde petitioni S. C. annuit ; quum satis constaret de metu gravi incusso, nempe de verberibus, de ejectione e domo, de percussione cultri usque ad sanguinis effusionem, deque ejusdem expostulationibus : 1 *april.* 1702.

27. Denegavit S. C. in integrum restitutionem F. Ludovico Tunc, qui solemnem professionem emiserat in conventu S. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum civitatis Aquensis, ac ordines sacros susceperat ; postmodum ex quadam voce professum esse ante legitimam ætatem notitiam habens, professionem ratam habere renuit : *Aquen.*, *Restitutionis in integrum*, 18 *febr.* 1702.

28. Posteaquam soror Hieronyma Bernarda Antunes monialis professa in manasterio Matris Dei ordinis S. Dominici urbis S. Lucar de Berrameda ad infringendam suam professionem tanquam emissam per vim, et metum sibi a parentibus incussum, et signanter ab amita, penes quam educabatur, restitutionem in integrum minime reportare a S. C. potuerat, *die* 14 *nov.* 1699 ; sub novo examine rediit causa, et eadem S. C. recessit a decisis, et beneficium petitum concessit, comprobantibus gravibus minis, et asperitatibus a matre illatis : *Provinciæ Bethicæ*, *Restitutionis in integrum*, 11 *martii* 1702.

29. Susanna Maria a S. Petro in seculo Susanna Poulleaux habitum regularem suscepit in monasterio S. Ursulæ oppidi S. Stephani de Furano, inde professionem emisit, ac munera exercuit. Putabat annos 17 habuisse, quum vix annum 15 attingeret. Nam requisita fide baptismatis illa comperiit se nulliter professam fuisse, et nunquam voluit ratam professionem habere ; hinc restitui elapso quinquennio in integrum enixe studuit, et S. C., ut coadjuventur probationes juxta instructionem [118] jussit ;

[118] Scriptum fuit Episcopo, ut recognita fide baptismi oratricis tam super arithmetico numero diei, et anni,

Lugdunen., *Restitutionis in integrum*, 11 *martii* 1702. Ac postea beneficium restitutionis ei impertitur : 18 *nov. ejusd. anni.*

30. Nicolaus de Franchis degens in conventu ordinis Eremitarum S. Augustini civitatis Arimini, ac illi aggregatus spatio plurium annorum inservivit in exercitio Fabri Murarii indultus vulgo *Tonichetta* nigri coloris libertate gaudens, quin constaret tirocinium peregisse, aut inchoasse. Modo nuptias contrahere exoptat; et patres publicum afferunt instrumentum, quod eumdem Nicolaum velle profiteri, ac vovere postulasse, et indutum fuisse habitu regulari, ac professum esse omni meliori modo testimonium perhibet; interrogata proinde S. C. pro restitutione in integrum, censuit audiendam religionem, et coadjuvandas probationes præsertim quoad tirocinium esse : *Ariminen.*, *Restitutionis in integrum*, 17 *junii* 1702. Deinde ut redeat ad claustra, et postea instet, præcepit : 20 *dec.* 1704.

31. Quoad postulationem restitutionis in integrum Joannæ Castrocucci professæ in monasterio S. Claræ urbis Neapolis ad effectum probandi nullitatem suæ professionis emissæ per duos menses ante completum annum tirocinii cum brevi apostolico dispensationis, sub motivo subreptionis dicti brevis, ut asserit, quia eam dispensationem ignoravit, S. C. respondit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [119], et extrahatur formaliter partita professionis : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 17 *junii* 1702. Iterum protelando decreto mandatur, ut extrahatur formaliter citatis interesse habentibus partita professionis : 16 *junii* 1703. Deinde restitutionem petitam haud concedere S. C. credidit : 17 *maii* 1704.

32. Causa proposita, in qua patri Francisco Mainardo ab anno 1672 in ordine Minimorum professo, et professionem suam tanquam per vim, et metum sibi a patre incussum exortam irritare volenti, S. C. usque *sub die* 20 *junii* 1682 restitutionem in integrum denegavit. Nam aderant multiplices expressæ ratihabitionis actus. Postea rediit orator, et responsum : Dilata et coadjuventur probationes juxta mentem [120] tulit : *Anconitana*, *Restitutionis in integrum*, 28 *julii* 1702. Denique confirmatur primum responsum : 20 *sept.* 1704.

33. Inficiata est S. C. in integrum restitutionis beneficium Fr. Joanni a Ripa sacerdoti, et professo ordinis S. Francisci Minorum de Observantia; licet genitores in eum vim, et metum adhibuisse, tam cum terroribus, quam cum assiduis verberibus assereret, de quibus depositiones testium exhibebat : *Theatina*, *Restitutionis in integrum*, 30 *sept.* 1702.

34. Quum ex processu constaret de malis rationibus, minis, verberibus, usque ad sanguinis effusionem, aliisque impropriis modis, quibus pater Joannes Coutures advocatus in parlamento, et regius judex in terræ Burgi Burdegalensis diœcesis, necnon Maria mater coegerant filium Fr. Modestum ad emittendam professionem in ordine S. Francisci minoris Observantiæ, in qua suscepit omnes sacros ordines; S. C. illum et restitui in integrum, ac Ordinario, ut procederet contra matrem ad formam sacrorum Canonum [121], existimavit : *Burdegalen.*, *Restitutionis in integrum*, 18 *nov.* 1702.

quam super illius tenore examen denuo servatis servandis et formaliter recipiat super scientia, quam oratrix habuit de fide baptismi, quomodo scilicet ipsa notitiam habuerit a quo, et qua occasione fidem hujusmodi requisierit, an de hac re cum aliquo loquuta fierit, et an post scientiam deficientiæ ætatis orta, et professionem, ut supra emissam ratam habuerit : super his novum processum conficiat, et ad S. C. transmittat : *Regist. lit.* lib. 23, *die* 11 *martii* 1702.

[119] Ut coadjuventur probationes super asserta ignorantia, et respective scientia oratricis, de quomodolibet tempore habuerit notitiam prætensæ subreptionis, qua occasione, quo modo, et a quibus personis, et extrahendam esse formaliter a libris monasterii partitam professionis ab ea emissæ; transmittat exemplaria consimilium partitarum professionis, si quæ adsunt, emissæ ab aliis monialibus cum hujusmodi dispensatione, et ulterius edoceri; an oratrix permanserit titulo educationis in aliquo monasterio, et quæ regulæ laxiores nempe, vel strictiores monasterii S. Claræ in eo serventur, ac rursus an adsint consanguinei oratricis, qui possint jus habere super hæreditate parentum dictæ monialis, quo casu ipsis terminus competens præfigatur ad jura in S. C. easdem probationes nemini expositas sigillo munitas transmittat, et super ceteris instructam reddat S. C. : *Regist. lit.* lib. 23, *die* 17 *junii* 1702.

[120] « Et mens est, ut examinentur testes formaliter, extrahantur partitæ tam obitus patris, quam ratihabitionis professionis, et doceatur quo jure sit admissus Pad. Severinus ad suffragandum : *Ead. causa*, 30 *aug.* 1704.

[121] Vigore capitis 1, *de His quæ vi, metusve*, et Synodi Tridentinæ sess. 25, cap. 18, *de Regul.*, quo capite anathemati subjicit omnes, qui invitam mulierem cogunt, « præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, » quique in eo facinore opem, consilium, auctoritatem, consensum præbent : insuper cogentes, vel retrahentes viros, graviter peccant, et possunt ab Ordinariis puniri juris remediis, idest censuris, ut pluries respondit S. C. Concilii, et signate in *Hispalen.*, 23 *sept.* 1690, ibi *Archiepiscopus procedat ad censuras contra patrem, si adhuc vivat*, et in *Bononien.*, 16 *septemb.* 1690, ibi *Archiepiscopus procedat contra matrem cogentem prout de jure*, et in *Mediolanen.*, 7 *febr.* 1700; ibi, *Ordinarius procedat juris remediis contra patrem cogentem.* Ita Ferrarius *Biblioth.* verbo *Professio regularis*, num. 97.

35. Instante Hieronyma Falsona moniali professa in monasterio S. Ursulæ ordinis Hierosolymitani ob vim, et metum, ut affirmat, sibi a genitore incussum pro restitutione in integrum reportanda S. C. primum rescripsit, ut examinentur omnes testes formaliter coram Episcopo nomine S. C. juxta instructionem D. secretarii [122] : *Melevitana, Restitutionis in integrum*, 18 *nov.* 1702. Postmodum cum constaret de verberibus, aliisque coactionibus, ut professionem emitteret, et vivente patre tempus alienum fuerit expostulandi, beneficium postulatum S. C. ei indulsit : 15 *sept.* 1703 [123].

36. Suscepit habitum regularem in congregatione clericorum Theatinorum in domo monachii in Bavania P. Johannes Baptista Lerchenfeld, professionemque emisit, sed habita per eumdem notitia se intra quartum gradum descendere a majoribus hæresi lutherana infectis, absque eo quod appareat ullo unquam tempore dispensatum fuisse contra ordinis constitutiones, petiit breve a religione egrediendi; et rescriptum habuit, ut instet pro restitutione in integrum coram S. C. quæ oratori, ut examinentur testes formaliter, dixit : *Frisingen.*, *Restitutionis in integrum*, 19 *maii* 1703 [124].

37. Fr. Januarius a S. Hieronymo, posteaquam professionem in religione Scholarum piarum emiserat, evertere eamdem duplici ex capite conatus est; primo ob defectum illegitimitatis contra ordinis statuta, quod causa baptismatis fidei falsæ ignoravit; secundo propter vim, metumque a consanguineis incussum, de quo exhibet testimonia ; S. C. tamen illum restituere in integrum noluit : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 19 *maii* 1703.

38. Supplicante Fr. Andrea Lodo regulari professo in religione Servorum pro institutione in integrum referenda ob professionem nulliter, ut aiebat, per vim, metumque patris emissam mediantibus verberibus, atque minationibus, nulla emanata resolutione, ut coadjuventur probationes S. C. rescripsit : *Savonen.*, *Restitutionis in integrum*, 16 *junii* 1703.

39. Fr. Alexander Sabuccius sacerdos regularis professus in religione tertii ordinis S. Francisci prætendere cœpit nullam fuisse suam professionem, quia agente tirocinio tempore bacchanalium aliquoties extra conventum domi suorum fratrum pernoctavit; hac de causa restitui in integrum exoptans supplex fuit apud S. C., quæ instantiæ non obsecundavit : *Tyburtina, Restitutionis in integrum*, 7 *julii* 1703.

40. Solemnem emisit professionem Fr. Franciscus Castaldus in religione clericorum regularium ministrantium infirmis civitatis Neapolis, in qua tum minoribus, tum majoribus ordinibus fuit insignitus ; inde fretus vi, metuque a Nicolao fratre majori incusso, necnon judiciali sua protestatione petiit in integrum restitui; at S. C. eum audire renuit : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 7 *julii* 1703.

41. Exoptans Paulus Romanius sacerdos professus in conventu S. Bernardini PP. minoris Observantiæ civitatis Senarum restitui in integrum adversus quinquennii lapsum, ut reclamare contra suam professionem per vim, metumque patris, fratrisque elicitam valeat ; quia ex processu gravem fuisse metum, ac ipsius renuentiam professionem ratam habendi desumitur, S. C. indulsit juxta petita justificatio prius coram Card. Præfecto tempore obitus tam patris, quam fratris : *Senen.*, *Restitutionis in integrum*, 1 *decem.* 1703.

42. Postulavit Nicolaus Pont religiosus professus ordinis Præmonstratensis strictioris observantiæ pro restitutione in integrum referenda ad effectum deducendi prætensam nullitatem suæ professionis emissæ, ut aiebat, quia genitrix vim, et metum ei incussit. Inter quinquennium ille dequestus est extrajudicialiter, et postea aufugit cum puella, et vi reductus fuit ad monasterium, a quo iterum discessit, et matrimonio contracto prolem accepit. Hujus preces S. C. primum haud excepit : *Tullen.*, *Restitutionis in integrum*, 15 *decem.* 1703. Deinde vero beneficium restitutionis impertivit : 23 *jan.* 1706.

43. Denegandam censuit S. C. in integrum restitutionem Fr. Johanni Camillo sacerdoti professo ordinis Minimorum conventualium, qui contendebat professionem emisisse ante ætatem a Concilio Tridentino præscriptam, licet in religione usque ad præsens, ubi sacros ordines suscepit, ac munera religiosa sustinuit, manserit : *Assisien.*, *Restitutionis in integrum*, 12 *jan.* 1704.

44. Professionem, quam in religione ordinis

[122] Testes inductos ab oratrice S. C. nomine cor. se formiter, et ser. ser. examinet super probationibus faciendis, et signanter a quo tempore oratricis pater decesserit, ac post obitum ejusdem officia exercuerit, et vota renovaverit, an metus fuerit incussus tempore emissæ professionis, ut an durante tempore tirocinii, et quinquennii pater erga filiam rigidum se ostenderit, et ipsa inter novitias, et moniales de violentiis, et metu conquesta fuerit, et processum ad S. C. transmittat : *Regist. lit.* lib. 23, *die* 18 *novem.* 1702.

[123] Advocatus Dominicus Ursaya validas exposuit rationes in favorem mulieris, cujus partes suscepit, in sua *Discept. Eccl. XXI* tom. 2, part. 2, per tot usq. ad num. 54.

[124] Advocatus Dominicus Ursaya hanc suscepit causam in favorem P. J. Baptistæ, et sua jura leguntur, *Discept. Eccl. XV*, tom. 2, part. 1, per tot.

S. Basilii legitime, ac solemniter emisit P. Carolus de Matthæis novissime nullam prætendit, veluti emissam ante ætatem 16 annorum ex defectu 22 mensium et ultra, idcirco in integrum restitui curavit, sed incassum. Abnuit enim S. C., et Ordinario mandavit, ut conficiat processus tam contra abbatem, quam contra parochum super fidei falsitate : *Mileten.*, *Restitutionis in integrum*, 15 *martii* 1704.

45. Genitore cogente mediantibus repetitis violentiis ac minis cum effectiva e propria domo ejectione, alimentorumque denegatione Fr. Joannes Antonius a S. Petro prætendit professionem emisisse in religione ordinis S. Basilii anno 1693 ; hinc elapso quinquennio beneficium restitutionis in integrum pluribus exhibitis depositionibus poscit. Sed S. C. examinandos esse in curia Card. vicarii testes, ac patrem oratoris formaliter citatis interesse habentibus putavit : *Romana*, *Restitutionis in integrum*, 9 *aug*. 1704.

46. Instante Paulo Dentice sacerdote professo in religione clericorum regularium Theatinorum pro beneficio restitutionis in integrum adversus quinquennii, et ultra lapsum, ut prætensam suæ professionis nullitatem ratione vis, metusque a parentibus incussi judicialiter abrogare valeat, S.C. non esse locum petito beneficio respondit : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 9 *aug*. 1704.

47. Fr. Antonius a sancto Vito in seculo Joannes Maria Zonta emissa professione regulari inter patres Cappuccinos de sero, quam id se metu, et vi fecisse contendebat, nempe compulsum a comminationibus, verberibusque sibi a Fr. Cosmo pariter cappuccino germano fratre illatis, beneficium restitutionis in integrum postulavit, sed S. C. ivit inficias : *Vicentina*, *Restitutionis in integrum*, 20 *sept*. 1704.

48. Alexander de Judice patruus, et tutor legitimus Vincentii Friderici, et Joannis Lælii ex fratre nepotes, postquam primus regularem habitum inter patres Theatinos susceperat, prædictum Lælium minis, verberibus, atque sævitiis adegit, ut habitum inter patres S. Augustini civitatis Januæ assumeret, et, ut inde profiteretur, obtinuit. Huic Lælio supplicanti post lapsum quinquennii S. C. restitutionem in integrum denegavit ; etiamsi plurima reclamationis edidisset signa : *Januen.*, *seu Mediolanen.*, *Restitutionis in integrum*, 29 *nov*. 1704.

49. Vis, metusque mortis a patre et fratre illatus valuit, ut Mariana Ossorio, et Obregon ætatis annorum 14, contrahere de præsenti matrimonium cum Alphonso Callego potuisset. Sed, quum ejusdem consummationem Mariana abhorreret, in monasterium S. Mariæ Magdalenæ, et purissimæ Conceptionis urbis Alcazar se recepit, ubi habitum regularem assumpsit, non ut profiteretur, a quo proposito geminas amicas novitias divertit ; sed pater illam reluctantem, et collacrymantem ad profitendum impulit. A professione reclamavit, atque protestata est. Inde a S. C. integrum restitui quæsivit, et responsione ad aliud tempus procrastinata, ut transmittatur processus autographus, et exprimatur causa, cur per biennium tacuerit, S. C. præcepit : *Toletana*, *Restitutionis in integrum*, 29 *nov*. 1704.

50. Soror Arnoldina de Gouder monasterium S. Francisci oppidi Stralensis jubente, et instante matre citra profitendi animum ingressa, habitum regularem suscepit ; sed declaravit invitam, ac per vim, et metum matris assumpsisse, semperque ostendit suam ab illa vitæ ratione repugnantiam, ac aversionem ; ac protestationes, querelasque, necnon professionem ipsam inter easdem lacrymas, ac mortis desiderium emisit ; ideo defuncta matre ex animo, ut in integrum restituatur, exoravit ; et S. C., ut coadjuventur probationes juxta instructionem, respondit : *Antuerpien. seu Ruremonden.*, *Restitutionis in integrum*, 10 *jan*. 1705. Plene Episcopus satisfecit, et omnia in favorem petitionis puellæ inventa fuerunt, et in integrum fuit restituta : 10 *julii* 1706.

51. Quum in studiis Thomas Grandiean del Isle nihil proficeret, pater aliquam religionem, ac præsertim dominicanam ingrediendam proposuit, qua de causa in vinariam cellam eum detrusit, ubi contexto ex viminibus flagello denudatum asperrime percussit, donec voluntatem flecteret juvenis, et occlusum ibi deseruit per tres dies, cui familiares per foramen quoddam escam ministrabant. Tandem abjectus animum regularem professionem prævia assumptione habitus, ac tirocinio emisit. Modo pater consensum præstitit, ut reclamaret ; hinc efflagitatæ in integrum restitutioni S. C. assensa est ; addens, ut Ordinarius juris remediis procedat contra patrem : *Antissiodoren*, *Restitutionis in integrum*, 24 *januar*. 1705.

52. Joseph Ignatius de Ambrosiis per vim, metumque, ut comprobat, Ferdinandi, et Augustini fratrum majorum in se continuo etiam armata manu sævientium ad profitendum in conventu patrum Carmelitarum primi instituti civitatis Asculi compulsus fuit, de quo deponunt testes nullum animum profitendi ostendisse ; S. C. vero restitutionem in integrum denegavit : *Asculana*, *Restitutionis in integrum*, 14 *martii* 1705.

53. Frater Joachim Lancetta in conventu S. Augustini majoris ordinis Eremitarum S. Augustini Neapolis cum alieno animo professionem emisit. Vis, et metus a matre illatus eum impulit, quæ minata

est eum e domo paterna ad bellum missurum, quatenus egredi e conventu obtinuisset; qua de causa superiores nonnisi minores ordines ei contulerunt; inde efflagitavit beneficium restitutionis in integrum, et reportare minime valuit: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 16 *maii* 1705.

54. Fr. Alexander Maria Castellatius filius naturalis Alexandri de Serpontibus suadente dicto patre religionem PP. Servorum ingressus est, et non obstante sua repugnantia hortationibus, minisque professus est. Ab hac professione reclamavit, et in assumptione ordinum approbare eam abnuit. Imploravit inde in integrum restitutionem, sed nihil obtinuit: *Mediolanen.*, *Restitutionis in integrum*, 6 *junii* 1705.

55. Prætendens Fr. Nicolaus Paganus terræ Fortiæ de Agro se suscepisse habitum ordinis Eremitarum S. Augustini ad declinandas acerrimas Augustini genitoris, et Franciscæ novercæ sævitias, preces obtulit, ut in integrum restituatur. Docet enim de minis, verberibus, contumeliis, ac novercæ crudelitatibus, necnon de conquestionibus, ac querelis. Sed S. C. mandavit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [125]: *Messanen.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *febr.* 1705. Postea idem responsum prodiit [126]: 8 *maii* 1706. Demum instantia rejecta fuit: 21 *aug. ejusd. anni*.

56. Soror Catharina de Guillermin a Sanctissimo Sacramento professionem emisit in monasterio S. Catharinæ Senensis ordinis S. Dominici Tolosæ. Sed solemnibus votis se obligavit per vim, et timorem a Joanne patre regio Tolosæ consiliario incussum, ut ipsamet soror Catharina nedum gemitibus, sed etiam conquestionibus, et reclamationibus extrajudicialibus omnibus continuo declaravit; ita ut in mœrorem incidit, ac in adversam valetudinem, nec unquam suum animum etiam variatis institutis religioni claustrali accomodare valuit; propterea petita restitutione in integrum, S. C. eam indulsit: *Tolosana, Restitutionis in integrum*, 18 *julii* 1705.

57. In conventu Lancianensi ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Martinus Joan. Antonius Antoninis solemnem votorum formulam religiosi concepit. Hanc se metu, et vi a patre sibi illato fecisse contendit, adducens tantum probationes contumeliarum, ac dicti genitoris sævitiarum. Elapso quinquennio beneficium restitutionis in integrum precatus est. S. C. autem id negavit addens, ut Ordinarius procedat prout de jure contra patrem: *Theatina, Restitutionis in integrum*, 3 *oct.* 1705.

58. Joannes filius Josephi Tonelli ætatis 16 annorum mortis metu a Jacobo fratre natu majori sibi armata manu illato, ut religionem ingrederetur, minisque, verberibusque patris assumpto habitu in conventu B. M. S. romani ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, inde solemnia religiosi vota nuncupavit, ordinesque sacros suscepit. At eo animo semper fuit, ut, si mors illorum contigisset, a religione egredi vellet. Hunc supplicem S. C. in integrum restituit: *Sancti Minatis, Restitutionis in integrum*, 3 *oct.* 1705.

59. Posteaquam immaniter sævierant Lazarus patruus, et Joannes Ludovicus frater contra Joannem Dominicum de Trebiis, tandem solemnem hic emisit professionem inter patres Conventuales S. Francisci Bononiæ. Non destitit statim continuo protestari, ac reclamare eisdem patruo, et fratre obsistentibus. Defuncto vero patruo, et stimulis conscientiæ agitato fratre veniam obtinuit implorandi in integrum restitutionem. Et S. C. protelans decretum, ut coadjuventur probationes juxta mentem dixit [127]: *Bononien.*, *Restitutionis in integrum*, 2 *maii* 1705. Postmodum S. C. censuit in integrum esse restituendum, et quoad Joannem Ludovicum Archiepiscopus procedat prout de jure: 17 *april.* 1706.

60. Blasius Columbinus, ut evaderet sævitiam Dominici patris, qui terrorem verborum, formidinem mortis armata etiam manu filio intulerat, ut ad religionem ingrediendam illum compelleret, Romam profectus est, inter laicos clericorum regularium ordinis PP. ministrantium infirmis habitum assumpsit, et comperto semper per litteras animo patris obfirmato, ut profiteretur, professionem emisit. Quinquennium elapsum est; ob id S. C. rogavit, ut in integrum restitueretur, sed incassum: *Romana seu Lucana*, *Nullitatis professionis*, 17 *april.* 1706, confirmata 5 *maii* 1708.

61. In conventu Asculæ provinciæ Brixiensis ordinis Minorum observantium S. Francisci Fr. Richardus a Brixia, in seculo Carolus Ugerius solemnem emisit professionem, quam nullam esse ait contra formam Constitutionis Clementis VIII, Pon-

[125] Quæ fuit: « Ut circa tempus suscepti a dicto Fr. Nicolao habitus regularis, ac mortis Augustini ejus patris, citato superiore locali, easdem probationes confoveri curaret. Processumque ab ipso rursus construendum postea transmitteret. » *Ead. causa*, 8 *martii* 1706.

[126] Sunt coadjuvandæ probationes, signanter circa tempus, quo orator dimisit habitum, et egressus fuit a religione, necnon circa tempus, quo pater decessit prævia exhibitione fidei obitus ejusdem, et probationes receptas transmittat: *Regist. lit.* lib. 23, *die* 8 *maii* 1706.

[127] « Mensque fuit, ut Card. Archiepiscopo scriberetur, quod Joannem Ludovicum Trebbium, qui Fr. Josepho Mariæ fratri suo metum incussisse confessus fuerat, in carcerem conjici curaret processumque conficeret, et transmitteret. » *Ead. causa*, 17 *april.* 1706, § 1.

tifex Max. [128], quia receptus haud fuit in conventu designato pro professorio, et bonam fidem habuisse testatur. Elapso quinquennio preces fudit, sed eas S. C. non excepit: *Brixien.*, *Restitutionis in integrum*, 11 *sept*. 1706.

62. In conventu civitatis Neocastri religionis Minorum observantium reformatorum S. Francisci emisit professionem Clericus Fr. Ludovicus a Claravalle compulsus metu, minisque sacerdotis Dominici Marchiosavæ sui germani fratris majoris natu, qui moribus asper erat. Petiit propterea restitutionem in integrum, et S. C. rescripsit, Episcopo Neocastri, ut audito superiore locali, receptisque formaliter, et servatis servandis probationibus per oratorem inducendis, S. C. distincte reddat instructam, animique sui sensum aperiat: 14 *junii* 1704. Postmodum re perpensa eadem S. C. indulgere beneficium abnuit: *Neocastren.*, *Restitutionis in integrum*, 12 *febr*. 1707.

63. Instantiæ Fr. Laurentii Jordani professi in conventu Pacis ordinis S. Joannis de Deo Neapolis S. C. bis rescripsit: Dilata, et coadjuventur probationes, addendo ultimo loco, *juxta mentem* [129]: Nam emisisse professionem per vim, et metum a genitore incussum autumabat: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 6 *febr*. 1706, et 26 *febr*. 1707. Deinde probatis violentiis, ac conquestionibus ab eo factis beneficium restitutionis in integrum indulsit: 12 *april*. 1710.

64. Ursula Theresia Raniera professionem religiosam emisit in monasterio S. Crucis civitatis Aquilæ, mox prætendens sese vi, metuque compulsam fuisse a Bonaventura, et Juliano Marinanza avunculis exoptavit in integrum restitui, et S. C. distulit decretum, ut coadjuventur probationes juxta instructionem: *Aquilana*, *Restitutionis in integrum*, 21 *maii* 1707.

65. In conventu S. Francisci de Chersio ordinis Minorum conventualium Dominicus Cæciliati solemnia vota nuncupavit, ac sacros suscepit ordines. Nunc professionem suam infirmare centendit. Nam cooptatus fuit in religiosum citra S. C. licentiam, et tirocinium peregit sub nullo novitiorum magistro specialiter deputato, ac annum haud in tirocinio complevit. S. C. tamen eum restitutionem in integrum supplicantem rejecit. Licentia præfata enim ex antiqua consuetudine non requirebatur; superior loci magistri novitiorum munere functus est; et tantum per quatuor, vel quinque noctes extra conventum pernoctasse compertum est: *Auxeren.*, *Restitutionis in integrum*, 19 *nov*. 1707.

66. Etsi testes deponant comitem Josephum de Bevilaqua fuisse formidolosum, ac rigidum erga proprios natos, eosque aliquando verberibus affecisse, tamen filium Alexandrum Ludovicum Bevilaqua qui professionem regularem in monasterio S. Benedicti Mantuæ congregationis Cassinensis, in quo ordines sacros suscepit, ac munus cellerarii obivit, ob patris metum reverentialem illam elicisse asserentem, et postulantem restitutionem in integrum S. C. audire noluit: *Mantuanæ*, *Restitutionis in integrum*, 19 *nov*. 1707.

67. Denegandum censuit S. C. beneficium restitutionis in integrum Hieronymo Quirino, qui religiosa vota emiserat in conventu S. Mariæ Novellæ, alias S. Jacobi a Judaica ordinis Servorum Venetæ diœcesis, ac postea asseverabat fuisse nullam veluti emissam ante præscriptam a Concilio Tridentino ætatem, et per vim, metum a genitoribus illatum, de suis conquestionibus documenta exhibens: *Venetiarum*, *Restitutionis in integrum*, 24 *sept*. 1707.

68. Abbas Carolus patronus terræ Corati post expletum tirocinium in religione patrum Discalceatorum ordinis Carmelitæ prævio juramento per eum præstito coram commissario declaravit, sese nullum habere defectum, et assumpto nomine Fr. Lucæ a Conceptione solemnem emisit professionem in conventu novitiatus S. Theresiæ civitatis Neapolis in suburbio Plagæ. Exinde vero sub prætextu, quod ante elicitam professionem reticuerit habitualem, et insanabilem hypocondriæ morbum contra ordinis constitutiones, quo graviter afficiebatur, ac modo afficitur, cupit in integrum restitui, et S. C. restitutionem in integrum inficiatur: *Neapolitana seu Tranen.*, *Restitutionis in integrum*, 14 *jan*. 1708.

69. Joseph Maria de Catharinis professus inter patres Cappuccinos Montis Malbi advertens vota religiosa nuncupasse adhuc non exacto ætatis anno 17, cum in anno 18 expleto juxta ordinis constitutiones debuisset illam perficere, petiit gratiam restitutionis in integrum ob quinquennii lapsum. Favet Episcopus oratori fretus dispensationi S. C. super disciplina regulari ætatis ad peragendum tirocinium, adjecta conditione, *dummodo ante ætationem*, et ampliationem sub die 20 junii 1599. Et alia decreta sub diebus 19 maii 1602, et 19 martii 1603.

[128] Quod incipit *In Suprema*, 2 april. 1602 (*Bull. Rom*. tom. 5, part. 2, pag. 409), in qua sancitur novitios ad habitum regularem, et professionem non admitti, nisi in conventibus designandis, alioquin nullas receptiones ac professiones esse declaratur. Et hanc constitutionem sequuntur decreta generalia ad novitiorum receptionem, professionem, et institutionem spectantia, edita ab eodem Pontifice die 12 martii 1596, et ejusdem decreti renovationem, et ampliationem sub die 20 junii 1599. Et alia decreta sub diebus 19 maii 1602, et 19 martii 1603.

[129] « Quæ fuit, ut examinarentur oratoris genitores super assertis violentiis illatis necnon super perduratione metus, et conquestionibus ab eo factis post emissam professionem, et pro quo tempore, et an et quæ munera orator in dicta religione exercuerit. » *Ead. causa*, 13 *april*. 1709.

tem legitimam, regularem professionem non emittat. Sed non esse locum beneficio petito S. C. judicavit: *Perusina*, *Restitutionis in integrum*, 14 *jan*. 1708.

70. Postulante Fr. Benedicto Maria a Neapoli restitutionis in integrum beneficium ad delendam suam professionem emissam inter patres Cappuccinorum civitatis Suessæ præviis minis, percussionibus, ac vulneribus, evaginato ense etiam inflictis a genitore, S. C. distulit resolutionem, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [130]; *Neapolitana, seu Suessana, Restitutionis in integrum*, 11 *febr*. 1708. Deinde dictum beneficium indulsit, addens, ut Card. Archiepiscopus procedat contra patrem prout de jure: 8 *febr*. 1710.

71. S. C. restitutionis in integrum beneficium impertire non hæsitavit Martino de Monticellis, qui professionem emiserat in monasterio S. Mariæ Talveriarum assumpto nomine Augustini, qui violentis impulsibus fuit a genitore ad religionem protractus, quapropter vagus, et profugus usque ad patris obitum erravit: *Romana, seu Geneven., Restitutionis in integrum*, 3 *martii* 1708.

72. Habito recursu ad S. C. a Delia Freda moniali in monasterio S. Sophiæ ordinis S. Francisci oppidi Castellucciæ pro obtinenda in integrum restitutione, ad effectum irritam faciendi suam professionem, quam emisisse intendit ob gravem metum, et minas incussas a Dominico Freda ejus germano fratre natu majori, a S. C rescriptum prodiit: Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem [131], et Episcopus conficiat processum contra fratrem, et transmittat: *Caputaquen., Restitutionis in integrum*, 21 *apr*. 1708. Iterum protelata fuit decisio, et mandatur Episcopo, ut transmittat omnino processum demandatum contra fratrem: 16 *martii* 1709. Ac denuo differtur resolutio, et Episcopus procedat contra fratrem juxta instructionem [132]: 29 *martii* 1710. Denique definitum fuit esse indulgendam in integrum restitutionem, et jussum, ut Episcopus procedat contra fratrem ad formam Concilii: 2 *aug. ejusd. anni*.

73. P. Matthias de Bonvicinis conquerens de professione emissa in abbatia S. Mariæ religionis Vallæ Umbrosæ Fesulanæ diœcesis per vim, et metum sibi a genitore incussum supplicavit, ut in integrum restituatur adversus quinquennii lapsum. Et licet constaret de sævitiæ actibus, de mortis minis, percussionibus, ejectione e domo, privata custodia, necnon de expostulantibus ejusdem tamen exaudiri non promeruit, quum alia adessent adversa testimonia: *Fesulana, Restitutionis in integrum*, 17 *nov*. 1708, confirmata 21 *jan*. 1719.

74. Quum Fr. Joan. Angelus Saccus suam professionem coacte emisisse inter regulares Carmelitas asseverasset propter metum a patre illatum, immanis quippe, ac ferocis indolis, de qua professione intra quinquennium contestatam denunciationem judicialiter emisit; hinc postulavit in integrum restitui, et S. C. distulit resolutionem, ut coadjuventur probationes juxta instructionem Card. præfecti [133]: *Cremonen., Restitutionis in integrum*, 17 *nov*. 1708. Deinde iterum Dilata rescripsit, et scribatur Card. Episcopo met Papiensi juxta instructionem [134]: 27 *aug*. 1712. Denique beneficium petitum ei S. C. concessit: 18 *nov. ejusd. anni*.

[130] « Adeoque committendum Card. Archiepiscopo Neapolitano, ut quatenus orator degat intra claustra suæ religionis dignaretur procedere ad repetitionem testium examinatorum præviis interrogatoriis dandis per promotorem fiscalem, necnon examinare patrem, et fratrem oratoris, et alios novos testes præsertim super conquestionibus ab ipso oratore factis, et de quo tempore, rursus super impedimentis habitis ad reclamandum an, et quæ officia in religione orator exercuerit, et an ordines in ea susceperit, et quos, et quando, atque tandem hujusmodi processum una cum actibus protestationum per ipsum oratorem factis ex protocholis extrahendis E. S ad eamdem S. C. transmitteret. » *Ead. causa*, 25 *januar*. 1710.

[131] « Instructio autem extitit, ut coadjuvarentur probationes super conquestionibus ab oratrice continuatis ab anno 1690 usque ad annum 1704, medio testium examine, necnon quod legaliter recognoscerentur a testibus Epistolæ oratrici conscriptæ a prædicto germano fratre ante emissam professionem, ac ulterius, quod exquirerentur, qualis sit indoles dicti fratris, et an oratrix officia in dicto monasterio expleverit. » *In ead. causa, sub die* 23 *febr*. 1709.

[132] « Qua fuit injunctum Episcopo, quatenus super processu informativo fabricato contra fratrem oratricis, eumdem citaret ad instantiam promotoris fiscalis ad comparendum, quare non deberet declarari incurrisse in pœnas contentas in sacro Concilio Tridentino, aliasque, et quatenus compareret, constitueret, et si peteret legitimationem processus, defensiones illi assignaret cum termino competenti, deindeque ante sententiam, omnia acta ad hanc S. Congr. transmitteret. » *In ead. causa*, 2 *aug*. 1710.

[133] « Instructio quidem ejuscemodi fuit, quatenus Episcopus Cremonen. testes alius in processu nulliter interrogatos iterato repeteret, aliosque noviter adducendos formaliter reciperet; professionis particulam transmitteret una cum litteris testimonialibus super collatione sacri subdiaconatus, et diaconatus ordinum: præterea cum ex Conc. provinciali Mediolanensi V cavetur, et regulares sacris nequaquam initientur, nisi jurejurando affirment, sese sponte, et recte professionem emisisse, inquireret, num juramentum hujusmodi in usum sit acceptum, anve ab oratore fuerit præstitum; tandem exprimeret, numquid orator ipse semel, vel pluries professionem suam ratam habuerit coram superioribus, quemadmodum in nonnullis religionibus consuescit. » *In causa ead. diei* 27 *aug*. 1712.

[134] « Requisitus fuit Card. idem Episcopus, ut digna-

75. Joseph Maria Poggius induit regularem habitum inter patres eremitas Camaldulenses Etruriæ, ubi emisit solemnem professionem; at post quinquennium exoravit S. C. pro beneficio restitutionis in integrum, eo quippe fundamento innixus, quod contra statutum religionis suam professionem peregerit reticendo ad patrum interrogationem nephritidis, et arthriditis gravem, et incurabilem morbum, quo ante ingressum maxime excruciabatur. At exaudiri non meruit a S. C.: *Aretina, Restitutionis in integrum, 26 jan.* 1709.

76. In conventu loci Jessæ congregationis Dalmatiæ ordinis Eremitarum S. Augustini Jacobus Scrivanich solemnem emisit professionem, et postmodum sacros suscepit ordines. Modo restitui in integrum appetit, sub motivo nullitatis professionis, quod tirocinium peregerat in conventu non designato, ac annum interruptum transegerat. At beneficium quæsitum minime reportavit: *Pharen., Restitutionis in integrum, 22 febr.* 1710.

77. Beneficium restitutionis in integrum S Cong. haud concessit sorori Egyptiaca Maria Feriol, qui licet referat, ac probet emisisse professionem in monasterio S. Benedicti civitatis notabilis ob vim, et pavorem verberum, minarum, ac e domo ejectionis illatum a Francisco patruo, et Florinda matre, de quibus dedit mœstitiæ signa, ac condoluit; tamen post professionem nunquam conquesta fuit; paruit imo superiori, ac munera in sacrario, ac janua exercuit: *Melevitana, Restitutionis in integrum, 15 martii* 1710.

78. In conventu S. Mariæ de Crypta ordinis Prædicatorum Melevitanæ diœcesis professionem solemnem emisit, ac ordines sacros suscepit Fr. Vincentius Humanus Agrigentinus; qui modo instat, restitutionis beneficium petens. Documenta profert in medio de minis, verberibus, aliisque vexationibus passis a patre, ut profiteretur, necnon de indole patris aspera, ac rigida, ejusdem oratoris timidæ, ac debilis; et licet munus nullum religiosum expleverit; S. C. tamen ejusdem precibus non annuit: *Melevitana, Restitut. in integ., 24 maii* 1710.

70. Quamquam P. Camillus de Ambrosiis ordinis Carmelitarum, in quo fuit ordinatus, probationes exhibuisset minationum, ac terroris a genitore incussi, ut profiteretur, a quo ejectus fuit e domo, ac vapulavit; et de ejusdem conquestionibus doceret, ut ei restitutio in integrum tribuatur; S. C. tamen supplicationes non excepit: *Venetiarum, Restitutionis in integrum, 5 julii* 1710.

80. Petiit Fr. Carolus Cecconellus laicus professus in conventu PP. Eremitarum S. Augustini Paduæ beneficium restitutionis in integrum ob elicitam nulliter professionem ex capite tirocinii interrupti. Nam in medio protulit nonnulla testimonia comprobantia sæpius de nocte per fenestram dilapsum, et seculari habitu contectum e conventu evasisse, et postea summo mane remeasse, nocturnoque tempore cum quadam mala muliere condormivisse, et non valuisse adhuc ex defectu pecuniæ nullitatis quæstionem movere S. C. vero hunc rejecit: *Patavina, Restitutionis in integrum, 29 novem.* 1710.

81. Professus est P. Claudius Joseph Roy in conventu S. Francisci Min. Conv. oppidi de Salinis, et professus est, uti ipse affirmat, non sponte, sed ob sui genitoris coactionem, de qua affert documenta, et de sua adversa voluntate religionem amplectendi. S. C. ad preces ejusdem, qui postulavit in integrum restitutionem, rescripsit: Dilata, et pro meliori informatione juxta instructionem: *Bisuntina, Restitutionis in integrum, 24 januar.* 1711. Ac quum constaret ex testimoniis oratorem præpeditum fuisse expostulandi judicialiter, S. C. impertita est restitutionis in integrum beneficium injungendo Ordinario, ut procederet contra patrem: 2 *dec.* 1713.

82. Fr. Desiderius de Bailis sacerdos, professus ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Venetiarum, exorans haud a S. C. in integrum fuit restitutus. Nam elapso quinquennio judicium instituere curabat adversus validitatem suæ professionis, in qua ordines sacros suscepit, quod illam emisisse autumat per vim, et metum incussum a Francisco, et Angelo de Bailis filiis Germani dicti desiderii patris, ut ratam partem bonorum paternæ hæreditatis, quæ eum tangebat, usurparent: *Venetiarum seu Brixien., Restitutionis in integrum, 7 febr.* confirmata 8 *aug. ejusd. anni*, ac 16 *julii* 1712.

83. Suppliciter flagitante Fr. Theodoro a Brundusio ordinis Reformatorum S. Francisci in seculo Hieronymo Taliente nuncupato beneficium restitutionis in integrum adversus suam professionem nulliter ob ætatis defectum, ut contendit, emissam, quia ementito nomine Josephi fratris germani, qui in familiæ cœtu tum pridie exceptus fuerat, annum probationis exegit, ac professionem emisit in conventu S. Mariæ Crucis oppidi Francavillæ, in quo religiosa munera non obivit. S. C. ad dubium; an sit locus restitutioni in integrum? rescripsit primum, ut coadjuventur probationes, juxta instructionem [135]: *Brundisina seu Oritana, Restitutionis*

retur per semetipsum acta revolvere, ac copiam notulæ ordinatorum sub an. 1678 transmittere, postremo exprimeret, num ejusmodi juramentum in diœcesi Papiensi usu fuerit receptum, ac in præsenti vigeat. » *In ead. causa sub die* 30 *sept.* 1713.

[135] « Nempe scriptum fuit Episcopo Oritano ut extrahere

in integrum, 13 *junii* 1711. Deinde beneficium petitum indulsit : 12 *nov.* 1712.

84. Peracta a Dominico Tedesco professione religiosa solemniter in conventu S. Francisci Minorum de observantia oppidi Tramontis, supplicavit idem S. C., ut elapso quinquennio in integrum restituatur, et obtinuit. Nam professio ab illo emissa ex violentiis genitoris, minis videlicet, verberibus, e domo ejectione promanavit; quum de his perhiberet documenta : ***Amalphitana*, *Restitutionis in integrum*,** 8 *aug.* 1711.

85. Quum Fr. Urbanus de Urbino ad assequendam in integrum restitutionem adversus quinquennii lapsum enarrasset, professum esse in ordine S. Francisci Minor. observ. vi, metuque a genitore illato S. C. jussit Episcopo, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [136] : *Urbevetana*, ***Restitutionis in integrum*,** 14 *nov.* 1711. Probationes comprobant violentiam, metumque cum denegatione alimentorum, ejectione e domo, ac sævis verberibus, adeo ut semivivus aliquando inflicto in capite vulnere ipse procubuit, ut profiteretur; et defuncto genitore frater germanus semper constanter restitit, ne injuriam communis genitoris memoriæ causaret. S. C. indulsit restitutionem in integrum, et præcepit, ut Ordinarius procedat prout de jure contra fratrem : 11 *martii* 1713.

86. Franciscus Antonius Bottatius religiosam professionem emisit in conventu S. Pancratii ordinis Discalceatorum S. Augustini oppidi Planitiarum. Hæc sicut coacta fuit ob violentias genitoris, quas plurimi testes, necnon ejusdem expostulationes, et animum adversum a religione evincunt; hac de causa precibus exhibitis ad assequendam restitutionem in integrum S. C. adhæsit: ***Tauvinen.*, *Restitutionis in integrum*,** 5 *martii* 1712.

87. Emenso probationis anno Joan. Baptista Formosa annorum 16 professus est in conventu majori S. Mariæ ordinis Carmelitarum Panormi, inde sacris ordinibus fuit initiatus, post undecim annos judicium instituit de nullitate sub prætextu paternarum violentiarum, vexationum; et favorabilem a curia archiepiscopali sententiam tulit, habitumque dimisit. Sed quum restitutionem in integrum non postulavisset, sistit nunc supplex in S. C., quæ dilata, ei pro constructione novi processus juxta instructionem respondit : ***Melevitana seu Panormitana*, *Restitutionis in integrum*,** 9 *apr.* 1712.

88. Vota solemnia jam Sebastianus Dominicus Cicattus in conventu parvulo S. Petri ordinis Servorum B. Mariæ civitatis Aretii sub Fr. Angeli Mariæ nomine nuncupavit. Modo de nullitatis vitio redarguere autumans poposcit, ut in integrum restituatur adversus quinquennii lapsum. In ejus favorem deponunt fratres ipsi germani de violentiis ac objurgationibus adhibitis a genitore, ut Servitarum instituto nomen daret; qua de causa sacrum patrimonium constituere erant parati. At S. C. non constare de causis restitutionis in integrum resolvit : ***Aretino*, *Restitutionis in integrum*,** 6 *aug.* 1712.

89. Antonius Prosper Pontier de Sosne septem annos natus religiosam vitam iniit in conventu villæ de Gray ordinis Carmelitarum discalceatorum, ibique solemniter professus est. Asperitatibus inde religionis lacessitus indultum obtinuit transeundi ad ordinem S. Benedicti in prioratu conventuali S. Justi de Arbosio, ubi solemnem quoque emisit professionem. Ratione morbi, quo ab infantia laborabat, et quem occultavit, et constitutionum præfati ordinis, quæ morbo laborantem expellunt, adversus utramque professionem suscitat causam nullitatis. Ad dubium itaque; an constet de causis restitutionibus in integrum ad effectum obtinendi declarationem nullitatis utriusque professionis prout de jure? responsum datum fuit negativum : ***Bisuntina*, *Restitutionis in integrum*,** 25 *junii* 1712. Inde novis dedu-

faciat fidem baptismi, tam Viti Josephi Taliente, quam prædicti fratris Theodori, ac recognoscere librum, in quo adnotantur recepti in tirocinio, et ad professionem in dicto conventu S. Mariæ Crucis, et ab anno 1700 citra revidere, an adsit adnotatio aliqua admissionis ad habitum vel ad professionem Hieronymi Taliente, et Viti Josephi Taliente, ac extrahere faciat partitas existentes, et quatenus non adsint, asserere cum negativa coarctata eas, vel aliquas non reperiri, necnon recognoscere, acceptationem factam a provinciali, seu a congregatione provinciali in civitate Neritonen. tunc habita de persona Viti Josephi, et an adsit aliquis liber, in quo adnotentur, acceptationem factam a provinciali seu congreg. provinciali examinantur, et approbantur, et extrahere faciat inde partitas super acceptatione prædicta. Item exhiberi curet licentiam seu obedientiam tunc præstitam a prædicto provinciali Vito Josepho, prout examinare faciat testes, super conquestionibus, reclamationibus, seu animo adverso statui religionis post ejus professionem, et pro tempore, quo in ea permanserit, et an in ea exercuerit aliquod munus religionis, et an fuerit notum ipsi defectus ætatis prætensæ in professione, examinando quoque dictum Vitum Josephum et ipsum Hieronymum, eorumque parentes instructos super prætensa fraude unius pro alio in receptione ad habitum, et professionem, et etiam examini subjiciendo Guardianum. » *Regist. lit.* lib. 24, *die* 27 *junii* 1711.

[136] Quæ hujuscemodi fuit, quatenus examini subjicerentur alii testes, si qui sint, super asserto metu, ac super oratoris conquestionibus; præsertim ab anno 1693 emissis : præceteris vero formaliter interrogarentur ejus germani fratres, a quibus recognosci idem Episcopus curaret attestationes, ac epistolas alias ab ipsis, ut prætenditur, exaratas, fidem quoque baptismi transmitteret, ac comprobaret tempus, quo orator ad singulos sacros ordines promotus fuit, postremo inquireret, an, et quæ munera in religione ipse exercuerit : ***Ead. causa*,** 18 ***febr.*** 1715, § unic.

ctis juribus recedendo a decisis affirmativum a S. C. emanavit responsum : 24 *sept. ejusd. anni*,

90. Aurelius Burattinus religiosam vitam iniit in conventu S. Crucis loci Baptiniani ordinis discalceatorum S. Augustini assumpto nomine Fr. Joannis Dominici, ac solemnia vota emisit in statu conversi. In constitutionibus autem ordinis cavetur, ut conversi 21 annum excedere debeant; alioquin ejiciendus is foret. Frustra provincialis curam adhibuit, ut ad bonam eum frugem reduceret, et ad regularem disciplinam mores componeret. De irritanda ille itaque professione ob ætatis defectum curavit. At S. C. illum restitutionem in integrum flagitantem repulit : ætas enim ex fide baptismatis fuit vindicata : *Grossetana, Restitutionis in integrum*, 1 *april.* 1713.

91. Non constare de causis restitutionis integrum S. C. respondit Joan. Josepho de Anacacchis, qui solemniter professus est per vim, et metum, uti ipse asseruit, in conventu S. Romani ordinis Minorum Observantium S. Francisci. Nam orbatus parentibus, ac constitutus sub tutela, et cura avunculorum, hi minis acerbe invehi cœperunt; ac tandem ille continuatis contumeliis, asperitatibus cedens emissa bonorum renunciatione, religioni dedit nomen, contestata denunciatione coram testibus examinatis de sua repugnantia peracta : *Sancti Miniatis, Restitutionis in integrum*, 15 *maii* 1713.

92. Quum nomen dedisset annorum 14 Fabius de Anna monasterio SS. Petri, et Catharinæ ad Magellam ordinis Cœlestinorum, ac professionem emisisset ob importunas suasiones, ac frequentes Vincentii de Anna ejus germani fratris minas, judicium instituit super nullitate in curia archiepiscopali Neapolitana. Causa erat in limine expeditionis, quando matrimonium Fabius iniit cum Magdalena de Januario, nullis præviis denunciationibus; ac muliere prægnante frater germanus sublatus fuit e vivis. Quæsitum fuit proinde in S. C.; an necessaria sit restitutio in integrum; et an sit concedenda; alioquin an constet de nullitate professionis? Hæc rescripsit : Dilata, et fiant diligentiæ juxta instructionem : *Neapolitana*, *Nullitatis professionis*, 27 *maii* 1713. Deinde sancivit non constare de nullitate professionis, et quoad alimenta Fabius utatur jure suo coram judicibus competentibus : 2 *julii* 1718 confirmat., et quoad validitatem matrimonii, hoc nullum declaravit : 21 *januar.* 1719, *dub.* 1 *et* 2.

93. Solemnia vota invitum emisisse Dominicus Maraglianus in conventu S. Mariæ ordinis Minimorum strictioris observantiæ assumpto nomine Fratris Michaelis a Janua. Eruitur ex processu patrem filium dissentientem verbis injuriosis, ac verberibus lacessisse; et illum tum plures reclamationes ac testationes ante, et post emissam professionem edidisse; tum suam demonstrasse ægreferentiam; S. C. hac de causa sentiit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [137] : *Januen.*, *Restitutionis in integrum*, 17 *junii* 1713. Deinde restitutionem in integrum impertita est : 13 *april.* 1715 [138].

94. Haud concessit S. C. in integrum restitutionem Francisco Moreno Ramos, qui solemnia vota nuncupavit in ordine Carmelitarum discalceatorum congregationis Hispanicæ cum nomine Francisci a S. Michaele. Petebat restitutionem in integrum, eo quod reticuerat morbum habitualem, ac incurabilem contra ordinis constitutiones, de quo morbo fidem perhibent testes : *Toletana, Restitutionis in integrum*, 8 *julii* 1713, *dub.* 1.

95. Deinde quæsitum fuit, quomodo providendum? rescribitur, *charitative de more tractetur per religionem : Ibid.*, *dub.* 2.

96. Anna Antonia Ciero solemnia vota nuncupavit in monasterio S. Sophiæ civitatis Patavii sub nomine sororis Prudentiæ electæ. At paulopost occulte sola, et inops longum iter arripuit, ut inquit, Romam versus ad causam nullitatis suæ professionis promovendam. Verum vi lethalis morbi correpta Bononiæ sistere necesse fuit. Ibi monasterium quoddam ingressa est, et de infirmanda sua professione egit, quam emisit ob patris violentias, ac fratris natu majoris, quum contestata ea fuisset penes sororem mortem potius subituram, quam regularia vota elicere, S. C. tamen bis primum distulit decretum, addendo ad mentem : *Patavina*, *Restitutionis in integrum*, 28 *julii* 1713 : 13 *jan.* 1714. Postmodum restitutionem in integrum ei concessit : 7 *julii ejusd. anni*.

97. Fr. Franciscus Trompellius inficiari contendens solemnis suæ professionis validitatem, quam emisit in religione ministrantium infirmis Mediolani, recursum habuit, ut in integrum restituatur. Exhibet proinde patris violentiæ documenta, qui

[137] « Quæ ejusmodi fuit, ut examini formaliter subjicerentur oratoris pater, super prætenso metu incusso, ejusque continuatione ; depositiones quoque reciperentur aliorum testium, præsertim regularium super continuatis conquestionibus, et impedimentis reclamandi, numve orator ipse munera, et quæ in religione obtinuerit : recognoscerentur præterea epistolæ, quatenus reperiantur scriptæ ab oratore, earumque copia transmitteretur; postremo scrutarentur ordinationum acta, numquid tum temporis sæpedictus orator declarationem, sive protestationem emiserit super nullitate ejus professionis. » *Ead. causa, die* 13 *april.* 1715.

[138] Advocatus Dominicus Ursaya hanc defendit causam, ut habentur jura sua *in Discept. Eccles. II*, tom. 1, part. 1, per tot.

tandiu in ipsum fustibus irruebat, funeque exagitabat, quousque illo religioni se nomen daturum obtestaretur. At quum nullibi constaret; an ipse officia in religione exercuerit, S. C. rescripsit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem Card. præfecti : *Placentina, Restitutionis in integrum*, 19 *aug.* 1713.

98. Laurentius Maynardus solemnia religionis vota emisit in conventu S. Francisci ordinis Minorum strictioris observantiæ in oppido Nazzani assumpto nomine Fr. Modesti, deinceps professionem redarguere nullitatis vitio cogitavit proindeque in integrum restitui præstolatur. Inclamabat enim genitrix, ut regulari amictu indueret, nisi mortem subire vellet; oratorem ipsum tradidit in manu Guardiani, a quo aufugit; at avus fugientem capillos illius invasit, et adeo male accepit, ut manum luxaverit; quam ob rem aliquando deprehensus fuit jugulo funem propriis manibus applicuisse. Et licet adsint querimonias, ac conquestiones post emissam professionem; tamen S. C. hujus preces rejecit : *Tusculana*, *Restitutionis in integrum*, 19 *aug.* 1713.

99. Posteaquam soror Francisca Bonaventura a S. Dominico professionem regularem emiserit in monasterio S. Ursulæ opidi Nozzoreti, eam redarguere de nullitatis vitio conatur ob vim, metumque a parentibus illatum, qui enixe eam refragantem in monasterium contruderunt, ac acribus verbis, verberibusque, necnon ipso carcere affecerunt. Qua de causa nomen religioni non animum dedit, in qua mortem desperationis causa pluries sibi conscire tentavit. Hæc a S. C. in integrum restitui laboravit, et S. C. annuit, jubens, ut Ordinarius moneat genitores de censuris, in quas incurrerunt : *Bisuntina, Restitutionis in integrum*, 9 *sept.* 1713 [139].

100. Religiosa solemnia vota Claudius Joseph Courtot nuncupavit in conventu Cappuccinorum oppidi de Vesouit sub nomine Fr. Eliæ. Testes, et ipsa mater deponunt de asperis violentiis patris, de carcere domestico, ubi diutine modico pane, ac aqua maceratus ita fuit, ut genitrix pietate mota per foramen ostii subsidium furtim porrigeret. Deponunt de verberibus crudelibus, quibus dire pater affligebat in ipsis carceribus infelicem puerum, ut Cappuccinorum religioni nomen daret. Deponunt denique de fuga a religione habitu dimisso. Qua de causa restitutionem in integrum concessit, ac præcepit, ut Archiepiscopus procedat prout de jure contra patrem : *Bisuntina*, *Restitutionis in integrum*, 13 *januar.* 1714.

101. Emenso probationis anno in monasterio S. Thomæ civitatis Januæ Angela Maria Bielata solemnia vota tandem nuncupavit, vi, metuque extorta ab ejus genitore. Sed evincitur genitorum ejusdem integra fama, bonaque indoles, qui pari affectu suos natos prosequebantur; pluribusque excluditur asserta formido, ac vis, quam excutere oratrix potuisset; ideo S. C. precibus de restitutione in integrum non obsecuta est : *Januen.*, *Restitutionis in integrum*, 3 *martii* 1714.

102. Joseph Xaverius Petremand religiosam vitam iniit in monasterio seu abbatia Montis Benedicti Canonicorum regularium ordinis S. Augustini solemnibus votis elicitis. Ex vi, metuque a genitoribus incusso professum se esse dicit, comprobatque id pluribus testibus. Postulat itaque in integrum restitutionem, sed non illam est assecutus : *Bisuntina*, *Restitutionis in integrum*, 17 *martii* 1714, confirmata 23 *junii ejusd. anni, dub.* 1.

103. Jacobus Agnellus Menichinus solemnia religionis vota jam nuncupavit in conventu Casertano ordinis Carmelitarum. Sed vix absoluto anno fugam arripuit, et apud Turcas militis stipendia promeruit in Græciæ oris. Deinde connubium contraxit cum Catharina Molina, qua e vivis erepta ad secunda vota transivit. Modo elapsis pluribus annis caterva filiorum stipatus patrios lares repetiit, exhibuitque probationes de suæ professionis nullitate ob timorem mortis a genitore incussum, de sua permanente voluntate redeundi ad seculum, necnon de sua juridica contestata denunciatione absoluto tirocinio emissa. S. C. proinde restitutionem in integrum ei donavit : *Casertana*, *Restitutionis in integrum*, 28 *april.* 1714.

104. Soror Johanna Catharina Thierry annos sexdecim nata, regularia vota emisit in monasterio Annunciationis. Viginti tribus in claustris emensis annis, aufugit, iterumque sub regulari disciplina reducta, denuo furtim ad seculum pedem retulit; hinc exoravit pro opportuno restitutionis in integrum beneficio adversus quinque annorum lapsum, ut votorum nullitatis causam, quæ per vim metumve a genitrice incussum, cum denegatione alimentorum, et periculo amissionis omnium bonorum emisisse ex animo dicit, prosequi possit. Sed S. C. respondit, ut rediret ad claustra, et postea supplicaret : *Lingonen.*, *Restitutionis in integrum* 12 *maii* 1714. Preces reiteravit mulier, et ut coadjuvarentur probationes responsum tulit : 26 *januar.* 1715. Hinc facta fuit sui voti compos Catharina : 20 *sept. ejusd. anni* [140].

[139] Hanc causam strenue patrocinavit advocatus Dominicus Ursaya in favorem prædictæ monialis, cujus jura exhibet *in Discep. Eccles. I*, tom. 1, part. 1, per tot.

[140] Pro hac causa strenue declamavit advocatus Dominicus Ursaya, qui sua jura publicavit *in Discept. Eccles. IV*, tom. 1, part. 1, per tot.

165. S. C. restitutionis in integrum beneficium haud concessit Fr. Joan. Baptistæ de Nesa, qui solemnia vota protulit in conventu S. Francisci Ornani ordinis Minimorum observantium provinciæ Corsicæ, licet agens tirocinium religiosum e conventu fugam arripuerit; sed post horæ spatium circiter illuc reductus fuerit, necnon factus fuerit patruus eum objurgasse, eique violentiam intulisse, ut regularem habitum assumeret : *Adiacen.*, *Restitutionis in integrum*, 1 *decemb.* 1714, confirmata 24 *april.* 1717.

106. Brigitta Dorothea Zasarte de nullitatis vitio redarguere contendens solemnia vota, quæ emisit in monasterio S. Monicæ ordinis S. Augustini, reportare conatur in integrum restitutionem; exhibet proinde documenta de invito ejus animo, de violentiis domesticis, de lacrymis, ac querelis, deque vi a genitore illata ut profiteretur, ac de formaliter emissis expostulationibus; hinc restituta in integrum a S. C. fuit: *Ulissipon.*, *Restitutionis in integrum*, 1 *decem.* 1714.

107. Exoptans ad secularia regredi Fr. Joan. Dominicus Severi, qui solemnia vota emisit in domo SS. Simeonis, et Judæ clericorum regularium Theatinorum Patavii supplex expetit in integrum restitui. Afferunt testes eum obsequendi desiderio genitricis, importunisque conjunctorum suggestionibus regularem amictum induisse; et rumorem in conventu prævaluisse, profiteri absque animo. Sed S. C. illius preces non audivit: *Patavina*, *Restitutionis in integrum*, 12 *jan.* 1715.

108. Sibi ipsi persuadens Fr. Josephus a S. Barbara a seculum redire posse sub obtentu assertæ nullitatis professionis, quam fecit in monasterio Gratiarum Galatoni ordinis Minorum discalceatorum S. Petri de Alcantara opportunam in integrum restitutionem postulavit. Motivum nullitatis desumit ex defectu ætatis ex ordinis constitutione præscriptæ, quia fides baptismi fuit adulterata. S. C. tamen haud postulationi adhæsit: *Neritoren.*, *Restitutionis in integrum*, 23 *febr.* 1715.

109. Etsi Fr. Ludovicus a Nicia sese regularibus votis obligasset in conventu S. Mariæ, ut inquiunt, *di Cimilla* ordinis Minorum strictioris observantiæ causa minarum, ac patris verberum, etsi etiam reclamasset, tamen testatur. P. Guardianus nunquam oratorem spatio 27 annorum super meticulosa sua professione conquestum esse, quin etiam eam ratam fecisse; idcirco quæsita S. C. pro gratia in integrum restitutionis, eam denegavit: *Nicien.*, *Restitutionis in integrum*, 23 *febr.* 1715.

110. Petrus de Souza Correa de Sà, et Benavides nobilis Ulissipponensis regularia vota emisit in cœnobio Jesu de Patientia ordinis Minorum Cappuccinorum oppidi Matritensis assumpto nomine Fr. Joseph Antonii a Bæza, exinde in integrum restitui petiit. Nam infringere suam professionem, quam in ætate immatura annorum 15 insuperabili violenti vi, ut ait, patruus extorsit, animo agitat, quum paulo post professionem semel, ac iterum fugam arripuisset, ac seculari habitu diversas Europæ plagas peragravisset, usque dum patruus ipse, germanusque frater defunctus fuisset. S. C. vero coadjuvandas probationes juxta instructionem [141] censuit? *Toletana*, *Restitutionis in integrum*, 13 *april.* 1715, deinde precibus adhæsit : 18 *maii ejusd. anni.*

111. Adiit S. C. Joseph Bennatus, ut assequi in integrum restitutionem valeat, ac propterea nullitatem suæ professionis vi, metuque elicitæ in conventu B. M. Gratiarum ordinis Carmelitarum evertere. Sed, etiamsi ex testibus eruatur terroribus, ac carceribus compulsum fuisse a matre, ac conqueri semper perseveraverit, contestatamque denunciationem intra quinquennium emiserit, tamen beneficium restitutionis haud obtinuit : *Bononien.*, *Restitutionis in integrum*, 18 *maii* 1715.

112. Quoad professionem Fr. Joan. Baptistæ ex Marigliano inter Minores Observantes elicitam violentiæ a patruo illatæ comprobantur, comprobantur etiam ejus reclamationes, ac comprobatur herniæ morbus intestinalis, superioribus etiam compertus. Nullum vero documentum exhibetur, utrum munera religiosa obierit, licet certum esset eum ordines sacros ad titulum paupertatis suscepisse. Desuper S. C. quæsita non esse locum beneficio restitutionis in integrum descrevit : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 1 *junii* 1715.

113. Christophorus Granducciusreligioso habitu assumpto in conventu S. Romani ordinis Minorum Observantium S. Francisci vota solemnia edidit cum nomine Fr. Antonii de Corfino. Inficiari conatur professionem ex defectu liberi consensus, eo quod ita ille impulsus fuerit minis exhæredationis, expulsionis e domo, necnon verberibus, ut orator ad domum consanguineorum confugerit ; docens etiam de animo adverso, ac de querimoniis elicitis, licet ad titulum religionis ad sacros ordines ascendisset. S. C. tamen placuit restitutionem in integrum denegare : *Lucana*, *Restitutionis in integrum*, 13 *julii* 1715, confirmata 6 *junii* 1716.

114. Beneficium restitutionis in integrum a S. C.

[141] « Ceteroquin vero benigniter animadverterunt (EE. PP.), quod si legale documentum super ætate exhiberetur, absque alio temporis dispendio causa iterum proponi posset. Ita quidem in præsenti contingit. » *Ead. causa.* 18 *maii* 1715.

obtinet Fr. Jucundus a Neapoli in seculo Hieronymus Bossius, qui ob summam vim genitoris professionem emisit in conventu S. Spiritus civitatis Suessæ ordinis Cappuccinorum. Nam bini testes asserunt illum reluctantem patrem crebro mortis minis affecisse, verberibus percussisse, quinimo semel, iterumque evaginato ense eumdem insecutum esse, ac inflixisse in brachio vulnus, ex quo fugam ille arripuit; idcirco coactu fuit crudelis cedere patris voluntati. De his omnibus semper reclamavit, judiciali emissa protestatione: *Suessana, Restitutionis in integrum*, 3. *aug.* 1715.

115. Soror Anna Antonia Consulo monialis professa in monasterio S. Antonini oppidi Francifontis, exagerans ex inevitabili mortis timore regularia vota nulliter nuncupasse, implorat beneficium restitutionis in integrum. Nam in eam avunculus, ac frater uterinus venenum intentarunt, et ostensus gladius, ac denegata fuit alimenta. Qua de causa regularem disciplinam non servarit, nec religionis explevit functiones, nullo dato signo tacitæ (ut ait Episcopus) ratihabitionis. S. C. primum voluit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem Card. præfecti [142]: *Syracusana, Restitutionis in integrum*, 3 *aug.* 1715. Deinde postulationi concessit: 5 *sept.* 1716.

116. Per vim, ac metum extortam professionem in conventu S. Joannis Evangelistæ ordinis Benedictini emisisse nititur coarguere nobilis puella Margarita ab Austria de Corregio, dum, ut restituatur in integrum, proposcit. Ex testibus desumitur principem Gibertum ab Austria de Corregio oratricis patrem ita invehisse in eam, ut aliquando baculus perfringeretur; eamque in quemdam carcerem domesticum compegisse, ubi hora tertia noctis adivit parvo sclopo, et nudato pugione armatus, ac ita spiculo infesto minatus fuit eam, ut tandem ad profitendum se determinaret, nisi mortem subire vellet; S. C. proinde restitui eam in integrum credidit: *Mantuana*, *Restitutionis in integrum*, 7 *decem.* 1715, confirmata 28 *martii* 1716 [143].

117. Solemnia vota nuncupavit Nicolaus Lombardo in conventu S. Francisci ordinis Minorum Observantium oppidi Saccæ, ubi successive fuit sacris ordinibus insignitus. Hic vero quum nomen religioni dedisset non a celesti patre vocatus, sed a terreno vi, metuque impulsus restitutionis in integrum impetraturum confidit. Constat de gravibus minis, de domestico carcere, de privatione cibi, de fustibus, aliisque crudelis patris conatibus, ut juvenem flecteret. S. C. hujus rogatui adhæsit, mandavitque, ut Ordinarius procedat prout de jure contra patrem: *Agrigentina, Restitutionis in integrum*, 25 *januar.* 1716.

118. Restitutio in integrum concessa fuit a S. C. Erminiæ de Cappellettis, quæ regularem professionem pronunciavit uti conversa seu comissa in monasterio Sperandei vi, metuque ab avunculo illatis. Testes deponunt illam habuisse voluntatem semper a religione adversam. Nam ex fuga labente anno probationis e monasterio arrepta, in quo verberibus, minisque concussa, et coactione præcisa, et non causativa fuit iterum detrusa, carceribusque mancipata, satis alienus eruebatur animus. Post professionem verbis, atque factis jugiter reclamavit: *Perusina.*, *Nullitatis professionis*, 8 *aug.* 1716.

119. Denegavit S. C. beneficium restitutionis in integrum Fr. Laurentio Rossi, qui elapso quinquennio nullitatem suæ professionis regularis emissæ inter minores Conventuales experiri mente agitabat. Nam vi, metuque a patre illato, de quo protestatus solemniter est, professionem extortam dicebat. At in formali examine discrepare quinque testes visi fuere: *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 28 *novem.* 1716.

120. Prætendens Fr. Salvator a Conceptione in seculo Josephus Calisto nullam esse regularem professionem a se emissam in religione Carmelitarum excalceatorum ex capite incurabilis morbi, quo laborabat, quod contrariatur constitutionibus ordinis, instituere nititur judicium nullitatis, et postulat, ut in integrum restituatur. Superiores consensum præbent, sed quamquam exhibuisset nonnulla medici testimonia, tamen S. C. nulla data responsione voluit, et coadjuventur probationes: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 2 *octob.* 1717. Deinde iterum respondit, ut coadjuventur probationes addendo ad mentem [144]: 12 *martii* 1718. Denique S. C. cum oratore convenit: 3 *sept. ejusd. anni.*

121. Ascanius Boucaud supplicavit pro restitutione in integrum adversus regularem professionem a se emissam inter canonicos regulares ordinis S. Augustini in monasterio, seu abbatia Montis Benedicti. Condito processu super asserto timore, qui

[142] « In qua requisita fuerunt documenta professionis, et renunciationis oratricis, necnon obitus avunculi, et fratris uterini, qui metum intulerunt, et ulterius mandatum fuit, ut coadjuvarentur probationes circa continuas conquestiones post obitum dd. consanguineorum, et cur ipsis defunctis formaliter tunc non reclamaverit: et quo tempore Episcopus visitationes peregerit, et instantis querelas audiverit. » *Ead. causa*, 5 *sept.* 1716.

[143] In favorem mulieris advocatus Dominicus Ursaya strenue propugnavit, et causam obtinuit, *vid. Discept. Eccles. XX*, tom. 1, part. 1, per tot.

[144] Nempe ut reassumat habitum, et postea supplicet, ut adnotavit advocatus Dominicus Ursaya *Discep. Eccles. VI*, tom. 3, part. 1, per tot. ubi in favorem P. Salvatoris valida defensio in hac causa suscepta legitur.

dicitur incussus a Georgina matre, quæ post obitum patris curam filiorum susceperat, habentur testes de suasionibus, sollicitudinibus matris, nec non minis, ea ratione, quod alere eum minime poterat. Ita ex eo recusatio Ascanii in professione emittenda evincitur, ut intra quinquennium firmus animus esset illi expostulandi, nisi mater, et cognati impedimentum objecissent, uti testes deponunt. Archiepiscopus narrat fuisse ab eo renovatam professionem, licet sine matura deliberatione. S. C. tamen concedi non censuit postulatam restitutionem : *Bisuntina, Restitutionis in integrum*, 12 *febr*. 1718, confirmata 21 *januar*. 1719.

122. Putat P. Alexius ordinis S. Dominici suam professionem vitio nullitatis laborare. Eam emisit in conventu Poliniensi ad id nullatenus designato. Interruptionem allegat anni tirocinii, necnon incussum fuisse metum a fratre ejusdem religioso Dominicano natu majore. Archiepiscopus vero Bisuntinus tria fundamenta non subsistere credit, necnon præsumi tacitam quamdam professionem ex muneribus ab eodem in religione impositis, quæ ipse exercuit; ideo restitutionem in integrum postulatam S. C. haud largita est : *Bisuntina, Restitutionis in integrum*, 12 *martii* 1718.

123. Soror Maria Magdalena Diaco professionem egit in monasterio S. Claræ urbis Neocastri, et elapso quinquennio restitui in integrum exoptat. Nonnulli ac universitas dictæ civitatis testantur de vi, metuque a patre, ac matre incusso. S. C. vero distulit responsionem, et mandat, ut coadjuventur probationes, et interim Episcopus procedat ad formam Concilii contra parentes : *Neocastren., Restitutionis in integrum*, 7 *maii* 1718. Deinde pariter protelavit responsum, et addidit ad mentem [145] : 24 *febr*. 1720. Et denuo causa producta non esse locum restitutioni definivit ; 7 *decem. ejusd*. Denique prævio recessu a decisis restitutionem indulsit : 11 *sept*. 1728.

124. Fr. Dominicus Franciscus de Lana, natus 8 julii 1691 professionem solemnem protulit in religione Min. Reform. S. Francisci 10 decem. 1706, et ante 16 annum ; et licet voluerit reclamare, nihilominus expresse ratam die 8 decem. 1711 habuit. Modo petit in integrum restitui ob nullitatem ratihabitionis elicitæ propter vim, et metum cadentem in constantem virum, sibique incussum a Laurentio fratre, qui pugione ad pectus admoto ei aliter faciendi voluntatem, et facultatem eripuit, uti ex ipsius Laurentii testimonio desumitur. Et id causa bonorum divisionis si eadem professio nulla declararetur. S. C. nullum cepit consilium, et jussit, ut coadjuventur probationes, et Episcopus procedat prout de jure contra Laurentium fratrem oratoris : *Sagonen., Nullitatis professionis* 4 *febr*. 1719. Sed quum Laurentius Sanctam Sedem pro absolutione ab excommunicatione ob vim fratri illatam, quam incurrit, poposcisset, S. C. beneficium exoptatum fratri Dominico impertitur : 13 *april*. 1720.

125. Pater Jacobus Stephanus Guascus instilit, ut in integrum restituatur causa evertendi suam professionem emissam inter Fratres ordinis Servorum B. M. V. in civitate Januæ. Primo, quod sit admissus ad habitum tirocinii annorum 22 absque prævia adprobatione generalis, seu provincialis capituli ; secundo, quia receptus ad habitum in conventu non specialiter a Sede Apostolica designato. Tertio, quod in conventu, in quo a patre Jacobo Stephano elicita professio fuit, nullatenus servabatur vita communis ; quarto denique, quod ipse non habuit intentionem profitendi, ac se obligandi. At S. C. differt responsum, ut audiatur procurator generalis ordinis, et scribatur Card. Archiepiscopo Januæ pro informatione ; an conventus, de quo in præsenti agitur, esset tempore professionis expressæ ab oratore destinatus pro tirocinio : *Januen., Nullitatis professionis*, 2 *decem*. 1719.

126. Bartholomæus de Levizzariis habitum religionis Minimorum S. Francisci de Paula uti conversus assumpsit, ac inde professus est. Quum hic ante emissam professionem talibus corporibus infirmitatibus laboraret, et usque adhuc eisdem afficiat, ut ab esu carnium (nam in formula professionis præter alia vota promittitur quadragesimalem servare vitam) citra mortis periculum, nec potuerit, nec possit abstinere, contendit proinde professionem suam esse invalidam ; hinc restitui in integrum petiit, et non obtinuit : *Comen., Nullitatis professionis*, 13 *januar*. 1720.

127. Crispinus Bourlier ex oppido S. Michaelis professus est in monasterio ordinis S. Benedicti prædicti oppidi. Hic tanquam incorrigibilis ejectus restitutionem in integrum exposcit. Fundamentum petitionis constituit in metu sibi a patre incusso, de quo testes adducit ; sed deprehenditur dumtaxat metum præcipue derivasse ex minis patris ad iram proclivis. S. C. vero hunc supplicem non audivit : *Virduenen., Restitutionis in integrum*, 24 *febr*. 1720 confirmatur ; etsi testimonium patris accederet de incusso metu, eumque propter nimium terrorem nunquam reclamasse : 9 *febr*. 1726.

128. Christophorus de Raphaelibus in conventu S. Petri de Corrigliano professionem solemnem emi-

[145] Et mens explicata fuit, ut scribatur Episcopo Neocastren. pro secreta informatione : *Ead. causa*, 21 *aug*. 1728, § 4.

sit sub nomine fratris Francisci Raphaelis. Fertur ipsum intra quinquennium reclamasse, sed quum ad reclamandum non fuerit prosecutus, elapso quinquennio exorat in integrum restitui. Testatur Ordinarius ex processu haud resultare vim, metumque in constantem virum cadentem, ut destruere professionem possit, sed ut inspecto infelici oratoris statu, aliisque circumstantiis admitti possit juramentum pro pleniori articulatorum comprobatione; ob id S. Cong. rescribit Ordinario, qui procedat prout de jure: *Ceneten.*, *Restitutionis in integrum*, 16 *martii* 1720 [146].

129. Gabriel Varinius civitatis Briocensis in Britannia Minori tredecim abhinc annis professionis regularis verba extulit inter fratres Recollectos S. Francisci. Quumque humiliter postulasset restitutionem in integrum adversus dictam professionem, quam nullam esse declarat, quod ante eam morbo insanabili laborabat, quem religioni celavit. Processu confecto, examinatis testibus, S. C. non esse locum restitutioni decrevit: *Briocen.*, 22 *junii* 1720.

130. Pater Gabriel in seculo Joan. David, natus 29 martii 1683, in ordine Eremitarum S. Augustini vitam religiosam solemniter amplexus est die 29 apr. anni 1698. Professionem nullam supponit ante ætatem annorum 16 enunciatam, sed quum opponeretur tacita professio, seu ratihabitio, ex deductis non esse locum restitutioni in integrum responsum est; etiamsi orator reclamare cœpisse detecto errore in fide baptismatis contenderet: *Viennen.*, *Nullitatis professionis*, 8 *febr.* 1721, confirmata 13 *sept. ejusd. anni.*

131. Claudius Christophorus ingressus est religionem patrum Cappuccinorum assumpto in ea nomine Fratris Armandi, professionemque regularem emisit, subinde sacros suscepit ordines. Modo allegat metum gravem a patre incussum, pro extorquenda professione, ac, ut in integrum restituatur, rogavit; sed S. C. protelata responsione, ut coadjuventur probationes, ad mentem [147] respondit: *Tullen.*, *Nullitatis professionis*, 20 *decem.* 1721. Deinde repetitas preces non audivit, addendo ad mentem: 17 *julii* 1723.

132. Maria de Sosa Fagundez vota regularia prolata in monasterio monialium S. Luciæ civitatis Pacensis imploravit post quinquennium beneficium restitutionis in integrum adversus suam professionem vitio infectam, eo quod ad eam agendam impulit pater: at incassum eodem patre obsistente. Eo defuncto denuo preces renovat. Admittentibus autem monialibus professionis nullitatem, ac societate animarum purgantium a patre hærede instituta comparere recusante post institutionem processus. S. C. locum esse restitutioni in integrum deliberavit: *Pacen.*, *Restitutionis in integrum*, 19 *dec.* 1722 [148].

133. Philippus Jannius habitum religionis Scholarum Piarum suscepit, assumpto nomine P. Salvatoris a S. Anna, et professus solemniter est. Elapso quinquennio curat in integrum restitui ad dissolvendam suam professionem, quam ante annum 16 completum peregit. Hinc cognita fide ejusdem baptismatis luculenter apparet adulteratio ob reductionem numeri 8 pro num. 6, nempe an. 1698 pro an. 1696, quod fratri uterino causa bonorum renunciationis adscribitur. Ejus votis annuendum esse S. C. censuit: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 10 *april.* 1723.

134. Vivebat Magdalena Sanchez in civitate Bazæ una cum Stephano patre, et Cecilia noverca miseriis obruta, et quum Thomas Canovas consanguineus obtinuisset ab Episcopo pro dote ipsius Magdalenæ realia triginta millia, non obstante tractatu nuptiarum inito inter ipsam, et Johannem Dura suasionibus, minisque eam induxit, ut relicto seculo, monasterium monialium ingrederetur, in quo professa est, ob metum vitæ amittendæ a patre incussum. Hæc modo restitui in integrum desiderat, sed non obtinuit: *Guadixen.*, *Restitutionis in integrum*, 15 *maii* 1723.

135. Antonia de Angulo Ramirez religiosam vitam solemniter iniit in monasterio monialium S. Bernardini civitatis Malacitanæ; quumque intenderit, eam esse nullam, utpote elicitam propter vim, metumque cadentem in constantem mulierem, habuit a genitore veniam impugnandi suam professionem, et licet elapso quinquennio a curia ordinaria de nullitate definitiva sententia emanavit. Vis, et metus a patre milite illatus gravis evincebatur, hinc S. C. ultro precibus assensa est: *Malacitana*, *Nullitatis professionis*, 15 *maii* 1723.

136. Joannes Baptista Columba ingressus religionem Minorum Conventualium, ibi professus est assumpto nomine fratris Josephi Antonii. Inde contendit nulliter professionem edidisse, utpote per vim, atque metum cadentem in constantem virum

[146] Pro hac causa peroravit in favorem Christophori advocatus Dominicus Ursaya, qui sua jura ostendit in *Discept. Eccl. XX*, tom. 4, part. 2, per tot. qua num. 42 habetur ad verba *prout de Jure*. « A quo ser. ser. declarata fuit nulla professio, et illius vigore a religione discessit Christophorus. »

[147] Nempe præsertim circa reclamationes ab eo habitas post obitum patris: *Ead. causa*, 17 *julii* 1723, § 3.

[148] Pro hac causa contendit advocatus Dominicus Ursaya, qui in *Discept. Eccl. XVII*, tom. 5, part. 1, per tot. mulieris rationes in medium protulit.

a matre ac Ignatio fratre incussum ; hac de re proposito dubio ; an sit locus restitutioni in integrum? negativum reportavit responsum : *Taurinen.*, *Restitutionis in integrum*, 31 *julii* 1723.

137. Quidam Pater Joseph Maria de Palliano quæsivit in integrum restitui adversus suam regularem professionem, quam in ordine Cappuccinorum emisit, et quam infirmare intendit ex capite morbi epileptici, quo adhuc laborat. Ex adductis rationibus probare conatur suam professionem involvere correspectivum contractum, ac ultro citroque obligatorium, et sic quod deficiente consensu ex parte religionis professio debeat corruere etiam ex parte professi. Sed S. C. rem Card. præfecto juxta mentem [149] commendavit : *Provinciæ romanæ Cappuccinorum*, *Nullitatis professionis*, 8 *julii* 1724.

138. Joannes Baptista Ageta professus inter clericos regulares minores supplicat, ut ei concedatur in integrum restitutio, sed incassum ; quando enim ille vix pubertatis annos prætergressus fuit, morbo gallico fuisse inquinatum, et Cajetanum ejusdem genitorem advocatum tanto furore commotum fuisse, ut comminatione perpetui carceris, adhibitisque in subsidium verberibus ipsum adegerit ad emittendam professionem, ex processu evincitur ; sed hæc aliis testibus contrariantur : *Neapolitana*, *Nullitatis professionis*, 9 *sept.* 1724.

139. Joannes Baptista Haltmeyer Elveticæ nationis nomen dedit solemniter ordini S. Francisci in conventu Ponticellorum provinciæ romanæ, et ad sacerdotium subinde ascendit. Nunc in integrum restitui postulat. Nam ille Romam advenit, ut linguam italicam edisceret, sed paupertate oppressus, ac mendicus muneribus, ac precibus factis a patre Pio de S. Columba, qui tunc munere guardiani in conventu S. Bonaventuræ de Urbe fungebatur, habitum assumpsit, inde professionis actum subscripsit *Ego Fr. Paschalis de Lucerna confirmo ut supra* **mit Gewalt** *feci*, quæ verba germanica important vim, ac metum. Reclamare subinde non valuit causa Patrum oppositionum, necnon in carcerem detentionis. Desuper S. C. nulla edita sententia, rescripsit ad mentem : *Provinciæ romanæ*, 3 *febr.* 1725. Postmodum negativum præbuit responsum, addendo ad mentem [150] : 7 *maii* 1735.

140. Fr. Dominicus Antonius Amoretti ingressus est religionem S. Francisci inter Reformatos vulgo *del Ritiro*, et causa infirmitatum non potuit in ea profiteri, sed inter Cappuccinos professionem significavit. Inde ob infirmitates translatus est ad Carmelitas congregationis Mantuæ ; inde pariter ratione illorum morborum destruere suam professionem intendit, sed nihil egit in S. C., ubi in integrum restitui petiit : *Romana seu Albiganen.*, 1 *sept.* 1725.

141. Januarius Bonfalcone admissus ad tirocinium in ordine Servorum die 15 junii 1716, regularem professionem emisit die 3 junii 1717. Contendit hac de causa præfatam professionem nullitatis vitio laborare, et sic esse restitutioni in integrum locum, quam S C. haud indulsit ; nam etiamsi post susceptum habitum minore tempore, quam per annum steterit in probatione, opponi tamen potest tacita ratihabitio : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 1 *dec.* 1725.

142. Pater Joannes a Roma restitutionem in integrum quærit, quum sua professio emissa in ordine Capuccinorum invalida judicari deberet ; nam ab infantia morbo nephitico adeo laborabat, ut non sine gravi, acerboque dolore urinam guttatim emittere potuisset. S. C. vero ejusdem instantiam rejecit, quum constitutiones ordinis prædicti favorem religionis respiciant : *Ordinis Cappuccinorum*, 6 *julii* 1726, confirmata 26 *april.* 1727.

143. Petrus Joseph Bertinius habitum religionis Scholarum Piarum assumpsit, ac inde solemniter professus est. Sed post varios annos uti incorrigibilis ejectus fuit. Hic excitavit prætentionem de nullitate suæ professionis expressæ per vim, metumque a patre incussum. Processu proinde confecto S. C. restitutionem in integrum denegandam putavit : *Florentina*, *Nullitatis professionis*, 27 *julii* 1726.

144. Fr. Gregorius de Bronte sacerdos ordinis Min. Observ. S. Francisci, ac professus est. Ad hanc regularem vitam amplectendam ait fuisse vi, minisque a Blasio germano fratre majore, et communi matre compulsum, qui una cum verberibus ejectionem e domo, necnon graves violentias addiderunt ; ob id S. C. primum, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [151] præcepit : *Sicula*, *Nullitatis professionis*, 27 *julii* 1726. Deinde be-

[149] Quæ fuit, ut superiores ordinis assensum darent egressui : *Rel. in Causa Ord. Cappuc.* 8 *junii* 1726.

[150] Mens est consulendum Sanctissimum pro facultate oratori permanendi per sexennium in seculo in habitu presbyteri secularis sub obedientia Ordinarii loci, in quo commorabitur, servatis tamen votis religiosis, cum facultate etiam celebrandi missam arbitrio ejusdem Ordinarii, lib. 85, *Decret.* fol. 169.

[151] Instructio reducta fuit ad capita seqq. Primum est, quod ab oratore per legitima documenta demonstraretur tempus ingressus in religionem, tempus professionis, et tempus ascensus ad sacros ordines. Secundum est, quod videretur an idem orator officia habuerit, et exercuerit in sua religione ; et tertiam demum, an post emissam professionem conquestus fuerit, quod eam emisisset per vim, et metum. *Ead. causa*, 11 *januar.* 1727, § unic.

neficium restitutionis impertita est, addendo, ut Episcopus procedat prout de jure contra fratrem : 11 *januar*. 1727.

145. Dominicus Capis assumpto habitu ordinis S. Augustini professionem regularem emisit, a qua reclamare cœpit usque ab anno 1713, quia eam fecerat per vim metumque, sed ad reclamandum prosecutus non est; idcirco confecto processu S. C. in integrum non restituit : *Bononien.*, 7 *sept.* 1726.

146. Fr. Aloysius a Marathea ordinis strictioris Observantiæ S. Francisci habitum suscepit in conventu S. Antonii loci Rivelli, et in conventu terræ Laureæ professionem emisit. Hanc hodie nullitatis vitio laborare contendit, dicens eam per vim, et metum a patre incussum expressisse. Id deponunt testes, probat fuga a monasterio arrepta, et testatur ipse vivens pater, qui illum sæpe verberibus insecutum esse fatetur. Proposita hinc causa locum esse in integrum restitutionis S. C. firmavit : *Policastren.*, 7 *sept.* 1716.

147. Fr. Marianus a decimo professus est in conventu S. Honuphrii terræ Casacalendæ PP. Reformatorum S. Francisci, et professus est ante tempus a sacro Concilio Tridentino præscriptum, quum sui baptismatis fides transmissa fuisset fratris ejusdem nominis, qui natus duos ante annos mortuus statim erat. De vero sua ignorantia documenta exhibet; hinc in integrum S. C. restituit : *Larnien.*, *Restitutionis in integrum*, 2 *januar*. 1727.

148. Joseph Ghigiottius professionem regularem protulit in conventu ordinis S. Augustini terræ S. Elpidii. Hanc hodie ex tribus capitibus asserit laborare nullitatis vitio. Primum, quod professio prolata fuit in dicto conventu, qui non erat designatus ad receptionem novitiorum, sed aderat licentia S. C. Regularium. Secundo, ob tirocinii interruptionem. Tertio, ob violentias a patre adhibitas, de quibus conquestus est, et reclamavit. S. C. tamen resolvit de validitate, denegavit petitam restitutionem in integrum : *Firmana*, *Nullitatis professionis*, 15 *martii* 1727, confirmata 19 *aug*. 1730.

149. Antiochus Siligna professus est in ordine Cappuccinorum per vim ac metum a genitore incussum; ut ipse asserit; necnon subjungit admissum fuisse ut clericum, et erat in ætate 17 anni incepti, quum constitutiones dicti ordinis statuant ætatem clericis anni 17 completi; proindeque restitutionem integrum postulavit. Sed non reportavit a S. C. : *Calaritana*, 15 *martii* 1727, confirmatur, et additur non constare de nullitate professionis : 12 *martii* 1729.

150. Seraphinus a Conscientia clericus ordinis Minorum Observantium professionem regularem in eodem ordine emisit, subinde contendit eam nullitatis vitio laborare, veluti pronunciatam per vim et metum a patre Dominico ejusdem ordinis suæ matris fratre, sub cujus cura, et directione degebat, stante sui genitoris præobitu; hac super re examinati fuerunt nonnulli testes a Card. Urbis vicario de mandato S. C., ac prodiit rescriptum prævia restitutione in integrum, quatenus onus sit, ad Card. Urbis vicarium, qui procedat prout de jure super prætensa nullitate professionis : *Cassanen.*, 24 *maii* 1727.

151. Joachimus Maurus in ordine fratrum Minorum tanquam laicus professus est, et modo instat pro restitutione in integrum referenda. Nam vitam religiosam iniit vi metuque a genitore illato, et cadente in constantem virum. Et licet metus comprobatur testimonio ipsius genitoris, ac epistola fratris germani oratoris, tamen S. C. beneficium denegat : *Biterren.*, 20 *sept*. 1727.

152. Isabella Ventura Fernandes uxor legitima Joannis de Albillos post illicitum commercium habitum cum Marchione de Govea, professionem edidit in monasterio S. Monicæ ordinis S. Augustini de consensu viri sui, qui in seculo permansit, et nec regularem professionem, nec votum simplex castitatis emisit. Eadem Isabella mortuo Marchione petit declarationem nullitatis suæ professionis propter metum ac vim illatam a marchione tum Joanni, ut daret assensum, tum eidem, ut profiteretur; hac de causa his propositis dubis; an constet de causis restitutionis in integrum; ita ut sit declaranda nulla professio? et quatenus affirmative.

153. An sit locus restitutioni dotis per Isabellam monasterio persolutæ?

154. An liceat Isabellæ vendere monialibus cellulas propriis sumptibus constructas inter septa monasterii; seu potius illa spectent ad monasterium, et moniales? respondit : Dilata, et scribatur juxta instructionem[152] : *Ulyssiponen.*, *Orientalis*, 6 *decem*. 1727, *dub*. 1, 2 *et* 3.

155. Antonia Corvaja post emissam professionem in monasterio S. Claræ Messanæ, restitutionem postulavit in integrum. Ab extrajudicialibus monalium depositionibus habetur, quod tractato inter eam, et quemdam equitem matrimonio, fuit hic carceribus mancipatus, et insinuatum Antoniæ,

[152] S. C. resolutionem differens censuit : « Coadjuvandas esse probationes super metu incusso tum viro, tum dictæ Isabellæ, ac sibi transmittendas esse copias tam consensus dati a viro pro ingressu mulieris in religionem, et professione ab ea emissa, quam brevis expediti, ut mulier ante annum profiteretur : » *Regist. lit.* lib. 27, *die* 6 *dec*. 1727.

quod Amasius e carceribus non esse egressurus, nisi post factam ab ipsa professionem ; et revera emissa ab ea professione fuit eques libertate donatus, et professio facta fuit nocte, a qua professa et tunc, et jugiter reclamavit ; et requisita noluit unquam ratam facere , et demum post professionem semper se gesserit tanquam monasterii alumnam ; comam enim nutrivit, vestes seculares retinuit a choro, et ab aliis actibus, qui a professis exerceri solent, se abstinuit. Verum S. C. ad rogatum nil, nisi quod Archiepiscopo juxta instructionem [153] scriberetur, respondit : *Messanen.*, 21 *febr.* 1728.

156. Fr. Hieremias Kraglievicchius ordini Minorum Observantium S. Francisci nomen dedit, et inter laicos solemniter vota emisit. Postulat nunc in integrum restitui, sub fundamento interrupti anni probationis, irritam suam professionem esse contendit. Per varios dies abfuit ille a conventu tirocinii, et cum venia superioris ad quæritandam eleemosynam in favorem conventus prædicti ; intra quinquennii spatium non probatur eum unquam reclamasse ; idcirco restitui in integrum S. C. minime putavit : *Regusina, Restitutionis in integrum*, 10 *julii* 1728.

157. Joannes Ramirez solemnibus votis se obstrinxit in sacra Carmelitarum familia, in qua etiam sacros ordines suscepit. Profert hic in medium vim, et metum a patre incussum, probationis anni intercapedinem, ac formulam non propria manu subscriptam, hinc beneficium restitutionis in integrum exoptat ad suam professionem evertendam. Sed sua vota in irritum abierunt : *Hispalen., Restitutionis in integrum*, 12 *martii* 1729 confirmat. S. C. addens, ut doceat, quomodo beneficium ecclesiasticum obtinuerit, quod ex testibus habere dicitur : 1 *decem.* 1731.

158. Fr. Avertanus Ronchi inter conversos religiosam vitam Carmelitarum discalceatorum amplexus est, ac professionem reiteravit. Elapso quinquennio idem suæ probationis annum pluries inquit intermisisse ; superiores enim conventus eum miserunt extra claustra, et ad civitatem ad eleemosynam colligendam, et hac occasione diu, noctuque vagavit per quatuor menses circiter in domibus secularibus quoque pernoctans. Idcirco restitutio in integrum petita fuit, sed non obtenta a S. C. : *Veronen.*, *Restitutionis in integrum*, 11 *junii* 1729.

159. Petrus Serranus habitum clericorum regularium ministrantium, infirmis accepit in domo B. M. V. Assumptionis villæ Matriti, ibique professionem enunciavit, ac ad titulum religionis sacerdotium suscepit. Vivente patre juxta consuetudinem dictæ religionis professionem ratam fecit, ac vota renovavit. Sed post patris obitum ob varia impedimenta ratihabitio secuta non fuit ; exercuit quoque officia secretarii provincialis, et depositarii conventus. Et licet de vi metuque a genitore incusso, ac de aversione ab illo statu plura signa præcedentia dedisset, tamen S. C. restitutionem in integrum non indulsit : *Toletana, Restitutionis in integrum*, 13 *januar.* 1731. Deinde recessit a decisis, ac in integrum restituit, prævia confectione novi processus faciendi per Ordinarium una cum superiore locali, et ut causa semper nullitate professionis discutiatur in S. C. : 21 *apr. ejusd. anni.* Ac proposito dubio de nullitate professionis cum eodem veteri processu S. C. commisit ad Card. Ordinarium, qui una cum superiori locali procedat prout de jure : 16 *junii ejusd. anni.*

160. Joannes Paulus Bodius, nunc Matthæus a S. Joanne Baptista appellatus, quum undevigesimum ætatis annum ageret, religiosam disciplinam amplexus est in familia Carmelitarum excalceatorum solemni etiam professione emissa, susceptisque ordinibus sacris. Volens autem longe post quinquennium a sacro Concilio Tridentino præscriptum nullitatem hujusmodi professionis proponere, tum ex causa metus sibi incussi, tum propter morbos, quibus vexabatur, postulavit restitutionem in integrum, quam S. C. denegavit : *Leodien.*, *Restitutionis in integrum*, 1 *sept.* 1731.

161. Solemnibus votis se obligavit in religiosa familia ordinis Carmelitarum excalceatorum Carolus Giampria nunc appellatus Fr. Hilarius a Præsentatione ; in eaque promotus fuit ad sacros ordines. Sed quum celaverit morbum gonorrhœæ, quo dum adhuc secularis erat, laborabat, quemque nondum sanari potuit, superiores ordinis arbitrati sunt sibi ex vi constitutionum licere eum, ultro etiam assentientem, dimittere : hinc primum ad impetrandam instat in integrum restitutionem, et eam concessit S. C., ac mandat, ut Card. Ordinarius una cum superiore locali procedat servatis servandis prout de jure : *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 1 *dec.* 1731.

162. Anna Le Clerc patre jam orbata solemnem votorum formulam religiose concepit in monasterio Cabilonensi Dominicanæ familiæ. Modo commorans extra monasterium habitu seculari supplicat, ut in integrum restituatur. Nam per vim, metumque fecisse professionem asserit. Mater prædictæ testata fuit, binos ejus fratres, tum acerbis verbis, tum etiam quandoque verberibus inflictis adegisse soro-

[153] Scire cupit S. C. an Antonia Corvaja reclamaverit intra, 5 an., et quomodo : *Regist. lit.* lib. 27 *die* 21 *feb.* 1728.

rem, ut religiosæ vitæ institutum, a quo abhorrebat, amplecteretur. S. C. primum præcepit, ut reassumpto habitu redeat ad claustra, et postea supplicet, et ad mentem [154]: *Cabilonen.*, *Restitutionis in integrum*, 10 *maii* 1732. Deinde nova documenta ab Episcopo S. C. postulavit: 24 *jan.* 1733. Denique commisit rem totam Episcopo Cabilonensi, qui quando constet sibi de causis restitutionis in integrum, adversus lapsum quinquennii auctoritate S. C. oratricem restituat, et deinde ad ulteriora procedat circa nullitatem professionis prout de jure: 16 *maii ejusd. anni.*

163. Carolus Riccius solemnibus votis se obligavit in religiosa familia Carmelitarum, tempore scilicet, quo exegerat ætatis annum fere tertium supra 20, deindeque ordinibus sacris fuit initiatus, sed nulla suscepit munera, quæ religiosi obire solent. Remedium implorat restitutionis in integrum. Ex processu satis constat, quod invitus, et a patre coactus Deo se devovit in memorato ordine. Quantum abhorruerit a religiosæ vitæ disciplina conjici potest, eo quod post professionem fere semper extra cœnobia, et per varias etiam remotissimas orbis regiones est vagatus, non tamen veste dimissa. S. C. gratiam indulsit, mandavitque, ut Card. Archiepiscopus procedat contra patrem prout de jure: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 20 *decem.* 1732.

164. Fr. Isidorus de Abreu inter patres de observantia S. Francisci adscriptus fuit, et solemnia ibi religiosi vota nuncupavit, necnon ad sacros ordines fuit promotus, atque concionatoris munus obtinuit. Pro experiendo judicio nullitatis postulavit in integrum restitutionem, sed incassum. Nam ex processu non constabat de asserto metu a patre illato, qui omni tempore tirocinii nunquam allocutus fuit filium, sed solum adfuisse, quando professionem emisit: *Canarien.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *febr.* 1733.

165. Antonius Vayrinus Bergomi Augustinianæ familiæ in Lancianensi cœnobio nomen dedit, ac religiosa inde vota solemni ritu nuncupavit, ordinesque sacros suscepit. Petiit in integrum restitui, ut, quamvis elapsum sit quinquennium, professionis nullitatem proponere posset. Ex documentis colligitur vis, ac metus a patre illatus, qui ad secundas nuptias transire intendebat; unde non pepercit vehementibus instigationibus, non verberibus, non ferro, quandoque ei intentato; necnon evincitur eum coram notario, ac quinque testibus contestatam denunciationem fecisse, se invitum ad cœnobium profecturum; et ea mente semper fuisse, ut opportuno tempore irritam esse demonstraret suam professionem. S. C. non solum precibus assensa est, verum mandavit Episcopo Bergomi, ut agat contra patrem prout de jure: *Lancianen.*, *Restitutionis in integrum*, 2 *maii* 1733.

166. Petrus de Oliolis tirocinium ingressus fuit congregationis Theatinorum, ubi solemnibus votis postea se obligavit. Paucos tamen post menses abjecta religiosa veste fugam arripuit, et miles Hispanus evasit. Reductus inde in domum congregationis prædictæ infringere sua vota ob ætatis defectum ortum ex similitudine nominis alterius fratris defuncti, et ob suasiones subdolas curavit, et in integrum restitutionem imploravit; sed non valuit exaudiri: *Ulyssiponen.*, *Occidentalis Restitutionis in integrum*, 27 *junii* 1733, confirmata 14 *nov. ejusd. anni.*

167. Bernardinus Provezzus, Livius deinde appellatus solemnia vota uti domesticus coadjutor in Veronensi monasterio canonicorum Lateranensium nuncupavit. Pœnitentia ductus, et de ambigua baptismatis fide, qua se minorem 21 annis asserebat, munitus postulavit, ut sibi tribuatur potestas impugnandi validitatem enunciatæ professionis; quumque Episcopus Veronæ processum confecisset, siluit deinde Livius per decem circiter annorum spatium; et petiit postea restitui, et non obtinuit: *Cremon. seu Veronen.*, *Restitutionis in integrum,* 14 *nov.* 1733.

168. Marianus Antonius Vannicellius in collegio S. Gregorii civitatis Bononiæ suscepit habitum ordinis clericorum regularium infirmis ministrantium, ibique professionem emisit. Hanc nullam esse probare conatur, eo quod emissa fuerit coram P. Joseph Corazza, qui non erat provincialis, nec præfectus collegii prædicti, sed precario nomine tantum superiorem agebat. Imo eum esse in secundo affinitatis gradu Joanni Baptistæ Borgognini ad triremes causa furti damnato conjunctum docet; idcirco in integrum restitutionem efflagitat innixe, et obtinet a S. C.: *Bononien.*, *Restitutionis in integrum,* 3 *julii* 1734.

169. Marianna Angelica Sobral extracto probationis anno in conventu S. Claræ oppidi de Braganza solemnia in eo vota protulit. De hac professione testes deponunt de asperis verbis, ac iteratis quoque verberibus, ut religionem ingrediatur, deque ejusdem nimia aversione, ac expostulatione in votorum emissione. Et, etiamsi convenientia testimonia non essent, tamen S. C. illam in integrum restituit, præcipiens Episcopo a carcere exsolvi ac charitative tractari, etiam cum facultate transfe-

[154] « Mens est, ut scribatur Episcopo, quod si difficile sit, eam redire ad monasterium, in quo professionem emisit, assignetur ei aliud monasterium. » *Die* 10 *maii* 1732.

rendi ad aliud monasterium: *Miranden.*, *Restitutionis in integrum*, 11 *sept.* 1734.

170. Philippus Coppola, Christinus deinde appellatus religiosam disciplinam familiæ PP. Carmelitarum amplexus est in cœnobio B. M. V. nuncupatæ *della Vita* urbis Neapolis, ubi ad titulum paupertatis ordines suscepit. Hic instat elapso quinquennio, ut in integrum restituatur, tum propter annum interruptum probationis, ex quo destrui professio potest. At S. Congr. eum haud audivit: *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 4 *decem.* 1734.

171. Joan. Thomas a S. Januario Carmelitanæ familiæ in conventu B. M. V. nuncupatæ *della Vita* adscriptus fuit assumpto nomine Cyrilli, ac religiosa vota solemniter nuncupavit; deinde omnes sacros ordines ad titulum religionis suscepit. Beneficio restitutionis in integrum hic indiget, ut nullam declaretur sua professio per metum, ac vim ab Angela matre incussum; et dictum beneficium flagitat. S. C. primum probationes quæsivit: *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 4 *dec.* 1734. Deinde constans de gravi metu, de ejusdem conquestionibus, ac de obfirmato animo dictæ Angelæ, quæ donec vixit, metum injecit oratori beneficium S. C. impertita est: 12 *febr.* 1735.

172. Nobilis puella Maria del Prado Arellano se pœnituit professionem in monasterio S. Dominici villæ Matritensis fecisse sub nomine Mariæ Emmanuelæ. Conquesta est de vi, metuque a patre illato, qui, ut testes affirmant, rigidi, ac atrocis ingenii erat, et qui audito rumore sponsalium filiæ secreto contrahentium, eam verberavit, et, ut profiteretur, statim curavit. Hujus preces S. C. excepit, et petitam restitutionem in integrum indulsit: *Toletana, Restitutionis in integrum*, 9 *julii* 1735.

173. Nicolaus Trevisanus inter canonicos Lateranenses receptus fuit, et sub nomine Augustini Mariæ solemniter professus est. Annum hic agebat decimum quartum dumtaxat contra constitutiones ordinis, dum professionem pronuntiavit. Vis, metusque a matre illatus ab eo exponitur, atque, ut restituatur in integrum, postulatur. S. C. tamen protelans definitionem mandat, ut coadjuventur probationes: *Veronen.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *maii* 1735.

174. Marianna Williel, ætate annorum 15, induit habitum religiosum in monasterio S. Claræ, ibique solemnia vota nuncupavit. Quærens beneficium restitutionis in integrum, probationes exhibet de vi metuque a patre illato, de verberibus, asperis verbis, minisque post initas ab eo secundas nuptias, et S. C. esse locum restitutioni petitæ decrevit. Nam de animo ejusdem a vita monastica adverso, de lacrymis, quibus formulam votorum protulit, constabat: *Tarantasien.*, *Restitutionis in integrum*, 20 *aug.* 1735.

175. Maria Ludovica Mannuccius supplicem libellum S. C. porrexit, in quo enarrans suscepisse habitum religiosum in monasterio S. Joannis Baptistæ civitatis Tuderti, solemnem professionem invalide peregisse tum ob vim, metumque sibi a Francisco patre incussum, tum ob non completum probationis annum; humillime postulavit sibi facultatem impertiri, ut prævia in integrum restitutione jura sua adversus eamdem professionem experiri posset; idcirco S. C. in integrum restitui putavit, quum vis, metusque gravis, necnon ejusdem aversus animus a statu religioso in dubio non ponebatur: *Tudertina, Restitutionis in integrum*, 9 *julii* 1735.

176. Julia Cajola ingressa monasterium mulierum pœnitentium sub instituto S. Augustini in civitate Pisarum in ætate annorum 17, se induit regulari veste post duos menses, et inde nondum absoluto probationis anno professa est. Postmodum ad aliud monasterium transferri obtinuit, ubi in integrum restitui exorat. Affert duo nullitatis professionis capita; quod vi metuque ad illam compulsa fuit, et quia tirocinio nondum completo eam emisit. S. C. nihil resolvit, et scribi Archiepiscopo pro meliori informatione juxta instructionem mandavit: *Pisana, Restitutionis in integrum*, 24 *jan.* 1736.

177. Fr. Joseph Maria Macri tertii ordinis S. Francisci nullitatem suæ professionis in conventu S. Antonii Pausilippi emissæ proponere meditans in integrum restitui exoptat. Ait hic nulli monasterio fuisse adscriptum contra dicti ordinis constitutiones; addiditque alias nullitatis causas, vim nempe, et metum a patre incussum, ac interruptionem probationis anni. S. C. vero eum rejecit: *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 28 *april.* 1736. Instantia reproducta præcepit, ut coadjuventur probationes, et Fr. Macri statim redeat ad claustra suæ religionis: 30 *martii* 1737. Denique recedendo a decisis in integrum eum restituit: 14 *martii* 1739.

178. Quamquam Philippus Onuphrius Marcuccius vota emittere religiosa abnuerit, factus est tamen in conventu PP. Min. Observ. S. Francisci sub nomine Patriniani professus vi, metuque impulsus a Nicodemo patruo, et inde a Francisca ejus matre vidua. Testimonium adducit ipsius patrui juramento munitum, nec non docet de ejus repugnantia. Hic forsitan restitutionem (quam S. C. ivit inficias) impetrare valuisset, si post patrui obitum reclamasset, ac sacros ordines in religione haud suscepisset: *Camerinen., et Fabrianen., Restitutionis in integrum*, 4 *aug.* 1736.

179. In conventu Thomar declaravit suam pro-

fessionem Franciscus Xaverius Feyxeira vitam religionis militum Christi amplectens. Et quamvis intra quinquennium non reclamasset adversus eamdem suam professionem, tamen contendit semper habuisse aversum amicum ab illo statu, quem suscepit causa violentiarum, verberum, ac obsonii subtractionis, quæ omnia pater ei inflixit. Hinc peracto processu, et dubio proposito de restitutione in integrum; S. C. distulit responsum, et, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [155] imperavit: *Ulyssipponen.*, *Orientalis Restitutionis in integrum*, 1 *sept.* 1736. Deinde illam elargita est: 13 *april* 1737.

180. Contendente Nicolao Palma solemnem suam professionem in conventu S. Mariæ de Populo civitatis Asculi Apuli ordinis S. Augustini emissam, irritam esse ob violentias sibi a Marco Antonio *del Vecchio* extraneo illatas, restitui in integrum ille exoptavit. Et S. C. rescriptum optatis ejus respondit. Nam eum patre orbatum sub disciplina illius fuisse constitutum, qui, ut profiteretur, in publicum carcerem eum conjecit, vexavitque summopere, de quo non semel protestatus est, processu tenetur; *Asculana in Apulia*, *Restitutionis in integrum*, 17 *nov.* 1736.

181. Restituendum in integrum censuit S. C. Franciscum Antonium Ambrosonium, ut possit periculum facere validitatis suæ professionis, quam in conventu S. Laurentii Majoris ordinis Minorum Conventualium urbis Neapolis exposuit. Violentiæ a patre illatæ ex processu desumuntur, et hæ repetitæ, una cum verberibus inhumanis; animi ejus reluctantis, imo ejusdem expostulationum mater testimonium perhibet: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 13 *apr.* 1737.

182. Inter lacrymas professa est Alba Victoria Marcosanti in seculo Anna Francisca institutum S. Dominici in monasterio S. Antonii Patavini. Minæ, acra verbera a patre illata eam compulerunt, quum non obscura argumenta alienæ vocationis præbuisset; et nunquam pacata est, nisi quando a S. C. beneficium restitutionis in integrum retulit, quo labefactare suam professionem possit: *Feretrana*, *Restitutionis in integrum*, 1 *junii* 1737.

183. Pro novitio receptus fuit in monasterio Carthusiensi S. Jacobi urbis Capritanæ Angelus de Dominicis, ac interrogatus, num morbo aliquo laboraret, veneream luem, quam prius contraxerat, ex verecundia reticuit; solemniterque inde professus est. A suscepto proposito recedere modo cogitatione complectitur, ac ut in integrum restituatur, exorat, quod haud concessit S. C. addens ad Card. præfectum juxta mentem: contrariabatur religio, in cujus favorem sunt ordinis constitutiones promanatæ: *Capritana*, *Restit. in integ.*, 6 *julii* 1737.

184. Nullitatem professionis, quam Clemens a S. Josepho sub instituto Carmelitarum excalceatorum in conventu vulgo nuncupato *di S. Teresa a Chiaja* urbis Neapolis emisit, proponere in animo habens, supplex in integrum restitui petiit. Vis, metusque ei illatus fuit a principissa Abellinensi, cui veluti filius subjiciebatur, ac religionem ingressus est, tametsi ophtalmia, sive fistula in altero ex oculis, vulnere in crure, necnon hernia afflictaretur. S. C. vero postulatum beneficium abnegavit: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 17 *aug.* 1737.

185. Ratione morbi scorbutici, quo laborabat Fr. Joseph Maria a Jesu, irritare conatur solemnem professionem inter Carmelitas excalceatos emissam. Hunc morbum celavit, et nunc constare de infirmitate incurabili ipse asserit; at S. C. beneficium non elargita est, ut sua jura possit experiri: *Veronen.*, *Restitutionis in integrum*, 17 *aug.* 1737.

186. Exhibentur probationes, quibus pubertatis annum vix Fr. Silvester a S. Elisabetha clericus ordinis Eremitarum discalceatorum S. Augustini excesserat, quando ille religionem amplexus fuit, gravia ob verbera, aliasque sævitias, quibus sæpe sæpius domi excipiebatur a Josepho Cordeil patre duræ indolis homine, et ad iram, furoremque proclivi. Testimonium suæ repugnantiæ adducitur, ac protestatus est, se nunquam animum habuisse professionem ratam faciendi; hinc postulata in integrum restitutio ultro ei donata est: *Avenionen.*, *Restitutionis in integrum*, 24 *maii* 1738.

187. Beneficium restitutionis in integrum imploraturus Fr. Joseph Varchetta ordinis Redemptionis Captivorum adversus professionem, quam in conventu S. Archangeli ad Bajanum civitatis Neapolis coactus protulit, ut ipse contendit, ob violentias sibi illatas, tum a Catharina Baliossa matre, tum a Josepho Pisacani, a quo in filium fuerat adoptatus. Metus gravis probatur; ejusdem adsunt expostulationes. Ast sacros ordines ad titulum paupertatis suscepit orator, officium vicarii per aliquot menses exercuit; et S. C. non esse locum restitutioni in integrum resolvit: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 14 *junii* 1738.

[155] Nam ex allatis documentis non satis constaret, quo tempore præfatus Franciscus Xaverius induerit religiosum habitum, et controversam professionem emiserit, minusque quot abhinc annis sacros ordines susceperit, nec itidem ex testium depositione conjici posset, num orator aliquod ex muniis, quæ religiosis professis solent committi, obierit, et labente quinquennio fuerit de violentiis sibi illatis conquestus, S. C. mandavit per instructionem, ut in his potissimum coadjuvarentur probationes: *Ibid. sub. die* 13 *april.* 1731, § 1.

188. Pater Antonius de Baptista inita deliberatione impugnandi professionem, quam in monasterio S. Crucis Cœlestinornm Lycii vi, metuque incusso a consanguineis emiserat, beneficium restitutionis in integrum poscit. Sed nequaquam obtinuit; etsi de gravi metu constaret, ille vero usque ad ingressum in religionem non perseveravit, et ordines sacros ad titulum paupertatis ille suscepit: *Lycien., Restitutionis in integrum*, 24 *januar.* 1739.

189. Fr. Thomas Gambacciani validitatem suæ professionis impugnaturus duplici sub obtentu altero, quod professus est in conventu S. Antonii ordinis Servorum B. M. V. violentiis ab ejus tutore adactus; altero, quod contra constitutiones agentes, *qui vero a capitulo admissus non fuerit, aut ipse profiteri noluerit, statim ad suos redeat,* vota religiosa nuncupavit; hac de causa restitutionem in integrum exoptavit, et imploravit incassum: *Pisana, Restitutionis in integrum*, 24 *jan.* 1739.

190. S. C. preces pro beneficio restitutionis in integrum admisit fratris Cherubini a Sanctissimo Sacramento in seculo Josephi Cavalli professi Carmelitæ reformati conventus civitatis Astæ. Hic ob vim, metumque a patre illatum professus est, et semper protestatus est; severa natura genitoris, et timida, ac humilis oratoris ex testibus elucet; ob id a S. C. in integrum restitui operam dabat: *Asten., Restitutionis in integrum*, 14 *martii* 1739.

191. Joseph Bruni, Pompeius a S. Stephano in congregatione pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, cui nomen dedit, subinde appellatus, post solemnia in eadem vota emissa, omnesque successive ad titulum religiosæ paupertatis susceptos ordines sacros postulat, ut in integrum restituatur adversus suam professionem. Hanc nullam putat esse ob vim, metumque a genitoribus incussum; et quia morbum gravem, quo laborabat, silentio prætermiserat; sed S. C. religione sese nondum opponente beneficium denegavit: *Januen., Restitutionis in integrum*, 4 *julii* 1739.

192. Hieronyma Andreas, quum octavum vix ageret annum patre orbata jussu Joannis patrui monasterium Sanctissimi Salvatoris civitatis Panormi educationis causa ingressa est, ibique ætate annorum 16, religiosam professionem enunciavit. Irritam hanc fuisse intendens, veluti a dicto Joanne sibi violenter extortam petiit, ut in integrum restituatur; et S. C. hoc beneficium concessit. Constabat enim de gravi metu, minisque, necnon de ejusdem conquestionibus, de quibus ipsius confessarius testatur: *Panormitana, Restitutionis in integrum*, 26 *sept.* 1739.

193. Maria Brigitta Franzonia in monasterio S. Leonardi ordinis S. Claræ professionem solemnem confecit assumpto nomine Paulæ Theresiæ, et id egit ob vim, metumque a patre incussum, quo adhuc eo in humanis degente contestatam denunciationem juratam edidit coram notario publico, et e vivis sublato tempus illi fuit ex animo expostulandi, et curavit, ut in integrum restituatur. Sed nihil aliud obtinuit, quam rescriptum *ad mentem: Januen., Restitutionis in integrum*, 30 *januar.* 1740.

794. Aloysius de Almeida professus inter Eremitas S. Augustini in conventu B. M. V. Gratiarum ostendit suam repugnantiam professionis tempore patefactam, minas a patre graviter incussas, imo colaphos, aliaque verbera accepta; ita ut e conventu occasione tirocinii fugam arripuit. Irritare proinde intendit suam professionem, et in integrum restitui exoptat, et S. C. petitioni concessit: *Ulyssiponen., Orientalis Restitutionis in integrum*, 3 *septemb.* 1740.

195. Quum Maria Feliciana exposuisset suam repugnantiam in emittenda vota religiosa in conventu Sanctissimi Salvatoris ordinis S. Dominici, ac conatus suæ matris Claræ Mariæ de Abreu de Lima, ut profiteretur; dubium proposuit de restitutione in integrum obtinenda, et S. C. responsum distulit, et mandavit, ut Ordinarius recipiat servatis servandis probationes deducendas a superiora monasterii, et transmittat: *Ulyssiponen., Orientalis Restitutionis in integrum,* 17 *dec.* 1740. Deinde beneficium restitutionis indulsit; 24 *aug.* 1743.

196. Nicolaus de Blasio, Prosper deinde appellatus, religiosam disciplinam familiæ fratrum ordinis Minorum conventualium patre orbato amplexus est in cœnobio S. Laurentii Majoris civitatis Neapolis, ac solemni professione emissa, ac in sacris ordinibus ad titulum religionis promoto laborat in integrum restitui adversus quinquennii lapsum. Minæ subdolæ ab eo enarratæ a patruis, matre, ac fratribus illatæ, verbera, violentiæque, ac morbus insanabilis, ob quem tempore tirocinii fuit a regulari observantia dispensatus valuerunt tantum, ut S. C. mandasset, ut orator rediret ad claustra suæ religionis, a cujus superioribus charitative tractetur, et deinde scribi Card. Arhiepiscopo pro repetitione duorum testium: *Neapolitana, Restitutionis in integrum,* 19 *dec.* 1740.

197. Exoptans Eleonora Lasso *della Vega* solemnem suam professionem, quam dudum sub instituto S. Claræ in monasterio oppidi nuncupati *de Carmona* ob reverentialem metum erga Petrum suum genitorem fecerat, destruere, in integrum restitui nititur. Ex processu sua repugnantia deducitur, et in eadem professione metum reverentialem erga genitorem prævaluisse docetur. S. C. tamen ex hactenus deductis non esse locum restitutioni in integrum credidit: *Hispalen., Restitutionis in integrum*, 3 *decem.* 1740. Denuo rediit causa, et pro-

telata est decisio addendo ad mentem [156] : 16 *januar.* 1745. Deinde eadem S. C. sententiam provisoris Hispalensis confirmandam esse decrevit : 28 *aug.* 1745. Postmodum ad dubium ; an sit standum, vel recedendum a decisis? protelavit rursus responsum, et mandavit, ut scribatur Archiepiscopo administratori juxta instructionem [157] : 26 *martii* 1746. Denique recessit S. C. a decissis, et indulsit beneficium restitutionis : 17 *sept. ejusd. anni.*

198. Fr. Joannes Romanellius ab Aquila in conventu Fr. Minorum strictioris observantiæ civitatis Pinnæ solemnem votorum formulam conceperat; quum id nulliter fecisse contenderet, tum quod vi, metuque sibi a fratre Francisco eo tempore provinciali illatis compulsus fuit, tum quod ipso probationis anno e conventu aufugiens animo illuc amplius non revertendi, interrupit tirocinium. His omnibus comprobatis, S. C. restitutionem petitam donavit, et addidit ad mentem [158] : *Pennen.*, *Restitutionis in integrum*, 23 *sept.* 1741.

199. Ab ineunte ætate cœpit morbo epileptico laborare Fr. Philippus *del Sole* professus ordinis Minorum Conv. in conventu S. Laurentii Neapolis. Sed hoc morbo non obstante ordines sacros in religione suscepit. Ad suam infirmandam professionem curat modo in integrum restitui, et, licet non adversetur religio, nihil obtinuit : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 18 *nov.* 1741, confirmata 23 *junii* 1742 et 30 *martii* 1743.

200. Petrus Thomas Vonuti urbis Cortonæ religiosam vovit professionem in monasterio montis Norcini civitatis Perusiæ congregationis Olivetanæ. In processu apparent objurgationes, minæque a patruis suis illatæ, animus ejusdem adversus ab instituto regulare. In ipsomet probationis tempore non semel petivit ad seculum redire, ac interrogatus actu professionis unquam voluntatem profitendi habuisse respondit ; hac super re S. C. nulla edita sententia præcepit, ut prævia denuo sumptione habitus, ac reditu oratoris ad claustra testes tam hactenus inducti, quam de novo inducendi, et orator ipse examinentur formaliter sub interrogatoriis sive ex officio, sive a parte contradicente dandis, subministratis interim ab eadem parte sumptibus necessariis : *Perusina*, *Restitutionis in integrum*, 16 *dec.* 1741. Deinde restituit illum in integrum : 24 *nov.* 1742.

201. Ob vim, atque metum a matre, quæ ad secundas nuptias transivit, illatum religiosis votis se perperam mancipasse Fr. Ermenegildus Maria antea Antonius Matthæus Bagietta inter Min. Observ. S. Francisci contendit. Implorata ab ipsa matre seculari potestate in carcerem conjectus fuit, ubi tædio victus, et animum abjectus ad profitendum se exhibuit. Id ipsa mater testata est ; et orator nunquam in religione acquievit, nisi postquam a S. C. beneficium restitutionis in integrum retulit : *Mantuana*, *Restitutionis in integrum*, 20 *jan.* 1742.

202. Violentiæ, metusque a consanguineis illati causa fuerunt, ut Fr. Felix Cavalero loci de Andujar professionem religiosam emisisset in conventu ordinis S. Joannis de Deo urbis Giennensis. Copia singultuum tamen, lacrymæque, quæ illæ professioni comitatæ sunt, non valuerunt, ut S. C. ei restitutionem in integrum elargiretur. Nam rescriptum prodiit S. C. : Dilata, et prævio reditu oratoris ad claustra, ac iterum sumptione habitus suæ religionis, conficiatur novus processus servatis servandis, et audito superiore locali : *Giennen.*, *Restitutionis in integrum*, 20 *jan.* 1742.

203. Fr. Angelus a S. Joanne Baptista, qui in seculo Joannes Kokitniki vocabatur, inter Carmelitas strictioris observantiæ variis religiosorum quorumdam blanditiis habitum suscepit, ac vota nuncupavit solemnia sexto, et decimo ætatis suæ anno nondum expleto. Hic non desiit reclamare, nec auditus fuit, imo superiorum jussu plures peragravit conventus ; denique in conventu ordinis S. Augustini Varsoviæ degit assumpta veste seculari, ac in integrum restitui curat, S. C. vero distulit responsum, jussitque, ut orator prævia iterum sumptione habitus regularis, ac reditu ad claustra sui ordinis, citato superiori locali subjiciatur examini formali, quod transmittatur : *Posanien.*, *Restitutionis in integrum*, 16 *dec.* 1741. Deinde docta S. C. de metu, ac vi illata, precibus S. C. suffragata est : 14 *dec.* 1743.

204. Fr. Joseph Dominicus Ferrarius in seculo Antonius nullitatem professionis, quam in ætate 17 annorum constitutus in conventu S. Mariæ Gratiarum civitatis Corrigii sub instituto ordinis Fr. Prædicatorum emisit, proponere animo perpendens, in integrum restitui expetit. Et S. C. prævio rescripto ut orator subjiciatur examini formali die 12 aug.

[156] « Et mens est, ut impetretur rescriptum a Pontifice et quatenus impetretur, reformetur dubium, et detur defensor ex officio. » *Ead. causa*, 28 *aug.* 1745, § unic.

[157] Data itaque fuit epistola ad Archiepiscopum administratorem, quam id ei negotii dabatur, ut recognitis documentis, et instrumentis authenticis referret, an eadem ita, prout exhibita sunt, existant, et quæ summa ad oratricem spectare, et pervenire poterat ex hæreditatibus tum paterna, tum materna : *Ead. causa*, 17 *sept.* 1746, § unic.

[158] Mens est, ut postquam frater Joannes ab Aquila apostolicum breve exhibuerit, et causa superdicta nullitate professionis absoluta fuerit, Episcopus de ipsius exitu S. C. statim certioret. *Regist. lit.* lib. 29, *die* 25 *sept.* 1741.

1741 emanato; concessit beneficium; licet in subsidium petitionis emergant violentiæ ac minæ a patre, ac fratre majori natu incussæ, quæ in constantem virum minime cadere possunt : *Regien.*, *Restitutionis in integrum*, 5 *maii* 1742.

205. Etiamsi Fr. Hyacinthus ab Auria sacerdos ordinis Eremitarum S. Augustini tria capita nullitatis suæ professionis exhibeat, tum ob vim, et metum a patre incussum, tum quia e claustris aufugit tempore probationis extra conventum, et integram transegit noctem; tum quia lue celtica infectus sit tamen a S. C. restitutionis in integrum beneficium non valuit impetrare : *Neapolitana seu Salernitana, Restitutionis in integrum*, 5 *maii* 1742.

206. Scholastica Rodriquez de Roade Astorga professionem devovit in monasterio S. Catharinæ villæ de Zafra sub nomine sor. Mariæ a S. Francisco. Quum id fecisset vi, metuque a matre illato compulsa, deprecata est, ut in integrum restituatur, et obtinuit. Nam eadem sor. Maria suam nimiam contradictionem ostendens tacite, vel expresse professionem nunquam ratam habuit : *Pacen.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *april.* 1742.

207. Quoad preces Fr. Bartholomæi Bette exoptantis jura sua experiri adversus religiosam professionem, quam ex gravibus minis, verberibus, aliisque corporis afflictationibus, tam a propria matre, quam ab Antonio Casirago secundo viro sibi illatis nulliter emisisse contendit, dubio proposito; an sit locus restitutionis in integrum? Dilata, et orator examinetur formaliter, respondit : *Mediolanen.*, *Restitutionis in integrum*, 7 *april.* 1742. Examine peracto S. C. indulsit in integrum restitutionem : 22 *sept. ejusd. anni.*

208. Josephus Burgi a patre religiosam proferre professionem minis, metuque coactus fuerat, et hujus nullitatis sententiam a vicario generali Messanensi obtinuerat; quando suspenso judicio ab Ordinario Melitæ adiit S. C., ubi tam per paternam confessionem, quam per testes probavit, metûs causa elicitam abs te fuisse professionem, et ob etiam perpetuum luis celticæ morbum, quo ab ipsa nativitate sive a parentibus, sive a nutrice contracto se hactenus laborasse conqueritur, nullam eam esse contendit; et restitutionem in integrum postulat. At S. C. definitionem suspendens voluit, ut orator subjiceretur formali examini cum interrogatoriis dandis ex officio a promotore fiscali coram Ordinario Melevitano : *Messanen. seu Melevitana*, *Restitutionis in integrum*, 2 *junii* 1742. Peracto oratoris examine restitutio in integrum fuit concessa : 22 *sept. ejusd. anni.*

209. Judith Amata Francisca Dusaix postulat in integrum restitutionem, qua possit irritæ suæ professionis religiosæ causas in medium proferre. Constat ex testibus animum semper oratricem adversum tulisse a disciplina regulari, minas illatas a patre, artesque malas adhibitas, ut profiteretur; et licet de carcere, de infamia, verberibusque haud doceret oratrix; tamen S. C. precibus ejusdem annuit : *Bisuntina*, *Restitutionis in integrum*, 26 *januar.* 1743.

210. Quum puellam deperiret adolescens Januarius Russus, desperaretque connubium invito Leonardo patre, in monasterium ordinis Discalceatorum S. Augustini ingressus inter laicos ibi professus est. Postulat modo in integrum restitutionem. Ad irritam faciendam suam professionem, tria adducit capita : vis, ac metus a patre illatus : ætas tempore professionis non debita, ac præstituta in constitutionibus : morbus herniæ intestinalis, quo perpetuo affectus est, et ob quem nihil agere potest in monasterio; S. C., quod orator precibus rogavit, impertita est : *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 23 *nov.* 1743.

211. Jacobus Antonius Ferrati credidit suam adstruere professionem, quam emisit in conventu Minorum Conventualium civitatis Camberii, quod in filium alicujus designati conventus, vel in novitium receptus non fuit, et ob defectum triennalis experimenti, ac interruptionis anni probationis; sed haud valuit restitutionem in integrum obtinere : *Gratianopolitana*, *Restitutionis in integrum*, 28 *septem.* 1743.

212. Ex inhumana patris asperitate, ac inclementia Paulus Gallius monasterium ordinis Cappuccinorum ingredi cogitur, ubi declaravit solemnem professionem nomine accepto P. Fidelis a Turicella. Post patris obitum, et elapso quinquennio, beneficio restitutionis in integrum indigens illud expoposcit, sed incassum : *Cæsenaten. seu Feretrana*, *Nullitatis professionis*, 8 *febr.* 1744, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

213. Tanta calliditate, atque astu ad animum virginis Felicianæ Britto metu capiendum, flectendumque matertera monialis usa est, ut, si quid peccatum esset incaute a puella, verberibus expiaretur, et hac ratione ejus voluntati, atque imperio illa obsequebatur; accedit jussum patris, ac Aloysii, quo coacta fuit Feliciana nomen dare monasticæ disciplinæ ac professionem enunciare in monasterio S. Annæ, indicia certissima ipsius repugnantis naturæ, ac argumenta præbens. Putabat illa monialem non esse, ideoque officiis monialium vacavit, ac expostulationes emisit. Origine metus sublata obtestatur in integrum restitutionem; et a S. C. ultro acquisivit : *Lisbonen.*, *Nullitatis professionis*, 8 *febr.* 1744.

214. Concedendam esse in integrum restitutionem S. C. decrevit nobili Aloysio Martinellio, qui desperatione ductus ingressus est monasterium

Eremitarum S. Augustini, quique vix transacta legitima ætate, nomine non mutato, professionem solemnem Anconæ peregit. Ejusdem pater, qui metum incussit, ferox homo erat ingenio, ac moribus inconditus, atraque tumens bile, filio obsonium denegabat, ac fuste, ferroque illum contundebat. Ipse monachum non esse semper ita animo imbiberat, ut non semel conquestiones significaverit, quas mortuo vix patre edidit : *Ariminen. seu Anconitana, Restitutionis in integrum*, 18 *april.* 1744.

215. Fr. Francisco Mariæ a Paula dicto in ordine Minorum Reformatorum antea Antonio Vica, quum vi, metuque atroci a patre adactus fuisset, ut monasticæ disciplinæ nomen daret, et ab iis, qui monasterio, et ordini præerant, invitus, reluctans, et protestans retentus, et in carcerem conjectus fuisset, S. C. postulatum beneficium restitutionis in integrum concedere non hæsitavit, et addidit *ad D. Secretarium juxta mentem.* De vi enim cadente in constantem virum, ac de ejusdem repugnantia satis constabat : *Uritana, Nullitatis professionis,* 21 *nov.* 1744.

216. Ad S. C. delata fuit causa patris Aloysii Mariæ Castelli, qui se metu verberum, carcerum, et mortis in necessitatem adductum a patre dicebat, ut religioni nomen daret, quod ab eo factum est, quia vota solemnia in ordine Eremitarum D. Augustini nuncupavit. Ex processu evincitur vis, metusque gravis; ejusdemque querelæ, ac repugnantia ab ipso ostensa comprobantur; hinc S. C. quoad restitutionem in integrum eum audivit, et subjunxit, ut Episcopus procedat contra patrem prout de jure : *Lancianen., Restitutionis in integrum,* 13 *feb.* 1745.

217. Carolus Bernardus Pezzius rescissoriam actionem proponit contra professionem suam, quam vi, metuque gravi adactus a patre, patruoque inter clericos regulares S. Pauli Decollati in collegio S. Mariæ in Carrobiolo Modœtiæ nomine Antonii Mariæ assumpto pronunciavit; et S. C. primum mandavit, ut scribat defensor professionis sumptibus religionis : *Mediolanen., Nullitatis professionis,* 30 *januar.* 1745. Deinde restitutionem petitam indulsit : 17 *julii ejusd. anni.*

218. Joseph Maria Perimezzius ordini, quem vocant Minimorum, nomen dedit in monasterio Paulæ allectus ad id blanditiis patrui in eodem ordine professi, impletoque probationis anno professionem emisit. Hic recedere a consilio suscepto conatur, quod ante debitam ætatem professus est, et quod emophtiseos vitio affectus frequenti sanguinis effusione, tabe, macieque conficeretur, ita ut quartum ordinis votum implere, et cibis uti quadragesimalibus nequiret ; idcirco petitam in integrum restitutionem condonavit S. C. : *Consentina, Restitutionis in integrum*, 4 *dec.* 1745.

219. Violentia, formidine, fraude, verberibusque a patre illatis Carminus Marzanus juvenis annorum 16 ductus fuit ad monasterium PP. Cappuccinorum, ubi suscepit sacras vestes, accepto nomine P. Joannis Baptistæ a Morano. Tempore probationis exacto aufugit dimissis vestibus, sed artibus revocatus professionem statim emisit. Non tamen quievit, et dum responsa suæ petionis expectabat, quinquennium elapsum est. Hinc, ut in integrum restituatur, probat vim, metumque, qui cadere in virum constantem potest, et S. C. primum, ut scribat defensor professionis mandat : *Sancti Marci, Restitutionis in integrum*, 14 *maii* 1746. Deinde beneficium rogatum ei S. C. dedidit : 6 *aug. ejusd. anni.*

220. Poscit P. Joannes Baptista Barbetta antea Antonius Joseph nuncupatus, qui in monasterio S. Mariæ montis Ortoni ordinis Eremitarum D. Augustini professus est, ut in integrum restituatur. Ratio postulationis est, quod vi, metuque, et vulneribus etiam inflictis a parentibus adductus fuerit ad sacras suscipiendas vestes, ac argumenta aversæ voluntatis dederat. Sed ex hactenus deductis non esse locum petitioni S. C. credidit : *Patavina, Restitutionis in integrum*, 17 *sept.* 1746, confirmata 15 *julii* 1747. Deinde recedendo a decisis precibus adhæsit : 12 *aug. ejusd. anni.*

221. Severitate præceptoris a seminario aufugit Michael Framonti, seseque in monasterium Depiniani ordinis Cappuccinorum recepit, et inde quadam falsa, et commentitia testificatione baptismatis ab amico conficta, ipso tamen inscio, professionem confecit. Certior pater provincialis factus, ut ille ratam haberet suam professionem, curavit. Sed postea cognitum fuit tum professionem, tum ratihabitionem peractam fuisse ante legitimam præscriptam ætatem ; ideo S. C. illius preces super restitutione in integrum exaudivit : *Rossanen., Restitutionis in integrum*, 27 *aug.* 1746.

222. Rei familiaris angustia compulsus Fr. Franciscus Nolfius sese in parvo monasterio S. Petri ordinis Servorum B. M. in oppido Castilionis recepit; ibique suas præstitit operas, uti commissus secularis juxta morem illius ordinis. Et primo, ac sequentibus annis diu noctuque a monasterio discessit indulgentia præfectorum, et penes amicos laute cœnabat, veste seculari cubabat. Sed inde fratris sui legitimam habuit hæreditatem, et patres illum revocarunt, et reluctantem in vinculum conjecerunt. Contendunt patres professionem emisisse, licet ea in libris non fuerit reperta. Sed S. C. ad dubium, an sit ei concedenda restitutio in integrum ? rescripsit, ut coadjuvarentur probationes, et examinaretur orator : *Brixien., Restitutionis in integrum*, 10 *decem.* 1746. Deinde affirmativum responsum præbuit : 20 *maii* 1747.

223. In ordine PP. carmelitarum Excalceatorum Alexander Renzius, præstito juramento nullo insanabili morbo se affici, receptus fuit, acceptoque nomine P. Philippi Nerei a S. Gaudentio professus est. Is morbo insanabili laborat, cui nec ars, nec ferrum opem ferre potuit, et potest; atque ex testibus evincitur illo laborasse ante ingressum monasterii; ob id S. C. quæsita super restitutione in integrum tribuere eam putavit: *Aretina, Restitutionis in integrum*, 18 *novem*. 1747.

224. Minis paternis, ac verberibus fractus Dominicus Geracius inter fratres Cappuccinos se recepit, et impleto probationis anno professionem emisit in monasterio civitatis Mistrettæ assumpto nomine Fr. Salvatoris a Petraglia. Licet semper repugnans fuisset ordini regulari, tamen munera data implevit. Deinde petita in integrum restitutione S. C. mandat, ut orator subjiciat se examini, et scribat defensor professionis: *Cephalœden.*, *Restitutionis in integrum*, 14 *maii* 1746. Postmodum præcepit, ut proponatur causa, citatis interesse habentibus ad formam constitutionis Sanctissimi domini nostri[159]: 11 *maii* 1748. Denique locum non esse restitutioni deliberavit: 20 *decem*. 1749.

225. Preces fundit pro in integrum restitutione P. Constantinus a Sancto Felice ordinis S. Francisci Minorum Observantium reformatorum, qui in seculo appellabatur Franciscus Xaverius. Nullitatem suæ professionis desumi putat ex defectu ætatis, ac ex morbo insanabili, quo laborabat; et indicit nunquam vota emissa expresse, vel tacite rata fecisse. Hujus preces S. C. excepit, atque eum in integrum restituit: *Sancti Marci*, *Restitutionis in integrum*, 2 *dec*. 1747.

226. Petrus Castiliego acris ingenii vir, et miles stationarius Arcis Sipontinæ filium Michaelem Dominicum duxit ad monasterium Fr. Minorum Observantium S. Francisci Stignani, in quo ille imperio obsequens paterno regularem professionem emisit. Cognitus inde fuit legitimæ ætatis defectus, propterea pro infirmanda sua professione institit, et primum ut in integrum restituatur. S. C. ut scribatur Archiepiscopo juxta instructionem [160] præcipit: *Sipontina*, *Restitutionis in integrum*, 28 *januar*. 1747. Deinde, quod orator petierat, indulsit: 6 *maii ejusd. anni*.

227. Adversus quinquennale lapsum rogat, ut in integrum restituatur, pater Hyacinthus a Serra Capriola ordinis Cappuccinorum antea Carolus de Luca appellatus. Pater eum, ut inquit, ad profitendum coegit, reluctans vestes ille suscepit, cum triduo post fugeret, licet inutiliter; ejectus enim verberibus e laribus paternis fuit, ac rediit ad monasterium, ubi absoluto probationis tempore professionem emisit. Pluries in apostasiam incidit, sed semper ad monasterium reductus fuit; hinc S. C. consulta primum voluit, ut coadjuventur probationes: *Sipontina*, *Restitutionis in integrum*, 15 *april*. 1747. Postmodum in integrum eum restituit: 2 *sept. ejusd. anni*.

228. Defectus ætatis legitimæ, qua inter Cappuccinos religiosa vota P. Ludovicus a Rhodio enunciavit, compulit ad postulandam in integrum restitutionem, ut suam professionem evertere possit: hic agens annum 16 nondum completum professus est, et id ex libris parochialibus probatur. Ab eo autumatur nunquam ratam suam professionem fecisse, quum de defectu certior factus fuisset; S. C. tamen non devenit ad resolutionem, et mandavit ut scribat defensor professionis: *Sipontina*, *Restitutionis in integrum*, 27 *januar*. 1748. Deinde recessit a decisis, et rescripsit: Dilata, et ad mentem [161]: 13 *julii ejusd. anni*. Iterum: Dilata, et scribat defensor professionis emanavit responsum: 23 *novem. ejusd. anni*.

229. Non hæsitavit S. C. in integrum restituere elapso quinquennio Annam Mariam Faaque, quæ in monasterio S. Augustini civitatis Avenionis professionem vi, metuque matris expressit, cui ob viri dementiam domus regimen datum fuerat. Semper illa se ostendit reluctans, ac repugnans vitæ monasticæ, ita ut finxerit se Jansenii erroribus in-

[159] Bened. XIV, quæ incipit *Si datam* 4 martii 1748, et in qua ordo in causis super nullitate professionis regularis accurate præscribitur: *Bull. ejusd. Pont.* tom. 2, const. 48, pag. 178.

[160] « Instructio hæc fuit, ut Archiepiscopus recognita in libro parochiali asserta fide Baptismi oratoris die 22 julii 1708, referret, quibus præcisis nominibus orator baptizatus fuerit, et factis diligentiis in iisdem libris parochialibus saltem per triennium ante annum 1708 certiorem faciat, si aliqua adesset partita sub iisdem nominibus baptizati, qui forte fuerit filius Petri Castiliego, quique decesserit. » *Ead. causa*, 6 *maii* 1757, § unic.

[161] *Et mens est, ut scribatur Archiepiscopo juxta instructionem:* Instructio autem hæc fuit: Ut sive per se sive per idoneam, et fide dignam personam a se subdelegandam omnes adhiberet diligentias in conventu terræ S. Joannis Rotundi pro reperienda fide Baptismatis Fr. Ludovici exhibita in actu susceptionis habitus, et emissæ professionis, illamque transmitteret, si reperiretur, seu de resultantibus certiorem faciat; præterea D. F. Ludovicum formali subjiceret examini super scientia defectus suæ ætatis, quomodo nimirum, quave occasione, et a quo præciso tempore defectum ipsum agnoverit, et resciverit, ac hujusmodi examen servatis servandis compilatum ad Sac. Congregationem transmitteret; demumque inquireret, an dictus Fr. Ludovicus in sacrorum ordinum susceptione ad probandam ætatem pro quolibet sac. ordine requisita fidem Baptismi exhibuerit, et quam, vel quomodo in ipsius promotione de legitima ejus ætate constiterit: » *Ibid. sub. die* 23 *novem*. 1748, § unic.

quinatam, ut a monialibus rejiceretur. Frequentes fuerunt minæ, et matris artes, ut profiteretur; ita ut tristitia confecta in morbum incidit. Professionis verba mœrens, lugens, aut non protulit, aut ea non intellexit. Et elicita professione talem se præstitit, qualem moniales noluissent : *Avenionen, Restitutionis in integrum*, 10 *febr.* 1748.

230. Pater Silvester Berardius Romanus, ut in integrum restituatur, poscit. Ejus mater secundis contractis nuptiis una cum viro omnem conatum adhibuit, ut professionem regularem ille fecisset, et licet ab hoc vitæ genere alienus esset animus Berardi, tamen, ut vinceret, vitricus nec a minis nec a verberibus se abstinuit, donec Silvestrinorum congregationem ingressus, absque animo solemnia vota nuncupavit; S. C. primum voluit, ut coadjuvarentur probationes : *Romana seu Camerinen., Restitut. in integrum*, 22 *junii* 1748. Deinde restitutionem in integrum denegavit : 14 *sept. ejusd. anni.*

231. Joseph a Costa Valconcellos nititur in integrum restitui adversus temporis lapsum, ut nullam dicere possit professionem, quam vi, metuque a patre illato emisit in monasterio PP. Cisterciensium S. Bernardi congregationis Portugalliæ ; sed S. C, illam inficiata est; licet probasset suam repugnantem naturam disciplinæ regulari, necnon vim, metumque illatum, de quibus semper conquestus est. Promotus quippe fuit ad ordines sacros absque ulla dispensatione : *Lisbonen., Restitutionis in integrum*, 25 *januar.* 1749.

232. Ut nullam dicat, quam protulit professionem, in integrum restitui petiit Joseph Capot de Barestin, qui sexdecim annos natus vi, atque metu a parentibus illato adactus est, ut Cluniacensi nomen daret. Parentes itaque, ut assequi ille possit beneficium regulare, omnem moverunt lapidem, blanditiis primum, deinde minis, verberibusque, ut ille ordinis vestes susciperet. Et licet semper stetisset reluctans, ac impatiens S. C. eum audire abnuit : *Xantonen. seu Ordinis Cluniacensis*, 25 *januar.* 1749.

233. Adversus lapsum temporis a die professionis emissæ in integrum restitui exoptat S. Ambrosius Gaudius. Nam licet ille animum adversum a regulari instituto lacrymis, verbisque pandisset, tamen minæ, verbera, violentiæque a fratribus germanis natu majoribus, qui patre senescente rei familiaris regimen susceperant, illatæ prævaluerunt; ita ut professionem in monasterio PP. S. Dominici emisit. Sed longe a postulatione oratoris S. C. abfuit : *Monopolitana seu Baren., Restitutionis in integrum*, 26 *april.* 1749.

234. Duas in medio profert rationes P. Raphael a S. Josepho clericus regularis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Prima est, quod ipso tempore professionis insanabili morbo laboraret, quem latuit, et modo ineptus est muneribus religionis obeundis. Altera est interceptus annus probationis, quum eo anno bis abfuerit, et ludis scenicis secularibus vestibus indutus præsens fuerit. Hinc restitutionem in integrum efflagitat, et obtinet rescriptum, ut scribat defensor professionis : *Neapolitana, Restitutionis in integrum*, 5 *julii* 1749. Deinde negativum tulit responsum : 23 *aug. ejusd. anni.*

235. Die 21 febr. 1741 monasterium ordinis Carmelitarum Coriolani ingressus est Thomas martyr, et die 21 dec. 1741 professus est inter fratres laicos. Obiit inde præfectus monasterii, et hac occasione in cubiculo ejusdem invenit authentica instrumenta et susceptionis habitus, ac professionis, hinc conatus est in integrum restitui ad labefactandam suam professionem defectu duorum mensium probationis, sed metam votorum non attingit : *Rossanen., Restitutionis in integrum*, 23 *aug.* 1749.

236. Nunquam professionem emisisset inter Eremitas ordinis S. Augustini congregationis Coloritanæ, P. Joachim Magri, nisi metu, ac vi a patre compulsus fuisset. Et dum id ex animo dicit ille, probare minas, verbera, ac mortem parvo tormento bellico a patre indictam fuisse, ac expostulationem fecisse conatur ; ideo restitui in integrum desiderat, sed spei exitus non respondet : *Thelesina, Restitutionis in integrum*, 22 *novem.* 1749, confirmata 9 *maii* 1750

237. Ut filia asse toto gauderet, Bernardus Pereira de Sousa, et Augustina Ferreria conjunges Joannem filium in monasterium ingredi importunis precibus adorti sunt, et quum nihil proficerent, ad minas devenerunt. Detractantem eum in interiori domus cubiculo clauserunt, ubi modico cibo miserrimam ille agebat vitam. Omne diffugium quod cogitavit Joannes, pater præclusit. Tandem susceptis religiosis vestibus in monasterio S. Mariæ Gratiarum ordinis Calceatorum S. Augustini Ulissipone vota solemnia nuncupavit. Protestatus contra est, et præsertim die, qua ad sacerdotium fuit promotus. Pater tempore obitus veniam a filio petiit. Proposuit inde nullitatis querelas, sed Card. patriarcha censuit per subsequentes actus confirmatam esse professionem, si forte aliquid nullitatis habuerit; hinc S. C eum in integrum restitui noluit : *Lisbonen., Restitutionis in integrum*, 20 *decem.* 1749.

238. Postquam Valentinus Danilowski vi, metuque filium Matthæum Casimirum adegerat, ut in monasterio ordinis Eremitarum D. Augustini civitatis Varsoviæ sacras susciperet vestes, ac professionem emitteret nomine P. Benedicti accepto, falsam quoque exhibuit fidem baptismatis filii.

Postmodum stimulis conscientiæ agitatus rem omnem aperuit in actibus Nunciaturæ apostolicæ, ex quibus elucet defectus sex mensium; ideo petita fuit in integrum restitutio, sed S. C. protelata responsione, ut scribatur Episcopo juxta instructionem, mandavit : *Posnanien.*, *Restitutionis in integrum*, 13 *sept.* 1749.

238. Quum actum fuisset de professione emissa apud patres Carmelitas excalceatos vi, metuque a patre illato, et ut ab arce Benjana, in qua eum pater detinebat, evaderet, petita proinde est in integrum restitutio a Fr. Romualdo a S. Josepho, qui vocatus antea Nicolaus Athanasius fuit; quique suis deperditis moribus, iram, indignationemque patris excitaverat. S. C. primum ut scribat professionis defensor voluit : *Neapolitana, Restitutionis in integrum,* 20 *dec.* 1749. Deinde instantiam rejecit : 28 *febr.* 1750.

240. Ut Antonium filium ad vestes alicujus regularis ordinis suscipiendas adigeret, Franciscus Pella minis, verberibus, et alimentorum denegatione usus est, metuque eum adscribendi armatæ militiæ incusso. Fracto animo juvenis vestes ordinis Cappuccinorum suscepit, ac vota emisit prævia contestata denunciatione in actibus producta. Post fere 20 annos in integrum restitui efflagitat, quum antea pater opem, et pecunias in hac causa præstare noluisset. Sed nihil obtinuit : *Casertana*, *Restitutionis in integrum,* 28 *febr.* 1750.

241. Professionem emisit invita Carlotta Thiery assumpto nomine sororis S. Augustini in monasterio monialium Ursulinarum Commercii, quum minis, et imperio paterno resistere non valens monasterium ingressa fuisset. Aversum animum verbis, lacrymis, factisque aperuit, sed restitutionem in integrum haud impetrare potuit: *Tullen., Restitutionis in integrum*, 9 *maii* 1750.

242. Post annos triginta, quibus Thomas Malatesta in ordine S. Joannis de Deo fuit, et ad sacerdotium promotus, priorisque officio bis functus est, validitatem professionis suæ in dubium revocat, quod non sponte, et ex animi sui sententia ordini nomen dederit, sed ut falsi pœnam, quo crimine reus a fisco peragebatur, effugeret. In integrum itaque restitui postulat; sed incassum : *Neapolitana Nullitatis professionis*, 20 *junii* 1750. Iterum causa exhibita protelata fuit responsio, et mandatum, ut interim orator redeat ad claustra suæ religionis, et quoad expensas ad D. secretarium : 1 *aug. ejusd. anni.*

243. In causa restitutionis in integrum adversus religiosam professionem, quam in monasterio S. Petri ordinis S. Benedicti civitatis Perusiæ egit D. Seraphinus Guazzesius S. C. jussit, ut scribat professionis defensor. Nam professus ille erat non completo anno 16 suæ ætatis, quia facta diligenti temporis computatione defuisse fere evincebatur dimidiam diei partem ad implendum annum prædictum : *Perusina, Restitutionis in integrum,* 20 *junii* 1750. Inde minime fuit ille in integrum restitutus : 1 *aug. ejusd. anni.*

244. Franciscus Serranus vim, metumque vitrici sui sustineri non valens professionem regularem expressit in monasterio PP. Carmelitarum excalceatorum. Nam fugiens ille mortem, quam vitricus minabatur, e fenestra sese præcipitem dedit, et licet mortem casu evaserit, vix fugit ab ense, quem perditus ille in eum e fenestra injecit. At quum lætus vestes suscepisset regulares, vitrico absente professus fuisset pari jucunditate, et sacros ordines habuisset, votaque annis singulis iterasset; S. C. locum non esse restitutioni in integrum declaravit : *Vallisoletana, Restitutionis in integrum,* 11 *julii* 1750.

245. Post tot minas, tantaque verbera, ut monasticæ disciplinæ nomen daret Joseph Vassallinius, qui post mortem patris in avunculi, ac patrui potestate subjectus evasit, inops consilii, animoque nimis debilitatus, atque afflictus adolescens consensum præstitit, hinc nulla injecta mora ad patres ordinis Minorum Observantium civitatis Sepini ductus est, et ne ab illis recusaretur, avunculus falsum tulit testimonium alium filium sibi ætate majorem superesse. Ibique professionem emittere debuit pluribus conquestionibus elicitis. S. C. vero ut scribat defensor professionis mandavit : *Bovinen., seu Sepinen., Restitutionis in integrum*, 8 *maii* 1751. Deinde petitam restitutionem indulsit : 10 *julii ejusd. anni,* confirmata 31 *ejusd. mensis, et anni.*

246. Ut inimicorum iram, et sicariorum insidias eluderet, nullum aliud supererat diffugium Eliseo Priscolo, nisi ut vel sacramento militari adstringeretur, vel monasticæ disciplinæ nomen daret; ideo Neapolim monasterium ordinis S. Joannis de Deo ingressus est, et professionem emisit suscepto nomine patris Januarii. Postquam per annos viginti octo in ordine manserat, et in officiis versatus erat, nullam dicit professionem, et ut in integrum adversus eam restituatur, est sollicitus, sed nihil obtinet : *Neapolitana, Nullitatis professionis,* 19 *junii* 1751.

247. A lapsu quinquennii desiderat in integrum restitui Antonius Aquilecchia in ordine PP. Conventualium S. Francisci civitatis Aletii professus. Asserit hic professionem emisisse minis, ac verberibus fratris natu majoris, ac a vi ducis Calabritti. Detentus enim fuit in carceribus, donec fidem monasterium ingrediendi daret, restitutionem in integrum, quam volebat, minime assequutus est : *Venusina, Restitutionis in integrum*, 22 *januar.* 1752, confirmata 20 *maii ejusd. anni.*

248. Preces obtulit P. Archangelus Maria a Turri Majori professus in monasterio PP. S. Francisci Min. Observ. S. M. Vallis Stignani, quibus postulat restitutionem in integrum, adversus professionem vi, metuque emissam. Nam vitricus minis, verberibus, ac mortis timore illum terruit, ut profiteretur, et id fecit reluctans, lacrymans, ac tristis, de quo semper conquestus est. Sed a spe frustratus: *Lucerina*, *Restitutionis in integrum*, 29 *julii* 1752.

249. Cupit in integrum restitui adversus professionem, quam emisit in ordine S. Joannis de Deo P. Florianus Floriani minis, asperitatibus matris viduæ, ac fratris octennio majoris coactus. Et licet expostulationes fecisset, ac signa manifesta de suo animo adverso præbuisset, tamen S. C. beneficium restitutionis in integrum denegavit: *Neapolitana*, *Restitutionis in integrum*, 29 *julii* 1752, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

250. Asperime habitum a patre fuisse narratur P. Franciscum Mariam Paganum ordinis Eremitarum S. Augustini congregationis S. Joannis ad Carbonariam, verberibusque adactum cessisse tandem ejus voluntati. Regularem autem professionem lacrymis, ac tanta animi perturbatione protulit, ut in morbum inciderit. Paupertas ei obstitit, ac defectus patrimonii, ne litem incepisset. Sed Patres docti de ejusdem animo adverso pecunias præbuerunt. S. C. autem locum non esse restitutioni in integrum declaravit: *Neapolitana*, *Nullitatis professionis*, 18 *novem.* 1752.

251. Imploravit in integrum restitutionem adversus lapsum quinquennii P. Petrus Martinez regularis ordinis Eremitarum S. Augustini, quod vi, metuque gravi adactus fuisset a patre ad elicendam professionem in monasterio S. Philippi Matriti. Ex processu patris ferocem animum; ac verbera, ipsius lacrymas, ac repugnantiam desumere facile erat. S. C. tamen restitutionem in integrum minime impertitur: *Toletana Restitutionis in integrum*, 7 *april.* 1753.

252. Post decem, et octo annos a die ingressus in monasterium de *Bliquii* ordinis S. Francisci querelam nullitatis suæ professionis ob vim, metumque a matre illatum proposuit Maria Placida Hoverland. Quum autem de gravi vi, ac metu satis non constaret, necnon de conquestionibus, ac animo alieno dictæ monialis, quæ octo annos post matris obitum absque expostulatione ulla transegerat. S. C. non esse locum restitutioni in integrum censuit: *Cameracen.*, *Nullitatis professionis*, 6 *decemb.* 1755.

253. Etsi adversum a regularibus institutis animum aperte ostendisset Maria Antonia Cappella, parentes sui omnes artes, ac simulationes adhibuerunt, ut monasterium S. Spiritus civitatis Aversæ ingrederetur, ac inde professionem emisisset. Satis luculenta proponit documenta de continua ejusdem querimonia a vi, metuque a parentibus illatis, etiam ipsum sacerdotis fratris testimonium ad exonerationem suæ conscientiæ prolatum; qua de causa S. C. petitam restitutionem in integrum concessit: *Nolana*, *Restitutionis in integrum*, 19 *nov.* 1757, confirmata 18 *febr.* 1758.

254. Regularem professionem, quam in cœnobio lyciensi congregationis Cœlestinorum enunciavit P. Franciscus Paulus Fookovitz simulatam, et nullam proclamavit ex defectu consensus, ob vim, et metum sibi illatum a vitrico. Ex testibus apparet immanissima verbera trucis vitrici, animum Francisci reluctantem. Protestatus hic est, ac repetiit easdem conquestiones ante, ac post emissam professionem, ac præmissa contestata denunciatione ordines suscepit. Petiit, ac in integrum restitutionem obtinuit: *Lycien.*, *Restitutionis in integrum*, 20 *sept.* 1760, confirmata 20 *decem. ejusd. anni.*

255. Dum rogabat Fr. Joannes Moreno de Varo in integrum restitutionem, suæ professionis desumebat invaliditas tum ex interruptione anni probationis, tum ex duplici metu nempe timoris pœnæ capitalis ob patratum crimen duelli, et mortalis vulneris in hostem inflicti, ac ex violentiis patris, et avunculi. Sed in conventu PP. Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum terræ *della Rambla*, professus est, et ordines sacros suscepit. Et S. C. nulla edita declaratione, ut examinentur testes cum interrogatoriis juxta instructionem [163] decidit: *Corduben.*, *Nullitatis professionis*, 19 *sept.* 1761.

256. Nobilis adolescens comes Ignatius Goranius, dum comes Ferdinandus pater bonorum administratione eum privavit, extra patriam morabatur, habitum regularem assumpsit in conventu fratrum minorum Conventualium, ubi professionem emisit, sacrosque suscepit ordines, et gradum baccalaurei assequutus est. Restitui in integrum exoptat, cum sua professio ex defectu consensus possit irritari, sed quo spectabat, minime pervenit: *Mediolanen.*, *Restitutionis in integrum*, 22 *maii* 1762.

[163] Examinandos esse testes cum adjunctis interrogatoriis ab infrascripto domino Secretario examinatis, et recognitis juxta mentem. Examen prædictum conficiat servatis servandis, illudque completum transmittat: *Regist lit.* lib. 32, *die* 19 *sept.* 1761.

257. Eleonora Antonia Serrano religionem solemniter professa est assumpto nomine sororis Antoniæ a S. Hieronymo in sanctimonialium monasterio Villæ de Quesada post triginta vero completos annos postulavit in integrum restitutionem pro agenda nullitatis professionis causa, quam vi, metuque cognatorum emisisse narrat. Et licet testes affirment de gravi vi, ejusdem reluctantia, tamen S. C. negativum dedit responsum, et addidit ad mentem : *Toletana, Nullitatis professionis,* 21 *aug.* 1762.

258. Religioni Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nomen dedit Antonius Sticardi inter fratres operarios, ac inde professionem solemnem pronunciavit in domo probationis S. Mariæ de Caravaggio. Transactis tredecim annis conquestus est de gravaminibus, quibus a suis superioribus afficiebatur, addiditque se fuisse ad religionem admissum ante tempus a sui ordinis constitutionibus præfinitum, quare restitutionem in integrum implorat, S. C. autem preces ejusdem minime audivit : *Neapolitana, Restitutionis in integrum,* 26 *novem.* 1768.

259. Post elapsum a professione quinquennium monialis Christina Beauregard in seculo Eugenia Margarita, ac ejus germana soror Victoria vocata prius Anna Maria ambæ professæ in monasterio Sanctissimæ Annunciationis Camberiaci petierunt, ut in integrum restituantur, affirmantes per vim, et metum a patre incussum solemnia vota absque animo profitendi, protulisse. Et quum constaret de gravi metu, nempe contumeliis, minis, assiduisque molestiis, deinde jejunio, carcere, verberibus, deque iteratis conquestionibus, S. C. indulsit petitam restitutionem; *Gratianopolitana, Restitutionis in integrum,* 15 *decem.* 1770, confirmata 23 *febr.* 1771.

260. Quinquennis puella Maria Francisca Lino de Castelui post patris obitum detrusa fuit in monasterium S. Mariæ Magdalenæ ordinis S. Dominici civitatis Valentiæ, ubi tirocinium, undecim ætatis annum nondum egressa egit, ac inde professionem emisit. Post 17 annos contra suam professionem reclamavit, utpote factam per vim, et metum, et absque libera voluntate, atque consensu. Exhibet proinde probationes metus gravis, ac vis consanguineorum, ut profiteretur, et post professionem clamores ejusdem, et execrationes. S. C. ad dubium an sit locus restitutioni in integrum? respondit : Dilata, et conficiatur processus, servata forma Constitutionis Benedicti XIV, Pont. Max., *Si datam* [163] : *Valentina, Professionis,* 12 *junii* 1773.

261. Fr. Vincentius Szenniowski regularem professionem emisit in religione S. Dominici ordinis Prædicatorum, quam autumat nullam fuisse propter vim, metumque a matre sibi illatum. Ex processu evincitur eum injuriosis, et contumeliosis verbis parentes affecisse, gravesque minas, castigationes, et sævitias in ipsum adhibuisse, ut religiosum fieret, animum semper adversum ab illo statu exhibuisse, S. C. tamen dubio proposito ; an sit concedenda restitutio in integrum? rescripsit : Dilata, et circumscriptis omnibus gestis conficiatur novus processus juxta instructionem [164] : *Chiovien., Restitutionis in integrum,* 24 *jan.* 1778. Deinde iterum protelata est definitio addendo ad mentem [165] : 21 *novem. ejusd. anni.*

262. Joannes Antonius Guintrandy habitum assumpsit ordinis Canonicorum regularium Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum, indeque professionem enunciavit. Sexennio elapso querelas detulit de nullitate professionis ob vim, ac metum gravem sibi a Christophoro patre incussum. Nam semper a religioso statu fuisse alienum asserit, minis autem paternis debuisse ordinem ingredi, ne fame periret ; postmodum de nullitate declamasse. S. C. distulit resolutionem, dum petita fuit in integrum restitutio, et præcepit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [166] : *Avenionen., Restitutionis in integrum,* 26 *junii* 1779.

263. Maria Beatrix de Caro regulare institutum

[163] 4 martii 1748. (*Bull. ejusd.* tom. 2, pag. 175), in § *Accuratum* injungitur, defensorem professionis assistere debere tam confectioni processuum de causis restitutionis in integrum, quam examini causarum apud Sanctam Sedem.

[164] Quæ sic habet, compertum enim fuit, quoad substantiam probationum inter cetera deficere fidem baptismatis oratoris : deficere diem ingressus in religionem : deficere tempus probationis, ac diem professionis, ac deficere tandem diem, quo oratoris mater decessit. Rursus ex pervolutione transmissi processus, nec unus adductus fuit religiosus, qui deponeret de moribus, ac de actibus exercitis ab oratore tam in ingressu, quam in novitiatu, quam in professione, quam etiam post eam emissam, ut ex actibus externis judicari posset ejus internus animus, qui constanter a religione alienus prorsus asseritur. Hæc in pura confectione processus supplenda sunt. Quo vero ad novas recipiendas probationes, novumque conficiendum processum formam a Constitutione Benedicti, cujus initium: *Si datam*, omnino servandam esse consuerunt eminentissimi patres : *Ead. causa*, 9 *sept.* 1778, § 2.

[165] « Quæ declarata fuit in seqq. Congr. diei 12 dec. edito responso : *Prævio recessu a decisis, et circumscripta sententia tantum scribatur Episcopo pro impinguatione processus* : » *Ead. causa*, 21 *novemb.* 1778.

[166] Præscriptum fuit, ut forma Const. *Si datam*, ac præsertim § *de Probationibus* in omnibus servaretur, ut Episcopus examen formale reciperet super probatione vis, et metus cadentis in constantem virum tam Christophori Joan. Antonii Patris, quam aliorum testium productorum vel producendorum. Iterum sub formali examine Joan-

solemniter professa est in monasterio S. Catharinæ ordinis S. Benedicti civitatis Theani. Post elapsum quinquennium exposuit se animum semper contrarium habuisse, et professionem vi, et metu parentes, et abbatissam extorsisse. Quum satis constaret de minis, verberibus, imo levi vulnere inflicto in pectore a Vincentio uno ex patruis, ac suam adversam voluntatem, ac contradictionem tum de defectu interni consensus, quem monialibus pandit, S. C. restituendam in integrum censuit: *Theanen.*, *Restitutionis in integrum*, 23 *nov.* 1782, confirmata 14 *decem. ejusd. anni.*

264. Rosa Luciana semper habitum religiosum amplecti reluctata est, quando eam minis adegit Joseph Rebellus pater ad illum suscipiendum una cum duabus sororibus, mœror in toto probationis tempore, et tristitia plurima apparuit. Simulavit in limine probationis infirmitatem, sed gravioribus insequuta minis, assuetam explevit petitionem, et lente ad profitendum procedens superimpositam capiti coronam abjecit. Religionis officia negligebat, gravique etiam præ animi ægritudine affecta fuit morbo. Tacuit intra quinquennium, tandem silentium rupit, Pontifici Maximo supplicavit, ut in integrum restituatur; et facta est sui voti compos: *Bracharen.*, *Restitutionis in integrum*, 20 *sept.* 1788, confirmata 20 *decem. ejusd. anni.*

Beneplacitum Apostolicum. Vide *Alienatio bonorum Ecclesiæ*, § i; *Applicatio*, § ii; *Contractus*, § v; *Emphyteusis*, § ii; *Transactio*, § i.

BONA ASSIGNATA.

Bona assignata, et renunciata quoad regressum.

1. Martinus Bernardinus tot terras, et stabilia valoris in proprietate ducat. aur. 100, patribus Servorum B. M. V. assignavit ad hoc, ut ii celebrarent Missam a Jacobo Ghivizzano testatore demandatam. Convenerunt etiam partes, ut in casu non implementi hæc bona assignata hypothecata, et obligata ita remanerent, ut hæredibus ipsis ad aliam Ecclesiam ea transferre adjuncto onere liceret. Vigore generalis indulti reductionis, cui S. C. refragata est, omissa celebratio fuit; hinc hæredes Ghivizzani sibi blanditi sunt esse locum regressui ad bona prædicta cum suo onere, ac translationi ad Ecclesiam sibipsis benevisam, et S. C. *pro nunc* negativum dedit responsum: *Lucana*, *Reductionis Missarum*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 3, confirmata 24 *aug. ejusd. anni.*

2. Postquam bona omnia renunciaverat Thomas de Adamis in actu solemnis professionis, quam emisit in congregatione Canonicorum regularium Lateranensium, parochialem obtinuit, et eidem competere regressum ad bona renunciata quoad usum tantum jam antea resolutum fuerat a S. C. Exinde vero etiam proprietatem sibi deberi, aut ad suam ecclesiam parochialem autumante, rescriptum fuit; proprietatem, seu dominium bonorum prædictorum ad Thomam non competere: *Firmana*, *Renunciationis*, 17 *julii* 1723.

Bona dotalia. Vide *Subsidium dotale.*

Bona ecclesiastica quoad administrationem. Vide *Administratio*, *Administrator*, *Redditio rationum.*

BONA ECCLESIASTICA.

§ I.

Bona Ecclesiastica quoad æstimationem et valorem.

1. Capitulum S. Mariæ trans Tyberim, et marchio de Cavaleriis vetustam, collabentemque in via vulgo *la Scrofa* domum ut ex legato Velli provenientem pro indiviso possidebant; capitulum eam iterum ædificare de novo cupiens egit cum de Caveleriis pro altera medietate expensarum. Is æstimationi periti Fiori in scut. 3130. 17. factæ quiescere noluit. Ex condicto aucta fuit æstimatio ad scuta 3600, et medietatis valor proinde in scut. 1800, et fructus annui recompensativi in scut. 2. et ob 80. conventi pro quolibet centenario. Hinc ut capitulum pecuniam pararet ad emendas contiguas domos, et

Antonium interrogabit Episcopus, ut eruatur, an tempore novitiatus habitum ipse dimiserit, secularesque vestes assumpserit, atque e monasterii claustris exierit animo religionem deserendi, animum suum aperiet Episcopus, et acta omnia una cum voto transmittat: *Lib. Decretorum.*

construendum ædificium, petierunt, et obtinuerunt facultatem vendendi loca montium cum obligatione redintegrationis, et suspensionem Missarum legati Velli. Modo ad legatum pium redintegrandum rogitat in quanam quantitate sit hujusce domus valor computandus, ejusque fructus; et S. C. respondit, valorem esse computandum in scut. 1800; et fructus ad rationem scut. 2. 80. pro quolibet centenario: *Romana*, 20 *decem.* 1766, *dub.* 1 *et* 2.

BONA ECCLESIASTICA QUOAD AFFRANCATIONEM. Vide *Emphyteusis*, § III.

BONA ECCLESIASTICA QUOAD ALIENATIONEM. Vide *Alienatio*.

BONA ECCLESIASTICA QUOAD APPLICATIONEM. Vide *Applicatio*.

§ II.

Bona ecclesiastica quoad assignationem, cessionem [167], *dimissionem, et renunciationem.*

1. Archipresbyter ecclesiæ S. Joannis in Plagra terræ Aqualaneæ ratione insufficientiæ congruæ dimisit in manibus Archiepiscopi Urbinatensis bona conventus S. Francisci Minor. Conv. suppressi vigore Const. Innocentii X, Pont. Max., ac eidem ecclesiæ pro congrua parochi unita, ac protestatus est se nolle ex dicta unione commodum vel incommodum ullum amplius sustinere, et Archiepiscopus admisit cum clausula *Si et in quantum;* et S. C. hanc dimissionem validam esse decrevit: *Urbinaten.*, *Congruæ*, 30 *julii* 1701.

2. Sodalitates laicales S. Joannis, S. Luciæ, S. Leonardi, et Sanctissimi Rosarii renunciarunt omnia eorum bona, ac reditus pro erectione facienda octo capellaniarum, seu beneficiorum residentialium in ecclesia S. Joannis civitatis Terracinæ, ut capellani choro inservirent, ac oneribus Missarum satisfacerent. Hanc erectionem prævia facultate S. Congr. cum clausula *vocatis vocandis* Episcopus peregit. At nonnulli confratres una cum capitulo cathedralis prætensionem super nullitate gestorum per Episcopum excitarunt, et S. C cessionem, seu renunciationem bonorum factam a confratribus non sustineri, sententiam tulit: *Terracinen.*, *Capellaniarum*, 20 *aug.* 1701, *dub.* 1.

3. Ex immani terræ motu civitatis Cataniæ, 14 eversa sunt monialium monasteria. Episcopus 6 statim ædificari denuo curavit. De unione bonorum agenda arbitrio Episcopi res fuit commendata. Hinc sex monasteriis ex illis constructis singulatim dotem annuam scut. 1500 statuit. Moniales propria repetentes bona antea possessa dotem acceptare renuerunt. Idcirco illa bona esse assignanda, quæ antea fuerunt ab illis possessa decretum edidit. Hoc decretum validum esse S. C. arbitrata est: *Catanien.*, 24 *januar.* 1705, *dub.* 1.

4. Ideoque esse locum præcedentis attributionis scut. 1500 consequutioni resolvit: *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Et quum idem Episcopus reliquos reditus superextantes monasteriorum, quæ collapsa fuerunt, jam facultatem aliis operibus piis applicandi a S. C. obtinuisset; hinc quæsitum: An sit standum, vel recedendum a decisis? et responsum prodiit: Dilata, et Episcopus rationem reddat coram Metropolitano: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata 5 *junii* 1709.

6. Postquam canonicus Gregorius Bœzius ædificaverat in terra Montium oratorium, ibi capellaniam instituerat, etiam eamdem adscripserat ad titulum patrimonii clerico domino Negri, idem canonicus ecclesiam et capellaniam, et bona omnia transtulit in ordinem Minimorum, et binos capellanos nominavit ex eadem familia; dummodo tamen ex beneplacito Sedis Apostolicæ erigi posset, et fundari hospitium ejusdem ordinis in supradicto oppido. Breve apostolicum fuit obtentum, sed dubitatum de validitate assignationis, et translationis bonorum, et S. C.: Dilata, et ut præfigatur terminus trium mensium pro habendo beneplacito apostolico super aperitione hospitii, rescripsit: *Ariminen.*, 20 *decem.* 1727.

7. Solum, in quo olim ecclesia S. Angeli constructa fuerat, et postea diruta una cum ruderibus supererantibus alia ex parte ad seminarium Theatinum spectans, tributum ab Archiepiscopo fuit archipresbytero Fossacecæ, data illi facultate denuo ædificandi ecclesiam, et reservato patronatu laicali in sui favorem, suique nepotis, et descendentium in infinitum, nullo tamen persoluto pretio, postquam jam Archiepiscopo antecessore concessum Petro de Cruce fuerat. Hujusmodi vero cessiones absque beneplacito apostolico expletas validas haud esse S. C. declaravit: *Theatina, Alienationis*, 5 *martii* 1735, *dub.* 1, confirmata 10 *sept. ejusd. anni.*

8. Attributionem bonorum, quæ quidam pius testator reliquerat capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ oppidi Paliani peractam pro erectione duarum coadjutoriarum ad opem ferendam in exercitio curæ animarum ratam S. C. habuit obsistente capitulo; quam quidem assignationem jam eadem S. C. approbaverat arbitrio Card. Episcopi, et juxta conventionem prævio collegio habitam, licet cum contestata denunciatione quatuor canonicorum: *Prænestina, Contributionis*, 18 *decem.* 1745, *dub.* 1.

9. Parochus villæ Rosatæ hortulo suæ ecclesiæ adhærenti cessit hominibus dictæ villæ ad ædificium

[167] Const. *Universalis*, 29 august. 1741 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 31.) Bened. XIV cessiones commodi exigendi fructus beneficiorum, prohibentur, sub pœna excommunicationis, et nullitatis contractus.

construendum; ita ut inferior pars ipsis cederet, superior vero ad parochum spectaret; ædificium constructum fuit, quæstio autem incepta super nullitate cessionis absque beneplacito apostolico, licet transacti fuerint 30 et ultra anni, ex quo ædificationem legitime factam non fuisse asserebatur, et S. C. ædificationem præfatam legitime factam fuisse decrevit: *Asculana, Beneplaciti Apostolici, 10 maii* 1755, *dub.* 1, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

10. Assignationem, seu cessionem perpetuam, quæ vim habet contractus correspectivi, et est irrevocabilis, factam ab Episcopo Vicensi vigore decreti S. C. particularis [168] librarum quatuor centum in favorem Collegii PP. Societatis Jesu validam esse censuit S. C. Quum ipsi præstent operam magistrorum, prout promiserunt; idcirco facienda non est eadem cessio seminario episcopali, prout defendunt cives Vicenses allegantes invaliditatem assignationis prædictæ, quia factæ absque consensu civitatis pecuniarum dominæ ac beneplacito apostolico et quia agebatur de rebus ad pios usus destinatis: *Vicen., Assignationis,* 20 *novem.* 1762, confirmata 23 *april.* 1763.

11. Prædia in vocabulis *il molino dei Frati, il Palombaro, e la Mæsta de Frati* assignari debent pro fundo beneficiorum erigendorum juxta voluntatem Virginii Turchi, prout ex ejus testamento, et codicillis constare putavit S. C.: *Fulginaten.*, 27 *april.* 1765, *dub.* 1.

12. Argenta vero, jocalia, pecuniæ repertæ in domo ejusdem Virginii adjudicanda esse in favorem pauperum juxta præfatas dispositiones censuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Bonorum hæreditariorum Rosæ Agostini renunciatio sive cessio in favorem conservatorii terræ Anticuli facta a sacerdote Hieronymo Nicolai, qui ab Agostini testatrice facultatem disponendi receperat cum conditione, qua minime purificata de iisdem bonis disposuerat, utpote non expleta ad formam mentis testatoris sustineri non debent: *Anagnina, Erectionis capellaniæ*, 28 *sept.* 1771, *dub.* 1.

14. Bona, jura, credita, sacra supellectilia, et alia quæcumque data, concessa, et quæ pervenit ad ecclesiam B. M. V. Gratiarum Frusimonis, et ejusdem capellam, quoad proprietatem spectare ad ecclesiam, administrationem vero ad capellanum S. C. decrevit. Nam patres congregationis Sanctissimi Salvatoris ad eosdem administrationem spectare autumabant, quibus Ecclesia concessa fuit: *Verulana, Jurispatronatus,* 16 *jan.* 1779, *dub.* 3.

15. Bona possessa a Maria Malatesta ex Francisco filio Joannis Francisci neptis comprehensa in transactione diei 19 junii 1750 assignari non debent pro adimplemento legatorum piorum ab eodem Joanne Francisco relictorum, utpote ab ipso minime provenientia; sed ad eamdem Mariam Theresiam spectantia tamquam legatariam Mariannæ Boncompagni, quæ cum suis dotalibus pecuniis æs alienum anterius Joannis Francisci dimiserat: *Nullius Leprignani, Legatorum,* 7 *julii* 1781, *dub.* 1.

16. Quum parochus S. Benedicti Priverni cesserit capellam, et sepulturam sodalitio Mortis et orationis, ad funera facienda defunctis in agris, ac intervenerit approbatio implicita Episcopi, qui facultatem utendi concessa sepultura sodalitio dedit; ob id S. C. licet deficiente beneplacito apostolico indigere absolutione, et approbatione decrevit: *Terracinen. et Privernen.*, 19 *dec.* 1789, *dub.* 2.

17. Ad ampliandam suam ecclesiam collegiatam S. Donati Montis Ulmi, archipresbyter Felix Paschalius cessit illius fabricæ archipresbyteratus reditus, annuis sibi reservatis scut. 120, ac fructibus capellaniæ S. Mariæ de Paradiso, quam ad effectum hunc a patronis impetraverat. Sed causa quæstionum huic ecclesiæ unita fuit altera collegiata Sanctissimi Petri et Pauli; hinc ecclesia S. Donati ampliatio interdicta fuit, et nova facta fuit cessio in favorem alterius collegiatæ; at nonnulli insurrexerunt ad opus impediendum; quæsitum ergo fuit, an et quæ cessio sit exequenda, et cui ecclesiæ sint reditus applicandi? S. C. respondit esse exequendam secundam cessionem, et applicandos esse reditus ecclesiæ Sanctissimi Petri et Pauli; et Archiepiscopus exequutioni incumbat: *Firmana*, 16 *martii* 1793.

18. Parocho S. Mariæ nuncupatæ *di basso* diœcesis S. Miniatis conceditur facultas cedendi unico ejus parochiæ prædio diviti cuidam parochiæ incolæ, sub lege instaurandi fatiscentem ecclesiam, ædesque parochiales, et assignandi fundum liberum arbitrio Episcopi pro congrua ejusdem parochi in scut. 112: *Sancti Miniatis*, 22 *nov.* 1794, *dub.* 1.

19. Patronis assertis oratorii Nativitatis B. M. V. erecti in villa nuncupata *Amorosa* denegatur cessio bonorum ejusdem oratorii annui reditus scut. 1789; et jus nominandi capellanum, quod spectat ad parochum S. Luciæ oppidi Senalogensis, licet manutentionem desponderent capellani, et sacra supellectilia, pro quibus requiri annua scut. 40. 80 asserebat: *Pientina*, *Cessionis*, 6 *dec.* 1794.

Bona ecclesiastica quoad caducitatem. Vide *Caducitas*.

[168] Ut pecuniæ deponerentur ad dispositionem Episcopi, qui eas distribuere, et assignare debebit in stipendium magistrorum alicujus ordinis regularis, sive addictorum servitio seminarii, pro suo arbitrio destinandorum: *Ead. causa*, 20 *novem.* 1762.

§ III.

Bona ecclesiastica quoad dismembrationem, divisionem, et distributionem.

1. Unionem parochialis ecclesiæ collapsæ S. Adhœni alteri parochiali S. Andreæ ab Episcopo factam S. C. invalidam judicavit; ideo censuit nec validam esse dismembrationem nonnullorum bonorum dictæ ecclesiæ S. Adhœni, quæ applicata fuerunt seminario: *Aversana*, *Unionis*, 6 *oct*. 1703, *dub*. 2.

2. Insignis collegiata ecclesia loci Galatonæ plura possidebat bona stabilia pro indiviso, quæ ob neglectam culturam, et instaurationem non afferebant sufficientem reditum capitularibus, et portionariis; idcirco obtinuerunt facultatem a S. C. 17 *martii* 1696 [169] dividendi, ut unusquisque valeat instaurare suam partem ratam; post hanc divisionem exortæ sunt controversiæ inter capitulares; sed S. C. rescripsit divisionem sustineri, et ut conficiatur instrumentum modis et formis præscriptis in decreto prædicto: *Neritonen.*, *Beneplaciti*, 16 *sept.* 1703, *dub.* 1.

3. Divisio bonorum omnium abbatiæ commendatæ Sieciechovien. ordinis S. Benedicti fieri non debet inter mensam abbatialem, et conventualem. Applicationes enim bonorum factæ mensæ conventuali, quas Cardinalis Radziovuski abbas commendatarius nullas putabat ob depauperationem mensæ abbatialis, sustineri debent: *Cracovien.*, *Divisionis*, 14 *martii* 1705.

4. Ex bonis, quæ relinquit Cornelius Seulen decanus collegiatæ ecclesiæ S. Castoris in favorem descendentium ad bonarum artium studia excolenda, etiamsi annui reditus fundationem ejusdem non parum accrevissent præter proprietatem designatam, S. C. haud indulsit dismembrationem quinque millium imperialium ex prima, et mille imperialium ex secunda fundatione ad effectum ex illis erigendi beneficium simplex de jurepatronatus familiæ ejusdem fundatoris. Nam fundator in casu extinctionis lineæ prædilectæ vocavit adolescentes pauperes, qui probabiliter nunquam deesse possunt; et ulterius quoad reditus auctos substituit PP. societatis Jesu, et Patres Carthusianos: *Colonien.*, *Beneplaciti et erectionis beneficii*, 15 *junii* 1709, *dub.* 2, confirmata 4 *aug.* 1714.

5. Bona legata a Gratia Theophilata in favorem capituli ecclesiæ collegiatæ Francavillæ, et quinque religiosis communitatibus dictæ terræ pro celebratione Missarum manualium æquis partibus inter legatarios dividi debent; quamvis medietatem integram sibi vindicare vellet capitulum, quod disjunctim a testatrice minime vocatum fuerat: *Uritana*, 21 *junii* 1766.

§ IV.

Bona ecclesiastica quoad dominium.

1. Quum universitas sancti Gemini prævia facultate ob æs alienum alienasset nonnulla bona, inter quæ aliqua ad hospitale S. Catharinæ ejusdem oppidi spectabant. S. C. decrevit Universitatem teneri redintegrare hospitale prædictum in quieta, et pacifica possessione bonorum nulliter alienatorum una cum fructibus, vel saltem restituere pretium una cum fructibus compensativis: *Narnien.*, *Alienatorum*, 29 *april* 1713, *dub.* 3.

2. Et est cogenda communitas ad præmissorum implementum remediis tantum juris non facti: *Ibid.*, *dub.* 4.

3. Ex antiqua observantia pretium sylvarum cæduarum spectantium ad ecclesiam parochialem S. Andreæ Lugnani in favorem ejusdem ecclesiæ in stabilibus comparandis applicabatur; verum compertum fuit id egisse archipresbyterum pietatis gratia; ipsum itaque pretium ad Josephum de Aureliis archipresbyterum pietatis gratia; ipsum itaque pretium ad Josephum de Aureliis archipresbyterum spectare decernitur: *Prænestina*, *Incisionis arborum*, 4 *aug.* 1714.

4. Thomas de Adamis canonicus regularis ordinis S. Augustini Lateranensis ecclesiam parochialem S. Sabini in villa Parani Trebii obtinuit, et a S. C. decretum retulit, quod redintegratio ad bona renunciata occasione solemnis professionis quoad usum tantum ei competit; inde quæsita eadem S. C. super pertinentia proprietatis, seu dominii bonorum, an ad se, vel ad parochialem ecclesiam spectaret? ad Thomam non spectare S. C. sententia fuit: *Firmana*, *Renunciationis*, 17 *julii* 1723.

5. Testator Franciscus Nardius erectione dignitatis archipresbyteratus in ecclesia cathedrali demandata jussit ut ædes, quas ipse incolebat, pro archipresbyteri habitatione inservirent; exequutor vero prætendebat vas æneum, quod parieti adsignatæ domus mustum coquendi causa adhærebat, inædificatumque erat, avelli, vendique posse; sed S. C. statuit vas illud ad dignitatem archipresbyteratus spectare: *Tolentina*, *Erectionis archipresbyteratus*, 5 *dec.* 1744, *dub.* 3.

[169] Pro facultate ita tamen, ut unusquisque suam partem ratam, excolere, bonificare, et fructiferam reddere teneatur, et in instrumento divisionis hujusmodi planta bonorum cum descriptione onerum unicuique dividendi incumbentium inseratur. *Ead. causa*, 15 *sept.* 1703.

6. Quum artifices quidam, et fabri Ariminenses sodalitium nomine S. Josephi instituere cuperent, postularunt a patribus Minoribus Conventualibus ædiculam nuncupatam *S. Maria del Paradiso*, quæ intra ambitum conventus erat, et ad quam e via publica patebat accessus. Patres non ædiculam tantum, sed etiam proximum terræ solum concesserunt dato illis quodam onere : inde auctis sodalibus ampliatum fuit oratorium in proximo illo terræ solo, de quo quæstio erat, S. C. decrevit spectare illud quoad usum tantum ad dictam societatem : *Ariminen.*, 22 *nov.* 1755, *dub.* 1. Iterum proposita deinde causa responsum prodiit ad dominum secretarium quoad provisionem juxta mentem : 11 *dec.* 1756.

7. S. C. requisita, an et cui sint adjudicanda argenta, jocalia, et pecuniæ repertæ in domo Virginii Turchi de tempore ejus obitus, de quibus ipse in codicillis tantum enunciavit, *e cio che avanza ai poveri;* etiamsi in testamento capitulo cathedralis reliquisset; S. C. spectare in favorem pauperum explanavit : *Fulginaten.*, 27 *april.* 1763, *dub.* 2.

8. Quæsitum quum esset, an et ad quem pertineant bona, jura credita, sacra supellectilia, et alia quæcumque data, concessa et quæ pervenit ad ecclesiam, et capellam B. M. V. Gratiarum Frusionis; S. C. rescripsit quoad proprietatem spectare ad ecclesiam, administrationem vero ad capellanum. Hujus ecclesiæ, et capellæ juspatronatus adjudicatum fuit Scholasticæ Quartucci : *Verulana, Jurispatronatus*, 16 *januar.* 1779, *dub.* 3.

9. Frater Carolus Cocchius laicus jam professus in ordine Minimorum Conventualium S. Francisci fere octogenarius narravit se domum Bononiæ possidere, ex qua annua scuta 20 retrahebat; ex oblationibus, quas ipse habuit, horreum in civitate eadem extruxisse, et annua scuta sex percipere, et præoptabat de hisce bonis disponere in favorem conventus pro certis, et determinatis casibus. Procurator generalis votis postulantis annuit, retulitque domus acquisitionem, et constructionem horrei annuentibus capitulariter fratribus fecisse; propterea fuit quæsitum, num et quomodo esset assignationi, seu applicationi locus? et responsum fuit bona, et reditus de jure competere monasterio, et esse sub legitima superioris dispositione, addendo ad mentem : *Bononien.*, 3 *julii* 1784.

10. Ecclesia ruralis S. Antimi in beneficium simplex erecta posita est in territorio civitatis S. Leonis juxta sacram Episcopi visitationem ; sed intra fines parœciæ S. Blasii castri Majoli secundum Petri Camagli archipresbyteri assertionem. Hoc beneficium seminario unitum fuit, quod postea ad se revocavit possessionem ecclesiæ, et in ea sacras explevit functiones, et domum locavit. Sed læsa archipresbyter jura sua, et populi autumans, quum omnes ipse functiones in illa ecclesia rurali exerceret, et claves retineret; quæsitum est in S. C. de ecclesiæ, et bonorum dominio, et hæc rescripsit una cum ecclesia domunculas annexas, bonaque beneficii pertinere juxta votum Episcopi ad seminarium : *Feretrana*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1.

Bona ecclesiastica quoad donationem. Vide *Donatio*.

Bona ecclesiastica quoad emphytheusim. Vide *Emphytheusis*.

Bona ecclesiastica quoad emptionem et venditionem. Vide *Contractus*, § v, seqq.

Bona ecclesiastica quoad erogationem. Vide *Bona Ecclesiastica*, § vii.

§ V.

Bona ecclesiastica quoad evictionem.

Patroni capellaniæ laicalis Peretti nominarunt ad eam Carolum Peretti sub reversionis conditione, si idem congruo beneficio ecclesiastico provideretur. Assecutus inde fuit Carolus parochiam Petrealtæ, quam decennio retinuit. Hoc tempore alter ex compatronis Marcus Aurelius alienaverat bona capellaniæ, novem nempe prædiola, ac domum ; et S. C. requisita an in cujus favorem, et contra quos sit locus evictioni, et relevationi? Affirmative rescripsit contra Marcum : *Asculana, Capellaniæ*, 2 *dec.* 1786, *dub.* 4.

Bona ecclesiastica quoad fructus seu reditus. Vide *Fructus*.

§ VI.

Bona ecclesiastica quoad hypothecam.

Venerabilem congregationem S. Philippi Nerii Camerini hæredem ex asse scripsit sacerdos Bartholomæus Rossetti. Duo ei onera imposuit, expositionem nempe Sanctissimi Sacramenti a dominica in Albis usque ad ultimum Pentecostes festum, et septem quotannis Missarum celebrationem. Prohibuit vero, ne bona hæreditaria in aliam causam, quam in fabricam ecclesiæ ejusdem congregationis erogarentur; ita tamen, ut in isto casu fundus constitueretur pro dictorum onerum implemento. Bona jam pene omnia in fabricam erogata fuere. Census tantum restabant in summa scutorum 500, et prædium, quod hæreditati postremo pro credito scutorum 350 obvenit. Patres Oratorii hodie cogitant prædium vendere pro perficiendo posteriori ecclesiæ prospectu. Emptorem facile reperiunt, si pro hypotheca census ob pretii securitatem subji-

ciantur. Obtinuerunt *sub die* 18 *decem.* 1773, ut præservato fundo pro expositione Sanctissimi Sacramenti, et celebratione Missarum ad formam testamenti Rossetti, Episcopus arbitraretur pro facultate reliqua bona ejusdem testatoris tantum obligandi. Preces modo integrant patres, ut hypothecæ subjicere valeant censuum sortes absque eo, quod ad subrogationem adigi debeant, nisi in casu sequutæ prædii evictionis, et postulant, num sit recedendum a decisis? in decisis S. C. dixit, juxta modum [170]: *Camerinen.*, *Fabricæ*, 20 *aug.* 1774.

§ VII.

Bona ecclesiastica quoad investimentum et multiplicum.

1. Clerum S. Marci tam pro restitutione sortium a debitoribus facienda, quam pro novo faciendo investimento, consensum Episcopi exquirere debere sed gratis dari demandatur : *S. Marci*, *Plurium*, 16 *januar.* 1723, *dub.* 10.

2. Quumque quæreretur, quantanam esse deberet summa sortis? responsum prodiit, in quacumque quantitate, sed gratis : *Ibid.*, *dub.* 11.

3. Quum bona hæreditaria Cæsaris Ubaldini satis non essent ad onera ab ipso præscripta implenda, patres Augustiniani hæredes censuerunt ædificium inter cetera onera postremo injunctum differre, donec cumulo peracto illud perficere possent. Sed a cessionario Rev. Fabricæ in judicium vocati, vel voluntatis testatoris commutationem, vel multiplicum conficiendum postularunt. Pro multiplico responsum fuit, et ut Archiepiscopus invigilaret exequutioni : *Ferrarien.*, 8 *aug.* 1744, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

4. Multiplicum pro fundatione presbyterorum sive secularium, sive regularium intra decennium in civitate Calli facienda, perfici jussit Joannes Victorius Lupertius; hoc non impleto confraternitatem Misericordiæ nuncupavit hæredem, onere illi dotandi puellas egenas tributo. Sodalitii moderatores fundationem ob assis hæreditarii parcitatem intra decennium expleri desperantes; exorant, ut commutata voluntate quoad multiplicum, bona hæreditaria una cum onere confraternitati addicantur. Episcopus pro nubendis parentum orbatis illa investiri opinabatur. Sed juxta votum habuerunt resolutionem oratores, quia servandam esse testatoris dispositionem, scribendumque juxta mentem Episcopo S. Congr. censuit : *Callien.*, 13 *februar.* 1773.

§ VIII.

Bona ecclesiastica quoad locationem et conductionem.

1. Ex quodam decreto edito anno 1625 ab Archiepiscopo Tarentino permittente, quod capitulares, seu participantes collegiatæ terræ Martinæ possint non ultra triennium domos, et possessiones ejusdem capituli retinere pro rata annuæ portionis ducat. 45 pro quolibet, et quod illi, qui ulterius conducta dicta bona retinuerint, ea restituere tenerentur. Abusus ob id locandi easdem ipsis capitularibus absque necessariis solemnitatibus usque ad ipsorum vitam inolevit. Dubitatum fuit de harum locationum validitate, et S. C. has non esse validas putavit : *Tarentina*, *Censurarum*, 9 *april.* 1701, *dub.* 1.

2. Capitulum collegiatæ ecclesiæ civitatis Laviniæ beneplacitum ad locationem, seu temporariam alienationem cujusdam agri cum ducibus de Cæsarinis peragendam exoravit. Abnuit S. C., et subjunxit, ut fiat a canonicis revocatio ultimæ locationis infra mensem, alias declarantur incurrisse in censuras, eisdemque prohibeatur, ne in futurum audeant præfata bona locare, sive ad longum, sive ad breve tempus absque expressa licentia S. C. ; et quoad præteritas locationes absolvantur ad cautelam, et quoad marmora, et statuas partes consulant propriæ conscientiæ : *Albanen.*, *Beneplaciti*, 17 *nov.* 1703, *dub.* 1 *et* 2.

3. Locationes jurium, ac redituum parochialium, necnon fructuum collegiatæ ecclesiæ S. Georgii terræ Modicæ capitulariter a canonicis sine præpositi consensu factas utique sustineri fuit definitum : *Syracusana*, *Præposituræ*, 15 *junii* 1709, *dub.* 1.

4. Domus sita in civitate, quam Sebastianus Lancetta pro Missarum celebratione reliquit, et quam alienare prohibuit tum idem testator, tum S. C., etsi diu absque conductoribus remanserit ; nuper quatuor oblationes pro affectu, seu perpetua locatione habuit; ideo S. C. consulta super hisce, omnes oblatores rejecit, et, ut affigerentur nova edicta pro recipiendis oblationibus, tum pro locatione triennali, quam ad longum tempus, edixit : *Cæsenaten.*, *Domus*, 13 *maii*, 1713, *dub.* 2.

5. Bonorum, quæ pro ludi magistri mercede attributa sunt, locatio a communitate eorumdem administratice in favorem majoris oblatoris valida est ; etiamsi ludi magister ab Episcopo ad tempus, donec scilicet quæstio super jure nominandi eumdem

[170] « Modus est, pro facultate obligandi census pro evictione prædii alienandi, subrogato tamen ex nunc alio fundo perpetuo idoneo, et libero, qui stare debeat pro adimplemento onerum Missarum, et expositionis Sanctissimi Sacramenti : » *Ead. causa*, 20 *aug.* 1774.

ludi magistrum inter Episcopum, et communitatem exorta dirimeretur, electus contra prælatam locationem reclamaret : *Ferentina, 29 januar.* 1735.

6. Consuetudinem ultra hominum memoriam in sua diœcesi invenit Episcopus Tarentinus, locandi bona immobilia ad vitam canonicorum ecclesiæ collegiatæ oppidi Cryptalearum absque ullo Sedis Apostolicæ beneplacito; decrevit ideo, ne a capitulo locationes istæ deinceps fierent, atque ut de anteactis consulerent Sedem Apostolicam. Quinque hac de re propositis dubiis, responsum est a S. C., prævia absolutione ad cautelam pro gratia sanationis quoad concessiones hactenus factas ; quo vero ad concessiones in posterum faciendas recurrant in casibus particularibus : *Tarentina*, *Beneplaciti apostolici*, 4 *maii* 1743.

7. Sylvam, de cujus ligno carbo coquitur, ad præposituram collegiatæ ecclesiæ Lilletti spectantem locandi ad septennium, seu vendendi data est facultas præposito Padros ; etsi contradiceret Bernola præposituræ coadjutor. Nam scatet ex testimonio Episcopi utilitas. Beneplacitum apostolicum autem postulatum concessum fuit juxta modum [171] : *Celsonen., seu Urgellen.*, *Beneplaciti*, 18 *novem.* 1752.

8. Locationis bonorum ad capitulum Sublacense spectantium instrumentum, ut stipularetur, quamvis jam edicta affixa fuissent, quum S. C. rescripsisset pro facultate stipulandi prævia affixione edictorum, non esse stipulandum, sed novæ edictorum affixioni esse locum eadem S. C. censuit : *Nullius, Sublacen.*, 15 *april.* 1780.

9. In locationibus bonorum faciendis per capitulum ecclesiæ cathedralis sub pœna nullitatis quoad bona fabricæ, minime vero quoad bona capituli esse Episcopum audiendum S. C. existimavit : *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 13, confirmata dempta nullitatis pœna : 7 *febr.* 1789.

10. Quæsitum inde quum fuisset, utrum eidem Episcopo, quoties constet de præjudiciali capituli ecclesiæ, seu fabricæ administratione, liceat eadem bona locare, reluctantibus etiam canonicis ? resolutum fuit, ut Episcopus uteretur jure suo ad formam Concilii Tridentini [172] : *Ibid.*, *dub.* 14, confirmata *ibid.*

11. Locatio fatiscentis maxime ob incendium passæ domus assignatæ post centum annos a condito testamento per mediatos hæredes Ludovicæ Baroni in fundum duarum capellaniarum ab ea institutarum in ecclesia S. Joan. oppidi Montis Bodii, permittitur ad triennium ob desponsam a conductore novam illius constructionem, et ampliationem, licet impar sit oblata pensio oneri Missarum, quibus capellania gravatur : *Senogallien.*, *Locationis et reductionis Missarum*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 1.

12. Locatio prædiorum simplicis beneficii SS. Conceptionis, et Nativitatis B. M. V. ecclesiæ collegiatæ civitatis Trebiæ expleta in favorem Feliciani Rossi pendente in S. C. instantia pro facultate locandi, declaratur nulla , licet beneplacitum apostolicum contrahentes reservarint, quod fuit contrarium facti, et asserant bonam fidem habuisse : *Spoletana*, *Locationis*, 14 *martii* 1795, *dub.* 1.

13. Et illi denegatur beneplacitum apostolicum : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Et confirmatur deliberatio in favorem Archangeli Septimi melioris oblatoris facta post affixa de mandato S. C. edicta, salvo jure vigesimæ, et sextæ : *Ibid.*, *dub.* 3.

Bona ecclesiastica monasterii. Vide *Monasterium*, § ii.

§ IX.

Bona Ecclesiastica quoad permutationem.

1. Ex constructione collegii Societatis Jesu per dispositionem canonici Cicognini ingens patitur detrimentum ecclesia parochialis S. Petri Forelli,

[171] Nempe cum solitis clausulis, ut Sylva vigore hujusmodi facultatis non destruatur.

[172] Sess. 22, cap. 9, et sess. 24, cap. 16, *de Reform.*, quorum vigore Episcopus necessariam vigilantiam, et curam habere debet, ne ex negligentia capituli sequatur damnum ecclesiæ, ejusque bonis, atque reditibus, unde potest Episcopus capitulo injungere exactionem redituum, reparationem, et culturam bonorum ; necnon valet ex legitima causa administratores, aliosque capituli ministros removere, ut firmat Scarfantonius *Animad. ad Ceccoperium add. t. XXXVIII* num. 57, seqq. part. 3. Omnes enim Episcopi in jurejurando spondere debent, se, inconsulto Romano Pontifice, non alienaturos suarum ecclesiarum bona. Ægre ferunt hostes Sedis Apostolicæ hoc juramentum, ejusque originem reperiunt a celebri Extrav. *Ambitiosæ*, quam Paulus II, evulgavit. Sed hoc falsum est. Nam liber diurnus Pontificum Romanorum a Garnerio illustratus, collectusque seculo VII, aut initio seculi VIII, uti ostendit ejus ætatis codex, quem ipse Garnerius affert in præfat. num. 10 et 11, continet solemnibus verbis hanc eamdem promissionem, qua se quisvis a Summo Pontifice consecrandus Episcopus obligabat. (cap. 3, tit. 7, p. 64, ed. Paris 1680). Celestinus III, qui seculo XII pontificatum obtinuit, in cap. 8, *de Reb. Eccles. alien.* memorat sacramentum fidelitatis, quo Ravennatensis Archiepiscopus tenebatur Apostolicæ Sedi nihil alienare. Quam decretalem explanans Glossæ auctor, qui floruit seculo XIV, testatur, quod ætate sua, *quilibet Episcopus, ut immediate D. Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit bona Ecclesiæ, neque infeudabit ; et idem juramentum præstant alii Episcopi suis Metropolitanis.* Consule Cl. Mamachium *del Diritto libero della Chiesa*, tom. 3, part. 1, cap. 1, § 9, pag. 48 et seqq.

eidem fabricæ proxima, et loco depressiori; quare patres Jesuitæ, qui in eadem civitate ecclesiam non habent, illam ecclesiam cum adjacentiis obtinere ad sacras peragendas functiones cupiunt. Exhibent proinde parocho aliam ecclesiam, domumque parochialem, quæ intra parœciæ limites sita est, ac ecclesiæ permutandæ æquivalet, ob id postulatur apostolicum beneplacitum, et S. C. ut transmitteretur copia informationis concordiæ arbitrio Card. præfecti mandavit : *Praten.*, *Beneplaciti* 24 *maii* 1710.

2. Fratres Butii patroni capellaniæ Sinigardæ facultatem postularunt domum jam fatiscentem permutandi, quæ exigui est reditus, cum bonis quibusdam, quia hæc permutatio utilitatem ecclesiæ maximam præsefert. Favet Archiepiscopus, et S. C. annuit juxta votum ejusdem Antistitis cum solitis clausulis [173] : *Firmana, Permutationis*, 21 *julii* 1759.

3. Domus ad capellam S. Antonii Patavini spectantis, quæ extat in ecclesia S. Mariæ de Trivio urbis Velitrarum, eidemque relictæ una cum hæreditate universa ab equite Cæsare Toruzzi commutatio cum annuo censu, nonnullisque locis montium fuit denegata; quamvis evidens foret ecclesiæ utilitas, ac capellæ administratores commutationem efflagitarent ad removendam maximam expensam pro illius domus instauratione. Testator enim strictissime quamcumque alienationem, ac bonorum suorum commutationem prohibuerat : *Veliterna, Permutationis*, 31 *aug.* 1771.

4. Prædium nuncupatum *S. Christinæ* assignatum pro fundo capellaniæ ex fundatione Hippolytæ Torelli Gisberti erectæ Lælius Rinalduccius hæres mediatus cum alio prædio appellato *li Pozzetti* commutare postulavit. Ipse spopondit solvendi quanti pluris æstimaretur prædium S. Christinæ, ac donandi scut. 40 in favorem ecclesiæ. Patroni in hoc descendunt : S. C. vero hac de re quæsita, ut scriberetur Episcopo pro meliori informatione, jussit : *Fanen.*, *Permutationis*, 19 *aug.* 1786. Deinde donatione oblatore in scut. aliis 40 adaugente ejusdem petitioni assensa est S. C. juxta votum Ordinarii : 16 *junii* 1787.

5. Contractus permutationis, et respective venditionis initum inter conservatorium Oblatarum Sacræ Familiæ Setiæ, ac Joachim Benedictum Pacifici de licentia Card. de Comitibus protectoris, ac sub reservatione beneplaciti apostolici nullus declaratur; scatere enim nullitas ex triplici capte videtur : tempore stipulationis contractus deputatus conservatorii erat pacificus : beneplacitum postulatum prætermissum, ac nonnisi post exequutum contractum æstimatum fuit : demum utilitas pii operis deficiebat : *Terracinen. et Setina,* 23 *jan.* 1790, *dub.* 1.

Bona ecclesiastica quoad redintegrationem. Vide *Redintegratio*, *Restitutio*.

Bona ecclesiastica quoad reditus seu fructus. Vide *Fructus*.

§ X.

Bona ecclesiastica quoad refectionem et reparationem.

1. Quum abbas monasterii Waldsasuen. ordinis Cistercensium postulasset, an sit ipsi liberum collapsam prioralem demum in civitate Tursenreut a fundamentis pro uberiori animarum beneficio extruendi? S. C. rem definiendam mandavit arbitrio S. C. Episcoporum et Regularium [174] : *Ratisbonen.*, *Juris deputandi vicarium*, 28 *julii* 1713, *dub.* 3.

2. Vicarius generalis divisit et dismembravit ecclesiam S. Mariæ cum situ pro construenda domo parochiali ab ecclesia præposituralі, et univit ecclesiæ parochiali S. Stephani ad Intrainum, cujus parochus in dicto situ domum ædificavit, et ipso instante S. C. unionem, et dismembrationem irritam declaravit; modo instauratione indigebat parochialis domus, et cujus sumptibus facienda sit, disceptatum est? et S. C. rescripsit, ut Episcopus provideat prout de jure : *S. Miniatis, Unionis*, 16 *nov.* 1715, *dub.* 3.

3. Quum quæsitum esset, an constet de mutatione in pejus ecclesiæ parochialis S. Thomæ Castri Turritæ, ejusque bonorum tam stabilium, quam utensilium, et an sit reficienda, et a quibus? S. C. respondit, ut Episcopus provideret prout de jure etiam auctoritate S. C. : *Nepesina*, 9 *febr.* 1726, *dub.* 2.

4. Sancivit S. C. esse locum restaurationi domus parochialis villæ Dugheriæ sumptibus parochi pro tertia parte, et parochiæ incolarum pro reliqua accepta oblatione per Biagiolinum præstita idonea fideijussione in statu ecclesiastico : *Brictinorien.*, 20 *nov.* 1756.

[173] Nam injunxit Archiepiscopo, ut « postquam compererit in evidentem capellaniæ utilitatem fore cessuram petitam permutandi facultatem, servatis pactis, et conditionibus expressis, pro suo arbitrio, etc. oratoribus gratis impertiatur : ita tamen, ut in casu evictionis, et molestiarum super bonis in permutationem assignandis, seu subrogandis, liceat capellano pro tempore ad propriam domum et primæva jura quandocumque redire. » *Lib. Decret.* 109, fol. 260.

[174] Quæ Congregatio Regularium jura utrius partis cognoscere debet.

5. Onus reparationis bonorum ecclesiæ parochialis loci Nibbiæ, qua ante resignationem opus erat, non ad resignatarium Jacobum Mariam Patojam, sed ad resignantem Gaudentium Mossotti pertinere definitur ; quamvis iste in syngrapha privata, quæ in mandato tamen procuræ pro consensu resignationi præstando apud S. Sedem non fuit repetita, reparationes præexistentes resignatario adimplendas injunxerat : *Novarien.*, 16 *januar.* 1762, *dub.* 1.

6. Quum quæsitum fuisset, an domus parochialis S. Gregorii oppidi S. Genesii sit reficienda, et instauranda sumptibus parochiæ incolarum ? S. C. mandavit Episcopo scribi juxta instructionem [175] : *Camerinen.*, *Restaurationis*, 28 *februar.* 1769, *dub.* 2.

7. Sacerdos Angelus Romualdus Angelucci in vacantem archipresbyteralem ecclesiam parochus ingressus, parochiales ædes ruinam ita minantes reperiit, ut in propriam domum se receperit. At quum contra obæratam defuncti parochi hæreditatem pro emendatione damnorum instare nequiret, instituit contra communitatem, et singulos parochiæ homines, ut ad instaurandam domum archipresbyteralem compellerentur. Horum nonnullis recusantibus a S. C. quæsitum fuit, ad quem reparatio spectaret? et ad communitatem, et homines spectare, respondit : *Tudertina*, *Restaurationis domus parochialis*, 19 *dec.* 1772.

8. Capellanus sodalitii B. M. V. de consortio civitatis Cerviensis bona beneficii S. Sebastiani a die adeptæ possessionis reficere debere S. C. existimavit : *Cervien.*, 7 *junii* 1788, *dub.* 8.

9. Dum inficiatur a S. C. ad reparandas ædes parochiales una cum ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ applicatio hæreditatem Gratiosi et Angeli Remigii Calbini, quæritur, an, et quomodo sit providendum præsenti reparationi ædium, et ecclesiæ prædictæ ? S. C. respondit affirmative, ex pecunia cumulata, et quatenus opus aliis etiam remediis a S. Conc. Trid. præscriptis [176] : *Feretrana, Applicationis,* 27 *aug.* 1796, *dub.* 2.

Bona ecclesiastica regularium. Vide *Regulares*, § vii.

§ XI.

Bona ecclesiastica quoad sub emphyteusim.

Omnia bona sodalitii SS. Sacramenti Montis Ulmi per rescriptum deliberata fuerunt a S. C. in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam in favorem Hilarii Michetti salvo jure vigesimæ, et sextæ. In locum autem deliberatarii successit vicesimarius Joan. Baptista Luchetti, qui facultatem postulavit ineundi sub emphyteusim cum Nicolao Campetelli. Annuit petitioni sodalitium certis sub conditionibus, et Archiepiscopus illi favet ; et S. C. consulta declaravit, esse permittendam sub emphyteusim durante tamen emphyteusi in favorem Luchetti, et citra emphyteusis jam initæ innovationem : *Firmana*, *Sub emphyteusis,* 20 *januar.* 1798.

[175] Instructio fuit, ut deveniat ad exactam firmationem status ecclesiæ parochialis, et consectarie ad liquidationem omnium redituum comprehensis etiam emolumentis, quæ ratione muneris a parocho percipi consueverunt, et correspective omnium quoque onerum, quibus ratione curæ animarum, legatorum piorum, et culturæ bonorum, aliaque de causa parochus gravatur. Deveniat etiam ad peritorum deputationem, ut eorum judicio incomperto sit, quænam instaurationes pro ecclesia, et quæ pro domo parochiali necessariæ dumtaxat sunt, et quot sumptus pro singulis requirantur ; secernendo etiam ea damna, quæ suapte natura, et temporis decursu processerunt ab iis, quibus parochorum culpa, aut incuria causam dedit ; tandem S. C. instructam reddet, de præteritis contributionibus, an sponte parochiani eas subierint, vel potius curiæ episcopalis officio adacti solverint : *Regist. lit.* lib. 33, *die* 28 *januar.* 1769.

[176] Sess. 21, cap. 7, *de Reform.* Hæc est regula ex dispositione Tridentina, et ex canonistis elicita, et quæ tradit. Bened. XIV *Inst. Eccles.* 100, *per tot.* Ecclesia parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire fabrica si adsit, sin minus, tenetur parochus, non quidem reditibus suis patrimonialibus, sed ex reditibus beneficii, si ad suam conservationem supersint ; quamquam non supersint ad conservationem propinquorum ejusdem parochi. Tertio loco, qui habent beneficium ecclesiasticum in illa ecclesia. Quarto loco, si parœcia est de jurepatronatus, tenetur patronus suis sumptibus id agere ; ita tamen, ut si infra præfixum ab Episcopo tempus noluerint sumptus illos subministrare, amittat juspatronatus illud : denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illarum alibi habitent ; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Et quæ dicta sunt de reparatione ecclesiæ, intelligenda etiam de reparatione domus parochi : ita ut qui tenentur ad reparationem ecclesiæ teneantur quoque ad reparationem ædium rectoris ecclesiæ, prout decrevit S. C. Concilii teste Barbosa in cap. *De his* 4, *de Eccles. ædificand.* num. 5, et sentiunt canonistæ.

BREVE APOSTOLICUM.

1. Spectata mensæ nummariæ, ac domus Sanctissimæ Annunciationis Neapolis decoctione Clemens XI, Pont. Max., indultum super suspensione legatorum piorum ad decennium concessit. Ejusdem domus gubernatores in precibus legatum subsidii dotalis relicti ab Ascanio de Elia non recensuerant, quod tunc eos latebat; ideo dubitarunt, an in præfati indulti brevi comprehenderetur? et non comprehendi S. C. explicavit : *Neapolitana*, *Reductionis onerum*, 15 *junii* 1709, *dub*. 1.

2. Etiamsi inter parochum ecclesiæ S. Margaritæ villæ Marasii de suburbiis Januæ, et sodales societatis Sanctissimi Sacramenti in eadem ecclesia erectæ causa nonnullarum controversiarum firmata fuerit concordia super constructione oratorii, in quo nequeat sacrum fieri absque parochi licentia; tamen sodales breve permissivum peragendi sacrum in dicto oratorio nulla mentione concordiæ facta obtinuerunt. Idcirco S. C. quæsita de ejusdem validitate, ut interim exhibeatur breve consilium nondum cepit : *Januen.*, *Indulti*, 10 *julii* 1706.

3. Obtinuit Alexander de Calvis signaturæ justitiæ votans pro suæ dignitatis decore, ac tutela breve ab Innocentio XII, Pont. Max., anno 1695, ut suspenso multiplico ordinato a Laurentio de Calvis posset frui tum residualibus fructibus elapsis, et non investitis, tum aliis in posterum decurrendis usquequo filius Joannis Vaii capax evaderet legati a testatore relicti : propterea exacti fuerunt dicti fructus usque ad annum 1710. Exinde orta quæstione a deputatis seminarii Pratensis excitata, prætendentibus breve fuisse per subreptionem, et obreptionem obtentum, eo quod non fuerint expressæ familiæ ad legatum vocatæ; et S. C. sententia fuit breve validum esse, nec fructus perceptos esse restituendos : *Romana seu Praten.*, *Indulti*, 11 *junii* 1718, *dub*. 1.

4. Ac Breve, seu Indultum expirasse anno 1710 neque ullos fructus perceptos ad dictum tempus esse restituendus sancitur : *Ibid.*, *dub*. 2.

5. Ex tribus sororibus Archangela, Antonia et Seraphina, quarum filiabus avus Albericus Arfilius, quatenus Deo vovere vellent, dotem scut. 500 monetæ Urbini reliquerat, Antonia commutationis, ut in seculo nubere possit, breve obtinuit. Aliæ hoc impugnarunt ob non factam mentionem de filiarum earumdem existentia, et in statu habili ad consequenda dicta subsidia. At S. C. breve esse exequendum decidit : *Senogallien. seu Fanen.*, *Subsidiorum dotalium*, 19 *aug*. 1730.

6. Declaravit S. C. minime sustineri chirographum obtentum a Benedicto XIII, Pont. Max., anno 1728 ab Episcopo et capitulo ecclesiæ cathedralis, quo inspecta solutione scut. 1000 in alia pia opera erogatorum, confirmatur applicatio proventuum cujusdam legati pii in favorem pauperum relicti peracta ab Episcopo et capitulo prædicto anno 1680 in reparationem ecclesiæ, cum exemptione a redditione rationis, et incorporatione pecuniæ congestæ, ex fructibus dicti legati, ac absolutione ab onere imposito a testatore alio subrogato. Nam bina decreta hujusmodi chirographo opposita præcesserant : *Gerunden.*, *Vestiarii*, 7 *julii* 1731, *dub*. 2.

7. Breve Benedicti XIV, Pont. Max., quo indultum impertivit Francisco Lopez coadjutori Matthæi Conia canonici ecclesiæ cathedralis ratione servitii, et officii occupandi locum sui coadjuti tam in choro, quam in supplicationibus minime sustineri. Nam, silentio prætermissum fuit in litteris coadjutoriæ assignatum fuisse salarium ei ducat. 24 annuum pro servitio, et munere coadjutoriæ, necnon ultimi stalli, quod uti coadjutor retinet,, locum ac rescriptum S. C., quo eidem denegata fuerat ætatis prærogativa sui coadjuti : *Baren.*, *Præcedentiæ*, 19 *april*. 1760, *dub*. 2.

8. Denegata aperitione oris adversus breve Pont. Max., Clem. XIII, quo confirmaverat, et exequutioni mandaverat deliberationem capitularem cathedralis ecclesiæ captam die 17 junii 1757, licet nonnulli conquesti fuerint, quod nec Episcopus præmonitus, nec absentes vocati fuerant; S. C. modo brevis præfati exequutionem decernit : *Tridentina*, 14 *febr*. 1761, *dub*. 2.

9. Quum Episcopus breve apostolicum dispensationis ab irregularitate obtentum a clerico Josepho Belzoppi ob non comprobata exposita exequi abnuerit, orto dubio, an dictum breve sit exequendum? Affirmativum S. C. tulit responsum, exhibitis tamen Episcopo documentis, de quibus in novis precibus, et ex quibus exposita comprobantur : *Feretrana*, *Irregularitatis*, 22 *nov*. 1794.

Breve, chirographum apostolicum quoad aperitionem oris. Vide *Aperitio oris*.

BREVIARIUM SEU OFFICIUM DIVINUM.

1. Clericus de Mauro obtinuit beneficium simplex terræ de Morandola reditus ducat. 4, et quæsivit, an ratione paucæ quantitatis teneatur officium divinum recitare? respondit S. C. oratorem *intitulatum* in beneficio teneri officium divinum recitare; etiamsi reditus dicti beneficii sit paucæ quantitatis non excedentis scut. 4 annuatim, imo licet nullos percipiat fructus: *Cajetana, 6 april.* 1647.

2. Eos, qui ad officium divinum recitandum tenentur, non aliter huic muneri satisfacere, quam si ex breviarii romani juxta Sacr. Concil. Trid. decretum à Pont. Max., S. Pio V, restituti [177] formula illud recitaverint, ad idque posse compelli, nisi a prima institutione per Sedem Apostolicam approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa institutio ducentos annos antecederet, aliis certis breviariis usos fuisse constiterit, quemadmodum ejusdem S. Pii Const. 7 idus julii 1568 [178] cavetur: *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 17.

3. Pro conscientiæ serenitate quorumdam proposito dubio; an sacerdotes damnati ad triremes, et in iis degentes teneantur ad recitationem divini officii? responsum prodiit: Ad D. secretarium juxta mentem [179]: *Dubium recitationis divini officii*, 18 *aug.* 1708.

4. Jacobus Balduccius fundator quatuor filios

[177] Olim unusquisque Episcopus suæ diœcesis liturgiam moderabatur, quæ tamen a catholicæ Ecclesiæ doctrina non discreparet: atque hinc orta est diversitas illa cæremoniarum, et precum, quæ occurrit in liturgiis SS. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, de quibus agit Card. Bona *Rer. litur.* lib. 1, cap. 6, tom. 1, pag. 90 et seqq. edit. Taur. an 1747. Sed denique utilitas concordium precum, et illa, quæ ex crebra rerum mutatione oriebantur, incommoda fecerunt, ut S. Pius V in Const. *Quo primum* (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 116) in divinis officiis, sacrisque peragendis ab omnibus servari voluerit ordinem Ecclesiæ Romanæ, quæ aliarum mater, et magistra est. Hac de causa actum est in Concilio Tridentino de breviario emendando, deque certa proponenda formula, quam omnes in posterum sequerentur; et hanc formulam breviarii absolutam a selectis quibusdam viris, laudatus S. Pius V, Const. *Quod a nobis*, 9 julii 1568 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 22) proposuit ab omnibus observandam; illis tantum exceptis, qui ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine quæ ducentos annos superaret, aliis breviariis uterentur. Et ita in principio bullæ S. Pontifex loquitur. « Quæ divini officii formula pie olim, ac sapienter a Summis Pontificibus præsertim Gelasio ac Gregorio autem VII reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. » Huic Constitutioni accessit alia Const. *Cum in Ecclesia* 10 maii 1602. (*Bull. Rom.* tom 5, part. 2, pag. 422), qua breviarii romani jussu S. Pii V olim restituti, et editi, et deinde perperam in aliquibus immutati, iterata restitutio, cum permissione breviariorum jam impressorum, et prohibitione novum aliter de cetero imprimendi, mandatur. Iterum recognitum fuit ab Urbano VIII, Const. *Divinam Psalmodiam*, 25 januar. 1631 (quæ Const. haud reperitur in *Bull. Rom.*, et in *Epitome* Guerræ, sed præmittitur editionibus breviarii). Denique Const. *Cum alias* 27 april. 1643 (*Bull. cit.* tom. 5, part. 2, pag. 38), idem pontifex Urbanus hymnis quibusdam auxit, et emendavit; atque recitatio, ac decantatio eorumdem omnibus ecclesiis præcepit. Ac recte, et jure Romanos Pontifices omnem semper dedisse operam, ut occidentales ecclesiæ traditiones, et ritus Ecclesiæ Romanæ in celebranda Missa, in sacramentis administrandis, in psalmodia, in ceteris ad publicum cultum pertinentibus amplecterentur, ostendit Cl. Zaccaria, *Biblioth. Ritual.* tom. 1, dissert. 1, cap. 4 et 5, pag. 29 et seqq.

[178] Supracitata, quæ ait § 5: « Ac etiam abolemus quæcumque alia breviaria, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus promulgata, omnemque illorum usum de omnibus orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, ordinibus, et locis virorum, ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit, aut debet; illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, vel quæ ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis usu fuisse constiterit, quibus, ut inveteratum illud, jus dicendi, et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem si forte hoc nostrum, quo modo promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus et universus clerus in eo consentiant, ut id in choro dicere, et psallere possint, permittimus. »

[179] Ferrarius, *Biblioth. Canon.*, verb. *Offic. Divin.* art. 1, num. 23 ait, quod S. C. noluit decidere hoc dubium; immo neque Clemens XI, cui Congregatio Concilii dubium resolvendum reservarat, et additur in edit. Rom. dicti operis anni 1789 nota romani theologi hujusmodi « Quamvis multum probabilis dici possit illorum theologorum opinio, quæ clericus ad triremes damnatos a recitatione divini officii eximit, *Quia*, ut ait P. Concina, tom. 2, *Theol. christ.* diss. 2, q. 7, pag. 403, *vix in tam misero statu implere hoc onus possunt, tum ob impedimenta continua, tum ob breviarii privationem, tum etiam quia Pontifex, dum eosdem tanto supplicio subjicit, videtur eosdem a recitando officio tacite quodammodo dispensare ne status religiosus* (inde dicendum de statu clericali) *opprobrio exponatur*; isthæc

Julii Laureti successive ad beneficium vocavit, ea tamen lege, ut beneficiatus, dum studiis operam daret, ad ætatem usque 25 annorum a recitatione divini officii dispensaretur; ejus tamen loco officium parvum B. M. V. recitaret. Dubitatum est, an testator facultas foret dispensandi familiam Laureti ab onere præfato, et affirmativum prodiit responsum: *Firmana Beneficii*, 2 *sept*. 1758, *dub*. 1.

5. Ad prædicti beneficii nominationem substituta fuit gens Simonetti; nil tamen de officio expressit testator, sed tantum inquit cum eodem onere; quæsitum proinde fuit, num onus officii divini familiæ Laureti primo loco vocatæ injunctum reperitum censeretur etiam pro familia Simonetti, et minime repetitum censeri S. C. respondit: *Ibid*., *dub*. 2.

6. Canonici ecclesiarum collegiatarum S. Crucis Hunfeld, et SS. Joannis Baptistæ, et Ceciliæ Rasdorft in Minoribus constituti, et participantes tantum de massa grossa, non autem de emolumentis, quæ in præmium residentiæ lucrantur, ad quam non sunt adstricti, tenent officium divinum privatim quotidie recitare; etsi exponeret Episcopus non recitandi consuetudo ob redituum tenuitatem invaluisse: *Fulden*., *Visitationis sacrorum Liminum*, 3 *aug*. 1782.

7. Quum clericus Augustinus Boschi annorum 43 patronus pauper, ac rector simplicis beneficii S. Petri *a Fabrica* recitare divinum officium non valeret ob inscitiam, et tarditatem mentis, a qua educi nulla spes concipi postest, nec retinere idcirco dictum beneficium, ex decreto S. C. possit; modo impetravit commutationem divini officii in alias preces arbitrio Episcopi facto verbo cum Sanctissimo: *Collen*., 30 *aug*. 1788, *dub*. 2.

BULLA APOSTOLICA.

§ I.

Bulla Apostolica [180].

Dubitatum est, an bulla S. Pii V, 34 in ordine tom. 2 Bullarii concessa instante, et supplicante serenissimo rege catholico [181] non ad petitionem regularium, sit revocata in bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones regularium mitigantur? respondit S. C. agendum cum Sanctissimo an velit declarare bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus parochorum: *Angelopolitana*, 14 *maii* 1648, *dub*. 3. Hoc dubium est inter alia, quæ patres Jesuitæ S. C. exhibuerunt.

§ II.

Bulla Apostolica Cœnæ Domini die legi solita [182].

1. Quum difficile esset omnes, qui curam animarum gerunt, transumptum bullæ die *Cœnæ Do-*

tamen opinio penitus falsa est de clericis carcere mancipatis, qui certo certius recitare debent horas canonicas, ut omnes fatentur.

[180] Bullæ, sive extravagantes Pontificum Constitutiones a S. Leone Magno usque ad Sixtum V, primus collegit Laertius Cherubinus IC. Romanus, easque comprehendit uno volumine, quod *Bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum hunc librum Constitutionibus Pauli V, ac tertiam quoque parabat *Bullarii* editionem, qua etiam ceteræ Constitutiones postea latæ continerentur. Sed cum re infecta e vita excessisset, susceptum a patre opus absolvit Angelus Maria Cherubinus, qui Romæ edidit *Magnum Bullarium Romanum* divisum in tomos quatuor, quibus complexus est omnes Constitutiones, quas pater collegerat, et quas omiserat, atque illas in primis, quæ post ejus obitum prodierant, usque ad Innocentium X. Quatuor his libris quintum addiderunt Antonius a Latusca, et Paulus a Roma, qui Constitutiones collegerunt, quæ superiori tomo prætermissæ, quæque usque ad Clementem X editæ in lucem fuerant, sed ceteris palmam præripuit *Bullarium magnum*, quod non multis abhinc annis editum Romæ est a *Hieronymo Mainardo*, divisum in tomos 14, volumina 28, quodque omnes continet bullas Summorum Pontificum a S. Leone Magno usque ad Clementem XII. Est etiam *Bullarium* Benedicti XIV, quod ejus Pontificis Constitutiones comprehendit, quodque in 4 tomos divisum est; et sunt item bullæ nondum uno libro comprehensæ Clementis XIII, Clementis XIV, et Pii VI ac Pii VII, Pont. Max. Neque defuerunt, qui bullarum summam, sine compendium conficerent, qua in re laborarunt Stephanus Quaranta, et Flavius Cherubinus Laertii filius, et novissime Aloysius Guerra, a quo tomis quatuor comprehensa est: *Pontificum Constitutionum in Bullario magno, et Romano contentarum, et aliunde desumptarum epitome* edit. Venet. 1772 in fol.

[181] Philippus II, rex Hispaniarum S. Pio V exposuit, quod in partibus Indiarum, ob defectum presbyterorum, religiosi parochorum officio functi sunt, in maximam Christianæ fidei propagationem. Et ideo supplicavit pro indulto in futurum, habita per religiosos licentia ab eorum superioribus in capitulis provincialibus; Sum. Pont. Const. *Exponi Nobis*, 24 martii 1767 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 363) concessit, quod religiosi regulares, ob defectum presbyterorum, in partibus novarum Indiarum, officio parochorum fungi valeant.

[182] Hæc bulla primum emanavit sub titulo *Processus*,

mini legi solitæ penes se habere, dignetur S. C. declarare unum transumptum hujusmodi bullæ in singulis præcipuis ecclesiis, vel in parochia, ubi una dumtaxat ecclesia fuerit, ut omnes presbyteri illud legere possint sufficere. Satis esse, ut quisvis parochus exemplum unum desumat ex authentico, deciditur : *Gnesnen.*, *febr.* 1590, *dub.* 9.

2. Quæstio orta est in S. C. inter Paulum Florens rectorem ecclesiæ parochialis S. Mariæ villæ Maratonis, et presbyteros ejusdem ecclesiæ participantes. Unus ex his Romam ob causam agendam ab aliis missus est, nempe sacerdos Joannes Serra, qui ad partitionem auctoritate Episcopi ad suam naturalem vitam admissus fuerat, ut ad sacros ordines promoveretur. Idem occasione absentiæ complura obtinuit distributiones, ac emolumenta lucrandi indulta. At postremo reportato indulto, et haud expectata ejus exhibitione privatus ille fuit admissione a prædicto rectore, et alter in ejus locum admissus. Privatio autem nulla declarata, ac redintegratio concessa fuit. Deinde quæsitum fuit, an idem rector ob patratum spolium in odium recursus ad Romanam Curiam incidisset in censuras bullæ *Cœnæ* [183] : sed non incidisse decretum fuit : *Barchinonen.*, 26 *nov.* 1701, *dub.* 2.

3. Monachi ordinis Cassinensium a casibus in bulla *Cœnæ Domini* reservatis exteros ad eorum ecclesiam accedentes vigore indulti Sixti V confirmati a Clem. VIII, Pont. Max., in alio simili indulto absolvere nequeunt : *Andrien.*, *Edictorum*, 29 *nov.* 1710, *dub.* 4, confirmata ad formam bullæ Clem. X, Pont. Max., *Superna* [184] : 24 *januar.* 1711, *dub.* 1.

§ III.

Bulla apostolica Cruciatæ [185].

1. Episcopus Santadriensis S. C. consuluit : an vigore bullæ *Cruciatæ* celebrari valeant quotidie plures Missæ in oratorio privato pro unica Missa concesso? et negativum habuit responsum : *Santadrien.*, *Dubia super bulla* Cruciatæ, 15 *julii* 1797.

2. Et ad alterum dubium : An Missæ de præcepto satisfaciant diebus festis omnes indiscriminatim, qui Missam in oratorio privato audiunt, dummodo bullam Cruciatam habeant? negativum pariter S. C. dedit responsum : *Ibid.*, *dub.* 2.

ut adnotavit Sandini in *Vita Martini V*, not. 3, ubi refert testimonium auctoris Galli apud Dominicum Berninum *in Historia hæresum omnium*, tom. 4, seculo XV, cap. 5, pag. 70 relatum, nempe : « Bullam *Cœnæ* tempore Martini V cœpisse anno 1420, quando in Constantiensi synodo Bœmorum hæreses proscriptæ fuere, docuit olim Dominicus a Soto (non tamen Cardinalis Toletus, ut falso ei imponunt aliqui) hoc unico fretus fundamento, quod Angelicus, aliique prisci scriptores altum de ea re silentium servaverint. Cæterum non Martino tantum, sed et Clemente V, antiquiorem ipsam esse, eruditorum est constans opinio : idque ex eo potissimum evincunt, quod ipse Clemens V, *in Clem. I de Judiciis* palam fateatur, quibusdam solemnibus anni diebus (die Jovis Hebdomadæ Sanctæ, Ascensionis Domini, et Dedicationis Basilicarum Petri, et Pauli) Romanos Pontifices generales quosdam processus facere consuevisse : ubi observetur *Glossa*, quæ hic opinioni favet. Viguisse autem hanc bullam ante Urbanum III, et Clementem IV et V ea non contemnenda conjectura est ; quod Ostiensis D. Thomæ contemporaneus, immo et antiquior (floruit enim circa annum 1254) expresse hujus processus meminit in tit. *de Crim. falsi* lib. 5 § *Qualiter committatur*, ver. *Porro*. Non tamen tot, quot nunc habet, continebat Canones, sed datis occasionibus a Martino V, Paulo II, Sixto IV, in Extrav. *Etsi Dominici gregis*, Leone X, Paulo III, Julio III, Paulo IV, Pio V, Gregorio XIII, et aliis variæ adjectiones factæ sunt. » Excommunicationes reservatæ in bulla *Cœnæ* Summo Pontifici, ideo dicuntur tales, quia feria V, Cœnæ Domini legebantur, et publicabantur omni anno in capella papali, et istæ sunt numero viginti, quæ ut facilius, et clarius ab omnibus percipiantur, sunt relatæ a Bened. XIV. Vide notam seqq.

[183] Domini die legi solitæ, quæ can. 12, ait : « Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios, personas ecclesiasticas quascumque, vel seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis, et negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut provocantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores, et agentes, seu etiam auditores, vel judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quomodolibet percutiunt, et bonis spoliant : seu qui per se, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, et dignitatis fuerint. » Vid. Const. Bened. XIV, *Pastoralis Romani Pontificis* 30 martii 1741 *in ejusd. Bull.* t. 1, p. 16, § 12, *et Thesaur. de Pœn. Eccl.* part. 2, verb. *ad Cur. Rom.* cap. 1, p. 159.

[184] 21 junii 1670 (*Bull. Rom.* tom. 7, pag. 30), ubi § 7, sancitur, quod habentes potestatem absolvendi ab omnibus casibus Sanctæ Sedi reservatis, non ideo possunt absolvere a casibus reservatis ab Episcopo in sua diœcesi absque licentia ejusdem Episcopi. Quod si aliquis pœnitens hujus diœcesis, in qua casus unus est reservatus, potest ab eo casu a confessario absolvi ; modo id non noverit confessarius factum esse a pœnitente in fraudem.

[185] Bulla *Cruciatæ* sic dicitur, quia olim hæc bulla concedebatur militibus, qui rubeo signo Sanctæ Crucis insigniti ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Urbano II, et in Concilio Lateranensi sub Julio II, et nunc concedi solet cunctis utriusque sexus christifidelibus in regnis, ac provinciis omnibus Hispaniarum regi subjectis certam opem, seu operam in subsidium belli contra infideles, et hæreticos conferentibus. Hæc bulla gratias multas, ac privilegia continet, quas refert Ferrarius *in sua Biblioth. Can.* verb. *Bulla* Cruciatæ.

CADAVER.

§ I.

Cadaver quoad aspersionem seu benedictionem.

1. Ad dubium an benedictio cadaveris canonici ecclesiæ cathedralis spectet ad parochum cathedralis, seu domicilii ? respondit S. C. ad parochum domicilii spectare : *Tolentinaten.*, *Jurium parochialium*, 11 *sept.* 1694, *dub.* 4.

2. Cadaveris, antequam e domo ducatur, aspersio non ad capitulum metropolitanæ ecclesiæ, sed ad capitulum, et ecclesiam parochialem S. Agricolæ spectat ; quum hoc ad parochiæ incolarum funera idem ecclesiæ metropolitanæ capitulum vocet : *Avenionen.*, *Jurium parochialium*, 22 *martii* 1766, *dub.* 4, confirmata 21 *nov.* 1778.

§ II.

Cadaver quoad exhumationem et restitutionem.

1. Cadaver Sanctis Primaveræ est transferendum soluta quarta, cui de jure, ab ecclesia cathedrali, ubi fuit per modum provisionis sepultum, ad ecclesiam PP. S. Dominici dictæ civitatis, in qua adest suorum majorum sepulcrum. Nam ille Sanctes e domo paterna rurali in parochia S. Mariæ Plani sita causa studiorum ad civitatem profectus, ibique per aliquot annos sub parochia dictorum patrum moratus est, obiitque in domo paterna sub parochia S. Mariæ Plani : *Æsina*, *Juris sepeliendi*, 15 *dec.* 1703.

2. Electa fuit a Vincentio Cæsarino pro ejus filia impubere sepultura in ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci oppidi Scantiani, et in ea fuit humatum ejusdem cadaver ; inde quæsitum, an sit restituendum? et S. C. respondit, ut Episcopus processum omnino transmittat, et postea providebitur, ad quem spectet solutio mercedis : *Suanen.*, *Juris funerandi*, 10 *julii* 1706, *dub.* 2.

3. Vita functo Marco Antonio Sylvio intra limites parochialis ecclesiæ collegiatæ oppidi Canini degente, adulta ætate, nulla sepulturæ electione facta, archipresbyter, et canonici in eadem ecclesia tumularunt. Hi magnam statim habuerunt controversiam cum patribus Minoribus Observantiæ S. Francisci, quod in eorum ecclesia erat tumulandum, in qua sepultura illius genitoris, licet nullam imaginem sepulturæ habens, existit. S, C. tamen locum non esse petitæ exhumationi cadaveris, minimeque funerum restitutioni decrevit : *Aquipendii exhumationis*, 26 *febr.* 1707.

4. Locum esse exhumationi cadaveris Baldassaris Cenzii parochiæ S. Gregorii de Curiis incolæ, ac emolumentorum a patribus Conventualibus S. Francisci perceptorum restitutioni declaraverat S. C.; sed stante lapsu temporis non esse ad exhumationem deveniendum putavit. Nam dicti Patres sub prætenso fundamento, quod non electa sepultura, in illa majorum humandum erat, necnon ratione consuetudinis in eorum ecclesia tumulo mandarunt : *Civitatis Castellanæ*, *Sepulturæ*, 12 *januar.* 1709.

5. Restituendum est cadaver Annæ Lampi ab ecclesia S. Mariæ Matris Gratiæ ad ecclesiam patrum ordinis Prædicatorum civitatis Andriæ. Nam tempore interdicti ab Episcopo relaxati, licet interposita antea a patribus appellatione, defuncta Anna in ecclesia Patrum sepulturam delegerat : *Andrien.*, *Processionis et interdicti*, 6 *julii* 1709, *dub.* 6.

6. Minime restitui debere cadaver Joannis Pozzuoli S. C. sancivit, quod fuit a parocho S. Geminiani civitatis Laudæ in sua ecclesia parochiali consepultum, nec funerum emolumenta a dicto parocho percepta instantibus Patribus ex ordine Carmelitarum discalceatorum, qui elegisse sepulturam in eorum ecclesia asserunt : *Lauden.*, *Funerum*, 2 *maii* 1711, *dub.* 5 [1].

7. Restitutioni cadaveris, et exhumationi haud esse locum statuitur ; et in futurum servari omnino debent Sacræ Episcoporum Congregationis decreta, tumulationem cadaverum in ecclesia monialium prohibentia [2]. Cadaver enim erat in ecclesia monialium S. Claræ sepultum a P. confessario, et patribus

[1] Advocatus Dominicus Ursaya sua jura agens hanc causam edidit *in Discept. Eccles. XIV* tom. 1, part. 2, per tot.

[2] In ecclesiis monialium non possunt construi, nec eligi sepulturæ a laicis, seu secularibus utriusque sexus absque speciali licentia Sacræ Congregationis, et copulativa monialium ; sic pluries decrevit S. C. Epis. et Regul., et signanter *In Montefeltrin.* 21 *novem.* 1603; *in Gra-*

S. Francisci associatum, nec fuerat parochus cathedralis vocatus : *Lunen. Sarsanen.*, *Restitutionis cadaveris*, 28 *nov.* 1711.

8. Exhumatio cadaveris Francisci Rocca Pistoris monialium Benedictarum SS. Antonii et Claræ, qui domum in atrio monasterii muris circumdato sitam incolebat, ab ecclesia dictarum monialium valida est; ac parocho ecclesiæ S. Mariæ de Mari sunt emolumenta funerea restituenda, intra cujus parochia situm est dictum monasterium, non autem idem cadaver ecclesiæ monialium est restituendum : *Barchinonen.*, *Jurium parochialium*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 3, confirmata 13 *maii ejusd. anni.*

9. Locum non esse censuit S. C. exhumationi cadaveris comitis Eustachii Pallio, qui defuncta uxore ab oppido Rinco in conventum fratrum Eremitarum ordinis S. Augustini civitatis Astæ Pompeiæ se contulerat, in quo solutis menstruis alimentis vitam habitu seculari degebat. Nam Patres fidem electionis sepulturæ producunt, licet parochum ecclesiæ S. Pauli, intra cujus limites situs est conventus non monuerint *Asten.*, *Jurium parochialium*, 27 *novemb.* 1717, *dub.* 2, confirmata 12 *febr.* 1718.

10. Cadaveris Franciscæ Rugerii de Gregoriis est locus exhumationi, et restitutioni ab archipresbytero terræ Massæ, qui illud in sua ecclesia sepelivit, et omnia emolumenta percepit; quum illum in ecclesia Patrum tertii ordinis S. Francisci sepulturam sibi elegisse constaret, et addidit S. C. ad mentem[5] : *Tudertina*, *Electionis sepulturæ*, 4 *julii* 1722, *dub.* 2, confirmatur cum clausula, excepta exhumatione, et cadaveris restitutione : 21 *nov. ejusd. anni.*

11. Locus est exhumationi, ac restitutioni cadaveris Flaminii Marini, quod ecclesia matrix terræ S. Donati humavit, quum defunctus sepulturam in ecclesia PP. Carmelitarum elegerit: *Sorana*, *Funerum*, 24 *april.* 1723, *dub.* 2.

12. Minime exhumari, ac restitui debere cadavera Thomæ Fabri, Sebastiani Butini, et Joannis Mangoni ab archipresbytero Montis Æri patribus Conventualibus ejusdem loci : *Volaterrana*, 16 *martii* 1726, *dub.* 7.

13. Exhumandi, ac restituendi ab archipresbytero terræ Cantalupi Mariæ Laurentiæ Valentini cadaver, quæ elegit sibi sepulturam in ecclesia PP. Carmelitarum terræ ejusdem, non præbuit S. C. facultatem : *Sabinen.*, *Funerum*, 29 *januar.* 1735, *dub.* 1.

14. Cadaver Salvatoris de Nenna confratris societatis Sanctissimi Rosarii oppidi Montellæ loco depositi conditum in veteri sepultura ecclesiæ parochiali S. Nicolai est exhumandum, ut sepeliatur in novo tumulo ab eodem Salvatore electo, et constructo a societate in eadem ecclesia cum Episcopi venia pro sodalibus; non autem est alio ferendum. Nam capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ dictæ terræ recondi in propria ecclesia unica parœcia autumabat : *Nuscana*, *Sepulturæ*, 28 *januar.* 1736, *dub.* 3.

15. Cadaver baronis Francisci Mariæ de Pretis laici, qui cum PP. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii degebat, ac in eorum ecclesia inconsulto parocho cadaver fuit tumulatum, non est restituendum ex privilegio pontificio, qui inter cetera ait : ...*Congregationis personis, et hospitibus, quamdiu tamen inibi hospitabuntur dumtaxat, quod parochis, eorumve jurisdictioni minime subjaceant.* Et parochus contendebat hospites dumtaxat ipsius congregationis illa verba designare : *Spoletana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 1.

16. Minime est restituendum parocho terræ Maceratæ Feltriæ cadaver Annæ Bartoli educationis causa in monasterio monialium S. Claræ dictæ terræ degentis, ibique prævia electione sepulturæ defunctæ, ac humatæ; neque est facienda de eo retinendo nomine parochiæ declaratio : *Feretrana Juris sepeliendi*, 21 *april.* 1742, *dub* 2, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

17. Jam antea S. C. firmaverat, sepulcrum Josephum Frigerium haud elegisse, licet hic voluntatem eligendi in ecclesia patrum Min. Observ. conventus S. Bernardini civitatis Mortarii cum hac adjectione *se poteva testare, se poteva morire con lingua,* expressam habuerit; hinc modo non esse locum exhumationi cadaveris prædicti Frigerii, quod in ecclesia parochiali fuit tumulatum, necnon ejusdem translationi ad regularium ecclesiam S. C. decrevit : *Viglevanen.*, *Funerum*, 18 *maii* 1743, *dub.* 1, confirmata, 27 *junii* 1744, *dub.* 1.

18. Jacobus Minerva, mortuo jam filio impubere contra loci consuetudinem, et ad Prædicatorum PP. terræ Tricasii suasionem, ac instigationem illi sepulturam elegit in eorum ecclesia, ubi humatus revera fuit. Inde juxta exhibitum dubium, decisum fuit non constare de electione pro filio impubere a Jacobo facta; non vero esse impuberum cadavera restituenda : *Alexanen.*, *Funerum*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 4.

vinen. 1 *octob.* 1650, his verbis : « Nelle Chiese anco esteriori delle monache non si possono sepelire esteri, e forestieri, ne uomini, ne donne, ne anco principi, ancorche vi fossero sepolti i loro maggiori. » Idem habetur *in Vercellen*, 18 *maii* 1695, *non obstante solito referente Card. Pamphilio, et in Mantuana* 14 *martii* 1697, *et in Camerinen.* 6 *martii* 1713, ponente Card. Corsino ex post-Sum. Pont. Clem. XII.

[5] Et mens est, ut cadaver exhumari non debeat : *Ead. causa*, 4 *julii* 1722, *dub.* 2.

19. Angelus Lezzi sepulturam etiam deligere filiæ impuberi contra loci consuetudinem, et ad suasionem eorumdem fratrum in relata Patrum ecclesia curavit. Propositum simul fuit de sepulcri electione, et hanc non esse validam S. C. respondit. At quoniam sepulta illa fuit in parochiali ecclesia, expostulatum pariter fuit, an esset exhumandum illud cadaver, et restituendum? non esse restituendum, responsum prodiit : *Ibid.*, *dub.* 5.

20. Etsi Sanctinus Thomati biduo ante mortem filiæ impuberis sepulturam illi elegerit in ecclesia PP. ordinis S. Dominici, in qua, et alii filii reconditi fuerunt : parochus tamen cadaver in sua ecclesia humavit ; hinc instantibus patribus quæritur de ejusdem restitutione, et S. C. respondit, ut examinentur testes formaliter, et extrahentur partitæ sepulturæ impuberum defunctorum citata parte : *Aquen.*, *Juris eligendi sepulturam*, 19 *aug.* 1752.

21. Cadaver sacerdotis Valentini Forconi degentis sub parochia S. Catervi Canonicorum Lateranensium, ibique defuncti, et ex qua vivus, et moriens sacramenta receperat, una cum emolumentis ecclesiæ parochiali restitui debet ; quamvis cum proprio parocho recenter ad regimen parœciæ deputato ad ecclesiam cathedralem delatum, ac ad sepulturam datum fuerit : *Tolentina*, *Juris sepeliendi*, 11 *aug.* 1753, *dub.* 2.

22. Cadaver Gertrudis de Matthia sepultum in ecclesia parochiali S. Petri, restitui debet ecclesiæ S. Bonaventuræ PP. Minorum Reformatorum, in qua sepulcrum extat ab ejus abavo pro se, suisque hæredibus constructum, et in quod inferri voluit eadem mulier : *Tusculana, Juris tumulandi*, 10 *maii* 1755.

23. In sepulcro a sacerdote Andrea Arrighi pro se, suisque hæredibus ædificato in ecclesia pariter ab eo constructa B. M. V. in cœlum assumptæ, et SS. Andreæ, et Aloysii Gonzagæ, quædam extraneorum cadavera condita fuerunt. Parochus terræ Curtis, et PP. Minores Reformati S. Francisci, cum quibus jam ab initio seculi XV, convenerant incolæ dicti loci de eligenda in eorum ecclesia sepultura, ut facilius ali possint, reclamarunt, et Arrighium in jus vocarunt ; sed S. C. cadavera hujusmodi non esse exhumanda decrevit : *Alerien.*, *Sepulturæ*, 17 *januar.* 1756, *dub.* 7.

24. Cadaver Cajetani Navarra, quod vigore decreti per modum provisionis a vicario generali emanati nunc asservatur loco depositi in ecclesia S. Terentii in capsa separata, est restituendum cathedrali, ubi sepulcrum elegit : *Faventina*, *Præeminentiarum, et funerum*, 7 *junii* 1760, *dub.* 5, confirmata 11 *april.* 1761, *dub.* 2.

25. Cadaver sacerdotis Dominici Leoni in ecclesia parochiali Orioli depositum exhumari debet, illudque restitui ecclesiæ S. Antonii PP. Reformatorum, ad effectum illud abscondi in sepulcro familiari, seu majorum ; quamvis in ecclesia parochiali sepulcrum pro sacerdotibus adesset ; ipse tamen dum vixit nullum beneficium in dicta ecclesia erectum possedit : *Viterbien.*, *Juris tumulandi*, 31 *maii* 1766.

26. Non est locus exhumationi, et respective cadaveris restitutioni una cum emolumentis in favorem ecclesiæ abbatialis S. Ruphilli ; quum actum fuerit de cadavere Mariæ Siboniæ educandæ in monasterio S. Joannis Baptistæ Fori Pompilii in Æmilia, quæ in monasterii ecclesia tumulum elegit : *Brictinorien.*, *seu Nullius S. Ruphilli*, *Jurium parochialium*, 21 *junii* 1766, *dub.* 2.

27. Cadaverum Alexandri Horaim, ejusque uxoris Constantiæ Volodkoviez post biduum a viro defunctæ, quæ parochus Olkoviensis in sua tumulavit ecclesia contra exequutorum testamentariorum voluntatem, ac præceptum Episcopi, demandatur exhumatio quoad Constantiam tantum juxta votum nuntii apostolici. Hæc enim sibi sepulturam elegerat in ecclesia PP. Carmelitarum discalceatorum conventus Olkoviensis, quorum Tertiariæ habitum gestaverat : *Vilnen.*, *Sepulturæ*, 15 *dec.* 1792, *dub.* 1.

§ III.

Cadaver quoad funus, quomodo, et a quibus associatur.

1. S. C. parochis Bononiensibus interrogantibus ; an fratres pro associandis funeribus vocati convenire debeant ad parochialem ecclesiam, ubi clerus confluit? respondit, debere ad parochialem ecclesiam accedere, ubi clerus congregari consuevit: *Bononien.*, 20 *junii* 1620, *dub.* 4.

2. Ad libellum communitatis instantis, ut prohibeatur capitulo, et Episcopo intervenire funeribus, invitis hæredibus, et decernatur, ut taxa non pendeat ab ipsorum arbitrio ; respondit S. C. uti in Matherana 13 novem. 1660[1] : *Lavellen.*, 16 *junii* 1668.

3. Proposito quæsito, an archiconfraternitas Montis possit in funereis supplicationibus erigere suam crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad

[1] *Dub.* 1, in qua S. C. decrevit, non licere capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo injungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque S. C. probandam transmittat. Vide verb. *Taxa*.

ipsius ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt? S. C. rescribit, ut præcedat societas, dein crux ejusdem ecclesiæ deferenda per clericum ipsius, postea sequatur clerus regularis, et tandem secularis: *Romana, Funerum,* 10 *januar.* 1682, *dub.* 1 [5].

4. Ad alterum vero, an archiconfraternitas eadem possit suam crucem erigere tam per viam quam in ecclesia parochiali, quando est invitata ad associandum cadaver sepeliendum in ipsa ecclesia parochiali? negative, tam in ecclesiis parochialibus, quam in supplicationibus funereis præsente parocho respondit: *Ibid., dub.* 2.

5. Ad postulatum; an servanda sit consuetudo, quod in funeribus faculæ, seu intortitia, quæ in comitatu cadaveris fuerunt accensa, deserviant, et rursus accendantur circa feretrum in ecclesia, in qua cadaver sepeliendum est? affirmativum datum est responsum: *Tyburtina, Juris administrandi sacramenta, ac funerandi,* 12 *maii* 1685, *dub.* 4.

6. Dubitatur, an, et ad quem spectet defunctos inservientes monialibus monasterii S. Matthæi, congregationis Lateranensis Spoleti, et degentes in domo intra fabricam, et atrium monasterii constructa, deducere ad sepulturam casu, quo eam sibi elegerint extra ecclesiam parochialem, et monasterium? spectare ad parochum, respondetur: *Spoletana, Jurium parochialium,* 19 *april.* 1692, *dub.* 4.

7. Ad dubium, an parochis comitantibus defunctorum cadavera ad ecclesias regularium debeatur aliqua præcedentia in via; et dictas ecclesias ingredi possint cum stola, aut alio signo; vel potius teneantur dare ultimum vale in januis dictarum ecclesiarum? respondit S. C., affirmative ad primam partem, negative ad secundam; posse tamen dare ultimum vale in januis ecclesiæ: *Insularum Canariæ, Jurisdictionis,* 31 *julii* 1694, *dub.* 4 [6].

8. Quæritur, an comitatus cadaveris canonici ecclesiæ cathedralis spectet ad parochum cathedralis, vel domicilii? ad parochum domicilii spectare rescribitur: *Tolentinaten., Jurium parochialium,* 11 *sept.* 1694, *dub.* 4.

9. Postulatur, an capitulo, seu parocho ecclesiæ cathedralis licuerit cadaver canonici pellegrini asportare ab illius domo ad eamdem ecclesiam cathedralem parocho domicilii irrequisito? negative, irrequisito parocho, respondetur: *Narnien., Jurium parochialium,* 26 *sept.* 1699, *dub.* 3.

10. Capitulo, et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ civitatis Foggiæ licitum est ducere funus per publicas plateas, atque a via recta deflectere, quæ ad ecclesiam funeris, et præsertim regularium trahit: *Trojana, Funerum,* 21 *maii* 1701, *dub.* 1.

11. Licitum autem non est eisdem ducere cadaver alicujus de regimine civitatis prius in ecclesiam collegiatam ad sacra facienda, et deinde ab illa ad ecclesiam funeris transferre, nisi aliter defunctus, vel ejus hæredes disposuerint: *Ibid., dub.* 3.

12. Prætendentibus canonicis, parochis, aliisque presbyteris prædictæ civitatis occasione funerum ingredi ecclesiam regularium, ac super cadaveribus exequias peragere? S. C., ad quam opponentibus regularibus immemorabili consuetudine fretis res delata est, respondit eos ingredi licere; non autem exequias peragere: *Ead. caus.* 17 *junii* 1702 [7].

13. Dominicus Capponius mandaverat ejus cadaver transvehi ad ecclesiam PP. Cappuccinorum civitatis Æsii cum parochi, ac æditui cathedralis ecclesiæ, ac confraternitatis S. Luciæ tantum comitatu. Capitulum dictæ cathedralis prætendit, quod Cappuccini accedere etiamsi non vocati deberent ad ejusdem ecclesiam, ut parochum levarent, et ad Patrum ecclesiam associarent. Hinc S. C. quæsita,

[5] Proposito in Congreg. Sacrorum Rituum inter fratres ordinis Minorum Conventualium S. Francisci terræ Montis Novi, ex una, et abbatem franciscum Festarini parochum ecclesiæ S. Mariæ de Platea dictæ terræ ex altera partibus infrascripto dubio coram Card. Archinto præfecto et ponente concordato: An in funeribus explendis in ecclesia PP. Minorum Conventualium S. Francisci Montis Novi, in digniori loco consistere debeat crux ecclesiæ tumulantis, seu potius illa ecclesiæ abbatialis, et parochialis S. C. Rituum utraque parte informante, visisque juribus hinc inde deductisr, escribendum censuit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Die 2 aug. 1785, in causa *Senogallien.*

[6] Habetur Const. *Exponi,* 2 decem. 1676 (*Bull. Rom.* tom. 8, pag. 15), qua Innocentius XI confirmat. Decretum S. C. Concilii in causa *Papien., Funerum,* 28 nov. 1671 hisce verbis conceptum. « Secundo, an proprius parochus defuncti transeundo per parochiam unius parochi alterius cujuscumque diœcesis ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad ecclesiam Regularium possit libere, et licite per eamdem cum stola, et cruce elevata transire, etiam irrequisito parocho? » respondetur: « Ad secundum, affirmative. »

[7] Etiam ab eadem S. C. Concilii anno 1626 emanavit decretum tenoris seqq. nempe: S. C. Concil. Trid. Interpr. sæpius censuit, quoties cadavera defunctorum ad ecclesias fratrum mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quæ in hujusmodi minsterio adhiberi solent, non a canonicis, neque a clero, sed a fratribus obiri, ac peragi debere. Cum vero ab aliquibus Ordinariis locorum, et capitulis canonicorum dubitatum fuerit; an hujusmodi decretum de ecclesiis tantum virorum, non autem de ecclesiis monialium intelligi debent, humiliter supplicatur quatenus S. C. declarare dignetur, an sub prædicto decreto etiam ecclesiæ monialium, regularibus subjectarum, comprehendantur, qnod refertur in gratiam. *Die* 19 *martii* 1639, S. C. Concilii censuit, supradictum decretum habere locum etiam in ecelesiis monialium ordinis Mendicantium

sancivit dictum cadaver esse exportandum ab ecclesia cathedrali ad Patrum ecclesiam cum eorumdem comitatu: *Æsina*, *Funerum*, 2 *decem.* 1702, *dub.* 1.

14. Cadavera impuberum oppidi Varalli ex aliqua speciali consuetudine debent absque comitatu parochorum, et cleri secularis post eorum monitionem deferri in sepulcro majorum in ecclesia PP. Reformatorum existente: *Novarien.*, *Funerum*, *et jurisdictionis*, 15 *martii* 1704, *dub.* 2.

15. Eadem cadavera debent ad ecclesiam deferri quacumque hora diei, ante tamen solis ortum, et de nocte deferri nequeunt, nisi prævio Episcopi consensu: *Ibid.*, *dub.* 4.

16. Ac parochis impedientibus licitum hæredi est post moram trium dierum a morte defuncti ducere funus ad ecclesiam, in qua cadaver est sepeliendum, præterquam ante solis ortum, et de nocte: *Ibid.*, *dub.* 6.

17. Item in comitatu cadaverum ab hærede defuncti non sunt convocandi in æquali numero tot sacerdotes seculares, quot convocantur patres Reformati: *Ibid.*, *dub.* 9.

18. Innixus cuidam assertæ synodali constitutioni, ac decreto in visitatione ab Episcopo lato, vicarius generalis præceptum canonicis cathedralis ecclesiæ injunxit, simul cum regularibus, et societatibus ab hæredibus Francisci de Lectis defuncti invitatis, ne cadaver ejusdem ad ecclesiam, in qua est tumulo contegendum, ante 24 horarum lapsum ab extremo spiritu sub pœna excommunicationis, possit deferri. Qua de re, S. C. requisita, an hoc præceptum validum sit? rescripsit, ut transmittantur tam constitutiones synodales, quam acta visitationis: *Ortonen.*, *Censurarum*, 3 *octob.* 1705. *dub.* 1. Deinde validum non esse S. C. declaravit: 12 *decem. ejusd. anni.*

19. Cadavera defunctorum, qui sibi sepulturam elegerunt in ecclesia PP. Min. S. Francisci de Observantia Portus Ferrarii, antequam ad eam deferantur, exportari ad parochialem non debent: *Massanen.*, 17 *april* 1706, *dub.* 1.

20. Statim ut ob funus Alvari de Luna regii gubernatoris civitatis Cotronæ, qui nullum condidit testamentum, controversia a capitulo ecclesiæ cathedralis fuit excitata super juribus funereis; de propositis dubiis S. C. resolvit, hæredes defunctorum non teneri invitare idem capitulum ad exequias: *Cortronen.*, *Jurium funeralium*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 1 [8].

21. Capitulo cathedralis ecclesiæ sibi vindicante jus celebrandi Missas, et exequias in quibusdam ecclesiis regularium, et societatum ex piorum disponentium voluntate, crucis vexillo erecto occasione funerum peragendas; patres Dominicani insurrexerunt, et occasionem S. C. dederunt declarandi dictis Patribus licere in propria ecclesia celebrare Missas, et exequias tam pro his, qui tumulati reperiuntur in dicta ecclesia, quam extra; et pro his eleemosynam recipere; sed non hæc omnia privative spectare ad capitulum ecclesiæ cathedralis in eadem ecclesia Patrum agenda decrevit: *Ruben.*, *Juris Funerandi*, 28 *julii* 1713, *dub.* 1.

22. Ac eidem capitulo occasione comitatus, et sepulturæ cadaverum in ecclesia PP. S. Dominici eam ingredi cum erecta cruce licere, non autem ibi funus circa cadaver facere, sancivit: *Ibid.*, *dub.* 2.

23. Patres tertii ordinis S. Francisci conventus Pacis terræ Massæ occasione, qua cadavera parœciæ dicti loci in eorum ecclesia tumulantur, in ecclesia parochiali prius convenire debent, si velint associare cadavera, quatenus vero nolint, ipsis tantum licet ante januam ecclesiæ, non autem per vias præstolari: *Tudertina*, *Funerum*, 8 *aug.* 1716, *dub.* 1 [9].

24. Cadaverum incolarum Plebaniæ Laurentii terræ Urbizaliæ funus comitari, ac eidem adesse non licet præposito S. Georgii ejusdem terræ, quando minime fuit accitus vel a plebano, vel a familiaribus, seu ab hæredibus defuncti: *Maceraten.*, *Jurium parochialium*, 17 *junii* 1719, *dub.* 2.

25. Quæsitum quum fuisset: An occasione funerum cum præsentia capituli ecclesiæ collegiatæ oppidi Novarum, cui adjudicata quædam superioritatis species a S. C. fuit super ceteras parœcias, peragendorum, parochi ejusdem oppidi sub illius cruce incedere tenerentur, seu an, et sub qua cruce sit incedendum? S. C. rescripsit: Dilata, et examinentur testes formaliter: *Derthonen.*, *Jurium parochialium*, 7 *decem.* 1720, *dub.* 9. Reproducta causa, fuit decisum, ut sit incedendum sub cruce capituli: 14 *april.* 1725, *dub.* 1. Inde quum ad succumbentium preces postulatum fuisset num esset a decisis recedendum? S. C. scribendum juxta instructionem [10] respondit: 4 *aug. ejusdem anni*,

[8] Hanc patrocinatus est causam advocatus Dominicus Ursaya, et jura rationesque in favorem capituli ecclesiæ cathedralis, ostendit in sua *Discept. Eccles. XII*, tom. 3, part. 1, per tot.

[9] Advocatus Dominicus Ursaya in *Discep. Eccles. XI*, tom. 5, part. 1, per tot. in hac causa certavit in favorem regularium.

[10] Card. Archiepiscopo Mediolanensi super observantia videlicet, et praxi decreti Concilii provincialis primi, et secundæ synodi diœcesanæ S. Caroli Boromæi, an videlicet parochi in processionibus, et funeribus erigant crucem, interveniente capitulo metropolitanæ, vel altero ecclesiæ collegiatæ: *Ead. causa*, 15 *decem.* 1723, § 5.

dub. 2. Denique Card. Archiepiscopi supervenit responsio de observantia, ac praxi decreti concilii provincialis, ac synodi, et S. C. recessit a decisis quoad funera: 15 *decem. ejusd. anni, dub.* 1.

26. Cadavera defunctorum sepelienda in ecclesia PP. Min. Observ. terræ Petræ Sanctæ, antequam ad eorum ecclesiam deferantur, prius ad parochialem duci non debere, et ibi expositionem usque ad horam supulturæ fieri, S. C. censuit: *Lucana, Funerum*, 14 *martii* 1722, *dub.* 1.

27. An Patres Conventuales S. Francisci Montis Ærei invitati, ad funus accedentes convenire debeant in ecclesia parochiali ejusdem loci, inde una cum parocho processuri ad locum, ex quo defunctus est efferendus? S. C conquisita, rescripsit, ut ad Episcopum scribatur juxta instructionem [11]: *Volaterana*, 30 *januar.* 1723. Deinde affirmativum dedit responsum: 16 *martii* 1726, *dub.* 1.

28. Cadavera vero defunctorum PP. Minorum Conventualium sepelienda, antequam ad eorum ecclesiam deferantur, prius ad parochialem ecclesiam asportari non debent, sed ad ecclesiam PP., nisi defunctus, vel hæres aliter ordinaverit, deferri: *Ibid., dub.* 2.

29. Et super cadaveribus primo ad parochialem traductis archipresbyter exequias, aliasque functiones peragere potest; ac ipsi debetur tantum intortitia, quæ circa cadaver ponuntur: *Ibid., dub.* 3.

30. Cadaverum defunctorum societati Salutis cum aliis sodalitiis, dummodo sit invitata, exequias prosequi licet: *Bononien.*, 10 *junii* 1724, *dub.* 10.

31. Licet hæredibus defunctorum terra Peschi Constantii solum parochum asciscere in comitatu cadaverum, quæ tam in ecclesia matrici, quam in aliis, in quibus fuerit electa sepultura, tumulanda sunt, sed quatenus presbyteros accersere hæredes velint, esse illos præferendos ecclesiæ matricis in numero ipsis beneviso: *Nullius, seu Montis Casini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 9.

32. In cadaverum funus cohonestando, quæ in ecclesia PP. Conventualium montis Ærei humari debent, archipresbyter incedere sub illorum cruce tenetur, non autem propriam valet elevare crucem: *Volaterana*, 16 *martii* 1726, *dub.* 4.

33. Haud idem archipresbyter dicti loci ingredi potest cum cruce, et stola eorum ecclesiam, et super defunctorum cadaveribus, quæ tumulo ibidem mandantur, officium celebrare valet: *Ibid., dub.* 5.

34. Ad rogatum, an parochi civitatis Pisauri hæredes defuncti ad exponendum funus juxta qualitatem et graduum personarum cogere possent? antea S. C. rescripserat, ut Episcopus auctoritate S. C. procedat prout de jure, modo decretum confirmavit: *Lisauren., Quartæ funeralis*, 15 *maii* 1728, *dub.* 2, confirmata 14 *maii* 1729.

35. Quum patres Reformati S. Francisci terræ Montellæ causa electionis sepulturæ in eorum ecclesia non accito capitulo contra immemorabilem consuetudinem de mane processerint ad domum defunctæ Joannæ Lambucci, et admonito parocho eoque recusante, licet expectato cadaver illico ad eorum ecclesiam detulerint, non obstante, quod in itinere supervenisset mandatum vicarii generalis, ne sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, cadavere parochiæ finibus amoverent. Quæsitum igitur est, an licitum fuerit patri guardiano deferre cadaver non obstante Episcopi inhibitione, et proinde an censuræ sustineantur? S. C. responsum dedit, quod suspensis censuris, Patres imposterum se abstineant a similibus: *Nuscana, Funeris*, 14 *januar.* 1730.

36. In comitatu pauperum defunctorum, qui ecclesiæ archipresbyterali, et collegiatæ, vel parochialibus loci Campobassi subsunt, et gratis deferuntur, totum corpus collegii, seu capituli, non autem archipresbyter, cui defunctus erat subjectus, potest intervenire, sed non tenetur: *Bojanen., Jurium parochialium et præeminentiarum*, 24 *maii* 1732, *dub.* 12.

37. Mos erat in civitate Tolentina, ut cadavera prius deferantur ad propriam ecclesiam parochialem, inde vero ad ecclesiam, in qua vel sepulchrum gentilitium conditum erat, vel sibi viventes sepulturam elegerant: inde vero quum plures dissensiones inter utriusque ecclesiæ ministros ortæ fuissent, postulavit Episcopus, ut S. C. definiret cadavera directe deferri debere ad ecclesiam, in qua electa fuerit sepultura, absque præcedenti delatione ad parochialem, prout fuit definitum: *Tolentina, Funerum*, 6 *febr.* 1734.

38. Patres Reformati, in quorum ecclesia defunctus elegit sepulturam, funus comitari, ac cadaver asportare sine consensu, et præsentia, vel archipresbyteri cathedralis ecclesiæ, vel canonici coadjutoris actualem curam exercentium, eorumque interventu nequeunt: *Tusculana, Funerum*, 24 *julii* 1734, *dub.* 1.

39. Et postquam dicti Patres per horæ spatium archipresbyterum vel illius coadjutorem prius monitum expectaverint, absque illorum interventu cadaver ad eorum ecclesiam deducere possunt: *Ibid., dub.* 2.

40. Et ad dubium exhibitum, an in cadaverum comitatu ad ecclesiam PP. Reformatorum ab hære-

[11] Instructio fuit ut Episcopus referret numerum religiosorum in dicto conventu degentium, et an iidem sint exempti a sua jurisdictione, vel potius sint subjecti: *Ead. causa*, 23 *febr.* 1726, § 2.

dibus defuncti præter archipresbyterum seu ejus coadjutorem ecclesiæ cathedralis sint invitandi tot sacerdotes seculares, quot religiosi? S. C. respondit : Ad Card. Episcopum juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 3.

41. Cadavera defunctorum, quæ humanda sunt in ecclesia PP. Carmelitarum ad illam recto tramite deferri; nec inspecta asserta consuetudine prius asportari, ac exponi in ecclesia parochiali terræ Cantalupi debent : *Sabinen.*, *Funerum*, 29 *januar.* 1735, *dub.* 2

42. Ac in comitatu cadaverum ad ecclesiam PP. prædictorum archipresbyter debet sub sola cruce dictæ tumulantis incedere, nec potest propriam crucem elevare, et sic sub utraque incedere : *Ibid.*, *dub.* 3.

43. Cadavera pauperum ad ecclesiam parochialem loci Scapezzani deferendi onus parocho, non parochiæ incolis, qui ad illa apportanda cogi non valent, incumbit : *Senogallien.*, *Funerum*, 19 *dec.* 1739, *dub.* 4.

44. Non licet ad formam sententiæ Ordinarii societatis Orationis, et Mortis civitatis Centumcellarum levare cadavera quomodolibet mortuorum sive in civitate, sive in navibus, sive in campestribus, irrequisito parocho : *Viterbien.*, 16 *dec.* 1741, *dub.* 2.

45. Sodales autem dicti sodalitii requisiti a parocho, ut eum associent ad levandum, et deferendum aliquod ex supra dictis cadaveribus, ipsi accedere, et illud comitari ad formam sententiæ Ordinarii, tenentur : *Ibid.*, *dub.* 3.

46. In casu recusationis unam ex cunctis societatibus potest parochus invitare : *Ibid.*, *dub.* 4.

47. Neque eisdem sodalibus vexillum apponere in capite feretri præsente cruce parochi licet : *Ibid.*, *dub.* 5.

48. Atque capellanis societatum dictæ urbis in comitatu cadaverum, quæ sunt humanda tam in eorum ecclesiis, quam in parochiali, seu aliis, deferri stolam præsentibus parocho, vel vice-parocho licet : *Ibid.*, *dub.* 3.

49. Ac in dubiis, an parochus possit subrogare vice parochum in comitatu cadaverum, quæ sepeliuntur sive intra, sive extra parochialem? et quatenus affirmative.

50. An ipso quomodolibet impedito, faciendum sit funus supra dictis cadaveribus a vice-parocho cum solita exactione emolumentorum? rescribitur, servandam esse concordiam approbatam a Card. S. Cruce, et id casu interventus vice-parochi deberi ei solita emolumenta : *Ibid.*, *dub.* 7 et 8.

51. Cadavera defunctorum, quæ in sepulcro conduntur ecclesiæ conventus S. Mariæ de Monte Carmelo patrum Minorum strictioris observantiæ oppidi Collis Torti, ad illam recta via deferri non debere, sed asportanda prius esse ad ecclesiam parochialem, et eorum ibi exequias fieri S. C. resolvit : *Larinen.*, 14 *maii* 1746, *dub.* 5, confirmata 9 *julii ejusd. anni*.

52. Quum esset cadaverum funus prosequendum, quæ in ecclesia PP. Carmelitarum civitatis Trani sepultura afficienda sunt, iidem patres ad levandum archipresbyterum curatum ab ecclesia cathedrali unica parochiali tenentur : *Tranen.*, *Juris funerandi et processionis*, 21 *nov.* 1750, *dub.* 1.

53. Nonnullis ex iisdem patribus non intervenientibus una cum aliis in ecclesia cathedrali, non licet se immiscere per viam, aut in domo defuncti una cum aliis regularibus jam in ordine supplicationis incedentibus : *Ibid.*, *dub.* 2.

54. Elapsa autem hora moræ in dicta ecclesia cathedrali, definitum fuit, licere patribus cadavera levare, illaque in eorum ecclesiam tumulanda absque archipresbyteri interventu deportare : *Ibid.*, *dub.* 3.

55. Et in dubio : An cadaverum funus comitando, quæ ad sepulturam dantur in ecclesia Patrum, iisque intervenientibus incedere archipresbyter sub eorum cruce, vel regulares sub cruce ecclesiæ cathedralis solius parochialis, teneantur?

56. Et an archipresbyter ingredi ecclesiam PP. cum cruce, et stola, et super cadaveribus ibidem tumulandis officium celebrare possit? videatur particulariter respondit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 4 *et* 5.

57. Ac dum ducitur supplicatio funebris per viam una cum cadavere ad ecclesiam tumulantem dictorum PP. præter præcentionem antiphonæ, præcentio etiam psalmorum ab archipresbytero curato, non a dictis patribus fieri debet : *Ibid.*, *dub.* 6.

58. Capitulum ejusdem ecclesiæ cathedralis invitatum ad cadavera, quæ in ecclesia dictorum PP. tumulantur, associanda, illam ecclesiam ingredi cum cruce propria, et stola, ibique officia, aliasque funebres functiones super cadaveribus absolvere potest : *Ibid.*, *dub.* 7.

59. Inter archipresbyterum, et clerum secularem oppidi Dungi occasione funeris exortis controversiis super cadaverum comitatu, rescriptum fuit ad dubia exhibita, ut coadjuvarentur probationes tam super collegialitate, quam super consuetudine rerum controversiarum : *Comen.*, *Funerum*, *et Functionum conventualium*, 5 *julii* 1749. Reproposita causa resolutum fuit, quod archipresbyter, et omnes capituli cleri secularis presbyteri cadaverum exequias prosequendo ad ecclesiam PP. Reformatorum sub illorum cruce incedere non teneantur, neque proinde ambo propriam elevare crucem; sed iidem patres sub dicti cleri cruce interveniente capitulo incedere debent : 19 *decem.* 1750, *dub.* 1.

60. In eodem etiam comitatu dictis archipresbytero, et cleri secularis presbyteris præfatam PP. Reformatorum ecclesiam cum stola, et elevata cruce ingredi licet : non autem ab ejusdem ecclesiæ fores sistere, ibique ultimum defuncto valedicere, tenentur : *Ibid., dub.* 2. [13]

61 Insuper in cadaverum comitatu associatione non tot presbyteros seculares, quot vocantur regulares, invitari debere ; sed invitato tantum actuali parocho ; ipsorum funerum pompam ab hæredum arbitrio pendere S. C. sancivit : *Ibid., dub.* 3.

62. Dictique Patres pro eodem comitatu invitati, ad levandum parochum ab ecclesia parochiali accedere tenentur, non autem ipse parochus pro hujusmodi effectu, se privatim ad domum defuncti juxta prætensam consuetudinem conferre debet : *Ibid., dub.* 5.

63. Cadavera eligentium sepeliri cum habitu S. Francisci patrum Reformatorum patenter discooperta ad ecclesiam, et locum sepulturæ deferri debere ; non autem super iisdem cadaveribus solitum pallium, et tegumentum mortuarium imponendum esse S. C. decidit : *Ibid., dub.* 6.

64. In cadaverum funere cohonestando, quæ in ecclesia S. Petri Minorum de Observantia terræ Centi tumulantur, parocho SS. Sebastiani, et Rocchi, ubi cura animarum translata fuerat ab ecclesia PP., cui unitum jamdiu fuerat beneficium curam animarum adnexam habens, ingredi cum stola, et cruce elevata non licet ; sed ad ejusdem ecclesiæ fores sistere, ibique ultimum vale defuncto dare tenetur : *Bononien., Funerum,* 18 *sept.* 1751.

65. Mulieres societatis utriusque sexus Sanctissimi Nominis Jesu oppidi Viqueriæ consorores peregrinæ nuncupatæ nequeunt ad formam decreti associare cadavera sub speciali vexillo ; licet hanc associationem permissam ex universalis regionis consuetudine reputent, cujus vigore mulieres sodalitiis adscriptæ sub proprio vexillo funeribus interveniunt : *Derthonen., Visitationis,* 26 *jan.* 1760, *dub.* 18.

66. In associanda cadavera præcentio antiphonæ *Exultabunt Domino*, dum cadaver e domo defuncti effertur, facienda est a parocho non a prima capituli cathedralis ecclesiæ dignitate : *Faventina*, *Præeminentiarum, et Funerum,* 7 *junii* 1760, *dub.* 2.

67. Ac juxta solitum parocho cadaveris defuncti comitanti funus ad ecclesiam cathedralem cum stola, et erecta cruce ingredi licet : *Ibid., dub.* 3, confirmata 11 *april,* 1761.

68. Capitulo insuper ejusdem ecclesiæ cathedralis interveniente cadaveris comitatui supplicatio funebris convocari, et incipere in ecclesia eadem, non in ecclesia parochiali defuncti debet, etiamsi antea initium a domo defuncti sumeret : *Ead.* 11 *april.* 1761, *dub.* 1.

69. Occasione cadaverum comitatus, quæ tumulo in ecclesia S. Francisci terræ Sublaci mandantur, canonici capituli ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Andreæ, etiam non invitati, quum de eorum parochiæ incolis ageretur, intervenire possunt : *Nullius, seu Sublacen., Funerum,* 30 *maii* 1761, *dub.* 1.

70. Dictumque capitulum ad funus accedens semper, et quandocumque associare cadaver usque ad januam ecclesiæ S. Francisci tenetur ; nec ei licet idem cadaver tantum usque ad ecclesiam S. Mariæ ad Nives prosequi, committendo alteri ex beneficiatis dictæ collegiatæ ulteriorem associationem, uti consuetudo vigebat : *Ibid., dub.* 2.

71. Ecclesiæ S. Athanasii collegii Græcorum Urbis impertita fuit gratia juris funerandi cadavera Græcorum sepulturam eligentium, etiam extra col-

[13] Etiam in S. C. Rituum ad dirimendas nonnullas controversias exortas inter sacerdotem Julium, alias fratres de Tofinis oppidi Petritoli ex una, et parochos dicti oppidi, et litis ex altera partibus super associatione cadaverum ad ecclesiam regularium, nec non super emolumentis parochis debitis Card. Caprara ponente proposita fuerunt seq. dubia.

1. An parochi teneantur associare cadavera tumulanda in ecclesia regularium usque ad crucem, vel potius usque ad januam ecclesiæ, ibique dare ultimum vale ; et quatenus affirmative ad secundam partem. 2. An regulares, quatenus associationi non fuerint invitati, teneantur expectare, et recipere cadavera in janua eorum ecclesiæ ? 3. An liceat hæredibus defuncti asportare cadavera e propriis domibus ad ecclesiam parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad ecclesiam et regularium parochi teneantur recipere ; et quatenus affirmative ; 4. An, et quale emolumentum debeatur parochis ratione ejusdem depositi? 5. An parochis ceterisque ecclesiasticis associantibus cadavera ad ecclesiam regularium liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam, et emolumentum, seu potius illud dari solitum occasione associationis faciendæ ad ecclesiam? 6. An ceteri ecclesiastici, et confratres associantes cadavera teneantur introire ecclesiam regularium, ibique solitas sacra spreces una cum regularibus canere, et totum officium absolvere ? S. C. utraque parte informante, visisque juribus hinc inde deductis rescribendum censuit : Ad 1. Negative ad primam, affirmative ad secundam partem. Ad. 2. Affirmative. Ad 3. Affirmative in omnibus, petita tamen, quamvis non obtenta licentia parochi. Ad 4. Deberi parocho in tortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit. Ad 5. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad. 6. In casu, de quo agitur, serventur constitutiones synodales. Et ita declaravit, ac servari mandavit in causa *Firmana, Funerum, die* 7 *maii* 1763.

legium in Urbe decedentium, salva quarta funebri pro parochis latinis : *Romana, Juris Funerandi*, 27 *junii* 1761.

72. Occasione comitatus cadaverum terræ Costacciari PP. Minorum Conventualium S. Francisci ita se gerere debent, ut servetur solitum juxta mentem, sive cadavera in ecclesia parochiali S. Marci, sive in eorum ecclesia S. Francisci sepulcro mandatur : *Eugubina, Jurium parochialium*, 8 *maii* 1762, *dub*. 2.

73. Patres vero prædicti occasione tumulationis cadaverum in eorum ecclesia non tenentur ad illa associanda, sed illa expectare possunt in janua propriæ ecclesiæ : *Ibid., dub*.3.

74. Et in comitatu cadaverum sive ad parochialem ecclesiam, sive ad aliam licet hæredibus defunctorum tot regulares invitare, quot invitantur presbyteri seculares etiam reluctante parocho, sicut et in reliquis funerum pompa pendere ab eorumdem hæredum arbitrio debet : *Ibid* , *dub*. 3.

75. Concessa ecclesia parochiali S. Laurenti Castri Butrii Fratribus ordinis Servorum B. M. V. de consensu patronæ communitatis, exortæ fuerunt nonnullæ controversiæ, quas S. C. ita absolvit ; pro comitatu quippe cadaverum invitari prælative non debent religiosi conventus dicti ordinis, quatenus præter parochum actualem vocari velint alii presbyteri, sive clerici seculares, vel regulares ; sed est in testatorum, vel hæredum libertate invitare presbyteros, vel clericos sibi benevisos, vel seculares, vel regulares cujuscumque ordinis, etiam ad exclusionem dicti conventus religiosorum : *Bononien.*, 3 *julii* 1762, *dub*. 4, confirmata 23 *apr*. 1763.

76. Et testatores, vel hæredes vocare possunt ad libitum, sive uti capellanos conductitios, sive uti capitulum claustrale, religiosos dicti conventus, quando ipsi tantummodo ad comitandum funus cadaverum invitantur : *Ibid*., *dub*. 5, confirmata *ibid*.

77. Ac an eadem libertas competat testatoribus, vel hæredibus, quatenus præter dictos religiosos, etiam alii presbyteri, vel clerici seculares invitantur ; sive teneantur testatores, et hæredes eosdem religiosos vocare uti capellanos conductitios, quando alii presbyteri, et clerici similiter uti capellani conductitii invitantur, ad hoc dubium in 4. dubio fuisse provisum respondetur ? *Ibid*., *dub*. 6, confirmata *ibid*.

78. Et ad dubium : An salva præcedentia parocho stola induto, et qui funus comitatur, debita, præcedentia, et dignior locus presbyteris, et clericis secularibus super religiosos dicti conventus comitatui cadaverum, uti capellanos conductitios intervenientes, seu dictis religiosis debeatur ? rescripsit S. C. præcedentiam presbyteris, et clericis secularibus intra eumdem ordinem deberi : *Ibid.*, *dub*. 7, confirmata *ibid*.

79. Non autem eadem præcedentia dictis religiosis debetur super presbyteros, et clericos seculares, quando ipsi interveniunt, ut capitulum claustrale : *Ibid*., *dub*. 8, confirmata *ibid*.

80. Imo dicta præcedentia non debetur patri priori ejusdem conventus casu, quo non sit parochus, super presbyteros, et clericos seculares, quatenus ipse cum aliis religiosis sui conventus intervenientibus tam collegialiter, quam uti capellanis conductitiis, adsit : *Ibid., dub*. 9, confirmata *ibid*.

81. Nec possunt laici conversi dicti conventus cum presbyteris, et clericis tam secularibus, quam regularibus invitatis, ac intervenientibus tanquam capellanis conductitiis commisceri : *Ibid.*, *dub*. 10, confirmata *ibid*.

82. Cadaver Sylviæ Paglia nequit contra decretum Episcopi, qui ad instantiam PP. Minorum Conventualium funus illius agendum mandaverat in ecclesia S. Francisci, ubi sepulcrum familiæ adest, ad ecclesiam cathedralem, ut mortuo inferiæ solvantur, asportari : *Civitatis Castellanæ, Funerum*, 18 *febr*. 1764, *dub*. 1.

83. Occasione exortæ controversiæ inter parochum ecclesiæ S. Mariæ Transpontinæ cum parochis Urbis de funere agendo militum præsidiariorum arcis S. Angeli, quæsitum fuit : An funera militum præfatorum recipientium stipendium militare, atque decedentium intus, vel extra dictam arcem, semper pertineat ad ecclesiam parochialem S. Mariæ Transpontinæ ? et S. C. affirmativum dedit responsum ad formam additionis ad cap. tertium statuti cleri romani [13] ; etiamsi milites diu, noctuque morantes in arce extra eam casu moriantur : in reliquis negative rescripsit : *Romana, Funerum*, 2 *martii* 1765.

84. In associandis cadaveribus defunctis in ambitu ecclesiæ S. Nicolai, quæ in quavis ecclesia sive seculari, sive regulari ejusdem ambitus sepultura afficiuntur, interveniente capitulo ecclesiæ cathedralis, munus parochi expleri haud a vicario dictæ ecclesiæ S. Nicolai debet, sed a vicario capituli cathedralis. In civitate enim Andriæ ecclesia

[13] § 21 ubi in additione habetur : « Milites vero, qui in stationibus, seu quarteriis pernoctant, et extra illas habent propriam domum, seu domicilium, ad parochiam domicilii spectent, exceptis militibus præsidiariis magnæ arcis S. Angeli, quatenus ibi diu, noctuque commorentur, et moriantur, quos tunc ad parochiam ejusdem arcis, seu B. M. Transpontinæ dumtaxat spectare declaramus.

cathedralis sola est parochialis, aliæ coadjutrices sunt : *Andrien.*, 24 *januar.* 1767, *dub.* 2, confirmata, 19 *sept. ejusd. anni.*

85. Vicarius ecclesiæ prædictæ S. Nicolai non tenetur elevare crucem parochialem a cathedrali, sed uti potest propria cruce in cadaveribus associandis defunctorum intra dictæ ecclesiæ ambitum, et in eadem, vel in aliqua quacumque præter cathedralem ejusdem filiales ecclesias sepeliendorum, minime interveniente cathedralis capitulo : *Ibid.*, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

86. Postmodum fuerunt disputata, ac alia definita dubia : nempe in associatione parochiæ incolarum qui intra cathedralis ecclesiæ ambitum moriuntur, ac quibus in ecclesia S. Nicolai, aut in alia ambitus ejusdem sepultura datur, parochiale, exercitium a vicario cathedralis ecclesiæ expleri debet : *Ead.*, 15 *sept.* 1770, *dub.* 1.

87. Item in comitatu cadaverum defunctorum in ambitu ecclesiæ S. Nicolai, et in ecclesia cathedrali tumulandorum expleri debet exercitium parochiale a vicario S. Nicolai : *Ibid.*, *dub.* 2.

88. Ac in associandis cadaveribus defunctorum in ambitu ecclesiæ S. Nicolai, et sepeliendorum in ecclesiis parochialibus sitis in ambitu ecclesiæ cathedralis parochiale exercitium a vicario S. Nicolai debet expleri : *Ibid.*, *dub.* 3.

89. Et in comitatu denique cadaverum, quæ in ambitu ecclesiæ S. Nicolai e vita migrant, ac in sepulcro ecclesiarum regularium in ambitu ecclesiæ cathedralis existentium conduntur, munus parochiale a vicario S. Nicolai fungi debet : *Ibid.*, *dub.* 4

90. Super cadavere defuncti potest fieri funebre officium a clero ecclesiæ filialis S. Mariæ de Castello civitatis Castrivillarum intra limites alterius parochiæ S. Juliani sitæ, dummodo tumulandus eidem parochiæ S. Juliani non sit subjectus : *Cassanen.*, 11 *julii* 1767, *dub.* 6.

91. Quum controverteretur, an in comitatu cadaverum, quæ in civitate Narniæ deferuntur ad ecclesiam propriam parochialem sive ad aliam, capitulo ecclesiæ cathedralis accito, semper, et quomodocumque præcedentia parocho defuncti competat? respondetur : Dilata, et coadjuventur probationes super consuetudine : *Narnien.*, *Jurium parochialium*, 13 *julii* 1771, *dub.* 1.

92. Cadaver eorum, qui sunt de capituli ecclesiæ cathedralis gremio jus exequias, aliasque funebres functiones peragendi occasione eorumdem tumulationis in ecclesia S. Joannis ad studiorum universitatem spectante ad capitulum spectare : *Maceraten.*, *Juris funerandi*, 2 *dec.* 1780, *dub.* 1.

93. Item decidit S. C. pro cadaveribus parochiæ capituli incolarum dictum jus spectare quoque ad capitulum : *Ead.* 7 *julii* 1781, *dub.* 1.

94. Associandi causa cadavera religiosi Reformati terræ Jovis, an teneantur accedere ad ecclesiam parochialem? S. C. decisionem protelavit, et dixit ad mentem [14]. Aderat enim consuetudo diuturna, ut duo, vel tres patres tantum cum cruce elevata accederent ad ecclesiam parochialem, quam consuetudinem delendam esse parochus asserebat : *Amerina*, *Associationis funerum*, 28 *julii* 1781.

95. Ecclesia S. Mariæ de Platea terræ montis Novi matrix dijudicata fuit quoad actus præeminentiales respectu ecclesiæ patrum Reformatorum S. Crucis ejusdem terræ. Abbas itaque, et parochus S. Mariæ occasione cadaverum comitatus ingredi potest ecclesiam S. Crucis cum stola; et cruce elevata, eamque sic retinere tempore funerum : *Senogallien.*, *Præeminentiarum*, 27 *martii* 1784, *dub.* 2.

96. Declaravit S. C. patres Augustinianos discalceatos cœnobii S. Laurentii Aquævivæ convenire non debere in ecclesia parochiali ad associanda ad propriam ecclesiam cadavera. Patres enim prædicti exhibebant in eorum favorem breve Urbani VIII, et religionis constitutiones, loci leges peculiares; e contra parochus decretum synodale confirmatorium S. C. Concilii rescriptum, sententiam AC., et civitatis Cupræ Montanæ consuetudinem : *Ripana*, *Funerum*, 23 *april.* 1796, *dub.* 1.

97. Insuper voluit, ut in eo comitatn ingredi non valeat parochus illorum ecclesiam cum stola, et agere officium funebre : *Ibid.*, *dub.* 2.

98. Hac de causa iidem religiosi invitati ad associanda cadavera ad ecclesiam parochialem, in ea prius convenire non debent, sed in loco, ubi illa servantur : *Ibid.*, *dub.* 3.

§ IV.

Cadaver quoad sepulturam.

1. Conquerente parocho, quod nonnullæ societates absque præcedenti legitima facultate juris sepeliendi consuevissent in earum oratoriis sodalium cadavera humare, propositum fuit dubium : An eisdem liceat? et non licere fuit responsum : *Nullius*, 17 *aug.* 1652.

2. Ad hoc dubium : An sodales nulla facta sepulturæ electione tumulo eorum ecclesiæ mandari possunt? negativum attulit S. C. responsum : *Neapolitana*, *Electionis sepulturæ*, 13 *febr.* 1666.

[14] Et mens est, ut inquiratur, an fratres intendant accedere duo, aut tres ad ecclesiam parochialem vel domum defuncti; ita ut alii in alio expectare, possint funus, et deinde eidem se jungere : *Ead. causa*, 28 *julii* 1781.

3. Exortis controversiis inter monasterium monialium S. Claræ civitatis Laudis Pompeiæ regularibus S. Francisci de Observantia, et parocho S. Blasii, intra cujus limites monasterium, et domus existebant, subjectum, super jure sepeliendi, loquendo de personis secularibus, quæ monialibus inserviebant, et in domibus extra clausuræ septa constitutis, sed exteriori murorum recinctu inclusis cum monasteriis; S. C. censuit eorum cadavera in parochia, nisi fuerit ab eis alibi sepultura electa, esse humanda : *Lauden.*, *Jurium parochialium*, 14 *april.* 1685.

4. Exhibito dubio : An canonicus decedens, non electa sibi sepultura, debeat humari in ecclesia cathedrali tanquam sua parochia, vel in parochia domicilii, vel in sepulcro suorum majorum? rescripsit S. C. in cathedrali, si in ea adsit proprium canonicorum sepulcrum, sin minus in sepulcro majorum, alias in sua parochia : *Tyburtina*, *Juris administrandi sacramenta et funerandi*, 12 *maii* 1685, *dub.* 2.

5. Ad dubium, an societas S. Mariæ Coronatæ, seu suffragium Bononiæ aggregata, archiconfraternitati suffragii de Urbe possit per ejus capellanos in sepulchris existentibus in ejus ecclesia sepelire cadavera eorum, qui in ea sibi elegerunt sepulturam? rescribitur esse danda decreta in *Lunen. Sarzanen.*, 19 *aug.* 1690 et 13 *januar.* 1691 [15] : *Bononien.*, *Jurium parochialium*, 17 *nov.* 1691, *dub.* 4.

6. Quæritur, an, et ubi sepelienda sint cadavera inservientium monialibus monasterii S. Matthæi congregationis Lateranensis Spoleti, et degentium in domo extra fabricam, et atrium monasterii constructa, qui sepulturam non elegerint? respondit S. C. in ecclesia parochiali : *Spoletana*, *Jurium parochialium*, 19 *april.* 1692, *dub.* 3.

7. Ad dubium, an existente sepulchro pro canonicis in ecclesia cathedrali, si sepulturum non elegerint, canonicorum cadavera sint tumulanda in dicto sepulchro, sive in parochia domicilii? S. C. respondit danda esse decreta in *Tyburtina*, *Juris administrandi sacramenta et funerandi*, 12 *maii* 1685 [16] : *Tolentinaten*, *Jurium parochialium*, 11 *sept.* 1694, *dub.* 3.

8. Quum Laurentius Crescius a quatuordecim annis circiter miles præsidiarius arcis S. Angeli in morbum incidisset, illico se ad propriam domum transtulit, ubi uxor cum familia degebat, sitam in parochiali ecclesia SS. Simonis, et Judæ, et ibi mortuus, et humatum ejus cadaver est; hinc orta quæstione inter parochos nempe prædictæ ecclesiæ et S. Mariæ Transpontinæ, intra cujus parochiæ limites dicta arx sita est, S. C censuit in casu, de quo agitur, cadaver illius rite, et recte non fuisse tumulatum in ecclesia prædicta : *Romana*, *Juris sepeliendi*, 17 *aug.* 1697 [17].

9. Quæritur, an canonicus ecclesiæ cathedralis nulla facta electione sepulturæ humari debeat in dicta ecclesia vel in parochiali? censuit esse sepeliendum in ecclesia cathedrali, ubi adest sepulchrum : *Narnien.*, *Jurium parochialium*, 26 *sept.* 1699, *dub.* 2.

10. Canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Foggiæ pro decimis a defuncto in vita non solutis impedimentum sepulturæ cadaveris hujus defuncti objicere nec licitum, nec æquum esse putatur : *Trojana*, *Funerum*, 21 *maii* 1701, *dub.* 9.

11. Oblatæ mulieres degentes in conservatorio Sanctissimæ Conceptionis sub instituto S. Claræ Casalis Pentæ terræ S. Severini morientes sine sepulturæ electione parochiali ecclesia sunt tumulandæ : *Salernitana*, *Jurium varochialium*, 19 *aug.* 1702, *dub.* 4.

12. Cadaver Sanctis Primaveræ est traducendum soluta quarta, cui de jure, ab ecclesia cathedrali Æsii, ubi per modum provisionis sepultum fuit, ad ecclesiam PP. S. Dominici dictæ civitatis, in qua adest majorum sepulcrum, ad effectum illud in dicto sepulcro tumulandi. Nam exorta erat hæc controversia, quod ille Sanctes Primavera e domo rurali paterna in parochia S. Mariæ Plani sita causa studiorum ad civitatem profectus, habitavit sub parochia PP. dictorum per aliquot annos; at vitam deseruit in dicta parochia S. Mariæ : *Æsina*, *Juris sepeliendi*, 15 *decem.* 1703.

13. Cadavera impuberum oppidi Varalli non debere ex aliqua speciali consuetudine humari in constituta sepultura in ecclesia parochiali existente; sed licitum esse parentibus tam ante eligere pro illis sepulturam, quam post mortem illorum cadavera tumulari facere in proprio majorum sepulcro in ec-

[15] Nam pluries a S. C. decisum fuit, in ecclesiis societatum haberi potest sepultura, sed de licentia Episcopi. Vide *Bened. XIV. Inst. Eccles. CV*, § 124. Semper in hisce quæstionibus S. C. ante oculos habuit jura parochialia, Episcopi recusationem, ac synodales constitutiones.

[16] *Dub.* 2. Vide num. 4.

[17] Rationes parochi S. M. Transpontinæ advocatus Dominicus Ursaya in hac causa feliciter sustinuit, et edidit in *Discept. Eccles. XIV*, tom. 2, part. 2, per tot. ubi subjungit: « Idemque postmodum, nulla facta mentione hujus rescripti determinatum fuit *in Stat. Cler. Urb.* cap. 3, *de Jur. eligend. sepult.* § 21, *in addit, vers. Milites vero*, contrarium determinando quoad alios milites stationarios Urbis, circa quod declaratur, illos spectare ad illam parochiam, in qua domicilium habent. »

clesia Regularium extructo rescripsit S. C.: *Novarien.*, *Funerum*, *et Jurisdictionis*, 15 *martii* 1704, *dub.* 1.

14. Et parochi sub quacumque prætensione nequeunt differre, vel impedire; ne tempore debito cadavera ad sepeliendum deferantur: *Ibid.*, *dub.* 5.

15. Post discessum sodalitii Sanctissimi Redemptoris ab ecclesia S. Andreæ de Valle prohibendum non est patribus Theatinis exercere jus tumulandi cadavera in sepulcris capellæ Sanctissimi Crucifixi in eadem ecclesia sitæ; licet præfata sepulchra expensis confratrum constructa essent, et in quibus eorum cadavera humantur: *Romana*, *Capellæ*, 28 *junii* 1704, *dub.* 1.

16. Quum nova ædificetur ecclesia parochialis sub montis Guardeæ Castri radicibus, quæritur: An ossa defunctorum sint ab antiquo ad novum cœmeterium construendum transferenda? et S. C. assensa est: *Amerina*, *Translationis parochialis*, 31 *martii* 1708, *dub.* 1.

17. Cadavera viatorum degentium in civitate Savonæ, et in ea decedentium, quatenus ipsi sepulturam non elegerint, humari debent in ecclesia cathedrali, minime vero in ecclesia parochiali, intra cujus districtum oculos in mortem claudunt: *Savonen.*, *Jurium parochialium*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 2.

18. Idem est servandum quoad peregrinos in eadem civitate occumbentes: *Ibid.*, *dub.* 5.

19. Et idem quoad advenas, et exteros quoscumque, qui non habentes animum permanendi in civitate Savonæ, in ea tamen una cum eorum familiis habitantes, naturæ cedunt: *Ibid.*, *dub.* 8. Quod de advenis statutum fuit, servari etiam debet quoad cives Savonenses, qui patriis derelictis laribus, redeuntes animo solum ad tempus commorandi, domus consanguineorum, seu etiam paternam inhabitant: *Ead. causa*, 3 *decem. ejusd. anni*, *dub* 11.

20. Gubernator, ejusque vicarius, magistratus, et officiales stipendiati quicumque missi a principe ad regimen civitatis Savonæ, habitantes in eadem civitate, vel in domo publica, vel privata publicis sumptibus conducta, si absque sepulturæ electione expiraverint, eorum cadavera ad ecclesiam cathedralem deferenda, ibique tumulanda erunt; minime vero in ecclesia parochiali, intra cujus limites decesserint: *Ibid.*, *dub.* 13.

21. Quod si prædicti, cives Savonenses forent, et habitarent in domo propria, vel privata publicis sumptibus conducta eorum cadavera in ecclesia parochiali, intra cujus ambitum extremum diem effuderint, tumulari debent: *Ibid*, *dub.* 15.

22. Officiales belli quocumque nomine nuncupentur habitantes in præfata urbe, vel in stationibus, et domo publica, vel privata, si absque sepulturæ electione interierint, eorum cadavera sepeliri debent in ecclesia cathedrali, minime vero in ecclesia parochiali, intra cujus ambitum e vita migrant: *Ead. causa*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 17.

23. Quod si dicti officiales fuerint Savonenses cives, eorum cadavera in ecclesiis parochialibus, si absque sepulturæ electione supremum diem expleverint, tumulanda erunt: *Ibid.*, *dub.* 20.

24. Milites omnes habitantes in urbe sæpedicta, vel in stationibus, et domo publica, vel privata una cum eorum familiis, et in ea decedentes, si sepulturam non elegerint, eorum cadavera in ecclesia parochiali intra cujus districtum vita privantur sepelire non debent, sed in ecclesia cathedrali sunt tumulanda: *Ead. causa*, 13 *maii ejusdem anni*, *dub.* 22.

25. Secus vero agendum erit, si milites prædicti cives Savonenses fuerint: *Ibid.*, *dub.* 24.

26. Mancipati in carceribus criminalibus gubernatoris urbis Savonæ, sive sint Savonenses, sive exteri, si perierint, sepultura sibi non electa, humari debent in ecclesia cathedrali, exclusa ecclesia parochiali, intra cujus districtum reperiuntur carceres: *Ibid.*, *dub.* 26.

27. In prædictis vero parochialibus ecclesiis sepeliri debent cadavera detentorum in carceribus civilibus, vulgo dictis *malæ paghæ*, si absque sepulturæ electione ab hominibus demigraverint: *Ibid.*, *dub.* 28.

28. Damnati ad mortem si sepulturam non elegerint eorum cadavera humari debent in ecclesia cathedrali, minime vero in ecclesia parochiali carcerum: *Ead. caus.*, 17 *junii ejusd. anni*, *dub.* 30.

29. Tripartita invaluit controversia super tumulatione cadaveris comitis Cæsaris de Manellis, qui disposuit suum corpus sepeliri in ecclesia PP. Cappuccinorum, quum venissent in tempore facultates suorum patrum superiorum, et in contrarium eventum in ecclesia PP. S. Philippi, ubi ossa comitissæ Hieronymæ requiescunt. Nam parochus excitavit quæstionem de nullitate testamenti, deficiente legitima sepulturæ electione; patres Oratorii facultatem superiorum requisitam non habuisse patrem guardianum afferebant; at vicarius generalis definitive pronunciavit super hac controversia, nempe cadaveris supra dicti in capsa reconditum, et in ecclesia mortis depositum exequias comitari a prædicto parocho ad ecclesiam Cappuccinorum, alias nunc pro tunc gravamen multæ pro quolibet die parocho non obtemperante relaxavit. Hoc decretum patribus Cappuccinis instantibus esse exequendum S. C. præcepit: *Æsina*, *Sepulturæ*, 22 *sept.* 1714.

30. Censuit S. C. Patres S. Augustini civitatis Astæ Pompeiæ licite non potuisse tumulare corpus comitis Eustachii Pallio, qui defuncta conjuge ab oppido Rinco se contulerat in eorum conventum,

ubi solutis menstruis alimentis vitam seculari habitu ducebat, priore parochialis ecclesiæ S. Pauli, intra cujus limites conventus situs est, irrequisito; etsi electionis sepulturæ Patres fidem producant: *Asten.*, *Jurium parochialium*, 27 *novem.* 1717, *dub.* 1, confirmata 12 *febr.* 1718.

31. Societas Orationis, et mortis loci Prædarii aggregata archiconfraternitati Mortis urbis nequit cadavera pauperum defunctorum, seu occisorum sepelire, quando ad ea humanda paratus parochus est: *Novarien.*, *Aggregationis*, 24 *septem.* 1718, *dub.* 10.

32. Eadem tamen societas, parocho dicta cadavera tumulo contegere, et januas ecclesiæ aperire recusante, ea humare in ecclesia parochiali, eamque per vim aperire ad formam bullæ [18] potest, addendo S. C. ad mentem: *Ibid.*, *dub.* 11.

33. Canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Novarum, quæ quadam superioritate super ceteras parochiales potitur, decedens in domo intra alterius parochiæ limites, quia dicta collegiata caret ædibus canonialibus, non electa sibi sepultura, debet tumulari in ecclesia collegiata, non in parochia domicilii, dummodo adsit canonicorum sepulcrum: *Derthonen.*, *Jurium parochialium*, 3 *dec.* 1718, *dub.* 16, confirmatum, et ampliatum etiam quoad capellanos, et inservientes, dummodo sepultura canonicorum sit eis communis, vel habeant sepulturam pro se ipsis: 7 *decem.* 1720.

34. Sepelire licet societati Salutis terræ Medicinæ in propria ecclesia cadavera confratrum, et consororum, qui ibidem tumulum elegerint: *Bononien*, 28 *julii* 1724, *dub.* 9.

35. Cadavera miserabilium an teneantur gratis tumulare presbyteri ecclesiæ matricis S. Mariæ terræ Peschi Constantii, et quæ sint dicendæ miserabiles personæ? S. C. jussit, ut servaretur synodus diœcesana: *Nullius seu montis Casini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 11.

36. Constructa ecclesia S. Mariæ Liberatricis ex piorum eleemosynis in terra Scanni, inibi erecta fuit laicorum confraternitas, ad cujus instantiam S. C. decernit cadavera, qui deligunt sepulturam, posse in eadem ecclesia inhumari absque parochi venia, sed salvis parochialibus juribus: *Valven.*, *seu Sulmonen.*, 10 *maii* 1727, *dub.* 2.

37. Xaverius Casaburius a tredecim mensibus moram in civitate Cavæ, ludi magistri munus exercens, trahebat, et e dicta civitate oriundus erat. Hujus cadaver licuit Josepho Catone parocho Michaelis archangeli tumulare, ubi defunctus sibi adoptavit sepulturam, non obstante capituli cathedralis contradictione, quia habuerat extructam sepulturam decreto Episcopi pro peregrinantibus in civitate Cavæ: *Caven.*, *Funeralium*, 13 *aug.* 1729, *dub.* 6 confirmata 7 *feb.* 1733.

38. Jus tumulandi cadavera, qui vitam ponunt repentina, aut violenta morte intra districtum parochiarum civitatis Cavæ, non spectat ad capitulum ecclesiæ cathedralis; sed ad proprios parochos, et quoad viatores, peregrinos, et advenas spectare ad capitulum resolvit: *Ead.*, *caus.* 7 *febr.* 1733, *dub.* 1.

39. Quod procedit etiam, si acceperint sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis a parocho proprio: *Ibid.*, *dub.* 2.

40. Item de humatione oriundorum Cavensium, ac exterorum, qui incolatum per decennium non fecerint, nec bona possident in eadem urbe, necnon aliorum per transitum decedentium intra districtum alicujus parochiæ: *Ibid.*, *dub.* 3.

41. Salvatoris de Nenna sodalis societatis Sanctissimi Rosarii oppidi Montellæ cadaver loco depositi conditum in sepultura veteri parochialis ecclesiæ S. Nicolai est exhumandum, ac sepeliendum in nova sepultura ab eodem Salvatore electa, et a societate prædicta in eadem ecclesia constructa cum Episcopi venia pro sodalibus; non autem est alio ferendum. Nam capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ dictæ terræ recondi in propria ecclesia sola parochia sibi arrogabat: *Nuscana*, *Sepulturæ*, 28 *januar.* 1736, *dub.* 3.

42. Patres Minores S. Francisci civitatis Marattheæ humationem cadaveris Nicolai Rossi in sepulcro sito prope capellam S. Mariæ de Monte Carmelo in ecclesia S. Mariæ de Misericordia erectam, denegare non potuisse S. jam firmaverat C.; ac proinde in præfato sepulcro idem cadaver condendum decisum consentanee fuit: *Cassanen.*, 28 *apr.* 1736, *dub.* 7, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

43. In monasterio S. Claræ civitatis Pinnæ vitam naturæ reddit puella Maria Nolli, quæ ibi educationis gratia morabatur. Præpositus, et canonici

[18] Pii IV. *Divina disponente*, 17 novem. 1560 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 2, pag. 53), qua approbatur archiconfraternitas orationis, et mortis in Urbe instituta, et tribuitur eidem § 12 facultas alias societates extra Urbem aggregandi. Et quoad defunctorum corpora sepelienda decernit § 9. « Et ipsi guardiani, et officiales, ac confratres dictæ confraternitatis, et eorum capellani quorumcumque pauperum decedentium corpora in parochiali ecclesia, sub qua ipsi pauperes decesserint, seu illius cœmeterio, si cœmeterium habuerit, dictæ confraternitatis sumptibus, et expensis, ac cum suis faculis, intorticiis, et candelis cum licentia tamen, atque interventu ejus rectoris, seu vicarii, si vocatus adesse voluerit, ita quod si adesse noluerit dictæ confraternitati januas ecclesiæ prædictæ ad hunc effectum aperire omnino teneantur; in forma consueta, et solemniter sepelire, vel sepeliri facere, libere, et licite valeant, eisdem auctoritate, et tenore indulgemus. »

collegiatæ parochialis ecclesiæ S. Joan. Evangelistæ, intra cujus limites monasterium reperitur erectum, eam ab Ordinario in parochia tumulo contegere, et ab illis publicas super illius cadavere exequias persolvi obtinuerunt. Moniales vero contendebant ejusdem puellæ cadaver in ipsarum ecclesia terra obruendum esse, ibique funus a Dominicanis expleri debere, uti factum fuit. Proposito hinc congruo dubio, rescriptum fuit, præfatum cadaver in monialium S. Claræ monasterio tumulari licuisse : *Pinnen, Sepulturæ*, 6 *julii* 1737, *dub.* 1.

44. Licet societati Sanctissimæ Assumptionis, et Rosarii civitatis Senogalliæ sine capituli cathedralis ecclesiæ curati venia cadavera sodalium sibi eligentium sepulcrum in ecclesia, seu oratorio ejusdem societatis tumulo mandare : *Senogallien., Juris sepeliendi*, 24 *januar.* 1739, *dub.* 1.

45. Et capituli curatus prædictus non debet veniam sepeliendi cadavera etiam aliorum, etsi non sodalium, qui sibi sepulturam optaverint in ecclesia sodalitii, concedere ; sed venia ab Episcopo petenda est : *Ibid.*, *dub.* 2.

46. Cadavera defunctorum inhumari possunt in ecclesia seu oratorio sodalitii sanctissimi Suffragii salvis juribus parochialibus, invitis ipsis S. Mariæ, ac SS. Joannis, et Pauli loci Rapagnani parochis, quatenus aliquis in eodem oratorio sepulcrum selegerit : *Firmana, Jurium parochialium*, 2 *junii* 1736, *dub.* 5.

47. Concessa fuit titulo donationis ecclesia nuncupata Nostra Domina de Campis a Guillelmo Cheisolmo Episcopo ordini Fratrum Minorum Conventualium ; et contradicente capitulo ecclesiæ cathedralis, dum fuisse donationem validam dubitabatur ; licere dictis fratribus abscondere in eadem ecclesia cadavera eorum, qui in ea legerint sepulturam sub conditionibus tamen appositis in donationis instrumento [19] deciditur : *Vasionen.*, *Jurium paroch.*, 17 *febr.* 1742. *dub.* 2.

48. Monasterium monialium S. Claræ terræ Maceratæ Feltriæ haud licet humare in ejus ecclesia cadavera puellarum educationis causa ibidem commorantium, et in eodem monasterio decedentium, quando constet de sepulcri electione : *Feretrana, Juris sepeliendi*, 21 *april.* 1742. *dub.* 1, deinde recessit a decisis, et licere respondit inspectis circumstantiis : 1 *sept. ejusd. anni.*

49. Edictum ab Archiepiscopo Neapolitano exercente suam ordinariam jurisdictionem in insula Prochyte latum anno 1736 de condendis eorum corporibus, qui sepulturam non selegerant in tribus ecclesiis Granciarum, impugnat Eminentissimus abbas commendatarius, qui illorum corpora in ecclesia matre, et parochiali condenda esse contendit. Hinc re in S. C. deducta ; hæc edictum præfatum ratum habuit ; ac præcepit cadavera decedentium sine sepulturæ electione intra fines designatos ecclesiæ B. Mariæ Gratiarum, salvis omnibus juribus parochialibus, in ecclesia matrice, et parochiali ad sepulturam danda esse : *Neapolitana. Decretorum*, 29 *febr.* 1744, *dub* 4.

50. Quæsita S. C. quoad sepulturam incolarum parochiæ S. Mariæ in cœlum assumptæ sitæ in vico Collis Campi Rasci, ad quam etiam vicus Scandolarii pertinet, resolvit ipsius parœciæ cadavera in sepulcrum inferre dictæ ecclesiæ debere ; posse vero in altera ecclesia S. Sebastiani in vico Scandolarii sita cadavera humare, quum de eligentibus tumulum tantum agatur : *Fulgiraten.*, 19 *aug.* 1752, *dub.* 4, confirmata 12 *maii* 1753.

51. Cadaver sacerdotis Valentini Forconi, qui sub parochia S. Catervi canonicorum Lateranensium, quamvis ad cathedralem ecclesiam associatum fuerit a proprio parocho ad parœciæ regimen recens deputato, declaratum fuit, spectare ad parochialem ecclesiam, ex qua vivens, moriensque sacramenta susceperat : *Tolentina, Juris sepeliendi*, 11 *aug.* 1753, *dub.* 1.

52. In favorem ecclesiæ S. Athanasii collegii Græcorum Urbis concessum fuit pro gratia jus sepeliendi cadavera Græcorum etiam extra collegium in Urbe decedentium pro Græcis eligentibus sepulturam tantum, salva quarta funerum pro parochis latinis : *Romana, Juris funerandi*, 27 *junii* 1761.

53. Societas Sanctissimæ Conceptionis terræ Brixilli vigore aggregationis obtentæ ab archiconfraternitate Orationis, et Mortis urbis prævio Ordinarii assensu sepultura afficere potest cadavera pauperum, quæ post spatium viginti horarum nolit archipresbyter tumulare ; etiamsi videtur aliquod præjudicium archipresbytero, cujus parochiæ tenues sunt reditus, inferre : *Mutinen.*, *Aggregationis*, 20 *nov.* 1762, *dub.* 1.

54. Non autem dicta societas, salvis juribus parochialibus, jus habet sepeliendi cadavera defunctorum, quin ipsius oratorio sepulturam elegerint. Nam obstat Episcopus, ac constitutiones synodales adversantur : *Ibid.*, *dub.* 3.

55. Tertiarii claustraliter viventes, et Tertiariæ voventes castitatem, et habitum talarem induentes extra claustra, debent sepulcro condere in ecclesia S. Mariæ PP. Minorum Observantium terræ Caprarolæ ad formam decreti anni 1616 : *Civitatis Castellanæ, Funerum*, 4 *decemb.* 1762, *dub.* 3.

[19] Nempe, ut senarius ibi constitueretur religiosorum numerus, quorum duo, vel tres audiendis confessionibus, atque alter habendis concionibus vacarent : *Ead causa*, 20 *jan.* 1742, § 1.

56. Haud capitulo ecclesiæ metropolitanæ licet incolarum parœciæ S. Agricolæ intra fines ejusdem decedentium, non electa sepultura in dicta ecclesia metropolitana corpora terræ reddere : *Avenionen.*, *Jurium parochialium*, 22 *martii* 1766, *dub.* 3.

57. Canonici, sive presbyteri, aut clerici adscripti servitio ecclesiæ cathedralis deficientes absque sepulturæ electione, et in ambitu ecclesiæ S. Nicolai habitantes, in ecclesia cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium, sin minus in majorum monumento ; alias in ecclesia parochiali S. Nicolai coadjutricis ad sepulturam dare debent : *Andrien.*, 24 *januar.* 1767, *dub.* 6. Deinde S. C. susceptum consilium abjecit, et sepeliri ea censuit in ecclesia cathedrali : 19 *sept. ejusd. anni*, confirmata 15 *sept.* 1770.

58. Ita etiam quoad presbyteros, et clericos adscriptos servitio ecclesiæ S. Nicolai coadjutricis, S. C. resolvit : *Ibid.*, *dub.* 8. Et pariter sententiam tollit ut supra *ibid.*, et iterum postea recessit a decisis, ac mandavit sepeliendos in ecclesia S. Nicolai : *Ibid.*

59. Item vitam amittentes in ambitu dictæ ecclesiæ S. Nicolai ab intestato, aut cum testamento nulla facta sepulturæ electione, nec illam gentilitiam habentes in dicta ecclesia, humari non debent privative in ecclesia cathedrali, uti unica parochiali : *Ibid.*, *dub.* 9. Postmodum judicium rescindit, resolvendo ad sepulturam dandos in ecclesia cathedrali : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

60. Licere patribus familias reddere filiorum impuberum cadavera sepulcris gentilitiis sine parochorum venia. Quamquam in Rituali Romano [20] cautum sit, ut parochi retineant separatam sepulturam pro infantibus ; cum ex hoc non sublatum sit patribus hujusmodi jus : *Reatina*, *Juris Tumulandi*, 31 *martii* 1770, *dub.* 1.

61. Ecclesiæ cathedrali Fulginei non competit, jus privative tumulandi corpora tum presbyterorum, tum clericorum omnium cujuscumque ordinis, et conditionis in dicta civitate occumbentium absque sepulturæ electione ; quamvis contrariam consuetudinem probare eadem ecclesia conata sit : *Fulginaten.*, *Funerum*, 27 *novem.* 1773, *dub.* 1.

62. Nec idem jus competit eidem ecclesiæ quoad cadavera omnium parochiarum secularium dictæ urbis : *Ibid.*, *dub.* 2.

63. Item minime adjudicatum fuit jus præfatum quoad cadavera clericorum conjugatorum non obstante prædicta consuetudine : *Ibid.*, *dub.* 3.

64. Non parocho S. Appolloniæ, intra cujus fines situm est Xenodochium S. Mariæ de Crucibus, sed ejus capellano ibi degenti sacramenta infirmis, aliisque ibidem commorantibus, subministrare licere S. C. definierat. Definit modo cadavera præfatorum inservientium habitantium in hospitali in ejus ecclesia, et cœmeterio esse sepelienda : *Ravennaten.*, 27 *junii* 1789, *dub.* 2.

65. Denegata a S. C. dismembratione ecclesiæ parochialis S. Nicolai Canthiani, et erectione ecclesiæ S. Anastasiæ Villæ Claseriæ in novam parœciam, etiam inficiatum est jus humandi in eadem ecclesia S. Anastasiæ ; sed servari capitula, et decreta Episcopi Sperelli S. C. mandavit : *Eugubina*, *Dismembrationis*, 31 *julii*, 1790, *dub.* 3.

CADUCITAS.

1. Decoxerat nummaria mensa, et domus sanctissimæ Annunciationis Neapolis ; tum cum ejus gubernatores pro aliqua supplicavere provisione, donec omnia componerentur, ad hoc ut piorum disponentium voluntates adamussim implerentur. Quæsierunt itaque an, et quomodo ad decennium cessandum esset ab hospitali convalescentium absque caducitatis periculo ? et responsum retulerunt affirmativum. Nam alia similia pro indigentibus subsistunt Hospitalia : *Neapolitana*, *Reductionis onerum*, 15 *martii* 1704. *dub.* 3.

2. Necnon vacandum esse responsum prodiit ab

[20] *Tit. Offic. defunc.*, cap. *De Exeq. parvul.* Ex decreto S. C. Concilii confirmato ab Innoc. X. Const. *Ex injuncto*, 22 febr. 1645 (*Rom.* tom. 6, part. 3, p. 74) § 6 hæc electio competit etiam matri, ubi viget consuetudo, ad dubium enim : « An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam ? respondit S. C. : Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine. » Cum hoc tamen discrimine, quod cum patri assistat jus ex cap. *Licet pater, de Sepult.* l. 6, et cap. *de Uxore*, § *Utrum*, respectu illius sufficit, ut consuetudo præscripta sit spatio decem annorum, at respectu matris quadraginta, ut notavit Sperellius, decis. 69, num. 20, semper tamen oportet, ut pater, vel mater ante mortem filii impuberis, non vero post eligat sepulturam, ut declaravit S. C. Concilii *in Avellinen.*, 15 sept. 1605, per hæc verba : « Matrem, cum pater non adest, posse impuberi filio sepulturam eligere, vivente tamen filio. » (Lib. 10, *Decret.*).

hospitali Puteolaneo pro balneis, et vacandum utique esse absque caducitatis discrimine, et ad decennium : *Ibid.*, *dub.* 4.

3. Antonius Maria Ricciolus nobilis Urbinas relicto usufructu uxori, et filio, secundum hæredem ex asse instituit, hac adjecta lege, ut si uxorem assumeret fœminam non paris gradus, et conditionis, ipso facto adempta ei censeretur hæreditas, excepta legitima, quo casu eveniente fundari capellanias jussit. Livius filius, mortua matre, conjugem sibi despondit Elisabetham Ligiam, honestæ conditionis puellam, et e gradu civium non nobilium. Cum hac inire matrimonium cupit, sed primum declarari expostulat, an causa hujus matrimonii obnoxius ille futurus sit paternæ hæreditatis amissioni? et S. C. rescripsit esse consulendum Sanctissimum pro gratia derogationis ad cautelam; quæ gratia inde concessa fuit : *Urbinaten.*, *Matrimonii*, 10 *maii* 1732.

4. Franciscus Joanninius pretium scutorum mille, quæ in emptionem eroganda sunt latifundii, sodalitio S. Mariæ Misericordiæ Urbini donavit sub caducitatis pœna in favorem alterius sodalitii S. Josephi casu, quo mandata quoad Missarum celebrationem haud efficeret. Fructibus latifundii valde imminutis sodalitii curatores donatarii, anno 1677, a sacris cessarunt usque ad annum 1710, quo precati S. C. sunt pro eorum reductione. Reductionem factam servandam esse S. C. duxit, et resolvit inde, purificatam haud esse subtitutionem in favorem societatis S. Josephi : *Urbinaten.*, ***Reductionis onerum***, 28 *martii* 1744, *dub.* 2.

5. Joseph Leonus instituta hærede ecclesia archipresbyterali S. Petri Apostoli prænesti urbis pro beneficii cujusdam erectione, legatum scut. 200 in favorem duarum proneptum pro singulis in suo supremo elogio conscripsit. Hujus legati ob mortem puellarum caducitatis casus evenit; hinc quæsitum fuit in S. C., cui debeatur num prædictæ ecclesiæ vel doti beneficii demandati. S. C deberi doti beneficii pro ejusdem augmento placuit respondere : ***Prænestina***, ***Fundationis beneficii***, *4 dec.* 1745, *dub.* 2.

6. Locum non esse subeundi caducitatem, et remotionem a beneficio S. Joannis Baptistæ, et S. Aloysii in loco de Albizate existente, et erecto cum conditione, quod, si beneficiatus per quindecim dies defecisset in celebratione Missarum, in caducitatem incidisset, S. C. rescripsit quoad beneficiatum Ignatium Visconti, qui infirmitate tum visivæ potentiæ, tum pectoris laborabat : ***Mediolanen.***, *Beneficii*, 16 *aug.* 1781, *dub.* 1.

7. Petrus Seccadellius Laurentio nepoti suo scuta decem ad vitam annua reliquit, eique usumfructum trium domorum dedit, cum substitutione filiorum ejus in proprietate. Ei vero sub caducitatis pœna vetuit, ne quid amplius ab hæreditate peteret, neque lites desuper suscitaret. Universalem autem hæredem instituit animam suam Paulina congregatio Brisighellæ, et societas suffragii substituta, quibus commissa voluntatis exequutio fuerat, hæreditatem repudiarunt. Idcirco, S. C. supplicavit Laurentius, ut hæreditaria sibi bona, vel eorum partem, aut tres saltem domus perpetuo concederentur sub certo Missarum onere. Qua de re in caducitatem oratorem incidisse prætenditur. Verum S. C. caducitati locum haud esse censuit : ***Faventina***, *Commutationis voluntatis*, 25 *april.* 1789, *dub.* 2.

8. Declaratur a S. C. caducitatis pœnam ipso jure indictam non incurisse clericum Philippum Achilli coadjutorem Thomæ ejus patrui in sacerdotali cathedralis Mansionaria, ob conditionem suscipiendi sacros ordines infra annum non impletam ex capite ignorantiæ, et ob prorogationes a S. C. impetratas, et decreto S. C. addidit ad mentem [21] : *Cæsenaten.*, *Mansionariæ*, 15 *sept.* 1799.

9. Quum testator Laurentius Berardi pœnam caducitatis bonorum possessionis mandasset casu, quo anniversarium ab eo fundatum non expleretur, ad dubium propositum S. C. declaravit immunem a caducitate possessorem fundi devincti propter augmentum stipendii denegatum sub fide taxationis constitutæ ab Episcopo Castelli, unde anniversarium fuerat intermissum : *Urbanien.*, *Anniver.*, 24 *jan.* 1795, *dub.* 3.

Reliqua. Vide *Capellania*, § II ; *Juspatronatus*, § I; *Legatum Pium*, § IV.

CÆREMONIÆ. Vide *Episcopus*, § XV.

[21] Et mens est, ut scribatur Ordinario, ut in Senogallien. anni 1754. ***Ead. causa***, 15 *sept.* 1792. Hæc causa extat sub *die* 23 ***novem***. Vide not. 60.

CÆREMONIALE EPISCOPORUM [22].

1. Postquam S. C. definierat, non esse recipiendum a capitulo parochialis ecclesiæ S. Mariæ in Sylvis terræ serræ Capriolæ, et a clero ejusdem loci ad januas castri Episcopum sub baldachino in actu ineundi visitationem, sed tantum ad fores ecclesiæ, indutum tamen habitu Episcopali; deinde decrevit servandum esse Cæremoniale, et Pontificale [23]; *Lariren.*, 12 *april.* 1698, *dub.* 2.

[22] Cæremoniale Episcoporum liber est ritualis, in quo leguntur ea, quæ ab Episcopis, aliisque prælatis ecclesiasticis in celebratione Missarum, solemnium vesperarum, aliorumque officiorum, sunt observanda. Hoc cæremoniale in duos libros distributum Clementis VIII primum Const. *Cum Novissime*, 14 julii 1600 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 2, pag. 301), postea Innocentii X. Const. *Etsi alias*, 30 julii 1650 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 3, pag. 211), auctoritate recognitum, ac reformatum fuit. Inde Benedictus XIII, Const. *Licet alias*, 7 maii 1727. (*Bull. Rom.* tom. 12, pag. 192), in multis correxit, et sic emendatum comprobavit, atque observandum esse præcepit, accessit Cæremoniali Episcoporum decretum circa usum Pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum a S. C. Rituum ordinaria, habita coram Pontifice Alexandro VII emanatum die 27 sept. 1659 (Relat. a Giraldi *Exposit. Jur. Pontif.* tom. 2, pag. 725); ac decreta generalia diebus 13 martii 1688, et 22 april 1690 a Sum. Pont. approbata ead. die, et anno. Denique Benedictus XIV, Const. *Quod Apostolus*, 15 maii 1941 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 21) leges, et instituta cæremonialia ipsius jussu pro Archiepiscopis, sive Episcopis, et provinciarum præsidibus, gubernatoribus prælatis, apostolicis vice legatis a Sacra Congregatione Cæremoniali particulari emanata 28 april. 1741 (Relat. *in Append. Bull. ejusd. Pont.* tom. cit. pag. 273), confirmavit, et approbavit. Cl. Franciscus Antonius Zaccaria in sua *Biblioth. Rituali* tom. 2, cap. 5, sect. 8, art. 1, et 2, pag. 442. Auctores qui de ritibus lib. 1 et 2, Cæremonialis prædicti pertractant; et in tom. 1, cap. 7, artic. 2, § 2, pag. 178 editiones recenset, ait enim: « Præcipuum vero locum hæc sibi potulat *Cæremoniale Episcoporum* commemoratio. Illud an 1600 solemni bulla Clemens VIII promulgavit; atque eodem anno editum Romæ fuit ex typographia linguarum externarum 4 hoc titulo: *Cæremoniale Episcoporum jussu Clementis VIII, P. M. novissime reformatum.* Recusum quoque Romæ fuit 4 typis Lepidi Fatii 1606, et Parisiis 1633 in-fol. Postea Innocentius X, illud recognovit, atque ex ejus emendatione prodiit Romæ an. 1651 typus Cameræ Apostolicæ: Innocentii tamen constitutio, qua Cæremoniale sic emendatum servandum proposuit, data fuerat proximo anno 1650 die 30 julii. Ubi autem Benedictus XIII *primum summi apostolatus apicem ascendit*, ut in ejusdem Pontificis vita scripsit clarissimus Firmanorum Archiepiscopus Alexander Borgia *de emendando, illustrando, atque etiam ampliando cæremoniarum libro, quo utuntur Episcopi, cogitare cœperat ipsemet inter ingentes labores, et curas pro studio, quo ferebatur in sacros ritus opus; aggressus adhibitis piis, ac doctis viris, initio hujus anni* 1727 *perfecit, ediditque:* Hujus a Bened. XIII restituti Cæremonialis editionem *Romanam* vidi an. 1729 curatam a Carolo Gianninio, et Hieronymo Mainardo 4. Sed multo præstantior editio item *Romæ*, an. 1744, ad easdem Bened. XIII correctiones exacta prodiit studio *Josephi Catalani* duobus tomis in-fol. amplissimis scilicet commentariis illustrata. Sed tandem Benedictus XIV novas ad hujus Cæremonialis absolutionem curas adjecit; ab eoque perfectum Generosus Salomoni, an. 1752, excudit in 12. »

[23] In Pontificale Rom. part. 3, tit. *Ordo ad visitandas parochias* pag. 507 cautum est: « Pontifex visitaturus diœcesim, et parochias suas, cum ad civitatem, seu oppida suæ diœcesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione prælati, seu legat dictum est. » Nempe tit. *Ordo ad recipiendum processionaliter prælatum vel legatum*, pag. 502 ubi decernitur: « Cum prælatus, vel legatus civitatem aliquam vel oppidum insigne est ingressurus, processio cleri ex more loci ordinata cum cruce procedit illi obviam extra portam urbis; et cum legatus sive prælatus advenerit, prælatus ejus loci indutus amictu, et stola, pluviali, et mitra pretiosis sive primam dignitatem habens indutus superliceo, et pluviali pretioso, offert venienti crucem osculandam, quam legatus, seu prælatus ex equo, vel, si maluerit, descendens in terram super tapetem stratum genuflexus devote osculatur; » et inde pag 505 habetur: « In porta autem urbis consueverunt magistratus illius obviare legato vel prælato primo intranti, ac illum benigne suscipere, et associare, ac baldachinum super eum deferre. Incepta antiphona processio, quæ locum habere debet immediate ante crucem prælati, nisi intersint canonici cathedralis ecclesiæ, ordine suo progreditur etc. Si vero processioni intersint canonici ecclesiæ cathedralis, illi soli possunt ire post crucem legati immediate ante eum. Equitantes vero omnes equitare debent ante processionem: togati vero debent legatum, seu prælatum sequi. »

Cæremoniale Episcopor. lib. 1, cap. 2, § 8, pag. 3, disponit: « Quando vero Episcopus post ingressum in civitatem propriam, voluerit alias civitates, vel oppida insignia suæ diœcesis visitare, conveniens erit, ut prima vice recipiatur cum sacra cleri secularis, et regularis processione. Ipse vero non erit mitra, et pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam pontificalibus ephippiis, cum cappa, et galero pontificali, et offeretur ei in porta crux osculanda, et alia omnia fient etiam in ecclesia, prout de civitate propria, et primaria suæ diœcesis dictum fuit. » Nempe cit. loc. § 2 et 3 ubi decernitur, quod canonici, et capitulum cum toto clero debent processionali ritu proficisci extra portam civitatis, et prope illam consistere, præparato baldachino in porta civitatis, et deputatis, qui illud portent supra Episcopum.

2. Dum decernit S. C. celebrationem Missarum cum cantu, et vesperarum in festivitatibus solemnibus spectare ad præpositum collegiatæ ecclesiæ, et parochialis S. Mariæ terræ Fossæ cum diacono, et subdiacono canonicis, et cum assistentia canonicorum in choro; quoad Missas in omnibus exequiis, funeribus, et anniversariis tueri solitum, servata forma cæremonialis [24] etiam definiit: *Aquilana*, *Jurium parochialium*, 3 *sept.* 1701, *dub.* 2.

3. Quæsitum quum fuisset in S. C.; an Episcopus celebrare possit functionem ordinationis ad altare majus, non obstante, quoad juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis, ad altare majus adsit tabernaculum, in quo asservatur SS. Eucharistiæ sacramentum, et quatenus negative.

4. An possit compellere capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis, ut pro explenda ordinatione, aliisque functionibus pontificalibus, transportari faciant sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad aliud altare ecclesiæ? S. C. respondit, ut servetur Cæremoniale [25]: *Giennen.*, *Celebrationis ordinum*, 2 *aug.* 1727, *dub.* 4 et 5.

5. Deinde servari mandavit *Episcoporum Cæremoniale* lib. 1. cap. 12 [26], dum fuit requisita: An Episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro explenda solemni ordinatione, vel pro interventu divinis Officiis, vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum falstitorium, seu genuflexorium in loco, ubi Episcopus functionem facere, seu eidem assistere debet; verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, antequam ad sedem suam accedat, orare possit ad tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco falstidorii, seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit; seu servanda veniat consuetudo, præsertim si sit immemorabilis, juxta quam Episcopo ad ecclesiam accedenti nec falstidorium, nec pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret, antequam ad locum suum accedat? *Ibid.*, *dub.* 10.

6. Juxta *Cæremoniale Episcoporum*, lib. 2, cap. 3 [27], presbyteri ordinis inferioris, qui vocantur communeriæ, canonico, vel dignitati ecclesiæ cathedralis in vesperis, et ad *Benedictus* assistere tenentur: *Squillacien.*, 21 *febr.* 1728.

[24] Etsi in *Cæremoniale Episcoporum* de collegiatis ecclesiis haud ageretur, ubi Episcopus nec celebrans, nec præsens est; tamen nonnulla etiam in ecclesiis collegiatis servanda habentur; lib. 1, cap. 15, num. 12, cautum est; quo ritu sit procedendum ad vesperas, et ad missam in ecclesiis collegiatis diebus solemnibus, ac dominicis. In lib. 2, cap. 13, num. 11, postquam disposuerat de ordine servando in vesperis, et missis solemnibus in adventu Domini, legitur. « In collegiatis pariter idem observatur. » Item mandat cap. 19, num. 1, « ut ea omnia, quæ superius in præcedenti capite, expressa sunt (quæ nempe sunt servanda feria quarta cinerum) exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, præparentur, et serventur, absente Episcopo, et in ecclesiis collegiatis, paucis infra scriptis mutatis. » Pariter quoad ordinem servandum in sabbato sancto expressum in cap. 28, habetur num. 12: « In ecclesiis collegiatis eadem omnia servari debent, quæ in hoc capite expressa sunt, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, servatis in omnibus rubricis missalis; et eadem fere omnia servantur in sabbato Pentecostes. »

[25] Lib. 1, cap. 12, § 12, pag. 36: « Quod si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente SS Sacramento super altari; quod feria quinta in Cœna Domini, et feria sexta in Parasceve, et in missa, quæ celebratur in festo SS. Corporis Christi, vel cum exponitur oratio quadraginta horarum, ante processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones, et reverentiæ, ad unguem observari debent; et Episcopus nunquam sedere, sed stare sine mitra, prout suis locis declaratur, et ideo non congruum, sed maxime decens esset, ut in altari, ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus: aut saltem celebrans in eo, sive solemnes sive planas missas, reverentias, et genuflexiones prædictas omnino servare debet. Ita censuit S. C. Rituum *in Bononien.*, 9 aug. 1670 non licere Missam in altari majori, ubi est expositum publice Sanctissimum Sacramentum, celebrare, præsertim si in ecclesia adsint alia altaria, in quibus celebrari possit.

[26] Ubi legitur § 8, pag. 35: « Cum Episcopus est venturus ad ecclesiam, prius præparandum est falstidorium, seu genuflexorium accommodatum ad genuflectendum ante altare Sanctissimi Sacramenti, et ante majus, panno viridi, seu violaceo, pro qualitate temporum coopertum: sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei, seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate; appositis pulvinaribus superius, et inferius, super quæ Episcopus genuflexus orabit. Aliud simile, ante altare, seu alium locum, ubi est SS. Sacramentum: quod diversum esse solet ab altari majori, et ab eo, in quo Episcopus, vel alius est Missam solemnem celebraturus. Nam licet sacrosancto Domini Nostri Jesu Christi Corpori, omnium sacramentorum fonti præcellentissimus, ac nobilissimus omnium locus in ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, et colere unquam valeamus, quantum decet, teneremurque; tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in majori, vel in alio altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam, seu vesperas celebraturus; sed in alio sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia, et reverentia ponatur. Quod si in altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus, et ordo cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis, et officiis servandus est, turbetur. »

[27] Pag. 98, *per totum*, ubi ritus, quo in ecclesiis cathedralibus absente Episcopo, vel collegiatis, vesperæ celebrandæ sint, describitur, canonicus nempe hebdomadarius pluviali paratus, una cum aliquot præsbyteris similiter paratis, et aliis ministris a sacrario ad altare, processionali ritu procedat. Ubi inchoandum officium vesperarum,

7. Quæsitum quum esset, an laudum, sive decretum Card. Caraccioli Archiepiscopi Capuæ diei 22 decem. 1725 quoad ea, quæ contratria sunt *Cæremoniali Episcoporum*, validum sit? responsum fuit, quod providebitur in casibus particularibus: *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 11, confirmata 28 *april.* 1736.

8. Quum actum fuerit: An canonicis, sive dignitatibus, sive presbyteris munus celebrantis explentibus, quis locus in choro debeatur tam in matutino, quam in ceteris horis canonicis? rescriptum prodiit, servari Cæremoniale Romanum in omnibus [28] apposita tamen tabella *Chorus*: *Tarentina, Præeminentiarum*, 1. *aug.* 1750, *dub.* 6.

9. Servari Cæremoniale [29] S. C. mandavit quoad jus sacramenta Sanctissimæ Eucharistiæ, et extremæ unctionis Episcopo ægrotanti ministrandi, an competat capitulo ecclesiæ cathedralis, ejus primæ dignitati, seu parocho S. Terentii, intra cujus parochiæ limites extat episcopale palatium: *Faventina, Præeminentiarum, et Funerum*, 7 *junii* 1760, *dub.* 8.

10. Capitulum, et canonici ecclesia cathedralis Setiæ in solemnioribus diebus, quibus pontificales functiones habentur, levare debent Episcopum ad formam Cæremonialis Episcoporum [30] e palatio episcopali, cum vestibus, quibus in choro utuntur, eumque ad cathedralem ecclesiam comitari, et respective in regressu ad dictum palatium: *Terracinen. et Setina*, 14 *decem.* 1771, *dub.* 6, confirmata 9 *maii* 1772.

11. Quoad attributionem functionum in ecclesia cathedrali peragendarum, S. C. singulis capitularibus mandavit observari tabellas capitulares, dummodo tamen non adversantur Cæremoniali Episcoporum: *Camerinen.*, *Præeminentiarum*, 7 *april.* 1781, *dub.* 2.

12. In adventu magistratus ad ecclesiam cathedralem, et in recessu ab eadem tam absente, quam præsente Episcopo, vel pontificalia exercente juxta votum Episcopi [31], et ad mentem Cæremoniale Episcoporum [32] servari debet: *Terracinen., et Setina*, 21 *aug.* 1784.

antiphonæ, et psalmi, et canticum *Magnificat*, a quibus intonentur. Ordo thurificationis orationes ubi dicendæ, et quomodo vesperæ compleantur. In diebus solemnioribus sex presbyteri cum pluvialibus parentur; in aliis non solemnioribus quatuor tantum; in dominicis, et aliis festis, duo.

[28] Lib. 2, cap. 6, pag. 106. Postquam enarratur modus, quo in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis, absente Episcopo, canonicus, seu alius dignior presbyter ecclesiæ, Missam celebraturus progredi versus chorum debeat § 4, legitur: « Surgente canonico, aut presbytero prædicto cum suis clericis, omnes pariter surgunt. Qui, facta hinc inde canonicis reverentia ascendit ad chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assignatur. Sistit se, et prope ipsum stat unus magister cæremoniarum. Sub ipso in plano chori erunt duo cantores, qui simul venerant; alii omnes ad sua loca ascendunt. »

[29] Lib. 2, cap. 38, § 3 et 4, pag. 211: « His verbis, et hortationibus excitatus Episcopus ægrotans, vel, quod melius esset, sua sponte, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum; et antequam communicet, indutus rocchetto, et stola, præsente Sanctissimi Christi Corpore, profiteatur catholicam fidem, ex formula, ab Apostolica Sede præscripta, quam affirmet, se semper inconcusse, et firmiter tenuisse, et credidisse, seque in ea velle vivere, et mori, cum Deo placuerit. » — « Tum majori, qua poterit, devotione, et humilitate, sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima dignitas, comitante capitulo, et toto clero cathedralis ecclesiæ in habitu ecclesiastico, et cum candelis accensis; et si fieri potest, magistratus deferat baldachinum; moneatque Episcopus sacristam, seu curatum, et cum tempus erit, extremæ unctionis sacramentum sibi administret, et animæ commendationem faciat. » Et spectare ad primam dignitatem ministrare sacramento Episcopo decumbenti omnes conveniunt doctores, neque suffragari posse contrariam consuetudinem inspecta cæremonialis clausula, quæ irritat contrarias consuetudines, ac etiam decrevit S. C. Rituum *in Gerunden.*, 11 *febr.* 1702 ubi, quamquam allegaretur contraria consuetudo, servari in omnibus Cæremoniale mandavit.

[30] Lib. 1, cap 15, § 1, pag. 46, ubi legitur: « Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent canonici omnes in eorum ecclesiastico, et canonicali habitu, appropinquante hora ad illum accedere; eumque cappa indutum; cujus caudam capellanus, seu caudatarius talari veste incedens, sustinet, atque defert, et si Episcopus Missam pontificali ritu sit celebraturus, vel in sede cum pluviali assistet, tunc caudatarius superpelliceo indutus, eam deferat, ex ea aula, seu cubiculo, quod ad hoc destinaverit, ad ecclesiam progredientem, comitari, et deducere. » Vide Joseph Catalani, *in Comment.* cit. loc.

[31] Qui ait: « Quoniam igitur de his EE. VV. meum dignantur exquirere sensum, ut veneratissimis vestris paream mandatis, arbitrarer, rescribendum præsente Episcopo tam in accessu ad ecclesiam, et in recessu ab eadem, quam in ecclesia ipsa tempore sacrarum functionum, servari Cæremoniale Episcoporum; absente vero Episcopo, proscribi abusum sonitus campanulæ magistratui nulla ratione competentis: ubique tamen, et semper eidem magistratui modum præscribi, ne ulterius in divino cultu desit muneri suo, nec urbanitatem infringat, nec populum concitet in offensionem. » *Ead. causa*, 21 *aug.* 1784, § 8.

[32] Lib. 3, cap. 10, et lib. 1, cap. 15, § 2 et 3, ubi describens ordinem servandum quando Episcopus ad ecclesiam accedit, mandat, ut magistratus immediate ante ipsum præire debeat. Quando contingit, quod magistratus supervenerit incepta jam Missa, vel officio, *Cæremoniale*

Cæremoniarum sacrarum magister. Vide *Magister sacrarum cæremoniarum.*

Camerales. Vide *Officiales.*

Camerarius Canonicus. Vide *Canonicus*, § viii.

Campana. Vide *Tintinnabulum.*

Campanarum Benedictio. Vide *Benedictiones.*

CANCELLARIUS.

1. Cancellarius pro collatione, aut institutione ecclesiarum, et præsertim curatarum potest in singulis accipere mercedem suo labori convenientem, quæ tamen scriptura sigillo, et ceteris computatis omnibus unum aureum non excedat; et dummodo ipsi cancellario salarium nullum pro suo officio exercendo constitutum sit, et ex pecunia, quam accipiet, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores ullo modo directe, vel indirecte percipiant: *Gerunden., Extortionum ; febr.* 1588, *dub.* 1 et 2.

2. In dispensationibus matrimonialibus notarius pro examine testium quartam aurei licite accipere potest: *Ibid.*, *dub.* 6.

3. In quæsito, an liceat notario, seu adjunctis, quicquam recipere pro decretis concernentibus visitationem etiam pro scriptura? Cancellarium, seu notarium pro decretis, et ordinationibus ad visitationem spectantibus non posse aliquid recipere firmatur: *Elnen.*, 28 *martii* 1648, *dub* 2.

4. Insuper pro litteris dimissorialibus, seu testimonialibus notarius, seu cancellarius, si nullum habeat salarium, seu stipendium, pro officio exercendo potest decimam partem unius aurei recipere: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Et pro visitationis decretis, seu judicatura executionis testamentorum piarum voluntatum, et piorum legatorum notarius pro illius scriptura, et labore aliquid moderate pro conscientia ipsius vicarii capitularis, in quo gravatur, recipere valet: *Ibid., dub.* 8.

6. Ad dubium, an notarius, et cursor commissarii, seu subcollectoris Bitunti commorantes gaudeant exemptione a jurisdictione Episcopi, et in quibus casibus? respondit S. C. unicum notarium tantum gaudere ad formam decretorum generalium[33], non vero cursorem: *Bituntina, Deputationis subcollectorum*, 4 *maii* 1697, *dub.* 3.

7. Et an generaliter dictus notarius gaudere debeat exemptione a die, et pro toto tempore suæ deputationis, vel in actu exercitii dumtaxat? rescripsit gaudere durante tempore deputationis: *Ibid.*, *dub.* 4.

8. Ad dubium, an in consensibus præstandis per Ordinarios suffraganeos ecclesiæ metropolitanæ Beneventi super investimentis locorum Piorum liceat cancellariis pro eorum mercede aliquid recipere, et usque ad quam summam? in casu, de quo agitur, servari taxam metropolitanam rescribitur: *Aliphana*, *Taxæ*, 18 *febr.* 1702.

9. Quum scriba curiæ episcopalis pro mero suo labore in testium examine ad probationem status liberi agendo exigere carolenos circiter octo monetæ regni ad julios sex monetæ Romanæ non ascendentes consuevissent; recurritur ad S. C., quæ taxam Innocentianam[34] servari decrevit: *Ortonen.*, 27 *martii* 1706, *dub.* 2.

---

prædictum, lib. 1, cap. 18, § 5, præcepit observari, id, quod de adventu canonici in simili casu mandatum est, quod habetur § 4, dicens: « Si autem quispiam canonicus superveniat, inchoato jam officio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit, versus altare, parumper orans; mox surgit, et facit reverentiam profundam altari, et Episcopo, deinde salutat, canonicos, et alios de choro circumstantes, tunc, et non prius ei assurgentes, et eum resalutantes, et vadit ad locum suum. » In causa *Veliterna*, 10 sept. 1718, in S. C. Rituum proposita, plures controversiæ definitæ fuerunt, in qua causa advocatus Dominicus Ursaya in favorem magistratus Velitrarum scripsit, et sua jura exhibet *Discept. Eccl. IX*, tom. 5, part. 1, *per tot.*

[33] Adest decretum S. C. Concilii circa subcollectores latum *die* 27 *febr.* 1677, rel. in Append. Concilii Romani anni 1725, num. 7, in quo § 10, cautum est: « Quod vero attinet ad substitutos, et officiales subcollectorum, declaravit, dictos substitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam esse uni tantum notario pro quolibet subcollectore in actu exercitii. »

[34] Quæ confecta fuit 1 octob. 1678 a Congregatione particulari deputata ab Innocentio XI Const. *Essendosi* (*Bull. Rom.* tom 8, pag. 58) et de ejus mandato typis edita a S. C. Concilii *die* 8 *ejusdem mensis*, et anni. Hæc § 4 statuit: « Nelle cause, et materie, che riguardano il matrimonio, ed i sponsàli, cosi per l'esecuzione delle dispense Apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non visia canonico impedimento, ed anche per la dispensa alle publicazioni, o per licenza di potersi contrare in casa, o in altro luogo, o tempo insolito, e proibito, o che si possa contrarre in presenza d'altri, che del paroco, ed ogni altro atto, che occorresse fare, il Vescovo, e il suo vicario, ed ogni altro officiale, o ministro, o famigliare, non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di mancia e di volontario donativo esigere, e recivere emolumento alcuno, ne in denaro, ne in altre cose, ma solamente il cancelliero

10. Quum Episcopus Tyburtinus juxta antiquam consuetudinem prætendat electionibus abbatissarum, quæ monasteriis ordinis Minorum Observantium præficiunt, suum cancellarium assistere debere, non quidem, ut vota adnotet, et ea audiat, sed longe a loco scrutinii, et prope ecclesiæ januam eo modo, quo alii adstant fratres præter provincialem, vel superiorem regularem, et disquisitores; huic sese opposuit pater provincialis, et res delata fuit ad S. C., quæ censuit in electionibus abbatissarum in monasteriis sub disciplina Regularium præfatorum posse Episcopum secum ferre cancellarium : *Tyburtina*, 26 *april.* 1727, *dub.* 1.

11. Nec licere resolvit eidem cancellario interesse, et assistere scrutiniis, et electionibus abbatissarum quæ fiunt in monasteriis monialium ordinis Minorum de Observantia : *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Et scribam non posse durante scrutinio permanere intra ecclesiam, ubi nec fratres exceptis superiore, ac scrutatoribus adsunt resolvit : *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Ad actum electionis abbatissarum monasterii Marien-Munster ordinis Cisterciensis conscribendum scriba curiæ episcopalis Wormatiensis, non secretarius abbatis regularis dicti ordinis admittendus est : *Wormatien.*, *Jurisdictionis*, 17 *septemb.* 1746, *dub.* 2.

14. Cancellarius episcopalis sibi dumtaxat jus scribendi omnia instrumenta, tabulasque publicas actorum omnium, qui fiunt ab ecclesiasticis, et locis piis competere, neque teneri ad eorumdem copiam tradendam tabulario, sive archivo communitatis, et taxam solvendam, autumavit; sed victus in utroque capite in tribunali AC. cancellarius, rem ad S. C. deferri curavit. Ad quæsitum, an, et in quibus actibus constaret de privativa notarii, et scribæ curiæ episcopalis urbaniæ rogandi omnes actus inter vivos, et ultimæ voluntatis tam ecclesiasticorum quam locorum piorum ejusdem civitatis? responsum fuit ad mentem : *Urbanien.*, *Rogituum*, 4 *maii* 1754, *dub.* 1. Repproposita decidenda causa, resolutum fuit, affirmative ad formam resolutionis in *Comen.*[35], et juxta catalogum datum in Appendice Concili Romani[36] : 15 *april.* 1758.

15. Et quæsito deinde, an constaret de exemptione cancellarii episcopalis Urbaniæ tam a taxa archivi, quam ab onere asportationis exemplarium rogituum ad idem archivum communitatis Urbaniæ; idem prodiit responsum ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 2. Et reproducta causa definitum est negative exceptis actis contentis in resolutione dubii : *Ibid.*

16. Quum examen concurrentium esset faciendum privative ab examinatoribus synodalibus urbis Tuscaniæ, in qua vacavit archipresbyteratus ecclesiæ cathedralis cum alia Viterbiensi unitæ; ad effectum recipiendi dictum examen intervenire, et privative se rogare, seu acta conficere Cancellarius episcopalis dictæ civitatis debet : *Tuscanen.*, *Concursus*, 16 *martii* 1771, *dub.* 2.

17. Cancellarius episcopalis Tuscaniæ retinere nequit penes Episcopum in quocumque loco commorantem substitutum approbandum ab ipso Episcopo, qui duas habet cathedrales ecclesias, pro conficiendis actibus solam ecclesiam Tuscaniæ respicientibus, salvo tamen arbitrio Episcopi : *Viterbien. seu Tuscanen.*, 11 *januar.* 1783, *dub.* 5.

Reliqua. Vide *Vicarius generalis Episcopi.*

Cancelli. Vide *Monasterium*, § I.

CANDELA, CANDELÆ, CERA.

1. Candela per canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ urbis Foggiæ gestanda in funeris comitatu non debet esse ponderis quatuor librarum, sed ejusdem pondus remittendum esse arbitrio hæredis, nec iidem canonici præter dictam candelam unum ducatum regni pro quolibet canonico prætendere possunt : *Trojana*, *Funerum*, 21 *maii* 1701, *dub.* 5.

possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, cioe nell' esecuzione delle dispense giuli tre, e per i testimoni sopra lo stato libero,, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purche in tutto non si ecceda uno scudo di monata Romana, cioe di dieci giuli, ovvero il loro equivalente nella moneta del Paese. » Hanc taxam Innocentianam pro Italia denuo confirmavit Bened. XIII in Concilio Romano tit. *de For. compet.* cap. unic. Taxa Innocentiana non est nisi collectio ordinationum sacrorum Canonum, et sacrarum Congregationum. Et ejus exequutrix est sacra Congregatio Concilii privative quoad omnes, sic de ejusdem taxa Card. Petra probat tom. 1, § 3, pag. 8, num. 22.

[35] Scripturæ, et instrumenta, quæ conficiuntur, et rogantur a cancellario servari debent in Episcopi cancellaria, non autem transferri debent in archivo communitatis, sicuti tenentur alii notarii vigore Const. 58, Sixti V, et declarationis S. C. Concilii in causa civitatis castelli, ut ait Pignatelli tom. 4, consult. 210.

[36] In Appendice num. 11, Concilii Romani a Benedicto XIII, Pont. Max., celebrati anno 1725, habetur catalogus scripturarum, quæ in archivis curiæ episcopalis asservari debent.

2. Nec de dictis candelis aliqua portio ecclesiæ funeris debetur, prout etiam de candelis, quæ in similibus casibus a regularibus Jesus Mariæ gestantur : *Ibid.*, *dub.* 6.

3. De sexaginta ceræ libris, quas thesaurarius cathedralis ecclesiæ tradere in festo Purificationis B. M. V. ratione publicæ distributionis tenetur ea pars, quæ aliquando supererest, cedere minime debet in ecclesiæ ipsius beneficium, sed ipsius thesaurarii : *Castellaneten.*, *Visitationis sacr. liminum*, 9 *maii* 1719, *dub.* 2.

4. Cera a capellis legatariis in ecclesia matrice, et parochiali S. Mariæ Colli terræ Peschi Constantii existentibus adhibenda pro explendis anniversariis ie disponentium, non debet esse in quantitate a procuratoribus capellarum judicanda ; sed libræ decem ceræ pro quolibet anniversario subministrari debent, ac excepta cera primæ ramæ, residuum ad presbyteros ejusdem ecclesiæ pertinet : *Nullius seu Montis Casini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 5, confirmatur juxta modum a secretario præscribendum[37] : 11 *sept.* 1728.

5. Et inde quum quæsitum esset, an hæredes defunctorum quantitatem ceræ sibi benevisam circa cadavera defunctorum adhibere possint? S. C. censuit esse statuendam taxam ab Ordinario auditis interesse habentibus, et taxæ ab eodem transmitti ad S. C. : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

6. Ac quoad ceræ quantitatem, quæ presbyteris pro cadaverum associatione tam ad alias ecclesias, quam ad matricem debetur, servari quantitatem præscriptam in concordia S. C. fuit placitum respondere : *Ibid.*, *dub.* 10.

7. Omnes candelas, quas ab hæredibus defuncti recipiunt, in altaribus ecclesiæ accendere debent regulares civitatis Mediolani funerum, et officiorum occasione : *Mediolanen.*, *Quartæ funerariæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 7, confirmata 2 *junii* 1731.

8. Ad dubium, an ceræ, quæ proveniunt ex funeribus, et anniversariis in ecclesia S. Mariæ de Paganica ab extra celebrandis, spectent ad capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis ejusdem nominis ab intra, et massam capitularem ; seu ad perpetuum vicarium curatum in prædicta ecclesia ab extra constitutum? servari votum Card. Bellugæ S. C. respondit : *Aquilana*, *Præeminentiarum*, 22 *sept.* 1731, *dub.* 6.

9. Cera, quæ in funeribus super est, et quæ eorum occasione accensa in ecclesia, ac altaribus fuit, spectat privative ad præpositum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Pedonis, penes quem residet cura animarum actualis, non autem in massa capitulari est ponenda : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1752, *dub.* 10.

10. Candelas in altari accensas, quando nova missa celebranda est, ad æditunm spectare S. C. decidit : *Ibid.*, *dub.* 17.

11. Circa quantitatem candelarum, quæ tradi debent PP. S. Francisci terræ Argentæ pro festivitate Sanctissimæ Conceptionis, quæ est titulus capellæ, an debeat patronus in certa quantitate, aut tradere pro suo arbitrio, et devotione? S. C. servari solitum mandavit : *Ravennaten.*, *Applicationis Missarum*, 17 *aug.* 1737, *dub.* 3.

12. Candelam recipere non licet parocho loci Scapezzani in actu restitutionis imaginis Sanctissimi Crucifixi penes infirmum relictæ occasione oleum sanctum administrandi : *Senogallien.*, *Funerum*, 19 *dec.* 1739, *dub.* 3.

13. Episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro sacris functionibus peragendis debent de reditibus ecclesiæ, seu sacrarii a capitulo subministrari candelæ juxta Episcopi ipsius decretum in visitatione editum : *Nicien*, *Decretorum*, 14 *martii* 1741, *dub.* 9, confirmata 13 *julii ejusd. anni.*

14. Quum quæsitum fuerit an cera gestatoria, dum defunctorum corpora efferuntur, ad capellanos, qui eam manibus ferunt, pertineat ; seu parocho ; vel priori insignis collegiatæ ecclesiæ SS. Petri et Dalmatii modo sibi beneviso statuere liceat cum eisdem capellanis concordato emolumento? responsum fuit, ut partes deveniant ad conventionem juxta concordiam[38], et interim servetur solitum : *Alexandrina*, *Funerum*, 28 *aug.* 1745, *dub.* 2.

15. Intorticia, et candelæ, quæ ad ecclesiam tumulantem pertinent, ad ecclesiam cathedralem Trani unicam parochialem deberi occasione, qua cadavera in ecclesia patrum Carmelitarum humantur : *Tranen.*, *Juris funerandi et processionis*, 21 *nov.* 1750, *dub.* 8.

16. Capellam habuerunt sodales Sanctissimi Corporis Christi titulo *delle Cinque Piaghe* a capitulo basilicæ SS. Laurentii, et Damasi liberam, ac exemptam ab omni onere, excepto comitatu, et au-

[37] Modus est, ut subministrentur libræ decem ceræ in candelis quatuor unius libræ in aliis quatuor dimidiæ libræ, et in reliquis minoris ponderis usque ad libras decem : lib. 78, *Decret.*, pag. 456.

[38] Consuetudinem, quæ est in civitatibus Mediolani, et Alexandriæ, ut ecclesiastici, qui cereis faces manibus ferunt, dum corpora defunctorum efferuntur, eas post ductum funus parocho, a quo vocati, accitique fuerant ad elationem tradant, accepto decem solidorum compendio particulari conventione, anno 1740, firmarunt parochus, sive prior insignis collegiatæ SS. Petri et Dalmatii, quæ Alexandriæ est, et capellani ejusdem collegiatæ. Convenerunt enim, ut ad funera capellani vocarentur, aut clerici ejusdem ecclesiæ servitio adscripti ; quo vero ad cereas faces data fuit priori facultas cum eis conveniendi, uti collibuisset : *Ead. causa*, 7 *aug.* 1745, § 1.

gustissimi Sacramenti associatione. Idem modo urgent pro necessitate lumina illa occasione deferenda augendi, quum tantum numerus duodecim præstentur, et ex consuetudine illius basilicæ numerus 30 præfinitus erat. Aiunt præterea onus hoc esse parochiale, et sequi capitulum, quod habitualem curam animarum habet. Causa proinde acta fuit, sed primum S. C. consilium nondum cepit, et dixit, ut interim per capitulum subministrarentur decem, et octo intorticia sine jurium ambarum partium præjudicio : *Romana*, *Supplementi intortitiorum*, 18 *sept.* 1751. Deinde decretum emanavit, ut suppleatur a capitulo numerus duodecim intortitiorum, vicario curato tradendorum, qui in reliquis omnino servet instructiones S. M. Innocentii XII [39] : 28 *nov. ejusd. anni.*

17. Candelæ, seu cerei oblatio facta in die festo S. Georgii ad altare S. Georgii spectat, licet in oratorio S. Aldebrandi fiat; reliquæ vero oblationes spectant ad ipsum oratorium sub Episcopi administratione, non autem ad parochum S. Rochi, intra cujus limites situm est oratorium : *Forosempronien.*, *Jurium parochialium*, 25 *april.* 1761, *dub.* 6.

18. Ceræ expensis contribuere tenetur etiam canonicus noviter admissus in ecclesia collegiata S. Mariæ novæ terræ Tophiæ ex fundatione Pescitelli una cum aliis canonicis : *Nullius seu Farfen.*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 4.

19. Medietas ceræ, exceptis altaris cereis, ut mos viget in urbe Narniæ, debetur propriæ ecclesiæ parochiali, licet sepulturam non habenti, quoties defunctus extra illam tumulatur ex propria electione, vel alibi in majorum sepulcro : *Narnien.*, *Jurium parochialium*, 13 *julii* 1771, *dub* 2.

20. Candelæ in die Purificationis B. M. V. distribuendæ sunt inter canonicos, et mansionarios ecclesiæ parochialis noviter erectæ in collegiatam S. Petri Montis Martiani sumptibus archipresbyteri, sed arbitrio Episcopi, quoad earum pondus : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 19.

Candelarum Benedictio. Vide *Benedictiones.*

CANDELARUM DISTRIBUTIO.

Candelarum distributio, et divisio.

1. Candela in comitatu funeris per canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ civitatis Foggiæ gestanda quatuor librarum esse non debet; sed pondus ejusdem arbitrio hæredum est relinquendum : *Trojana*, *Funerum*, 21 *maii* 1701, *dub.* 5.

2. Parochis intervenientibus, sive associatis, sive non pro funeribus cadaverum impuberum oppidi Varalli ab aliis concanonicis ejusdem parochiæ distribui candelam majorem illa, quæ superiori regularium associato ab aliis fratribus datur, debere sancitum est : *Novarien.*, *Funerum, et Jurisdictionis*, 15 *martii* 1704, *dub.* 3.

3. Distribuere candelas in oratorio societatis Orationis, et mortis loci prædarii potest capellanus ejusdem sodalitii pro sodalibus, et sororibus in die festo Purificationis; etsi minime parochi consensus accedat : *Novarien.*, *Aggregationis*, 24 *sept.* 1718, *dub.* 12. Deinde S. C. causa reproducta rescripsit ad mentem : 13 *januar.* 1720.

4. Causa quæstionis inter parochos civitatis Mediolani necnon ejusdem urbis regulares ortæ propositis dubiis ita S. C. rescripsit. Divisionem intortitiorum, et candelarum in die funeris, et officii ardentium præsente cadavere, in altaribus, columnis, et aliis ecclesiæ regularis tumulantis locis bifariam faciendam esse : *Mediolanen.*, *Quartæ Funerariæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 1, confirmata 2 *junii* 1731.

5. Ita in duas partes easdem candelas, et intortitia, quæ in ecclesiis tumulantibus occasione officiorum, seu exequiarum, quibus in diebus sequentibus post sepulturam honestatur cadaver, accenduntur, partiendas esse putavit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

6. Ac divisionem in duas partes pariter inter parochos, et regulares, qui cadaver per viam non comitantur, intortitiorum, quæ manualiter gesta, ac

[39] Qui Const. *Debitum Pastoralis*, 5 januar. 1695 (*Bull. Rom.*, tom. 9, pag. 385) confirmat indulgentiam concessam ab Innocentio XI comitantibus SS. Sacramentum dum defertur ad infirmos ; et extendit ad eos, qui cum ire non possint, lumen mittunt, et servum, qui illud comitetur. Et edicto *Advendo noi*, 2 febr. 1695, (Guerra, in *Epitome Bullarii*, tom. 1, pag. 21). Card. vicarii jussu pontificis augentur indulgentiæ pro comitantibus SS. Sacramentum ad infirmos. Quoad expositionem Benedictus XIV (*Inst. Eccles.* XXX, num. 17, pag. 201), inter quæ deposuit Clem. XII, ut sacra Eucharistia, quo par est, honore, et religione publice coram populo exponatur, ait : « Ut duodecim saltem cerei circum ardeant. » Edictum jam emanaverat a Clem. XI, Pont. Max., die 20 januar. 1705, incip. *Essendo stato*, in quo plura statuit observanda in expositione Sanctissimi Sacramenti Quadraginta Horarum. Et quoad candelas, ut saltem sint viginti sancivit (*Guerra*, cit. loc., pag. 23).

in itinere a sacerdotibus secularibus occasione cadaveris ad ecclesiam regularem tumulantem accensa sunt, esse faciendam jussit : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

7. Dividendas esse etiam bifariam candelas, quæ accensæ a regularibus intra propriam ecclesiam tempore funeris, vel exequiarum, vel officiorum manualiter gestantur, S. C. arbitrata est: *Ead.*, 2 *junii* 1731, *dub.* 2.

8. Parochis ecclesiæ S. Michaelis oppidi Bagnacaballi tradi non debent binæ candelæ in cadaverum associatione, sed dumtaxat Archiepiscopo, et eo absente, totidem ejusdem substituto tantum : *Faventina*, *Quartæ Funeralis*, 18 *junii* 1735, *dub.* 2.

9. Quum esset quæsitum, an candelæ, quæ distribuuntur die festo Purificationis B. M. V., vel alio tempore, sint distribuendæ tam canonicis, quam hebdomadariis presbyteris Capuanæ ecclesiæ S. Petri in eodem pondere, et qualitate? responsum est, ut servaretur concordia anni 1635 : *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 5, confirmata 28 *april.* 1736.

10. Candelarum distributionem facendam esse propriis sumptibus a capitulo Terlitii die Purificationis B. M. V. clero, et populo, prout edicto Episcopus demandavit sub pœna censurarum S. C. censuit: *Juvenacen.*, 22 *sept.* 1736, *dub.* 1, confirmata addens ad mentem: 9 *febr.* 1737.

11. Ac idem capitulum tenetur cereum tam archipresbytero, quam Episcopo, dummodo sint præsentes, dare : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

12. Quotiescumque in oppido Dungi promiscue invitantur presbyteri seculares, et regulares, candela, quæ manualiter gestatur danda presbyteris secularibus, num major esse debeat illa, quæ datur regularibus, vel æqualis ponderis? hæredum arbitrio pendere S. C. definivit: *Comen.*, *Funerum*, *et Functionum*, 19 *decem.* 1750, *dub.* 4.

13. Distributiones candelarum non sunt de juribus mere parochialibus, adeoque expleri possunt a rectoribus ruralium ecclesiarum etiam cum tintinnabuli pulsatione; nec spectant privative ad parochum : *Amerina*, *Functionum*, 3 *decem.* 1757, *dub.* 1.

14. Candelæ non minoris ponderis distribui debent canonicis collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Andreæ terræ Sublaci, quam distribuuntur regularibus ecclesiæ S. Francisci occasione associationis cadaverum, quæ in sepulcro dictæ ecclesiæ conduntur, et quæ sunt collegiatæ prædictæ incolarum: *Nullius*, *seu Sublacen.*, *Funerum*, 30 *maii* 1761, *dub* 5.

15. Candelæ partiri solitæ inter canonicos, et archipresbyterum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ novæ terræ Tophiæ sunt distribuendæ canonico noviter admisso ex fundatione Sisinii Pescetelli cum oneribus, et honoribus: *Nullius*, *seu Farfen.*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 3.

16. Candelæ distribuendæ populo sunt in festo Purificationis B. M. V. sumptibus archipresbyteri oppidi S. Victoris. Nam usus vetus hanc distributionem rationibus persuadebat: *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 7.

17. Et dubio : An autem supplere teneatur distributiones non factas; seu tradere illarum pretium in usus pios a S. C. destinandos? S. C. respondit : Ad mentem, et ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Ibid.*, *dub.* 8.

Canon. Vide *Emphyteusis*, § I.

Canonica electio. Vide *Abbatissa*, § II; *Canonicatus*, § I; *Capellanus*, § VI.

Canonica portio. Vide *Episcopus*, § XVI.

CANONICATUS.

§ I.

Canonicatus quoad collationem, electionem, præsentationem, ac institutionem.

1. De canonicatibus ecclesiæ collegiatæ, quos abhinc plurimis mensibus vacantes a nemine impetrari ob redituum tenuitatem proponit Episcopus, fructus ipsos, atque nomina eorum, quibus conferri cuperet, esse exprimendos, ut S. C. nomine illius cum Sanctissimo agere possit: *Vigilien.*, 7 *junii* 1601.

2. Ad unum ex duobus canonicatibus ex testamentaria dispositione Francisci de Crespis erectis in ecclesia cathedrali, in qua per Episcopos usque adhuc non fuit facta distributio ordinum ad formam sacri Concilii, a communitate, cui reservatum fuerat, jus præsentandi, Liborius de Ariostis constitutus in ætate quatuordecim annorum fuit præsentatus. Inde quæsitum est, an dicta præsentatio valida sit? et S. C. responsum dedit negativum, et statuit, ad obtinendos canonicatus in cathedrali ante factam distributionem sacrorum ordinum, requiri eam ætatem, ut infra annum provisus ad subdiaconatus ordinem promoveri possit, mandans Episcopo, ut infra duos menses deveniat ad distributionem or-

dinum in cathedrali ad formam sacri Concilii cap. 12, sess. 24 *de Reform.* [40], et doceat S. C. de exequutione : *Grossetana*, *Canonicatuum*, 31 *maii* 1704.

3. Capitulum cathedralis ecclesiæ sanxit tres fratres utrinque, aut ex uno tantum latere conjunctos ad canonicatus, et præbendas admitti, et in capitulum recipi posse, duos tamen ex eis dumtaxat voce activa gaudere debere, confirmavitque declarando expressius non præter tres fratres prædictos in posterum esse admittendum, ac instante pro confirmatione Apostolica, S. C. licet preces rejecisset *die* 17 *maii* 1704, tamen prævio recessu a decisis pro confirmatione in forma specifica, et ad mentem respondit : *Paderbonen.*, *Statuti*, 9 *aug.* 1704.

4. Quæsitum fuit : An, et ad quem in ecclesia collegiata S. Antonii Castri Allidonæ spectaret jus conferendi, seu instituendi canonicatus, aliaque beneficia, de quo jure inter Archiepiscopum Firmanum, et Farfensem abbatem orta controversia fuerat ? jussit S. C., ut exquireretur Rotæ votum [41] : *Firmana, Juris conferendi, et instituendi*, 2 *oct.* 1706, confirmata 7 *maii* 1707.

5. Quum ad tramites dispositionis suæ uxoris Ceciliæ Angelæ de Vaglientibus peregrinus Pallotta ejus vir, et hæres canonicatum in ecclesia collegiata terræ Luniani erigere cuperet, et semetipsum primum nominare vellet, apud S. C. institit. Hæc non licere affirmavit, addens, ut supplicent Sanctissimo: *Amerina, Erectionis canonicatus*, 6 *junii* 1705, *dub.* 2.

6. Matthia Raoli mulier, et Joannes Baptista etiam Raoli patrueles demandaverunt hæredibus novæ ecclesiæ collegiatæ erectionem, nominatione canonicorum reservata, ac variandi dispositionem facultate ; ac canonicos Petrum Antonium de Giglis, et Franciscum Ballinium nominarunt. Inde mulier superstes aliam in favorem Marci Aurelii Stellæ, et Dominici Pofii nominationem peregit. Harum primam non secundam ratam S. C. habuit: *Anagnina*, *Erectionis collegiatæ*, 3 *octob.* 1711, *dub.* 2.

7. Propter abusum, qui in ecclesia collegiata S. Hieronymi nationis Illyriorum urbis irrepserat, quod nonnulli canonici, et beneficiati post ademptam possessionem desererent residentiam ; princeps Julius de Sabellis patronus ad canonicatum possessum a Michaele Gothlam absentem prævia privationis sententia, Petrum Dragolium cum conditione, quod ejus renunciatio ab unius anni absentia penderet, nominavit, præsentavitque. Hic ultra annum a residentia abfuit, et patronus idcirco Hieronymo de Pace contulit canonicatum. Re in S. C. deducta dubia fuerunt disputata : An nominatio, et institutio Petri Dragoli ad canonicatum facta sustineatur ? et quatenus negative. An, et quomodo sit admittenda ea Hieronymi, ita ut institutionem debeat obtinere ? responsum eis prodiit, ut proponatur causa citato Dragolio : *Romana, Nominationis ad canonicatum*, 3 *octob.* 1711, *dub.* 1 *et* 2, confirmata 11 *junii* 1712. Deinde ad dicta negativum protulit S. C. responsum : 27 *aug. ejusd. anni*.

8. Insuper S. C. sancivit, quod inspecta dicti canonicatus renunciatione novissime facta per Dragolium in favorem Georgii Georgicei lite pendente inter dictos Dragolium, et Hieronymum de Pace, subsequuta institutio respective in favorem Georgii Matthæi peracta valida non est : *Ibid.*, 11 *junii* 1712, *dub.* 3.

9. Canonicatum fundavit in ecclesia collegiata S. Joannis loci Capranicæ Maria Farruchi post mortem Joannis Scalpelli viri ejus, et hæredis usufructuarii, exoptavitque cum qualitate actualiter sacerdotali esse erigendum. Ad hunc Joseph Scalpellus clericus annorum 24 descendens de contemplata familia fuit nominatus, qui ad S. C. preces porrexit, et obtinuit gratiam super defectum sacerdotalis qualitatis, dummodo infra annum promoveatur : *Sutrina*, *Canonicatus*, 28 *novem.* 1711.

10. Ad dubium propositum : An aggregari valeat aliquis ad consortium canonicorum ecclesiæ collegiatæ SS. Gervasii, et Prothasii oppidi Domus Ossulæ tanquam canonicus sine apostolica dispositione, et sine chori, functionumque onere ? rescripsit S. C., ut recurrat in casibus particularibus : *Novarien.*, *Præeminentiarum*, 14 *april.* 1714, *dub.* 6.

11. Quum in brevibus Sixti IV, et Pauli III, Sum. Pont., quæ ecclesiam cathedralem respiciunt, legeretur : *Ut clericus admittendus integro biennio in ordine suo in dicta ecclesia inservierit, sitque de electo genere civium antiquorum Tarentinorum ex utroque parente, et bene legere, et ca-*

[40] Ubi habetur : « Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, et ab hac Sancta Synodo statutum, initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem presbyteri, diaconatus, vel subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio capituli, designet, ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat ; ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi, aut subdiaconi : ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omnino observetur. »

[41] Vide not. 18, tom. 1, pag. 13.

nere sciat, et saltem grammaticaliter, quæ legit, intelligat; dubium ortum fuit: An illa verba canonicos comprehendant, ita ut provisi de canonicatibus ab Ordinario debeant habere qualitates inibi designatas, vel solos participantes? S. C. resolvit non comprehendere: *Tarentina, Canonicatuum*, 5 *sept*. 1716, *dub*. 1 [44].

12. Quum de bonis primæ ex capellaniis fundatis ab Antonio de Marchis Episcopo Ærinensi erectus fuisset canonicatus cantoria nuncupatus ecclesiæ cathedralis, ad quem provisus fuit Joseph Sigala simplex clericus, nulla facta qualitatis sacerdotalis prædicti canonicatus mentione; ideo impetrare illum curavit Joannes Dargenta sacerdos. S. C. autem quoad dicti canonicatus qualitatem definitionem protelavit, et deinde supplicationem non esse relaxandam decrevit: *Ærinen., Canonicatus*, 30 *januar* 1717.

13. In erectione parochialis, et receptitiæ ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ in collegiatam, nomine, et titulo fundationis juspatronatus universitati loci Atrani quatuor canonicatuum fuit reservatum. Ad unum ex his Joachim de Lieto ab universitate præsentatum curia Episcopi renuit instituere eo sub fundamento, quod universitas integram, et in litteris apostolicis expressam dotem non assignaverit. Hinc Antonius Colundesius eumdem canonicatum uti liberum, et in mense reservato vacatum in Dataria Apostolica postulavit; S. C. autem censuit non esse supplicationem relaxandam, sed de jurepatronatus canonicatus in favorem universitatis loci Atrani constare; it aut esse supplicationem Joachim de Lieto relaxandam: *Amalphitana, Canonicatus*, 10 *april*. 1717.

14. Joannes Gaspar Lobenhoffer canonicatum collegiatæ ecclesiæ S. Stephani civitatis Bambergæ libere in manibus Ordinarii absque subrogatione patrimonii, vel alterius ecclesiastici beneficii renunciavit. Hunc Ordinarius Joanni Josepho Lobenhoffer contulit. At Adamus Triebel ad se pertinere nominationem ejusdem uti canonicus, qui ob alternas vices illo jure gaudebat, quum renunciatio invalida fuisset, contendit; quæstio in S. C. fuit delata, quæ jus conferendi canonicatum dictæ collegiatæ ad illum, qui ex alternis vicibus jus habet, spectare, resolvit: *Bambergen., Canonicatus*, 28 *sept*. 1726, *dub*. 1.

15. Hac de causa provisio apostolica dicti canonicatus in favorem ejusdem Joan. Josephi Lobenhoffer valida non est: *Ibid., dub*. 3.

16. Innocentius XIII, Pont. Max., suspensionem collationis primi canonicatus in ecclesia cathedrali vacaturi pro dimittendo ære alieno, et pro construenda ecclesiæ fornice indulsit. Quum vero cultus divini ob paucitatem canonicorum intervenientium imminutio facta esset, canonici sacerdotem invenire cupiunt, qui tamquam canonicus gratis ecclesiæ inserviat. Ad ea hinc quæ proposita fuerunt S. C. respondit, Ordinario concedendam haud esse facultatem conferendi canonicatum sine partitione fructuum, et distributionum a prælaudato Pontifice applicatorum cum conditione, quod taliter provisus obtinere debeat primum vacaturum canonicatum; sed concedendam esse eidem Ordinario facultatem conferendi prædictum canonicatum sine enunciata conditione, emissa tamen valida obligatione de residendo, et inserviendo ecclesiæ ad formam suæ obligationis: *Veliterna*, 23 *aug*. 1727.

17. Sacerdos Franciscus Biffi fundavit simplex beneficium de jurepatronatus suæ familiæ adjecta conditione, quod in casu erectionis in collegiatam ecclesiæ parochialis S. Stephani oppidi Casalis Majoris, ubi erigi voluit beneficium, spectaret jus patronatus ad canonicos, dummodo inter eos cooptaretur beneficiatus. Erectio præfata cum effectu sequuta non fuit mediante litterarum apostolicarum expeditione, et quæsitum interim est; num jus præsentandi ad dictum beneficium erectum in simplicem canonicatum in dicta familia de Biffis continuari debeat? S. C. pro affirmativa stetit responsione: *Cremonen., Erectionis præbendæ theologalis*, 2 *julii* 1729, *dub*. 3.

18. Quum S. C. nullam declarasset erectionem canonicatus fundati a Matthæo Ventura in ecclesia collegiata Murri Vallium ab Archiepiscopo peractam cum applicatione census, qui ad massam communem spectabat, et bonorum, quæ a capitulo destinata erant in favorem parochi coadjutorum, a qua erectione mansionarii ejusdem ecclesiæ reclamaverant. Inde præfatam erectionem censuit convalidare, et ad jus præsentandi admitti etiam mansionarii sancivit: *Firmana, Erectionis canonicatus*, 5 *martii* 1735.

19. Joannes Henricus de Pergens exposuit Franciscum Lambertum de Mean 14 annum agentem nulliter fuisse provisum de canonicatu ecclesiæ cathedralis vi liberæ resignationis in manibus Sanctissimi; contenditque duplici vitio laborare resignationem præfatam, primo quod documentum, unde consensus eruitur, in curia tempore habili non existebat; altero ob defectum legitimæ ætatis, a qua non fuit dispensatum; S. C. tamen illius supplicationem nequaquam relaxavit: *Leodien., Canonicatus*, 5 *martii* 1735.

[44] In favorem canonicorum jura exoravit advocatus Dominicus Ursaya, et edit. in *Discept. Eccles. VII*, tom. 2, part. 2, *per tot*.

20. Presbyter Dominicus Malamisura potest concurrere ad canonicatum eccclesiæ antea Receptitiæ, modo collegiatæ Sanctissimæ Assumptionis B. M. V. oppidi Zuncoli quoties vacare contigerit, qui ex bulla erectionis conferri possunt solis oriundis dicti loci, ac Dominicus ortus ex patre originario indigena, et cive est, licet in oppido S. Sossii per accidens natus : *Arianen.*, *Participationis*, 12 *sept.* 1739, *dub.* 2.

21. In ecclesia cathedrali viget consuetudo, ut ii qui sive a capitulo, sive ab Apostolica Sede canonicatum fuerint assequuti, non nisi transactis quatuordecim diebus post exhibitas collationis litteras, canonicatus possessione donentur. Capitulum Simeoni de Montoyo vacantem canonicatum contulit die 16. maii 1641, et prædictum tredecim dierum terminum ad tradendam illi possessionem constituit. Collationem hanc antecesserat resignatio quædam in favorem Antonii Beati Mynch de Minchestein facta a Sum. Pontifice. Is apostolicas litteras 14. kalendas maii expeditas capitulo præsentavit die 29, præfati mensis maii, et postera die possessionem canonicatus habendi ab eodem facultas data fuit. Hi duo provisi eadem die petunt sibi tradi possessionem, et de præcedentia exquirunt definitionem ; et S. C. præcedentia proviso apostolico Antonio tribuit : *Basileen.*, 25 *junii* 1742, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

22. Episcopus ad majus ecclesiæ cathedralis servitium sex canonicatus veteribus adjunxit. Sed nonnulli tum ex canonicis, tum ex capellanis, aut inservientibus, qui participationem communis consortium massæ post sexennii servitium admittebantur, repugnarunt Episcopi decreto. Hinc S. C. censuit ita sustinendam erectionem ab Episcopo factam sex canonicatuum, ut ad novos hos canonicatus semper capellani, vel servientes ejusdem ecclesiæ promoverentur : *Potentina*, *Canonicatuum*, 24 *novem.* 1742.

23. Vacantem mense Sedi Apostolicæ reservato canonicatum ecclesiæ cathedralis Episcopus jure ordinario, ac ex indulto Pontificio sacerdoti Cynaco Vecchioni contulit. Canonicus Joannes Paulus Tommasius velut antiquior optionis jure sibi deberi preces exhibuit in S. C., ac vetustissimam ecclesiæ cathedralis consuetudinem ostendit. Hinc dubiis exhibitis : An bona præbendalia ultimo possessa per canonicum Ruffini optari potuerint, et possint per canonicum Tommasium ? et quatenus affirmative, an fructus eorumdem bonorum a die factæ optionis eidem canonico Tommasio, seu canonico Vecchionio debeantur ? rescripsit : Dilata, et coadjuventur probationes hinc inde : *Anconitana*, *Canonicatus*, 13 *julii* 1743, *dub.* 1 *et* 2.

24. Quum quæsitum fuisset in S. C., an in futuris vacationibus per societatem S. Georgii civitatis Nepetis sit deveniendum ad nominationem etiam in favorem clericorum canonicatus, quem eadem societas erigi voluit in ecclesia cathedrali ejusdem urbis adjecta sacerdotali qualitate, quæ ab Episcopo fuit rejecta ? S. C respondit : Dilata et ad mentem : *Nepesina*, *Canonicatus*, 18 *decem.* 1751, *dub* 2. Deinde responsum præbuit, ut recurrat in casibus particularibus, 11 *martii* 1752.

25. Quum canonicatus erectus sit in ecclesia collegiata S. Pauli terræ Fortii a sacerdote Antonio Astolfi, ut ad eum præsentaretur sacerdos ejusdem loci cum prælatione illius, qui familiæ Astolfi dignior, ac proximior sit ; plures oppositores in Dataria Apostolica utpote qualificati, sacerdos nempe Aloysius Theodori ex latere paterno amitæ pronepos in Ripana urbe ortus, et sacerdos Paulus Donzelli ex lateri materno, materteræ pronepos in terra Fortii natus, comparuerunt. Re in S C. discussa. Hæc relaxandam esse Aloysii supplicationem censuit : *Montis Alti*, *Canonicatus*, 18 *decem.* 1762.

26. Post lineam masculinam extinctam hæredum vocatorum hæreditas ad sodalitium Plani Mercatus devoluta fuit, et canonicatum, uti testator comes Guidobaldus Paciotti disposuerat, erectus est. Ad eumdem obtinendum in Dataria Apostolica clericus Franciscus Stephani 17 annos natus unicus qualificatus de familiis contemplatis, et clericus Joan. Christophorus Biancalana 21 annum agens qualificatus ex lege fundationis ob deficientiam illorum de familiis contemplatis apparuerunt, et inde S. C. petiernnt, quæ relaxandam esse Francisci supplicationem declaravit. Nam testatorem contemplando familiam Semproniam agnatos non exclusisse illis verbis *uno di casa de signori Semproni*, quæ accipiuntur demonstrative asserebatur : *Urbinaten.*, *Canonicatus*, 26 *martii* 1763.

27. Nominatio ad unum ex canonicatibus a Gabriele Trianguli ordinatis a capitulo S. Christinæ patrono in favorem Gabrielis Perusini facta circumscribi non debet. Nam hanc circumscriptionem Ubertus Gismondius e familia primo loco vocata postulabat, et quum incapax ad assequendum canonicatum esset ex defectu ætatis, dispensationem, antequam nominatio a capitulo perficeretur, petierat : *Eugubina*, *Dispensationis*, 18 *febr.* 1764.

28. Canonicatum in ecclesia collegiata, et parochiali S. Eusebii oppidi Blanzati fundavit sacerdos Dominicus Gorretti, adjnnxitque possessoribus onus confessiones audiendi, et parochum coadjuvandi ; voluitque præterea posse eligi clericum, qui intra annum a die possessionis promoveri valeat. Ejusdem collatio a patronis in favorem sacerdotis Joan. Dominici Stighi ad formam testamenti qualificati perfacta fuit ; etiamsi actualiter confessiones audiendi

idoneus haud sit, excluso extraneo sacerdote Panante. Hinc fuit dimicatum. Et S. C. præfatam collationem validam putavit : *Casalen.*, 16 *januar.* 1768, *dub.* 1.

29. Ad canonicatus institutos ab Alberto Bonanni in ecclesia Hortana sunt præeligendi de familia vocata ad formam fundatoris dispositionis : *Hortana, Erectionis canonicatuum*, 23 *april.* 1768, *dub.* 2, confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

30. Canonicatum concedendum esse clerico Cæsari Sparacciari, utpote a vero patrono præsentato; adeoque ejus supplicationem relaxandam esse ad impetrandam dispensationem super ætate, declaravit S. C., neglecta præsentatione a prætenso patrono expleta in favorem sacerdotis Philippi Sanni, qui provisionem apostolicam cum derogatione vocum efflagitaverat : *Tolentina, Canonicatus*, 20 *januar.* 1770.

31. Quum sacerdos Ubaldus Mattioli canonicatum vacantem in ecclesia collegiata S. Christinæ civitatis Eugubii, qui collatus jam clerico Carolo Sanfigi ex familia a testatore passive vocata, ac prælata fuerat, impetraturos Sanctam Sedem adiisset, orta est inter eos controversia; sed ejusdem supplicationem haud obsignari voluit S. C. Nam etiamsi canonicatus juripatronatus ecclesiastico obnoxius sit, reservationi mensium ex regula IX Cancellariæ subjectum non est, quod ad formam aliorum, qui instituit Joannes Baptista Crist.ni, qui faciendam electionem per vota secreta jussit, fundatus fuit : *Eugubina, Canonicatus*, 7 *julii* 1770, *dub.* 1.

32. Vacante canonicatu supranumerario in ecclesia collegiata SS. Georgii et Christinæ terræ Vulsinii fundato a Ludovico Maccioni, qui capitulo juspatronatus reliquit; hunc a Sede Apostolica petiit sacerdos Jacobus Marinacci, quin qualitates in fundatione præscriptas expressisset, et paulo post preces pro fundationis legis derogatione porrexit. Interim clericus Ansanus Frediani supplicem libellum ad illum assequendum dedit, pariter derogationem bimestris servitii in fundatione præscripti poscens. Datariæ votum S. C. exquisivit et in favorem clerici Frediani hujus sententia fuit : *Urbevetana, Canonicatus*, 3 *aug.*. 1771.

33. Alexandro Gamalero tribus a fundatore volitis gaudenti requisitis, bonorum scilicet morum, litteraturæ, ac prudentiæ, nec satis clare, et concludenter de ludorum, chorearum, commessationumque pravitate ab Episcopo Alexandrino accusato, canonicatum sub titulo S. Petri erectum in ecclesia cathedrali adjudicandum esse; ita ut per Episcopum sit ei danda institutio, quam Episcopus ei denegaverat, declaratum fuit : *Alexandrina, Suspensionis*, 28 *septem.* 1771, *dub.* 3, confirmata 11 *januar.* 1772.

34. Quum societas S. Joannis Evangelistæ plura bona stabilia pro dote canonicatus erigendi in ecclesia cathedrali cessisset, sibique jus nominandi canonicum prout libere in omnibus vacationibus exercuit, reservaverit; S. C., quam illa adiit, locum esse nominationi, et præsentationi a dicta societate facienda ad canonicatum vacantem per obitum canonici Julii Cæsaris Lutii, resolvit : *Urbanien.*, 9 *sept.* 1775, *dub.* 1.

35. Provisionem autem dicti canonicatus vacantis factam ab Episcopo in favorem Antonii Ghighi validam non esse censuit. Episcopus enim pendentibus prorogationibus obtentis a dicta societate de canonicatu vacante uti devoluto prædictum Antonium, qui possessionem canonicatus apprehenderat, providerat : *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Vacavit canonicatus de jurepatronatus sodalitii S. Joannis Evangelistæ in ecclesia cathedrali erecti. Sodales electionem novam fecerunt. Franciscus Biscionius majora vota accepit, sed unum ad nominationem perficiendam deficiebat. Hinc ejusdem pater in eisdem comitiis velle petere sanatoriam protestatus est. Sodales vero in novis comitiis sacerdotem Antonium Ghighium elapso bimestri elegerunt, qui Episcopo fuit præsentatus. Et inde quæstione orta non esse locum sanationi, ita ut sacerdotem Franciscum Biscionium esse præsentandum, ac ad canonicatum instituendum S. C. definivit : *Urbanien.*, *Canonicatus*, 24 *januar.* 1778, *dub.* 1.

37. Necnon dandam esse institutionem ad eumdem canonicatum sacerdoti Antonio Ghighio putavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

38. Provisio canonicatus cathedralis ecclesiæ in favorem clerici Josephi Papi peracta valida est; licet nominatus ætatem conciliarem non habeat, cujus ætatis dispensationem petierat, et assequutus est : *Urbanien.*, *Canonicatus*, 17 *junii* 1780, *dub.* 1.

39. Canonicatus ecclesiæ S. Mariæ Assumptæ oppidi Montis Cassiani de jurepatronatus activo sodalitii SS. Jacobi et Philippi ejusdem oppidi vacavit. Ad eum sodales nominarunt clericum Gervasium Andreani, quem Episcopus examini subjecit, eique minus idoneo reperto institutionem denegavit. S. C. autem, cui res delata est, minime dandam esse institutionem, sed locum esse novo examini sancivit : *Lauretana*, 21 *april.* 1784. Postmodum dandam esse institutionem Gervasio Andreani prævio recessu a decisis censuit : 27 *nov. ejusd. anni.*

40. Refragata a S. C. provisione archidiaconatus collegiatæ ecclesiæ oppidi Urceani, et decisum inde quum fuisset esse locum regressui ad suum canonicatum; de hoc provisionem sacerdos Ulyssi ab Episcopo, et clericus Franciscus Ercolani a Dataria Apostolica causa impetrationis obtinuit. S. C. autem litteras apostolicas non esse exequendas manda-

vit : *Fanen.*, 10 *januar.* 1784, *dub.* 4, confirmata 24 *april. ejusd. anni.*

41. Vacavit canonicatus ecclesiæ collegiatæ S. Blasii oppidi Montis Milonis. Hi canonicatus ante erectionem ecclesiæ in collegiatam erant tot capellaniæ actu sacerdotales. Communitas dicti oppidi ad electionem devenit quæ in favorem subdiaconi Josephi Nozzi exclusis sacerdotibus cecidit. Clerus et populus sese opposuit huic electioni contendens, quod actu sacerdotem nominare teneatur. Re in S. C. delata, hæc licere præsentare clericum infra annum ad presbyteratus ordinem promovendum, etiam in concursu sacerdotis, necnon præsentationem factam sustineri declaravit : *Maceraten.*, *Canonicatus*, 24 *april.* 1784, *dub.* 1 *et* 2, confirmata 3 *julii ejusd. anni.*

42. Mulier Joanna de Gabriellis de suis bonis tot canonicatus in ecclesia S. Petri Saxoferrati reservato patronatu activo familiæ Gabrielli, et ea deficiente vexillifero loci erexit. Onus canonicis imposuit chori ac Misssæ, et quum non essent presbyteri, initiari cito voluit. Ad unum ex his nominatus fuit clericus Marinius tunc tonsuratus ; sed res absque dissidio perfici non potuit, orto inter consanguineos, et vexilliferum Saxoferrati. Hinc S. C. requisita quoad institutionem, an in cujus favorem danda sit? distulit resolutionem, et respondit ad mentem [43] ; *Nucerina*, *Canonicatus*, 10 *januar.* 1784. Iterum protelavit resolutionem, ut expleto examine Odoardi Marinii Episcopus referat super ejus idoneitate : 27 *nov. ejusd. anni.* Denique quum opponeretur eum esse muneribus in fundatione impositis imparem , S. C. ut vocetur ad urbem Odoardus Marinius, et ad secretarium ad mentem [44] præcepit : 9 *april.* 1785.

43. Vacante canonicatu fundationis Nicolai Cecconi, patronus ad dictum canonicatum clericum Clementem Marinium nominavit. Nominationem populus impugnavit, quia quum ex fundationis lege beneficiatus teneretur in eodem castro residere, Missas per se ipsum celebrare, nominatus infra annum ad sacerdotium ascendere nequit. Et revera S. C. dictam nominationem nullam declaravit : *Prænestina*, 12 *martii* 1785, *dub.* 2.

44. Et consulendum esse Sanctissimum tamen juxta mentem voluit : *Ibid.*, *dub.* 2.

45. Uno ex canonicatibus a præposito Carolo Augustino Ferrari fundato per renunciationem sub pensione vacante , comes Antonius, et marchio Carolus Guasco patroni præsentarunt sacerdotem Josephum Antonium Ferrari loci Castri Ceriolì. Adolescens in undecimo ætatis anno constitutus Joan. Antonius Ferrari in secunda vocationis sede a fundatore descriptus , quum ab ipsis patronis fuisset præteritus, opportuno tempore de canonicatu provideri penes Pontificem supplicavit. Hinc ad rogatum, an sit signanda supplicatio in favorem vocati adolescentis Joan. Antonii Ferrari ? signandam esse S. C. credidit : *Alexandrina*, *Dispensationis*, 8 *april.* 1786.

46. Josepho Ronci danda est institutio ad canonicatum in ecclesia divi Blasii oppidi S. Viti erectum a conjugibus Romulo Vitali, et Maria Panci ordinatum ; licet adhuc ob ingenii tarditatem idoneus ad sacerdotium non evaserit. Nam non est invincibiliter hebetatus, ac maxima prædilectio testatorum habetur : *Prænestina, Canonicatus,* 16 *junii* 1787, *dub.* 2.

47. Causa vacationis canonicatus ecclesiæ cathedralis habitis comitiis a patrona communitate Porculæ, quæ tertio prorogationem quadrimestris in duobus mensibus impetravit, ter Agnellus vota favorabilia reportavit. Sed bis electionem Sacra Consulta circumscripsit. Hinc Ferrarius canonicatum jure devoluto impetrare, Agnellus electionis sanationem obtinere cupiebant; at quum circumscripta electione, partes suo jure uti rescriptum fuisset; Episcopus ob lapsum quadrimestre ad canonicatum nominavit clericum Philippum Herculani, qui ætatis dispensationem obtinuit. Modo in S. C. disceptatur de electionis validitate, deque Agnelli præsentatione ad hoc ut ei detur institutio; sed omnibus negativum prodiit responsum : *Montis Alti*, *Canonicatus*, 25 *april* 1789, *dub.* 1. Confirmat addendo, et consilium deveniat ad novam electionem intra mensem Augusti : 18 *julii ejusd. anni.*

48. Exquisitum insuper fuit, an, et in cujusnam trium horum concurrentium favorem relaxanda esset supplicatio ? Sed S. C. respondit negative , et voluit, ut consilium ad novam infra mensem maii deveniret electionem : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

49. Deinde disputatum, an supplicatio *Si nulli* sit relaxanda? et pariter negativum dedit S. C. responsum : *die* 18 *julii ejusd. anni*, *dub.* 2, et

[43] Et mens est, ut transmittatur integra fundatio canonicatus : *Ead. causa*, 10 *januar.* 1784.

[44] Et mens fuit, ut ab examinatore synodali urbis examini subjiciatur. Ille venit, et examen subivit coram examinatoribus Card. vicarii die 31 maii nuper elapsi, repertusque fuit idoneus, veluti ex fide secretarii vicariatus in forma consueta. Ne propterea compellatur diutius Romæ morari, sumptusque ulteriores pati supplicat definiri dubium : An, et cui sit danda institutio? *Die* 18 *junii* 1785. S. C. censuit institutionem dandam esse Odoardo. Lib. 135, *Decret.* pag. 345.

postmodum recessit a decisis, ac institutionem dandam esse Agnelli censuit: 19 *dec. ejusd. anni*, confirmata 27 *febr.* 1790.

50. Electio sacerdotis Honorati Vaccari in canonicum ecclesiæ collegiatæ S. Petri massæ Fiscaleæ legitime expleta declaratur a novis officialibus societatis consortii massæ prædictæ, licet canonicatus sub officialibus decessoribus, qui post lapsum tempus officii, in eo de licentia vicarii Episcopi continuabant, et ad alliciendos candidatus affigi curaverant edicta, vacasset: *Cervien.*, 17 *april.* 1790.

51. In collegiata ecclesia oppidi S. Victoriæ canonicatum fundavit Nicolaus Augustinus Porfidi. Voluit hic, ut nominaretur primum Franciscus Discreti, et inde *un figlio del sig. Nicola Marinelli*. Post eorum obitum *e non essendo piu præbentati li detti signori Discreti, e Marinelli*, jus nominandi capitulo sub lege uniendi fructus massæ capitulari reliquit. Modo alter filius Marinelli Aloysius tamquam passive vocatus prætendit nominationem post obitum fratris Francisci. Sed S. C. institutionem ei dandam non esse statuit: *Firmana, Præbendæ*, 26 *martii* 1791, *dub.* 1.

52. Ad canonicatum designatum in communi testamento Sanctæ Verri, ejusque filiorum canonici Angeli, et Franciscæ Antoniæ Piermartini erigendum in collegiata ecclesia S. Mariæ de Misericordia oppidi Belvideri, institutionem dandam esse clerico Francisco Mariæ Bevilacqua prælative vocato, licet in ætate annorum 14 deciditur. Impugnabat enim hanc nominationem sacerdos Carottus in secunda sede vocationis repositus: *Senogallien., Canonicatus*, 11 *maii* 1795, *dub.* 2.

53. Suspensio nominationis, et administratio canonicatus ecclesiæ cathedralis denegatur puerulo annorum septem, Philippo Vincentio Sansilvestri nominato ab ejus avo, comite Philippo Caracci, patrono, quum ex lege fundationis habilis esse deberet nominatus ad interveniendum quotidie capitulo, ecclesiæ et choro: *Nullius Guastallæ, Canonicatus*, 31 *maii* 1794.

§ II.

Canonicatus quoad dismembrationem, suppressionem, unionem, applicationem, suspensionem ac communicationem.

1. Abnuit S. C., ut loco erectionis præbendæ canonicalis in ecclesia cathedrali a sacerdote Julio de Oucdo demandatæ, erigatur beneficium simplex cum titulo abbatiæ, et cum iisdem oneribus, reservatione jurispatronatus ad formam ejusdem testamenti, licet ecclesia prædicta, et substituta illi ecclesia collegiata S. Antonini acceptare illius canonicatus erectionem renuerint. Et denegando S. C. dictam commutationem, faciendam esse erectionem canonicatus cum augmento sortis assignatæ librar. 7000 in cathedrali enunciata, et ejusdem capitulo nolente, in collegiata substituta juxta votum Episcopi [45] putavit: *Placentina, Commutationis voluntatis*, 18 *febr.* 1702.

2. Quum Jacobus Philippus Archinus canonicatus fundationis suæ familiæ ecclesiæ cathedralis possessor a residentia sese absentaverit, variæ contra ipsum a capitulo fuerunt lites excitatæ. Sed inspecta nimia tenuitate redituum dicti canonicatus, qui in scut. annuis 62 detractis oneribus tantum consistunt, supplex idem canonicus fuit in S. C.; ut ad beneficium simplex sive capellaniam juxta reditus, suppresso canonicatus titulo fundatio reduceretur. Verum in irritum preces abierunt; imo cogi ad residendum S. C. respondit: *Alexandrina, Suppressionis canonicatus*, 17 *junii* 1702.

3. Deputati ecclesiæ Beatissimæ Virginis de Provenzano in exequutionem piæ dispositionis Lælii Taja, qui erectionem dictæ ecclesiæ in collegiatam, nec non quatuor canonicatuum ordinaverat, non solum prædictam erectionem, sed etiam aliorum quatuor canonicatuum, ex reditibus ecclesiæ, qui ascendere ad scut. 2000 exposuerant, obtinuerunt. Verum enunciata summa verificata haud fuit, imo inde diminuti reditus fuerunt. S. C. vero illam erectionem sustineri volens, declaravit esse locum suppressioni in præsenti, quoad duos canonicatus vacantes, et quoad alios duos quando per cessum, vel decessum vacaverint: *Senen., Suppressionis canonicatuum*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 11.

4. Suppressio canonicatus unius ex septemdecim ecclesiæ cathedralis peracta ab Episcopo occasione ecclesiæ visitationis ob redituum tenuitatem, ut proventus ipsius reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis adjiceretur valida est. Canonicus enim fabricius, cujus præbenda canonicalis suppressa fuit absque tamen ejus præjudicio, defuncto Episcopo ad S. C. reclamaverat: *Cæsenaten., Suppressionis canonicatus*, 25 *sept.* 1728.

5. Incorporatio canonicatuum, seu præbendarum S. Romarici, et Sanctæ Crucis nuncupatorum aliis octo canonicatibus altaris majoris nuncupatis capituli ecclesiæ S. Petri Romaricomontis, illorumque æquiparatio, etiam quoad onera, et functiones firma est, prout decretum visitationis Card. de Rohan statuit; ita ut inter omnes canonicos, qui canonissis subjiciuntur, nulla ordinis distinctio, emolumenti, ac functionum intercederet: *Tullen.*,

[45] Vide not. 52.

seu Nullius S. Petri Romaricomontis, *Visitationis*, 13 *januar*. 1731, *dub*. 3.

6. Suppressionem canonicatus, quem Antonius Consorti fundavit in ecclesia frimatiali Pisanæ dote exigua constituta annua scut. 60, ut etiam distributiones perciperet, quas capellani inserviendo ecclesiæ exigunt, propter ipsius diminutos fructus, ita ut ad simplex beneficium reducatur, S. C. denegavit: *Pisana*, *Canonicatus*, 14 *april*. 1736.

7. Canonicatuum duorum, qui in Ecclesia collegiata S. Georgii *di Sassuolo* loco Mansionariarum, quam fundavit Constantius de Teggis, erecti fuerunt, redituum exiguitate spectata, ac propter aliorum canonicorum, qui sub variis conditionibus hanc receperunt fundationem, dissidia, unio a patronis in unum canonicatum petita fuit. Sed. S. C. hanc unionem obstante capitulo ob chori jacturam haud largita est: *Regien*., *Unionis*, 4 *maii* 1737.

8. De canonicatibus duobus in ecclesia collegiata S. Pauli terræ Fortii a Volumnia Angeletti institutis, antequam ad unum illi reducantur, ratione fructuum tenuitatis S. C. ad preces exhibitas voluit, ut firmetur antea status hæreditarius coram vicario generali Card. abbatis, deputata ab eodem persona sibi benevisa pro creditorum exactione sumptibus hæreditatis: *Nullius seu Farfen*., *Unionis canonicatuum*, 21 *novemb*. 1739.

9. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Majoris oppidi Lumelli postulantes, ut unio a cardinale de Rubeis anno 1588 de canonicali præbenda in terra S. Georgii sita ad augendas tenues capituli distributiones, ac ad divini cultus incrementum facta, confirmaretur; favorabilem sententiam ad formam nempe instrumenti anni prædicti 1588, impetrarunt: *Papien*., *Unionis*, 16 *januar*. 1751.

10. Canonicatus, cum onere interveniendi choro diebus tantum festis, et celebrandi Missas octo quolibet anno fuit erectus a fratribus cesarinis in cathedrali ecclesia, quum inutilis ob redituum tenuitatem in annuis scut. 24, compertus fuerit, capituli consensu interveniente, una cum Episcopi voto, qui tantum eleemosynam quamdam pro ecclesia postulaverat, commutatus fuit in simplex beneficium, ipsismet fundatoribus rogantibus, et translatus in ecclesiam parochialem villæ Strada diœcesis Civitatis Plebis, unde fundatores originem ducebant, imposito tamen onere annuo Missarum, arbitrio Episcopi, et soluta eleemosyna per oratores ex propria pecunia ab Episcopo taxanda: *Clusina*, *Commutationis beneficii*, 31 *julii* 1751.

11. Vetustate collabescente templo capituli oppidi Fossensis, et fabrica reditus tenuissimos habente, nullaque spe ex canonicorum congrua aliquid colligendi ab Innocentio XIII, Pont. Max., per vicennium canonici obtinuerunt, ut fructus canonicatuum vacantium per obitum spatio duorum annorum in causam fabricæ converterentur, et ut fructus illorum canonicatuum, qui aliter quam per obitum vacarent, unius dumtaxat anni spatio in eamdem causam erogarentur. Deinde hoc indultum prorogatum ad decennium fuit. Demum elapso indulti tempore, et nondum absoluta fabrica, imo infortuniis in bonis capituli passis ex temporario perpetuum fieri indultum expostulant; verum S. C. respondere pro gratia ad decennium placuit: *Leodien*., *Indulti*, 24 *aug* 1754.

12. Canonicatus suppressio, quæ poscebatur pro fabrica ecclesiæ cathedralis, uti ultimum remedium extraordinarium, quo provideri ei possit, denegatur: *Hortana*, *Suppressionis canonicatus*, 22 *novem*. 1755.

13. In prima proxima vacatione locus non est dismembrationi canonicatus de jurepatronatus societatis S. Laurentii terræ Tophiæ a massa communi capituli ecclesiæ collegiatæ dicti loci, nam inter pacta erectionis dicti canonicatus occasione concessionis capellæ majoris collegiatæ præfatæ cum societate inita, fuit ut sodalitium bis promissum supplementum ei traderet, quia census a capitulo in annuis fructibus scut. 30 accepti, ad 20 decreverunt. *Nullius seu Farfen*., *Canonicatus*, 16 *junii* 1770, *dub*. 1.

14. Joan. Paulus Petruccinius testamento cavit, ut si factus esset locus successioni suæ hæreditatis in favorem alicujus ex familia Figliacci, is, qui succederet, teneretur unum fundare canonicatum annui reditus scut. 100 in ecclesia cathedrali cum onere celebrationis Missarum 100; alias casu, quo deficiant hæredes, hæreditatem eadem ecclesia accipiat cum onere tot erigendi canonicatus annuorum scut. 100. Propter varias lites hodie ad valorem vix scut 1700 as ascendit, cujus integri reditus satis non sunt pro unico canonicatu erigendo annuorum scut. 100. Hinc supplicavit capitulum erigendum esse beneficium residentiale, et chorale, ac propterea commutationem voluntatis petivit. Et S. C. annuit pro commutatione tantum juxta votum Card. Episcopi [46] in reliquis ad mentem [47]: *Prænestina*, *Commutationis voluntatis*, 19 *april*. 1777.

15. Parochus ecclesiæ collegiatæ S. Donati, et SS. Petri et Pauli montis Ulmi, quæ ex duabus ecclesiis conflata fuit, ad deponendum coadjutorum onus exorat, ut binæ erigantur vicariæ perpetuæ una per suppressionem canonicatus de suo jurepatronatus in ecclesia S. Donati, et altera per suppres-

[46] Vide not. 35, verbi *Beneficia ecclesiastica*.

[47] Vide not. 36. *ibid*.

sionem capellaniæ de jurepatronatus communitatis; sed S. C. negativum dedit ei responsum addendo ad mentem [48]: *Firmana, Erectionis*, 18 *aug*. 1787.

16. Nicolaus Augustinus Porfidi fundavit in ecclesia collegiata oppidi S. Victoriæ canonicalem præbendam ac post nonnullos vocatos reliquit jus nominandi capitulo sub lege uniendi fructus mensæ capitulari. Ultimo vocato defuncto petiit pro applicatione vacantis præbendæ in dimissionem alieni æris, quod ad construendam ecclesiam in summa scut. 8000 ex auctoritate S. C. contraxit. Et ad vicennium juxta Episcopi votum, dempta nempe tertia parte pro distributionibus canonicorum, qui consenserunt *senza nostro pregiudizio* applicationem S. C. indulsit: *Firmana, Præbendæ*, 26 *martii* 1791, *dub*. 2.

17. Jam obtinuerant canonici ecclesiæ collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo duorum caconicatum Ubertini et Mei, et facultatem creandi censum scut. 1000; sed post ocularem inspectionem visitatoris delegati summam illam non sufficere compertum est; hinc rogitant tertii canonicatus suspensionem, qui nuper vacavit, ut contrahere censum possint scut. 2500, quod requiruntur ad fabricam perficiendam; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. archipresbyteri basilicæ Lateranensis [49]: *Senogallien., Fabricæ ecclesiæ*, 20 *febr*. 1796, *dub*. 1.

18. Inde ad dubium, an, et quomodo sit locus suspensioni tertii canonicatus, et prorogationi alterius jam concessæ canonicatuum Ubertini et Mei? respondit S. C. affirmative juxta votum Card. archipresbyteri [50] quoad canonicatus Ubertini et Mei: *Ibid.*, *dub*. 2.

§ III.

Canonicatus quoad dotem, seu dotationem.

1. Franciscus Riccius in suo testamento assignavit libras bismille, et in codicillo tot stabilia reditus librarum 600 pro erectione canonicatus in ecclesia collegiata S. Michaelis cum onere Missarum. Sed quum dos constituta in codicillo non conveniret oneribus impositis; quæsitum fuit in S. Congregatione an in erectione canonicatus sit statuenda non solum bona stabilia annui reditus librarum 600, uti in codicillo; sed etiam sors librarum 2000 in testamento attributa? rescriptum prodiit affirmativum: *Placentina, Erectionis canonicatuum et legatorum*, 20 *febr*. 1712, *dub*. 1.

2. Laura Ambrogetti mandavit erectionem trium canonicatuum saltem scut. 1000 dotis, et verba de tertio faciens, prævia nominatione Josephi Bertini, exequutori jussit, ut hic erigatur *col rimanente della mia eredità, che potrà essere col vendere il grano, vino etc.* Omnibus solutis legatis reliqua summa ascendit ad scut. 4240 quæ dictus Joseph pro dote sui tertii canonicatus erigendi postulavit. S. C. autem canonicatum, ad quem fundatrix Josephum præfatum nominavit, dotem esse constituendam in scut. 1000 pro nunc, et quoad reliquum hæreditatis particulariter videri statuit: *Sutrina, Canonicatus*, 4 *decem*. 1723.

3. Occasione erectionis canonicatus instituti a comite Guido Ubaldo Paciotti in ecclesia cathedrali capitulum excepit bona, quæ in dotem tradi debent, pluribus esse hypothecis obnoxia, hinc S. C. voluit dotem esse solvendam in pecunia numerata ad effectum investiendi in tot locis montium Cameralium non vacabilium libere juxta fundationis legem, et Archiepiscopum incumbere exequutioni: *Urbinaten., Erectionis canonicatus*, 6 *junii* 1750.

4. Canonicatuum dos volita a testatore canonico Anselmo Carlini in censibus, quum omnia bona vendi, et census acquirere mandaret, non est constituenda in tot stabilibus bonis; etsi damnosa venditio videatur: *Montis Alti*, 1 *febr*. 1766.

5. A patrona societate S. Laurentii terræ Tophiæ soluta dote annua scut. 30 in tot censibus in collegiata ecclesia dicti loci canonicatus erectus fuit. Decrevit hæc dos usque ad summam scut. 20, et inde actum fuit in S. C. de illius dismembratione a massa communi capituli, quam S. C. denegavit; deinde eadem S. C. societatem prædictam teneri supplere fundum dicti canonicatus usque ad summam scut. 30, et in eadem summa manutenere deliberavit: *Nullius seu Farfen., Canonicatus*, 16 *julii* 1770, *dub*. 2.

6. Necnon augmentum hujusmodi solvendum etiam esse a societate pro tempore præterito a die nempe motæ litis, a quo capitulum integre dicta summa annua scut. 30 non percepit, sancivit: *Ibid.*, *dub*. 3.

7. Canonicatum instituit Lancislaus Lignani in cathedrali ecclesia cum onere chori et Missarum.

[48] « Mens est, ut Archiepiscopus cogat præpositum Barba ad redditionem rationis cum interventu deputatorum interesse habentium. » *Ead. causa*, 18 *aug*. 1787.

[49] Qui ait: « Postulat ergo necessitas, ut ad consulendum ulteriori reparationi, et decori ecclesiæ locus sit imploratæ suspensioni collationis tertiæ præbendæ... tali enim pacto de facili æs alienum non majori tamen usura scut. 4, in singula centum pro quolibet anno. » *Ead. causa*, 20 *febr*. 1796, § 6.

[50] Qui putat spatio 27 annorum æs alienum dimitti posse quia pro necessitate ratatim sumitur pecunia; et suspensionem tertii canonicatus nullum damnum servitio chori afferre affirmat: *Ead. causa*, 20 *febr*. 1796, § 7.

Ugolinus Gualterotti hodiernus canonicus passus est in judicio liberationis a molestiis exequutionem super meliori fundo canonicalis præbendæ pro summa scut. 240, vigore obligationis fundatoris. Hinc ad eam removendam implorat facultatem vendendi domunculam terræ motu læsam cum adnexo hortulo, et duo prædiola unita canonicatui; et S. C. annuit juxta votum Episcopi, nempe cum obligatione annui depositi scut. 12 in redintegrationem fundi canonicalis: *Civitatis Castelli*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 1.

§ IV.

Canonicatus quoad fundationem et erectionem.

1. Censuit S. C. erectionem canonicatuum, de quibus agitur esse validam, ac propterea duos canonicos ab Episcopo, ut proponitur, institutos habere stallum in choro, et vocem in capitulo, aliisque canonicis post eorum institutionem provisis præcedere, atque honoribus, ac præeminentiis omnibus frui debere, quibus canonici antiquiores potiuntur: *Senogallien.*, 25 *febr.* 1617.

2. Dubio disceptato, an erectio duarum curatarum capellaniarum cathedralis ecclesiæ in canonicatus collativos per concursum ad augendum canonicorum numerum ab eo facta sit valida? responsum fuit, ut exhibeatur tenor erectionis. Hac in authenticam formam exhibita ab informante pro Episcopo, S. C. decidit erectionem præfatam validam esse: *Mazzarien., Erectionis canonicatuum*, 20 *sept.* 1692.

3. Dubio allato, an procedere possit, et debeat ad erectionem duorum canonicatuum, vel capellaniarum, non obstante capituli dissensu? rescripsit firmandum esse statutum hæreditatis, et redituum canonicatuum erigendorum; et canonicatuum erectorum: *Amerina, Erectionis canonicatuum*, 25 *junii* 1695, *dub.* 1.

4. Quum testator demandasset erectionem unius canonicatus relicto jurepatronatus ei, qui erat filius circitoris urbis, et ob id canonicatus erectioni contradiceret capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Plebis, proposito dubio: An vice præbendæ canonicalis sit erigendum simplex beneficium cum eodem onere Missarum, et sub eadem reservatione juris patronatus ad formam testamenti? rescripsit, affirmative duplicato onere Missarum, et servata in reliquis testatoris voluntate: *Aretina, Capellaniæ, seu Canonicatus*, 29 *nov.* 1698. Deinde non acquiescens orator pro ultima rescripti parte, rediit in S. C.; et in decisis decretum accepit: 19 *febr.* 1701.

5. Capitulum et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris erectionem ordinatam a Francisco Blancone acriter impugnant. Indecorum ipsis videtur, dictum canonicatum conferendum esse clericis ignobilibus consanguineis testatoris, quibus non existentibus, aliis ab artificibus, vel villicis progenitis vel honestis parentibus; ob id causam in Rota Maceratensi egerunt, inde remitti rem ad S. C. pro voluntatis commutatione curarunt, sed S. C. nihil statuere ob litem in dicta Rota pendentem existimans, respondit, ad D. secretarium cum auditore Sanctissimi juxta mentem [51]: *Maceraten., Commutationis voluntatis*, 2 *decem.* 1702. Deinde rescripsit, ut audiatur rev. fabrica S. Petri. Nam commissarius dictæ fabricæ post Rotæ prædictæ judicatum præfigi terminum pro commutatione voluntatis obtinenda curaverat, ac fabricæ elapso termino fundum eidem canonicatus applicaverat: 31 *maii* 1704. Deinde non intrare privilegium rev. fabricæ, et esse locum voluntatis commutationi mansionariam erigendo, firma in reliquis remanente testatoris dispositione, respondit: 30 *aug. ejusd. anni.*

6. Inspecta redituum diminutione causa litium ex bonis, quæ eques Angeluccius de Angeluccis reliquit pro quatuor canonicatuum erectione in ecclesia collegiata terræ Castilionis, exequutores testamentarii supplicarunt, ut eis facultas sit erigendi quatuor beneficia simplicia, vel cum residentia, aut duos canonicatus prout capitulum exoptat, ac duo simplicia beneficia. Erectionem vero quatuor canonicatuum cum conditionibus præscribendis a Card. præfecto S. C. mandavit. Etiamsi reditus totius assis in annua scuta 360 juliorum decem cum dimidio pro quolibet scuto consisterent: *Aretina, Erectionis canonicatuum*, 5 *maii* 1703, *dub.* 1.

7. Denegavit S. C., ut loco erectionis præbendæ canonicalis in ecclesia cathedrali a sacerdote Julio de Onedo demandatæ, erigatur beneficium simplex cum titulo abbatiæ, et cum iisdem oneribus, ac jurispatronatus reservatione ad formam ejusdem testamenti; licet ecclesia cathedralis, et substituta ei ecclesia collegiata S. Antonini renuerint illius canonicatus erectionem acceptare. Et inficians S. C. prædictam commutationem, erectionem faciendam esse canonicatus cum augmento sortis assignatæ librarum 7000 in cathedrali, et capitulo renuente in prædicta collegiata juxta votum Episcopi [52]: *Placentina, Commutationis voluntatis*, 18 *febr.* 1702.

[51] Eaque fuit, ut vel tota causa ex integro ad S. C. remitteretur, vel expectaretur exitus causæ, vel res judicata prædictæ Rotæ: *Ead. causa*, 30 *aug.* 1704.

[52] Censuit Episcopus locum esse instantiæ oratoris, addito tamen onere beneficiato præter onera Missarum a testatore præscripta, unius anniversarii sex Missarum privatarum in compensationem residentiæ reservato jurepatronatu lineæ masculinæ primo vocatæ, et substitutæ, iisque deficientibus liberum evadat. Idem refert, bona relicta a testatore ex pensionibus decursis cumulatam sum-

8. Ex mansionariis, qui Episcopo, et dignitatibus ob canonicorum repugnantiam pro diacono, et subdiacono inservire consueverant, idem Episcopus de consensu majoris partis capituli duos canonicatus creavit sub titulo diaconi, et subdiaconi cum præbenda distincta, nihil a capitulo detrahendo. S. C. quæsita de hac erectione, eam non esse validam declaravit : *Iserniem.*, *Erectionis canonicatuum*, 5 *sept.* 1705, confirmata 14 *novem. ejusd. anni*.

9. Capitulum ecclesiæ cathedralis per actum capitularem dispositionis Antonii Paglialungæ exequutioni obstitit, quum trium canonicatuum erigendorum fructus duorum ex canonicatibus ecclesiæ cathedralis minime æquarent ; sed capitulum acceptare erectionem illorum pollicitum est, quoties fructus augerentur. Hinc eo instante non esse locum erectioni præfatæ ad formam testamenti, ita ut capitulum sit cogendum, S. C. sancivit : *Grossetana*, *Erectionis canonicatuum*, 19 *junii* 1706, *dub.* 1.

10. Et esse locum erectioni extra gremium capituli ad formam canonicorum de Crispis censuit : *Ibid.*, *dub.* 2. Deinde Ansanus Bondonus hæres fundatoris, et patronus institit, ut potius unus erigeretur canonicatus de gremio capituli, ceterorum canonicatuum privilegiis fruens ; et S. C. recessit a decisis, jussitque duorum canonicatuum erectionem cum voto, et stallo sine tamen ammensatione bonorum : 4 *junii* 1707.

11. Erectio sex canonicatuum in ecclesia cathedrali cum applicatione facta ab Episcopo Ribero sortis scutorum 800 ex fructibus debitis seminario, non sustinetur : *Nicoteren.*, *Erectionis canonicatuum*, 10 *julii* 1706, *dub.* 1.

12. Et ad dubium, an posita dicta nullitate erectionis sit convalidanda canonicatuum erectio saltem theologalis, et pœnitentiarii, applicando eisdem annuos duc. 40, qui solvuntur a mensa Episcopali tribus beneficiatis cum eisdem oneribus ? rescriptum fuit, uti jure suo ad formam Concilii [53] : *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Jam erecti erant duo canonicatus in ecclesia collegiata SS. Petri et Catharinæ Roncilionis ex fundatione Francisci Bruscia prævia canonicorum acceptione, quando causa obitus Lucretiæ Francisci uxoris tertii canonicatus erectione locus factus est ; sed canonici illum acceptare renuerunt, et hæres exorat, ut illum possit erigere in ecclesia S. Andreæ absque onere servitii chori, in qua testator, in casu canonicorum recusationis, erectionem mandavit. Sed S. C. negativum præbens responsum, injunxit Episcopo, ut cogat canonicos ad erectionem tertii canonicatus ad formam testamenti : *Sutrina*, *Erectionis beneficii*, 26 *martii* 1707.

14. Deputati ecclesiæ B. V. de Provenzano in exequutionem voluntatis testatoris Lælii Taja, qui erectionem dictæ ecclesiæ in collegiatam, ac quatuor canonicatuum ordinavit, ab Urbano VIII, Pont. Max., erectionem præfatam obtinuerunt, quam nullam S. C. renunciavit. Nam Pontifici summo illi exposuerant reditus ecclesiæ in scutis 2000, qui comprobati non fuerunt, imo inde diminuti : *Senen.*, *Suppressionis canonicatuum*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 1.

15. Conquesti sunt capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis, quod Episcopis nullo præquisito consensu, ac juris ordine non servato ad erectionem trium canonicatuum in dicta ecclesia de jurepatronatus familiæ Galellæ, assignata dote cujusdam capellaniæ simplicis in ecclesia PP. Conventualium ab Alexandro Galella fundatæ devenerat. De hac quæsita S. C. præfatam erectionem præter numerum canonicorum ecclesiæ cathedralis noviter factam per Episcopum non sustineri constituit : *Murana*, *Erectionis canonicatuum*, 12 *dec.* 1711, *dub.* 1.

16. Nec iidem validam esse erectionem alterius canonicatus jurispatronatus laicorum familiæ Jasillæ, pariter ab Episcopo factam judicavit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 2.

17. Franciscus Riccius canonicatus sub verborum involucro in collegiata ecclesia S. Michaelis erectionem, ac Missarum onera assignata tum in testamento, tum in codicillo dote ordinavit. Fructus vero hæreditarii impares inventi fuerunt ad voluntatis exequutionem subeundam, et petito S. C. oraculo : hæc in erectione canonicatus, de quo agitur, esse assignanda non solum bona stabilia annui reditus lib. 600 in codicillo assignata, sed etiam sors libr. 2000 assignata in testamento, decernit : *Placentina*, *Erectionis canonicatus, et legatorum*, 20 *febr.* 1712, *dub.* 1.

18. Demandata erectione novi canonicatus in cathedrali ecclesia ab Innocentio de Comitibus, capitulum suum consensum præstitit sub pluribus conditionibus, et præcipue, quod novus canonicus semper stare debeat in ultimo stallo ; quod perpetuo careret voce activa, et passiva in capitulo, quod nunquam ipse vel sui successores de legatis, aliisque largitionibus in futurum relinquendis capitulo,

mam librar. 7,253 esse, capitulum cathedralis retinere ex administratione facta usque ad annum 1690 libr. 18,488, quibus additis libr. 6,000 retracto ex lucro dotali Ersiliæ de Rubeis conflari summam libr. 31,741, quam totam assignari putat in augmentum libr. 7,000. Et quoties non posset erigi in cathedrali erigatur in collegiata S. Antonini, ibidem a testatore volitum canonicatum : *Ead. causa*, 14 *januar.* 1702, § 3.

53 Vide not. 62, verb. *Beneficia ecclesiastica*.

et canonicis perciperet; quod in casu absentiæ amitteret distributiones quotidianas applicandas ecclesiæ, vel sacrario; et ipse demum de punctaturis canonicorum absentium haud participet. De hisce conditionibus quæstio orta est; et S. C. esse locum erectioni juxta conditiones præscribendas a Card. præfecto [54] resolvit: *Alatrina*, 18 *febr.* 1727.

19. Fundatum est beneficium sub titulo Sanctissimæ Annuntiationis a sacerdote Francisco Biffi in ecclesia parochiali S. Stephani oppidi Casalis Majoris de jure patronatus suæ familiæ, qua deficiente ad beneficiatos dictæ ecclesiæ, et cum conditione, ut erecta ecclesia in collegiatam juspatronatus ad canonicos spectaret, dummodo inter præbendas canonicales adscriberetur Ecclesiæ prædictæ in collegiatam erectione adhuc actu, et cum effectu non sequuta prævia signatura, ac litterarum apostolicarum expeditione, vacavit beneficium illud; ob id oritur dubium: an durante familia de Biffis locus sit illius beneficii erectioni in canonicatum, seu in præbendam theologalem? et S. C. posse erigi in simplicem canonicatum decrevit: *Cremonen.*, *Erectionis præbendæ theologalis*, 2 *julii* 1729, *dub.* 2.

20. Deinde quæsitum fuit, an modus alias exhibitus [55] quoad erectionem collegiatæ prædictæ, et approbatus a S. C. sit reformandus juxta novas resolutiones S. C.? remisit rem ad Card. præfectum: *Ibid.*, *dub.* 5.

21. Sacerdos Franciscus Vanna erectionem canonicatus in ecclesia cathedrali sub nonnullis conditionibus jussit, ut nempe vocem in capitulo habeat, et ordinis esset presbyteralis, ac ut solveret mediam annatam sacrario ecclesiæ. Has conditiones, excepta voce in capitulo, quam habere posse ipse fundator, non autem successores conventum est, capitulum acceptavit; et idcirco Episcopus ad erectionem, et institutionem devenit, et possessio sequuta fuit; sed postmodum ab utraque parte cœpit displicere, quod antea placuit Ideo S. C. illam erectionem minime esse approbandam resolvit: *Viterbien.*, *Erectionis canonicatus*, 14 *maii* 1729, *dub.* 1, *et* 2.

22. Firmandam censuit S. C. erectionem duorum canonicatuum, quos erigi mandavit Dominicus Miccinellus, quam erectionem Episcopus ad formam testamenti peregit, conditionibus omnibus a capitulo oblatis rejectis; exceptis, ut non participet de legatis relictis ante erectionem canonicatuum, nec de punctaturis antiquorum canonicorum absentium. Nam reliquas conditiones uti superfluas, quas capitulum apposuit, S. C. amandavit: *Sabin.*, *Erectionis canonicatus*, 18 *novemb.* 1730.

23. Ut divino cultui, animarumque curæ, quæ præposito ecclesiæ S. Nicolai oppidi Montis Prandoni incumbebat, uberius consuleret Episcopus sex alios quatuor canonicis adjunxit; et horum duobus assignavit dimidiam partem proventuum præposituræ, quos adjuvare præpositum in animarum curæ exercitio alternis hebdomadis semper debere voluit. Fundationem hanc canonicatuum, et præpositurae avulsionem ratam habuit S. C. anno 1647, confirmavitque Urbanus VIII, Pont. Sum. Sed præpositus Ascanius Ulpianus obstitit, et nemini duo illi canonicatus collati fuerunt. Vacante modo præpositura capitulum instat, ut redintegretur status per Episcopum decretus, et auctoritate apostolica confirmatus. Res in S C. delata, causa minime fuit definita, sed injunctum, ut firmaretur status fructuum præpositurae, et pro informatione scriberetur Episcopo viciniori: *Ripana*, *Præpositurae*, 17 *novemb.* 1731. Postmodum S. C. definivit, ut servaretur præfatum decretum anni 1647, et ex medietate fructuum certorum præpositurae redintegretur erectio duorum canonicatuum cum onere coadjuvandi præpositum in cura animarum, prævio examine coram Episcopo: 24 *januar.* 1733.

24. In urbe Ariani, anno 1450, Nicolaus V, Pont. Max., collegiatam instituit ecclesiam S. Angeli cum quinque canonicatibus. At Episcopus ad divinum cultum amplificandum in ea ecclesia tres novos addidit canonicatus, ob quos, ut congruam constitueret dotem, annuorum proventuum, quibus quatuor aliæ ecclesiæ fruebantur, ratam partem avulsit. Contra hanc erectionem ecclesiarum rectores recla-

[54] Et in hunc modum fuerunt præscriptæ, videlicet, canonicatum erigendum esse cum omnibus juribus, honoribus, prærogativis, et oneribus instar aliorum canonicorum, cum hoc tamen, quod novus canonicus in negotiis interesse tantum canonicorum antiquorum respicientibus non habeat vocem activam, nec passivam in capitulo, sicut etiam, quod non participet de legatis, et anniversariis in præteritum relictis, et quod in massa distributionum quotidianarum conferat scuta 20 annua constituentia tertiam partem sui canonicatus, ad effectum, ut ipse, et omnes alii canonici æqualiter hinc inde participent de punctaturis absentium, et quod teneatur ad onera ordinaria, et extraordinaria tam in ingressu, quam in progressu uti alii canonici. *Rel. in Sabinen.*, *Erectionis canonicatuum*, 13 *aug.* 1729, § 5.

[55] Modus autem inter cetera ad præsentem controversiam spectantia in hoc stetit: ut erectio collegiatæ fuerit cum archipresbytero, et duodecim canonicis, quorum alter sit theologalis, et erigatur, nunc pro tunc ex beneficio sub titulo Sanctissimæ Annuntiationis, quando quomodocumque vacaverit, quodque omnes canonicatus, salvis regulis Cancellariæ, conferri deberent ab Ordinario, exceptis nonnullis canonicatibus, et excepto etiam (sunt verba dicti modi) canonicatu theologali, qui sit de jurepatronatus familiæ Biffi, et ipsa extincta, transeat ad collegiatam juxta dispositionem fundatoris: *Ead. causa*, 2 *julii* 1729, § 3.

marunt, et excitata quæstio exitum nullum habuit: nunc autem quinque canonici antiquæ erectionis controversias redintegrarunt adversus novæ erectionis canonicos, impugnantes in primis ejusdem erectionis validitatem, qua admissa duodecim proponuntur definienda dubia, ad quæ rescriptum est: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [56]: *Arianen.*, *Canonicatuum*, 28 *febr.* 1733, *dub.* 1., 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 et 13.

25 Matthæus Ventura collegiatæ ecclesiæ S. Bartholomæi Murri Vallium canonicus erectionem capellaniæ cum Missarum onere designavit. Archiepiscopus ac canonicorum dictæ ecclesiæ instantiam onere injuncto a testatore demandato canonicatum erexit; eidem addixit censum quemdam ad massam communem spectantem, ac bona a capitulo destinata, ut in exercitio animarum curæ parochum coadjuvaret; demum novum canonicum ad æqualem distributionum quotidiniarum partitionem admisit. His peractis mansionarii ejusdem ecclesiæ reclamarunt, et de nullitate erectionis ipsis inconsultis confectæ autumarunt, et S. C. in eorumdem sententiam ivit: *Firmana*, *Erectionis canonicatus*, 11 *sept.* 1734, *dub.* 5. Posthac petita sanatione, ut erectio convalidari possit, S. C. eam indulsit, addito tamen, quod ad jus præsentandi admittantur etiam mansionarii: 5 *martii* 1735.

26. Erigi in ecclesia collegiata S. Stephani Novellariæ canonicatum Dominicus Barca mandavit, sed opponente dictæ ecclesiæ capitulo eumdem canonicatum erigendum tot fuisse gravatum a testatore oneribus, ut ex illius reditibus congrua conservatio canonico deficiat; de hac controversia S. C. deliberavit, ut Episcopus meliorem juxta instructionem [57] præbeat informationem: *Regien.*, *Erectionis canonicatus*, 19 *novemb* 1735. Dein erigendam esse capellaniam cum oneribus a testatore præscriptis eadem S. C. censuit: 17 *novem.* 1736.

26 Erectio quatuor canonicatuum ab Episcopo tempore visitationis in ecclesia cathedrali peracta invalida fuit adjudicata a S. C. Nam exponebatur, quod absque totius capituli legitimo consensu expleta erat ex reditibus ecclesiæ S. Francisci de Paula terræ Mottæ S. Luciæ, ex capellaniis, ac simplicibus beneficiis, quod commutatio voluntatum involvebatur, et e contra canonicorum cathedralis numerus ecclesiæ servitio satis exstabat: *Marturanen.*, *Erectionis canonicatuum*, 25 *januar.* 1738.

28. Erectionem egit Episcopus quinque canonicatuum in ecclesia cathedrali, quorum quatuor congruam dotem ex annuis reditibus societatum S. Joan. Culturæ, S. Antonii abbatis S. Mariæ Vetrana, et hospitalis S. Mariæ Lauretanæ constituit; quinto vero certam partem ratam ex portionibus mansionariorum educendam assignavit. Adversus hanc communitatis præsidens, vita jam functo Episcopo, repugnavit, exponens annuos prædictos reditus locorum piorum antea in expositorum, et infirmorum sublevamen, et alia pia opera impendi. Ideo S. C. enunciatam erectionem validam non esse, excepta quinti canonicatus erectione declaravit: *Neocastren.*, *Erectionis canonicatuum*, 3 *decemb.* 1740.

29 Præcepit sacerdos Theodorus Vlodrop canonicatus erectionem in ecclesia cathedrali, eique dotem constituit. Sed nonnullas adjecit conditiones, cum quibus accipi a capitulo exoptabat. Hæ vero juribus, ac capitularibus legibus detrimentum inferebant, ideo minime acceptatæ a capitulo fuerunt; et hac de causa supplicatum fuit pro erectione simplicis beneficii absque residentiæ, ac chori serviti onere; at S. C. dissensit, et præfigi terminum capitulo ad jura sua deducenda sanxit: *Ruremunden.*, *Erectionis canonicatus seu Beneficii*, 22 *julii* 1741.

30. Modernus Episcopus visitans suam cathedralem ecclesiam comperiit, functiones sacras ea, quæ par esset, decentia minime peragi, canonicis aut senio confectis, aut mala laborantibus valetudine, aut justa ex causa impeditis; hac de causa sex alios canonicatus veteribus duodecim adjunxit, parte magna capituli consentiente. Verum nonnulli tum ex canonicis, tum ex capellanis aut inservientibus, qui ad partitionem communis consortium massæ post sexennii servitium admittuntur, Episcopi decreto repugnarunt. Secundum itaque ea, quæ proposita S. C. fuerunt, decisum fuit, redintegrationem sex canonicatuum in præfata cathedrali ecclesia ab Ordinario per modum novæ erectionis factam ita validam esse, ut ad novos hos canonicatus, semper capellani, vel servientes ejusdem ecclesiæ promoverentur: *Potentina*, *Canonicatuum*, 24 *novem.* 1742.

[56] Itaque per novas litteras S. C. quæsivit ab Episcopo, primum, quisnam sit status ecclesiæ collegiatæ, de qua agitur, et an vere necessaria fuerit accessio trium novorum canonicatuum ad quinque antiquos, spectata conditione ecclesiæ, et loci. Deinde quisnam sit etiam status, in quo reperiuntur ecclesiæ illæ, a quibus facta fuit proventuum divulsio, et quænam essent onera, quibus destinati erant reditus ad novos canonicos translatos: *Ead. causa*, 28 *novem.* 1733.

[57] Quæ in his versata est, nimirum cujus valoris, et reditus esset pars bonorum a testatore alienata post testamentum, cujus itidem reditus sint bona, quæ modo superextant, et pro fundo dicti canonicatus assignata fuerunt, ad quam summam ascendant onera eidem canonicatui adnexa, et demum quæ onera ipse censeret, ad ratam partem diminutionis bonorum reduci posse: *Ead. causa*, 22 *sept.* 1736, § 2.

31. Quum hæreditas satis haud comperta sit ex firmatione status ad erigendum monasterium monialium in oppido Pontiani a canonico Martino de Dominis ordinatum, S. C. concessit commutationem voluntatis, nempe ut erigantur duo canonicatus in ecclesia collegiata ab abbate commendatario, designatis ab eo reditibus, ac bonis; et residuum redituum distribuendum esse in dotes voluit: *Nullius terræ Pontiani, Commutationis voluntatis*, 30 *januar.* 1745. Hæc erectio peracta fuit, sed quum ex qualitate bonorum desumi videatur gravamen canonicatuum; quia non residuum fuit dotibus assignatum; sed separatio bonorum per decreta visitationis facta fuit; hinc S. C. quæsita, esse exequendam bullam erectionis, et fundationis canonicatuum ad formam decreti sacræ visitationis mandavit: *Ibid.*, 12 *martii* 1796.

32. Nullam esse canonicatus erectionem, quam Episcopus inaudito capitulo in ecclesia cathedrali confecit, eique dotem cujusdam capellaniæ manualis a Simone Bonafe in ecclesia sodalitii Sanctissimi Rosarii fundatæ constituit, S. C. præfiniit: *Comaclen.*, 23 *aug.* 1749.

33. Erectioni locum esse canonicatus, non vero capellaniæ amovibilis in insigni collegiata terræ Otriculi, quam erigi exequutor voluntatis fundatricis curavit, S. C. decidit. Nam fundatrix Constantia Metelli, etsi primum arbitrio exequutoris erectionem commendaverit, tamen altero testamento idem arbitrium pendere voluit a casu, quo as hæreditarius ad conflandam dictam erectionem impar videretur. Reditus autem ad annua scut. 40 fere ascenderat: *Narnien.*, *Erectionis canonicatus*, 20 *decem.* 1749; confirmatur cum additione, ut Episcopus ad redditionem rationis incumbat: 27 *martii* 1751.

34. Erectioni canonicatus, quem fundavit comes Guidus Ubaldus Paciotti in ecclesia cathedrali, etsi obstet capituli dissensus quoad nonnullas conditiones a testatore omnino volitas, locum esse; ac dotem esse solvendam in pecunia numerata ad effectum investiendi in tot locis montium Cameralium non vacabilium libere juxta fundationis legem, et Archiepiscopo incumbere exequutionem decernere S. C. placitum est. Nam capitulum excipiebat bona, quæ in dotem tradi debebant, pluribus esse obnoxia hypothecis: *Urbinaten.*, *Erectionis canonicatus*, 6 *junii* 1750.

35. Erectio canonicatus ab Horatio Ventura fundati fieri mandatur titulo administrationis in favorem clerici septennio nati, præter conditionem, ut conferatur pueris septennio minoribus, et ante tonsuræ susceptionem titulo seculari. Hanc conditionem Card. abbas reprobavit, modumque insinuavit, ut fructus canonicatus in illo casu sub œconomo ab Ordinario deputando maneat, qui expletis Missarum, et aliis canonicatui adnexis oneribus, rationem de illis reddat, postquam puer effectus clericus canonicam institutionem obtinuerit, et juxta hunc modum S. C. fieri erectionem statuit: *Nullius seu Orbitellana, Erectionis, canonicatus*, 11 *martii* 1752.

36. Nicolaus Simoncellius post uxoris suæ obitum duos canonicatus erigi mandavit. In codicillis alterum consimilem erigi jussit canonicatum. At, quum ære alieno premeretur hæreditas, Episcopus necessariam esse prorogationem erectionis existimavit; sed petiit interim voluntatis commutationem ut nimirum hac hæreditate collegii potius, ac seminarii, quam canonicatuum fieret erectio; sed non impetravit. Diœcesis Auximi seminarium habebat: *Cingulana, Commutationis voluntatis*, 9 *sept.* 1752.

37. Pia mulier Margarita Bonvicini in ecclesia collegiata S. Pauli Apostoli civitatis Vallettæ canonicatum erigi imperavit. Inde eamdem fundationem confirmavit, titulum canonicatus, qua eadem ecclesia carebat, variando. At capitulo prima arrisit voluntas, non secunda, et canonicatus erectus fuit. Re autem ad S. C. delata, hæc variationem in prædictam cantoratus fundationem validam esse censuit: *Melevitana, Erectionis canonicatus sive Cantoratus*, 11 *aug.* 1753, *dub.* 1.

38. Carolus Hieronymus Palearius fundare cupiens canonicatum in ecclesia collegiata S. Magni terræ Legnani, vicarium capitularem Mediolanensem supplicavit, ut conditiones approbaret, canonicatumque erigeret. Consensit capitulum, et erectus fuit novus canonicatus. Testator mutato consilio, voluit, ut ea erectio non amplius exequutionem suam haberet; sed jussit, ut tot Missæ celebrarentur. Hinc petita voluntatis commutatione, Archiepiscopus retulit, res esse de pacto, actuque inter vivos, jusque ecclesiæ quæsitum jam esse. Hinc discussa causa, commutationi præfatæ locum haud esse S. C. declaravit: *Mediolanen.*, *Commutationis voluntatis*, 15 *decem.* 1753.

39. Canonicatus erectioni locus non fuit, quum Antonius Testa eum voluisset fundari in cathedrali ecclesia, adjectis nonnullis conditionibus; nempe nisi erectus fuisset intra biennium, bona omnia cedere debeant in favore convitricium Asculi, quibus S. C. adjudicavit. Nam canonicis refragantibus nonnullis conditionibus a testatore volitis erectio intra præfinitum biennium minime peracta fuit: *Asculana, Erectionis canonicatus*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 1, confirmata 18 *sept. ejusd. anni.*

40. Erectionem duorum canonicatuum ab Episcopo effectam post mortem substituti ad hæreditatem, prout testavit Sirius Joan. Marinius de Car-

ticeto in favorem ecclesiæ collegiatæ ejusdem loci, partis initis cum capitulo pro admissione esse validam S. C. voluit; non obstantibus quorumdam querelis ad illam impediendam de status hæreditarii haud expeditis rationibus : *Fanen* , *Erectionis canonicatuum*, 22 *martii* 1760, *dub.* 1.

41. Erectio canonicatus centum abhinc annis facta per abbatem commendatarium valida est; licet testator Sininius Piscitelli solum erigi mandasset capellaniam jurispatronatus in altari seu capella S. Stephani ecclesiæ S. Mariæ novæ terræ Tophiæ; neque locus est moderationi ad formam testamenti : *Nullius seu Farfen.*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 1.

42. Canonicatus juxta mentem testatoris Alberti Bonanni in ecclesia Hortana erigendi sunt, nec locus est commutationi voluntatis pro erectione capellaniarum chori onere adjecto, pro qua erectione nonnulli canonici capituli nomine S. C. efflagitarunt; quum causa urgens, ac gravis deficeret : *Hortana.*, *Erectionis canonicatuum*, 23 *april.* 1768, *dub.* 1, confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

43. Erectio canonicatus in collegiata ecclesia S. Andreæ Sublaei a testatrice Angelica Marini demandata, est facienda addito etiam jure crediti scut. 200 pro pretio domus venditæ noviter detectæ, de quo in concordia cum hæredibus usufructuariis inita nulla facta fuerat mentio : *Nullius Sublacen.*, *Erectionis canonicatus*, 17 *junii* 1769.

44. Sacerdos Joseph Piciocchius canonicus ecclesiæ cathedralis schedulam testamentariam exaravit, et sua subscriptione obsignavit. Hæc inde reperta fuit sub vase arenario ; et in hac relicto usufructu Catharinæ Barbarassi ejus matri, substituit ei erectionem unius canonicatus, quam vir suum proxime morti exoptabat. Sed neglecto illegali testamento prædicto illa erectio minime vero facta fuit ; indeque Joseph Silvestrelli Jacobi exequutoris testamentarii filius iterum eam ordinavit in suo ultimo elogio de bonis Catharinæ, aliisque, nonnullis Missis adjectis. Sed rev. fabrica S. Petri possessionem bonorum, donec erectio confecta fuerit, curavit. Ob id instante capitulo ecclesiæ cathedralis peragendam esse canonicatus erectionem ad formam testamenti Silvestrelli decernit S. C. *Viterbien.*, *Erectionis canonicatus*, 21 *junii* 1783, *dub.* 1. Deinde confirmavit decretum juxta modum [58] : 28 *maii* 1796, *dub.* 1.

45. Et ad dubium, an, quomodo, a quo tempore, et de quibus bonis debeantur fructus? rescripsit, affirmative juxta modum [59], et quoad fructus negative : *Ibid.*, *dub.* 2. Postea recessit S. C. decisis et deberi fructus rev. fabricæ quoad bona Josephi Silvestrelli a die obitus Cæsaris, detracta eleemosyna in celebrationem Missarum erogata : *Ibid.*, *dub.* 2. Denique confirmatur resolutio juxta modum [60] : 21 *januar.* 1797.

46. Quum erectione quatuor canonicatuum in ecclesia collegiata S. Christinæ explendæ, ac demandatæ a sacerdote Joanne Antonio Gili impares essent reditus prædiorum a Gili relictorum ad instantiam prioris dictæ ecclesiæ, et exequutoris testamentarii sacerdotis Gili, necnon nomine capituli, stante etiam patronorum consensu ; S. C. decrevit consulendum esse Sanctissimum pro commutatione voluntatis : *Eugubina*, *Commutationis voluntatis*, 8 *april.* 1786, *dub.* 1.

47. Itidemque consulendum esse Sanctissimum pro erectione quatuor mansionariatuum, minime vero pro erectione duorum canonicatuum decernit; conformior quippe menti testatoris dignoscitur erectio mansionariatuum, quibus idem servitium ecclesiæ præstatur : *Ibid.*, *dub.* 2.

48. Erectionem unius canonicatus, et trium mansionariatuum cum chori, ac nonnullarum Missarum onere in ecclesia collegiata terræ S. Joannis in Persiceto relicto jure illos assequendi in favorem suorum descendentium Laurentius Morisius præscripsit. Sed hæreditatis status impar fuit tot oneribus sustinendis; hinc inita concordia conventum est, ut canonicatus, et unica mansionaria eisdem cum oneribus a fundatore impositis erigerentur; altera mansionaria scut. 6 præbendæ theologali eisdem imperatis oneribus uniretur, ac tertia supprimeretur, ut ejus dos prædictis erigendis accresceret. Hujusmodi concordiam, dempta tamen tertiæ mansionariæ suppressione S. C. interrogata confirmavit : *Bononien.*, *Commutationis voluntatis et transactionis*, 17 *junii* 1786, confirmata 18 *aug.* 1787, *dub.* 1.

49. Quæsitum quum esset, an, et quomodo, et cum quibus conditionibus liceat Episcopi patronale beneficium in canonicatum ecclesiæ cathedralis erigere? S. C. in aliud tempus duxit resolutionem, et Episcopo juxta mentem scribi mandavit : *Albintimilien.*, *Vacationum*, 16 *junii* 1787, *dub.* 1.

50. Canonicatus erectionem demandavit S. C.

[58] « Nempe applicatis Missis tam pro Catharina Barbarassi, quam pro Josepho Sylvestrelli ; et Card. Episcopus statim procedat ad erectionem canonicatus, et amplius : *Ead. causa*, 28 *maii* 1796.

[59] Nempe erectionem canonicatus perficiendam esse ad formam testamenti Sylvestrelli ex bonis Catharinæ Barbarassi, una cum aliis ab eodem Josepho ad hunc effectum relictis : *Ead. causa*, 21 *junii* 1783.

[60] « Nempe deberi a die obitus Cæsaris, tum quoad bona Barbarassiæ, quam Sylvestrelli, et amplius : *Ead. causa*, 21 *januar.* 1797.

ad formam testamenti conjugum Romuli Vitali, et Mariæ Panci in ecclesia divi Blasii oppidi S. Viti, etsi nominatus a testatoribus Joseph Ronci ob ingenii tarditatem ad sacerdotium idoneus, ut onera adimplere possit, adhuc non evaserit : *Prænestina, Canonicatus*, 16 *junii* 1787, *dub.* 1.

51. Canonicatum designatum in communi testamento sanctæ Verri, ejusque filiorum canonici Angeli, et Franciscæ Antoniæ Piermartini, erigendum esse rescribitur in collegiata ecclesia S. Mariæ de Misericordia oppidi Belviderii juxta votum Card. archipresbyteri basilicæ Lateranensis, ad formam nempe novissimi testamenti canonici Angeli, qui illius fundum auxit, absque conditionibus volitis a capitulo collegiatæ vigore testamenti Verri : *Senogallien.*, *Canonicatus*, 11 *maii* 1793, *dub.* 1.

52. Mutua substitutione usufructus hæreditatis statuta fratres sacerdotes Joannes, et Joseph Porfiri erectionem capellaniæ in Noscomio S. Antonii abbatis oppidi Saxiferrati mandarunt. Sed Joanne defuncto Joseph utriusque revocavit dispositionem, et erectionem canonicatus in ecclesia collegiata ejusdem oppidi non immutatis oneribus Missarum jussit; hac super re S. C. consulta censuit canonicatum potius, quam simplicem capellaniam esse erigendum. Jus enim habebat Joseph suam revocandi dispositionem : *Nucerina*, *Commutationis voluntatis et transactionis*, 5 *april.* 1794, *dub.* 1.

§ V.

Canonicatus quoad incompatibilem, privationem et vacationem.

1. Posito quod in Gallia provisi de beneficiis curam animarum habentibus non teneantur residere, dummodo deserviant per parochum amovibilem ab Ordinario tamen approbatum; et canonicatum eodem tempore habeant alicujus ecclesiæ, in qua residentiam faciant, dubium ortum est, utrum canonici metropolitanæ ecclesiæ, qui hujusmodi prioratus canonicatibus non annexos curam animarum habentes obtinent, in alia tamen quam Avenionensi diœcesi, teneantur, vel prioratum, vel canonicatum dimittere, possintque eos ad id cogeri? respondetur teneri canonicos, qui post Concilium prioratum, et canonicatum adepti sunt, alterum dimittere, ut in altero resideant. Et quia per Concilium utroque privati intelliguntur (cap. 4, sess. 7 [61]), debere eos conscientiæ suæ consulere, turpeque esse non observare Concilium in ditione Sedis Apostolicæ, et pugnare pro ejus observantia in regno Galliæ : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 23.

2. Episcopus ob non residentiam canonici Andreæ de Godoi ecclesiæ collegiatæ de Uboda illum canonicatu privavit edictis contra eum latis, et examinatis nonnullis testibus super absentia, tantum non servata forma Concilii Trident., (sess. 24, cap. 12 [62]). S. C. censuit hujusmodi privationum non servata dicta forma esse nullam : *Giennen.*, *martii* 1587.

3. Crescente contumacia canonicorum non inservientium posse Episcopum procedere contra eos juxta dispositionem (cap. 12, sess. 24 in fin. [63]), sancitur : *Meliten.*, *maii* 1587, *dub.* 6.

4. Si canonici neglecta pœna distributionum amissionis abfuerint a divinis, oportere Episcopum procedere contra eos; etiam ad fructuum privationem, atque ad alia juris remedia servata forma ab eodem Concilio præscripta cap. 12, sess. 24 [64] : *Maurianen.*, 14 *febr.* 1625, *dub.* 1.

5. Quum Joannes Georgius Salvantonius canonicus ecclesiæ collegiatæ oppidi civitatis Novæ suam residentiam jam ab annis 7 deseruerit, atque servatis terminis a Concilio Tridentino præscriptis fructibus fuerit privatus; Archiepiscopus non posse expoliari, quum esset canonicatus assignatus titulo patrimonii sacri, quo fuit ordinatus, credidit. S. C. tamen locum esse privationi servatis de jure servandis sancivit : *Firmana*, *Privationis canonicatus*, 30 *maii* 1665.

6. Jacobus Tavanus possessor canonicatus ecclesiæ cathedralis numquam ad residendum accessit, unde prævia monitione judiciali, et transacto trium annorum spatio servatis servandis ille canonicatu fuit privatus. Hinc in S. C. egit, quæ statuit in causa privationis deberi servare dilationes trium annorum indictæ a S. Concil. Trid., sess. 24 *de Reform.* [65] : *Catacen.*, *Cononicatus*, 14 *nov.* 1671, *dub.* 1.

7. Inde sanxit observationem autem dictarum

[61] *De Reform.*, in quo legitur : « Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, et titulo contra formam sacrorum Canonum, et præsertim Constitutionis Innocentii III, quæ incipit, *De multa*, recipere, ac simul retinere præsumpserit; beneficiis ipsis juxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis canonis rigore, privatus existat. »

[62] Vide not. 65.

[63] Vide not. 65.

[64] Vide not. 65.

[65] Cap. 12, § *Præterea obtinentibus*, *de Reform.* Hodie in privatione beneficii respectu obtinentium dignitates, canonicatus, vel portiones in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, omnino servandus est ordo a Tridentino in cit. cap. præscripto. Is igitur est, ut primo anno absentes ultra tres menses priventur dimidia parte fru-

dilationum Sac. Concilii non esse in canonicatibus arbitrio Ordinarii relictam : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Et quum ageretur de canonicatu prædicto, qui solis distributionibus sive præbenda, aut alia massa grossa consistit, in illius privationem ob non factam residentiam in hoc casu fructus sequestri custodiæ mandandi, non autem temporum dilationes omitti possunt : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Et ad dubium : An, eo quod idem canonicus absens fuerit spatio plurium annorum, quibus elapsis fuerit tantum monitus, currat eidem terminus trium annorum a sacr. Concilio indictus, vel sex mensium a die absentiæ, vel a die primæ monitionis? S. C. respondit : Incipere triennium a die absentiæ : *Ibid*, *dub.* 4.

10. Deinde super liquiditate dubii 4 præfati fuit disputatum : An adversus canonicum non residentem procedi possit ad privationem juxta duorum canonum constitutiones post lapsum trium mensium et ultra tertii anni, vel expectandum, quod præteriisset tertius annus integer? S C. respondit : Expectandum esse triennium completum : 21 *maii* 1672.

11. Canonicum Bartholomæum Majonum unum ex coadjutoribus in curam animarum ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi oppidi Burgi Manerii, qui capellaniam possidet cum onere Missæ quotidianæ in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, posse eam retinere S. C. sancivit : *Novarien.*, 12 *dec.* 1705, *dub.* 5.

12. Erecto in ecclesia parochiali SS. Blasii et Domnini collegio sex canonicorum cum archipresbytero, firma tamen remanente communitate presbyterorum nuncupata *Consortium* inibi ab antiquissimo tempore instituta sancitum est, dictos presbyteros non posse obtinere canonicatum, et in consortio remanere : *Regien.*, *Consortii*, 23 *januar.* 1706, *dub.* 1.

13. Canonicatus cathedralis ecclesiæ privatio facta ab Episcopo, quod possessor ejusdem Martinus de Marco non residebat, valida non est Canonicus enim de non servata sacr. Concilii Tridentini forma conquerebat, ex defectu personalis citationis et de præbendæ canonicatus redituum maxima tenuitate in solos carolenos quatuor consistente, exceptis distributionibus quotidianis : *Isernien.*, *Canonicatus*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 1.

14, S. C. invocavit sacerdos Sylvester de Philippis, quod quum ipse assequutus esset institutionem ab Episcopo ad dua beneficia simplicia canonicatus, ad simplex alterum beneficium, sive perpetuam capellaniam, atque ad eorumdem titulum ab eodem Episcopo promotus ordines sacros fuerit, postea idem antistes cum minime auditum altero ex beneficiis, ac dicta capellania privavit, suspenditque ab exercitio sacrorum ordinum ; idcirco rogat, ut redintegretur, ac fructus ei restituatur, et S. C. annuit petitioni quoad capellaniam, ac fructus ordinumque exercitium. Episcopus enim instante promotore fiscali in prædictum sacerdotem super indebita retentione unius ex dictis canonicatibus incompatibilibus ratione residentiæ, ac memoratæ capellaniæ super eodem tecto ad privationem devenisse testatur : *Marsicana*, *Beneficiorum*, 24 *maii* 1710, *dub.* 1.

15. Jurispatronatus beneficium in ecclesia B. M. Gratiarum extra castrum Augugliani sita fundatum cum obligatione residentiæ paratis ad hanc a fundatore ædibus, ac celebrationis omnibus dominicis, ac festivis diebus Virgilius de Virgiliis obtinuit. Obtinuit nuper etiam canonicatum in cathedrali Anconæ. Et postulat nunc decidi num constet de eorum incompatibilitate? de ea quippe constare S C. decernit : *Anconitana*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

16. Causa absentiæ Francisci Marri canonici ecclesiæ cathedralis bina proposita fuerunt dubia : an pro tertio anno deveniendum sit servatis servandis ad canonicatus privationem, quum prædictus canonicus promotus fuerit ad sacros ordines ad titulum ejusdem canonicatus? et quatenus, affirmative. An debeat etiam suspendi ab ordinum exercitio cum titulo, et bonis omnibus fortunæ careat? quibus S. C. ad primum affirmative, assignato termino; et secundum non indigere declaratione rescripsit : 2 *maii* 1705. Inde terminus novem dierum proro-

ctuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecerunt suos, secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni ; ac demum, crescente contumacia, ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint, et debeant juxta sacrorum Canonum sanctiones ipso beneficio seu præbenda. Ex sacris Canonibus eruitur vetus Ecclesiæ disciplina circa beneficii privationem, statutam contra non residentes beneficiatos, sive animarum curam habentes, sive non, sed diverso ordine exequutioni demandandam. Alexander III, in cap. 3. *Quia nonnulli;* cap 4. *Relatum*, cap. 5, *Fraternitati, de Cleric.* statuerat, recta via privandos esse : Cœlestinus III idem decreverat, post quam vocati, seu citati, residere neglexissent, ut in cap. 8. *Ex parte* eod. tit. Innocentius III in cap. 10 *Inter quatuor* eod. tit. prius definierat, privandos esse, si post tempus, ab Episcopo præstitutum non rediissent. Postea limitando, statuerat, ut si nesciretur, ubi degerent, non redeuntes transactis sex mensibus a trina edictorum in valvis ecclesiæ publicatione, privarentur, ut in cap. 2. *Ex tuæ* dict. tit. Denique Gregorius IX, privandos pariter jusserat, si post canonicam monitionem, et præviam subtractionem fructuum, seu diariorum non rediissent, ut in cap. 16, *Cum ad hoc*, et cap. 17 *Clericos*, cit tit.

gatus, ad alios sex dies assignatus fuit, ac iterata intimatione, ac citatione ad valvas apposita, per sententiam canonicatu, ac præbenda privatus fuit. De hac privatione S. C. consulta legitimam esse cognovit, ita ut sit locus novæ provisioni: *Pientina, Privationis canonicatus*, 30 *aug.* 1710.

17. Possidebat canonicatum in collegiata ecclesia S. Ginesii Faustus Passerius, quando fuit ad simplex beneficium de jurepatronatus ejusdem familiæ in eadem ecclesia erectum præsentatus. Et licet exigui reditus sit beneficium hoc, tamen Episcopus ei conferre sub eodem tecto noluit, et dubitavit de necessitate dispensationis; sed S. C. quæsita, ut recurrat ad Episcopum [66] resolvit: *Camerin., Dispensationis*, 14 *novem.* 1716.

18. Proviso Francisco Farina possessori perpetuæ vicariæ cum cura animarum ecclesiæ cathedralis de pingui canonicatu ejusdem ecclesiæ, cum conditione prædictam vicariam dimittendi; idem efflagitavit pro facultate eam retinendi. Sed S. C. non esse compatibilem canonicatum cum vicaria respondit; quamquam vicariæ fundator pro canonico, seu presbytero seculari illam erexerit: *Casertana, Indulti*, 8 *aug.* 1716, *dub.* 1.

19. Emanavit sententia privationis canonicatus, quem possidebat in ecclesia collegiata S. Hieronymi Illyricorum de urbe Hieronymus de Pace. Hic per sex menses petita licentia se ad civitatem Curzulen, suam patriam, transferendi causa cujusdam litis super quadam capellania ab eo possessa, discessit ab urbe die 10 julii 1714, et die 21 januar. 1717 relaxatæ fuerunt litteræ citatoriales per edictum; ac 9 feb ejusdem anni affixæ ad januas cancellariæ urbis Anconæ, inde prævia exequutione emanata fuit privationis sententia 17 decem. dicti anni. Rediit ille vero anno eodem 31 dec., ac sequenti die choro interfuit, et appellationem interposuit, excipiens deberi citari personaliter, vel procedi per edictum affigendum ecclesiæ beneficii; et tempus conciliare transactum minime fuisse, quia hoc non a discessu, sed post sex menses debet supputare. S. C. de hac sententia privationis requisita, illam non esse validam censuit: *Romana Canonicatus*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 1.

20. Canonicis tam integræ, quam dimidiæ, et quartæ præbendæ ecclesiæ cathedralis, qui ordines sacros eorum præbendis canonicalibus adnexis assumere tenentur, si moram eorumdem assequutioni faciant, præter medietatis distributionum quotidianarum subductionem, ulterius præfigatur terminus quatuor mensium ad ordines sacros accipiendos, quo elapso Ordinarius auctoritate etiam S. C. ad privationem canonicatus procedat: *Ulissiponen., Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 9.

21. Si canonici hodierni collegiatæ ecclesiæ S. Mauritii prope urbem Hildesii erectæ, aliique canonicatus ordini presbyterali adnexos obtinentes infra annum promoveri se facere neglexerint, licet, imo debet Episcopus ad privationis canonicatus ad formam sacrorum Canonum [67] pœnam procedere: *Hildesimen.*, 16 *decem.* 1730, *dub.* 2.

22. Canonicus Billius unus ex duobus canonicis antiquioribus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi urbis Tolentinæ, necnon canonicus Joseph Pompilius possunt capellaniam in ecclesia rurali S. Josephi retinere; etiamsi onus illa habeat Missam inibi celebrandi festis diebus, ac organum pulsandi in ecclesia S. Nicolai; dummodo servitium chori, et onera canonicatus persolvant: *Tolentina, Servitii chori, et Missæ conventualis*, 26 *maii* 1739, *dub.* 12.

23. Necnon sub ipsa conditione valet canonicus Joannes Bezzi dictæ collegiatæ munus confessarii monialium S. Agnetis exercere: *Ibid., dub.* 13.

24. Privatio ab Episcopo facta canonicatus a Joanne Jacobo Cioffi in ecclesia cathedrali possessi ob triennalem absentiam ex capite nullitatis valida non est? Nam non fuit præmissa graduali pœna a Concilio Tridentino præscripta; etsi in solis distributionibus dicti canonicatus fructus consistent: *Castrimaris, Privationis canonicatus*, 25 *febr.* 1741, *dub.* 1.

25. Inde ad quæsitum, quomodo sit providendum? S. C. respondit, ut Episcopus procedat prout de jure ad formam Concilii [68]: *Ibid., dub.* 2.

26. Quoad capellaniam ordinatam a Francisco Mattuccio ad altare S. Michaelis ecclesiæ Matris Castri S. Joannis Rotundi adjecto onere sacri quotidiani perpetui, de quo testator in agendo sacro præferri sacerdotem de gente Fraticelli, si unquam esset sacerdos, secus capitulum facultatem nomi-

[66] Vide not. 41, verb. *Beneficia ecclesiastica.*

[67] Clem. II, *Ut ii qui, de ætat. et qualit. præficiend.* innovata est a Concil. Trid. (sess. 22, cap. 4, *de Reform.*), in qua non promotis obtinentibus beneficia in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis infra annum ad ordines requisitos, justo impedimento cessante, statuitur, substrahendam esse dumtaxat dimidiam partem distributionum, quæ dari solent iis, qui certis horis intersunt; quæ pœna sicut, et privatio vocis in capitulo est latæ sententiæ, quatenus non prærequirit monitionem, sed solam citationem ad dicendam causam, quare non debeat affici pœna dictæ Clementinæ. Quod si non probaverit, se legitime impeditum fuisse, declarantur esse locum hujusmodi pœnæ, etiamsi intersint diviniis officiis, ut cum communi tenet thesaurus *de Pœnis Eccles.* cap. 6, verb. *Beneficium*, pag. 3. Non promotus autem ex negligentia intra annum, et monitus renuerit promoveri, privari potest etiam ipso beneficio, (Gloss. in dict. Clement. verb. *In posterum*), ut etiam declaravit S. C. 23 *januar.* 1608.

[68] Vide not. 65,

nandi habere voluit; quum Joannes Baptista Fraticelli possessor ejusdem capellaniæ obtinuerit canonicatum in collegiata ecclesia Foggiæ, substituit sacerdotem stipendio conductum; qui suas vices contra legem testatoris, et capitulo dissentiente gereret. S. C. desuper interrogata, canonicatum ecclesiæ collegiatæ Foggiæ cum capellania incompatibilem non judicavit. Nam testator sacerdoti de familia vocata facultatem substituendi in casu cujuscumque impedimenti dederat: *Sipontina, Missarum*, 28 *januar.* 1747, *dub.* 1.

27. Privatio canonicatus possessi a canonico Stampff in collegiata ecclesia S. Margaritæ Waldkirckii non sustinetur, necnon nominatio alterius facta a capitulo; quod declarato termino ad residendum, et elapso alterum canonicum elegit; sed exequendum esse rescriptum apostolicum, quo audita Episcopi relatione conceditur prædicto canonico, quod terminus mensis sibi præfixi, non est rigide interpretandus, et additur, re integra, nec alium ex capite privationis provisum esse: *Constantien.*, *Canonicatus*, 24 *april.* 1751, *dub.* 1, confirmata 10 *julii ejusd. anni.*

28. Ubaldus Baldassinus possessor canonicatus in ecclesia cathedrali a Christophoro Luchi erecti, sicut non est clericalis, ita dispensatus fuit super defectu legitimæ ætatis, conditione in litteris apostolicis adjecta, ut promoveri ad subdiaconatum, quum primum ad ætatem legitimam pervenerit, teneretur; hinc aut dimittere, aut ad sacros ordines ascendere debet. Hic vero prorogationes ad ordinum susceptionem differendam consequutus est, deinde dispensationem ab hoc onere, aut aliam prorogationem postulante data fuit Episcopo facultas, ut prout de jure procederet; et revera processit Episcopus, et eum canonicatu orbavit. S. C. requisita de hoc decreto, non sustineri illud, et scribi Episcopo juxta mentem [69] mandat: *Senogalien.*, *Canonicatus*, 23 *novem.* 1754.

29. Privatus fuit a curia Spirensi Joannes Baptista Durafs canonicus ecclesiæ S. Guidonis, quem pene viginti annos habuerat; et privationis hujus causa fuerunt plura delicta carnis, concubinatus, ac supina negligentia in chori servitio. Moguntina curia, ad quam Durafs appellavit, prædictam sententiam reformavit, ac ille proinde fuit restitutus docens ipsius paupertatem pro agenda defensione in S. C., quæ fuit requisita, an sententia a curia Spirensi sustineatur? et an eidem assignandum sit seminarium episcopale usque ad emendationem? respondetur: Dilata, et ad mentem [70]: *Spiren.*, *Canonicatus*, 15 *sept.* 1764, *dub.* 1 *et* 2. Iterum simile dedit S. C. responsum ad mentem, 23 *martii* 1765. Denique rescripsit, ut scribatur per duos canonistas; quum dubitatum fuisset, an in privatione ab Episcopo facta gradualim se ipse gesserit juxta Concilium Tridentinum [71]: 24 *aug. ejusd. anni.*

30. Constantinus Salvi ad beneficium in collegiata ecclesia S. Joannis Baptistæ terræ Campaneani, quum esset de familia vocata, a compatronis fuit nominatus, etsi in eadem ecclesia possideat canonicatum; ideo dispensationem postulavit. Expertus est ille capituli oppositionem, quod beneficia duo haberet cum oneribus canonicorum uniformibus, unum celebrationis Missarum trium hebdomadalium, alterum chori diebus festis mobilibus. S. C. autem Episcopi arbitrio gratiam, dummodo chori servitium detrimentum non patiatur, remisit: *Nepesina*, 8 *julii* 1786.

31. Clericus Eustachius Salvi canonicatum possidebat in ecclesia collegiata S. Angeli in Foro Piscium. Hic plures inducias a S. C. habuit ad cunctandam sacrorum ordinum susceptionem. Ultima autem indulti prorogatio desinebat die 11 martii, anni 1786, si apocha decreti sit attendenda, si dies exequutorialis decreti 7 maii ejusdem anni. Ipse enim usque a die 9 martii dicti anni supplicem libellum pro resignatione dicti canonicatus in Dataria exhibuit, et requisito ex urbanitate Card. diaconi consensu, alii dies fuerant consumpti ad responsum referendum; interim sacerdos Franciscus Donatellius narravit Sum. Pont. vacasse dictum canonicatum, quia intra præstitutum tempus, datasque a S. C. inducias ad sacros ordines canonicus non ascendit, litteras apostolicas impetravit. Hinc quæstione agitata, S. C. vacationem prædicti canonicatus, ita ut litteræ apostolicæ non sint exequendæ, inductam non esse declaravit: *Romana*, *Canonicatus*, 9 *sept.* 1786.

32. Declaravit S. C. canonicatum ecclesiæ cathedralis ipso jure vacasse per matrimonium canonici Joannis Nepomuceni de Spaur prætensum nullum, præterquam ex defectu consensus; ideoque exequendas esse impetratorias litteras Præsulis Georgii Sigismundi Porzia; qua de causa confirmatur sententia congregationis particularis a Summo Pontifice deputatæ; etiamsi dictus Joannes subreptitias, ac obreptitias fuisse litteras impetratorias ob falsam narrationem probare conetur: *Brixinen.*, *Canonicatus* 18 *sept.* 1790.

[69] Et mens est, ut Episcopus præfigat dicto canonico brevem terminum ad se promovendum ad sacros ordines, eoque elapso, quatenus sacrum subdiaconatus ordinem non susceperit, contra eumdem procedat ad privationem canonicatus per sententiam tamen servatis servandis: *Regist. lit.* lib. 31, *die* 25 *novem.* 1754.

[70] Et mens fuit, ut subministrarentur Durassio scut. 50 ad parandam defensionem: *Ead. causa*, 25 *martii* 1766, § 2.

[71] Vide not. 63.

§ VI.

Canonicatus quoad statum, et qualitatem

1. Sacerdos Nicolaus Pretini fundavit in ecclesia cathedrali capellaniam in titulum perpetui simplicis beneficii. Possessori imposuit onus Missarum personale singulis diebus, et inserviendi Episcopo etiam extra civitatem, ac si esset unus ex familiaribus suis. Hæc capellania inde erecta fuit in canonicatum. Inde Dataria Apostolica discuti petiit a S. C. an talis canonicatus sit ita residentialis, ut hac ratione sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali? responsum est affirmative: *Brictinorien*, *Canonicatus*, 2 *maii* 1676.

2. Præsentatus fuit a compatronis ad canonicatum collegiatæ ecclesiæ S. Georgii in oppido Modicæ clericus Vincentius Grana, quo tempore obtinuit provisionem a Dataria sacerdos Franciscus Bocca di Foco ex causa imperitiæ dicti Vincentii, eo quod actu non sit in sacris constitutus juxta legem erectionis prædictæ collegiatæ. Hanc quidem qualitatem minime requiri ex adverso traditur spectata lege fundationis illius canonicatus. S. C. autem ad illum obtinendum non deposci ordinem sacrum, seu qualitatem sacerdotalem decidit: *Syracusana, Canonicatus*, 21 *aug.* 1706, confirmata 2 *octob. ejusd. anni.*

3. Quum Christophorus Panuzzi canonicalem præbendam in ecclesia cathedrali nullis adhibitis in fundatione verbis qualitatem sacerdotalem denotantibus erexerit. At ex apostolicis bullis *pro uno seculari presbytero futuro ipsius ecclesiæ canonico*, canonicatus erigitur; quapropter re delata ad S. C., hæc non esse presbyteralem illam præbendam putavit: *Pistorien., Canonicatus*, 1 *april* 1713.

4. Canonicatum erectum a Christophoro de Luchis in ecclesia cathedrali, etiamsi ex testamento non eruatur voluisse fundatorem illum qualitatis sacerdotalis erigere, S. C. tamen judicavit non esse clericalem tantum; ita ut canonicus Baldassinius dispensatus super defectu ætatis legitimæ, conditione in litteris apostolicis adjecta, ut teneretur promoveri ad subdiaconatus ordinem, quum primum ad legitimam ætatem pervenerit, aut dimittat, aut ad sacrum ordinem ascendat: *Senogalien., Canonicatus*, 19 *aug.* 1752, confirmata 13 *jannar.* 1753.

§ VII.

Canonicatus seu præbendæ Theologalis, et Pœnitentiarii, quoad erectionem, et collationem.

1. Deciditur electionem pœnitentiarii quandocumque faciendam ad solum Episcopum absque consensu capituli pertinere. Collationem autem præbendæ ab illis fieri debere, ad quos antea spectabat: *Abulen., anni circiter* 1582, *dub* 6.

2. Quæritur, an Ordinarius assignando præbendam cathedralis ecclesiæ pro lectore sacræ Theologiæ possit impedire in vacatione ejusdem, ne canonici optent illam præbendam stante consuetudine, statuto optandi inter canonicos? Præbendam affectam pro theologo optare non posse deliberatum est: *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 14.

3. S. C. rescripsit Episcopo Pharensi, præbendam theologalem alicui ex collegii Illyrici alumnis alioquin idoneis, utique conferri ab Episcopo posse, tametsi is casus conscientiæ tantum sit explicaturus; *Pharen.*, 13 *april.* 1595.

4. Sanctissimus D. N. contentus fuit expediri supplicationem, ut præbenda certi competentis reditus primo vacatura erigatur in theologalem; ita quod ista præbenda non possit amplius optari, sed perpetuo ab ipso theologo obtineatur, nec theologus possit alias præbendas optare: *Volaterrana*, 18 *maii* 1598.

5. Censuit S. C. jus electionis illius, cui conferenda est præbenda theologalis, spectare ad Episcopum juxta antiquas declarationes [72]: *Aretina*, 31 *julii* 1627.

6. Declaravit S. C. ad præbendam theologalem in jure canonico doctorem esse admittendum: *Aquileien.*, 14 *novemb.* 1626.

7. S. C. concessit oratori facultatem erigendi pœnitentiariam posita illius necessitate, et impossibilitate erigendi præbendam theologalem: *Civitatis Castellanæ*, 17 *novem.* 1629.

8. Agendum esse cum Datario circa præbendam pœnitentiariam, ne in futurum, quidquam in præjudicium ecclesiæ cathedralis admittat; *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 2.

9. Episcopus non potuit unire beneficia dignitati decanatus cum impositione oneris legendi sacram Scripturam, vel prædicandi; sed in erectione præbendæ theologalis servandam esse formam in cap. 1,

[72] Nempe in causa *Giennen*, 13 *junii* 1591, dub. 1, declaratum est, erectionem duorum munerum theologi, et pœnitentiarii, electionemque personæ, quandocumque vacatio contigerit, pertinere ad solum Episcopum: collationem vero præbendæ, et canonicatus ad eos, ad quos antea spectabat (lib. 7, *Decret.* fol. 15). *In Oscen.*, 24 *april.* 1597 censuit S. C. Concilii, si præbenda theologalis vigore Concilii erecta in mensibus inferioris collatoris vacaverit, electionem personæ theologi pertinere ad Episcopum; collationem vero ad eos, ad quos ante Concilium pertinebit (lib. 9, *Decret.* fol. 14).

sess. 5, *de Reform.* [72] traditam, decernitur : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 2.

10. Episcopum ad præscriptum Sacr. Concil. (cap. 1, sess. 5, et cap. 8, sess. 24, *de Reform.* [74]) : procedere debere ad erectionem præbendæ theologalis, et pœnitentiariæ : *Eugubina*, 12 *novem.* 1633, *dub.* 1.

11. Respondit S. C. electionem theologi spectare ad eum, ad quem ante Concilium spectabat, et ideo Episcopum tueri debere sua jura : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 2.

12. Quum quæsitum esset, ad quem spectaret electio, si collatio præbendæ theologalis, quæ vacat de mense Ordinario in ecclesia cathedrali, ad illius Capitulum in vim immemorabilis suæ consuetudinis eligendi ad canonicatus vacantes in mensibus ordinariis, seu ad Archiepiscopum? S. C. electionem theologi ad solum Card. Archiepiscopum spectare ; collationem autem præbendæ ad eum, ad quem ante idem Concilium spectabat, respondit : *Salernitana*, 4 *april.* 1637.

13. Pro obtinenda præbenda theologali sufficere, ut quis sit licenciatus in utroque jure, alias idoneus ad docendam theologiam moralem, et ideo in hoc casu secretarius faciat extrajudicialiter examinare oratorem super illius habilitate per patrem Torquatum de Cupis, decernitur : *Polignanen.*, 12 *nov.* 1639.

14. Quæsitum quum fuisset, an doctor in jure canonico possit consequi præbendam theologalem ; et an theologus non doctor possit similiter illam obtinere? S. C. ad primum respondit posse ; et ad secundum pariter affirmativum, si non doctor æqualis idoneitatis adsit, tulit responsum : *Asten.*, 3 *febr.* 1646.

15. Ad dubium, an Episcopus teneatur in ecclesia cathedrali Valvensi præbendam pœnitentiariam erigere? Episcopum teneri præbendam illam juxta decretum consistoriale erigere rescripsit : *Valven.*, *Sulmonen.*, 13 *aug.* 1650, *dub* 4.

16. Quum vacasset in cathedrali ecclesia capellania major, et Episcopus vigore concordiæ habitæ cum capitulo eam canonico lectorali, et pœnitentiario contulisset ; disputatum est, an dignitas capellaniæ majoris esset incompatibilis cum dicto canonicatu? et S. C. censuit illam non esse canonicatu incompatibilem : *Oscen.*, 12 *martii* 1695, *dub.* 1.

17. Ad graduatam præbendam theologalem vacantem ecclesiæ cathedralis Joannes de Ooms, archipresbyter, convocato capitulo, non expectatis graduatis eligere debentibus, solus Lambertum Baerth Plebanum Mechliniensem elegisse dicitur. Episcopus esse irritam electionem illam ob electi qualitates declaravit, quia infirmatus ille de aliquo crimine, vel de non sana doctrina putatur, et S. C. consuluit, quæ ad S. C. S. Officii [76] remomnem remisit : *Gandaven.*, *Præbendæ theologalis*, 5 *sept.* 1705.

18. Ad dubium, an posita nullitate erectionis sex canonicatuum in ecclesia cathedrali ab Episcopo Ribero cum applicatione sortis scut. 800 ex fructibus debitis seminario, convalidanda sit saltem canonicatuum erectio theologalis, et pœnitentiarii, applicando iisdem annuos ducat. 40, qui solvuntur a mensa episcopali tribus beneficiatis cum eisdem oneribus? rescriptum fuit, uti jure suo ad formam Concilii [75] : *Nicoteren.*, *Erectionis canonicatuum*, 10 *julii* 1706, *dub.* 3.

19. Duas habet diœceses, ac duas cathedrales Episcopus Geruntinus, et Cariati quæ sunt unitæ, et in una adest præbenda pœnitentiaria. Exhibitum proinde fuit dubium in S. C. num in cathedrali Geruntina erigenda sit præbenda pœnitentiaria, vel saltem deputari canonicus cum facultatibus pœnitentiarii? annuit S. C. ad formam Concilii [77] :

[73] Vide not. 63 et 77, verb. *Bona ecclesiastica.*

[74] Vide not. 62, *ibid.*

[75] Vide not. 62, *ibid.*

[76] Ad prædictam Congregationem tantum spectat rem hanc cognoscere ; et apud eamdem a diffamatione se purgare debet diffamatus, et suspectus, antequam novos honores appetere possit, novasque dignitates prætendere, et quousque hæc purgatio per sententiam absolututoriam ex capite innocentiæ non sequatur, semper militat contra ipsum impedimentum, seu inhabilitas, oriens ex prædicta diffamatione, et suspicione ; ut recte animadvertit Ursaya *Discept. Eccl. XXVII*, tom. 2, part. 2, num. 36, in qua defensionem hujus causæ in favorem Episcopi edidit.

[77] Sess. 24, cap. 8, *de Reform.*, ubi habetur hæc : « In omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis, cum unione præbendæ, proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur. » Hoc decretum ampliatum est a Bened. XIII, Const. *Pastoralis*, 19 maii 1725 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 414) qui § 5 ait : « Postremo quæcumque hactenus de præbenda theologali, et sacræ Scripturæ lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem canonici pœnitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, ac præter illa, quæ nobis superius disposita sunt, ea insuper, quæ Tridentina Synodus cap. 8, sess. 24, *de Reform.* de hujus ministri qualitate, ætate, ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, et mandamus. » Testatur autem Van-Espenius part. 1, tit. 12, cap. 5, § 13, quod

Geruntinen. et Cariaten., *Synodi et gravaminum*, 2 *oct.* 1706, *dub.* 6, confirmata 11 *febr.* 1708.

20. In futuris vacationibus canonicatus pœnitentiarii ecclesiæ cathedralis servanda est Constitutio Pont. Max., Gregorii XV, nonis nov. 1622, emanata [78] quoad concursum, et electionem junctim ab Episcopo, et capitulo faciendam; non vero obstat concordia anni 1588 super alternativa inter Episcopum, et capitulum inita, et confirmata in forma specifica de anno 1540 sub Sixto V, Pont. Max., per litteras apostolicas in forma rationi congruas, et sub Gregorio XIII, Pont. Max., expeditas: *Oriolen.*, *Canonicatus*, 16 *nov.* 1720.

21. Jacobus Antonius Riverius offert summam scut. 2,400 monetæ romanæ, ut in ecclesia collegiata Montiscalerii erigatur præbenda theologalis cum onere, ut canonicus theologalis diebus de præcepto festivis omnibus concionem habeat ad populum, ac choro intersit, et semel in hebdomada clerum doceat sacram Theologiam moralem. Petiitque dictæ summæ unionem massæ capitulari, ut provisus de communibus distributionibus participet. Deinde jus præsentandi ad masculos familiæ nominandæ, qua deficiente ad capitulum reservat, addendo, nulli reservationi vel affectioni dictum canonicatum subjaceat. Conditiones hæ capitulo non placuerunt, et S. C. eas admittere renuit, subjungendo ad mentem [79]: *Taurinen.*, 14 *martii* 1722.

22. Benedictus Vadella, et Figueras, contendit erectionem canonicatus vacantis ecclesiæ cathedralis in lectoralem, seu theologalem, non potuisse peragere Episcopum, et ei adjungere pingues reditus statoriæ de Ger, quum dictæ statoriæ esset impositum onus lectionis sac. Scripturæ ex Constitutione Clem. VII, Pont. Max., idcirco poterat tantum Episcopus ad tramites Concilii Tridentini [80] juris remediis adigere eum, qui dictam statoriam obtinebat. Hanc quæstionem S. C. vero ad judicem exequutorem in litteris datum remisit: *Urgellen.*, 28 *sept.* 1726, *dub.* 1.

23. Vacante canonicatu lectorali ecclesiæ metropolitanæ capitulum, et canonici, ad normam litterarum apostolicarum Pont. Max. Innocentii XI, edicta, in quibus cautum erat, ut oppositores subire examen super textus sacræ Scripturæ expositione deberent, affigi mandarunt. Refragarunt huic præcepto nonnulli ex graduatis sive licentiatis in jure canonico, et civili, examen eosdem non super legali facultate fieri ab ipsis debere asserentes. Hinc res delata fuit ad S. C., quæ rescripsit edictum a capitulo promulgatum de concursu sustineri, licet litteræ prædictæ apostolicæ nullam mentionem faciant de concursu, sed tantum aiunt prævio accurato examine ad sacræ Scripturæ lectionem esse approbatum, doctores in theologia, ac in utriusque jure admittendo: *Valentina*, 30 *januar.* 1723, *dub.* 1.

24. Dubio exhibito: An litteræ apostolicæ Urbani VIII, Pont. Max., die 10 januar. 1640 editæ pro canonicatibus de concursu cathedralium ecclesiarum regnorum Castillæ, et Leonis afficiant etiam canonicatum lectoralem cathedralis ecclesiæ? S. C. responsum dedit negativum, et consilium præstandum Sanctissimo esse pro extensione censuit: *Compostellana*, 17 *januar.* 1728, *dub.* 1.

25. Fundavit beneficium in parochiali ecclesiæ S. Stephani oppidi majoris sacerdos Franciscus Biffi de jurepatronatus suæ familiæ, qua deficiente ad beneficiatos dictæ ecclesiæ, et cum conditione, ut erecta ecclesia in collegiatam juspatronatus ad canonicos spectaret, dummodo inter præbendas canonicales adscriberetur. Ecclesiæ prædictæ in collegiatam erectione adhuc actu, et cum effectu non sequuta prævia signatura, ac litterarum apostolicarum expeditione, vacavit beneficium illud; hinc

in locis quibusdam pœnitentiarius, non merum officium, sed dignitas habeatur, ita tamen ut novissimum inter dignitates locum obtineat. Similiter theologum inter dignitates recenset ipse Van Espenius *loc. cit.* tit. 2, cap. 6. Verum id vel fundationis lege, vel peculiari locorum consuetudine factum est; nam theologum, et pœnitentiarium merum esse officium respondit S. C. Concilii in *Murana* 12 april. 1699, et in *Senen.*, *Pœnitentiaria*, 16 april. 1691.

[78] Nam, anno 1622, Sum. Pont., Gregorius XV instantibus Philippo IV, Hispaniarum rege, et omnibus regnorum Hispaniæ capitulis, per viam Constitutionis, et expresse derogando dispositioni conciliorum generalium et signanter Tridentini super absoluta pertinentia ad Episcopos conferendi canonicatus pœnitentiarios decrevit, quod in omnibus Hispaniarum ecclesiis collatio canonicatus pœnitentiarii unitim spectaret ad Episcopos, et capitulum, propositis nempe in singulis vacationibus edictis, et examine peracto, et præelectis magis habilibus, et idoneis, qui tales habiti essent judicio Episcoporum, et capitulorum. *Ead. causa*, 1 *octob.* 1720, § 2. Quod ampliatum est a Benedicto XIII, Const. *Pastoralis*, 19 maii 1725 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 414) præcipiente, ut hujusmodi præbenda in Italia, et Insulis adjacentibus conferatur per concursum, eo pari modo, quo ecclesia parochialis.

[79] Nullam scilicet esse difficultatem quoad exclusionem reservatorum sed quoad exclusionem reservationis in favorem Episcopi: *Ead. causa*, 14 *martii* 1722.

[80] Sess. 5, cap. 1, *de Reform.* in quo statuit: « Quod in illis ecclesiis, in quibus præbendæ, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, et alii locorum Ordinarii, eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem, et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, et aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. »

orto dubio, an durante familia de Biffis locum esse illius beneficii erectioni in canonicatum, seu in Præbendam theologalem ? et S. C. posse erigi in simplicem canonicatum decrevit : *Cremonen.*, *Erectionis*, *Præbendæ theologalis*, 2 *julii* 1729, *dub.* 2.

26. Vacante præbenda canonicali in terra Magdaloni, ubi adest ecclesia collegiata, Episcopus putans terram præfatam ingenti sex mille fere animarum constantem numero, ac copia cleri secularis, et regularis inter insignia oppida recenseri optime posse, prædictum canonicatum ad præscriptum Sac. Concilii Tridentini (sess 5. cap. 1, *de Reform.*), et concilii Romani, tit. prim. cap. 6 [81], in præbendam theologalem erigi voluit, S. C. proinde consulit, num pro collatione præbendæ theologalis sit de forma necessarius concursus ? rescriptum prodiit, ad Card. præfectum juxta mentem [82] : *Casertana*, *Concursus*, 14 *januar.* 1730, *dub.* 1.

27. Episcopus sancti Miniatis statum suæ ecclesiæ referens, quoad præbendæ theologalis in ecclesia cathedrali erectionem ait : « Quia vero omnes præbendæ hujus ecclesiæ meæ cathedralis ad laicos patronos fundatione, et dotatione spectant, quæro, liceatne mihi quæcumque beneficia simplicia vacatura, quæ simul unita ad præscriptam taxam sufficiant, ex integro erigere in utramque distinctam præbendam, vel aliud magis opportunum remedium, et consilium, quo rebus utilibus, et plane necessariis provideri possit, postulo. » S. C. autem definitionem dubii protelavit, ut eidem scribatur juxta instructionem [83] : *Sancti Miniatis*, *Visitationis sacrorum Liminum*, 14 *martii* 1733.

28. Erectio canonicatuum, ac præbendarum theologalis, ac pœnitentialis ab Episcopo facta in sua ecclesia cathedrali est confirmanda ; non obstante conatus antiquiorum presbyterorum dictæ ecclesiæ participantium, qui non debere canonicorum nomine decorari, sed presbyteros præbendatos nuncupari, ne ex denominatione canonicorum theologi, et pœnitentiarii ullum irrogari contingat detrimentum qualitati suæ ecclesiæ, quæ in statu receptitiæ reperitur ; neve presbyteri participantes digniorem locum eisdem canonicis cedere cogantur : *Ruben.*, *Erectionis præbendæ theologalis*, *et Pœnitentiariæ*, 30 *martii* 1737.

29. Vacavit præbenda pœnitentiariæ ecclesiæ cathedralis ; et indicto concursu, Episcopus Marianum Porticellium præferendum putavit. Verum a Sigismundo Malatesta, qui ætate illi præcedit, et majora examinatorum suffragia sortitus, ab Episcopi judicio provocavit. Constat ex documentis Marianum fuisse carceribus mancipatum, quia homicidii particeps asserebatur ; etsi Episcopus rationes in medio protulisset ad suam electionem vindicandam, tamen S. C. non sustineri provisionem prædictam decrevit : *Viterbien.*, *Concursus*, 15 *april.* 1741, *dub.* 1, confirmata 10 *junii ejusd. anni.*

30. Ac dicta præbenda pœnitentiaria est Sigismundo Malatesta conferenda : *Ibid.*, *dub.* 2.

31. Cogitarunt canonici collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Petri Vasti præbendam theologalem in eadem collegiata erigere, continuo sese contradictores canonici alterius ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Majoris præstiterunt. Hi enim, quum eorum ecclesia esset antiquior, jus habent prohibendi, ne in alia collegiata ecclesia recentiori præbenda theologalis erigi possit. At S. C. locum esse petitæ erectioni juxta votum Archiepiscopi [84] præcipiens quæstionem diremit : *Theatina*, *Erectionis theologalis*, 14 *januar.* 1747.

32. Erectio canonicatus pœnitentiarii per Episcopum facta in ecclesia cathedrali, una cum prærogativis canonico pœnitentiario juxta legem fundationis tributis, ac Episcopi decreta anni 1742 valida sunt 85 : *Ipporegien.*, *Canonicatus pœnitentiarii*, 17 *maii* 1749, *dub.* 1 *et* 2.

33. Ut divinus cultus, et insignis ecclesiæ colle-

[81] Vide not. 62, verb. *Beneficia ecclesiastica.*

[82] Mens fuit supplicandum esse Sanctissimo pro sanatione, quatenus opus sit cujuscumque defectus, factaque subinde per præfatum eminentissimum præfectum relatione eidem Sanctissimo, Sanctitas Sua benigne annuit, et defectus quoscumque ad cautelam sanavit die 19 ejusd. mensis januar. 1730 (lib. 80, *Decret.* pag. 1).

[83] Scire cupit S. C., quot sint in dicta ecclesia canonicatus ; an ad laicos spectet juspatronatus non solum activum, sed etiam passivum, quot sint eorum annui reditus, necnon quot, et qualia beneficia simplicia existant in ista diœcesi ; item Episcopus agat cum patronis, an aliqui eorum sint præstituri consensum erectioni duarum præbendarum in theologalem, et pœnitentiariam sine tamen præjudicio jurispatronatus, sed cum lege, ut præsentati non debeant admitti, nisi ab examinatoribus synodalibus examinati, et approbati fuerint tanquam idonei, et S. C. certioret de resultantibus : *Regist. lit.* lib. 28, *die* 14 *martii* 1733.

[84] Rogatus fuit a S. C. Archiepiscopus Theatinus, ut sententiam diceret animi sui, hic, audito utroque capitulo, secundum canonicos S. Petri respondit, eum tamen putare legem adjiciendam, ut lectio sacræ Scripturæ diversa die fiat in ecclesia S. Petri, qua fit in ecclesia S. Mariæ Majoris : *Ead. causa*, 10 *decem.* 1746, § 1.

[85] Sacerdos Antonius Pellerina fundavit canonicatum pœnitentiarium in ecclesia cathedrali Ipporegiensi reservato jurepatronatu hæredibus, certis adjectis conditionibus, « che quello verra provisto debba godere di tutte le prerogative, e preeminenze, se godono tutti gli altri canonici... voce attiva, e passiva in capitolo... alla riserva della percezione delle distribuzioni, ed altri annui proventi dipendenti dalla massa capitolare. » Canonici etsi nihil opposuerint tamen metuerunt, ne a clausulis in

giatæ, quæ in insula Gaulos est, decus augeretur, pia mulier Theresia de Bono canonicatum pœnitentiarium in eadem collegiata bonis suis fundavit, ea lege adjecta, ut actu sacerdos, et doctor sacræ theologiæ, aut juris canonici nominaretur. Capitulum præstitit consensum, ac Episcopus sua auctoritate fundationem confirmavit; sed canonicus pœnitentiarius cathedralis ecclesiæ sese opposuit; et S. C. ustineri erectionem mandavit: *Melevitana, Canonicatus pœnitentiarii*, 20 *decem.* 1749.

34. Canonicatus pœnitentiarii ecclesiæ metropolitanæ electionem faciendam esse ab Archiepiscopo in favorem personæ magis idoneæ ab examinatoribus in concursu renunciatæ; præsentationem vero ejusdem personæ faciendam esse a capitulo S. C. existimavit. Quum Capitulum de jure conferendi ab immemorabili præbendas canonicales non reservatas Sedi Apostolicæ contenderet: *Salernitana, Canonicatus pœnitentiarii*, 21 *julii* 1753, *dub.* 1, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

35. Ideoque collatio hujus canonicatus pœnitentiarii in favorem sacerdotis Josephi Viggiani facta, quod magis idoneus in concursu ab Archiepiscopo repertus electus fuit, sustinetur: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

36. Episcopo Majoricensi, licet in capitulo cathedrali certum stipendium fuerit constitutum lectori sacræ Scripturæ, placuit cum consilio capituli officium lectoris in præbendam theologalem occasione primi vacaturi canonicatus erigere, quod factum fuit. Post varios annos ortæ sunt inter episcopum, et capitulum super illius collatione controversiæ. Episcopus canonicatum theologalem esse contendit. Capitulum hoc inficiatur, quum minime sequuta esset erectio, ac in tabellis canonicatus lectoralis nuncupatur. Qua de causa novam fecit erectionem ad cautelam, eamque capitulo denunciavit. S. C. de hac quæstione validam fuisse erectionem canonicatus in theologalem præbendam usque de anno 1593 definivit: *Majoricen., Canonicatus theologalis*, 15 *decem.* 1753, *dub.* 1.

37. Ac electio personæ, cui præfata præbenda theologalis conferenda est, privative ad Episcopum spectat: *Ibid., dub.* 3.

38. Hac de causa electionem ab Episcopo factam sustineri, collationem vero ad capitulum spectare; sed modo in favore Nicolai Villalongæ ab Episcopo electo faciendam esse sancivit: *Ibid., dub.* 4.

39. Minime locus est erectioni canonicatus seu præbendæ theologalis in ecclesia collegiata terræ Ebuli de canonicatu in dicta ecclesia vacante per obitum Francisci Morsa, qui liberum ab omni alio onere possidebat; sed electio in favorem Clerici Januarii de Christophoro ad dictum canonicatum peracta valida est: *Salernitana, Canonicatus*, 20 *aug.* 1757, confirmata 17 *sept. ejusdem anni.*

40. Præbendam theologalem in ecclesia cathedrali sacerdos Nuncius Leonius adeptus est hac conditione adjecta, ut infra annum magisterium susciperet, alioquin extemplo vacaret. Conditio vero prædicta adimpleta non fuit, ideoque indicto concursu magis idoneus fuit renunciatus sacerdos Joseph Abbatangelus ejusdem ecclesiæ canonicus; et hoc tempore Nuncius Leonius signari a Sede Apostolica gratiam meruit. Hanc gratiam relaxandam esse S. C. denegavit, quum suam contumaciam, et clausulam *vacationis eo ipso* tacuerit: *Juvenacen., Canonicatus theologalis*, 11 *aug.* 1759.

41. Sacerdos Joannes Octavius de Sanctis in concursu ad præbendam theologalem ecclesiæ cathedralis habito reprobatus appellationem de mala examinatorum relatione interposuit. Ait hic, examinatores solum concurrentium scientiam Episcopo retulisse, non eorum peritiam, ac requisitorum notulam expendisse, neque de his rationem habuisse. Hinc hæc relatio adversatur formæ traditæ a Benedicto XIV in Constitutione *Cum illud* [86]. S. C. autem de sua sententia interrogata non constare de

instrumento adjectis aliquid detrimenti caperent, libellum obtulerunt Episcopo, quo petebant declarationem, cui plenissime annuit Episcopus hisce verbis: « Ad majorem declarationem actus erectionis nostræ novi canonicatus pœnitentialis sequutæ etc., dicimus, quod per quascumque clausulas in eodem actu appositas importantes plenum jus canoniæ nullum omnino intendimus irrogare præjudicium canonicis antiquis ac eorum successoribus quoad participationem emolumentorum provenientium a massa capitulari, vel sacrarii, quæ respiciant distributiones respective quotidianas ratione chori, vel manuales ratione celebrationis Missarum, anniversariorum, vel alterius cujuslibet officii, prout etiam quoad emolumenta, quæ in posterum a piis dispositoribus elargienda venient capitulo, expresso nomine capituli in universum concepto: Item, quod in sequelam vocis activæ, et passivæ in capitulo in litteris nostris attributæ admissio novi canonici pœnitentiarii operari debeat in spiritualibus, respectu scilicet negotiorum capitularium, quæ concernunt statum, seu servitium ecclesiæ, et sacrarii, ceteris in sua firmitate manentibus. » *Ead. causa*, 26 *april* 1749, § 2.

[86] Die 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 98). Ubi Sum. Pont. jubet, ut Episcopi in conferendis beneficiis rationem habeant non solum scientiæ, sed morum etiam, et honestatis, et prudentiæ, quæ omnia requirit Trid. Concil. cap. 8, sess. 24, *de Reform.*; insuper, ut examinatores suggerere debeant tantum Episcopo, quos in doctrina repererint idoneos, quam doctrinam solum certe non sufficere ad animarum curam quisque videt *ex hisque Episcopus eligat*, ut ait Concilium, *quem ceteris magis idoneum judicaverit*. Tunc autem rejectum appellare non poterit, nisi a mala examinatorum relatione. Admonet autem Pontifex judices appellatos, ut reputent secum, non solam doctrinam satis esse ad regen-

mala examinatorum relatione, nec de irrationabili judicio Episcopi decrevit: *Pinnen.*, *Theologalis*, 20 *sept.* 1760.

42. Præelectionem, ac collationem ad canonicatum theologalem ecclesiæ cathedralis spectare ad Episcopum, præsentationem vero ad capitulum S. C. decernit: *Pinnen.*, *Canonicatus theologalis*, 25 *april.* 1761.

43. Præbenda theologalis ecclesiæ cathedralis est adjudicanda Julio Martono, qui in concursu meruit prælationem, licet doctor in sacra Theologia non sit, hinc ei onus imponitur intra annum illam doctoralem lauream assumere: *Cajacen.*, *Præbendæ, theologalis*, 14 *januar.* 1764.

44. Quum dubitatum fuisset de legitima erectione præbendæ theologalis in ecclesia cathedrali, quæ auctoritate apostolica erecta, et minime approbata a Summo Pontifice erat, novam Episcopus Felicianus Ninguarda erectionem fecit. Hanc S. C. irritam declaraverat jam anno 1593. Sed sicut ex visitationibus de hujus præbendæ erectione, et provisionibus peractis documenta appareant, S. C. de legitima erectione constare censuit: *Comen.*, *Canonicatus theologalis*, 23 *novem.* 1771, *dub.* 1.

45. Vacavit canonicatus pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis; Antistes concursum indixit, et ex geminis concurrentibus æque approbatis sacerdotem Dominicum Giacobbi canonicum ejusdem ecclesiæ, ac laurea doctorali nondum insignitum, præelegit. Alter actu doctor Antonius Matra gravatum se reputans de nullitate concursus egit; at nihil obtinuit, quum Episcopus senem emeritum, in Ecclesiæ Dei servitio per annos 40 mancipatum, ac omnibus acceptum, et benevisum esse dictum Giacobbi affirmaverit. S. C. vero consiliatrix audita, præelectionem approbavit Episcopi, nec esse novo locum examini decernit: *Alerien.*, *Canonicatus pœnitentiarii*, 10 *maii* 1777.

46. Communitas S. Victoriæ, quum supplicasset duas uniri parochias, erectionem imploravit præbendæ theologalis in ecclesia collegiata ejusdem oppidi. Ait enim, quod unione facta, parochus ditetur biscentum, et ultra scutorum reditibus; ac proinde putat, eorum partem adsignari posse pro erectione theologalis præbendæ. Sed quum nec unionem parochiarum obtinuerit, nec erectionem theologalis præbendæ meruit obtinere: *Firmana Unionis Parœciarum, et Erectionis præbendæ theologalis*, 3 *julii* 1784, *dub.* 2.

§ VIII.

Canonicatus, seu Præbenda theologalis, ac Pœnitentiaria quoad congruam.

1. Congrua in favorem præbendarum theologalis, ac pœnitentialis ecclesiæ cathedralis ad tramites Concilii Romani tit. 1, cap. 6 [87], supplenda usque ad summam scut. 60 deductis oneribus dictarum præbendarum, et respective beneficiorum, quæ unienda eis sunt, est computanda: *Camerinen.*, *Præbendæ theologalis, et pœnitentiariæ*, 3 *decem.* 1735, *dub.* 1.

2. Et præbendæ, et pœnitentiali in casu, de quo agitur, unienda esse unicuique pro medietate beneficia simplicia per obitum Annibalis Venturi vacantia, ac neutri prælationem pro dicta unione competere, fuit declaratum: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Unio duorum beneficiorum ab Episcopo facta canonicatui pœnitentiario in sua ecclesia cathedrali instituto in casu, de quo agitur, sustinetur; posthabita præbenda theologali, quæ annuo proventu scut. 60 pro erectione dictæ præbendæ constituto caret, et annuos ducatos 40 cum onere Missarum 110 dumtaxat affert: *Nucerina Paganorum*, *Præbendæ theologalis*, 1 *martii* 1738, *dub.* 1.

4. Ecclesiæ cathedralis canonicus theologalis, et pœnitentiarius, qui nil plus lucrabantur, quam duc. 60 pro quolibet, quæ summa ab aliis omnibus percipiebatur, supplicarunt, ut quoniam nil sibi pro ratione muneris sacram Scripturam explicandi, et confessiones fidelium excipiendi, assignatum stipendii fuerit, traderetur peculiaris præbenda ex unione simplicium beneficiorum, quæ primo vacatura forent, conficienda. Qua de re propositum fuit dubium, a S. C. resolutum, quod per unionem simplicium beneficiorum usque ad summam scut. 60 ad formam Constitutionis Benedicti XIII, Pont. Max. [88], deductis oneribus providendum esset: *Cajetana*, 25 *febr.* 1774.

dam Ecclesiam Dei: interdum, qui doctior est habere aliquam maculam ignotam examinatoribus judicantibus eum dignissimum notam soli Episcopo, ob eamque repulsam eum tulisse.

[87] Ubi legitur: « Quatenus vero canonicatus idem, etiam cum præbenda, si quam unitam habeat, tenuis, et non sufficiens fuerit ad onus sustinendum prædictum. Episcopus item, usque ad summam, quæ cum canonicatu, et præbenda scuta sexaginta non excedat, vel per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, nobis licet, et Nostræ Sedi affecti, seu reservati, illius tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ civitatis, et diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut omnino theologalem ipsam erigat, et sacræ Scripturæ lectio habeatur. »

[88] Incipien. *Pastoralis Officii rel.* in *Append. Concilii Romani*, tit. 1, cap. 6, ubi § 5, statuitur: « Quod ubi præbenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem reditum scut. 60 monetæ romanæ non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente, iidem Episcopi unire possint, et

CANONICI.

§ I.

Canonici quoad curæ animarum exercitium.

1. Quoad residentiam canonicorum curam animarum habentium S. C. censuit, solum odium non sufficere, quod si graves inimicitiæ vere adsint, et post obtentum beneficium, ac sine culpa obtinentis ortæ, tunc posse ab Ordinario dari ei dilationem, ut in alio loco viciniore tutiore maneant, durantibus dumtaxat ipsis inimicitiis, dum non ultra annum perdurent. Interea autem, si de parochiali agatur, ponendum in ea ab Ordinario vicarium idoneum cum congrua portione ex reditibus parochialibus: *Regien.*, *anni* 1573, *dub.* 1.

2. Insuper non est causa habenda pro legitima non residendi, quando rector inveniatur absque fructibus, quum essent omnes resignanti fructus reservati: *Ibid.*

3. Item non sunt habendi pro residentibus, si habeant curam tria, vel quatuor millia prope civitatem: *Ibid.*

4. Si esset aliquis, qui studio vacet in civitate, non posse in eadem civitate habitare: *Ibid.*

5. Denique posita necessitate magistri grammaticæ in civitate non posse concedere alicui, ut moratur in urbe, relicto vicario ad curam cum salario: *Ibid.*

6. Canonicum curatum ecclesiæ cathedralis tempore, quo actu in ejus munere inservit ex eleemosynis pro anniversariis defunctorum participare posse, dummodo non dentur pro celebratione Missarum statutum est: *Viterbien.*, 15 *martii* 1631, *dub.* 2.

7. Quum capitulo ecclesiæ cathedralis animarum cura immineret, utique canonicos teneri ad congregationes, quæ pro disserendis casibus conscientiæ ad præscriptum constitutionum synodalium habentur, accedere definitur: *Arianen.*, 28 *april.* 1635, *dub.* 4.

8. Jam antea decreverat S. C. Episcopum erigere debere vicariam perpetuam pro exercitio curæ animarum cum attributione congruæ ducat. regni 50 ex massa communi capituli ecclesiæ cathedralis; modo stetit in decisis; ita tamen, ut si præbenda canonicalis non ascendat ad valorem duc. 50, Episcopus ratam partem deficientem ex massa communi capituli assignare possit: *Acernen.*, 5 *maii* 1646.

9. Dubio exhibito: An pro negotiis, seu controversiis capituli ablegari possit canonicus curatus cathedralis ecclesiæ? responsum exiit negativum: *Anagnina*, *Residentiæ*, 12 *decem.* 1676.

10. Quum onus curæ animarum integræ esset apud archipresbyterum ecclesiæ B. M. Assumptæ oppidi Podii Mirteti, ac contenderent canonici ex consuetudine participare de decimis, propositum fuit dubium: An canonici casu, quo de decimis participare possint, teneantur coadjuvare archipresbyterum in administratione sacramentorum, et cura animarum; ita ut iste cogendus non sit ad coadjutorem sibi de novo assumendum pro numeroso populo? prodiit affirmativum responsum, et teneri parochum coadjuvare: *Farfen.*, *Decimarum*, *et Deputationis capellani*, 1 *sept.* 1691, *dub.* 3.

11. Inde quæsito, quinam de jure teneatur solvere stipendium capellano ex officio apposito, assertos canonicos teneri resolvitur: *Ibid.*, *dub.* 5.

12. Gregorius XIII, Pont. Max., assignavit canonicis ecclesiæ cathedralis tanquam inopis quasdam portiones fructuum, quos dividere consueverant inter parochos, et sacerdotes beneficiatos absque præfixione numeri parochiis inservientes, sed in parochiis juxta tempus, et horas ab Archiepiscopo designandas servitium præstare deberent. Hinc Archiepiscopus in actu visitationis horas designavit, et canonici conquesti sunt. At S. C. validum esse decretum decidit: *Lancianen.*, *Jurium Parochialium*, 13 *novem.* 1694.

13. Petrus Carantius provisus de canonicatu ecclesiæ cathedralis habente curam animarum adnexam petiit congruæ assignationem. Idcirco tribunal AC. curam tam actualem, quam habitualem existere penes capitulum decrevit, adeoque nullam præfato canonico deberi congruam. Re in S. C. delata resolvitur constare de unione vicariæ perpetuæ certæ præbendæ canonicali, et ad cautelam esse iterum faciendam: *Isernien.*, *Vicariæ*, 2 *junii* 1696, *dub.* 1.

14. Necnon vicario perpetuo assignandam esse congruam arbitrio Episcopi, dummodo non excedat

debeant eidem præbendæ aliquod simplex beneficium, cujus supplemento prædicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumqne mense, et qualitercumque Sedi Apostolicæ affectum, et reservatum. »

summam ducatorum 60 computatis in ea fructibus præbendæ, et aliis ad formam Bullæ Pii V, Pont. Max. [89], deciditur: *Ibid.*, *dub.* 3.

15. Ac eidem vicario perpetuo competere censuit omne exercitium curæ privative, quoad ceteros de capitulo cum omnibus emolumentis veris parochis competentibus: *Ibid.*, *dub.* 4.

16. Quum actum fuisset de assignatione congruæ facta canonico curato ecclesiæ cathedralis, et Episcopus declarasset constituendam esse eam in ducatis 60, computatis tamen in eadem congrua fructibus præbendæ, omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, exceptis tamen distributionibus quotidianis, quæ lucrantur ratione servitii personalis propter præsentiam in choro, ceterisque oblationibus, et eleemosynis, quæ dantur pro funeribus, sponsalitiis, et similibus; quumque ab hac sententia capitulum reclamasset, disputato dubio: an in congruam canonici curati imputari debeant distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione servitii spiritualis, et interventus choro, necnon cetera emolumenta parochialia expressa in sententia Episcopi? responsum prodiit affirmativum quoad primam, negativum quoad secundam partem: *Isernien.*, *Vicariæ*, 20 *april.* 1697.

17. Canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ archipresbyterum in curam animarum tam præsentem, quam ex quacumque causa legitimi impedimenti absentem coadjuvare, et pro hoc exercitio deputandos esse ab Ordinario duos, vel plures ex canonicis cum congruo emolumento ex primitiis canonicorum, et deputatos teneri in domibus canonicalibus residere S. C. definivit: *Comen.*, *Super dubiis*, 26 *junii* 1700, *dub.* 4 *et* 5, confirmatum, et additum fuit, ut pro exercitio curæ præfatæ nominandus sit unus de gremio canonicorum, approbandus ab Episcopo, qui non teneatur ad residendum in canonicatu, sed intra parochiæ fines cum congruo emolumento ab Episcopo determinando: 5 *martii* 1701.

18. Canonicus Bartholomæus Maionus unus ex coadjutoribus in cura animarum ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi oppidi Burgi Manerii, cui onus incumbit curæ exercitii in loco nuncupato Sanctæ Christinæ per mille, et ultra passus distante, non tenetur in ecclesia S. Christinæ residere, et per se ipsum exercere actus parochiales, aliaque onera ex fundatione in eadem ecclesia inhærentia: *Novarien.*, 12 *decem.* 1705, *dub.* 1.

19. Collegiatæ ecclesiæ terræ Gradularum quatuor capitulares canonici, qui de decimis, aliisque emolumentis parochialibus participant, in curæ animarum exercitio priorem coadjuvare tenentur ad formam sententiæ Card. Episcopi, nempe alternis vicibus, unus in quaque hebdomada: *Montis Falisci*, *Onerum parochialium*, 8 *maii* 1706.

20. Onus Missæ, quæ singulis diebus festivis in ecclesiis parochialibus debet ex dispositione juris pro populo celebrari, et applicari integre spectat respectu ecclesiæ collegiatæ S. Ægidii loci Tulphæ ad duos canonicos curatos, non accommodate tam ad dictos curatos quam ad alios canonicos dictæ collegiatæ: *Sutrina*, *Missæ parochialis*, 12 *januar.* 1709, *dub.* 1.

21. Minime per Episcopum cogendos esse canonicos ecclesiæ cathedralis ad exercendum per se ipsos aliquos actus intra annum S. C. resolvit. Nam licet cura habitualis, et actualis penes capitulum, ac illos canonicos resideat, tamen facultatem habuerant canonici duos deputandos capellanos amovibiles pro curæ exercitio: *Assisien.*, *Curæ animarum*, 24 *maii* 1710, *dub.* 2.

22. Præter Missam conventualem in ecclesia cathedrali, et parochiali Balneoregii non est celebranda et applicanda diebus festivis Missa parochialis a canonicis per vices, sed a canonicis curatis: *Balneoregien.*, *Missæ parochialis et conventualis*, 19 *aug.* 1713, *dub.* 5.

23. Et occurente, quod dicti duo canonici curati Missam conventualem celebrent vicissim diebus dominicis, ac festivis de præcepto, tunc per alium celebrari facere Missam parochialem tenentur: *Ibid.*, *dub.* 6.

24. Et quatenus Missa parochialis sit celebranda in diebus festivis a canonicis curatis in parochia Contradæ Rhotæ sufficit celebratio, ac applicatio unius Missæ pro populo, nec ambo canonici curati tenentur ad applicationem supradictæ Missæ: *Ibid.*, *dub.* 7.

[89] Const. *Ad exequendum*, 1 novemb. 1567 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 401), in qua derogatum est Concilio Trid. cap. 7, sess. 7, et cap. 16, sess. 25, *de Reform.* auferente arbitrium Ordinariis, ac statuente ut portio vicariis perpetuis assignanda omnino sit « non major centum, nec minor quinquaginta scut. annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis.... nisi solitum fuisset plus assignari, » ut legitur § 1 et 2, cit. Const. *Quæ scuta*, licet *Rota Decis. XVIII*, num. 14, part. 19, *recent.*, et juxta eam Pitonius, part. 2, discep. 46, num. 4, senserit, intelligenda esse de moneta loci, in quo ecclesia existit, ex posteriori tamen declaratione Innoc. XIII. Const. *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 258), § 12 intelligenda sunt de argenteis juliorum decem monetæ romanæ. Verum attendenda est Const. Benedicti XIV. *Cum nuper* 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163), in qua § 10, comprehenduntur etiam vicarii temporanei: et quoad congruam, tam his, quam illis assignandam dicta piana Constitutio redacta est ad terminos Concilii Tridentini.

25. Canonicusque curatus ecclesiæ parochialis Contradæ civitatis, ubi residere tenetur exemptus a servitio chori, non tenetur ordine cantare, et applicare in cathedrali Missam conventualem, et aliam Missam sub auroram celebrare, quæ alternis in dicta ecclesia ab omnibus canonicis tam diebus festivis, quam ferialibus celebratur : *Ibid., dub.* 8.

26. Ad dubium, an canonici, et coadjutores in curam animarum ecclesiæ collegiatæ terræ S. Quirici exigere taxam libr. 8 monetæ Senensis pro primo defuncto ex familia extraneorum, qui in eorum ecclesia humatur, possint? respondetur: Dilata, et coadjuventur probationes formaliter super prætensa consuetudine, et interim servetur solitum : *Pientina, Funerum,* 13 *januar.* 1714.

27 Canonicus ecclesiæ collegiatæ et parochialis S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris, qui curam animarum exercet, præter Missam conventualem a collegialibus celebrandam ipse diebus festis applicare aliam Missam pro populo tenetur : *Amalphitana, Oneris Missarum et curæ animarum,* 13 *april.* 1715, *dub.* 7.

28. Adjudicata cura habituali ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Majoris Pedemontis eidem capitulo, S. C. decrevit canonicos ejusdem ecclesiæ in fine cujuslibet anni devenire ad electionem duorum canonicorum pro exercenda dicta cura animarum, non autem debere eligere sacerdotes extra capituli gremium sancivit : *Aliphana, Curæ,* 12 *jan.* 1726, *dub.* 2.

29. Et dicta electio est ab Episcopo approbanda : *Ibid., dub.* 3.

30. Inter archipresbyterum, et canonicos ecclesiæ collegiatæ SS. Joannis et Andreæ terræ Canini lis orta est de adjumento in exercitio, et administratione curæ animarum. Canonici haud teneri contendebant tum ob curam actualem residentem penes archipresbyterum, tum ob immemorabilem in eorum favorem consuetudinem ; ac causa reddituum canonicatuum tenuitatis. S. C. jam canonicos ad illum coadjuvandum in curam animarum teneri, 10 *maii* 1727, firmavit. Ad novum examen revocata causa, indecisa stetit, sed demandavit, ut testes hinc inde formiter examinarentur, firmo interim remanente prædicto decreto : *Aquipendii,* 21 *febr.* 1728, *dub.* 1 *et* 2.

31. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Quirini Senalongæ, quibus incumbit cura animarum, tenentur ad applicationem Missæ conventualis diebus festivis et dominicis, quibus debent applicare pro populo; non autem simul pro populo, et benefactoribus applicare possunt : *Pientina,* 17 *febr.* 1731, *dub.* 2.

32. Celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai intra limites parochialis, et collegiatæ in ecclesiæ S. Martini civitatis Cerreti sita, non spectat ad canonicos dictæ ecclesiæ, privative quoad omnes, sed ad capellanum S. Nicolai cum facultate assumendi in dicta Missa, et anniversario presbyteros sibi benevisos. Nam Joannes Angelus Rosatus, qui in illa ecclesia capellanum fundavit, per suos capellanos peragi dictas functiones mandavit : *Thelesina, Anniversarii et Missæ solemnis,* 9 *febr.* 1732, *dub.* 1.

33. Adjudicata animarum cura actuali tantum præposito ecclesiæ collegiatæ et parochialis S. Mariæ Pedonis, et habituali capitulo, S. C. judicium fecit, jus peragendi functiones, quæ proprie parochiales non sint, et emolumenta ex eis provenientia non spectare ad præpositum privative, sed ad canonicos una cum præposito : *Mediolanen.,* 26 *april.* 1732, *dub.* 4.

34. Postmodum canonici excluduntur a S. C. a perceptione omnium emolumentorum, quæ quomodolibet sunt consueta, et proveniunt tum ex cura animarum, tum ex ejus exercitio, exceptis decimis; et dicta emolumenta adjudicantur privative præposito : *Ibid., dub.* 5.

35. Et canonici ad aliquod funus invitati possunt collegialiter ei intervenire ; etiamsi totidem alii sacerdotes eidem funeri non interveniant : *Ibid., dub.* 8.

36. Canonici vero valent sine consensu præpositi audire in ecclesia confessiones, et administrare sacramentum Eucharistiæ, de licentia Card. Archiepiscopi, excepta tamen communione paschali : *Ibid., dub.* 13.

37. Canonici coadjutores in cura animarum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis Rhaudi tenentur obtemperare præposito in eo, quod respicit exercitium curæ ad formam decreti vicarii generalis [90], moderata tamen pœna in summa arbitrio Card. Archiepiscopi præfinienda : *Mediolanen., Jurium parochialium,* 3 *dec.* 1735, *dub.* 1.

38. Et prædicti canonici coadjutores vocati pro explenda aliqua parochiali functione tenentur statim accurrere ad ecclesiam, nisi sint legitime impediti, aliter puniendi sunt ad normam supradictam : *Ibid., dub.* 2.

39. Ac vocato præposito pro aliqua functione

[90] Qui præcepit, ut iidem canonici coadjutores, sive a populo, sive a præposito vocati ad sacramenta ministranda aut alias parochiales functiones explendas, debeant sub pœna scut. 25 nulla interposita excusatione, accedere *Ead. causa,* 24 *sept.* 1735, § 2.

parochiali ipse non potest eam injungere alicui ex coadjutoribus canonicis, etiam in casu, quo non sit legitime impeditus : *Ibid.*, *dub.* 3.

40. In concursu autem plurium functionum parochialium eodem tempore explendarum potest præpositus eligere illam, quæ sibi magis libuerit : *Ibid.*, *dub.* 4.

41. Idem canonici coadjutores non possunt discedere, et abesse a parœcia absque expressa licentia præpositi : *Ibid.*, *dub.* 5.

42. Et hi tenentur allegare dicto præposito causam absentiæ, et impedimenti : *Ibid.*, *dub.* 6.

43. Nec licet dictis canonicis edere parochiæ incolis aliquam attestationem ad munus parochiale spectantem inconsulto præposito : *Ibid.*, *dub.* 7.

44. Canonici coadjutores parochi ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ loci Orbetelli non tenentur prædicare, et catechismum explicare diebus festivis in illis hebdomadis, quibus ipsi exercent animarum curam : *Nullius*, *Ortebelli*, 28 *april.* 1736, *dub.* 1.

45. Dubitatum exinde fuit, num prædicti canonici participare debeant de omnibus parochialibus emolumentis? et responsum fuit, ut solitum servaretur : *Ibid.*, *dub.* 2.

46. Canonici antiquiores pro tempore ecclesiæ collegiatæ S Jacobi Tolentinæ civitatis tenentur excipere confessiones fidelium, necnon priorem, cui est adnexa animarum cura, coadjuvare in aliorum sacramentorum administratione : *Tolentina*, *Servitii chori et Missæ conventualis*, 27 *maii* 1739, *dub.* 9.

57. Necnon iidem instruere pueros in doctrina christiana, et in casu indigentiæ, et arbitrio Episcopi priorem coadjuvare tenentur : *Ibid.*, *dub.* 10.

48. Ac ipsis deficientibus ab hujusmodi onere tenetur prior eis contribuere annuam præstationem quatuor rubrarum frumenti, et scutorum sex pro quolibet, quia in casu deficientiæ mulctandos esse judicio Episcopi S. C. rescripsit : *Ibid.*, *dub.* 11.

49. Canonici parochialis ecclesiæ oppidi Nerulæ, qui adjuvant archipresbyterum in cura animarum quoad tempus junctis interpolatis absentiæ vicibus, quo liceat quolibet anno abesse a residentia S. C. requisita est, et respondit servandam esse dispositionem Concilii Tridentini [91] de parochis : *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1742, *dub.* 3.

50. Exhibitum inde fuit dubium : An concurrente necessitate assistendi infirmo de tempore exercitiorum parochialium in ecclesia parochiali dicti oppidi spectet ad archipresbyterum assistentia præstanda infirmo, seu ad canonicos ? mandari rem ad Card. Episcopum cum omnibus facultatibus necessariis resolvitur : *Ibid.*, *dub*, 6.

51. Disputatum fuit dubium : An canonicus præpositus coadjutus in animarum curæ ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Prosperi civitatis Regii Lepidi teneatur assignare ædes ecclesiæ adnexas ex providentia testatorum destinatas canonico præposito coadjutori onus curæ absque ullo emolumento sustinenti ? S. C. protelavit resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [92] : *Regien.*, *Domus parochialis*, 5 *maii* 1742. Postmodum affirmativum dedit responsum ; ita tamen ut præpositus coadjutor teneatur exercere curam animarum per se ipsum, et inhabitare domum, de qua agitur : 24 *novem. ejusd. anni* : denuo eadem reproducta causa expositum fuit, præpositum coadjutum habere habitualem curam adnexam, et coadjutorem immiscere nequit eo dissentiente, et S. C. rescripsit : prævio recessu a decisis præpositum coadjutum in casu, de quo agitur, et inspectis peculiaribus circumstantiis non teneri assignare domum : quo vero ad obligationem præpositorum pro tempore exercendi curam animarum per se ipsos, et domum prædictam inhabitandi, videatur particulariter : 4 *maii* 1743.

52. Canonicus parochus ecclesiæ cathedralis tenetur Missam pro populo omnibus diebus festis, nec sufficit Missa conventualis, quæ a capitulo per vices quotidie applicata fuit, et applicatur pro populo ; etiamsi idem assereret capitulum promiscue curam actualem exercere ; *Hortana*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 1, confirmata 29 *dicti mensis ejusd. anni.*

53. Et idem canonicus parochus tenetur singulis festis diebus sermonem habere ad populum post Evangelii lectionem in Missa ; nec est servanda consuetudo explicandi Evangelium post doctrinam christianam haberi solitam a parocho in præfata ecclesia cathedrali : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

54. In nuperrima visitatione decrevit Episcopus, ut tot agerentur pro populo diebus festis sacra, quot sunt parochiales ecclesiæ unitæ collegiatæ terræ Montellæ. Ab hoc onere sublevari canonici cupientes, aiunt Summum Pontificem non æque principaliter, sed subjective fecisse unionem. Tenuitas etiam accedebat redituum, et immemorabilis con-

[91] Nempe in cap. 2, sess. 6, et cap. 1, sess. 23, *de Reform.* disponitur de residentia parochorum, aliorumque beneficiatorum curam animarum habentium « ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. »

[92] Nempe, ut certior fieret S. C., num præpositus ecclesiæ collegiatæ S. Prosperi præter domum, quam vocant *Præposituram*, ædes habeat canonicales congruæ ipsius habitationi idoneas, facilesque parochiæ incolarum accessui, numve modernus præpositus comes Canossa abnueret eas committi Cæsari Francisco de Palladis ejus coadjutori in habitandas concedere : *Ead. causa*, 24 *novem.* 1742, § 1

suetudo, ut nequiret hoc onere capitulum gravari. Proposito hinc disquirendo dubio, resolutio prodiit, quod ii canonici non tot Missas pro populo, quot sunt parochiales ecclesiæ suæ collegiatæ unitæ, sed unam tantum Missam singulis diebus festis celebrare teneantur ; *Nuscana*, 17 *januar.* 1756.

55. Ad dubium, an canonici collegiatæ ecclesiæ terræ Stabiæ teneantur cum archipresbytero subire onus curæ animaruum ? S. C. ut datur dubium super pertinentia curæ habitualis, et actualis, et confirmari decretum factum ab Episcopo visitationis [93] mandavit : *Civitatis Castellanæ*, 25 *sept.* 1762, *dub.* 1.

56. Non licet canonico cathedralis ecclesiæ exercere extra ecclesiam prædictam curam animarum, quæ neque actualiter, nec habitualiter ad capitulum spectat. Nam incompatibile cum canonicatu hoc videtur : *Venusina*, 30 *julii* 1763, *dub.* 6.

57. Expetita a S. C. fuit hujusce dubii definitio, an sex canonici liberæ collationis ecclesiæ terræ Brixichellæ teneantur coadjuvare vicarium curatum ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Plebis Octavi in exercitio curæ animarum ; seu teneantur dumtaxat eumdem coadjuvare in sola Missarum celebratione diebus dominicis, et festis ? Rescribitur, affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Nam unioni peractæ ecclesiæ parochialis a Clemente VIII, Pont. Max., dictæ collegiatæ, ut vicarius curatus apponeretur, adjectum fuit in litteris apostolicis, quoad *unionem animarum cura in dicta ecclesia S. Joannis Baptistæ nullatenus negligatur, sed ejus, etc.*, congruæ supportentur onera consueta : *Faventina, Coadjutoriæ*, 12 *martii* 1763.

58. Duo canonici collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai montis Prandoni auxiliarii in cura animarum tenentur alternis hebdomadis ad tramites bullæ erectionis coadjuvare præpositum in exercitio ipsius curæ, ita tamen, ut unus teneatur principaliter, et alter in subsidium ; etsi in decreto confirmationis erectionis nulla fuerit facta mentio de separatione temporis, et alternativa. Nam ipsi contendebant teneri qualibet hebdomada unumquemque : *Ripana*, 8 *julii* 1775. Denuo reproducta causa instantibus canonicis, et impugnante præposito penes ipsum, et penes canonicos coadjutores indistinctum onus curæ animarum residere : S. C. respondit : præpositum principaliter teneri ad curæ exercitium, et una simul subsidiarie etiam coadjutores alternis hebdomadis juxta antecedentem resolutionem ; ita ut si vocati fuerint a parochiæ incolis accurrant, et suppleant in reliquis vices præpositi rationabili causa impediti, et ad mentem [94] : 3 *febr.* 1776.

59. Ad dubium exhibitum, an canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Michælis urbis Firmi curam animarum habentibus in dicta collegiata liceat sacramentales confessiones, aliasque parochiales functiones in eadem ecclesia explere singulis diebus festivis, et feriatis hora divinorum officiorum ; seu sit servanda constitutio synodalis anni 1660 ? rescribitur, ut servaretur constitutio præfata : *Firmana*, 8 *junii* 1782, *dub.* 2, confirmata 6 *sept.* 1783.

60. Ac dicti canonici curam animarum habentes tenentur habitare ædes ecclesiæ adnexas, eisque destinatas, nec aliis illas locare, aut quomodolibet concedere valent : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*, et additum fuit, nisi de licentia Archiepiscopi.

61. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Christinæ Urbis Veteris nuncupati capitulares, qui ex inveterata consuetudine parochum adjuvant ; etsi eorum erectiones perierint, exercent tamen suapte jure munera parochialia, et de his participant ; disputato proinde dubio ; an teneantur coadjuvare præpositum in exercitio curæ animarum, et præcipue in assistendis moribundis ? Censuit S. C. teneri in casu necessitatis tantum, servato in reliquis solito : *Urbevetana*, 31 *maii* 1766, confirmatur inde decretum Episcopi [95], latum contra ipsos canonicos contendentes de casu necessitatis, et decretum detrectantes : 30 *aug.* 1788.

62. Defectus Missæ conventualis in ecclesia ca-

[93] Nam anno 1759, quum necessitas urgeret ministrandi sacramenta infirmo, dum archipresbyter hortator adstabat altari morti proximo ; Episcopus, qui tunc pastoralem visitationem peragebat in terra Stabiæ, monuit canonicos, ut in eo casu necessitatis operam adjutricem præstarent archipresbytero, et christianæ pietatis officia infirmo exhiberent ; sed renuerunt canonici, negantes se huic oneri subjectos. Quapropter Episcopus decretum tulit his verbis « Essendo stati li canonici moderni rettori delle anime, come costa dall'erezione della collegiata, » (nempe ex unione Campestrium ecclesiarum S. Blasii, S. Mariæ de Aquaviva, et S. Joannis in Janiculo in agro Stabiensi), « quantunque la cura parochiale ora si eserciti attualmente dall'arciprete ; dichiaramo, che nel caso di qualche vero, e reale impedimento del medesimo, o perche occorra la necessita di amministrare nell'istesso tempo a piu Infermi, o di assistere a piu moribondi, li canonici per obligo loro preciso debbano supplire al bisogno, senza scusa di non avere essi la cura delle anime. » *Ead. causa*, 25 *sept.* 1762, § 2.

[94] Mens est, ut Episcopus provideat in casibus particularibus pro sua æquitate, et prudentia, et scribatur juxta instructionem. *Ead. causa*, 3 *febr.* 1776.

[95] S. C. *die* 4 *maii* 1786 ad postulationem Episcopi respondit, ut qualibet hebdomada duo designandi sint canonici vicissim, qui nulla excusatione admissa, præterquam in devolutivo ad eminentissimam tuam priori manum adjutricem præstare cogantur. Hinc Episcopus die 28 octob. dicti anni hoc tulit decretum, quod uni dumtaxat ex quinque capitularibus canonicis, qui præpositum in animarum cura coadjuvare debent, in singulas hebdomadas alternis vicibus onus incumbat, monendo præpositum,

thedrali exposuit Episcopus, quod tres canonici curati præter Missæ pro populo omnibus diebus festis applicationem, conventualem pro benefactoribus minime applicant, quia grave curæ onus sustinent, et singuli tenuem reditum scut. 22, et incertorum scut. 2 percipiunt; idcirco postulata a capitulo Missæ conventualis reductione, et obtenta ad solos dies festos quoad applicationem; inde definiit canonicos curatos teneri præter Missam pro populo diebus festis, etiam ad Missam conventualem per alium vicissim ex reliquis duobus curatis: *Brugnaten.*, *Missæ Conventualis, et pro Populo*, 28 *maii* 1796, *dub.* 2.

§ II.

Canonici quoad dignitatem, jura, ac potestatem.

1. S. C. declaravit decreto cap. 12, sess. 24, vers. *Omnes* [96], non esse sublatam capitularibus facultatem sese invicem in servitio chori substituendi, dummodo eodem tempore substituens, et substitutus eidem servitio adstricti non sint: *Eugubina*, 15 *decem.* 1605.

2. Hæc S. C. quoad facultatem canonicorum sese invicem substituendi resolvit: eos tantum, qui in civitate, ubi est cathedralis ecclesia, vel in ejus suburbiis sunt præsentes, non autem alios posse substituere: *Alatrina*, 24 *martii* 1612. *dub.* 1.

3. Causamque non requiri ad substituendum censuit. Quod vero monuit S. C. ut Episcopo cordi sit, ne canonici ea substituendi facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones hujusmodi sint nimirum frequentes, quod Episcopi erit arbitrio: *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Insuper absentes a choro, et a diœcesi non posse substituere S. C. ead. voluit: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Canonici sine Episcopo an possint clericos inservientes ejicere, et alios loco ipsorum subrogare? Capitulo inaudito nihil esse decernendum censuit S. C.: *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 10.

6. Canonicos posse ad invicem se substituere, dummodo non substituantur ii, qui eodem prorsus tempore adstricti sunt servitio ecclesiæ; et Episcopum curare debere, ne canonici hac facultate substituendi abutantur, S. C. declaravit pariter: *Callien.*, 29 *julii* 1628; *Leirien.*, 7 *sept.* 1630.

7. Ad dubium, an possit tolerari abusus, quod singuli canonici retineant in proprium, et particularem usum omnino separatum a ceteris canonicis, et quibuscumque sacerdotibus calicem, et paternam, et alia paramenta sacerdotalia, quæ sunt propria sacrarii? hujusmodi consuetudinem in hoc casu posse tolerari respondit: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 11 *martii* 1663, *dub.* 3.

8. Exhibito dubio, an canonici cathedralis ecclesiæ possint accedere ad ecclesiam collegiatam S. Mariæ temporibus, de quibus in transactione [97], anni 1603 agitur, nisi a canonicis collegiatæ invitentur? Negativa est data responsio: *Fundana*, *Assistentiæ*, 28 *novem.* 1680, *dub.* 2.

9. Canonici Tyburtini supposita consuetudine sese invicem substituendi, quando substituentes a civitate, vel a suburbiis non sunt absentes, et quando illi, qui substituuntur, non sunt servitio ecclesiæ adstricti, supplicarunt pro facultate substituendi etiam in casu, quo ad S. Domum Lauretanam, vel ad urbem, necnon cetera loca per viginti milliaria circiter se conferrent; sed S. C. preces rejecit: *Tyburtina*, 21 *febr.* 1682.

10. Proposito dubio, an canonicus cathedralis ecclesiæ, cui est adnexa animarum cura, possit exercere munus vicarii generalis, responsum dedit S. C. negativum: *dub.* 3, 3 *febr.* 1635.

11. Quum Episcopus reprobasset in actu visitationis modum inserviendi per substitutum, et capitulum reclamasset, antiquum decretum capitu-

quod sibi non liceat, nisi in casu necessitatis, non autem pro sui libito onus in alios refundere; et canonicos, quod omnes, quoties, infirmorum copia datur, nedum ex charitate, sed ex justitia teneantur. *Ead. causa*, 30 *aug.* 1788, § 2.

[96] *De Reform.*: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia. » Quæ verba ita Bened. XIV. *Inst. Eccles. CVII*, § 3, num. 17, pag. 752 expendit. « Ex illis Tridentini Concilii verbis: ***Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia,*** si generatim intelligantur, hæc necessario consequi debent canonicum muneri suo deesse, si solum mansionarium, aut capellanum psallere in choro permittat; haud licere canonico, vel beneficiario abesse choro, aliumque sacerdotem, vel clericum loco suo subrogare, quæ sane omnia veritati penitus congruunt, sed illud etiam ex iisdem verbis sequitur haud licitum esse canonico, vel mansionario, ad quos pertinet interesse choro (ubi nempe divinum officium a tertia parte, vel a dimidio capituli persolvi consuevit) chorum negligere, aliumque canonicum a canonico, vel mansionarium a mansionario subrogari, quamvis ii, qui substituuntur a choro liberi, et immunes tunc fuerint: verum id nimis ad severitatem accedit: ideoque statuendum videtur, hoc ipsum decreto conciliari, quod superius exposuimus, minime comprehendi. »

[97] Hæc transactio inita fuit inter dictam collegiatam, et cathedralem ecclesiam. In ea inspecta immemorabili consuetudine partes convenerunt, ut Archipresbyter, et canonici collegiatæ in sacris Natalis Domini, et Paschatis diebus et quandocumque Episcopus pontificali more sacra perageret; in cathedralem confluerent, divina celebraturi; quin etiam, Episcopo non celebrante, eumdem morem gererent, recurrentibus festivis diebus SS. Apostolorum Petri, et Pauli, et S. Honorati civitatis patroni: *Ead. causa*, 24 *sept.* 1712.

lare editum die 1 januar. 1621 allegans, S. C. rescripsit prædictam resolutionem capitularem, necnon decretum ab Episcopo editum reduci debere ad normam resolutionum S. C. editarum in Alatrina, Callien. et Leirien. [98] supra expositis : *Ferentina Juris substituendi*, 17 *novem*. 1685.

12. Prætendentibus canonicis civitatis Foggiæ ingredi occasione funerum ecclesias regularium, ac cadaveribus justa facere? S. C. respondit eos ingredi licere, non autem exequias peragere : *Trojana, Funerum*, 17 *junii* 1702.

13. Laurentio Cianio canonico ecclesiæ collegiatæ terræ Corinalti, pro tempore, quo subcollectoris munere juxta privilegium Sixti V, Pont. Max., fungitur, facultas per substitutum inserviendi denegata fuit : *Senogallien., Distributionum*, 2 *junii* 1703, *dub*. 2.

14. Quum quæsitum fuisset, an canonicis ecclesiæ cathedralis liceat occasione funerum ingredi ecclesiam patrum Societatis Jesu cum stola, et cruce? Ad S. C. Rituum [99] res definienda commendatur : *Tusculana, Funerum*, 16 *junii* 1703.

15. Contentione exorta inter priorem, et canonicos ecclesiæ cathedralis super administratione sacramentorum, præsertim baptismatis quam utraque pars indipendenter contendente ad se spectare asserebat S. C. partibus informantibus exhibitum fuit dubium : An canonici dictæ ecclesiæ possint ministrare in eadem sacramentum baptismatis, absque prioris licentia? negativum datum fuit responsum : *Fulginaten., Administrationis sacramentorum*, 5 *april.*, 1704. Deinde S. C. mutavit consilium, et affirmativum præbuit responsum : 9 *aug. ejusdem. anni.*

16. S. C. fuit interrogata, num canonici ecclesiæ cathedralis diebus feriatis reliquos canonicos, et beneficiatos ad assistentiam eis præstandam pro diacono, ac subdiacono, cogere possint, sicut archipresbyter valet? S. C. servari decretum Visitationis Apostolicæ anni 1603 sanxit : *Tusculana, Missæ conventualis*, 21 *april*. 1708, *dub*. 6.

17. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Vinearum non possunt presbyteris de massa ejusdem ecclesiæ recitationem officii parvi sanctæ Crucis in capella Sanctissimi Crucifixi dictæ ecclesiæ juxta Jacobi Squarciafici patroni desiderium vetare, dummodo recitatio post expleta divina in choro ecclesiæ fiat : *Januen., Pii oneris*, 16 *nov*. 1715 [100].

18. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Stephani tempore, quo Missæ concinuntur a societate Sanctissimi Rosarii inibi admissa in ejusdem altari, non recedendo ab eorum choro ibidem Missis cum cantu, dummodo in sacrario non adsint, assistere possunt : *Regien.*, 5 *aug*. 1719, *dub*. 2.

19. Et permittente archipresbytero, et parocho sodales impedire canonicis celebrationem Missarum in eodem altari Sanctissimi Rosarii nequeunt : *Ibid., dub*. 9.

20. Dubiis propositis : Canonici integræ præbendæ cathedralis ecclesiæ solemniter celebrantes in quibuscumque anni diebus ab aliis canonicis integræ præbendæ legitime non impeditis inservire in munere diaconi, et subdiaconi per se ipsos valeant, vel ii inservire per alios possint?

21. An in casu, quo propter legitimum impedimentum præfati canonici substituere valeant sive in celebrando, sive inserviendo in munere diaconi, et subdiaconi, substitui pariter canonici integræ præbendæ debeant, vel quilibet presbyter, vel hebdomadarius substitui possit?

22. An canonici tam integræ quam dimidiæ, et quartæ præbendæ proportione servata per hebdomadas personaliter interesse choro, et Missas ad se spectantes canere, non solum in diebus festivis de præcepto, sed etiam in aliis non festis, teneantur, vel interesse, et celebrare per simplices hebdomadarios ad illud munus deputatos valeant? S. C. in aliud tempus duxit resolutioeem, præcepitque ut exquiratur particulariter super confirmatione statutorum : *Ulissiponen., Orientalis*, 5 *dec*. 1722, *dub*. 4, 5 *et* 6.

23. Minime S. C. tribui censuit canonicis collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Martini civitatis Cerreti celebrationem Missæ solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai intra limites dictæ collegiatæ sita, privative quoad omnes ; sed capellano ejusdem ecclesiæ S. Nicolai, cujus capellaniæ fundator ab eo peragi functiones mandaverat, adjudicari putavit : *Thelesina, Anniversarii et Missæ solemnis*, 9 *febr*. 1732, *dub*. 1.

24. Canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Agathæ scrutinio synodi diœcesanæ subesse S. C. resolvit : *Cremonen., Synodi*, 5 *april*. 1732, *dub*. 4, confirmata 29 *aug*. 1733.

25. Canonicos ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Pedonis, penes quorum capitulum cura

[98] Vide num. 2, 3, 4, 6, præsenti paragrapho.

[99] Non posse parochos cum stola, et cruce elevata ingredi ecclesias regularium occasione associationis cadaverum, quæ ad eorum ecclesias deferuntur, pluries fuit resolutum a Sacris Congregationibus tum Concilii, tum Episcoporum, et Regularium, tum Sacrorum Rituum, et confirmatum a pluribus Summis Pontificibus. Ita Ferrarius in sua *Can. Bibliotheca* verb. *Parochus*, art. 3, num. 66, et ita dicendum est de canonicis, qui curam animarum exercent.

[100] Advocatus Dominicus Ursaya hanc causam patrocinatus est, et publici juris fecit rationes pro negativa responsione. *Discept. Eccles. XIII*, tom. 3, part. 2, *per tot*.

animarum habitualis residet, ad aliquod funus invitatos collegialiter ei intervenire; etiamsi totidem alii sacerdotes eidem funeri non intersint, posse S. C. sancivit: *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 8.

26. Canonicos vero absque præpositi consensu, apud quem est cura animarum actualis, posse audire in ecclesia confessiones, et sacramentum Eucharistiæ administrare, de licentia tamen Card. Archiepiscopi, excepta tamen paschali communione, ead. S. C. declaravit: *Ibid.*, *dub.* 13.

27. Canonici ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Nicolai terræ Pontiani Missam solemnem in diebus duobus festis S. Michaelis Archangeli in ecclesia eidem Sancto dicata celebrare nequeunt; sed utique capellanus dictæ ecclesiæ, cui fundator capellaniæ hoc onus imposuit, valet. Non constabat enim de jure patronatus in favorem capituli: *Nullius seu terræ Pontiani, Missæ solemnis*, 9 *julii* 1735.

28. Canonici Grandini, et contestabili una cum canonico Bonfili collegiatæ ecclesiæ SS. Faustini, et Jovitæ, tueri jura sui capituli possunt, etiamsi essent reluctantes alii canonici cum priore: *Viterbien.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 4.

29. Joannes Bezzi canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi urbis Tolentinæ sub conditione, dummodo servitio chori, et oneribus canonicatus satisfaciat, valet munus confessarii monialium S. Agnetis exercere: *Tolentina, Servitii chori, et Missæ conventualis*, 26 *maii* 1739, *dub.* 13.

30. Canonicis collegiatæ ecclesiæ oppidi Joviæ non licet Missarum eorum portionem ex Missis in ipsa ecclesia celebrandis sumere, et presbyteris participantibus assignare æqualem sacrorum partem ex ceteris tam in dicta collegiata, quam in capella nuncupata *del vero zelo*, peragendis; sed canonici prefati eorum portionem sumere etiam ex Missis in prædicta capella celebrandis tenentur: *Baren.*, *Distributionis Missarum*, 13 *sept.* 1749.

31. Inter ceteras controversias canonicorum collegiatæ S. Mariæ in Via Lata Urbis orta est quæstio circa discessum a choro ad celebrandam Missam, quam celebrari illo tempore constitutiones capitulares vetant, nisi pro necessitate, et maxima populi commoditate, obtenta a præfecto, vel chori licentia. Hac de causa dubio exposito, an quomodo, et de cujus licentia celebrare canonicus Missam tempore choralis officiaturæ valeat? S. C. respondit, affirmative juxta votum Card. diaconi, qui servari constitutiones optat, nec pro licentia solitum salutationis in discessu a choro signum sufficere censet: *Romana, Servitii chori*, 17 *septem.* 1796, *dub.* 1.

§ III.

Canonici quoad fructus, distributiones quotidianas, et emolumenta.

1. Quum quandoque in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis essent aliqui canonici, vel alii officiales; qui in iisdem habent capellanias, vel in titulum, vel tanquam mercenarii, quæritur, an eo tempore, quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro; et quid de illis canonicis, qui celebrant in eadem ecclesia suæ devotionis gratia, an qnando hac causa a choro absunt, distributiones recipere possint, et dato quod non; quid si a superiore ecclesiæ eis injungatur, ut eo tempore celebrent? re ad Sanctissimum delata ita responsum. Sanctissimus D. N. etiam ex sententia S. C. Concilii declaravit, non posse, nisi quando sic jussissent superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi jussu se abstineant: *Mediolanen.*, *anni* 1573.

2. Cupientes canonici, ut augeantur distributiones, si intervenire debeant choro, S. C. respondit id agendum ex præscripto decretorum Concilii sess. 21, cap. 3 et sess. 22, cap. 3 [101], *Regien.*, *anni* 1573, *dub.* 3.

3. Canonicos ecclesiæ cathedralis absentes de licentia Episcopi causa studiorum posse percipere reditus præbendæ, nullas tamen distributiones, sed relinquendum arbitrio Episcopi, vel capituli, quot canonici absint eodem tempore ex dicta causa, et spatium temporis ad quinquennium a principio studii inchoandum, statutum est: *Tudertina, anni* 1573, *dub.* 1.

4. Et quum esset antiqua constitutio in dicta ec-

[101] *De Reform.* in sess. 21, cit. cap. cautum est, ut tertia pars quorumcumque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum convertenda est in distributiones quotidianas, ubi eæ sunt ita tenues, ut negligantur, dividanturque solis intervenientibus salva consuetudine, per quam non inservientes recipiunt, minus tertia saltem parte. Et in sess. 22, cit. cap. idem statuitur de massa distributionum quotidianorum creanda, et quoad applicationem earumdem videtur repugnare alteri decreto, quum præcipiat, portionem distributionum, quæ absentibus obveniret, si interessent, deberi applicari fabricæ ecclesiæ, si indigeat, vel alteri loco pio, arbitrio Ordinarii. Verum utramque dispositionem ita Barbosa conciliat in Concil. Trid. sess. 21, cap. 3, num. 18: « Hoc decreto agi de canonicatibus, et portionibus, et fieri de necessitate hanc detractionem, quando sunt nullæ distributiones, et ita tenues, quæ distribuuntur interessentibus tantum: sed in cap. 3, sess. 22, deduci hanc tertiam partem ex dignitatibus etiam non ex necessitate, sed in odium non residentium, et partem absentium non præsentibus, sed alicui pio loco esse applicandam. »

clesia, ut canonici, qui infirmantur, durante eorum infirmitate percipiant fructus tam præbendæ, quam quotidianarum distributionum, et consuetudo introducta sit, ut ipsi infirmi fructus tantum præbendæ consequantur, non autem quotidianas distributiones. Quæritur in hoc casu, an constitutio, vel consuetudo sit servanda? respondit S. C. consuetudinem, si legitime præscripta est, tollere constitutionem: *Ibib.*, *dub.* 2.

5. Adest consuetudo, ut canonici missi a capitulo pro ecclesiæ, seu capituli servitio percipiant fructus præbendæ, et distributiones quotidianas, an sit observanda? Observandam esse, si canonici absint pro evidentiecclesiæ utilitate, firmatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Et quoad visitantes ecclesiam Lauretanam, Angelorum de Assisio, non posse eos lucrari distributiones quotidianas, fructus vero præbendæ posse, si intra tres menses a decreto Concilii sess. 24, cap. 12 [102], concessos, fecerint has peregrinationes, constituitur: *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Quæritur, num de omni genere, et qualitate fructuum, qui ex beneficiis residentiam petentibus colliguntur, loquatur Concilium; et idcirco, qui ab ecclesiæ servitio ultra tres menses abest, non modo privetur distributionibus, quas lucratus fuisset, si per tres illos menses debitum servitium præstitisset; sed etiam media parte earum distributionum, quæ illi debentur ob residentiam reliquorum octo mensium, idemque de præbendarum fructibus? S. C. censuit dictum cap. 12, comprehendere omnes fructus tam præbendæ, quam residentiæ: *Mutinen.*, *julii* 1575, *dub.* 5.

8. Num liberum sit Episcopo hanc dimidiam partem fructuum piis locis vel fabricæ ecclesiæ elargiri? censuit applicandam esse ecclesiæ in usum, et utilitatem ipsius: *Ibid.*, *dub.* 5.

9. Vel sit habenda ratio qualitatis fructuum, ut portio tertia distributionum tota dividatur his, qui interfuerint? distributionum portionem ita esse dividendam, sancitur: *Ibid.*

10. Quo casu tamen, consulendum, quid facto opus sit, ubi fere omnes canonici duobus, aut tribus ad summum exceptis præter medietatem anni intermissis tamen vicibus absunt a servitio ecclesiæ, nec levi conjectura suspicetur Episcopus ex inveterata inter eos collusione unumquemque postea integram suorum fructuum portionem recipere? declaravit S. C. ipsos primo anno privandos esse dimidia parte, pro secundo omnibus, pro tertio prout sancitum est dicto cap. 12, respectu scilicet distributionum, et ideo si de ea legitime constiterit, debere Episcopum jure agere in reos, respective vero fructuum præbendarum esse in facultate canonicorum illos remittere, quum applicandi sint ecclesiæ: *Ibid.*

11. Declaravit S. C. consuetudinem, cujus vigore canonici primi anni fructus non percipiunt, sed accrescunt præbendis antiquorum canonicorum, esse a Concilio sublatam, ac per Constitutionem S. Pii V, Pont. Max. [103], nec esse tolerandam: *Avenionen.*, *de mense octob.* 1586, *dub.* 21.

12. Censuit S. C. decretum 14 sess. 24, *de Reform.* ac bullam S. Pii V [104]. Super eadem re editam non comprehendere consuetudinem ecclesiarum deserviendi per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendi interim de massa grossa, nisi peracto integre dicto servitio: *Meliten.*, *mense martii* 1587.

13. Putavit S. C. portiones distributionum non deservientium canonicorum, deservientibus accrescere juxta cap. 3, sess. 21 [105]: *Meliten.*, *maii* 1587, *dub.* 1.

14. Ita proportione servata distributiones dividantur, ut qui plus contulerit, plus etiam lucretur pro rata portione: *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Non lucrari distributiones quotidianas, si non intersunt divinis etiam in tribus mensibus permissis a Concilio cap. 12, sess. 24 [106]: *Ibid.*, *dub.* 3.

16. Canonicum, qui divinis non interest, quantumvis sit inquisitor hæreticæ pravitatis, non lucrari distributiones quotidianas constituitur: *Civitaten.*, *octob.* 1587.

17. Canonici absentes tribus mensibus permissis lucrantur quidem fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas, eaque in re non est attendenda contraria consuetudo, quum Concilium cap. 12, sess. 24, vers. *Distributiones vero* [107], quoad

[102] *De Reform.*, hisce verbis concepto: « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. »

[103] Gallemart ad hoc caput *in annot.* ait: « Neque hoc decreto neque bulla Pii V, super hac eadem re edita, comprehenduntur statuta ecclesiastica deserviendi per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendi interim de massa grosa, nisi peracto integro decreto servitio, idque post obitum hæredibus deberi, cum potius sit differre, quam auferre. »

[104] Vide not. 103.

[105] Vide not. 101.

[106] Vide not. 102.

[107] « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint recipiant: reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII, decretum, quod incipit *Consuetudinem*, quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibns. »

distributiones ab intervenientibus tantum lucrifaciendas in usum revocet Constitutionem Bonifacii nempe cap. unic. *de Cleric. non resid.* in 6° [108], cujus initio præfata consuetudo improbatur: *Ibid.*, *dub.* 2.

18. Quoad negligentiam chori servitii, quia distributiones quotidianæ, quæ amittuntur in hebdomada, in altera acquiruntur, hujusmodi collusioni obviam eatur a S. C., et satis erit, ut deficientium portio inservientibus, quibus accrescit, illico distribuatur, utque omnes canonici novem integros menses sive continuos, sive interpollatos inservire compellantur, procedere contra eos juxta decretum Concil. cap. 12, sess. 24 [109], *Mileten.*, *febr.* 1590, *dub.* 3.

19. Censuit S. C. injungendum esse nuntio, itemque Card. Toletano, ut litteræ Congregationis, quibus declaravit hæreticæ pravitatis inquisitorem, eumdemque cathedralis thesaurarium, et canonicum, nisi divinis intersit, non lucrari distributiones quotidianas, omni mora postposita exequantur: *Civitaten.*, 25 *april.* 1591.

20. Arbitrata est S. C. consuetudinem cathedralis ecclesiæ, secundum quam canonici in ordine subdiaconatus constituti tertiam, constituti in ordine diaconatus dimidiam, et presbyteri integram portionem percipiunt, validam esse, nec sublatam decreto Concilii cap. 14, sess. 24 [110]; proindeque Episcopus eam si in ecclesia legitime hactenus observata sit, etiam in posterum observari curet: *Marsicana*, 5 *april.* 1591.

21. Abusus expositus est, ut novi canonici ecclesiæ S. Juliani 153 florenos capitulo solvere cogantur, neque fructus ullos ex piis canonicatibus per triennium percipiant, sed ii inter canonicos dividantur. Quod quia contra ipsius Concilii decreta inductum est; ideo S. C. scribendum censuit capitulo, neque prædictam summam flor., neque fructus canonicatus Arnoldi Bougolet exigi, et inter canonicos dividi potuisse refragante ipso Concilio Trid. cap. 14, sess. 24 [111]. Quinimmo, si in usum fabricæ, vel sacrarii, sive in alium pium usum ultra semestre tempus dicti canonicatus fructus reperirentur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi fabricæ, aut pio loco tribuenda esset, altera vero ipsi oratori juxta Pii V, Pont. Max., Const. [112]: *Leodien*, 8 *octob.* 1592.

22. Episcopo Rubensi respondit S. C. ut caveat, ne distributiones dentur, nisi actu inservientibus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: *Ruben.*, 3 *april.* 1593.

23. Censuit S. C. posse utique hujusmodi canonicum in publica Universitate sacram Theologiam docentem, etiamsi ab ecclesiæ servitio absit, percipere hujusmodi distributiones quotidianas, quibus omnes reditus capituli constant, dimissa tamen altera ex tribus partibus, quarum pars inservientibus accrescit: *Bononien.*, *febr.* 1597, *dub.* 1.

24. S. C. respondit, si Orator est legitime ætatis, ita ut infra annum possit promoveri ad sacerdotium, ut requirunt canonicatus ecclesiæ cathedralis, durante anno, si statis horis interfuerit, percipere debere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas sui canonicatus. Quod si lapso anno justo impedimento cessante non fuerit promotus, ei subtrahendam esse dimidiam partem distributionum, quamvis divinis interfuerit, sicut cavetur Const. Clem. V, Pont. Max., quæ incipit *Ut ii qui*, innovata decreto ejusdem Concilii cap. 4, sess. 22 [113]: *Eugubina*, 14 *febr.* 1609.

25. Canonicum non debere ullum etiam minimum chori servitium prætermittere causa pulsandi organum pneumaticum, et si prætermiserit præter fructum, ac distributionum jacturam etiam aliis pœnis esse coercendum, S. Cong. sententia fuit, *Brixien.*, 25 *novem.* 1611.

26. Canonici non debent percipere distributiones quotidianas, nec excusantur, nisi quum absint revera causa colligendi fructus massæ communis: *Alatrina*, 26 *martii* 1612, *dub.* 3.

27. S. C. censuit, si omnes cathedralis ecclesiæ reditus quotidianis distributionibus constant, canonicos absentes tribus mensibus a Concilio permissis debere illas lucrari, amissa tantum tertia earum parte, quæ inservientibus accrescit: *Civitatis Castellanæ*, *Punctaturar.*, 19 *april.* 1614.

28. Quum S. C. definierit eosdem canonicos, qui tenentur assistere, et inservire Episcopo cele-

[108] Hæc decretalis prohibens recipi posse ab absentibus distributiones, et etiam eas, quæ dantur pro anniversariis defunctorum, innovata, et ampliata est a Trid. cap. 12, sess. 24, *de Reform.* inhibente quamcumque collusionem, aut remissionem, circa harum receptionem: ne scilicet a præsentibus eis condonentur, neque paciscantur, ut postquam sibi traditæ fuerint, illis restituantur. Hodie vero ab hac Bonifacii prohibitione excipiuntur nonnulli, quoad ex declarationibus S. C. Concilii patet; et congerit Giraldi *Eposit. Jur. Pontif.* tom. 1, pag. 243 seqq.

[109] Vide not. 65, verb. *Canonicatus.*

[110] Vide not. 158.

[111] Vide not. 158.

[112] *Durum nimis* 1 junii 1570 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 3, pag. 108) in qua § 4, legitur. « Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, et distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant. » Vide not. 158.

[113] *De Reform.* Vide not. 67, verb. *Canonicatus.*

branti, et pontificalia exercenti in cathedrali, teneri etiam assistere, ei inservire celebranti, et pontificalia exercenti in aliis civitatis locis, atque in ejus suburbiis; etiam decrevit ejusmodi canonicos id officii Episcopo præstantes debere percipere distributiones quotidianas : *Januen.*, 26 *novem.* 1616.

29. Canonicos studiorum causa absentes eam tantum portionem amittere, quam residentes non percipiunt, nisi divinis interfuerint; alium vero partem, quam residentes lucrantur, etsi ecclesiæ non inserviant, deberi absentibus studiorum causa, quia sacris Canonibus pro residentibus habentur, S. C. declaravit: *Maceraten.*, 10 *decem.* 1616.

30. S. C. definivit, canonicum, ut proponitur, absentem punctari debere, nec licere canonicis eadem puncta, seu quotidianas distributiones remittere, aut condonare, cum ejusmodi collusiones, aut remissiones prorsus sustulerit ejusdem Concilii decretum, cap. 12, sess. 24 [114]: *Terracinen.*, 13 *januar.* 1624, *dub.* 2.

31. Definiit S. C. canonico ægroto, quamvis extra locum cathedralis ecclesiæ, in qua canonicatum obtinet, ægrotaverit, præstandas esse totius ejus temporis distributiones : *Dubium distributionum*, 17 *febr.* 1624.

32. Proposito dubio, an canonici, quibus non incumbit uti canonicis onus audiendi confessiones, si pro iis audiendis absint a chori servitio, lucrentur distributiones quotidianas? Respondit S. C. minime lucrari: *Neritonen.*, 22 *junii* 1624, *dub.* 2.

33. Dubitatum insuper fuit, an canonici celebrantes Missam submissa voce eo tempore, quo divina officia celebrantur, possint percipere distributiones quotidianas, perinde ac si divinis interessent? rescribit non deberi percipere, nisi illa hora ad celebrandam Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsi fuerint: *Ibid.*, *dub.* 3.

34. Commisit S. C. Episcopo, ut si quidem compererit ex consuetudine legitime præscripta canonicos in presbyteratus ordine non constitutos, quum actu inserviant, non lucrari nisi tertiam distributionum partem, assignari procuret canonico oratori studiorum causa absenti duas tertias partes prædictæ tertiæ una cum fructibus præbendæ, qui, ut proponitur, adeo sunt tenues, ut quartam distributionum partem non excedant : *Camerinen.*, 14 *febr.* 1625.

35. S. C. respondit, debere Episcopum singulis horis certas distributiones suo arbitrio assignare, quas deinceps non lucrentur, nisi qui iisdem horis personaliter interfuerint. Quod si nihilominus canonici neglecta hujusmodi pœna abfuerint a divinis, oportere Episcopum contra eos procedere etiam ad fructuum privationem, atque alia juris remedia, servata forma ab eodem Concilio præscripta cap. 12, sess. 24 [115]: *Maurianen.*, 14 *febr.* 1625, *dub.* 1.

36. Statutum est distributiones petitas pro tempore, quo canonicus prosequitur litem in curia pro aliarum distributionum consequutione ei debitarum non ei deberi : *Aquilana*, 23 *maii* 1626.

37. Insuper canonicum absentem, et missum ab Episcopo ad visitanda Apostolorum limina, admittendum esse ad distributiones quotidianas quoad tempus visitationis Liminum (quod declaravit esse unius anni) S. C. resolvit: *Culmen.*, 23 *januar.* 1627.

38. Distributiones quotidianas ita deberi oratori ægroto, si alias ecclesiæ solitus erat inservire, cujus comprobatio conscientiæ Episcopi remittitur, decisum est: *Mantuana*, 6 *febr.* 1627, *dub.* 1.

39. Insuper sanxit S. C. consuetudinem quamcumque esse sublatam, nisi concurrat legitimum impedimentum infirmitatis, vel simile : *Ibid.*, *dub.* 2.

40. S. C. consulta respondit canonicum inservientem Episcopo in officio vicarii non lucra distributiones quotidianas pro illis horis divinis, quibus non intersit : *Bitecten.*, 18 *dec.* 1627.

41. Censuit S. C. canonico a suo Episcopo ad visitanda beatorum Apostolorum limina misso, pro toto tempore, quo ob dictam causam abfuit distributiones quotidianas deberi : *Regien.*, 18 *dec.* 1627.

42. Canonici celebrantes Missas tempore, quo divina officia recitantur, non lucrari distributiones quotidianas, nisi ad tunc celebrandam missam ab eo, ad quem pertinet, compulsi fuerint, et ideo Episcopum supradictam pœnam apponere potuisse, illamque a transgressoribus essse solvendam, et piis operibus arbitrio Episcopi applicandam, quum sit apposita respectu celebrationis Missarum per quemcumque canonicum faciendæ juxta tabulam, in qua præscribitur unicuique hora celebrationis Missæ pro bono ecclesiæ servitio : *Callien.*, 29 *julii* 1628, *dub.* 4.

43. Declaravit S. C. infirmos, et alios non inservientes ex causis expressis in cap. *Consuetudinem, de Cleric. non resid.* in 6° [116], qui alias inservire consueverant, percipere debere etiam

[114] Vide not. 107.

[115] *De Reform.* Vide not. 65, verb. *Canonicatus.*

[116] Quæ prohibens, recipi posse ab absentibus distributiones quotidianas, et etiam eas, quæ dantur pro anniversariis defunctorum, excepit illos « quos infirmitas, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret. Hæc decretalis innovata, ac ampliata fuit a Concil. Trid. sess. 24, cap. 12, *de Reform.* Vide not. 108. »

portionem accrescentem ex punctaturis non inservientium provenientem, perinde ac si personaliter divinis interessent : *Viterbien.*, 26 *aug.* 1628.

44. Oratorem distributiones quotidianas dum divinis officiis interest, lucrari ; ita tamen ut ordinem præbendæ adnexum, quum ad ætatem legitimam pervenerit, suscipiat, putavit S. C. Nam ille sedecim erat annorum, et dispensationem Apostolicam obtinuerat : *Politianen.*, 13 *januar.* 1629.

45. Censuit S. C. canonicis Episcopo pontificaliter celebranti assistentibus deberi distributiones quotidianas, non autem inservientibus Episcopo diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti : *Amerina*, 3 *febr.* 1629.

46. Carolus de Ansaldis in ætate annorum 15 provisus, et dispensatus ab Urbano VIII, Pont. Max., ad canonicatum assequendum in cathedrali, petiit declarari, an distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari possit? et S. C. respondit secundum ea, quæ proponuntur, distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari : *Sancti Miniatis*, 15 *sept.* 1629.

47. Canonicum pœnitentiarum, et curatum cathedralis ecclesiæ tempore, quo actu in eorum munere inserviunt, ex eleemosynis pro anniversariis defunctorum participare posse, dummodo non dentur pro celebratione Missarum, S. C. sententia fuit *in Viterbien.*, 15 *martii* 1631, *dub.* 2.

48. Arbitrata est S. C. confirmationem petitam nequaquam esse concedendam, nisi aliter Sanctissimo Domino nostro fuerit visum, et peregrinare volentes posse recurrere ad S. C., quæ, ut mos est, non denegabit licentiam ; visitantibus vero sacra Limina Apostolorum alias S.C. censuit distributiones quotidianas deberi : *Ulyssiponen*,, 10 *dec.* 1631.

49. Ponitur in dubio, an tempore, quo divina officia celebrantur in choro, vel anniversarium, vel cantantur horæ, si canonici Missam celebrent, habeantur pro præsenti ad effectum lucrandi emolumenta, et distributiones ratione horæ, et anniversarii? S. C. declaravit, canonicos prædicto tempore Missas planas celebrantes non lucrari distributiones quotidianas, nec emolumenta, nisi illa hora ad celebrandum Missas ab eo, ad quem pertinet, compulsi, aut jussi fuerint : *Orioln.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 12.

50. Ex privilegio inserto in corpore juris Episcoporum uti posse opera duorum canonicorum, sive cathedralis, sive collegiatæ, eosque interim lucrari fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas, quod si omnes fructus ejusmodi distributionibus constent, tunc percipere eos debere duas tertias illarum partes, amissa tertia, quæ inservientibus accrescat, S. C. decretum prodiit : *Fesulana*, 4 *junii* 1633.

51. Definivit S. C. canonicos Archiepiscopo inservientes percipere quidem debere fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas in illis ecclesiis, in quibus fructus præbendæ sunt distincti a quotidianis distributionibus. Quod si in hujusmodi distributionibus universi reditus consistant, percipere debere ipsas distributiones, dimissa tertia parte, quæ inservientibus accrescat. Verum hujusmodi de causis absentes nullo modo eleemosynam pro Missis relictam, vel donatam, nisi ecclesiæ per se ipsos servitium præstiterint, percipere posse : *Avenion.*, 13 *januar.* 1635.

52. Arbitrata est S. C., si quidem prædicti reditus massæ communis ex frumento, et affictibus provenientes in fine anni æqualiter inter canonicos dividi consueverint, duobus canonicis in servitio Episcopi ad sacrorum Canonum præscriptum existentibus integre deberi, et tribuendos esse, amissis tantum distributionibus ratione servitii cujuscumque horæ dari solitis, quæ inservientibus accrescant : *Aversana*, 10 *martii* 1635.

53. Canonicos primo inquisitos, ac deinde absolutos, uti non culpabiles, per sententiam, licet cum clausula ex hactenus deductis, debere utique percipere distributiones quotidianas totius temporis spatio, quo talem ob causam divinis interesse non potuerunt, S. C. declaravit : *Arian.*, 28 *april.* 1635.

54. Concionem habendam esse diverso tempore, et canonicos eidem intervenientes non lucrari distributiones quotidianas pro illis horis canonicis, quibus a choro absunt, S. C. judicium fuit : *Vicentina*, 7 *junii* 1636, *dub.* 2.

55. Declaratum est ex statuto capituli non posse canonicos, dum confessiones audiunt, distributiones quotidianas percipere, sed injungendum Archiepiscopo, ut loco pœnitentiarii per eum deputandi in prima vacatione canonicatus ad illius collationem spectantis, canonicum idoneum sibi benevisum deputet, ut interim loco dicti pœnitentiarii confessiones audiat, et distributiones, prout pœnitentiarius, percipere valeat ; ita tamen, ut cesset hujusmodi facultas eo ipso, quo dicta vacatio evenerit : *Taurinen.*, 4 *april.* 1637.

56. Canonicus voluntarie inserviens archipresbytero curato pro tempore, quo ratione dicti servitii abest a choro, distributiones quotidianas minime lucratur : *Firmana*, 26 *febr.* 1639.

57. Sancitur canonicum Venturellum apostolica auctoritate dispensatum ratione ætatis percipere debere quotidianas distributiones, si divinis officiis intersit : *Amerina*, 2 *maii* 1643.

58. Ad interrogata, an canonici absentes pro negotiis sui capituli lucrentur distributiones quotidianas, quæ ex massa suorum beneficiorum solvuntur?

59. An iidem canonici easdem distribntiones lucrentur, quando horas canonicas in choro decantant?

60. An lucrentur distributiones correspondentes horæ canonicæ, cui pro majori parte non interfuerunt? respondit S. C. adeundam esse Rotam, a qua pendet discussio, et emanarunt decisiones [117]: *Elven.*, 4 *maii* 1646, *dub.* 1, 2 et 3.

61. Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus ipsi interesse minime consueverunt, S. C. dijudicavit: *Ferrarien.*, 12 *sept.* 1648.

62. Orator percipere debet etiam portionem accrescentem ex punctaturis non inservientium, perinde ac si personaliter divinis interesset: *Romana*, 13 *maii* 1651.

63. Exhibito dubio: An canonicus, qui post possessionem canonicatus capitulariter captam non fuit admissus de facto capituli ad residentiam, quam propterea non fecit, percipere debeat fructus dicti canonicatus una cum distributionibus quotidianis per canonicos residere non impeditos, et actu residentes? Rescriptum fuit, secundum ea, quæ proponuntur, canonicum oratorem percipere debere fructus, necnon distributiones quotidianas: *Nullius*, 28 *febr.* 1654.

64. Canonicum absentem a residentia suæ ecclesiæ ex quavis causa quamvis justa, et legitima percipere non debere distributiones quotidianas, nisi copulative obtinuerit expressam licentiam Episcopi diœcesani, etsi capitulum vellet ad illas admittere canonicum absentem, S. C. credidit, *Ripana*, 24 *martii* 1657.

65. Proposito dubio, an quando canonici ecclesiæ cathedralis legitimis de causis absentes non amittunt proprias distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari, et participare pro rata parte de distributionibus aliorum canonicorum absentium absque legitima causa? et responsum est, deberi etiam punctaturas absentium: *Alexandrina*, 29 *sept.* 1657, *dub.* 1.

66. Et quoad alterum, an iidem canonici legitima ex causa absentes, ac proinde non amittentes proprias distributiones, debeant illas recuperare ab aliis canonicis, inter quos jam divisæ fuerunt; an vero possint ab universo capitulo illas repetere? posse repetere etiam a capitulo sententiam S. C. tulit: *Ibid.*, *dub.* 2.

67. Quum actum fuisset de canonico musica erudito diversis recurrentibus solemnitatibus ob aliquam necessitatem musicis concentibus interveniente, dubium fuit propositum; an prædictus canonicus sit punctandus ob ejus a choro absentiam, vel præsentia in organis pro servitio ecclesiæ sit reputanda ad effectum percipiendi distributiones? gaudere, si stipendium pro musica non recipiat, censuit S. C.: *Sancti Serverini*, *Visitationis sacr. Liminum*, 18 *novem.* 1659.

68. Oratorem lucratum fuisse fructus duorum mensium a die captæ possessionis, reliquos vero usque ad emissam fidei professionem in capitulo suos non fecisse decretatum est: *Alatrina*, 12 *februar.* 1661.

69. Quum ob pestem, quæ regnum Neapolitanum invaserat, septem canonicatus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ civitatis Foggiæ vacassent, ægre ferebant novi canonici adeo tenuem fructuum portionem quotidianis tantum distributionibus assignatam sibi obvenire, reliquos vero pinguiores proventus ab antiquioribus canonicis percipi, quum tamen communis omnibus est labor in divinis officiis obeundis. Hinc S. C. consulitur, an novis canonicis debeantur reditus præbendarum ab suos canonicatus respective spectantes, juxta et eorum antecessores obtinebant, respondit, affirmative: *Trojana*, *Particip.*, 24 *april.* 1660. Sed inde declarari postularunt canonici recentiores, fructus omnes ad canonicatus, et dignitates spectantes, sublato jure accrescendi, et in communem massam redactos, esse æqualiter distribuendos inter omnes capitulares; et respondit reditus ommmes in massam communen esse coacervandos, et a die factæ instantiæ æqualiter inter omnes dividendos: 1 *octob.* 1661.

70. Disceptatum est, an distributiones quotidianas lucretur canonicus, qui solitum ceteroquin inservire, a civitate legitimæ vacationis tempore discedens in vicinum oppidum (unde sub finem dictæ vocationis potest opportune reverti ad inserviendum ecclesiæ) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita detinetur, ut ad civitatem redire, et choro interesse non valeat, et quatenus affimative:

71. An hoc locum habeat, quamvis in ea ecclesia vigeat contraria consuetudo? rescriptum prodiit ad primum lucrari, ad secundum non habere locum, si consuetudo sit legitime præscripta: *Nullius distributionum*, 18 *decem.* 1667, *dub.* 1 *et* 2.

72. S. C. censuit oratori dandam esse declara-

[117] Pluries S. Rota quæstiones hujusmodi definivit; et præsertim in causis *Astensi*, *Fructuum*, *et Distributionum*, 15 *martii* 1615, *coram Manzanedo*; *et in Calaguritana*, *Fructuum*, *et Distributionum*, 25 martii 1614 *coram Ubaldo*, in quibus absentem pro defensione jurium ipsius ecclesiæ, vel sui beneficii lucrari fructus, et distributiones quotidianas, suam protulit sententiam. Et hoc est, ratione evidentis utilitatis ecclesiæ; ex cap. *unic. de Cler. non resident* in 6°.

ionem alias editam sequentis tenoris: « Canonico
nfirmo durante ejus infirmitate, quamvis choro
ion intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus,
ecnon distributiones horis divinis personaliter in-
eresset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus
uæ ecclesiæ inservire; ceterum infirmitatem ipsam
oram judice probandam esse: » *Reatina*, 5 *mar-
ii* 1667.

73. In ecclesiis cathedralibus, et collegiatis canonici, qui providentur, sive a Sede Apostolica, ive per Ordinarium, nisi solitum prius servitium ræstent, quod in aliquibus est novennium, in aliis eptennium a subdiaconatu, nihil percipiant de iassa communi, de qua participant etiam simplices acerdotes, qui servitum perfecerint. Et, quum ullæ essent distributiones quotidianæ, nullæque, el valde tenues præbendæ gravatæ oneribus Missarum, sequitur, quod provisus etiam Apostolicus on provideatur, nisi de almutia, quæritur, an icta consuetudo sit laudabilis, vel emendanda; a ut statim, ac quis canonicatum adipiscitur, debent e mensa communi participare? audiendum esse apitulum S. C. censuit: *Archeruntina et Matheran.*, *Visit. sacr. Liminum*, 3 *martii* 1668, *dub.* 2.

74. Super exequutione indulti a residentia proosito dubio, an stante generalitate, et amplitudine erborum indulti concessi a Sum. Pont., eminenissimo Archiepiscopo electori pro canonicis pro ono, et suarum ecclesiarum regimine assumptis eniant omnes distributiones quotidianæ, sive anexæ, sive separatæ a corpore præbendæ, sive in nniversariis, seu aliis piorum memoriis, et fundaionibus consistant? respondit affirmative quando liter non fuerit a testatoribus dispositum: *Coloien.*, *Distributionum*, 9 *maii* 1771, *dub.* 1.

75. Deinde S. C. decernit illis debere gaudere igore illius indulti alios privative eminentissimo idem inservientes, et ab eodem ratione talis seritii salariatos, æque, ac reliquos ex ejus mandato ı publicis ecclesiarum, et diœcesum functionibus ccupatos: *Ibid.*, *dub.* 2.

76. Disceptato dubio: An ipsi debeantur duæ ex ibus partibus distributionum, quamvis non inserierit sub prætextu, quod studiis sacræ Theologiæ acaverit in scholis societatis Jesu Mediolani? S. C. ıditis utriusque partis procuratoribus, et noviter deductis accurate perpensis, affirmativum dedit responsum: *Mediolanen.*, 18 *novem.* 1675, *dub.* 2.

77. In casu indulti pro canonico studiis operam dante, ut interea percipere posset fructus, et emolumenta quæcumque, necnon distributionis etiam quotidianas, ordinarias, et extraordinarias quomodolibet nuncupatas, et undequaque provenientes, ac etiam solis præsentibus, et divinis officiis intervenientibus dari solitas, dubiis: an canonico Ragna debeantur integræ distributiones quotidianæ, et omnia quæ loco distributionum quotidianarum succedunt? an emolumenta intervenientium anniversariis, funeralibus, missis assignata? rescriptum affirmativum quod distributiones, in reliquis negativum datum fuit: *Neapolitana*, *Indulti*, 20 *febr.* 1677, *dub.* 1, 2, 3 *et* 4 [118].

78. Disputatum fuit dubium, an præposito, seu canonicis absentibus causa litium concernentium interesse suarum præbendarum, distributiones quotidianæ debeantur? utique dixit S. C., dummodo accesserit licentia Episcopi: *Cavallicen.*, *Distribution.*, 5 *julii* 1677.

79. Postulatur, an canonici Episcopum in visitatione associantes, aut visitatorum munere fungentes punctandi sint, non obstante Const. anni 1661? danda esse decreta alias edita, et signanter in *Tudertina* 2 *junii* 1674 [119]. S. C. censuit: *Verulana*, *Punctaturarum*, 2 *junii* 1674, 10 *julii* 1694, *dub.* 2.

80. Ad dubium, an ceræ anniversariorum præter ea quæ sunt nominatim expressa, debeantur canonico Jubilato Francisco Columnæ basilicæ Lateranensis? affirmative S. C. respondit: *Romana*, *Distributionum*, 5 *martii* 1678, *dub.* 3.

81. Non vero portio punctaturarum, seu fallentiarum non intervenientium: *Ibid.*, *dub.* 4.

82. Requisita S. C. de canonicis primo inquisitis, ac deinde absolutis, uti non culpabilibus per sententiam, licet cum clausula *ex hactenus deductis*, an debeantur distributiones quotidianæ totius temporis, quo talem ob causam divinis interesse non potuerunt? S. C. dandam esse declarationem alias factam in *Arianen*, 28 *april.* 1635 [120] respondit: *Anagina*, 23 *aug.* 1681.

83. Orta controversia in ecclesia cathedrali de partitione massæ distributionum inter canonicos, et

[118] « Cujus si quidem decisionis ratio est quod hujusıdi emolumenta requirunt physicam assistentiam, ut pra diximus, ei quidem majorem, quam requirunt distritiones quotidianæ, quia dispensatum pro istis lucran, non censetur dispensatus ad ista emolumenta manua-. » Card. Petra *Comment. ad Const. IX Bonifacii II*, num. 19, tom. 3, pag. 297.

[119] In qua S. C. censuit, dandam esse declarationem alias editam 5 febr. 1629 in una Amerina tenoris seqq. censuit canonicis Episcopo pontificaliter celebranti assistentibus deberi distributiones quotidianas, non autem inservientibus Episcopo diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti: Lib. 28, *Decret.* fol. 305. Vide num. 45, præs. §.

[120] Vide num. 55.

capellanos beneficiaios, quæsitum est, an iidem canonici possint in propriam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad officium massæ quotidianarum distributionum; vel potius illa sint inter canonicos, et capellanos beneficiatos pro rata parte partienda? responsum fuit negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam : *Asten.*, *Administrationis et participationis*, 12 *febr.* 1687, *dub.* 4.

84. Et ad alterum dubium, an iidem canonici possint in suam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad cetera officia; vel potius illa converti debeant in utilitatem uniuscujusque officii, ad quod bona alienata spectant? S. C. respondit ut supra : *Ibid.*, *dub.* 5.

85. Ac ad quæsitum, an et quomodo servandum sit decretum S. C. editum 17 *junii* 1673 [121], vel potius servanda concordia inita anno 1674 [122]? respondit servandam esse concordiam quoad contrahentes, et beneficiatos successores servandum esse decretum S. C. anni 1673 : *Ibid.*, *dub.* 6.

86. Quum præter alia quæsitum fuisset; an canonici voluntarie Missas tempore divinorum officiorum celebrantes, et dicto tempore choro non assistentes percipere, seu amittere debeant distributiones? canonicos non posse, nisi illa hora ad Missas celebrandas ab eo, ad quem spectat, compulsi, aut jussi fuerint, rescribitur : *Reatina*, *Distributionum*, 15 *martii* 1692, *dub.* 3.

87. Quum firmatum fuerit a S. C. canonicum Archinum, ceterosque in canonicatu successores non teneri manutenere reditum a fundatore assignatum causa perceptionis distributionum, et emolumentorum pro intervenientibus; ideo decernit eidem canonico deberi distributiones pro tempore ejus interventus, et a capitulo retentas pro redintegratione dicti reditus in fundatione assignanti : *Alexandrina*, *Distribution.*, 25 *sept.* 1694, *dub.* 2, confirmatur, reservato tamen jure capitulo agendi contra bona hæreditaria pro supplemento : 27 *aug.* 1695.

88. Necnon eidem esse restituenda soluta pro assertis diminutionibus dicti reditus : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

89. Canonicus Marius Orpinellus die 28 maii 1695 obtinuit rescriptum pro exequutione indulti, quod pro absentia antea impetraverat, et a capitulo fuerat impugnatum; deinde contendit distributiones sibi competere etiam per aliud tempus, quo in urbe subsederat, ut exequutionem præcedentis indulti urgeret. Quamvis autem petitionem hanc S. C. rejecisse *die* 11, itemque *die* 25 *junii*, tamen *die* 16 *julii* prædicti anni 1695 ita rescripsit : prævio recessu a decisis, deberi oratori quotidianas distributiones a die 11 decem. 1694, in qua rescriptum fuit Episcopo pro informatione, usque ad diem 28 proxime præteriti maii, in qua capta fuit resolutio pro exequutione indulti : *Lauretana*, *Distributionum*, 16 *julii* 1695.

90. Præcipitur a S. C. canonicos Episcopo inservientes lucrari debere omnes fructus suarum præbendarum, amissis distributionibus quotidianis, quod si omnes reditus in distributionibus quotidianis consistant, ipsis deberi duas ex tribus partibus omnium distributionum, dimissa tertia, quæ inservientibus accrescat : *Tranen.*, 10 *maii* 1698.

91. Postulatum a S. C. fuit : An Alexandro Frezzæ canonico ecclesiæ cathedralis inquisito de asserto concubinatu debeantur distributiones a die inchoati processus usque ad sententiam absolutoriam vel pro quo tempore? rescriptum prodiit, ut fieret concordia arbitrio Card. Tanaræ : *Verulana*, *Distributionum*, 16 *januar.* 1700.

92. Prætendente Alexandro Sanges canonico cathedralis ecclesiæ lucrari omnes distributiones quotidianas tam pro tempore absentiæ vigore indulti S. C. Concilii, quam pro alio tempore absentiæ causa injustæ, ut ait, in carcerem conjectionis, suspensionis a divinis, et exilii a toto regno Neapolis. S. C. respondit deberi distributiones dumtaxat pro tempore indulti, dempta tamen rata parte pro tempore, quo vinculis fuit mancipatus : *Nolana*, *Distributionum*, 6 *febr.* 1700. Deinde non ei deberi dictas distributiones, quoad duas tertias partes tam tempore absentiæ, et in carcerem inclusionis, amissa tantum tertia, sed servari decretum prædictum 6 *febr.* resolvit : 19 *aug.* 1702.

93. Quum obtinuisset Franciscus Marras canonicus ecclesiæ metropolitanæ a Sede Apostolica ob coadjuti dementiam coadjutoriam archipresbyteratus dictæ ecclesiæ apposita expressione eam retinendi cum canonicatu, idcirco existimat duplex habere suffragium, ei duplicatas distributiones quotidianas posse percipere. At capitulo se opponente S. C. favit canonico, deberi duplicatas voces, et quotidianas distributiones ad formam litterarum apostolicarum sanciendo [123] : *Arboren.*, 24 *april.* 1700.

94. Ratas partes decimarum canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Euphemiæ cum reliquis distributionibus interessentibus concessas dumtaxat deberi S. C. affirmavit : *Comen.*, *Super dubiis*, 26 *junii* 1700, *dub.* 1.

95. Ad conferendas autem decimas, et distributiones hujusmodi residentia in choro ad formam

[121] Vide not. 67, verb. *Beneficiatus, quoad fructus.*
[122] Vide not. 68, *ibid.*

[123] Vide not. 210, verb. *Applicatio,* § II.

fundationis, et quoad illos canonicos, qui pro adjutorio in curam animarum archipresbyteri sunt constituti, etiam residentia in ædibus canonicalibus requiritur : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *quoad Servitium chori*, 5 *martii* 1701.

96. Portionesque, seu deficientium partes ratas aliis canonicis residentibus, et intervenientibus comprehenso archipresbytero accrescere statuitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

97. Ob nonnullas controversias inter capitulum ecclesiæ cathedralis, et Episcopum vertentes, capitulum procuratorem constituit Bassanum ejusdem ecclesiæ canonicum, qui obtinuit absentiæ indultum, et eodem tempore, quo dubia quæstionis proponi debebant ac examinari, S. C. exoravit, ut definiret per modum provisionis sibi decerni aliquid de fructibus; et huic S. C. respondit, ut renovetur indultum commorandi extra residentiam per annum et interim in causam declarandam dentur scuta duo millia monetæ romanæ ex fructibus, et distributionibus decursis : *Varmien.*, *Indulti*, 4 *sept.* 1700, *dub.* 9.

98. Inde ad dubia, an, et in quam causam cedere debeant dicta scuta bismille canonico soluta vigore decreti provisionalis S. C.? An sit concedenda renovatio indulti? S. C. rescripsit ad primum, ut expectetur exitus litis; ad secundum, ut proregetur indultum ad sex menses: 18 *febr.* 1702, *dub.* 1 *et* 2, confirmat. addendo absque spe ulterioris prorogationis indulti: 1 *april. ejusd. anni*.

99. Quum omnes fructus capituli collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ distributionibus duplicibus altera in frumento, et altera in pecunia pro horis matutinis assignata constent; propterea S. C. canonicos dictæ ecclesiæ lucrari posse omnes diurnas distributiones consistentes in frumentis, cum assistentia Missæ majori, vel vesperis tantum, et in pecunia, cum assistentia tam Missæ majori, quam vesperis officii cujuslibet diei juxta consuetudinem existimavit. *Avenionen.*, *Distributionum*, 25 *sept.* 1700, *dub.* 1.

100. Non autem iidem canonici, qui minime interfuerunt officio diurno possint participare de distributionibus amissis a beneficiatis, qui pariter dicto officio non interfuerint : *Ibid.*, *dub.* 2.

101. Ac prædicti canonici non habuerunt facultatem disponendi, quod hi, qui non interfuerunt Missæ majori, et vesperis simul, si tamen interfuerint, vel vesperis, vel dictæ Missæ ejusdem diei lucrari valeant duas tertias partes earumdem distributionum, quæ in pecunia consistunt : *Ibid.*, *dub.* 5.

102. Iidem canonici statuere non valuerunt, quod illi, qui officiis divinis in festis duplicibus interfuerint, recuperare possint distributiones amissas aliorum officiorum diurnorum, quibus antecedenter non interfuerunt : *Ibid.*, *dub.* 4.

103. Nec præfati canonici restituere capitulo, et ecclesiæ distributiones injuste sibi applicatas in casibus præmissis decisum fuit : *Ibid.*, *dub.* 5.

104. Quum actum fuisset de canonicis cathedralis ecclesiæ familiaribus Episcopi, eique inservientibus, quorum canonicatus fructus in solis distributionibus quotidianis consistunt, S. C. danda esse decreta, edita *in Fesulana* 4 *junii* 1633; *Aversana* 10 *mart.* 1635, et dubium participationis 23 *febr.* 1669 [124] : *Sipontina, Distributionum*, 29 *april.* 1702.

105. Joanni Petro Strada canonico ecclesiæ collegiatæ SS. Celsi, et Juliani, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valet pro laudemiis, quindenniis, capitulis, actibusque capitularibus, festivitatibus, supplicationibus, ac pro quibusvis functionibus in ecclesia peragendis exceptis anniversariis, aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode dispositum a testatoribus fuerit: *Romana*, *Jurium canonicalium*, 5 *maii* 1703, *dub.* 1, confirmata, 27 *junii* 1705, *dub.* 2.

106. Et eidem canonico competit pro sua parte rata etiam jus accrescendi earum distributionum, et communium, quæ ob absentiam, vel canonicorum vacationem inservientibus accrescunt, et a die præsentationis indulti : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

107. Insuper decrevit S. C. canonicum prædictum lucrari valere omnes distributiones, quæ simpliciter quotidianæ appellantur: *Ead.* 27 *junii* 1705, *dub.* 1.

108. Sancivitque canonico eidem non deberi anniversaria Honuphrii Pontani, Antonii Landi, et Vincentii Langerii, in quibus etiam absentes infirmi excluduntur : 17 *martii* 1708.

109. Petiit Laurentius Cianius canonicus ecclesiæ collegiatæ terræ Corinalti distributiones quotidianas, etiamsi choro non interfuerit tempore, quo subcollectoris munere fungebatur juxta privilegium Xisti V, Pont. Max. At S. C. eum non audivit; nam in dicta ecclesia nullæ adsunt distributiones,

[124] Vid. præsenti § III, num. 50 et 52, in causa *Dubium participationis*, 23 *febr.* 1669 expositum fuit, quod duo canonici cathedralis ecclesiæ, qui inserviunt proprio Episcopo, ac proinde sunt impediti interesse choro, et aliis distributionibus, quæ vocantur massa grossa et dividuntur in fine anni, et habentur loco præbendæ, et supplicatum, an lucrari debeant dictas distributiones? responsum est, affirmative dempta tertia parte, quæ debetur intervenientibus : Lib. 26, *Decret.* fol. 180.

sed earum loca solvuntur punctaturæ, quæ sacrario applicantur : *Senogallien, Distributionum,* 2 *junii* 1703, *dub.* 1.

110. Post duodecim annos pacificæ possessionis Joanni Angelo Magnoni canonico collegiatæ ecclesiæ S. Eustachii, in quibus gavisus est distributionibus ac emolumentis sui canonicatus, licet non constitutus in sacris, veluti alii duo, vel tres antecessores perceperunt, novissime camerarius capituli innixus præcipue cuidam copiæ decreti Visitationis anni 1654 portionem fructuum, ac distributionum loco depositi retinuit, eumdem, ut ad sacros ordines promoveri curaret, monendo. Qua de re S. C. requisita, quod orator non molestetur, respondit: *Romana, Distributionum,* 16 *febr.* 1704, *dub.* 1 et 2.

111. Canonici ecclesiæ cathedralis a die intermissi servitii ex causa terræmotus sunt admittendi ad distributiones quotidianas, anniversaria, et noctuna, usque ad dies completi tentorii, nec illæ aliis, qui in ecclesia terræmotu perdurante divina officia persolverunt, augentur : *Reatina, Distributionum,* 19 *april.* 1704, *dub.* 1.

112. Illi autem, qui completo tentorio, sub eadem ecclesia divina officia continuarunt, sunt admittendi ex gratia ad distributiones quotidianas, nocturna, et anniversaria; etiamsi reluctantes in tentorio psallendi essent, ideoque non sunt eæ augendæ aliis, qui sub eodem tentorio sacro psalmos cantarunt : *Ibid., dub.* 2.

113. Josepho de Comite canonico insignis collegiatæ S. Laurentii, qui sententiam ab omni prætensa criminalitate absolutoriam reportavit, propter absentiam quotidianæ distributiones debentur. Ipse enim jam indultum imploraverat a S. C., quæ exitum causæ esse expectandum rescripserat : *Mediolanen., Distributionum,* 6 *febr.* 1706.

114. Canonico Anastasio ecclesiæ cathedralis tanquam Episcopo a secretis inservienti distributiones quotidianæ amissa tertia earumdem parte debentur : *Anagnina,* 17 *april.* 1706, *dub.* 1.

115. Postquam capitulum ad possessionem, quam primam vocant, canonicatuum vacantium Antonium a Liebenfels, et Joannem Wohangum (baronem de), et in Bodmann provisos a Sede Apostolica admiserit, annis, qui *Carentiæ* ibi nuncupantur, transactis ad secundam possessionem admittere, nempe integræ participationis, quodam statuto non perfecto, sed in mera informatione concepto fretum renuit, His autem recurrentibus secundam possessionem integram, et absque diminutione eis esse concedendam statutum est : *Constantien., Statuti,* 8 *maii* 1706, *dub.* 1. Postea causa reproducta censuit esse exequendum prædictum decretum quoad possessionem plenariam, et ætatis prærogativam in favorem Leibenfels et Bodnam, 25 *junii* 1712.

116. Necnon fructus canonicatuum post expletos annos carentiæ, et a die petitæ, et denegatæ secundæ possessionis eis deberi constituitur : *Ibid., dub.* 2. Et dubio reproposito S. C. mandavit, ut proponetur dubium concordatum coram D. secretario : *Ibid.* Deinde decidit quoad Leibenfels deberi fructus a die 24 martii 1704, quo vero ad Bodman a die motæ litis in S. C. nempe 1705, et nuntio apostolico, ut quantitatem liquidet : 16 *julii ejusd. anni.*

117. Si aliqui ex canonicis ecclesiæ cathedralis in sua hebdomada non inserviant, ita ut duæ illorum tertiæ partes choro non intersint, alii inservientes, et intervenientes lucrantur distributiones : *Asculana,* 5 *junii* 1706, *dub.* 4.

118. Ac distributiones non intervenientium in massa communi reponi, et æqualiter dividi nequeunt; sed pro ratione servitii dividi debent : *Ibid., dub.* 5.

119. Necnon distributiones quotidianæ non debentur canonico infirmo, et si alias sanus non esset solitus residere : *Ibid., dub.* 7.

120. Neque canonicis coadjutis infirmis, si coadjutores sani non interveniunt debentur ; *Ibid., dub.* 8.

121. Inde ad dubium, an distributiones a Card. Bernerio relictæ, et dandæ solis intervenientibus matutino, infirmis debeantur? S. C. respondit, ut instrumentum fundationis exhibeatur : *Ibid., dub.*9, confirmata 15 *januar.* 1707, *dub.* 3.

122. Atque canonici, qui easdem distributiones pro tempore, quo ecclesiæ servitium non præstiterunt, ad illarum restitutionem tenentur : *Ibid., dub.* 10.

123. Subinde sancivit eosdem canonicos absentes tempore vacationis præter fructus præbendarum non lucrari etiam quotidianas distributiones : *Ibid.,* 15 *januar.* 1707, *dub.* 2.

124. Canonici collegiatæ, et archipresbyteralis ecclesiæ oppidi Terlicii una cum promotore fiscali, illis horis, quibus extra præfatam ecclesiam confessiones audiunt, gaudere distributionibus quotidianis, necnon potiri emolumentis funerum, et supplicationum, quamvis ad eam personaliter non accederent, prætendebant; sed S. C. ab illis dissentit : *Juvenacen., seu Nullius Terlicii, Distributionum,* 13 *aug.* 1707, *dub.* 1 *et* 2.

125. Pompeius Mignuccius canonicus ecclesiæ collegiatæ terræ Ophydæ ad triremes perpetuas contumaciter condemnatus ob homicidium patratum in loco sacro in sacerdotem Josephum Guillelmium fructus præbendæ canonicalis lucratur, et Episcopus procedat ob non residentiam prout de jure : *Asculana, Distributionum,* 13 *aug.* 1717, *dub.* 1.

126. Nec hic valet per alios canonicos adimplere

onera Missarum, seu officiaturarum, et aliarum functionum canonicalium sibi incumbentium; et sic etiam de omnibus distributionibus, et emolumentis eleemosynis, aliisque debitis canonicis actu inservientibus, participare, dum alias non impeditus solitus erat intervenire: *Ibid.*, *dub.* 2.

127. Et quoad Missas, et functiones hebdomadales, an debeat amittere idem canonicus partem ratam fructuum suæ præbendæ canonicalis, vel tantum ratam portionem sibi competentem ex distributionibus? S. C. teneri pro Missis, et oneribus incumbentibus præbendæ ex fructibus ejusdem resolutum fuit: *Ibid. dub.* 3. Quum autem in exequutione hujusce decreti suborta esset difficultas; an Missæ, et paraturæ, incumbentes cuilibet ex canonicis in propria hebdomada, sint adnexæ præbendæ, vel distributionibus quotidianis, iterum S. C. invocata fuit, cui placuit respondere ad primam partem *affirmative*, ad secundam partem *negative in casu, de quo agitur*: *Ibid.*, 31 *martii* 1708.

128. Renuentes canonici cathedralis ecclesiæ canonico Philippo Durino contribuere distributiones quotidianas elapsas pro tempore ejus absentiæ, sub motivo, quod non fuerit absolutus ex capite innocentiæ, sed consueto decreto *Non molestetur*, licet causam agere poterat per procuratorem; S. C. tamen distributiones deberi ei sancivit: *Theatina*, *Distributionum*, 19 *nov.* 1707.

129. Inquisitus de prætenso homicidio Joannes Petrozzius canonicus ecclesiæ cathedralis decretum *Non molestetur* reportavit. Inde distributiones quotidianas pro tempore absentiæ petiit, et recursu habito in S. C. primum audiri non meruit, postmodum recedendo a decisis distributiones deberi usque ad diem obtenti prædicti decreti sancivit: *Reatina*, *Distributionum*, 5 *maii* 1708.

130. Durantes de Durantibus canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in Cosmedin Caudatarius Card. Bichi obtinuit a S. C. consuetum indultum pro diebus et horis absentiæ, ea lucrandi omnes fructus, et distributiones sui canonicatus. At illæ distributiones, quæ dari solent intervenientibus in capitulis faciendis absolutis divinis in diebus dominicis, Quadragesimæ, et Adventus, et aliis festivitatibus, in quibus interesse ille nequit, inficiatæ fuerunt. Re in S. C. deducta, illas ei deberi distributiones resolvit: *Romana*, *Distribution.*, 13 *junii* 1708.

131. Quum privatio canonicatus ecclesiæ cathedralis possessi a Martino de Marco non sit valida; eumdem esse redintegrandum etiam quoad fructus præteritos, et quoad distributiones a die motæ litis super validitate privationis ei debitas, S. C. stabilivit: *Isernien.*, *Canonicatus*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 2.

132. Nicolao de Angelis canonico collegiatæ ecclesiæ Foggiæ, cui ob nervinum morbum vetita fuit a physicis quæcumque mentis applicatio, deberi distributiones quotidianas, aliaque emolumenta, licet choro non interveniat, S. C. resolvit: *Trojana*, *Distributionum*, 15 *nov.* 1710.

133. Carolus Antonius Buxia canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Victoris oppidi Balernæ noluit obtemperare præcepto ab Episcopo imposito inserviendi nempe archipresbytero venerabile sacramentum exponenti. Inde contumax ad pœnam evitandam evasit. De hac re S. C. requisita, decretum prodiit, ei distributiones quotidianas tempore ejus absentiæ deberi: *Comen.*, *Distributionum*, 18 *apr.* 1711, *dub.* 3.

134. Et quoad temporis spatium, a die in carcerem conjectionis usque ad totum tempus indultorum, quæ a S. C. obtinuerat, deberi ei distributiones prædictas censuit S. C. respondere: *Ibid.*, *dub.* 4.

135. Et ad dubium, an debeantur eidem emolumenta intervenientium anniversariis, et funeribus? dari decreta [125] rescripsit: *Ibid.*, *dub.* 5.

136. Et ad alterum dubium: An, et quomodo debeantur Missarum emolumenta? non deberi quoad eleemosynam Missæ manualis, rescripsit: *Ibid.*, *dub.* 6.

137. Joanni Laureto de Grandis canonico decano ecclesiæ cathedralis debentur quotidianæ distributiones elapsæ tam tempore ejus in vincula conjectionis ob prætensam inhonestam consuetudinem passæ, usque ad diem sententiæ absolutoriæ AC., non autem tempore absentiæ pro lite sustinenda: *Theatina*, *Distributionum*, 18 *julii* 1711.

138. Philippus Antonius de Clementibus canonicus ecclesiæ cathedralis septuagenarius, bene meritus de assiduo servitio per annos 33 impotens choro inserviendi causa infirmitatis evasit. Canonici licet illi tradiderint distributiones pro tempore semestris, quo absens fuit, in altero vero denegaverunt. Idcirco ille recursum habuit ad S. C., quæ statim decrevit distributiones Philippo Antonio a choro absenti causa infirmitatis deberi: *Lauretana*, *Distributionum*, 8 *aug.* 1711.

139. Bonaventura Pisanus, et Theodosius Ciaglia canonici ecclesiæ cathedralis a S. C. indulta vacandi a residentia studiorum causa nulla in eisdem mentione facta perceptionis fructuum, seu di-

[125] Nempe *in Colonien.*, *Distributionum*, 9 *maii* 1671, *dub.* 1, uti n. 74, et *Romana*, *Jur. Can.* 5 *maii* 1703, *dub.* 1, uti in num. 105, seqq. præs. §.

stributionum obtinuerunt; propterea instante capitulo dictos canonicos absentes causa studiorum solvere punctaturas teneri fuit statutum: *Nepesina, Punctaturarum*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 1.

140. Ac dictas punctaturas detrahi posse ex fructibus legatorum piorum pro faciliori exactione pro præterito, et in futurum, ut Episcopus procedat quoad detractionem punctaturarum ad formam Concilii firmatur [126]: *Ibid.*, *dub.* 2.

141. Joseph Sirtorus canonicus S. Mariæ Scalensis a servitio chori ad triennium causa infirmitatis se removendi indultum consecutus est Episcopi arbitrio, necnon distributiones percipiendi, perinde ac si divinis officiis personaliter interesset. Episcopus annuale tantum indultum admisit. Anno elapso canonicum divinis non intervenientem nullis frui posse distributionibus capitulum autumat. Canonicus, ut jam obtentum indultum exequatur, et ut eadem perseverante causa prorogetur, postulat. S. C. autem distributiones Sirtoro deberi a die 22 febr. 1711 per totum trienni residuum decidit: *Mediolanen.*, *Distributionum*, 4 *maii* 1713.

142. Nova in præfati rescripti exequutione excitata est controversia. Canonici contendunt indultorium infirmitatis tempore lucrari non posse distributiones, quæ præsentibus accrescunt ex portionibus canonicatuum vacantium, ac fallentiis canonicorum. Quæsito enim num illi deberentur fallentiæ prædictæ? et deberi S. C. censuit: 7 *decem.* 1715.

143. Canonico Camillo Pascuccio familiari, et commensali Episcopi, et per eumdem in sui theologum assumpto, et apud ipsum tempore æstivo degenti in terra Acuti, distributiones quotidianæ ecclesiæ cathedralis tertia amissa parte debentur: *Anagnina*, *Distributionum*, 27 *maii* 1713, *dub.* 1.

144. Et ad dubium: An canonicus, vel canonici ab Episcopo visitante civitatem, vel diœcesim assumpti fructus, distributionesque, et pro qua rata parte lucrentur? rescriptum fuit: Dilata, ut Episcopus audiatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

145. Dum Episcopus, et princeps Leodiensis in temporum perturbationibus extra suam diœcesim moram traheret, pastoris turmarum ad sui corporis custodiam excubantium munus Joan. Renero Berto canonico collegiatæ Fossensis ejusdem diœcesis contulit cum privilegiorum indulti communicatione, quod ille in favorem canonicorum, quorum opera in negotiis, et gubernio diœcesis utitur, obtinuerat. Id quæstionis causa fuit, quam S. C. non suffragari eidem indultum ad obtinendas distributiones, ac fructus sanciens dirimit: *Leodien.*, *Fructuum et Distributionum*, 2 *decem.* 1713, confirmata 10 *julii* 1717.

146. Canonici ecclesiæ cathedralis, qui sunt presbyteri, et etiam alii, qui non sunt, ad communionem distributionum, quatenus divini, officiis intersint; etsi primam Missam per alternas vices non cantaverint, admitti debent: *Amerina*, *Distributionum*, 13 *jan.* 1714, *dub.* 2.

147. Joannes Chrysostomus Uliassi canonicus præpositus ecclesiæ collegiatæ S. Luciæ in terra Cryptarum ad Mare constructæ, de labe simoniaca inquisitus sacerdote deputato, ut sua onera adimpleret, ad vincula devitanda Romam confugit, imploravitque unius mensis abscedendi facultatem, necnon hujus prorogationes, et obtinuit. Absoluto indultorum tempore ob furtum, quod passus est Romæ, alia indulta reportavit, sed ea opportuno tempore haud Ordinario exhibuit; ob id reclamantibus canonicis, S. C. non teneri enm ad punctaturas nisi unius mensis sancivit: *Ripana*, *Punctaturarum*, 17 *martii* 1714.

148. Canonicus Uratislaviensis Joan. Ludovicus Baro de Kravars ex gravissimis causis Romam, ut causa nomina solvendi operam daret, ne ex ære alieno emergatur, venit. Plures proinde indulti absentiæ pro canonicalium proventuum assequutione prorogationes habuit. At capitulo reclamante, indulta ab illo obtenta deberi ei suffragari ad effectum fructus canonicatus ad formam eorumdem indultorum a die 3 oct. 1711 usque per totum mensem julii 1712 lucrandi, S. C. decrevit: *Uratislavien.*, *Jurium canonicalium*, 22 *sept.* 1714, *dub.* 1.

149. Inde requisita: An pro tempore absentiæ, quo non fuerunt indulta acquisita, pariter eidem fructus sui canonicatus debeantur? Affirmativum pro tempore infirmitatis a die nempe 1 april 1712 usque ad decem. dicti anni retulit responsum, et addidit, ut omnino ad residentiam redeat, et infra dies 15 ab urbe discedat: *Ibid.*, *dub.* 2.

150. Proventibus academiæ, seu Universitatis Beacensis, quæ sub auspiciis Ven. Magistri Joannis de Avila erecta erat, diminutis, petitum a S. C. fuit ad illam restituendam indultum, quod rector, lectores, doctores, magistri, licentiati, bacchalaurei, et studentes in dicta Academia, pro tempore docentes, et respective discentes licite possint omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura cujuslibet ecclesiæ, etiam canonicatus, dignitatis, perinde ac si personaliter residerent, ac inservirent, percipere. At incassum fuit postulatum: *Giennen.*, *seu Beacen.*, *Indulti*, 1 *decem.* 1714.

151. Canonici ecclesiæ metropolitanæ tempore permisso vacationis a chori servitio nequaquam distributiones quotidianas, nisi juxta modum [127], lu-

[126] Sess. 21, cap. 3, *de Reform.* Vide not. 101.

[127] Modus est, ut si fructus respectivæ præbendæ cuju-

crantur : *Firmana, Distributionum*, 3 *martii* 1714, *dub.* 4.

152. In constitutionibus synodalibus ecclesiæ cathedralis cavetur, ut ægrotantes in eadem civitate non punctari, dummodo die eadem domo non excant, et ægrotantes extra illam non punctis notantur; dummodo exhibeant juratum medici testimonium. canonicus Gregorettus sese causa malæ valitudinis in patriam transtulit; eumdem punctari præcepit Episcopus diebus illis, quibus celebravit, et e domo exivit; etiamsi juratam fidem ad formam constitutionum transmiserit. Impugnatur modo hujus decreti validitas; et S. C. distributiones quotidianas deberi primum mandavit : *Lauretana, Distributionum*, 2 *maii* 1716, *dub.* 1.

153. Et quoad præfatum Episcopi decretum requisivit eadem S. C. eumdem Episcopum audiri : *Ibid.*, *dub.* 2.

154. Antonius Zito, archidiaconus ecclesiæ cathedralis, ac Carolus Giglius canonicus decanus prævio indulto S. C. abierunt ab ecclesiæ servitio. Primus per menses quatuor, secundus per menses quinque. Integram vero distributionem massæ grossæ, cujus medietas tantum conceditur illis, qui adimpleverint ecclesiæ per novem menses servitium, receperunt. Hac de causa capitulum dictarum distributionum medietatem repetiit, et S. C. distulit resolutionem, jussitque, ut exhibeatur statutum ecclesiæ cathedralis, quatenus adsit, sin minus coadjuventur probationes super asserta consuetudine, et extrahantur formaliter partitæ ex libro punctatoris : *Rossanen.*, *Distributionum*, 28 *novemb.* 1716.

155. Indultum pontificium anno 1715 Episcopo, et principi Leodiensi concessum fuit. Hoc canonicis pro servitio illius diœcesis, et principatus assumptis suffragatur ad effectum consequendi distributiones quotidianas, anniversaria, omniaque emolumenta, quæ debentur ratione personalis residentiæ, et præsentiæ in choro, dummodo aliter non fuerit a testatoribus dispositum : *Leodien.*, *Indulti*, 10 *julii* 1717, *dub.* 1.

156. Et canonici assumpti pro servitio ut supra, et qui non expleverunt annualem, et strictam residentiam ad formam statutorum propriæ ecclesiæ non gaudent indulto præfato tam quoad massam grossam, quam quoad alia emolumenta : *Ibid.*, *dub.* 2.

157. Canonici cathedralis ecclesiæ, qui sexaginta dies continuos, vel interpolatos ad eorum arbitrium non festivos de præcepto quolibet anno abesse possunt a servitio ecclesiæ, distributionibus quotidianis in dictis diebus eo modo, quo præsentes gaudent, frui nequeunt [128] : *Suessana*, *Tabellæ horariæ*, *et Servitii chori*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 3.

158. Hinc neque duæ ex tribus partibus dictarum distributionum cedere debent pro fructibus in augmentum præbendarum : *Ibid.*, *dub.* 2.

159. Ad quæsitum, num canonicis cathedralis ecclesiæ certum pro supplicationibus, quæ qualibet tertia mensis dominica fiunt, stipendium debeatur? S. C. respondit, ut solitum servaretur : *Sarnen.*, 27 *junii* 1705, *dub.* 6.

160. Amadorus Sangiulianus rector seminarii Setiæ, et custos ecclesiæ S. Annæ dictæ urbis obtinuit canonicatum in ecclesia S. Agathæ terræ Proxeudi, ideoque a munere rectoris, et custodis ab Episcopo fuit remotus. Quum autem depravasse nonnullas litteras S.C. Episcoporum, et Regularium, ac Setinæ communitatis, ut eadem rectoria, custodiaque frui posset, diceretur, in contumaciam damnatus ad pontificias triremes per decennium fuit, et ex gratia noxam multa haud luit, idcirco fructus sui canonicatus, qui in distributionibus consistit, absentiæ, et contumaciæ tempore petiit, et non fuit auditus : *Ferentina*, *Distributionum*, 19 *nov.* 1718.

161. Canonicos perpetuum, et Guillelmum per Episcopum Leodiensem assumptos pro diœcesis servitio in testimonio ejusdem Episcopi expresso, abscedendi a residentia, ac distributiones quotidianas lucrandi indulto gaudere decisum fuit : *Leodien.*, *Indulti*, 27 *april.* 1720.

162. Nonnulli cathedralis ecclesiæ canonici contendebant, distributiones nuncupatas Natalitias, et quæ summam conficiunt annuorum scutorum 208, fierent inter eos, qui in anno capitulari vertente servitium præstiterunt. Alii vero asserebant, quod distributio illa Natalitia 208 fieri deberet non inter præfatos, sed inter eos, qui anno capitulari immediate præcedenti inservierunt. Proposuit quisque sua jura, et rationes; sed postremi vicerunt, quum pro rata servitii in anno capitulari antecedenti præstiti eam faciendam esse S. C. definierit : *Anagnina, Distributionum*, 8 *junii* 1720.

163. Canonico cathedralis ecclesiæ Petro Sola-

scumque tertiam partem distributionum singulis canonicis respective tangentibus attingant, nullomodo distributiones deberi ; si vero attingant duas ex tribus partibus fructuum præbendæ respective, ac distributionum inde cumulatarum deberi amissa tertia, quæ inservientibus accrescat : *Ead. causa*, 3 *martii* 1714.

[128] « Ex eo motivo, quod certum sit absentes causa vacationum a Concilio Trid. permissarum amittere distributiones quotidianas, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, ut *in Pisauren.* 14 *junii* 1670, lib. 26, *Decret.* pag. 353, ubi fuit dictum, dandum esse decretum in dubio proposito die 3 decem. 1644 ibi : *Canonicos tempore vacationis non lucrari distributiones quotidianas non obstante consuetudine immemorabili.* » Card. Petra *Comment. ad Const. IX*, *Bonifacii VII*, num. 23, tom. 3, pag. 297.

rio, qui ab impacto crimine fuit absolutus, et tanquam non repertus culpabilis liberatus, distributiones quotidianæ tempore, quo causa inquisitionis abfuit, haud debentur: *Lauretana*, *Distributionum*, 7 *sept.* 1722, *dub.* 1.

164. Nec etiam idem canonicus lucratur fallentias, seu punctaturas aliorum canonicorum : *Ibid.*, *dub.* 2.

165. Canonicis tam integræ, quam dimidiæ, et quartæ præbendæ ecclesiæ cathedralis, qui assumere ordines sacros adnexos eorum præbendis canonicalibus tenentur, causa eorum moræ in suscipiendis, est eis in posterum sola distributionum quotidianarum medietas subtrahenda: *Ulissiponen.*, *Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 9.

166. Christophoro Bernardo Schedelich canonico collegiatæ ecclesiæ S. Mauritii, qui pro servitio ecclesiæ ex commissione Episcopi abfuit, quo in tempore etiam Apostolorum limina visitavit, debentur fructus canonicales usque ad tempus, quo capitulum de his certavit, et quo a choro abfuit, ac residentia, nempe usque ad diem 23 julii 1718: Distributiones vero debentur per quatuor menses anni 1712, et per unum mensem anni 1718, quo tempore limina Apostolorum visitavit: *Monasterien.*, 15 *maii* 1723. Inde confirmavit, et addidit fructus deberi canonico, usque ad præsentem diem, et canonicus omnino ad suam residentiam redeat : 30 *sept.* 1724.

167. Clerici Benedictus Cossa, et Franciscus Francatius canonici ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Arpini qui ob ætatis defectum Ordines sacros non suscipiunt, exigunt proinde nisi annuos ducatos 20 circiter; etiamsi unius canonicatus reditus summam ducatorum 140 excedat. Hinc dubio disceptato; an ipsi admittendi sint ad integram partitionem, tam distributionum quotidianarum, quam alterius cujuscumque reditus provenientis a communi massa, ac præbendis pro æquali cum aliis canonicis sacerdotibus, exceptis oneribus Missarum, aliorumque requirentium sacrum ordinem? Capitulo nihil opponente præter consuetudinem, S. C. negativum præbuit responsum : *Sorana*, 26 *junii* 1723.

168. Johannes Antonius Trincanus canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Euphemiæ insulæ prætendit sibi debere consignari distributiones, quas adstando divinis officiis acquisivit ab anno 1712 per annum totum 1717, et ad ulteriora progrediendo, idem canonicus putat canonicum Joannem Baptistam Mossium non potuisse lucrari distributiones ab anno 1712 per totum annum 1720 non obstante, quod in urbe cum mandato capituli, ut litibus quibusdam assisteret, permanserit; S. C. autem causam ad Ordinarium, qui in omnibus procedat prout de jure, remisit : *Comen.*, 30 *sept.* 1724, *dub.* 3 et 4.

169. Auctoritate apostolica auctis distributionibus quotidianis cum dismembratione fructuum ecclesiæ parochialis Loci de Nuri, et cum applicatione capitulo ecclesiæ metropolitanæ postulata, ac obtenta ab eodem capitulo fuit erectio canonicatus, seu præbendæ doctoralis cum fructibus ejusdem parœciæ reservatis 150 ducatis pro congrua rectoris conservatione. Ab hinc citra idem capitulum a possessore canonicatus de Nuri summa scut. 252 monetæ Sardinæ exigere consuevit. Sed diminutis ejusdem canonicatus reditibus, ejusdem possessor Petrus Sanna prætensionem excitavit, quod detractis 150 ducatis annuis rectori ecclesiæ de Nuri persolvendis, ceteris canonicatus fructus ad se spectare debeant Itaque quæsitum fuit, num per erectionem canonicatus derogatum esset primæ dismembrationi, et deinde, an fructus a capitulo percepti sint restituendi? S. C. distulit resolutionem, et subministrari interim sacerdoti Sanno in causam declarandam aliquam summam arbitrio Card. præfecti mandavit : *Calaritana*, 30 *sept.* 1724, *dub.* 1 *et* 3. Iterum causa in trutina posita resolvit dismembrationi in favorem distributionum quotidianarum factæ non fuisse derogatum; et restituendos minime esse fructus a capitulo perceptos : 19 *novem. ejusd. anni.*

170. Canonici ecclesiarum cathedralium non emittentes fidei professionem, vel debito modo non elicientes suos fructus minime faciunt, sed distributiones lucrantur pro horis, quibus intersunt : *Catacen.*, 9 *febr.* 1726, *dub.* 4.

171. Carolus Ferdinandus Comes de Lodron canonicatum, et præposituram obtinet in ecclesia cathedrali, ac est archypresbyter villæ Lagarinæ cum animarum cura. Hic dispensationem pontificiam a residentia in dicta villa facienda assecutus est, sed hæc subinde fuit revocata, et eidem injunctum fuit, ut per sex menses in illa villa, et per alios sex in civitate Tridentina resideret : Nihilominus de residentia in eadem villa, omissa, quæ per menses octo ratione canonicatus, et præposituare ei incumbit, dispensatione contra statutum, ac consuetudinem immemorabilem illius ecclesiæ, Episcopus conquestus est, fructusque sequestro posuit. Hujus rei causa quæsitum est, an teneatur capitulum fructus, tam certos, quam incertos canonicatus, præposituræ, ac præbendæ relaxare? rescribitur meliori informatione juxta instructionem [129] : *Tri-*

[129] Ut melius edoceri voluit S. C. circa usum, et observantiam dicti statuti. Quomodo itaque illud practicetur præsertim super tam frequenti accessu, et recessu prout expositum fuit. S. C. referat : *Regist. lit.* lib. 27, *die* 16 *martii* 1726.

dentina, Fructuum, 16 *martii* 1726. Deinde consilium cepit, illos fructus non ei deberi : 7 *junii* 1727.

172. Clemens XI, Pont. Max., unum ex canonicatibus ecclesiæ collegiatæ S. Simeonis civitatis Trevirensis contulit Episcopo Rosmensi, et suffraganeo Trevirensi. In ea ecclesia vigebat consuetudo ut canonici, qui ob vacationem ad fructuosam possessionem admittuntur, elapso triennio ad minorem residentiam, et correspondentem ei partem fructuum admitti soleant. Sequuta vacatione suffraganeus prædictus pro sua admissione ad actualem fructuum perceptionem cum derogatione præfatæ consuetudinis supplicavit. Et breve gratiæ fuit expeditum cum auctoritatis S. C. reservatione. Quare hæc consulta pro ejusdem exequendum respondit *Treviren.* 17 *aug.* 1726, confirmat. 26 *april.* 1727.

173. Canonicis ecclesiæ collegiatæ B. M. V. et SS. Fabiani, et Sebastiani de Carignano non solum duc. de camera 50, sed augmentum usque ad scut. 100 stampæ, et coronæ januæ cum obligatione tamen Missas applicandi pro fundatoris, et suorum anima, debentur. Canonicatus enim ante erectionem collegiatæ ex capellaniis quibusdam originem ducebant : *Januen.*, 25 *januar.* 1727, *dub.* 3 *et* 4.

174. Canonico collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Tudelæ Josepho Antenio Junguito proviso apostolico debentur fructus, reditus, ac distributiones a die posssessionis; constabat enim de excessibus capituli in eumdem Apostolicum, in choro interesse nequiverit : *Nullius*, *Tudelæ*, 22 *novem. dub.* 2.

175. Excepto primo anno, cujus reditus solvendi sunt hæredibus defuncti : *Ibid.*

176. Quæsitum quum fuisset: An canonici infirmi cathedralis ecclesiæ teneantur pro lucrandis distributionibus quotidianis servare Episcopi edictum?

177. Seu sit servanda consuetudo? respondit S. C., esse hortandos, sed non cogendos : *Accerrarum*, 25 *aug.* 1727, *dub.* 14.

178. Petrus Curiel canonicatum, et præbendam dignitatem obtinens in metropolitana ecclesia Compostellana, etiam consultor S. Officii, et judex ordinarius dicti tribunalis in urbe Hispalensi evasit, et licet absenti sibi deberi fructus, ac distributiones asseruit, tamen indultum ad quinquennium eisdem fruendi exceptis quotidianis distributionibus reportavit, oneribus tamen per substitutum implendis. At ecclesiis Hispaniarum reclamantibus S. C. servari breve Sanctissimi rescripsit : *Compostellano*, 17 *januar.* 1727, *dub.* 2.

179. Josepho Fernandez Jubera canonico ecclesiæ Toletanæ proviso apostolico, cui capitulum pro retardandis litteris apostolicis super ejusdem canonicatus collatione sanguinis impuritatem objiciebat; etiamsi bona fide haud professionem fidei emiserit, fructus tamen debentur, nec mensæ capitulari, aut canonicis ullo modo iidem adaugentur : *Toletana*, 17 *april.* 1728.

180. Canonico Joanni Baptistæ Amigoto curato ecclesiæ parochialis de Aoiz, qui ad urbem accessit ob causæ decimatoriæ prosequutionem, debentur massa grossa, emolumenta quarumcumque Missarum, et quæcumque oblationes, dummodo omnia per substitutum onera adimpleverit; nec eædem dividi inter præsentes debent, attamen expleto indulto ad residentiam redire debet : *Pampilonen. Distributionum*, 11 *sept.* 1728.

181. Joannes Baptista Leuco canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Laurentii Majoris civitatis Mediolani causa litis super quodam beneficio de jurepatronatu ad urbem accessit, ac indultum a residentia, ac omnes fructus sui canonicatus, ac distributiones participandi obtinuit. Huic canonici refragarunt, quod major pars emolumentorum ex piis testatorum dispositionibus, quæ inter præsentes dividi solent, provenit; quibus canonicus de iis emolumentis absentes consuevisse percipere respondit; ob id S. C. postulationem ejusdem Card. Archiepiscopo, qui ad formam indulti procedat, remisit : *Mediolanen.*, 17 *april.* 1728.

182. Michæl Milonus canonicatum in ecclesia cathedrali assequutus est, et fructus quidem præbendæ percepit, sed decimarum, et emolumentorum funerum perceptione eum posse potiri negarunt alii canonici, eo quod nec erat confessarius, nec operam curæ præstabat. At sicuti S. C. minime crediderit curam animarum actualem residere penes singulos canonicos, ita dicto canonico decimas, ac emolumenta prædicta, quæ in communem massam referuntur ; deberi sancivit ; *Sarnen.*, *Emolumentorum funeralium, et Decimarum*, 7 *julii* 1731, *dub.* 2.

183. Benedictus XIII, Pont. Max., annuit petitis clerici Josephi Antonii de Philippis canonici ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Baptistæ, et, quatenus opus sit, indulsit posse oratorem, ut petebat, studere, et abesse causa studii, et distributiones, ac fructus canonicatus a die captæ possessionis percipere : quibuscumque in contrarium non obstantibus. Verum post laudati Pontificis obitum canonico absenti capitulum distributiones negavit, et proponi curavit, num rescriptum illud esset amplius servandum, et responsio prodiit, esse pro tempore præterito tantum servandum : *Arianen.*, *Distributionum*, 18 *aug.* 1731, *dub.* 1.

184. Quæsitum consequenter fuit, quænam præfato canonico deberentur distributiones ; et illico responsum, competere duas ex tribus partibus, amissa tertia : *Ibid.*, *dub.* 2.

185. Ignatius Villalobos canonicus ecclesiæ cathedralis jam sacro diaconatus ordine initiatus, ut ad presbyteratum promoveretur, per spatium sex mensium fuit commoratus, jubente Episcopo, prius in collegio Privernensi patrum Doctrinæ christianæ, deinde in seminario Signino. Quum vero per id tempus ab ecclesia abfuisset, putavit capitulum quotidianas distributiones ei non deberi, multoque minus emolumenta, quæ punctaturas vocant, quæque in communem massam conferuntur. Sed S. C. ei deberi distributiones quotidianas est arbitrata : *Setina, Distributionum,* 1 *decemb.* 1731, *dub.* 1 *et* 2.

186. Canonicis ecclesiæ cathedralis Episcopo pontificalia exercenti, vel in palatio, vel in aliis suæ diœcesis ecclesiis assistentibus anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate fundatorum distribui solum inter præsentes consueverunt, minime debentur : *Bosanen., Visitationis sacr. Liminum,* 6 *febr.* 1734, *dub.* 1.

187. Nec esse consulendum Sanctissimum pro concessione indulti præfata emolumenta ex gratia percipiendi statuitur : *Ibid., dub.* 2.

188. Franciscus Mastromannius canonicus ecclesiæ collegiatæ terræ Lenulæ, qui ob occultas inimicitias vulnere accepto lethali ex scolpi ictu, et non recte restitutus se transtulit occulte ad oppidum Sperluncæ, deinde post duos menses Romam petiit, lucratur distributiones quotidianas usque ad præsens, et quoad futurum per duos menses tantum : *Fundana, Distributionum, et Fructuum,* 3 *julii* 1734, *dub.* 1.

189. Eique debentur quoque fructus ad formam absentium ex causa infirmitatis : *Ibid., dub.* 2.

190. Quum Orontius Lillus cathedralis ecclesiæ canonicus impetrato indulto abscessus sub consueta clausula, amissis distributionibus quotidianis, a residentia abfuerit, contenderetque præter alios fructus sui canonicatus tradendam sibi esse quamdam olei portionem ex massa distributionum quotidianarum provenientem ; contradictores sese præbuerunt ceteri canonici, et promotor fiscalis in favorem ecclesiæ. S. C. autem de hac quæstione resolvit portionem olei, de qua agitur, accrevisse canonicis inservientibus. non autem pretium ejusdem in beneficium ecclesiæ arbitrio Episcopi esse erogandum : *Alexanen., Distributionum,* 30 *julii* 1735.

191. Quum Faustus Stagni canonicatum in cathedrali ecclesia obtinuisset, ac vigore decreti vicarii generalis in possessionem immissus fuisset, agnoscens possessionem hanc minus esse tutam, ac legitimam, alteram petiit : capitulum ad tramites statutorum distributiones anni, quo canonicatum pacifice non possedit, denegavit, S. C. vero deberi eas a die captæ possessionis pro tempore tantum, quo inservivit, constituit. Nam abfuerat a residentia, ut nonnullis litibus assisteret : *Imolen., Distributionum,* 3 *martii* 1736.

192. Renuebat ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ capitulum clericum Gasparem Goffredum ab Episcopo de canonicatu provisum admittere ad communicationem distributionum, et redituum canonicalium ; sed hic ab Episcopo eodem obtinuit mandatum de manutenendo in quasi possessione participandi de omnibus, et singulis distributionibus instar aliorum canonicorum ; et deinde a S. C. indultum non residendi causa studii amissa de more illarum tertia parte impetravit. Proposita causa instante capitulo consuetudinem contrariam allegante, quum in sacris ordinibus non esset constitutus, sub dubio ; quænam distributionum ac redituum portio canonico prædicto, donec fuerit in minoribus, et quousque respective ad ordinem sacerdotalem ascenderit, competeret? responsum prodiit, deberi integram portionem instar aliorum canonicorum : *Fundana, Participationis,* 25 *sept.* 1734.

193. Quum fuissent revocati ad residentiam tres canonici cathedralis ecclesiæ, qui consueverant vacare in castro Hyllaris pro curæ animarum capitulo adnexæ exercitio, redeuntes ac residentes debent de distributionibus quotidianis, legatis piis, aliisque emolumentis certis, et incertis prout alii canonici, participare : *Valven., Residentiæ,* 25 *januar.* 1738, *dub.* 2, confirmata 20 *decemb. ejusd. anni.*

194. Jam antea S. C. declaraverat decretum episcopi, quo cavetur, ne ullus ratem partem, quæ sibi obtigisset, respuere, aut prius acceptam posset deinceps renunciare sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ, non afficere canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli oppidi Terlitii, qui *participantes* vocantur ; hinc canonicus Sylvester de Ruffo capitularem partem ratam retinere detrectans, fuit distributionibus, ceterisque emolumentis orbatus ; et S. C. esse ei restituendas distributiones, aliaque decrevit : *Juvenacen.,* 23 *aug.* 1738, *dub.* 1.

195. Necnon portio rata quædam capitularis, quæ per obitum canonici Josephi de Feo vacavit, debetur canonico Sylvestro prædicto, quæ tanquam jure optionis antiquiori ei competit : *Ibid., dub.* 3.

196. Joan. Francisco Palmerio canonico ecclesiæ metropolitanæ proviso apostolico, qui professionem fidei rite non emisit, quia possessionem per procuratorem contra statutum, et consuetudinem dictæ ecclesiæ suscepit, debentur fructus canonicatus ; erogata tamen in pauperes aliqua eleemosyna arbitrio Archiepiscopi sub obligatione tamen repetendi fidei professionem in manibus ejusdem, et

coram capitulo, cum primum ad residentiam advenerit: *Capuana, Professionis fidei*, 6 *decemb.* 1738.

197. Canonico collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Foggiæ Francisco Grazillo debentur distributiones quotidianæ a die discessus, quia causa litis capituli, et cum Ordinarii venia abfuit: *Trojana, Præbendarum*, 6 *decem.* 1738, *dub.* 3.

198. Julius Manfredi canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Antonini terræ Pharæ absens ex causa studiorum tenetur ad pœnam punctaturarum indictam in statuto ecclesiæ contra non adstantibus divinis officiis. Nam illa pœna pro quolibet puncto succedit in loco distributionum quotidianarum: *Nullius Farfen., Distributionum quotidianarum*, 20 *decem.* 1738, *dub.* 1.

199. Et eadem pœna est solvenda ex tertia fructuum parte ex indulto relinquenda, et intervenientibus partienda: *Ibid.*, *dub.* 2.

200. Canonico Philippo Ragone ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Corvini inspecta ejus infirmitate, qua coactus fuit choro abesse, debentur distributiones quotidianæ, ac emolumenta alia, exceptis distributionibus, et emolumentis, quæ juxta voluntatem disponentium sunt tantum intervenientibus reservata: *Acernen., Distributionum quotidianarum, et Jubilationis*, 11 *april.* 1739, *dub.* 1.

201. Intortitia, quæ obveniunt occasione funerum canonicorum, quorum cadavera in proprio eorum sepulcro in ecclesia collegiata S. Jacobi Tolentini tumulantur, ad ipsos canonicos una cum priore dictæ ecclesiæ, qui est parochus, non spectant; sed S. C. servari solitum mandat: *Tolentina, Missæ parochialis, et Professionis fidei*, 26 *maii* 1739, *dub.* 6.

202. Bartholomæo Benites Decano, et canonico ecclesiæ cathedralis ob emissam professionem in Societate Jesu in manibus P. rectoris collegii civitatis Canariensis in articulo mortis, qui post triduum obiit, debentur fructus suarum præbendarum post mortis annum ad formam statuti dictæ cathedralis hæredibus ipsius, id est patribus dictæ Societatis, non autem capitulo: *Canarien., Fructuum*, 12 *sept.* 1739.

203. Sancivit S. C. capitulares collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ nuncupatæ *la Greca* pulsantes organum pneumaticum absque stipendio, et confessiones audientes ex deputatione tempore divinorum officiorum distributiones non amittere: *Nullius, Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 4.

204. Augustinus Lhullie provisus de canonicatu ecclesiæ collegiatæ S. Angeli in foro Piscium urbis cum dispensatione apostolica super ætatis defectu non subditur statuto ecclesiæ sancienti, ut canonici nisi promoveantur infra annum participare nequeant de sua præbenda: *Rom., Fructuum canonicatus*, 22 *julii* 1741, *dub.* 1.

205. Ideoque fructus canonicatus a die captæ possessionis ei debentur: *Ibid.*

206. Canonicis ecclesiæ cathedralis ad urbem transmissis, ut liti exortæ inter promotorem curiæ episcopalis Trojanæ, et clerum ejusdem civitatis adsisterent, deberi indultum absentiæ, et lucrandi distributiones pro tempore a die discessus, usque ad præsentem resolutionem, ac decisionem causæ, et ad alios quindecim tantum dies post præsentem pro reditu concessit S. C.: *Trojana, Servitii*, 23 *junii* 1742, *dub.* 4.

207. Consuetudo, quæ in quæstionem venit in insigni collegiata ecclesia S. Erasmi, quæ est Verulis, respicit canonicalium ratarum portionum distributionem, quæ ita peragitur; periti fructus æstimant singulis annis, canonicus, qui id muneris habet, in tot æquales partes fructus a peritis æstimatos dividit, factaque divisione canonicus senior, inde gradatim omnes, ratam partem suam eligunt. De hac distributione reclamant canonici juniores, et rogant, ut in unam massam omnes fructus redigantur; propterea S. C. præcepit prætensam consuetudinem servandam non esse quoad divisionem, et distributionem ratarum portionum canonicalium; necnon illam faciendam esse per canonicos juniores juxta Constitutiones, extractionem vero statim per sortes, et ad triennium: *Verulana, Portionum canonicalium, et Electionis cellerarii*, 25 *januar.* 1744, *dub.* 1 *et* 2, confirmata 19 *decem. ejusd.*

208. Canonicus cathedralis ecclesiæ Joseph Antonius Colettus in carcerem conjectus, uti falsus conficti criminis delator, et post quinquennium re diligenter perspecta absoluti fuerunt rei delati causa eorum innocentiæ, et damnatus fuit Colettus ad redintegrationem impensarum, damnorumque, quæ eisdem reis obvenerunt e falsa accusatione; jussumque etiam fuit, ut post hanc redintegrationem, ac damnorum, impensarumque emendationem dimitteretur Colettus *ex gratia, et ex quo satis, et viatica cederent loco pœnæ*. Prædicto canonico ita dimisso deberi distributiones quotidianas sui canonicatus S. C. sancivit: *Anagnina, Distributionum quotidianarum*, 29 *febr.* 1744, confirmata 28 *martii ejusd. anni.*

209. Impetrato a canonico ecclesiæ cathedralis Theodoro Grech indulto a choro se removendi studiorum causa objecerunt canonici illum non scut. 20, sed 60 conferre debere quotannis pro distributionibus quotidianis, quia ex reditibus suæ præbendæ, quæ est ex illis ultimæ erectionis, scut. annua 325 percipit. Quæstione in S. C. delata, decisum fuit eumdem teneri pro distributionibus quotidianis consuetam summam scut. 60 non 20 solvere: *Melevitana, Indulti*, 27 *junii* 1744, *dub.* 2.

210. Negarunt nonnulli canonici ecclesiæ collegiatæ D. Petri civitatis Spoleti integras præstare canonico Josepho Brianzio ætatis annorum 17 distributiones ; dimidiam tantum earum partem ob defectum sacrorum ordinum, et propter consuetudinem illi deberi contendentes. Quæsitum proinde fuit, num æque ac aliis canonicis præfatæ S. Petri collegiatæ Brianzio deberentur quotidianæ distributiones? sed nulla prodiit causæ definitio ; jussum tamen est, ut coadjuvarentur probationes super asserta consuetudine, etiam cum extractione formaliter facienda partitarum ex libris capitularibus : *Spoletana*, *Distributionum quotidianarum*, 8 *maii* 1745. Inde negativum exiit responsum inspecta consuetudine : 26 *martii* 1746.

211. Canonico ecclesiæ cathedralis Francisco Xaverio Picconio, qui morbo Podagræ detentus statis horis choro interesse non potuit, et semper de capituli consensu distributiones quotidianas percepit, modo debentur ex decreto S. C. tam ordinariæ, quam extraordinariæ, et quæcumque alia emolumenta, et obventiones debitæ ceteris præsentibus canonicis, exceptis tantum iis, quæ sive ex voluntate testatoris, sive ex statuto, et consuetudine ecclesiæ tantum actu intervenientibus debentur : *Savonen.*, *Distributionum*, 18 *decem.* 1745.

212. Quum canonicus Godefridus Stapff collegiatæ ecclesiæ S. Margaritæ Waldkirchii ad personalem residentiam teneretur, nec alium substituere valeret ; ita tempore absentiæ distributiones tam ordinarias, quam extraordinarias, uti ceteri canonici intervenientes capiunt, extra casus a jure permissos percipere non potest : *Constantien.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 2, confirmata 15 *julii ejusd. anni*

213. A die præstiti impedimenti debentur canonico Dominico Malamisura collegiatæ ecclesiæ Sanctissimæ Assumptionis terræ Zuncoli fructus, distributiones, ac emolumenta omnia ex massa tam partitionum, quam canonicatuum provenientia ; imo expensæ judiciales sunt reficiendæ ei, qui litem intentatam a capitulo non habere qualitatem originis loci Zuncoli requisitam pro canonicatu assequendo asserenti passus est : *Arianen.*, 13 *januar.* 1748, *dub.* 2.

214. Clericus Cæsar de Luca canonicus ecclesiæ collegiatæ, et parochialis oppidi S. Laurentii petiit a S. C., ut etsi absens lucrari possit omnes fructus canonicatus ad tramites consuetudinis, quæ viget in ecclesiis collegiatis diœcesis, quod canonicus non adhuc diaconus percipiat medietatem suæ ratæ portionis distributionum, quia alia medietas distribuitur inter canonicos presbyteros ; et S. C. hanc consuetudinem approbavit : *Ferentina*, *Indulti*, 3 *aug.* 1748.

215. Quum haud valida esset privatio canonicatus possessi a Godefrido Stapff in ecclesia collegiata S. Margaritæ Waldkirchii, nec nominatio alterius facta a capitulo, eidem canonico debentur fructus præbendæ pro toto tempore ; distributiones vero, aliaque emolumenta canonicalia debentur a die reditus ad residentiam : *Constantien.*, *Canonicatus*, 24 *april.* 1751, *dub.* 2, confirmata 10 *julii ejusd. anni.*

216. Thomas Philips canonicus ecclesiæ collegiatæ oppidi Tungrensis, qui indultum abcessionis ex causa infirmitatis, et percipiendi omnes canonicatus fructus, proventus, ac emolumenta ac si præsens personaliter resideret, obtinuit, de emolumentis ex anniversariis, tam fixis, quam incertis, et extraordinariis participare debet : *Leodien.*, *Indulti*, 28 *aug.* 1751, *dub.* 1, confirmata 15 *april.* 1752.

217. In collegiata ecclesia S. Florini civitatis Confluentiæ orta est consuetudo centum firmata annorum spatio, ut si post festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ canonicus aliquis decederet, defuncti hæredes portionem fructuum canonicatus acciperet eo anno obventuram, exceptis quotidianis distributionibus, et præsentiis. Obiit post dictum festum canonicus decanus ab Ebrencron, et noviter provisus fructus hæredibus denegavit, eo quod statutum non de decanis, sed de canonicis loquatur. Recursu ad S. C. habito, hæc respondit, fructus, et reditus decanales elapsos, et maturatos a die festivitatis S. Joan. Baptisfæ anni 1749 usque ad aliam diem ejusdem festivitatis subsequentis anni 1750 deberi hæredibus decani ab Ebrencron interim defuncti, non vero deberi ad partem ratam præstiti servitii, et temporis vitæ : *Treviren.*, *Fructuum*, 8 *julii* 1752, *dub.* 1, confirmata 18 *nov. ejusd. anni.*

218. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Petri Montis sancti Viti, non possunt lucrari distributiones, quoties tempore divinorum officiorum e choro discedunt, tam causa audiendi confessiones, quam causa Missam privatam celebrandi : *Senogallien.*, *Jurium parochialium et præeminentiarum*, 17 *nov.* 1753, *dub.* 8.

219. Iidem canonici, qui ex asserta fundatione ad confessiones audiendas adstricti sunt, si tempore divinorum officiorum illas auribus accipiunt, distributiones lucrari valent : *Ibid.*, *dub.* 9.

220. Duodecim in metropolitana ecclesia adsunt canonici, seniores propriam habent præbendam, reliqui solos reditus, quos vocant *massam grossam*, de quibus etiam alii canonici, et portionarii percipiunt. Canonicus Ciura mensæ Episcopalis œconomus causa litis agendæ super eadem mensa venia obtenta a choro abfuit. Tarentum reversus sibi debitos esse non præbendæ tantum fructus, sed etiam reditus massæ grossæ contendit. Refragati huic

petitioni sunt portionarii, qui minores portiones accipiunt, et quibus, quidquid canonicis, et portionariis absentibus decrescit, recidit. Secundum ea, quæ proponebatur, S. C. resolvit illum œconomum quatenus sit canonicus in absentia a choro, vel civitate tantum massam grossam, non autem distributiones lucrari : *Tarentina, Distribution.*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 1.

221. Decisum postea fuit, præfatum canonicum Ciuram pro eo empore quo degit in civitate Neapolis, lucratum esse distributiones, et massam grossam ad formam indulti, et ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 3.

222. Canonicus ecclesiæ cathedralis Joannes Joseph Caresti, ex acri stillantium oculorum fluxu in glaucoma misere cæcitatem contraxit ; huic, licet bene valeret, et capitulum sese opponeret, quotidianæ distributiones etiam ex canonicorum fallentiis provenientes debentur : *Aprutina, Distributionum*, 7 *junii* 1755, *dub.* 1.

223. Canonici ecclesiæ cathedralis S. Salvatoris de Oriolo, qui non ascendunt ad sacros ordines, ut per se ipsos officia agerent sacerdotalia, fructus canonicatus a die decreti Episcopi ad formam Concilii amittunt, et dicti fructus fabricæ ecclesiæ sunt applicandi : *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 4, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

224. Canonicus ecclesiæ cathedralis Joseph Ribera fretus antiquissima consuetudine, uti canonicum antiquiorem jubilatum se esse contendit, ac inde petiit, ut sibi restitui deberentur distributiones a capitulo hactenus retentæ ; sed S. C. eum non audivit : *Barchinonen.*, *Jubilationis*, 19 *apr.* 1760, *dub.* 3. Idem canonicus gravatum esse a præfato decreto sentiens, exposuit, quod ratione servitii non præstiti post declaratam a capitulo ejus antiquitatem, privari nequivisset distributionibus vigore sequestri ob nonnullas præstationes ab eo debitas impositi, quia usque ad diem 24 nov. 1754 servivit per coadjutorem, et eo defuncto bona fide cessavit ab ecclesiæ servitio ob ætatis prærogativas ei a capitulo concessas ; hinc S. C. in decisis tantum quoad distributiones elapsas a die 24 *novem.* 1754 stetit : 28 *febr.* 1761.

225. Sacerdos Joannes Cadonici canonicus ecclesiæ cathedralis ob pedum dolorem, surarumque contractionem per capitulum anno 1756 chori exemptionem assecutus est. At idem capitulum eum sub initio mensis sept. 1758 monuit, ut in futurum choro, ne alioquin distributionum amissione mulctaretur, interesset. Ille autem S. C. adiit, et indultum abscessus durante infirmitate reportavit, deinde quæsivit, an ei distributiones quotidianæ elapsæ a mense sept. 1758 debeantur ? S. C. juxta votum Episcopi [130] deberi censuit : *Cremonen.*, *Indulti*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 2.

226. Canonicus cum honoribus, et oneribus noviter admissus in ecclesia collegiata S. Mariæ Novæ terræ Tophiæ debet participare de distributionibus quotidianis emolumentis funerum, anniversariorum et Missarum, quæ cum cantu a benefactoribus desiderantur : *Nullius seu Farfanen.*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 3.

227. Quum canonicus Baro de Preysing equestris ordinis S. Gregorii decanus teneretur ad residentiam in ecclesia collegiata SS. Martini et Castulli Landishuti, in qua canonicatum possidet ; contra eumdem non residentem procedi prout de jure quoad fructus ipsius canonicatus S. C. Ordinario mandavit : *Frisingen.*, *Residentiæ*, 3 *julii* 1762, *dub.* 2.

228. Canonicum Nicolaum de Palmer ecclesiæ colligiatæ oppidi Tungrensis fructibus sui canonicatus capitulum privavit. Renuerat enim pergere ad studia post exactam primam residentiam ad formam decreti capituli, dum expleret ætatis annum vigesimum secundum. Dictos fructus esse restituendos S. C. præcepit. Nam exposuerat paucos menses ei deesse ad complendam requisitam 22 annorum ætatem, et studia sacræ Theologiæ, et juris canonici biennio absolvisse : *Leodien.*, *Residentiæ*, 12 *junii* 1762, *dub.* 1.

229. Duo canonici ecclesiæ cathedralis, qui Episcopo inserviunt, quique choro non intervenient, neque aliis functionibus ecclesiasticis assistunt, possunt participare solunt de præbendis non autem de distributionibus quotidianis eo modo, quo capient alii canonici præsentes, et inservientes : *Venusina*, 30 *julii* 1763, *dub.* 1.

230. Ac si in præfata ecclesia cathedrali non adsint præbendæ, sed tota massa capitularis consistat in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars loco stat præbendæ, et datur canonicis præsentibus præter alias duas partes, quas habent cum Mansionariis communes, canonicis duobus præfatis Episcopis servitio addictis in hoc casu de tertia parte, quæ stare debet loco distributionum quotidianarum participare nequeunt : *Ibid.*, *dub.* 2.

231. Præterea canonicus ejusdem ecclesiæ exercens curam animarum extra suam ecclesiam in ecclesia parochiali, cujus cura nec habitualiter neque

[130] Episcopus censet annuendum esse oratoris precibus dummodo distributiones ex lege fundationis non sint reservatæ personaliter tantum intervenientibus, ejusque conscientiæ remittendum, choro identidem interesse iis diebus et quoties sine gravi incommodo, et periculo id se noverit præstare posse ; necnon iis defectibus adhuc perdurantibus, ne tam diuturno tempore ecclesia debitis careat obsequiis, satagere, ut sibi coadjutorem irrevocabilem cum futura successione in canonicatu, et præbenda eligendum inveniat : *Ead. causa*, 12 *julii* 1760, § 5.

actualiter ad capitulum spectat, et choro non interveniens massa capitulari, ac distributionibus quotidianis, sicut præsentes, et intervenientes frui haud debet : *Ibid., dub.* 7.

232. Canonicus pariter dictæ cathedralis, qui vel procurator, qui capellanus, vel tandem confessarius est monialium cum stipendio de massa capitulari, non autem de quotidianis distributionibus tempore, qui officiis, ac choro vacat, aliisque functionibus ecclesiasticis non intervenit, frui potest : *Ibid., dub.* 9.

233. Canonicus Innocentius Bonamicus, ecclesiæ Pratensis theologus, qui indultum vacandi a choro permanentibus suis infirmitatibus obtinuit, percipere omnia emolumenta exceptis iis, quæ sive ex dispositione testatoris, sive ex consuetudine, vel statuto ecclesiæ tantum actu inservientibus debentur, valet, atque debet : *Praten., Indulti vacandi a choro,* 23 *junii* 1764, *dub.* 2.

234. Indultum a canonico ecclesiæ cathedralis Honuphrio Oller reportatum causa infirmitatis ei suffragatur ad effectum percipiendi a die illius exequutionis omnes distributiones, tam canonicales, quam manuales, et minutas præsentibus choro, et divinis officiis præstari solitas, exceptis illis distributionibus, de quibus expresse a testatoribus aliter dispositum est : *Segobricen., Indulti,* 9 *febr.* 1765.

235. Comes de Hoensbroeck canonicus, et scholasticus collegiatæ ecclesiæ B. M. V. Aquisgrani passive ab Episcopi jurisdictione exemptæ, in canonicum a latere ab Episcopo Leodiensi assumptus, et in ejus servitio existens, pro præsente, et residente ad effectum fructus præbendæ percipiendi, jureque turni gaudendi haberi debet : *Leodien.*, 28 *sept.* 1765.

236. Reditus hæreditarii de Liboys distribui debent inter canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Petri, qui intersunt officiis a testatoribus de Liboys designatis in quodam folio, ad quod sese in testamentis reportarunt; minime vero inter præsentes officiis ecclesiæ solemnioribus juxta vicarii generalis Leodii votum, ac capituli petitionem ; quamvis in prædictis officiis ecclesiæ servitium a canonicis causa tenuis stipendii, negligeretur : *Leodien.,* 26 *martii* 1768, confirmat. 21 *novem.* 1772, *dub.* 1.

237. Id ipsum vero postulans capitulum ex gratia, et ut consuleretur Sanctissimum pro exequutione emanatæ resolutionis capitularis, negativum passum est responsum : *Ibid., dub.* 2.

238. Canonicus ecclesiæ cathedralis Dominicus Jacopinius habens indultum a residentia vacandi cum clausula amissis quotidianis distributionibus participare nequit de fructibus massæ, quæ dicitur grossa, quum reditus canonicorum consistant partim in fructibus præbendarum, partim in iis, quæ de massa grossa appellantur, et quæ intervenientibus acquiruntur, ac nullæ adsunt distributiones : *Montis, Falisci Distributionum,* 23 *januar.* 1773.

239. Vicerunt canonici collegiatæ S. Dionysii Leodii apostolicum indultum, ut tertius quoque carentiæ annus in favorem fabricæ excepta sola permutationis causa, et exceptis coadjutoribus actu existentibus, in decennium illud fuit prorogatum. Capitulum ad tertium quoque carentiæ annum adigendum esse canonicum Petrum Franciscum de Maccar çoadjutorem, ac inde in liberam ob coadjut mortem possessionem immissum, putavit. Sed eodem canonico opponente S. C. eum ad tertium illum carentiæ annum haud teneri statit : *Leodien., Indulti,* 23 *april.* 1774.

240. Canonico ecclesiæ collegiatæ S. Pauli Leodii Carolo Theodoro Diffuji pars rata debetur fructuum provenientium ex vineis locatis, seu, ut aiunt, stutorum, et ex venditione arborum, lignorum, et gladium pro duobus annis primæ residentiæ; minime sustinetur capitulare statutum, cujus vigore fructus primi biennii dividuntur inter canonicos; etiamsi juramentum consuetudines, ac capituli leges servandi præstiterit : *Leodien,* 10 *maii* 1777, *dub.* 1 *et* 2, confirmat. 14 *febr.* 1778. Animadvertendum tamen in facto est, quod capitulum S. C. monuit, fructus prædicti generis, nec ad præbendas canonicales, nec ac distributiones quotidianas pertinere, sed illos ceteroquin exiguos, nullaque eorum probata provenientia inter canonicos in præmium secundæ residentiæ dividi. Hac de causa S. C. recedendo a decisis illam ratam partem canonico supradicto non deberi, ac statutum capitulare sustineri, decidit : 26 *junii* 1779, confirmat., 28 *aug. ejusd. anni et* 15 *april.* 1780.

241. Philippo Lamberte de Faiis canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Odulpho oppidi Lossensis dicatæ, in qua viget consuetudo, quod quilibet provisus per duos integros annos a die suæ receptionis fructibus præbendæ careat, deberi fructibus post biennium carentiæ computandum a die receptionis. Nam ante receptionem per plures annos canonicatum Thomas Leducq retinuerat, quin resideret, ac capitulo receptum fuisse, ac titulo permutationis eidem cessit Philippo : *Leodien. Fructuum, canonicatus,* 9 *aug.* 1777.

242. Ideoque censuit S. C. non esse a capitulo fructus canonicatus restituendos, quum canonici illo temporis spatio, quo provisus a capitulo recipi non curavit, inter eos fructus prædictos diviserint : *Ibid.*

243. Sacerdos Franciscus Angeluccius canonicus theologalis ecclesiæ cathedralis exercere cupiens vicarii generalis munus indultum vacandi a choro, et a residentia accepit, ejusque inde prorogationes. Sed

opponente capitulo jam S. C. illa pontificia indulta esse sustinenda firmaverat; modo eidem deberi distributiones quotidianas a die 12 julii 1766, quo electus fuit judex processus causæ ven. servi Dei fratris Angeli Antonii Sandreani, usque ad diem 12 julii 1770 præcepit: *Maceraten.*, 14 *martii* 1778, *dub.* 4, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

244. Calixtus Banfius canonicus ecclesiæ collegiatæ terræ Tophiæ causa studiorum indultum ad biennium absentiæ, amissis distributionibus quotidianis, obtinuit. Archiepiscopus abbatiæ administrator in visitatione decernit pœnam pecuniariam contra eumdem ob absentiam, cujus vigore mandatum exequutivum fuit relatum. Hinc dubio disputato in S. C., an debeantur ei punctaturæ? respondetur non deberi, amissis tamen distributionibus quotidianis ad formam indulti: *Nullius Farfen.*, *Punctaturarum*, 5 *aug.* 1780, *dub.* 1.

245. Quum canonicus ecclesiæ cathedralis Vincentius Calvo coactus ad sacros ordines suscipiendos, nullo patrato facinore ab ordinatione sacra, ab Episcopo repelleretur, ob hanc causam jacturam distributionum patitur, licet divinis officiis interesset: conquestus proinde est in S. C. quærens an, et a quo tempore distributiones quotidianæ sint ei restituendæ? Et S. C. rescripsit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem: *Tirasonen.*, *Ordinum*, 26 *januar.* 1782, *dub.* 3.

246. Canonici, qui emittere fidei professionem tenentur, et ultra præfinitum tempus bimestris eam elicere protelaverint, non priventur fructibus primi dicti bimestris, sed fructibus ex post decurrendis, nempe a die elapsi primi bimestris: *Tirasonen.*, *Visitationis sacr. Liminum*, 11 *maii* 1782, *dub.* 2.

247. Canonicus Franciscus, et Bandus fratres Bandi ex eorum bonis cumulum, ac inde quatuor canonicatuum in favorem quatuor clericorum, quibus constituto sacro patrimonio pro interventu chori diebus festivis obolos 4 pro quolibet assignaretur, erectionem præceperunt. Re completa præelectus inter alios clericus Franciscus Richinius, qui jurejurando onera a fundatoribus imposita adimplere promisit. Hic modo degit in seminario Auximano causa studiorum, ac postulavit, sed non obtinuit indultum vacandi a residentia, atque obolorum distributiones percipiendi; inde quæsivit an, et a quo tempore debeantur fructus? et deberi a die constituti patrimonii fructus ad formam testamenti fuit deliberatum: *Nullius, S. Rufilli*, 9 *april.* 1785, *dub.* 2.

248. Applicata fuit hæreditas Rodulphi Valtieri seminario Tolentino cum onere quotannis solvendi reditus quatuor canonicatuum ad formam testamenti ejusdem fundatoris, qui cavit canonicos tot fructus percipere debere, quot alii canonicatus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi, quos possident Fidius, et Somnius, referunt. Modo quum a nonnullis emolumentis ex legatis capitulo relictis dictos novos canonicos capitulum exclusisset, prætendunt iidem illa a seminario esse præstanda, ut reditus eorum aliis canonicatibus a testatore designatis æquiparetur. Quæstione ad S. C. delata, fructus deberi juxta modum [131] decisum fuit: *Tolentina*, 28 *maii* 1785, *dub.* 1, confirmata 8 *april.* 1786.

249. Nec deberi eis eleemosynam pro onere trium Missarum pro qualibet hebdomada celebrandarum fuit statutum: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

250. Reditus mensæ capitularis ecclesiæ cathedralis non prohibentur sibi canonici applicare, et dividere ad formam decreti S. C. diei 29 januar. 1633 [132]: *Ariminen*, *Reparationis ecclesiæ cathedralis*, 19 *sept.* 1789, *dub.* 2.

251. Atque tenentur dicti canonici ab anno 1786 exclusive ad restitutionem; et quoad præteritum ad secretarium cum Sanctissimo: *Ibid.*, *dub.* 3.

252. Canonicis ecclesiæ cathedralis permittitur, ut absentes a residentia ex causa etiam infirmitatis percipere valeant distributiones quotidianas, quas ex ecclesiæ statuto, et sexcentenaria consuetudine amittebant: *Illerden*, *Absentiæ*, *et distributionum*, 3 *martii* 1792, *dub.* 2

253 Canonico ecclesiæ cathedralis Paulo Leggi denegantur, demptis duobus mensibus vacationum, distributiones pro tempore ejus absentiæ, quam fecit, ut ait, causa infirmitatis, de qua testimonia non jurata exhibuit, sed contrarium alii testantur: *Anagnina*, *Distributionum*, 14 *martii* 1795, *dub.* 1.

254. Quum Angelus Comolli coadjutor canonici Joan. Petri Aghina S. Mariæ ad Martyres Urbis præcesserit coadjutum, obtinuit a Sum. Pontifice coadjutoriam sacerdos Aloysius Tazi, cui cedere noluit Aghina distributiones quotidianas, quas cessit primo coadjutori Comollio, ut in litteris apostolicis legitur, *in favorem sui perpetui coadjutoris cedere intendit.* Idcirco petiit Tazius dictam gratiam, et non obtinuit; sed ut ex jure obtineret, S. C. adiit, quæ censuit ei competere distributiones quotidianas: *Romana*, *Distributionum quotidianarum*, 23 *ja-*

[131] Nempe deberi annua scuta 14, ultra rubra 5 frumenti, et scuta 6, solutis a seminario utensilibus Missarum, cathedratico, et collectis: *Ead. causa*, 21 *maii* 1785.

[132] Occasione visitationis sacrorum Liminum rescripsit S. C. anno 1633 ad Episcopum Cæsium, superextantes mensæ capitularis reditus erogandos esse in necessitatibus ecclesiæ, et ecclesiarum eidem annexarum, earumque fabricæ, necnon in manutentionem prædictarum: Lib. 24, *Decret.* pag. 699.

nuar. 1796. Sed postea prævio recessu a decisis coadjuto competere resolvit : 27 *aug. ejusd. anni.*

§ IV.

Canonici quoad Missam conventualem.

1. Canonici ad personaliter canendas Missas illis diebus, quibus ex institutis, vel legitima consuetudine illius ecclesiæ debent, cogendi sunt : *Regien., anni* 1573, *dub.* 4. [133]

2. Ad dubium, an canonico celebranti Missam conventualem præter distributiones debeantur eleemosynæ, quæ a christifidelibus elargiuntur pro Missis celebrandis ? Canonicos, et beneficiatos pro Missa conventuali quoque emolumentum, et distributiones recipientes non posse aliam eleemosynam recipere, vel sacrificium alteri applicare, respondit S. C. : *Elven.*, 4 *maii* 1646, *dub.* 4.

3. Sapienter S. C. expendit, canonicos ecclesiæ cathedralis teneri ad celebrationem Missæ conventualis singulis diebus, non obstante contraria consuetudine ; adeoque servandum decretum desuper editum ab Ordinario Tusculano ; pœnas vero contra adversantes pro arbitrio Card. Sacchetti moderni Episcopi esse moderandas : *Tusculana*, 16 *novem.* 1652.

4. Ad preces cujusdam canonici S. C. rescripsit ; oratorem non obstante allegata consuetudine, et quod in fundatione non habeat onus celebrandi, et applicandi Sacrificium, non posse diebus, quibus alterna vice juxta tabellam ecclesiæ Missas celebrat, applicare Sacrificium pro sibi largientibus eleemosynam : *Alexandrina*, 26 *april.* 1653.

5. Episcopus exposuit, quod licet semper fuissent soliti applicare ad sui libitum Missam conventualem, quum nullum emolumentum percipiant, et reditus canonicatuum sint tenuissimi ; nihilominus modo vicarium generalem absente Episcopo, eis applicationem, licet careant distributionibus quotidianis, præcepisse pœna suspensionis adjecta. Canonici petebant saltem, ut constituatur eleemosyna ; sed S. C. anno 1666 censuit non licere eleemosynam recipere. Redeunt modo canonici, et dandam esse declarationem alias editam *in Fulginaten.*, 10 *januar.* 1660 [134], putavit : *Bellicastren., Applicationis sacrificii*, 13 *sept.* 1670.

6. Quum consuevissent canonici ecclesiæ cathedralis eleemosynam suscipere a benefactoribus pro Missis conventualibus, Episcopus id ipsis vetuit, et applicationem fieri præcepit pro populo ; ideoque canonici S. C. adierunt, quæ servandum esse decretum *in Foro Sempronien.*, 7 *aug.* 1683 [135], censuit : *Feretrana*, 25 *sept.* 1694.

7. Ad dubium, an canonici celebrantes Missam conventualem possint illam applicare pro oneribus alterius communitatis existentis in eorum ecclesia, et eleemosynam ab ea recipere? respondetur danda esse decreta *in Foro Sempronien.*, 7 *aug.* 1683 [136]. Nam quoties illi impediti sunt, substituere canonicos alias ad celebrandam Missam conventualem non obligatos consueverunt : *Catacen.*, *Servitii chori*, 29 *novem.* 1698, *dub.* 3.

8. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Antonini civitatis Placentiæ præbendas sacerdotales obtinentes in eorum respective hebdomada celebrare, et Missam conventualem etiam diebus ferialibus canere per seipsos, et non per substitutos tenentur : *Placentina*, *Officii chori*, *Missæ conventualis*, 29 *martii* 1710, *dub.* 2.

9. Onus Missam conventualem celebrandi in ecclesia cathedrali spectat ad solos canonicos, minime ad presbyteros participantes : *Squillacen.*, *Missæ convent., et communeriæ*, 24 *sept.* 1712, *dub.* 1, confirmata 11 *martii* 1713 *et* 19 *nov.* 1719.

10. Canonici ecclesiæ cathedralis tenentur ad celebrationem Missæ conventualis ad formam resolutionum editarum diebus 24 sept. 1712, 11 martii 1713 [137], per seipsos ; etsi adesse contrariam consuetudinem asserant : *Squillacen.*, *Attentatorum, et Missæ conv.* 17 *martii* 1714 , *dub.* 4.

11. Onus applicandi Missam conventualem pro benefactoribus, et fundatoribus ad omnes ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Otriculi tam antiquæ, quam modernæ fundationis, canonicos alternis vicibus spectare decernitur ; non autem ad canonicos primæ erectionis tantum injungendum putatur : *Narnien.*, *Servitii, et Punctaturarum*, 14 *april.* 1713, *dub.* 4.

12. Capitulares ecclesiæ collegiatæ Utini quæstionem excitarunt, num applicatio Missæ conventualis ad omnes canonicos cujuscumque ordinis præbendam obtinentes spectaret, et num ejusdem debeat esse conditionis canonicus sacerdotalis ordinis,

[133] Et S. C. Rituum ad petitionem canonicorum ecclesiæ cathedralis Venusinæ dubio proposito, « an Missa conventualis, attenta immemorabili consuetudine cani possit post nonam, non obstantibus rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus ? » respondit : *Negative et quoad horam celebrandi Missas conventuales de Sanctis, et de feria, servandas esse rubricas Missalis, die* 9 *aug.* 1760.

[134] Vide verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § 5, num. 2.

[135] Vide *Capitulum* § cit. num. 3.

[136] Vide cit. § et num. 3.

[137] Vide cit. § num. 3, et § præs. num. 9.

ıam acolytus licet impar oneri? S. C. enucleat de-
ırans Missam conventualem, quæ per canonicos
resbyteros alternis vicibus celebratur, applicari de-
ere: *Aquilegen*, *Missæ conventualis*, 13 *april.*
715, *dub.* 1.

13. Necnon dictis canonicis presbyteris præfa-
m Missam celebrantibus eleemosynam pro cele-
atione præter distributionem dictæ Missæ affixam
on deberi resolvit: *Ibid.*, *dub.* 2.

14. In terra Marthæ adest ecclesia S. Marthæ,
i est altera ecclesia S. Blasii parochialis unita.
dsunt præpositus cum animarum cura, et cano-
ci in eadem cura coadjutores. Hi in diebus festi-
s, et dominicis celebrant Missam, et pro populo
oplicant. Asserunt vero non habere signa collegia-
tatis, ideoque minime ad Missam conventualem te-
eri; et S. C. requisita votis eorumdem adhæsit:
fontis Falisci, *Missæ conventualis*, 12 *febr.* 1718.

15. Canonici integræ præbendæ ecclesiæ cathe-
ralis, legitimo cessante impedimento, per seipsos
elebrare tenentur in eodem ordine, et hebdomada,
in reliquis festis diebus, in quibus canonici dimi-
iæ, et quartæ præbendæ celebrare in suis respecti-
e hebdomadis obligantur: *Ulissiponen.*, *Orienta-
s*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 3.

16. Canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Quirini Se-
alongæ diebus dominicis, et festis de præcepto ad
pplicationem Missæ conventualis pro benefactori-
us juxta decretum hujus S. C. teneri fuit resolu-
ım; licet tenuitatem redituum, et onerum grava-
ıen ostenderent: *Pientina*, 17 *febr.* 1731, *dub.* 1.

17. Atque canonici ejusdem collegiatæ, quibus
ıcumbit cura animarum, applicare Missam con-
entualem diebus festivis, in quibus debent pro po-
ulo sacrificare, tenentur; minime hujusmodi ap-
licationem simul conjungere valent: *Ibid.*, *dub.* 2.

18. In collegiata ecclesia Sanctissimæ Trinitatis
erræ Senalongæ adsunt canonici secundæ erectio-
is distinctas habentes præbendas a diversis bene-
ıctoribus post collegiatam erectam relictas. Sicuti
orum reditus sint admodum tenues, ut complura
issarum onera pro eisdem benefactoribus etiam in
ıalibet hebdomada adimpleant; mandavit S. C.,
Missa conventualis pro benefactoribus applicare-
r diebus tantum dominicis, et festis de præcepto.
odo præfatum præceptum, reclamantibus licet ca-
tularibus, eadem S. C. renovavit: *Pientina*, *Re-
issionis onerum*, 17 *febr.* 1731, *dub.* 1.

19. Et canonicos dictæ collegiatæ, quibus incumbit animarum cura, teneri ad eamdem applicationem dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro populo; non autem posse simul pro populo, et benefactoribus applicare S. C. sancivit: *Ibid.*, *dub.* 2.

20. Primicerium, seu canonicum ecclesiæ metropolitanæ coactive celebrare diebus in concordia anni 1725 præscriptis teneri; haud onus celebrandi eisdem diebus in hebdomadarios mercede soluta refundi posse sancitur: *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 26, confirmata 28 *april.* 1736.

21. Et dubium, an translato ad diem non impeditam festo, in quo celebrare canonicus tenebatur, adhuc canonicus sacrum agere in die translationis teneatur, vel onus celebrandi in hebdomadarios soluta mercede refundi possit? definiendum ad S. C. Rituum [138], remittitur: *Ibid.*, *dub.* 27, confirmata *ibid.*

22. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Petri montis Sancti Viti possunt diebus festis celebrare Missam ante Missam parochialem archipresbyteri: *Senogallien.*, *Jur. paroch. et præeminentiarum*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 11.

23. Joannes Joseph Caresti ecclesiæ cathedralis Therami canonicus, qui ex acri stillantium oculorum fluxu in glaucoma cæcus omnino factus fuit, etsi bene ceteroquin valeret, non tenetur onus per alium Missæ conventualis subire, prout canonici dictitabant: *Aprutina*, *Distribution.*, 7 *julii* 1755, *dub.* 2.

24. Canonici collegiatæ ecclesiæ encyclicam Benedicti XIV, Pont. Max. [139], ignorantes quotidie Missam conventualem absque tamen applicatione pro benefactoribus in genere celebrasse exponunt. Animadvertunt insuper onus ejusdem Missæ applicationis modicos eorum reditus ferre non posse; proinde exorant absolutionem quoad præteritum, et dispensationem ab hoc onere quoad futurum exceptis diebus festis de præcepto. S. C. quoad præteritum ad D. secretarium facto verbo cum Sanctissimo remisit, quoad futurum audire eos renuit: *Æsina*, *Missæ conventualis*, 5 *aug.* 1780.

25. Canonici ecclesiæ collegiatæ Clebæ, quorum præbendæ tenues erant, et tenuiores postea ex regio censu cum pontificio indulto per quindennium super illis imposito factæ sunt, Missæ conventualis reductionem ad solos dies festos de præcepto po-

[138] Quæ die 3 aug. 1737, ad dub. 9, decrevit, *Cano-
icos non teneri, nisi dies translationum habeantur
o festivis in metropolitana*. Ex lib. *Decret. S. C.
ıuum*.

[139] Post Decretalem cap. 9. *Cum creatura* tit. *de
eb. Miss.*, in qua Missarum solemnia conventualiter celebratio præcipitur, hodie attenditur Const. Bened. XIV, *Cum semper* 19 august. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163), quæ § II Missam conventualem canendam singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, et collegiatis applicandam esse pro benefactoribus in genere definiit.

stularunt, et juxta votum Episcopi quoad applicationem tantum [140] obtinuerunt : *Alben.*, *Reductionis Missæ conventualis*, 17 *junii* 1786.

26. Quum canonicatus fundati ab Episcopo Reghinio in ecclesia cathedrali cum onere binarum hebdomadalium Missarum, et servitii chori, ac *facultate reservata Episcopo mutandi qualitates, et obligationes dicti patronatus etiam contraria statuendo ad ejus libitum sicuti melius placuerit*, imminuti sint valde reditus ob amissionem censuum, hodiernus canonicus Franciscus Petrucci reductionem postulat hebdomadalium, et conventualium Missarum, servitiique chori ad dies festos, et S. C. annuit juxta votum Episcopi [141] : *Sarsinaten.*, 16 *maii* 1789.

27. Gravia canonicis collegiatæ ecclesiæ Portus S. Mauritii sunt onera, reditus tenues. Ad annuas Missas cum cantu 611, aliasque lectas 306 pro benefactoribus in specie, præter quotidianum chori servitium tenentur. Sexagies ipsi Sanctissimum Sacramentum infra annum exponunt, psalmum *Misere* qualibet feria sexta recitant, litanias cum psalmo *De profundis* singulis sabbatis, et dominicis, terque in hebdomada tertiam sanctissimi Rosarii partem : qua de causa Missam conventualem negligunt ; itaque rogitant modo pro reductione S. C., quæ protelans resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [142], mandavit : *Albinganen.*, *Missæ conventualis*, 9 *aug.* 1788, *dub.* 2. Deinde reductionem juxta Episcopi votum [143] concessit : 27 *febr.* 1790.

28. Ad formam capitularium constitutionum unam tantum canonici collegiatæ ecclesiæ Montis Causarii Missam conventualem diebus profestis celebrant, et diebus festis, et quadragesimæ unam canunt. Episcopus petiit, an hæc consuetudo, vel privilegium, cui voluntas fundatoris beneficiorum, ex quibus erecti sunt canonicatus, bulla erectionis, in qua instar metropolitanæ ecclesiæ canere præcipitur, et canonica dispositio, obstent, inspecta redituum tenuitate sit toleranda. Sed S. C. dictis canonicis celebrationem Missæ conventualis præscribit diebus etiam profestis cum cantu, et juxta rubricam, ut in metropolitana cathedrali Firmana, tum ex bulla erectionis collegiatæ cum ex Const. *Cum semper* Benedicti XIV. [144] : *Firmana, Missæ conventualis,* 23 *novem.* 1793.

29. Missam conventualem celebrandam esse decernitur per canonicos collegiatæ ecclesiæ Trojæ ad formam rescripti anni 1713, quo eam S. C. propter tenuitatem redituum ad dies reduxit festos, et ad nostram usque ætatem usi sunt gratia. Quum nuper eos obligaverit Archiepiscopus ad quotidianam ejusdem Missæ celebrationem juxta encyclicam *Cum semper oblatas* Bened. XIV. [145] : *Camerinen.*, *Missæ conventualis,* 14 *decem.* 1793.

30. Quum adeo tenues sint reditus canonicorum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Nazareth oppidi Sigestri, ut si ii excipiantur, qui curam habent animarum, nulli summam attingunt scut. 30, voluit S. C. locum esse reductioni Missæ conventualis ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum : *Brugnaten.*, *Missæ conventualis*, 23 *januar.* 1796, *dub.* 1.

31. Et eadem Missa conventualis celebrari debet quoad futurum cum cantu, et extra tempus horarum canonicarum ; licet diebus profestis sine cantu ex antiqua observantia, et extra chorale tempus celebrassent : *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Episcopis exposuit, quod in sua ecclesia cathedrali canonici de jurepatronatus laicorum diebus festis, in quibus onus habent applicandi Missam pro fundatoribus, minime applicare Missam conventualem pro benefactoribus in genere consueverunt.

[140] Censuerat Episcopus, ut per idem quindennium concederetur licentia limitandi applicationem Missæ conventualis ad dies festos tantum : *Ead. causa*, 17 *junii* 1786, § 2.

[141] Qui indulgendam censet reductionem quoad hebdomadales Missas « nullatenus quoad conventuales pro benefactoribus, neque quoad chori quotidianum servitium, utpote canonici hæc detrectantes propter damnum eisdem exinde dimanans, qui bene vero lubenter quoad diminutionem tantummodo Missarum ad oratoris præbendam spectantium, assensum præbuerunt, quibus adhæserunt interesse habentes. » *Ead. causa*, 26 *april.* 1788, § 3.

[142] Nempe, ut referat de remediis a Concil. Trid. propositis : *Ead. causa*, 9 *aug.* 1788, *dub* 2.

[143] Ait ille, remedia Concil. Trid. haud posse adhiberi, hinc : Si vero in hisce rerum circumstantiis oratores a Missa conventuali quoad futurum aliqualiter levandos esse EE. VV. arbitrarentur, putarem tamen, relicto onere pro diebus festis, ferialibus vero in lectam commutandam, hac tamen adjecta conditione, quod si augeantur reditus, iterum ipsis incumbat onus celebrandæ dictæ Missæ conventualis : *Ead. causa*, 20 *januar.* 1790, § 3.

[144] Edita 19 aug. 1744 (*Bull ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 165), in qua § 20, cautum est : « Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus.... præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ conventuales uno die celebrentur. »

[145] Editam 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont* tom. 1, pag. 165), in qua § 11, disponitur : « Neminem vestrum latere putamus sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis horæ canonicæ debitis modo, et forma recitentur, tum etiam Missa conventualis celebretur. »

Ideo nomine capituli supplicatur pro Missæ conventualis reductione, inspecta redituum tenuitate; et S. C. decrevit ab omnibus esse Missam conventualem celebrandam statis vicibus, et quoad applicationem pro benefactoribus in genere diebus festis tantum, non omissa celebratione, et applicatione pro fundatoribus in specie per alium juxta leges fundationis : *Brugnaten., Missæ conventualis et pro populo*, 28 *maii* 1796, *dub.* 2.

33. Capitulare decretum emanatum fuit in ecclesia collegiata S. Mariæ in Via Lata, ut canonicus, qui legitime impeditus Missas diebus suis celebrare nequiverit, non possit alium substituere, sed canonicus ordine succedere debet; *contravenientibus autem (nisi nocte, vel mane diei, quo celebrandum ipsis esset, repentino forte morbo, aliaque inopinata legitima causa impeditus fuisse constiterit) secretis item suffragiis, unoque solum dissentiente, decreta pœna juliorum duorum pro qualibet vice, in nostri sacrarii utilitatem applicandam.* Hoc decretum canonicus Valenti impugnat, sed S. C. validum illud esse mandavit : *Romana, Servitii chori*, 17 *sept.* 1796, *dub.* 3.

34. Episcopus Scepusiensis cupiens restituere disciplinam labefactatam chori in sua cathedrali, plurima condidit statuta, inter quæ voluit, ut Missam conventualem celebrarent canonici, qui pingues habent reditus, sicut mos est in aliis cathedralibus ecclesiis; non vero uti consueverant celebrandi per alios diebus profestis. At canonici impugnant hæc statuta, et veteratam ostendunt contrariam consuetudinem. Sed S. C. consulta, rescripsit esse celebrandam Missam conventualem, et applicandam juxta modum [146] : *Scepusien., Servitii chori*, 30 *julii* 1796, *dub.* 2. Inde rediit dubium, quia nimis gravis visa est canonicis resolutio celebrandi per seipsos principalem Missam conventualem diebus profestis, et exorant reformationem, et Episcopo favente, S. C. in decisis respondit juxta modum [147] : 6 *maii* 1797.

§ V.

Canonici novæ, ac primæ erectionis et fundationis.

1. Quoad controversiam, quæ antiquos inter canonicos, ac nuper jurepatronatus titulo institutionis vertit, quidquam decernendum, nisi utraque parte audita, non censuit S. C. : *Adjacen.*, 8 *feb.* 1659.

2. Quoad conditionem, quod canonicis noviter erectis in ecclesia cathedrali, etiam vivente fundatore Mario Savaglia stallum in choro assignandum et in præcedentiis ætatis prærogativam esse servandam, quæsitum fuit; et S. C. censuit esse approbandam : *Feretrana, Canonicatuum*, 9 *februar.* 1664, *dub.* 1.

3. Insuper statuit, reditus assignatos pro distributionibus novorum canonicorum esse reponendos in massa communi distributionum. Ita tamen, ut novi canonici de iis participes fiant pro parte rata et servata proportione redituum, quos in massam contulerunt : *Ibid., dub.* 2.

4. Denique quoad conditionem, quod in legatis, et legandis canonicorum capitulo novos canonicos nullo unquam tempore posse participare, nisi expresse a legatariis ad ea vocentur; nec e contra veteres canonicos in legatis, et legandis noviter erectis, nisi ad ea pariter expresse nominentur? S. C. censuit non esse approbandam : *dub.* 3.

5. Adsunt in collegiata ecclesia terræ Campaneani nonnulli canonicatus diversis temporibus fundati, ac novæ erectionis, qui per antiquos canonicos fuerunt admissi, ea lege, ut possessores vocem in capitulo non haberent, supranumerarii vocarentur, præcedentiam, ac emolumenta, quæ possunt capitulo relinqui, prætendere valerent. De hisce conditionibus modo canonici novæ erectionis conquesti sunt; at S. C. servanda omnino esse pacta in admissionibus eorum apposita resolvit : *Nepesina, Canonicatuum*, 1 *dec.* 1703.

6. Canonicos secundæ erectionis ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis terræ Senalongæ, quos capitulum cum pluribus admisit conditionibus, et super quibus minime constat unquam interpositam fuisse Ordinarii approbationem, participare de distributionibus, et eleemosynis incertis ex funeribus, aliisque causis provenientibus excepta cera, debere sancitum est : *Pientina, Canonicatuum*, 15 *martii* 1704, *dub.* 1.

7. Non autem in electione camerarii, et cancellarii capituli debere canonicos tam primæ, quam se-

[146] « Nempe, ut ultra dies solemniores ab Episcopo designatos canonici omnes interesse debeant choro toto tempore adventus, et quadragesimæ; quodque canonici singulis anni diebus psallere debeant per se ipsos. Missas vero conventuales etiam principalem nuncupatam, celebrandas esse qualibet anni die a canonico, et cum cantu usque ad finem Missæ; substituto alio canonico in locum Turnarii, qui ob male affectam valetudinem celebrare non valeat cum cantu Missam votivam, nec licere canonicis Missas privatas celebrare tempore Missæ conventualis, nisi ordine successivo, ac præscribendo a præfecto chori; et quoad singularum Missarum conventualium applicationem servetur Constitutio S. M. Bened. *Cum semper oblatas*, § 22. » *Ead. causa*, 30 *julii* 1796.

[147] « Nempe quoad Missam conventualem principalem etiam per substitutos de gremio capituli, et juxta votum Episcopi » qui § 3 putat, ut substituti applicent dictam Missam pro benefactoribus eleemosyna competenti a capitulo soluta : *Ead. causa*, 6 *maii* 1797.

cundæ erectionis intervenire resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 2,

8. Ac in casu, quo functionibus non sit invitatum totum capitulum, servari ordinem ad formam constitutionum ejusdem capituli haud debere existimatur : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Nec esse eisdem alternandi facultatem concedendam putatur : *Ibid.*, *dub.* 4.

10. Canonici hospites in una ecclesia ex duabus unitis cathedralibus eidem inserviendo, quum non satisfaciat obligationi inserviendi ecclesiæ sibi assignatæ; ita prædicto tempore non possunt lucrari distributiones hospitii ecclesiæ inserviendo : *Giennen.*, *Vacationum*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 4, confirmata 20 *sept. ejusd. anni*, *et* 14 *martii* 1705.

11. Et canonici prædicti unius ecclesiæ de consensu præbendatorum alterius admitti non possunt ad emolumenta anniversariorum fixorum : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

12. Et quoad probationes, quæ requiruntur ad probandam infirmitatem ad effectum beneficio gaudendi, ut dicitur *Patitur*, servari statuta anni 1525 et 1577 : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

13. Canonicos collegiatæ terræ Otriculi tam antiquæ, quam modernæ fundationis a servitio chori absentes ad punctaturarum solutionem teneri pro summa ab Episcopo Picarello taxata resolvitur : *Marnien.*, *Servitii et punctaturarum*, 14 *april.* 1714, *dub.* 2.

14. Easque punctaturas intervenientibus applicandas esse firmatur : *Ibid.*, *dub.* 3.

15. Onusque applicandi Missam conventualem pro fundatoribus, et benefactoribus ad omnes canonicos dictæ ecclesiæ collegiatæ tam antiquæ, quam modernæ fundationis alternis vicibus, non ad canonicos tantum primæ erectionis spectat : *Ibid.*, *dub.* 4.

16. Insuper: An canonici secundæ erectionis debeant admitti ad communicationem omnium emolumentorum extra massam consistentium, sive in eleemosynis communitatis societatum Rosarii, et Sanctissimi Sacramenti pro Missis cum cantu, et supplicationibus, sive in relictis a benefactoribus in favorem capituli, seu pro funeribus anniversariis, et Missis cum cantu etiam *de Requiem* ex pietate fidelium provenientibus? S. C. negativum quoad provenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem canonicatuum recentiorum, et affirmativum quoad relicta capitulo post dictam erectionem, et quoad emolumenta manualia eidem capitulo in dies largienda, dedit responsum : *Ibid.*, *dub.* 5.

17. Etiamsi pius testator Bonaventura Brunellus binas canonicales præbendas erigi in ecclesia collegiata S. Nicolai cum honoribus, ac aliorum oneribus mandaverit; tamen auctoritate ordinaria absque mentione oneris confessiones audiendi, quo alii canonici gravantur, fuerunt erectæ; propterea S. C. decidit canonicos instituendos in canonicatibus adjunctis in collegiata S. Nicolai non debere esse confessarios : *Balneoregien.*, *Canonicatus*, 23 *junii* 1714.

18. In collegiata ecclesia Sanctissimæ Trinitatis terræ Senalongæ adsunt canonici secundæ erectionis distinctas habentes præbendas a diversis benefactoribus post collegiatam erectam relictas. Quumque eorum reditus sint admodum tenues, pluraque Missarum onera pro eisdem benefactoribus etiam in qualibet hebdomada adimpleant, mandavit S. C., ut Missa conventualis pro benefactoribus applicaretur diebus tantum dominicis, et festis de præcepto. Modo dictum præceptum, reclamantibus licet capitularibus, eadem S. C. renovavit : *Pientina*, *Remissionis onerum*, 17 *febr.* 1731, *dub.* 1.

19. Bini canonici nuperrime admissi a Card. abbate commendatario in collegiata ecclesia, et parochiali S. Nicolai oppidi Pontiani cum honoribus, et oneribus aliorum canonicorum gaudere loco in choro juxta antiquitatem licet contradicente capitulo, debent : *Nullius*, *seu Terræ Pontiani præcedentiæ*, *et distributionum*, 26 *martii* 1735, *dub.* 1.

20. Emolumenta autem, et distributiones ab exercitio curæ animarum, quam antiqui canonici exercent, et a legatis relictis ante erectionem novorum canonicorum provenientes canonicis antiquis deberi statuitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Inde S. C. interrogata, quoad summam statuendam, et taxandam punctaturæ contra dictos binos canonicos novæ erectionis non intervenientes chori servitio, aliisque functionibus ecclesiasticis fieri solitis, Card. abbati ad formam Sacri Concilii Tridentini [148] definitionem commendavit : *Ibid.*, *dub.* 3.

22. Canonici secundæ, tertiæ, et quartæ erectionis veniunt sub nomine capituli ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ terræ Vetrallæ; ita ut una cum archipresbytero, et canonicis primæ erectionis unicum corpus conflant : *Viterbien.*, 15 *decem.* 1742, *dub.* 1.

23. Minime autem canonici secundæ, tertiæ, et quartæ erectionis admitti debent ad partitionem omnium emolumentorum, distributionumque provenientium ab exercitio animarum curæ, et a legatis piis tum Missarum, quam anniversariorum a testatoribus ante erectionem præfatorum canonicorum relictorum, sed de relictis tantum post novas erectiones debent participare : *Ibid.*, *dub.* 2.

[148] Sess. 21, cap. 3, *de Reform.* Vide not. 165, 166, pag. 153.

24. Ac iidem canonici novæ erectionis choro interesse tenentur, dum adimplentur onera perpetua ad antiquos tantum canonicos spectantia : *Ibid.*, *dub.* 3.

25. Dictique canonici novæ erectionis de legato annuo ab Olympia Padovani relicto capitulo non debent participare. Nam illud Archipresbyter, et quatuor canonici seniores acceptarunt : *Ibid.*, *dub.* 4.

26. Non tenentur ipsi canonici Missæ solemni, aliarumque functionum, quæ ab eadem testatrice demandantur, celebrationi interesse : *Ibid.*, *dub.* 5.

27. Insuper novi canonici ad onera, et expensas capituli, exceptis tantum oneribus, expensisque exercitium animarum curæ, ac legata, de quorum emolumenta minime participant, concernentibus, concurrere debent : *Ibid.*, *dub.* 6.

28. Canonicus primæ erectionis Joan. Andreas Marsiglia cathedralis ecclesiæ ad canonicatum novæ erectionis vacantem per obitum canonici Joan. Baptistæ Grech, quem Summus Pontifex nunquam permisceri cum aliis veterioris erectionis jussit, nequaquam potest optare. *Melevitana*, *Optionis*, 3 *aug.* 1743.

29. Canonici novæ erectionis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Platea terræ Mathelicæ, qui canonicatus de jurepatronatus domus de Razzantibus, et domus Salta capitulo veteri adjunctos possident, ad applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus accepta tamen a canonicis veteris capituli eleemosyna ad formam concordiæ tenentur : *Camerinen.*, *Missæ conventualis*, 24 *aug.* 1743, *dub.* 1 *et* 2, confirmata 18 *julii* 1744.

30. Canonici ecclesiæ cathedralis, qui seniores sunt, et ab integra decimarum perceptione *Decimantes* nuncupantur, cum ceteris canonicis secundæ, et ulterioris erectionis unum corpus, et unum capitulum componunt ; ita ut capitulum per solos canonicos decimantes non repræsentetur. Hac de causa decretum ab Episcopo in visitatione editum, præterquam quoad ea, quæ pertinent ad administrationem Missæ canonicorum decimantium, et jurium eidem adnexorum, servandum est : *Nicien.*, *Decretorum*, 14 *martii* 1744, *dub.* 1.

31. Non autem servandum est in iis, quæ pertinent ad administrationem massæ ipsorum canonicorum decimantium, et jurium eidem massæ adnexorum ejusdem Episcopi decretum nullam præscribens sub nomine capituli capi, aut enunciari resolutionem, nisi intervenerint, aut saltem vocati, et moniti fuerint omnes canonici tum antiqui, tum novi ; ita tamen, quod si aliquid agendum erit decimas, et reditus ad canonicos decimantes concernens, resolutio fieri, et enunciari sub nomine eorumdem canonicorum decimantium debeat sub pœna aureorum decem, qui a canonico procuratore solvendi, et sacrario applicandi sunt : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 13 *julii ejusd. anni.*

32. In qualibet feria sexta habendum est capitulum ordinarium absque alia denunciatione, et in eo agendum in primis sit de iis, quæ ad divinorum Officiorum rationem, sacros Ritus, et rectum Ecclesiæ gubernium spectant, et deinde de aliis rebus juxta tertium Episcopi decretum, præterquam quoad massam decimantium respicientia : *Ibid.*, *dub.* 3.

33. Aliud decretum Episcopi, quo statuitur, omnes canonicos tum decimantes, tum posteriorum erectionum excepto canonico fundationis archidiaconi Jacobi habere vocem activam, et passivam in omnibus capitularibus conventionibus, et electionibus etiam canonici curati, et alterius canonici cum præbenda de Pulchro Loco, præterquam canonicos ex fundatione Rossignoli in electione passiva procuratoris capituli, et servandum, salvo jure eorum, ac ad quos pertinere possit libera præbendæ de Pulchro Loco collatio : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

34. Ac pariter servandum est Episcopi decretum etiam quoad ea, quæ ad administrationem massæ ipsorum canonicorum decimantium, et jurium eidem massæ adnexorum decretum præscribens adhiberi in omnibus capitulis secretarium, qui in eorum librum referat omnes propositiones, instantias, et resolutiones capituli, tam quoad negotia spiritualia, quam temporalia sub pœna aureorum decem sacrario applicandorum ; ita tamen, ut canonici decimantes secretarium suum eligere valeant, qui in librum particularem omnia pro negotiis eorumdem massæ referat : *Ibid.*, *dub.* 5.

35. Et quoad decretum præscribens, ut in arduis negotiis capituli, si ita videbitur ejus majori parti, suffragia ferantur secreta, ac etiam resolutio, quatenus negotium patiatur dilationem, ad aliud capitulum differatur ; S. C. servandas omnino litteras Clementis XI, Pont. Max. [149], censuit : *Ibid.*, *dub.* 6.

36. Depositum duplarum decem, de quo in decretis X et XI Episcopi fieri semper debeat in manibus canonici procuratoris, non potest fieri in manibus alterius canonici capitulo benevisi juxta decreta citata Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

37. Insuper punctatura fieri debet a singulis ca-

[149] Qui diserta epistola ad capitulum Niciense data jussit, ut negotia omnia secretis suffragiis agerentur, addita si secus fieret pœna districtiori ecclesiastica, a qua solvi non possent, nisi ab ipso Summo Pontifice : *Ead. causa*, 29 *febr.* 1744, § 16.

nonicis alternatim, non ad formam decreti XII, quod canonicus punctator est semper capitulariter eligendus : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

38. Canonici cathedralis ecclesiæ noviter erecti, qui proprias præbendas habent, et sunt a massa capitulari distinctæ, debent superlucrari distributiones provenientes tum ex fructibus legatis, et funeribus, aliisque obventionibus capitulo relinquendis post erectionem dictorum canonicatuum, tum etiam ex eleemosynis manualibus, quæ in dies a fidelibus pro decantandis Missis tam *de Requiem* in die obitus defuncti, quam de Sanctis in eorum festivitatibus distribuuntur : *Tusculana, Participationis*, 9 *maii* 1744, *dub.* 2.

39. Canonici novæ erectionis nuncupati *adjuncti*, qui admissi fuerunt cum honoribus, et oneribus veterum canonicorum in collegiata ecclesia S. Nicolai civitatis Fabriani habere debent vocem activam, et passivam in congregationibus capitularibus, in quibus agitur de rebus concernentibus ecclesiam, sacrarium, capellanos, et inservientes : *Camerinen. seu Fabrianen.*, *Juris interessendi capitulo*, 1 *martii* 1749, *dub.* 1.

40. Et dicti canonici debent habere quoque eamdem vocem activam in nominatione canonicorum, parochi, capellanorum, aliorumque ministrorum ecclesiæ : *Ibid.*, *dub.* 2.

41. Et in dubiis : An dicti canonici adjuncti contribuere pro eorum rata portione in omnibus, et singulis expensis pro ecclesia, sacrario, capellanis, et inservientibus teneantur ?

42. An præfati teneantur redintegrare pro eorum rata portione antiquos canonicos *de Massa* nuncupatos de expensis hactenus factis pro ecclesia, sacrario, emolumentis capellanorum, et inservientium, ac litibus ?

43. An canonici de massa teneantur redintegrare sacrarium de fructibus, seu bonis ejusdem sacrarii ad massam adscriptis ? S. C. rescripsit : Dilata, et ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 3, 4 *et* 5.

44. Postea fuit disputatum, an præfata resolutio dubii 2 comprehendat etiam canonicatum Peretti ; ita ut canonici adjuncti gaudere debeant voce activa in nominatione, et præsentatione facienda ad canonicatum vacantem Peretti, qui mandavit, ejusdem nominationem faciendam esse a priore, et canonico possessore canonicatus Merli, a quibus capitulariter fieri nominatio debeat (ex his enim capitulum constabat), et pergit, quod nominatio semper a prædicto capitulo fieri debeat ? S. C. responsum affirmativum tulit : *Ead.*, 6 *maii* 1752.

45. Canonicatus possessor novæ erectionis ex fundatione Joan. Antonii de Factoribus, qui voluit fundari beneficium in ecclesia collegiata S. Mariæ de Nive terræ Gualterii cum chori servitio, ab Episcopo peractæ cum additione nominis canonicatus sine tamen consensu capituli, et patroni ejusdem ecclesiæ non est de gremio antiqui capituli ejusdem collegiatæ : *Parmen.*, *Præeminentiarum*, 16 *martii* 1754, *dub.* 1 confirmata 20 *julii ejusd. anni.*

46. Et dictus canonicus beneficiatus gaudere minime debet voce activa, et passiva in eodem capitulo, spectata lege fundationis expressa : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

47. Idem non debet præcedere juxta ordinem antiquitatis supra novos provisos de veteribus canonicatibus : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

48. Idemque non est admittendus ad communicationem distributionum antiqui capituli : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

49. Canonicusque prædictus minime est admittendus ad communicationem mulctarum ratione absentiæ canonicorum vetusti capituli : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

50. Ac canonici antiqui capituli participare debent de multis ratione absentiæ dicti canonici, inspecta lege expressa fundationis : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

51. Quum erectus fuerit canonicatus, quem in basilica Lauretana Thomas Balduccius fundaverat, ac a capitulo nonnullis adjectis conditionibus fuerit acceptatus ; hujus possessor sacerdos Benedictus Fabri modo nullas, atque irritas duas ex illis conditionibus esse jactavit ; propterea dubio exhibito, an distribui, et applicari debeant scut. 300 pro dote canonicatus Balducci a fundatore relicta, an scilicet duæ partes pro distributionibus, et una pro præbenda, seu e converso ? affirmativum prodiit responsum, sed juxta modum : *Lauretana, Canonicatus*, 20 *julii* 1754, *dub.* 1.

52. Et conditio de subeunda per possessorem ejusdem punctatura ad rationem obolorum 30 pro qualibet die simplici instar canonicatuum primæ erectionis, ob quam conditionem capitulum basilicæ Lauretanæ assensu suo erectionem dicti canonicatus comprobavit, est observanda : *Ibid.*, *dub.* 2.

53. Itidem est servanda altera conditio, qua possessores ejusdem canonicatus participare non debeant de emolumentis, et lucris, quæ ceteris canonicis pro præsentia Missis, et officiis extraordinariis causam habentibus tam de præterito, quam de futuro donari solitum est : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata 28 *sept. ejusd. anni.*

54. Insuper participare debet de emolumentis, quæ capitulo, et canonicis Lauretanis in comitatu, et cadaverum translatione dari solent : *Ibid.*, *dub.* 4.

55. Ac possessores prædicti canonicatus in celebrando, seu decantando Missam conventualem alterna vice, quæ eis obtingit, eam applicare pro

benefactoribus, et populo tenentur: *Ibid.*, *dub.* 5.

56. Et tunc eidem canonico fundatoris Balducci Missam conventualem applicandi, solvi stipendium ex massa capitulari haud debet, nec ad hunc effectum dos ejus est augenda: *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

57. Canonicatui prædictæ fundationis est ordo presbyteralis, non diaconalis, vel subdiaconalis adnexus: *Ibid.*, *dub.* 7.

58. Canonici ecclesiæ cathedralis nuncupati *de Solio*, sive *de Stallo*, qui sunt de nova erectione, et habent massam distinctam a mensa capitulari antiquorum canonicorum sunt veri canonici: *Calaritana*, 17 *januar.* 1761, *dub.* 1, confirmata 14 *febr.* 1767.

59. Et ad dubium: An autem iidem canonici semper, et quandocumque præcedere possint canonicis, quorum canonicatus fuerunt post erectionem canonicatuum de stallo fundati, vel deinceps fundandi? S. C. rescripsit: Dilata, et exhibeantur fundationes, et proponatur citatis interesse habentibus: *Ibid.*, *dub.* 2. Inde huic dubio affirmativum dedit S. C. responsum excepto tantum canonicatu S. Barbaræ ex fundatione Josephi Fortezza erecto: *Ibid.*

60. Ac dicti canonici jus habent assequendi officium vulgo nuncupatum *Sisenarii* (scilicet non sunt arcendi a numero sex canonicorum, qui eliguntur, ut insurgentes controversias sine capitulo dirimant) et alia, quæ per vices obtinentur: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

61. Et ad dubium, an prædicti canonici possint antiphonas, et invitatoria ex propriis stallis canere, quod ab antiquis canonicis peragitur, seu in iis canendis ad faldistorium accedere teneantur? servari solitum voluit S. C.: *Ibid.*, *dub.* 4. Ac inde reproducto dubio exponentibus canonicis de stallo solitum servari, abusione sapere, ac concordiam initam esse servandam, *in decisis* respondit S. C.: 4 *maii* 1771. Demum esse recedendum a decisis, et affirmativum præbuit responsum ad formam concordiæ [150]: 29 *aug.* 1772.

62. Denique ad dubium, an prædicti canonici gaudere possint annua vacatione trium mensium a choro, et duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum percipere? rescripsit S. C.: Dilata, et exhibeantur statuta, et de consuetudine vacationum doceatur: *Ibid*, *dub.* 5. Deinde dubio reproducto: Dilata, iterum, ut audiatur Ordinarius, rescribitur: *Ibid.*

63. Possessor canonicatus ab abbate commendatario erecti ex fundatione Sisinii Pescitelli cum honoribus omnibus antiquorum canonicorum debet habere vocem activam, et passivam in quibuscumque capitulis, ac præcedentiam juxta ordinem receptionis in choro, in supplicationibus, aliisque sacris functionibus inter ceteros ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Novæ terræ Tophiæ canonicos. Nam effluxit centenaria post erectionem, in qua capituli accessit consensus: *Nullius seu Farfen.*, 21 *novem.* 1761, *dub.* 2.

64. Canonicus comes Joannes Maria Sempronius ad novum canonicatum in ecclesia metropolitana fundatum, juxta dispositionem comitis Guidi Ubaldi Paciotti, nominatus, minime est admittendus ad partitionem pensionis relictæ, et assignatæ a Clem. XI, Pont Max., capitulo antiquo novemdecim capitularibus composito: *Urbinaten.*, *Participationis*, 30 *januar.* 1762.

65. Duo canonici noviter adjungendi ex fundatione Gabrielis Triangoli ecclesiæ collegiatæ S Christinæ Eugubii, eorumque pro tempore successores non tenentur solvere sacrario annuam ratam partem pro supellectilibus, et ceris a collegiata subministrandis; nec est confirmanda conditio quinta in acceptione eorumdem canonicatuum imposita, sed præfata summa est sumenda ex reditibus hæreditatis dicti Triangoli: *Eugubina*, *Erectionis canonicatuum*, 26 *martii* 1763, *dub.* 1.

66. Ac dicti duo canonici participare non debent de punctaturis quinque canonicorum, et primæ dignitatis veteris institutionis, et e contra isti de punctaturis novorum canonicorum; sed est procedendum cum distinctione inter utrosque, et sequenda est methodus præscripta in conditione septima [151]: *Ibid.*, *dub.* 2.

67. Idem duo canonici eligi non possunt ad prioratum, primam dignitatem institutam a Joanne Baptista Christini, cui obstat fundatio; sed ad præfatam dignitatem tantummodo valent aspirare canonici veteris institutionis ad formam conditionis decimæ: *Ibid.*, *dub.* 3.

68. Ac præfati canonici novæ erectionis debent

[150] Ad dirimenda dissidia exorta olim inter canonicos nuncupatos de præbenda, et beneficiatos cathedralis ecclesiæ Calaritanæ, Archiepiscopus tunc temporis composuit; statutum hinc fuit, ut sex beneficiati erigerentur ut totidem canonicos appellandos *de Stallo*, sive *de Solio*, qui tenerentur « intonare l'invitatorio negli uffizi canonicali, nelli quali canteranno solo li canonici (scilicet de præbenda) l'antifona dai suoi stalli; pero negl'altri uffizi doppi scenderanno due de canonici novamente eretti, ad intonare l'antifone seconda, e terza uno per parte, e nei semidoppi l'intoneranno li benefiziati scendendo da'suoi stalli al faldistorio; e nell'altre intonazioni, e ceremonie s'osservi, e s'adempia il lodevole, ed antico costume di questa Chiesa primaziale. » *Ead. causa*, 4 *maii* 1771.

[151] Qua statuitur, novos canonicos posse de suis, non de punctaturis veterum canonicorum participare, illasque in casu absentiæ utriusque applicandas se sacrario: *Ead. causa*. 26 *febr.* 1763, § 6.

gaudere voce activa, et passiva in capitulo exceptis iis, quæ interesse, et jura particularia antiquorum canonicorum respiciunt: *Ibid.*, *dub.* 4.

69. Novique canonici nequeunt participare de legatis, et obventionibus quoquomodo relictis collegiatæ S. Christinæ, ejusque canonicis; sed illæ reservandæ sunt canonicis veteris institutionis ad formam conditionis decimæ quartæ, quoad legata tantum relicta ante erectionem novorum canonicatuum: *Ibid.*, *dub.* 5.

70. Reliquæ conditiones I, II, III, IV, VI, VIII, IX, XII, XIII, sunt confirmandæ, quum nulla esset controversia inter partes: *Ibid.*, *dub.* 6.

71. Canonici novæ erectionis collegiatæ ecclesiæ S. Stephani terræ Cotinioliæ ex fundatione Antonii Zarabini, qui eis præcepit Missam quotidianam conventualem per vices celebrandam pro ejus anima, tenentur una cum capitulo ad Missam conventualem applicandam pro benefactoribus in genere, et additur ad mentem [152] : *Faventina*, *Missæ conventualis*, 3 *junii* 1780, *dub.* 1.

72. Possessor canonicatus de jurepatronatus laicali ecclesiæ collegiatæ Collis Veteris a Magdalena Aspasia Philippi fundati participare valet de legatis, distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis, de quibus alii canonici participant, dummodo resideat, ac inserviat in omnibus ad formam aliorum canonicorum, et tertiam conferat partem pro distributionibus: *Sabinen.*, *Participationis*, 12 *maii* 1770. Postmodum quoad emolumenta, quæ supervenerunt post aggregationem novi canonici, stetit S. C. in decisis; quoad collationem tertiæ partis pro distributionibus recedendum esse a decisis censuit; ac denique quoad emolumenta ante aggregationem existentia iterum proponi jussit: 13 *julii* 1771.

73. Belisarius Amadei canonicatum in ecclesia S. Eustachii urbis annui reditus scut. 120 instituit, inquiens, *e soltanto possa solo obligarsi ad intervenire nelle solennita del sanctissimo Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio.* Modo nonnullæ controversiæ inter capitulum, et canonicum Fornice dicti canonicatus possessorem exortæ sunt. Ad has dirimendas S. Cong. decernit canonicum Amidei teneri interesse choro etiam in solemnitatibus Epiphaniæ, et Pentecostes, præter solemnitates sanctissimi Natalis, paschatis Resurrectionis, et S. Eustachii : *Romana*, 9 *julii* 1785, *dub.* 1.

74. Ac sub nomine solemnitatum sanctissimi Natalis non comprehenduntur tres dies consequentes, sed sub nomine solemnitatis Paschatis, comprehenduntur duo dies, qui primum sequuntur, necnon interventus incipere debere a primis vesperis solemnitatum in testamento præscriptarum, et in Sabbato sancto : *Ibid.*, *dub.* 2. Denuo S. C. requisita, suam sententiam aperuit, sub primis vesperis Paschatis comprehendi debere Missam solemnem Sabbati sancti, et non omnes etiam ejusdem diei functiones : 27 *febr.* 1790.

75. Inde postulatum fuit : An, et quomodo, et in cujus favorem mulctandus sit canonicus Amidei, si non intervenerit statis a testatore diebus, et quatenus in favorem canonicorum præsentium, an vicissim etiam in ejus favorem cedere debeant fallentiæ aliorum canonicorum iis diebus, quibus canonicus Amidei interesse debet? respondit S. C., quod facta assignatione tertiæ partis juxta votum Card. diaconi [153], fallentias esse erogandas juxta decretum sess. 22, cap. 3 [154], arbitrio ejusdem. Card. diaconi : *Ibid.*, *dub.* 3.

76. Ac canonicum Amidei posse choro interesse juxta votum Card. diaconi [155] aliis diebus præter eos, qui a testatore præcipiuntur, et altari inservire pro alio canonico : *Ibid.*, *dub.* 4.

77. Et canonicum prædictum posse interesse juxta votum Card. diaconi [156] congregationibus capitularibus, quando non agitur de administratione redituum capituli, aut de expensis ex eis faciendis; sed de Ecclesia, et Cultu divino : *Ibid.*, *dub.* 5.

78. Denique canonicum dictum jus habere nominandi puellam uti alii canonici pro consequutione subsidii dotalis scut. 25 relicti ab Innocentio Bardonio, qui canonicos supradictos non exclusit : *Ibid.*, *dub.* 6.

79. In ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli Caprarolæ præter archipresbyterum, et novem

[152] Vide not. 228, tom. 1, verb. *Archipresbyter*.

[153] Ita sentit Card. diaconus, detrahenda prius esse ab integro reditu canonicatus scut. 60, pro onere Missæ perperpetuæ, et tertiam partem reliquorum scut. 60 pro quotidianis distributionibus esse assignandam, quæ in eos dies distribui debeat, quibus canonicus Amidei interesse debet, et in hoc utramque partem convenire refert : *Ead. causa*, 9 *julii* 1785, § 7.

[154] Vide not. 102.

[155] Card. diaconus ait non posse canonicum Amidei choro, et altari deservire pro alio « sinche egli non si faccia ascrivere in una delle mentovate due settimane dell'ordinato alternativo servizio della Chiesa. » *Ead. causa*, 9 *julii* 1785, § 10.

[156] Innuere videtur Card. diaconus jus esse canonico Amidei interveniendi capitularibus congregationibus, dummodo « come egli stesso ammette non vi si debba trattare di amministrazione di beni, rendite, ed interessi alla massa del capitolo appartenenti. » Addit tamen « D'interesse per altro della massa capitolare vuole ragionevolmente anche intendersi qualora debba risolversi cosi della elezzione, conferma, o rimozione de cantori, e ministri, ai quali da contesta massa si paga il salario : come delle occorrenze della Chiesa, alle quali suole supplirsi a spese della massa medesima. » *Ead. causa*, 9 *julii* 1785, § 12.

canonicos, qui communem massam constituunt, alii novem accesserunt canonici, qui vocantur *extracapitulares*. Quum autem hi juxta constitutiones antiquas, necnon juxta inveteratam consuetudinem capituli punctaturis immunes essent, Episcopus hodiernus, proposita re in capitulo, de punctaturis capitulariter fuit conventum. Extracapitulares, sicut massa communi destituti, non paruerunt, et inde recursum in S. C. habuerunt; et S. C. decidit canonicos extracapitulares collegiatæ prædictæ teneri ad servitium chori, ita ut absentes absque legitima causa subjici debere punctaturis : *Civitatis Castellanæ*, *Punctaturarum*, 16 *maii* 1795, *dub.* 1.

80. Et est locus deposito pro fundo punctaturarum; nam canonici prædicti impugnabant tertiæ partis fructuum remissionem pro distributionibus : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ VI.

Canonici quoad onera in genere

1. Canonici ecclesiæ cathedralis, seu aliarum ecclesiarum, qui beneficia onus coadjuvandi annexum habentia obtinent, cogendi sunt ab Episcopo ad personaliter deserviendum in beneficiis prædictis dimisso servitio eisdem canonicis ratione canonicatuum, et præbendarum imminente : *Brixien.*, *anni* 1573, *dub.* 5.

2. Disceptato dubio, an omnes possidentes canonicatus in ecclesia cathedrali, Episcopo pontificalia obeunti assistere teneantur, vel major pars suppetat; et, posito quod non : An recusantes mulctari possint? respondit S. C., omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus : *Tudertina*, *anni* 1573, *dub.* 1.

3. Et ad alterum dubium ; an eadem multa cogi possint ipsi, ut personali actu partes suas, tam in Missarum, quam aliorum munerum celebratione expleant, ac cogendi sint, ut nec extra diœcesim hujusmodi tempore recedant? respondit posse cogi, salvis tamen ut supra singulorum legitimis vacationibus : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Quoad Episcopi pontificalia, statuit S. C. servandam consuetudinem ecclesiæ, de qua nisi constet, servandum esse id quod præscribitur in pontificali [157]; et non obstante quacumque consuetudine Episcopo in pontificalibus celebranti teneri canonicos deservire pro diacono, et subdiacano : *Abulen.*, *circiter anni* 1582, *dub.* 2.

5. Insuper Episcopo Missam pontificalem, et alia pontificalia celebranti extra civitatem, etiam extra cathedralem ecclesiam teneri eosdem assistere, et inservire, qui solent eidem exercenti pontificalia in cathedrali assistere, et inservire : *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Et ad dubium; an assistentes prædicti debeant esse omnes canonici, sive illi, quos Episcopus nominaverit? censuit ut supra ad secundum : *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Declarat S. C. aliquos saltem ex canonicis assistere debere Archiepiscopo in sua cathedrali ecclesia minores ordines publice ministranti : *Burgen.*, *anni circiter* 1582, *dub.* 8.

8. Consuetudo viget in capitulo Polignanensi, ut, qui admittendi sint ad fructus, ac distributiones ejusdem, debeant convivium parare omnibus capitularibus, aut expensam ejusdem tradere; de qua consuetudine S. C. quæsita rescripsit : hujusmodi consuetudinem, vel potius abusum a decreto Concil., sess. 24, cap. 14 [158], censeri sublatum : *Polignanen.*, *decem.* 1584.

9. Mos pristinus, atque vetus stat consuetudo in

[157] Ferrarius *in Biblioth.* verb. *Canonicus* § 6, num. 32, probat canonicos, dignitates, et portionarios teneri assistere Episcopo solemniter celebranti, aut alia pontificalia exercenti ex cap. 12, vers. *Et Episcopo celebranti* sess 24, *de Reform.* Concilii Tridentini « Et sic (ait) Episcopo celebranti assistere tenentur prima dignitas, et duæ aliæ dignitates, vel canonici præter diaconum, et subdiaconum ministros, qui cantant Evangelium, et Epistolam. S. Congr. Rituum in una Lucensi de anno 1609. » Et inter dubia proposita ab Archiepiscopo hispalensi, et resoluta ab eadem S. C. Rituum, et a Clemente VIII die 17 junii 1592 confirmata, dubium primum an quando Archiepiscopus solemniter celebrat, vel alia pontificalia munia exercet, compellere possit dignitates, canonicos, et universum capitulum ecclesiæ metropolitanæ, ut sibi assistant? resolutum fuit, posse Archiepiscopum ex decreto S. Concilii Tridentini cap. 12, sess. 24, *de Reform.* supradictos compellere; ut sibi assistant, et inserviant. Modus autem assistendi, et inserviendi is esse debet, quem regulæ pontificalis romani præscribunt. »

[158] Hoc capitulum, in quo statuitur, ne pro provisione, electione, confirmatione, institutione, aut admissione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum deductiones ex fructibus, promissiones, compensationes, aut aliæ conditiones, seu turnorum lucra interponantur, non obstante quacumque constitutione, vel consuetudine, etiam immemorabili, exceptis erogationibus consuetis applicari in usus pios, laudabili consuetudine, seu constitutione introductis, et ab Episcopo approbatis, declaratum est, et simul ampliatum a S. Pio V Const. *Durum nimis*, 1 junii 1570 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 108) decernente Episcopos incurrere suspensionem ab officio pontificali, donec absolvantur a Papa, prævia restitutione receptorum; collegia, et Universitates interdictum, non tamen reservatum : singulares personas excommunicationem Papæ reservatam; et his pœnis ligari tam dantes quam accipientes.

Ampliatum etiam est ab Innoc. XII Const. *Ecclesiæ*, 22 sept. 1695 (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 412) addente pœnas ipso facto absque alia declaratione incurrendas,

aliquibus capitulis cathedralium, quod ab Episcopis in admissione ad possessionem singulis canonicis, unus aureus solvatur, et a canonicis quarta pars. Quæritur, utrum dicta consuetudo sit irrita declaranda? S. C. rescripsit, consuetudinem hujusmodi esse sublatam per Concilium, cap. 14, sess. 24 [159], et per Const. S. Pii V, Pont. Max. [160], ideo non esse tolerandam : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 20.

10. Respondit S. C. consulta, canonicos, qui tenentur assistere, et inservire Episcopo celebranti, et pontificalia exercenti in cathedrali, teneri etiam assistere, et inservire celebranti, et pontificalia exercenti in aliis civitatis locis, atque in ejus suburbiis; tuncque ejusmodi canonicos illud officium Episcopo præstantes debere percipere distributiones quotidianas : *Januen.*, 26 *novem.* 1616.

11. S. C. interrogante Episcopo Niciensi sic respondit : Canonicos legitime non impeditos tempore Quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere, et ideo Episcopum decretum edere posse, ut canonicis nequaquam liceat prædicto tempore ab ecclesia abesse, nisi de ipsius, vel ejus vicarii licentia : *Nicien.*, 18 *novemb.* 1628, *dub.* 7.

12. Episcopo approbante permitti posse consuetudinem, et constitutiones ecclesiæ, ut unusquisque canonicus pro reparatione ejusdem ecclesiæ aliquid solvat, si hujusmodi solutio non cedat in utilitatem singulorum, judicium fuit S. C. in *Aquilana*, 27 *april.* 1630, *dub.* 3.

13. S. C. censuit pro admissione in possessionem alicujus novi canonici, seu de dignitate provisi, a dictis capitularibus exigi etiam bellaria non posse : *Tudertina*, 19 *febr.* 1633.

14. Disceptato dubio, an canonici ecclesiæ collegiatæ Montis Rotundi teneantur ad contributionem seminario etiam respectu portionis in distributiones conversæ, et respectu redituum sacrarii provenientium a legatis piis tam pro celebratione Missarum quotidianarum, quam pro manutentione sacrarii? rescriptum est canonicos collegiatæ prædictæ teneri contribuere seminario, non tamen pro parte rata, quæ cedit in usum quotidianarum distributionum, nec etiam pro legatis piis pro celebratione Missarum relictis, prout nec ex incertis, et eleemosynis sacrarii elargitis, sed tantum ex illius reditibus certis constitutis; etiamsi provenientibus ex legatis piis : *Sabinen.*, 23 *junii* 1640, *dub.* 1.

15. S. C. censuit consuetudinem auctoritate ordinaria confirmatam in vim statutorum ecclesiæ Cæsaraugustanæ civitatis solvendi certam summam pecuniarum a quocumque proviso pro ingressu, et admissione ad possessionem, quod inter canonicos, et beneficiatos dividitur, vel in distributiones quotidianas eorum convertitur, non esse permissam, et esse a Concilio Trid. improbatam [161] : *Cæsaraugustana*, 15 *novem.* 1653.

16. Episcopus exponit concionibus Adventus, vel Quadragesimæ tempore, non omnes canonicos intervenire habitu saltem ecclesiastico, sed, ut plurimum eos tantum, qui certis diebus, vel hebdomadis choro intervenire consueverunt, alios non habitu ecclesiastico, sed, more secularium concionibus per eadem tempora adesse, hinc supplex quærit, ut id eis permittere debeat? juxta mentem rescribitur : *Castellanetæ, Residentiæ*, 7 *junii* 1659, *dub.* 2.

17. Canonici de jurepatronatus, qui ex vi institutionis tenentur celebrare per singulas hebdomades quinque Missas in ecclesia cathedrali juxta responsum alias in hac causa datum a S. C. die 21 sept. 1663 frui nequeunt jure vacationis concessæ per Concil. Trid. in sess. 24, cap. 12, vers. *Præterea* [162], celebrando extra illam : *Adjacen.*, *Celebrationis et distributionum*, 11 *julii* 1671, *dub.* 1.

18. Canonici antiqui, qui ex vi legatorum gravantur Missis cum cantu, aliisque privatis pro singulis celebrandis, in cathedrali easdem adimplere tenentur : *Ibid*, *dub.* 2.

19. Sed tempore prædictæ vacationis non possunt celebrare extra cathedralem : *Ibid.*, *dub.* 3.

20. Quæritur, an Episcopo ex legitima causa ordinationem facienti in capella sui palatii teneantur duo canonici ecclesiæ cathedralis præbere assistentiam? teneri respondit : *Murana*, *Assistentiæ*, 28 *januar.* 1673, *dub.* 1.

21. Ad decernendum, quinam ex canonicis teneantur Episcopo pontificaliter celebranti assistere in officio diaconi, et subdiaconi, Episcopus moneat

privationis dignitatum, canonicatuum, præbendarum, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum : et quoad regulares privationem etiam vocis activæ, et passivæ, ac graduum, munerum, et officiorum obtinenda. Prohibente insuper sub dictis pœnis Papæ reservatis, quascumque conventiones, etiam juratas, factas absque auctoritate apostolica ante provisionem ecclesiarum, seu monasteriorum, eas irritas declarando. His accessit Const. *Pius, et misericors*, 29 april. 1725 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 397) Bened. XIII, qua pro Italia, et insulis adjacentibus de media annata solvenda pro una vice a parochis, canonicis, et beneficiatis pro fabrica cathedralis, et collegiatæ ecclesiæ nonnulla constituuntur.

[159] Vide not. 158.

[160] Vide not. 158.

[161] Vide not. 158.

[162] *De Reform.* decernente, non licere obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno a suis ecclesiis abesse.

capitulares, ut super eorum jure, et rationibus S. C. informent, et, quidquid hactenus consuetum fuerit, Episcopus ostendat : *Nicien.*, *Ad visitationem, sacr. Liminum*, 6 *aug* 1677, *dub.* 12.

22. Itemque ut decernatur, quinam pariter canonici Episcopo diœcesanæ synodo præsidenti debeant parati hinc inde assistere, debebit Episcopus prius significare de solito, et interim consuetudo erit servanda : *Ibid., dub.* 13.

23. Dubio, an canonicus ecclesiæ cathedralis concionem habens diebus Adventus, et toto tempore Quadragesimæ de mandato Episcopi, tunc temporis Missas, quas pro benefactoribus ex vi fundationis celebrare tenetur in cathedrali, possit celebrare in eodem loco ubi reperitur ? responsio est data negativa : *Adjacen , Punctorum*, *et celebrationis*, 10 *sept.* 1678, *dub.* 2.

24. Dubio proposito an canonici ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ teneantur accedere ad cathedralem temporibus, de quibus in transactione anni 1603 actum est [163] ? affirmativa data est responsio : *Fundana, Assistentiæ*, 28 *novemb.* 1680, *dub.* 1.

25. Dubio exhibito ; an canonici ecclesiæ cathedralis teneantur quolibet anno reddere Episcopo rationem administrationis omnium officiorum, quæ ab ipsis exercentur ? responsum datum est affirmativum : *Asten.*, *Administrationis, et participationis*, 12 *julii* 1687, *dub.* 1.

26. Et ad alterum, an eamdem rationem teneantur reddere capellanis beneficiatis, qui participant de eadem massa ? et quatenus negative :

27. An saltem teneantur dictis beneficiatis reddere rationem administrationis officiorum massæ quotidianarum distributionum, et præbendarum beneficiatorum ? respondit ad utrumque negative ; sed beneficiatos posse assistere redditioni rationis faciendæ coram Episcopo, vel petere ut eis computationes exhibeantur : *Ibid., dub.* 2 *et* 3 [164].

28. Ab Episcopo Castelblanco erectus fuit canonicatus in ecclesia cathedrali cum onere Missarum 260. De hoc canonicatu provisus fuit Felix Rocchus, cui de anno 1659 per Episcopum Matthæium annexum fuit pœnitentiariæ onus, et de consensu capituli ab onere Missarum 60 fuit liberatus, et in capitulum translato. Modo Nicolaus Laudisius provisus de eodem canonicatu post obitum præfati Felicis onus pœnitentiariæ recusat subire. Proponitur hinc, an stantibus prædictis modernus canonicus teneatur obire omnia onera in erectione per Episcopum Castelblancum adjecta, vel ad redacta per Episcopum Matthæum ? non teneri ad onus pœnitentiariæ, nec ideo posse gaudere emolumentis correspective ad dictum onus concessis, resolvit S. C. ; quo vero ad Missas 60 appositas in erectione canonicatus, audito Episcopo, denuo proponatur : *Sarnen* , *Pœnitentiariæ*, 3 *junii* 1690.

29. Canonicum Archinum, ceterosque in canonicatu successores non teneri manutenere reditum a fundatore assignatum ob partitionem distributionum, et emolumentorum pro intervenientibus S. C. decidit. Nam idem fundator Archinus pro illarum solutione census nonnullos capitulo assignaverat : *Alexandrina*, *Distributionum* , 25 *sept.* 1694, *dub.* 1, confirmata, reservato tamen jure capitulo agendi contra bona hæreditaria pro supplemento : 27 *aug.* 1695.

30. Instante Prothasio Constantini canonicatus possessore pro reductione Missarum, et exemptione a chori servitio, benigne commisit visitatori Card. Episcopi Sabinensis, ut veris existentibus narratis, et vocatis, si qui fuerint vocandi, deleto servitio chori præfatum onus Missarum juxta consentaneam exstantium redituum quantitatem ad rationem eleemosynæ manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio, et conscientia gratis moderetur, atque reducat : ita tamen ut orator cum præfato reditu Missarum conventualium per seipsum, vel per alium alternatim celebrare teneatur, et si quando augeantur reditus, augeri quoque debeat numerus ipse Missarum, quod in actu præsertim visitationis inspicere curæ esse debebit Ordinario pro tempore : *Sabinen.*, 6 *aug.* 1695.

31. Capitulum secularis, et collegiatæ ecclesiæ S. Dionysii corrigendo antiquam consuetudinem, qua quilibet canonicus in admissione sua dabat convivium, statuit, ut loco convivii deinceps solverentur 50 imperiales, seu 25 ducat. in utilitatem fabricæ. Post multos annos petitur declarari, an prædicta ordinatio adversetur bullæ S. Pii V, aut Sacr. Concil. Trid. [165] ? S. C. censuit præfatam constitutionem in casu, de quo agitur, non obstare, dummodo vere dicta donaria erogentur in usum fabricæ : *Leodien.*, 2 *maii* 1699.

32. Canonicos collegiatæ ecclesiæ recentis ere-

[163] Hæc transactio inita fuit inter dictam collegiatam et cathedralem ecclesiam. In ea inspecta immemorabili consuetudine convenerunt, quod archipresbyter, et canonici collegiatæ in sacris Natalis Domini, et Paschatis diebus, et quandocumque Episcopus pontificali more sacra perageret, in cathedralem, sese colligerent, divina celebraturi ; quin etiam Episcopo non celebrante, eumdem morem gererent, recurrentibus festivis diebus SS. Apostolorum Petri, et Pauli et S. Honorati civitatis patroni : *Ead. causa*, 24 *sept.* 1712.

[164] « Dicta tamen regula generalis pro canonicis in administratione rerum ecclesiæ privative quoad beneficiatos, seu alios, limitatur stante statuto, consuetudine vel privilegio apostolico. » Card. Petra *Comment. ad* Const. 1, *D. Leonis M.* sect 2, num. 14, tom. 1, p. 35.

[165] Vide not. 158.

ctæ pro functione bonæ mortis a parocho ad libitum peragenda, ceram capitularem præstare haud teneri S. C. definivit : *Comen.*, *Super dubiis*, 26 *junii* 1700, *dub.* 6.

33. Canonici tempore divinorum officiorum præsentiam præstare Episcopo Missam privatam celebranti in ecclesia cathedrali minime tenentur ; etsi per aliquod tempus assistere Episcopo Bonavilla, qui ob ejus infirmitates privatim in sui palatii sacello celebrabat, consueverint : *Arianen.*, *Assistentiæ*, 17 *maii* 1704, *dub.* 1.

34. Quæsitum fuit an canonici ecclesiæ cathedralis supplicationibus, quæ qualibet tertia mensis dominica fiunt, ut interveniant, sint cogendi? responsum negativum exiit : *Sarnen.*, 27 *junii* 1705, *dub.* 7.

35. Renuente Joan. Baptista Buccablanca canonico ecclesiæ cathedralis munus pœnitentiariæ subire, quod non fuisse assignatam aliquam præbendam ultra canonicalem, quæ tenuis est, ostendit, S. C. teneri ad id munus rescripsit. Nam Episcopus Ursinus illum canonicatum, quem tunc Mancinus possidebat, pœnitentiarii officio gravavit : *Ripana, Pœnitentiariæ*, 11 *sept.* 1706.

36. Canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Georgii terræ Modicæ ad reddendam præposito rationem tempore vacationis præposituræ de fructibus, reditibus, et emolumentis collegiatæ, necnon de summis a parochiæ incolis pro litibus sustinendis acceptis, esse cogendos, et coram Ordinario, fuit definitum : *Syracusana*, *Præposituræ*, 2 *julii* 1707, *dub.* 5, confirmata 17 *januar.* 1708.

37. Quæsitum exinde quum esset, an præfati canonici, aut illorum, qui tenerentur, et cogendi essent de proprio ad redintegrationem collegiatæ pro censibus capitulariter retrovenditis, et extinctis, aut pro ejusmodi effectu ad investiendas in favorem collegiatæ illorum sortes principales ?

38. Et an pro iis censibus ipsi canonici tenerentur, et essent cogendi ad illorum fructuum solutionem a die factæ extinctionis usque ad diem novi instrumenti ; ad quam rationem pro quolibet anno ? rescriptum est, ut Episcopus provideret prout de jure : *Ibid.*, *dub.* 6 *et* 7, confirmata *ibid.*

39. Canonici ecclesiæ collegiatæ matricis S. Georgii terræ Modicæ de tempore vacationis præposituræ non poterunt celebrationem, et applicationem Missæ parochialis pro populo omittere : *Ead. causa*, 15 *junii* 1709, *dub.* 4.

40. Inde quæsitum : An, et quomodo pro tempore omissionis eamdem Missam pro populo adimplere, seu propter illam satisfacere quamprimum sint cogendi? Episcopo prout de jure remisit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 5.

41. Deinde aliis propositis dubiis : An canonici prædicti de jurepatronatus teneantur contribuere, et concurrere in litium expensis, et pro qua parte rata? et quatenus affirmative :

42. An sint cogendi solvere ratam partem, quæ eos tangit, pro tempore præterito, cui vel quibus remediis ? S. C. rescripsit, ut audiantur canonici obtinentes canonicatum de jurepatronatus : *Ibid.*, *dub.* 8 et 9.

43. Hippolytus Petruccius rector ecclesiæ parochialis S. Laurentii castri Lapidonæ ultimo elogio mandavit, ut erigeretur cum onere officium divinum recitandi, *e cantare al meno una Messa in tutti, ed in qualsivoglia giorni festivi, e siano obligati applicare tutte le Messe per l'anima mia ecc., ed ogni matina si dica una Messa alla Madonna degli Angeli fuori del Castello da uno de canonici concedendo a ciascuno due vacanze di Messa alla settimana ;* propterea dubitatio orta apud S. C. de Missarum numero, canonicos teneri ad quinque Missas per ipsorum quemlibet, et qualibet hebdomada fuit deliberatum *in Firmana*, *Missarum*, 10 *januar.* 1711.

44. Præceptum factum ab Episcopo Carolo Antonio Buxia, uti canonico hebdomadario collegiatæ ecclesiæ S. Victoris oppidi Balernæ de præstando præsentiam archipresbytero in expositione Sanctissimi Sacramenti in sua hebdomada validum est : *Comen.*, *Distributionum*, 18 *april.* 1711, *dub.* 1.

45. Præter Missam conventualem in ecclesia cathedrali, et parochiali Balneoregii non est celebranda, et applicanda diebus festivis Missa parochialis a canonicis per vices, sed a canonicis curatis : *Balneoregien.*, *Missæ parochialis, et conventualis*, 19 *aug.* 1713, *dub.* 5.

46. Canonicus Joseph Antonius Vannarellus non tenetur ad applicationem trium Missarum in hebdomada, sed ad celebrationem tantum, uti alii canonici ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi S. Ginesii tenentur, etiamsi Fiordalisia Rastelli, quæ illam canonicalem præbendam in eadem collegiata fundavit, onera ceterorum canonicorum imposuerit, et canonici tempore exaratæ dispositionis sacrificia applicasse autumant : *Camerinen.*, *Celebrationis Missarum*, 12 *maii* 1714, *dub.* 1.

47. Dubio exhibito : An in anniversariis interesse teneantur præpositus, et ceteri omnes canonici ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris ; vel illi tantum, qui sunt de hebdomada ? respondit S. C. : Dilata, et pro meliori informatione : *Amalphitana*, *Oneris Missarum*, *et curæ animarum*, 13 *april.* 1715, *dub.* 8.

48. Quatenus fructus bonorum hæreditariorum canonici Francisci Franzesii applicati pro expensis annuis collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Matthæi Sarni non suppetant, pro rata parte tam rector,

quam canonici dictæ ecclesiæ supplere, ac contribuere expensis paramentorum, sacrorum vasorum, candelarum pro Missis conventualibus, et pro divino Officio, et earum, quæ in die Purificationis B. M. V. distribuuntur, olei pro lampade, hostiæ, et vini pro Missis, ac reparationis ecclesiæ, et sepulcrorum expurgationis tenentur : *Sarnen.*, *Jurium parochialium*, 15 *januar.* 1718, *dub.* 5, confirmata addendo ratam portionem esse pro medietate respectu parochi : 25 *januar.* 1721.

49. Canonici insuper, et beneficiati S. Petri, et S. Mariæ ad præsepe debent propriis expensis providere candelas, vinum, et hostias pro Missis, quæ ab ipsis celebrantur ex eorum obligatione in dicta ecclesia, nec debent illa subministrare rector, et capitulum : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

50. Ac canonici quoad chorum, ceterasque functiones ecclesiasticas in dicta ecclesia peragi solitas, et quoad curam animarum eidem rectori obedire prout de jure ad formam constitutionum synodalium tenentur : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

51. Actu visitationis decrevit Episcopus, quod in ecclesia collegiata S. Martini terræ Petræ Sanctæ caneretur Evangelium dominica Passionis, dominica Palmarum, aliisque diebus majoris Hebdomadæ, illis modo, et forma, quibus canitur in cathedrali ecclesia, hoc est, quod dominica Palmarum, et feria sexta in Parasceve caneretur a canonicis, et feria tertia, et feria quarta caneretur a capellanis. At huic decreto canonicis refragantibus minime esse exequendum sancivit : *Lucana*, 2 *julii* 1718.

52. Canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Novarum habitans in domo sita intra fines alterius parœciæ, quum ædibus canonicalibus prædicta ecclesia collegiata careat, tenetur in ultima infirmitate sacramenta ab ecclesia collegiata, quæ quadam superioritatis specie super alias parochiales ecclesias gaudet ; non vero eadem a parocho domicilii recipere : *Derthonen.*, *Jur. paroch.*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 15. Deinde reproducta quæstione, ut examinarentur testes formiter, et servaretur interim sententia anni 1679 prævio examine testium mandavit : 7 *decem.* 1720. Insuper respondit : Dilata, et exhibeatur breve Gregorii XV, Pont. Max., 14 *april.* 1725, *dub.* 3. Demum ad succumbentium preces fuit quæsitum, num esset standum, vel recedendum a decisis sub *die* 3 *decem.* 1718 rescribitur : Dilata, et subdelegetur index in partibus pro recognitione scripturarum, et interim servetur solitum : 15 *decem. ejusd. anni*, *dub.* 2.

53. Quæsitum quum esset, an canonici cathedralis ecclesiæ tempore Quadragesimæ assistere concioni tenerentur, ita ut permissum ipsis esse non deberet, decantato vespere ab ecclesia discedere, et concioni non assistere? respondit S. C., ut daretur decretum in *Nicien.*, anni 1628 [166] : *Verulana*, *Visitationis sacr. Liminum*, 21 *januar.* 1719, *dub.* 3.

54. Canonicus cathedralis ecclesiæ fundationis Flaminiæ Fantibassa tenetur ad onera expressa in testamento Francisci viri fundatricis, in cujus arbitrio reliquit eadem Flaminia canonicatus, seu capellaniæ erectionem, et ipse erectionem canonicatus cum onere octo mensuatim Missarum jussit ; ad quod onus obstringi eum non posse canonicus contendebat : *Nepesina*, *Canonicatus*, 4 *febr.* 1719.

55. Immo teneri eum ad onera, ad quæ adstringuntur alii canonici, S. C. decidit : *Ibid.*

56. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Stephani concurrere non tenentur ad manutentionem altaris seu capellæ societatis Sanctissimi Rosarii in illa ecclesia introductæ, ac admissæ : *Regien.*, 5 *aug.* 1719, *dub.* 10.

57. In Episcopi accessu ad ecclesiam cathedralem, et in illius recessu versus palatium episcopale eumdem Episcopum comitari a canonicis cathedralis habitu canonicali indutis ab aula palatii ad ecclesiam, et ab ecclesia ad aulam, dummodo Episcopus sit cappa vestitus, deberi S. C. sancivit : *Sancti Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 2.

58. Canonici collegiatæ ecclesiæ B. M. V. et SS. Fabiani, et Sebastiani de Carignano civitatis Januæ singulis diebus infra annum celebrare propriam Missam in eadem ecclesia, tenentur ; hoc enim onus a fundatore capellaniarum, quæ occasione erectionis collegiatæ in canonicatus fuerant commutatæ, originem ducebat : *Januen.*, 25 *januar.* 1727, *dub.* 1.

59. Canonici ecclesiæ cathedralis, qui respondere casibus moralibus in Congregatione Casuum Moralium, ac Sacrorum Rituum proponendis tenentur, sorti committi debent ; nec consuetudo respondendi est servanda : *Acerrarum*, 23 *aug.* 1727, *dub.* 6.

60. Et consulta S. C., an teneantur dicti canonici celebrare quolibet mense anniversarium pro benefactoribus, sive sit servanda consuetudo? respondit esse consuetudinem servandam : *Ibid.*, *dub.* 11.

61. Quum in visitatione apostolica a Card. de Rohan peracta capituli S. Romaricomontis in Lotharingia cautum fuerit ob redituum canonicatuum tenuitatem, quod fuissent eorum communi massæ unitæ, et incorporatæ tres semipræbendæ, et quædam capellaniæ de consensu abbatissæ, et canonissarum collatricum, unione ista non prius suum

[166] Vide § 6, num. 2.

effectum habitura, quam post obitum possessorum; fuit tamen eisdem canonicis injunctum præceptum adimplendi ex nunc Missas, aliaque onera dictis semipræbendis, et capellaniis adnexa, quarum tamen possessores solitam retributionem pro istis oneribus adimplendis dictis canonicis solvere tenerentur. Hoc præceptum sustineri facto verbo cum Sanctissimo S. C. mandavit : *Tullen., seu Nullius, S. Petri Romaricomontis, Visitationis*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 4.

62. Canonici ecclesiæ cathedralis cogi valent sub pœna quinque carolenorum pro qualibet vice, ut congregationibus de casibus conscientiæ intersint : *Salernitana, Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 1.

63. Item dicti canonici ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis excepta occasione rusticationis cogi possunt : *Ibid., dub.* 2.

64. Quum quæsitum inde esset : An adversus canonicos prædictos in casu non obedientiæ sit procedendum etiam per inquisitionem ? S. C. respondit ad mentem [167] : *Ibid., dub.* 3.

65. Quæsitum etiam est : An iidem canonici Archiepiscopo solemniter celebrante esse debeant dispositi, et parati in sacrario per mediam horam ante ejus accessum ad ecclesiam ? S. C. rescripsit dispositos, paratosque ante accessum Archiepiscopi esse debere : *Ibid., dub.* 8.

66. Canonici cathedralis ad synodum tenentur diœcesanam, et Episcopus pœnis a jure statutis in reluctantes animadvertere potest. Ita S. C. in *Cremonen., Synodi*, 5 *april.* 1732, *dub.* 5, confirmata 29 *aug.* 1733.

67. Quum ad solos canonicos administrationem massæ communis collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ spectare S. C. credidisset, deinde communicationem computationum, et librorum exhibitionem in iis, quæ Missam capitularem præfatam respiciunt, faciendam esse beneficiatis putavit, relinquendo, ut quoad modum Archiepiscopus provideret : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 7.

68. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Martini oppidi Petræ Sanctæ celebrantes juxta legatum testatoris Ferdinandi de Carolis Missam quotidianam sub ortum solis, eam pro ejusdem animæ applicare adstricti sunt ; etiamsi dictus testator nulla facta de applicatione mentione, agricolarum, ac artificum commoditati consulere visum fuerit : *Lucana, Applicationis Missæ quotidianæ*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 1.

69. Unum tantum, non quatuor, prout prætendebat Episcopus, ex canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Agathæ oppidi Proxeudis esse transmittendum, ut veniat ad consecrationem olei sancti ab Episcopo feria quinta in Cœna Domini peragendam in ecclesia cathedrali, quæ ab oppido prædicto 15 mille passuum itineris distat, S. C. declaravit ; licet id facere unquam prædicta ecclesia collegiata consueverit : *Ferentina*, 26 *martii* 1735, *dub.* 3.

70. Quum canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Antonini terræ Pharæ Julius Manfredi ob ejus absentiam a choro causa studiorum tertiam partem fructuum loco distributionum amitteret, hinc postulatur a S. C.; an onera adnexa canonicatui sint solvenda per eumdem canonicum absentem ex fructibus canonicalibus reliquarum duarum partium sive ex dicta tertia parte ? S. C. respondit : Dilata, et scribatur Card. abbati pro meliori informatione juxta instructionem [168] : *Nullius Farfen., Distributionum quotidianarum*, 20 *decem.* 1738, *dub.* 3.

71. Quum disputatum fuisset, an canonici ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Laurentii oppidi Drepani teneantur subire onera suis respective præbendis injuncta ? Hanc quæstionem una cum aliis dubiis remisit S. C. ad Card. præfectum cum facultatibus S. C. etiam concordandi : *Mazarien., Jurium. capitularium*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 19.

72. Ab unoquoque canonico ecclesiæ collegiatæ S. Erasmi Verulis tenetur alternis vicibus exercere munus cellerarii, quod potius oneris est, quam utilitatis, etiam adjecta pœna arbitrio Episcopi contra recusantes sine causa ab eodem approbanda : etsi qualiscumque vigeat in contrarium consuetudo : *Verulana, Portionum canonicalium, et electionis cellerarii*, 25 *januar.* 1744, *dub.* 3.

73. Solent canonici ecclesiæ cathedralis in sacro Archiepiscopi minus solemni assistentia eum destituere, et in actu tantummodo ordines conferendi eidem inservire, quod tunc propric officia pontificalia exercet, quum manus imponet. Hac de re S. C. requisita, scribi Archiepiscopo pro præfixione termini capitulo ad deducendum jura sua in S. C. jubetur : *Urbinaten., Visitationis sacr. Liminum*, 14 *januar.* 1747, *dub.* 1.

74. Consuetudinem ecclesiæ collegiatæ, ac pa-

[167] Ut Episcopus prius semel, atque iterum moneat dignitates, et canonicos, si id non sufficiat, procedat ex officio, et per inquisitionem ; ita tamen ut processus fiat sine emolumentis curiæ archiepiscopalis, et omnes punctaturas reddat conformes dispositioni Sacri Concilii : *Regist. lit.* lib. 28, *die* 27 *sept.* 1702.

[168] Melius enim edoceri voluit S. C , atque scire, quæ sint onera annexa canonicatui dicti Manfredi , an Missæ quibus gravatus asseritur, sint Missæ capitulares, seu potius infixæ eidem canonicatui ex particulari lege fundatoris, aut ex antiquo pio legato adjuncto, pro quo peculiares reditus sint assignati, et in qua quantitate, et demum quanti sit annui canonicatus reditus , deductis omnibus supradictis oneribus eidem annexis : *Regist. lit.* lib. 29, *die* 20 *decem.* 1738.

rochialis oppidi S. Laurentii antiquam, qua canonicus non adhuc diaconus teneatur per seipsum, vel per alium suis propriis stipendiis munus sacrarii ecclesiæ exercere, approbavit S. C., ac esse servandam decrevit : *Ferentina*, *Indulti*, 3 *aug.* 1748.

75. A Leopoldo Ficedola, Josepho Rimaldi, et Taddæo Pelliccia, qui præter canonicatum capellania perpetua gaudent in ecclesia collegiata S. Angeli in Foro Pisciario urbis consueta utensilia sacrario ecclesiæ, prout constituit Card. Zondadarius visitator apostolicus pro singulis capellanis ejusdem ecclesiæ, debentur : *Romana, Utensilium*, 10 *julii* 1751.

76. Canonicus ecclesiæ cathedralis Guillelmus Scotti alia non habebat onera, nisi residentiæ, et sacrorum per vices ab omnibus pro benefactoribus agendorum. At idem canonicus veteribus in archivo pulverulentis excussis membranis agnovit canonicatum suum e tribus sacerdotalibus præbendis diversis Missarum, et officiorum gravatis oneribus esse compositum ; et dubitavit, num residentiæ, et sacrorum alternis oneri tantum implendo, suæ satis conscientiæ consuleret ; quæsivit hinc quænam onera subeunda ab ipso forent. Sed solitum servari S. C. putavit : *Tarvisina*, 2 *dec.* 1752.

77. Canonici præbendati una cum dignitatibus ecclesiæ S. Salvatoris de Oriolo, quæ nuper in cathedralem fuit erecta, assistere Episcopo pontificialiter celebranti tenentur : *Orioten.*, 7 *februar.* 1756, *dub.* 2, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

78. Ac similiter assistere ei debent tempore, quo eodem Episcopo pontificalia agente, ipse sermonem ad populum habet, et minime a choro ad libitum discedere valent : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

79. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Leonardi oppidi Campi Bassi tenentur assistere archipresbytero in officio diaconi, et subdiaconi ad tramites statuti anni 1715 [169] : *Bojanen.*, *Præeminentiarum*, 19 *april.* 1760, *dub.* 1.

80. Nec non eidem assistere in omnibus functionibus canonici antiquiores ad formam statuti prædicti § 5, cap. 10 [170], tenentur : *Ibid.*, *dub.* 2.

81. Canonicus possessor canonicatus fundationis Pescitelli per abbatem commendatarium in ecclesia S. Mariæ novæ terræ Tophiæ erecti, tenetur cum aliis canonicis contribuere expensis ceræ, et salario æditui, et magistri organi, quum admissus fuerit cum honoribus, et oneribus antiquorum canonicorum : *Nullius*, *seu Farfen.*, 21 *novem.* 1761, *dub.* 4.

82. Haud autem solvere sacrario utensilia Missarum celebrandarum ex dispositione Pescitelli præfati fundatoris, et juxta legatum Josephi de Homine, tenetur : *Ibid.*, *dub.* 5.

83. Canonici ecclesiæ cathedralis exequutioni brevium apostolicorum super confirmatione capitularium resolutionum refragantes, massam de pecuniis extractis ob litis expensas redintegrare tenentur, non autem ipsas expensas detrahere ex capitulari massa possunt : *Tridentina*, 14 *feb.* 1761, *dub.* 4 *et* 5.

84. Petrus Vescovali, qui canonicatum possidet in ecclesia collegiata Luniani ex bonis ecclesiæ ruralis Ramici erectum ad subministrationem vini pro Missis, farinæ pro hostiis, et olei pro lampade ipsius ecclesiæ ruralis minime tenetur ; quamquam a capitulo de hoc onere fuerit cum suis antecessoribus conventum, et de observantia constet. Sed mutuo consensu partium conventio rescissa fuit : *Amerina, Onerum canonicatus*, 8 *maii* 1762, *dub.* 1.

85. Imo infra annum nunquam ad celebrationem sacri in eadem ecclesia rurali Ramici tenetur : *Ibid.*, *dub.* 2.

86. Canonici collegiatæ ecclesiæ terræ Stabiæ primam Missam sub auroram celebrantes principaliora fidei mysteria edocere ; ita ut decretum ab Episcopo occasione visitationis editum sustineri debeat, tenentur : *Civitatis Castellanæ*, 25 *sept.* 1762, *dub.* 2.

87. Expostulatum a S. C. quum esset, an canonici præbendarii collegiatæ ecclesiæ S. Angeli de Spata teneantur ad expensas pro manutentione ecclesiæ, et sacrarii? S. C. respondit, quoad canonicos Martis non teneri ad expensas pro materiali fabricæ tantum, in reliquis quoad omnes : Dilata, et scribatur Card. Episcopo juxta instructionem [171] : *Viterbien.*, 26 *nov.* 1763.

88. Quum canonicus magistralis ecclesiæ Pacensis, post erectionem vix semel concionem habuisset, voluit Episcopus auctoritate, apostolica in vacatione, ut successores onus per seipsos concionandi habeant, et inde quæstio orta de jurisdictione inter Episcopum, et capitulum super præscribendis diebus concionum ; disputatoque dubio, an et quibus diebus conciones canonicus magistralis pro tempore teneatur per seipsum habere? respondit S. C. utique ad formam tabellæ juxta votum nuntii apostolici [172] ; *Pacen.*, 28 *sept.* 1765, *dub.* 2.

[169] Vide not. 255, tom. 1, verb. *Archipresbyter*, § IX.

[170] Vide not. 256, tom. 1, verb. *Archipresbyter*, § IX.

[171] Instructio fuit, ut Episcopus activum, passivumque statum collegiatæ ecclesiæ, et sacrarii in re, de qua agitur, confici mandet, exprimendo signanter distinctos annuos reditus pro illarum manutentione assignatos : *Regist. lit.* lib. 32, die 26 novem. 1763.

[172] Nuntius apostolicus perquisita facti notitia, eam

89. Canonici cathedralis ecclesiæ archipresbytero, noviter erecto archipresbyteratu, inservire in omnibus functionibus ab ipso peragendis in locum archidiaconi, prout juxta consuetudinem inserviunt archidiacono, tenentur. Nam etsi nullam jurisdictionem habeat, et curam; tamen acceptio hujus novæ dignitatis cum omnibus honoribus, et præeminentiis simili dignitati competentibus facta fuit: *Tolentina*, *Archipresbyteratus*, 1 *februar*. 1766, *dub*. 8.

90. Joseph Sbrilla canonicus nuper nominatus ecclesiæ collegiatæ S. Blasii Milonis ad onus audiendi sacramentales confessiones in ipsa ecclesia tenetur. Nam ante hujusce ecclesiæ in collegiatam erectionem, erant capellani canonici, et onere præfato gravabantur, nec per bullam dictæ erectionis fuit sublatum: *Maceraten*., 30 *aug*. 1760, *dub*. 1, confirmata 14 *febr*. 1767.

91. Et sicuti capellani hoc onus per seipsos adimplebant, ita et canonici non possunt per alium ei satisfacere: *Ibid*., *dub*. 2, confirmata *ibid*.

92. Duo ex canonicis ecclesiæ cathedralis Setiæ comitari Episcopum cum vestibus talaribus, quoties ad cathedralem ecclesiam accedit pro quacumque functione alia ecclesiastica præter in solemnioribus diebus ab ostio palatii tamen, et usque ad ecclesiæ ostium, tenentur: *Terracinen*., *et Setina*, 14 *dec*. 1771, *dub*. 7.

93. Possessor canonicatus nuncupati Petrini ecclesiæ cathedralis præter chori servitium, habet etiam adnexum onus Episcopo inserviendi sacram aliquam functionem peragenti in qualibet urbis ecclesia, vel suburbiorum ad tramites fundationis legum; etiamsi in fundatione erectio capellaniæ fuerit mandata, et Episcopus prævio capituli consensu in canonicatum accepto juramento onera fundationis adimplendi eam erexit: *Brictinorien*., *Servitiorum*, 11 *januar*. 1772, *dub*. 1, confirmata *ejusd*. *anni*.

94. Et dubio inde disputato: An idem canonicus ratione ejusdem canonicatus teneatur ad celebrationem Missæ quotidianæ? respondit S. C. satis esse provisum in breve apostolico anno 1641 [173]; *Ibid*., *dub*. 2.

95. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Adalberti Aquisgranæ in admissione solvere quædam emolumenta, quæ dicuntur jura receptionis, sive ordinaria secundum statuta capituli in favorem fabricæ, juxta votum nuntii apostolici [174] tenentur: nam canonicatum illius ecclesiæ in favorem Guillelmi Josephi Dubios resignaverat Wathor, qui illius resignationem a canonico Gillard obtinuerat, et neuter jura receptionis solverit; triplicatam proinde capitulum solutionem postulavit, quam præstare possessor renuebat: *Leodien*., 7 *aug*. 1773.

96. Canonico ecclesiæ Collensis de jurepatronatus familiæ Usimbardi indulsit reductionem Missarum ad duas Missas tantum pro qualibet hebdomada, quum esset onus quotidianum. Nam antea reductum fuit inspecta proventuum imminutione onus servitii; non autem haberi illa præbenda tanquam simplex beneficium debet: *Collen*., 10 *febr*. 1781.

97. Canonici ecclesiarum collegiatarum S. Crucis Hunfeld, et SS. Joannis Baptistæ, et Ceciliæ Basdorff in minoribus constituti, et participantes tantum de *Massa grossa*, non autem de emolumentis, quæ in præmium residentiæ lucrantur, ad quam non sunt adstricti, tenentur officium divinum privatim quotidie recitare, etsi consuetudinem invaluisse illud non recitandi ob redituum tenuitatem Episcopus exponeret: *Fulden*., *Visitationis sacr*. *Liminum*, 3 *aug*. 1782.

98. Dubio proposito in S. C. quid de sacris utensilibus, ad quorum solutionem onerantur canonici ecclesiæ cathedralis? rescribitur juxta votum Episcopi [175]: *Ecclesien*., *Onerum et distributionum*, 9 *sept*. 1786, *dub*. 8.

99. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in burgo Civitellæ inservire tenentur in munere diaconi, et subdiaconi archipresbytero dignitati diebus solemnioribus celebranti, ad formam constitutionum abbatis olim commandatarii de Rubeis, cui suberat

transmisit: « Il capitolo non suol commettere al canonico magistrale, che alcuni panegirici in occasione di canonizazione de Santi, o translazione de loro corpi, e reliquie, il che pero non e accaduto da 30 anni, ed il vescovo præscrive quelle prediche, o sermoni da farsi dall'accennato canonico ne giorni descritti nelle tabelle, eccettuatone pero la quadragesima, nella quale in magistrale dovrebbe predicare due volte, ma sensa assegarseli i giorni: le tabelle sono come si esprime nel memoriale; ma la seconda termina la domenica di Quinquagesima, e nel giorno della Sanctissima Concezzione. » *Ead. causa*, *aug*. 1765, § 12.

[173] Nam anno 1641 vigore pontificii brevis sequuta fuit Missæ quotidianæ reductio ad tres Missas qualibet hebdomada, ea tamen lege, ut si reditus augeantur, quotidianæ Missæ celebratio reassumatur: *Ead. causa*, 14 *decem*. 1771, § 14.

[174] Nuntius apostolicus Coloniæ testatur de consuetudine vigente tam in ecclesia S. Adalberti, quam in aliis collegiatis civitatis Leodii, quoad modum percipiendi jura receptionis, atque existimat; capitulum contentum esse debere de juribus duplicibus ordinariis, et simplicibus extraordinariis. *Ead. causa*, 17 *julii* 1773, § 6.

[175] « Providendum scilicet canonicis de sacris utensilibus per capitale constituendum ex legatis receptis in usum sacristiæ, vel ecclesiæ egestatis tempore, aliisque, quæ vel suum finem, ad quem relicta sunt, assequi non possunt, vel commodam aliquam patiuntur detractionem. » *Ead. causa*, 16 *aug*. 1794, § 2.

ivitella; licet post confectas eas constitutiones iansionarii instituti fuerint: *Brictinorien.*, 20 *april.* 793, *dub.* 4.

100. Quum canonicatus fundati ab Episcopo ieghinio in ecclesia cathedrali cum onere binarum ebdomadalium Missarum, ac servitii chori, ac *acultate reservata Episcop i mutandi qualitates, et bligationes dicti potronatus etiam contraria statuendo ad ejus libitum, sicuti melius placuerit,* nminuti essent valde reditus ob amissionem cenuum, hodiernus canonicus Franciscus Petrucci eductionem postulat hebdomadalium, et conventulium Missarum, servitiique chori ad dies festos, et . C. annuit juxta votum Episcopi [176]: *Sarsinaen.*, 16 *maii* 1789.

101. Sacerdos Angelus Azzolani canonicatum urispatronatus laicalis annui reditus scut. 19 cum nere Missarum 105, servitii choralis diebus festis, ubdiaconalis ac diaconalis officii, ac novissimæ lissæ alternis possidet. A tenuitate impulsus reluctionem petit Missarum, et S. C. onus subdiaconalis, et diaconalis ministerii, necnon celebrandi Missam ultimam per vices reduxit: *Montis Falici, Reductionis Missarum*, 17 *decem.* 1791.

102. Quatuor canonicatuum fundationis sacerdotis Michaelis Angeli Bronetti ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ Apostolici Saviliani possessores exorant reductionem Missarum. Nam antea reditus ad scut. 100 ascendebat, modo in scut. annua 10 absque eorum culpa decrevit. Præter Missas gravantur hi onere servitii chori, ac administrationis sacramenti pœnitentiæ diebus festis; S. C. annuit pro reductione onerum arbitrio Card. Archiepiscopi: *Taurinen.*, *Reductionis*, 17 *decem.* 1791.

103. Canonicatum fundavit Joan. Baptista de Paulis in collegiata ecclesia Anguillariæ cum onere, ut in hebdomada, qua vacat possessor a choro, Missam quotidie celebret; quia in alia hebdomada omnibus diebus Missa applicabatur pro benefactoribus. Modo vero Missa conventualis ad dies festos reducta, quæritur, quot Missæ sunt ab eo celebrandæ? affirmative juxta decretum Episcopi [177] lixit: *Sutrina Miss.*, 22 *novem.* 1794, *dub.* 1.

104. Ob imminutas censuum usuras, tenuesque errularum fructus: imminuti canonicatuum duorum undationis Marii Savalli reditus; vixque ex decenni calculo annua attingunt scut. 52, 32. Omnibus ero detractis Missarum, anniversarii, et cameraium contributionum oneribus in scut. 14, 68, vix upersunt 10, 74, seu scut. 5, 32, pro quolibet. Supplicant idcirco reductionem onerum, et eam assequuti sunt juxta votum Episcopi [178]: *Feretrana, Reductionis onerum*, 16 *maii* 1795.

105. Canonici præbendarii ecclesiæ cathedralis quotidiano servitio sunt adstricti, necnon plurimis Missis gravati, perspecta eorum præbendarum tenuitate poscunt Missarum reductionem ex fundatione; et accipiunt responsum a S. C., quoad præbendas canonicales, quarum annuus reditus, deductis oneribus, excedit scut. 20 negative; in reliquis affirmative juxta modum [179]: *Comaclen.*, *Reductionis Missarum*, 13 *junii* 1795.

§ VII.

Canonici quoad præcedentiam, et stallum in choro.

1. Valida erectione canonicatuum a S. C. declarata, canonicos ab Episcopo institutos habere stallum in choro, et aliis canonicis post eorum institutionem provisis præcedere, atque honoribus, ac præeminentiis omnibus frui debere, quibus canonici antiquiores potiuntur, definitum est: *Senogallien.*, 25 *febr.* 1617.

2. Si erectio quorumdam sex canonicatuum fuerit per Archiepiscopum valide facta, canonicos hujusmodi institutos stallum in choro habere, et aliis canonicis post eorum institutionem provisis præcedere, atque honoribus, et præeminentiis omnibus potiri, quibus antiquiores canonici fruuntur, debere decretum est: *Rheginen.*, 19 *decem.* 1648.

3. Quoad conditionem, qua canonicis noviter erectis in ecclesia cathedrali etiam vivente fundatore Mario Savaglia locus in choro assignatur, et in præcedentiis ætatis prærogativa servatur, interrogata S. C. censuit illam esse approbandam: *Feretrana, Canonicatuum*, 9 *febr.* 1664, *dub.* 1.

4. Canonici ecclesiæ cathedralis in supplicationibus secundum ætatis prærogativam incedere debent, non autem consuetudo prætensa secundum sessionem in stallis incedendi est servanda: *Cathacen.*, *Constitutionum capitularium*, 19 *maii* 1703, *dub.* 3.

5. Plures olim inter archidiaconum, et canonicum pœnitentiarium cathedralis ecclesiæ exortæ fuere controversiæ, ita ut S. C. oraculum audire opus fuerit. Inter cetera ergo definivit, quod circa locum, quem dignitates sive canonici, sive presbyteri, munus celebrantis tam in matutino, quam in ceteris horis canonicis explentes, in choro occupare debeant, servaretur cæremoniale [180], apposita ta-

[176] Vide not. 141.

[177] Quod in sacra visitatione emanavit, ut in posterum x numero Missarum 15 pro anima testatoris tot minuerentur, quot in hebdomada applicari deberent pro benefactoribus. *Ead causa*, 22 *novem.* 1744, § 1.

[178] Vide not. 130, tom. 1, pag. 96.

[179] « Nempe reductionem ita faciendam esse, ut pro quolibet canonico libera remaneant scut. 20. » *Ead. causa*, 13 *junii* 1795.

[180] Vide not. suprad.

men tabella *Chorus* : *Tarentina, Præeminentiarum*, 1 *aug.* 1750, *dub.* 6.

6. Et canonici sedentes ex parte archidiaconi possunt ingredi, et egredi ex suis respective stallis, transeundo ante archidiaconi stallum, quatenus ex ea parte proximior pateat egressus, et ingressus ad easdem stationes : *Ibid.*, *dub.* 9.

7. Canonicis ecclesiæ cathedralis duobus ex rectoribus hospitalis pauperum infirmorum urbis Vasionis præcedentia competit tam in congregationibus, quam in aliis dicti nosocomii functionibus, ut puta in subscriptione resolutionum, et mandatorum administrationem bonorum respicientium, respectu rectorum laicorum, et præsertim exconsulum, privatum illud esse et laicale, atque omnino exemptum affirmantium : *Vasion.*, 19 *junii* 1751.

8. In Lateranensi basilica viget consuetudo inter canonicos diversi ordinis permutandi stallum, et exercitium. Canonicus Marius Guarnaccius permutavit stallum, et exercitium presbyterale cum stallo, et exercitio diaconali, quod canonicus Vincentinus habebat, adjecta lege, donec et quousque alterum ex quinque stallis diaconalibus vacuum remaneret. Soluta commutatione ob Vincentini mortem, stallum sui canonicatus presbyteralis repetere voluit. At contradictores quatuor canonici, qui licet posteriores in canonicatu, anteriores tamen in ordine presbyterali sunt, sese præbuerunt. Hinc S. C. præfato Guarnaccio stallum, et præeminentiam eidem stallo adnexam, qua ante permutationem exercitii sui canonicatus ordinis presbyteralis cum diaconali gaudebat, competere definivit : *Romana*, *Præcedentiæ*, 23 *novem.* 1754.

9. Francisco Spiridione Nesula, qui alterum in ecclesia cathedrali canonicatum est assequutus, retentionem stalli suæ ætatis prærogativæ ratione postulanti, assensum est capitulum cum beneplaciti apostolici reservatione, S. C. autem indultum hoc antiquum retinendi stallum concessit : *Sutrina*, *Stalli*, 28 *julii* 1770.

10. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli præcedere debent parochis, aliisque presbyteris in supplicationibus, ac omnibus functionibus etiam synodalibus ; etiamsi ecclesia S. Michaelis priusquam in collegiatam erigeretur, locum aliis ecclesiis cedere consueverit, et licet in bulla erectionis addita fuerit clausula sine alterius præjudicio : *Pisauren.*, 25 *januar.* 1772, *dub.* 6.

11. Quum canonicus cathedralis ecclesiæ Vincentius Calvo in sacrorum ordinum ascensione repulsam ab Episcopo passus esset, nunc quærit stalli redintegrationem, quod ex proprio defectu ordines sacros non acceperit, et quod præeminentia a tempore receptionis, et captæ possessionis, a qua non decidit, sit desumenda. S. C. vero nihil definiens, scribi Episcopo juxta mentem mandavit : *Tirasonen.*, *Ordinum*, 26 *januar.* 1782, *dub.* 4.

12. In basilica S. Mariæ trans Tyberim ex duodecim canonicis, qui ex præsbyterali sunt ordine, præcedere consueverunt diaconis, qui ex diaconali subdiaconis ; reliqui unius, ejusdemque classis antiquiores, in quocumque constituti essent, sive sacerdotali, sive clericali ordine. Hodie vero canonici sacerdotes implorant a S. C., ut antiquioribus clericis, vel in sacris etiam constitutis præcedant, S. C. rescripsit esse locum præcedentiæ juxta votum Card. titularis [181] : *Romana, Præcedentiæ*, 27 *novem.* 1790.

13. Præeminentiæ stalli, turni, et ætatis prærogativæ denegatur Josepho Albertini cathedralis ecclesiæ canonico, qui ad quintam canonicalem sedem vicennio evectus, pinguioris quidem reditus, sed novissimum canonicatum in ea obtinuit : *Callien.*, *Præeminentiæ*, 18 *aug.* 1792.

§ VIII.

Canonici quoad ad residentiam, et absentiam.

1. Censuit S. C. si hic canonicus Coccus non resideat in suo canonicatu ecclesiæ collegiatæ Montis Silicis agi abs te debere in eum ex præscripto decreto Concilii, sess. 24, cap. 12 [182], dummodo non resideat actu ipso in parochiali Vicentina, etiam quod ab ea abesset permissu Episcopi Vicentini : *Patavini*, 30 *sept.* 1574.

2. Quum propositum fuisset, che avendo il Vescovo di Vercelli cominciato a procedere in assenza contro alcuni canonici, che non hanno fatto la residenza delli nove mesi secondo la forma del Concilio di Trento sess. 24, cap. 12 [183], si fa dubbio, se sotto quelle parole *cujuslibet consuetudinis*, non si comprenda la consuetudine immemorabile, che detti canonici hanno di non residere più di sei mesi. Respondit S. C., comprehendi etiam consuetudinem immemorabilem in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus : *Vercellen.*, *anni circiter* 1577, *dub.* 1.

[181] Qui censet in choro, aliisque muniis capitulariter obeundis unicuique canonicorum classi suam servandam esse prærogativam, ut qui canonicatus habent presbyterales omnibus præeant cum diaconis, tum subdiaconis. Qui vero sunt in classe diaconali, præcedant subdiaconos, utcumque extet inter diaconos, qui sacerdotali dignitate sit insignitus, aut inter subdiaconos, qui diaconatu polleat, aut sacerdotio : *Ead. causa*, 27 *nov.* 1790, § 2.

[182] Vide num. 65.

[183] Vide num. 65.

3. Et quæsitum, quum esset, che non si possa venire all'esecuzione della pena, che si contiene in esso concilio, se prima non si intima l'osservanza di quel decreto particolare a loro, e al capitolo; censuit S. C. non esse opus hac denunciatione: *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Deinde quæritur, come s'intenda secondo i termini del Concilio la residenza da farsi nelle collegiate rurali, e non insigni; rescribitur cap. 12, sess. 24 vers. *Præterea obtinentibus* [184] non intelligi de omnibus collegiatis etiam non insignibus, nisi tamen istæ non insignes collegiatæ essent rurales, aut in quibus nunquam antea ultra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis reditus essent, aut canonici aliunde non habentes, unde vivant, aliter non possent: *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Decreverat S. C. Episcopum posse compellere tam canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Bergolis, etiam illum, qui in cathedrali obtinet alium canonicatum, ut in dicta collegiata resideant; modo permanens in decretis, respondit, teneri de jure residere, etiam quod resideat in cathedrali: *Alexandrina, anni* 1581, *dub.* 1.

6. Necnon rescripsit, posse id muneris per alium persolvi, et ideo curandum ab Episcopo, ne ecclesia debitis officiis fraudetur juxta cap. 5, sess. 7 [185]: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Censuit non posse capitulum absque licentia Episcopi negotiorum capitularium prætextu cuiquam ex capitularibus, aut aliis addictis servitio chori impertiri facultatem ab ecclesia abscedendi ultra tempus a Concilio permissum. Sic vero abscedentes non solum distributiones quotidianas non lucrifacere, sed etiam fructibus, nisi resideant, esse privandos ad ejusdem Concilii præscriptum cap. 12, sess. 24 [186] *Adrien.*, 14 *martii* 1620, *dub.* 2.

8. Statuit S. C. decretum Episcopi non continere prohibitionem discessus canonicorum tempore illis permisso a S. C., et propterea nihil esse rescribendum: *Callien.*, 29 *julii* 1628, *dub.* 3.

9. Canonicos legitime non impeditos tempore Quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere, et ideo Episcopum decretum edere posse, ut canonicis nequaquam liceat prædicto tempore ab ecclesia abesse, nisi de ipsius vel ejus vicarii licentia deciditur: *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 7.

10. Consuetudinem etiam immemorabilem tantum excusare canonicos cathedralium, vel collegiatarum insignium a residentia, licet fructus omnes in distributionibus quotidianis consistant. Verum Episcopum uti posse opera duorum canonicorum, eosque haberi pro præsentibus, et lucrari fructus suarum præbendarum, etsi fructus omnes in distributionibus quotidianis consistant, duas ex tribus partibus percipere debere, dimissa tertia pro inservientibus, firmatum est: *Leyrien.*, 7 *sept.* 1630, *dub.* 6.

11. S. C. indulsit, ut orator veris existentibus narratis a residentia suæ ecclesiæ per duos menses pro arbitrio, et conscientia sui Ordinarii valeat abesse, et interim fructus omnes sui canonicatus percipere, amissis distributionibus; sed si in solis distributionibus fructus constent, duas ex tribus partibus lucretur amissa tertia, quæ inservientibus accrescat: *Sutrina,* 28 *januar.* 1668.

12. Canonicus habens præbendam requirentem præsentiam in una diœcesi, nequit in alia esse visitator vel vicarius, ibique commorari: *Dubia, Residentiæ,* 13 *januar.* 1683, *dub.* 1.

13. Canonicus habens præbendam requirentem præsentiam in ipso loco nequit in alio distante ejusdem diœcesis esse visitator, vel vicarius, ibique commorari: *Ibid., dub.* 2.

14. Capitulum ecclesiæ Salisburgensis terminum trium hebdomadarum canonico Paridi de Salm ejusdem ecclesiæ præfixit, ut vel produceret declarationem Summi Pontificis: qui, licet non expressisset se retinuisse alium canonicatum Passaviensem, indultum absentiæ, et residentiam faciendi pro servitio unius diei, uti asserit, intra annum in ecclesia Olomucensi, ubi habet etiam canonicatum, concessisset; vel ille fecisset residentiam primi anni; et elapso termino idem capitulum decretum pronunciavit super privatione ejusdem canonicatus. Reclamavit canonicus Paridis pro nullitate decreti ob pendentiam causæ in S. C.; et hæc, re discussa, stetit pro nullitate resolutionis capitularis, quodque causa proponi deberet super meritis etiam ad effectum redintegrationis *sub die* 23 *novem.* 1697. Modo rediit quæstio super bono jure, et de eodem in favore capituli, non autem canonici de Salm decidit: *Olomucen.*, *Residentiæ*, 16 *januar.* 1700.

15. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ loci Insulæ residere in plebe Insulæ tenentur: *Comen.*, *Servitii chori*, 3 *decem.* 1712, *dub.* 12. Inde confirmatum, et additum fuit tempore tamen servitii: 1 *april.* 1713.

16. Sacerdos Andreas Caputo collationem a Summo Pontifice Clem. XI, præbendæ canonicalis

[184] Vide num. 65.

[185] In hoc decreto capellaniæ, et canonicatus, et alia beneficia non curata etiam requirentia residentiam (si tamen alias sint incompatibilia) comprehenduntur, dum *ait* « et beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur. »

[186] Vide num. 65.

ecclesiæ cathedralis obtinuit cum consueta clausula, quod infra duos menses ad residendum teneatur. Sed civitas Caputaquensis diruta penitus jacet, nec canonici residentiam facere valent, quum tantum capellanus servitium cathedrali præstet; ideo quæsitum fuit, an ille teneatur residere? et S. C. respondit nequaquam, et quoad certos dies officiaturæ servetur solitum : *Caputaquen.*, *Residentiæ*, 23 *junii* 1714.

17. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Novæ oppidi Lù nominati per familiam de Belliardis post decretum S. C. emanatum anno 1699 [187], et per eamdem familiam in posterum nominandi non habent onus formalis residentiæ personalis præcisæ. Nam præfatum decretum non injungit residentiam præcisam, sed causativam, quia assensus tunc præstitus a Belliardis tanquam patronis in ventre expressam habuit præservativam, quod ex eo non intelligeretur impositum ullum onus residentiæ personalis. Post dictum decretum, qui noluerunt inservire per seipsos, per alios continuarunt, et canonicus Jacobus Franciscus Belliardus institutionem ab Episcopo cum verbis exclusivis obligationis residentiæ personalis reportavit : *Casalen.*, *Residentiæ*, 18 *martii* 1719.

18. Canonici ecclesiæ cathedralis non possunt ab eorum diœcesi abesse absque Episcopi venia sub pœna ducatorum quinque tantum in casu contraventionis, et in subsidium suspensionis : *Acerrarum*, 23 *aug*. 1727, *dub*. 3.

19. Joan. Franciscus Stouppi magister in theologia, necnon rector Lovaniensis academiæ assequutus est in Leodiensi ecclesia canonicatum, qui onere Scripturæ Sacræ lectionis, ac continuæ personalis residentiæ gravatur. Verum vix prima residentia præstita, Lovanium rediit, et nullam amplius in ecclesia Leodiensi residentiam perexit. Quoniam multi alii canonici eamdem quoque residentiam negligebant, capitulum ad canonicos ad servitium revocandos a Clemente XII, Pont. Max., impetravit constitutionem, in qua redintegratis ecclesiæ statutis, declaratum fuit, ut canonici sex mensium spatio ad personalem residentiam tenerentur in dicta ecclesia se conferre, ibique sub pœna privationis tituli ipso jure incurrenda, munia eorum præbendis adnexa explere ; ob id præfatus canonicus prætendebat se hac constitutione non comprehendi; sed resolutum a S. C. fuit, canonicum Stouppium etiam hac novissima spectata constitutione in Leodiensi ecclesia residere, ibique onera sibi incumbentia per seipsum adimplere teneri : *Leodien.*, *Residentiæ*, 11 *sept*. 1734.

20. In metropolitana ecclesia consuetudo viget non admittendi quemquam ad massæ communicationem, nisi prius per quatuordecim annos gratis inservierit. Canonicus Vincentius Duni quatuordecim explevit annos, sed quinquennium Ordinarii licentia transegit tum Romæ, tum Neapoli studiorum causa. Hic consuetudinem hanc tentavit improbare, sed hoc non successit; quærit modo, num ei prodesse debeat quinquennium, quo operam et Romæ, et Neapoli studiis dedit, computandum quidem esse quinquennium S. C. edixit, dummodo juxta consuetudinem lauream doctoralem reportaret : *Matheranen.*, *Participationis*, 24 *sept*. 1735, *dub*. 2. Gravatum se sentiens Duni, novam impetravit audientiam, et obtinuit demi conditionem reportandi lauream doctoralem : 14 *decem*. 1737.

21. Franciscus Carneiro de Figuesta tribunalis S. Officii minister, doctoralem canonicatum cathedralis ecclesiæ consecutus est, emisso de residendo juramento quovis sui muneris non obstante privilegio. Rector vero universitatis Conimbricensis factus, tamen petiit absentandi, et quotidianas distributiones percipiendi indultum et obtinuit. Rursum et adeptus est ad alterum triennium prorogationem. Ac deinde tenuit a Clemente XII, Pont. Max., breve, quo, præfato durante rectoratu quoscumque fructus, et distributiones percipere posset. Alterum etiam breve reportavit, ut ab amara quoque residentia dispensaretur. At quum si per mensem absque Ordinarii licentia quis abfuerit, a præbenda privari, statutum ibi vigeret, tertium postulavit breve, ut prævia præfatorum brevium exequutione, Constitutionibus Summorum Pontificum statum illum approbantibus derogaretur, et omnimodam brevis exequutionem est per S. C. assequutus. Quum autem utrumque breve de subreptione a capitulo redargueretur, postulatum fuit, num esset decisis hisce adhærendum? et in decisis standum esse rescriptum fuit : *Ulissiponen.*, *Orientalis canonicatus*, *et præbendæ doctoralis*, 22 *septem*. 1736.

22. Episcopus decreto edito 3 januar. 1736, sub pœna ducatorum sex pro qualibet vice canonicis ecclesiæ cathedralis sub quolibet prætextu a civitate absque sua licentia in scriptis, abesse prohibuit. In dubium fuit revocatum illud decretum, et sustineri pro discessu animo pernoctandi extra diœcesim, moderata tamen pœna in ducatis duobus S. C. de-

[187] Præpositus ecclesiæ anno 1699 cessit in favorem mensæ capitularis ducatos decem auri de Camera, et S. C. accedente assensu eorum de Belliardis tanquam patronorum, approbavit cessionem, injuncta canonicis obligatione residendi, et ecclesiæ inserviendi per seipsos. *Ead. causa*, 4 *martii* 1719, § 2.

crevit : *Castrimaris*, *Servitii chori*, 4 *maii* 1737, *dub.* 1.

23. Ac prædicti canonici saltem gaudentes vacatione, ejus tempore durante, possunt impune discedere juxta decretum *in Jadren.*, 9 *maii* 1626,[188] et ad D. secretarium juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

24. Irrepsit abusus in cathedrali ecclesia civitatis Pentimæ, ut tres ex duodecim canonicis residentiam suæ ecclesiæ deserentes moram trahant in castro Hyllaris quinque milliaris a dicta urbe dissito, ibique veluti parochi actuales animarum curam capitulo adnexam in parochiali ecclesia B. M. V. Assumptionis Grancia, seu membro dicti capituli per vices exerceant. De hoc populus civitatis S. C. exoravit, et hæc illos esse revocandos ad residentiam in dicta cathedrali sancivit : *Valven.*, *Residentiæ*, 25 *januar.* 1738, *dub.* 1, confirmata 20 *decem.* *ejusd. anni.*

25. Bernardus Broremdorffer præter canonicatum reditus annui scutorum 48 collegiatæ ecclesiæ Morstadi obtentum, alterum collegiatæ S. Leonardi Francofurti est consecutus præstito juramento super reali, et non ficta residentia juxta statuta capituli. A civitate tamen discessit, et rediit ad munus exercendum consiliarii aulici comitissæ Palatinæ Hassiæ Rheinfels ; capitulum detentis fructibus cœpit urgere, ut ad residentiam reverteretur, at illo reclamante, curia Moguntina non teneri ob deficientem congruam, nisi ad generalia capitula, ac reliqua expleri posse per substitutum sancivit : S. C. autem dictum canonicum ad formam statutorum teneri declaravit : *Moguntina*, *Residentiæ*, 15 *apr.* 1741, *dub.* 1.

26. Canonici parochialis ecclesiæ oppidi Nerolæ, qui adjuvant archipresbyterum in cura animarum, quoad tempus junctis interpolatis absentiæ vicibus, quo liceat quolibet anno abesse a residentia, S. C. requisita respondit servandum esse dispositionem Concilii Tridentini[189] de parochis : *Sabinen.*, *Jurium parochialium*, 10 *martii* 1742, *dub.* 3.

27. Et arbitrio Card. Episcopi remittitur de substitutis tempore absentiæ relinquendis : *Ibid.*, *dub.* 4.

28. Canonicus Godefridus Stapff ecclesiæ collegiatæ S. Margaritæ Waldkirchii tenetur ad personalem residentiam, nec valet alium substituere, etiamsi causa litis, quæ propriam tantum personam, non ecclesiæ interesse respicit, absit : *Constantien.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 1, confirmata 15 *julii ejusd. anni.*

29. Quatuor canonici ecclesiæ cathedralis, qui nullam habent præbendam, ac emolumenta, nec ecclesiæ servitium, absentes ab ipsa civitate tenentur ad residentiam, dato onere Episcopo illos absentes cogendi præfixo termino duorum mensium sub pœna privationis, et certiorem faciendi S. C. de exequutione : *Umbraticen.*, *Residentiæ*, 14 *sept.* 1748.

30. Episcopus monuit canonicum Angelam Mariam Vendetti, qui archipresbyteratum parochialis habuerat in oppido Pereto, ad residendum in oppido Carseolis ; eo quia probari posset collegiatam olim fuisse ecclesiam parochialem S. Victoriæ, et, ex consuetudine testificationibus comprobata, canonicos ad residentiam teneri scateret ; qua de causa canonicus quærit, num ipse teneatur residere, et in eadem collegiata una cum archipresbytero, seu rectore, aliisque canonicis curam animarum insimul administrantibus, parochialia munera exercere, ac divinis officiis assistere ? S. C. respondit, ut coadjuvarentur probationes : *Marsicen.*, *Residentiæ*, 18 *sept.* 1751. Rediit definienda causa, et non teneri decisum fuit : 22 *januar.* 1752, confirmata 15 *april.*, *ejusd. anni.*

31. Canonicus ecclesiæ cathedralis Guillelmus Scotti alia non habebat onera nisi residentiæ, et sacrorum alternis vicibus ab omnibus pro benefactoribus agendorum. At idem canonicus veteribus in archivo pulverulentis excussis membranis agnovit canonicatum suum e tribus sacerdotalibus præbendis diversis Missarum, et officiorum gravatis oneribus esse compositum ; et dubitavit residentiæ, et sacrorum invicem oneri tantum implendo, suæ satis conscientiæ consuleret. Quæsivit hinc quænam onera subeunda ab ipso forent ? Sed solitum servandum S. C. putavit : *Tarvisina*, 2 *dec.* 1752.

32. Serenissimus dux, et elector Bavariæ facultate suffultus, qua magnus ordinis equestris S. Georgii martyris magister, præsentavit ad vacantem canonicalem præbendam ecclesiæ collegiatæ Sanctissimi Martini, et Castuli Landishuti, vigore jurispatronatus, baronem Aloysium Bonaventuram de Preysing jam canonicum capitularem ecclesiæ cathedralis Ratisbonensis, et parochum in Holzhalsen, ac primum dicti ordinis equestris decanum, qui possessionem canonicatus nactus est per procuratorem, sed nunquam residere incœpit. Idcirco apud S. C. fuit disputatum, an ipse teneretur ad residentiam in ecclesia collegiata, vel obstaret breve Benedicti XIV, Pont. Max., quo ipse canonicos decanos ad interveniendum divinis officiis in ecclesia ordinis cum facultate retinendi præbendam in aliqua collegiata obligare, ideoque tacitam involvere dispensationem asserit. De hac S. C. prius censuit coadjuvandas probationes super qualitate servitii utriusque eccle-

[188] Vide verb. *Canonici*, § XI, num. 8.

[189] Vide not. 91, pag. 75.

siæ: *Frisingen., Residentiæ,* 14 *febr.* 1761, *dub.* 1. Postea teneri ad residentiam in dicta collegiata Sanctissimi Martini, et Castuli, nec obstare breve Bened. XIV, Pont. Max., statutum fuit: 3 *julii* 1762.

33. Comes de Hœnsbroeck canonicus, et scholasticus collegiatæ ecclesiæ B. M. V. Aquisgrani in canonicum a Latere assumptus ab Episcopo Leodiensi, et in ejus servitio existens haberi pro præsente in choro, ac residentia debet: *Leodien.*, 28 *sept.* 1765.

34. Canonicus Franciscus Angeluccius theologus cathedralis ecclesiæ exercere cupiens munus vicarii generalis a S. C. petiit indultum vacandi a residentia, quod etsi negatum fuerit, tamen residentiam deseruit, et munus prædictum in Æsina diœcesi exercuit. Inde reiteratis precibus denuo repulsam passus est. Adiit S. C. Rituum, et per eam preces exhibuit Clementi XIII, Pont. Max., exponens ipsum a dicta S. C. delegatum fuisse in judicem processus causæ ven. servi Dei fratris Angeli Antonii Sandreani, et postulata obtinuit. Sed urgente capitulo S. C. eumdem ad residentiam, ac interventum teneri decrevit: *Macerat.*, 14 *martii* 1778, *dub.* 3, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

35. Quum Episcopus Scepusiensis sollicitus esset restituendi disciplinam chori suæ ecclesiæ cathedralis, nonnulla condidit statuta super methodo chori inserviendi, et Missam conventualem, et præ ceteris residentiam statuit conciliarem, cujus causas absentiæ cognoscere Episcopus debeat, quia canonici pingues reditus, et ædes canonicales prope cathedralem habent. At dicti canonici statuta impugnantes exhibent contrariam veterem consuetudinem, rigidum exponunt Scepusii aerem, gravesque loci difficultates, et petunt a S. C. declarari, an ad residentiam teneantur? et affirmativum responsum acceperunt: *Scepusien.*, *Servitii chori*, 30 *julii* 1796, *dub.* 3.

§ IX.

Canonici quoad sacr. ordines [190].

1. Decidit S. C. Episcopum prudenti zelo exequutioni demandare debere decretum Sacr. Concilii cap. 12, vers. *in omnibus vero ecclesiis*, sess. 24, *de Reform.* [191]: *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 7.

2. In ecclesia collegiata S. Mariæ de Platea nulla facta designatione ordinum invaluit consuetudo, qua duæ dignitates sint presbyterales, ceterique canonici indistincte per vices exercere debeant, modo presbyteratus, modo diaconatus, modo munus subdiaconatus. Inde quæsitum est, an sit confirmandum statutum? negativum prodiit responsum: *Casalen., Confirmationis statuti*, 28 *januar.* 1690, *dub.* 1.

3. Quum quidam subdiaconus postularet, ut injungeretur Episcopo collatio ordinum, quia ratione canonicatus erat coactus; S. C. primo rescripsit 25 *martii* ad mentem, id est, ut prorogetur tempus ad recipiendos ordines, et interim doceat de emendatione. Et deinde non obstante defectu litterarum testimonialium decani capituli, rem arbitrio Ordinarii commendavit: *Leodien.*, 27 *julii* 1697.

4. Quum in ecclesia Grossetana usque adhuc facta non fuit distributio sacrorum ordinum ad formam Concilii Tridentini S. C. Episcopo præcepit, ut infra duos menses deveniat ad distributionem Sac. ordinum in cathedrali ad formam S. Concilii cap. 12, sess. 24 *de Reform.* [192], et doceat S. C. de exequutione: *Grossetana*, *Canonicatuum*, 31 *maii* 1704.

5. Episcopo juxta dispositionem Concilii [193] distribuere, et adnectere volenti ordines presbyteratus, diaconatus, et subdiaconatus suæ cathedralis canonicatibus obstiterunt canonici, eo quod subdiaconi ad superiores stationes vacantes juxta antiquitatem ascendere poterant. Quinque enim postea superadditi fuerunt canonicatus de jurepatronatus, qui ex fundatione adnexos ordines diaconatus, et subdiaconatus tantum habent, et Episcopus eos ordine præsbyterali gravare putat; re idcirco ad S. C. delata, hæc præfatæ ordinum distributioni ad formam Concilii [194] esse locum resolvit: *Theanen., Distributionis ordinum*, 7 *febr.* 1711, *dub.* 1.

6. Necnon comprehendi præfatos quinque cano-

[190] Episcopus Gandavensis exposuit S. C. Concilii, quod nonnulli ecclesiæ suæ ad sacros ordines non promoti, ex quodam asserto dictæ ecclesiæ statuto, quod canonici sacrorum imperiti possint divina officia obire per alios canonicos ejusdem ecclesiæ peritos, a se substituendos, prætendebant se ad sacros ordines suscipiendos cogi nullatenus posse, hinc declarari cupiebat: I. An allegatum statutum, quod canonici deservire possint per alios canonicos sacerdotes substitutos pro canonicis non habentibus ordines sacros suffragetur, et exequi debeat non obstante decreto Sac. Concilii Tridentini? II. An imperitia debeat eosdem canonicos perpetuo, vel ad tempus excusare? III. An eisdem canonicis suffragetur, quod dicta ecclesia ante erectionem sedis episcopalis esset regularis a jurisdictione Ordinarii exempta? An Episcopus post factas monitiones contra canonicos prædictos parere recusantes, valeat procedere ad privationem canonicatuum? S. C. die 20 julii 1641, respondit ad I. Hujusmodi statutum non suffragari. Ad II. Imperitiam non excusare. Ad III. Non suffragare. Ad IV. Episcopum procedere debere, servata tamen forma Concil. Trid. Hæc decreta confirmata fuerunt ab Urbano VIII Const. *Alias*, 30 novem. 1642 *Bull. Rom.* tom. 6, part. 2, pag. 348.

[191] Vide not. 40, pag. 35.

[192] Vide not. 40, pag. 35.

[193] Vide not. 40, pag. 35.

[194] Vide not. 40, pag. 35.

nicos de jurepatronatus, quorum canonicatus fuerunt post Sacr. Concilium erecti, prout fuit ab Episcopo provisum, declaravit : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Canonici tam integræ, quam dimidiæ, ac quartæ præbendæ ecclesiæ cathedralis, qui fuerunt jamdiu provisi de canonicatibus, tenentur statim ordines sacros eorum præbendis canonicalibus convenientes assumere : *Ulissiponen.*, *Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 8.

8. Et causa eorum moræ in assumendis prædictis ordinibus est eis in posterum subtrahenda sola medietas distributionum quotidianarum ; et an ulterius sint privandi eorum canonicatibus ? præfigatur terminus (respondit S. C.) quatuor mensium ad suscipiendos ordines sacros, quo elapso, Ordinarius auctoritate etiam S.C. procedat ad privationem : *Ibid.*, *dub.* 9.

9. Moderni canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mauritii prope civitatem Hildesiæ erectæ, aliique pro tempore canonicatus obtinentes, quibus ordo presbyteralis adnexus est, infra annum ad hujusmodi presbyteratus ordinem se promoveri facere quamprimum arbitrio Ordinarii tenentur : *Hildesimen.*, 16 *decem.* 1730, *dub.* 1.

10. Canonici antiquiores pro tempore collegiatæ ecclesiæ S. Jacobi Tolentini, quibus incumbit coadjuvare priorem in cura animarum, in ordinibus sacris non constituti, illos assumere tenentur : *Tolentina*, *Servitii chori*, *et Missæ conventualis*, 26 *maii* 1739, *dub.* 8.

11. Canonicatus ecclesiæ cathedralis in visitatione Episcopus presbyterales declaravit. Canonici id ægre tulerunt, et in S. C. dubium disputarunt; an canonicatus ecclesiæ prædictæ declarandi sint sacerdotales; ita ut canonici non promoti, se promoveri ad formam Concilii [195], teneantur? et responsum nullum exiit, S. C. protelavit definitionem, ut secretarius compulsari acta mandet : *Gravinen.*, 6 *maii* 1747.

12. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Archangeli in Foro Piscario sitæ, qui neque ex lege fundationis, seu erectionis, neque ex usu, et consuetudine ad sacerdotium suscipiendum tenentur, non sunt cogendi ad ordinem diaconatus, et presbyteratus quibuscumque statutis, et reformationibus ejusdem ecclesiæ non obstantibus : *Romana*, *Sacrorum ordinum*, 12 *julii* 1755, confirmata 23 *aug. ejusd. anni.*

13. Canonici præbendati ecclesiæ S. Salvatoris in cathedralem erectæ tenentur sacros ordines assumere juxta decretum ab Episcopo promulgatum die 6 decem. 1749, cui decreto canonici non paruerunt : *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 1, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

14. Nicolaus Corazza, qui canonicatum ecclesiæ cathedralis cum dispensatione apostolica super ætate assequutus est, dummodo, quum ad legitimam ætatem pervenerit, ad sacros ordines ascendat, ad illos suscipiendos non cogitur; cum sit subdiaconus ; statim ac legitimam ætatem attingit, diaconatum, et presbyteratum proximis futuris temporibus suscipere debet, sed servatis, si velit, inter ipsos ordines interstitiis : *Anagnina*, 17 *septem.* 1768, *dub.* 1.

15. Canonicus Vincentius Calvo ecclesiæ cathedralis in minoribus initiatus, et causa sui canonicatus presbyteralis coactus ad sacerdotium suscipiendum, pertinaciter contendebat Episcopo refragante, non decem tantum dierum spiritualibus exercitiis vacaturum pro tribus ordinibus extra tempora suscipiendis, sed dierum triginta. Idcirco a vicinioribus ordinum collationem, vel a metropolitano petivit. At S. C. ut supplicet Episcopo, et ad mentem respondit [196] : *Tirasonen.*, *Ordinum*, 8 *aug.* 1778, *dub.* 1.

16 Insuper decretum Episcopi diei 6 junii 1774, quo Vincentio Calvo prædicto ecclesiæ cathedralis canonico ascensum ad sacros ordines interdixerat, validum esse S. C. decidit; licet ratione canonicatus coactus sit ad sacros ordines suscipiendos : *Ead.* 26 *januar.* 1782, *dub.* 1. Deinde esse locum ordinationi arbitrio, et Episcopi conscientiæ dixit : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ X.

Canonici quoad servitium chori.

1. Episcopus invenit in sua ecclesia abusum, ut decem presbyteri eligerentur, ut interveniant matutinis, et canonici non teneri, et posse excusari putantur. S. C. non excusari canonicos, si nullam aliam causam allegant præter hanc, declaravit : *Regien.*, *anni* 1573, *dub.* 3.

2. Non licere putavit S. C. præbendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab

[195] Vide not. 40, verb. *Canonicatus*, § 1.

[196] Mens fuit, ut scriberetur Episcopo, ut canonicum supplicem reciperet, eumque moneret, ut se contineret in officio, utque debitum Episcopo præstaret obsequium, necnon resipiscentis animi daret argumenta, et in posterum caveret ab iis, quæ in eo juste displicuerunt Episcopo, quæque Episcopus jure reprehenderat, atque damnaverat ; quibus omnibus a canonico adimpletis, Episcopus, quatenus idem canonicus interim sacris ordinibus non indignum se redderet, eos præviis exercitiis spiritualibus eidem conferret. *Ead. causa*, 16 *junii* 1781, § 1.

eorum ecclesiis ultra tres menses abesse : *Calagurritana, anni* 1581.

3. Resolutum fuit a S. C. canonicos basilicæ Vaticanæ Urbis alta voce concinere debere etiam psalmos, et responsoria, non obstante contraria consuetudine, etiam post Concilium Tridentinum servata : *Urbis*, 15 *novem.* 1592.

4. Ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiam, et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse, ut compleant numerum dictorum novem mensium : *Aquilana*, 17 *junii* 1594.

5. Censuit S. C. modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio Tridentino, dum tamen novem mensibus integris ecclesiæ inserviatur juxta cap. 12, sess. 24, *de Reform.* [197] : *Cassanen.*, *junii* 1589.

6. Canonicos teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere resolvitur : *Bononien.*, 27 *martii* 1602, *dub.* 4.

7. Existimavit S. C. hujusmodi statutum nullum plane, atque irritum esse, et barbæ tonsuram in id tempus rejici debere, quo divina officia in ecclesia non recitantur : *Burgen.*, 27 *april.* 1624.

8. Nequaquam licere canonicis ecclesiæ in divinis officiis substituere prædictos quatuor canonicos singulis annis deputatos, sed tantum Episcopum permittere debere, ut iidem in functionibus tum ecclesiæ, tum chori sese invicem substituant, dum tam non ii substituantur, qui eodem tempore eidem servitio sint obstricti, atque Episcopo curæ esse debere, ut canonici hac substituendi facultate non abutantur : *Maurianen.*, 14 *febr.* 1625, *dub.* 2.

9. Censuit S. C. canonicos teneri choristam canendo, et psallendo adjuvare : *Callien.*, 19 *julii* 1628, *dub.* 1.

10. Episcopum durante tenuitate redituum posse permittere, ut canonici præstent ecclesiæ servitium non continuum pro suo arbitrio ; ita tamen, ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certiorem faciant, decidit S. C. : *Tinen.*, 1 *decem.* 1635.

11. Censuit S. C. canonicos ecclesiæ cathedralis, qui habere aiunt facultatem vacandi a choro quatuor mensibus cum conditione, ut illo tempore vacationis teneantur ad musicam duplicatam, teneri adimplere conditionem prædictam, et tempore præfato minime lucrari distributiones quotidianas; Episcopum tamen permittere posse, ut canonicus in sua hebdomada servitio ecclesiæ adscriptus possit substituere alium canonicum, qui in ipsa hebdomada eidem servitio adscriptus non sit, et hoc casu distributiones quotidianas lucrari, ac si divinis personaliter interesset, ita tamen, ut hujusmodi facultate substituendi non abutatur, et canonicus substituens sit præsens in civitate : *Aquilana*, 12 *decem.* 1643, 16 *januar.* ac 2 *decem.* 1644.

12. S. C. censuit audiendum Archiepiscopum super infirmitatibus oratoris, et an expediat tempore hiemali chorum aptari in aliqua capella ejusdem ecclesiæ, in qua commodius pro conservatione sanitatis divina officia celebrentur : *Florentina*, 18 *dec.* 1645.

13. Dubio exhibito, an canonici ecclesiæ cathedralis, qui ab antiquo tempore imo immemorabili inserviunt, per substitutum cogi possint ad inserviendum per se ipsos in eorum hebdomadis ; respondit S. C. cogi posse ad inserviendum per seipsos in eorum hebdomadis, non obstante consuetudine etiam immemorabili : *Andrien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 2.

14. Eosdem canonicos ex legitimo impedimento debilitatis vocis excusari alta voce psallere, sed nihilominus teneri personaliter divinis interesse firmatur : *Ibid.*, *dub.* 8.

15. Declaravit S. C. non inservientes ecclesiæ, nec divinis intervenientes præter amissionem distributionum quotidianarum posse ab Archiepiscopo per multas pecuniarias, atque aliis juris remediis compelli : *Jadren.*, 17 *sept.* 1650.

16. Archiepiscopo Urbinatensi interroganti, an stante consuetudine, quod canonici punctentur, nisi assistant concionibus tempore quadragesimali, expediat eosdem punctare, si non assistant concionibus tempore Adventus infra annum ? S. C. respondit esse hortandos, non cogendos : *Urbinaten.*, *Visitat. SS. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 5.

17. Episcopus proponit, ut declaretur, quum sint negligentes canonici in punctandis absentibus, an is possit eorumdem, qui puncta notant, sumptibus aliquem præficere, qui hoc munus exerceat? respondit S. C., Episcopum posse a punctatore juramentum de officio fideliter peragendo exigere, vel constituere contra punctatorem, etiam capituli sumptibus, si de fraude constiterit : *Maceraten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 6.

18. Inde, an canonici possint effugere, ut non observetur punctatura a suis Episcopis antecessoribus taxata, sed servetur minor ab iisdem canonicis nuper introducta propria auctoritate? rescribitur, non potuisse a capitulo propria auctoritate

[197] In quo capite legitur : « Non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse... »

minui taxam a prædecessoribus Episcopis præscriptam : *Ibid.*, *dub.* 7.

19. Ut saltem eorum dimidia pars quotidie horis canonicis persolvendis intersit ex ordine, quem *turnum* vocant? respondit S. C. servitium chori ita præstandum, ac dirigendum esse, ut singuli canonici quotannis per menses saltem novem inserviant, nisi forte ex constitutionibus, vel consuetudine ejus ecclesiæ longius requiratur servitium : *Ibid.*, *dub.* 8.

20. Et ut ii, quibus ordo contigerit, si absint, non solum punctentur, sed mulctentur præ aliis diebus, in quibus nisi accedant, sola punctatione notantur? injunxit secretario, ut ore tenus insinuet Episcopo, ut declarationem alias editam a Congregatione Episcoporum [198] exquirat : *Ibid.*, *dub.* 9.

21. Dubio, an Leonardus Ingenræ Archiepiscopi capellanus, et cæremoniarum magister, et alii capellani, quamdiu in hujusmodi muneribus dicto Archiepiscopo inserviunt, teneantur, quando Archiepiscopus commoratur in dicto oppido, interesse divinis officiis in illis diebus, seu horis, quibus possent; an vero sufficiat, quod generaliter sint in suis muneribus? sufficere quod generaliter sint occupati, sed consulant suæ conscientiæ, definitur : *Colonien.*, *Distributionum*, 9 *maii* 1671, *dub.* 3.

22. Dubio exposito ab Episcopo : An canonicus, qui solus in arte per totam diœcesim in cathedrali ecclesia tempore solemnium officiorum organum pulsat, et aliquando etiam psalmos cantat alternatim cum aliis canonicis in choro existentibus, punctaturis subjaceat, ac si non intersit? responsum negativum prodiit, dummodo non habeat salarium : *Adjacen.*, *Celebrationis distributionum*, 11 *julii* 1651, *dub.* 4.

23. Ad dubium : An canonicus ecclesiæ cathedralis concionem habens diebus Adventus, et toto tempore Quadragesimæ de mandato Episcopi tam in cathedrali, quam in diœcesi, teneatur solvere punctaturas, sicuti tenentur solvere canonici non præsentes choro? respondit affirmative : *Adjacen.*, *Punctorum et celebrationis*, 10 *sept.* 1678, *dub.* 1.

24. Ad dubium, an punctaturæ canonici defuncti sint deducendæ ex massa proximæ collectionis fructuum, licet successor sit in possessione canonicatus? negativum datum est responsum : *Verulana*, *Punctaturarum*, 10 *julii* 1694, *dub.* 3.

25. Ac dictæ punctaturæ sunt solvendæ : *Ibid.*, *dub.* 4.

26. Canonici ecclesiæ cathedralis exire non valent e choro antequam sacra absolvantur, nisi per salutationem petita ab archidiacono licentia sub pœnis punctaturæ : *Lunen.*, *Sarzanen.*, 4 *junii* 1701, *dub.* 1.

27. Quum canonici ecclesiæ cathedralis prætenderent, singulis horis juxta Episcopi decretum interesse minime debere, sed ipsius ecclesiæ statuta super interventu, ac distributionibus servare; S. C. eadem statuta servanda non esse duxit : *Cavallicen.*; *Residentiæ seu distributionum*, 24 *martii* 1703, *dub.* 1.

28. Neque exequendum esse statuit Episcopi Mancini judicis a S. C. delegati decretum anno 1617 editum de inserviendo alternis vicibus, addendo ad formam Concilii; etiamsi decretum illud S. C adprobaverit, et postea Episcopus Sforzia servari mandaverit : *Ibid.*, *dub.* 2.

29. Canonici ecclesiæ cathedralis assistere volentes Episcopo celebranti in eadem ecclesia privatam Missam tempore, quo divina officia peraguntur, sunt punctis notandi : *Arianen.*, *Assistentiæ*, 17 *maii* 1704, *dub.* 2.

30. Postulatum quum esset, num canonici ecclesiæ cathedralis stante contraria non interveniendi consuetudine, nec in Adventu, nec in Quadragesima Missæ de sancto occurenti, ea quod Missæ votivæ quotidie assistant cum litaniis de B. M.V., teneantur non solum interesse dictæ votivæ Missæ, et de feria, sed etiam sancti occurentis, vel sit toleranda consuetudo? S. C. rem ad S. C. Rituum [199]

[198] Ead. S. C. Concilii hoc dubium in alia causa resolvit, vide num. 15.

[199] In S. Rituum Cong. hæc causa haud fuit proposita, cujus pervolutis annorum sequentium decretis definitio desideratur. At juxta ejusdem S. Congr. praxim, ac juris canonici dispositionem dictam consuetudinem esse improbandam. Nam Missa conventualis, ad quam omnes ecclesiæ cathedrales, collegiatæ quotidie pro benefactoribus obligantur, est de sancto occurrenti, et de feria, non autem dici potest Missa votiva, vel anniversarium, sicuti Fagnanus interpretando cap. *Cum creatura de celebr. Miss.* in libro 3, pag. 584, seqq. testatur num. 8. « Hinc cum (ait) canonici cathedralis Sarnensis ex conventione cum Episcopo a nonaginta annis inita consuevissent singulis hebdomadis tres Missas canere, videlicet, feria quarta de Angelis, et feria sexta de Cruce; Episcopus successor eos compellebat ad canendum quotidie Missam conventualem præter supradictas.... idcirco petierunt benigne secum agi, ut ad dictam Missam conventualem non tenerentur nisi in diebus festis. Die 9 novem. 1613 S. C. Concilii censuit, quod petitur haud esse concedendum. Ergo ex ipsius Congr. sententia propter Missam solemnem pro defunctis non est omittenda Missa conventualis de feria, » et S. C. Rituum die 16 maii 1626 decrevit missas votivas non posse suffragari pro Missa conventuali, quæ non potest omitti, etiamsi cantetur Missa votiva. » Quum autem Missa conventualis pars sit officii divini ex eodem Fagnano in cap. *Ut abbates* num. 82 et 83, *de Ætat. et qualit.* et propterea distributiones pro Missa assignantur, sicut pro horis, quin imo Missam esse de horis, non obscure sentit glossa in cap. *De his*, 12 dist. *in Clem. un.* in verb. *Totidem.* dum inquit : Argue pro

commendavit : *Pisauren.*, *Visitationis sacr. Liminum*, 27 *febr.* 1706.

31. Ad rogatum, an, et quomodo abbas, canonici, et assistentes collegiatæ, et parochialis ecclesiæ terræ Angri, quæ ex ipso abbate tanquam capite, et aliis quatuor canonicis concuratis componitur, ad recitandas horas canonicas choro interesse teneantur?

32. Et an itidem teneantur quotidie, vel quibus diebus canere, et respective applicare Missam conventualem pro benefactoribus? S. C. respondit servari solitum : *Nucerina*, *Paganorum functionum parochialium et servitii chori*, 15 *dec.* 1708, *dub.* 4 et 5.

33. Quæsito etiam, an canonici collegiatæ ecclesiæ S. Antonini civitatis Placentiæ tempore divinorum officiorum in choro teneantur ab eorum stallis descendere, et una cum aliis beneficiatis dictæ ecclesiæ canere ad lectorile magnum in medio situm chori quidquid ibi cantatum occurit, etiam accedendo ad dictum lectorile? S. C. dedit responsum, *ad S. Rituum Congr.* [800] : *Placentina*, *Officii chori et Missæ conventualis*, 29 *martii* 1710, *dub.* 1.

34. Capitulum ecclesiæ collegiatæ Senalongæ punctaturas a canonico Gagliardo ratione ejus a choro, et diœcesi fere biennium absentiæ, loco distributionum ex fructibus dicti canonici præbendæ exigere prætendebat. Reclamavit canonicus, sed capituli voto S. C. adhæsit ad solutionem punctaturarum ex fructibus suæ præbendæ pro suæ absentiæ tempore illum adigendo : *Pientina*, *Distributionum et Missarum*, 15 *maii* 1717, *dub.* 1.

35. Archiepiscopus Gazzodius Hortæ, et civitatis Castellæ Episcopus canonicis Hortanis concessit, ut alternatim choro inservirent, ita ut septem in una, et in alia hebdomada sex choro interessent festis diebus exceptis quibus omnes divinis præesse tenerentur, adjecitque pœna, ut qualibet die non inserviens in duobus cum dimidio notaretur Bononensi, utque liquidatio fieret quolibet trimestri suisque loco, et tempore solveretur. Episcopus Aleottus decrevit, quod canonici in posterum non admitterentur ad partitionem harum punctaturarum, quando deficientia cujuslibet ipsorum sive continuatis, sive interpolatis diebus, ascenderet quolibet anno, non comprehensis punctaturis concionum, ad summam scutorum duorum cum dimidio. Episcopus Blasius demandavit, quod imposterum distributiones punctaturarum fierent, ut initio, quolibet trimestri. Nunc canonicus syndicus expostulat, ut ad cujusnam decreti tramites punctaturarum divisio fieri debeat? et ad tramites decreti Blasii partitionem faciendam esse S. C. definivit : *Hortana*, *Punctaturarum*, 24 *sept.* 1718.

36. Canonici tam integræ, quam dimidiæ, et quartæ præbendæ ecclesiæ cathedralis non solum interesse officiis tenentur; verum etiam psallere sub pœna privationis distributionum : *Ulissiponen.*, *Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 7.

37. Canonici ecclesiæ cathedralis debent in omnibus festis diebus tantum exire e sacrario bini bini, quando accedunt ad chorum : *Salernitana*, *Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 5.

38. Ac pœna indicta eisdem canonicis acceden-

æquandis distributionibus in his tribus horis, matutino, Missa, et vespere. Hinc « obtinentes (ait cit. loc. num. 85) beneficia in cathedrali, vel collegiata ecclesia cum onere divinis interveniendi, seu interessendi, teneri quidem per seipsos interesse etiam Missæ conventuali, et mulctari posse, nisi interfuerint. » Et idem clare patet ex Crispino *Tratt. della Visit. Pastor.* part. 2, § 20, num. 34, seqq. qui expresse ait illos canonicos, qui obligantur, Missam conventualem celebrare, alios interesse teneri, et confirmat decreto S. C. Concilii Card. Barbarigo Limina Apostolorum visitante directo pro ecclesia Bergomensi, hisce verbis : « Canonicos cathedralis ecclesiæ Bergomensis quoties ex præscripto rubricarum, duplex Missa conventualis celebranda sit, ex mente Sacrosancti Concilii Tridentini utique personaliter interesse teneri, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili ; eosdemque canonicos ad Missam conventualem, per seipsos canendam, illis diebus, quibus ex instituto, vel legitima consuetudine ex ejus ecclesiæ debent, compellendos esse. » (Lib. 3, *SS. LL*, anno 1660). Nec celebratio anniversariorum aliquam præbere possit excusationem, nam ead. S. Congr. declaravit die 9 julii 1644. (*Tom. memor.* 103, pag. 662, exist. in Arch.) « Congreg. Concilii censuit, canonicos ecclesiæ cathedralis civitatis Castellanæ anniversariorum celebratione non satisfacere celebrationi Missæ conventualis. »

[800] Quum inter libros decretorum S. Rituum Congr. hanc causam nec propositam nec definitam fuisse, reperiatur, respondendum est cum Scarfantonio *ad Lucub. Canon. Ceccoperi* lib. 2, tit. 5. *Animadversion.* num. 13 seq quod canonici, et dignitates, non possunt, nec debent cogi, sive per Episcopum, sive per alium in choro præsidentem, ad descendendum e suo sedili in medium chori ante anagnostorium, vulgo legile nuncupatum, ad præintonandas antiphonas, canenda gradualia, invitatoria, responsoria, sive versus, dummodo tamen in choro adsit competens numerus inferiorum sacerdotum, et clericorum per quos hujusmodi munia adimpleri commode valeant, ut declaravit S. Rit. Congr. *in Gerunden.*, *Functionum pontificalium*, 11 febr. 1702. Nam si exiguus sit numerus dictorum ministrorum inferioris ordinis, tenentur, et cogi possunt canonici eadem munia obire ut respondit S. C. Episcop. sub die 20 aug. 1601 relata per Pignatelli. Consul. 28, num. 4, tom. 4. Et idem Scarfantonius cit. loc. tit. 7, num. 35, ait : « At ubi non existunt capellani onus a suis sedibus procedendi ad legile, ac ibi notas Gregorianas canendi, omnes, et singuli canonici subire tenentur, ut post alios, considerat *Monet de Distrib.* part. 2, quæst. 2. »

tibus ad chorum post invitatorium quoad punctaturam valida est; non autem sunt alia pœna mulctandi, si tardius accedant : *Ibid.*, *dub.* 6.

39. Inde quæsitum, an pœna tarenorum trium adversus canonicos prædictos celebrantes Missas planas tempore Missæ solemnis valida sit; seu liceat eisdem canonicis Missas prædictas celebrare? respondit dari decreta in *Orioten.*, et *Ortonen.*[201]: *Ibid.*, *dub.* 9.

40. At pœna trium carolenorum pro quolibet die adversus canonicos sine legitimo impedimento absentes a choro diebus Quadragesimæ,et festis valida est, subrogata tamen pœna in duplici punctatura : *Ibid.*, *dub.* 10.

41. Item prohibitionem exeundi a choro, nisi absoluto divino officio, præterquam ex causa urgenti, sub pœna unius non duplicis punctaturæ validam esse S. C. mandavit : *Ibid.*, *dub.* 9.

42. Inde postulatum fuit, an præsidentia in choro spectet privative ad primicerium, seu cumulative ad præcentorem, una cum primicerio? protelavit S. C. definitionem, ut audiantur primicerius, et præcentor, atque interim servetur solitum : *Ibid.*, *dub.* 12.

43. Ac sancitur denique omnes horas canonicas esse persolvendas cum cantu ad formam sacri Concilii[202] : *Ibid.*, *dub.* 13.

44. Canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ cappas gestantes in festivitatibus præcinere antiphonas, necnon psalmos, hymnosque et versiculos nequaquam teneri S. C. censuit: *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 5.

45. Collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ canonici tenentur non solum interesse matutinis horis in diebus solemnibus, necnon tertiæ, sextæ, et Missæ majori, et vesperis cujuslibet diei, sed etiam quotidie matutinis, aliisque horis; ita ut standum est in decisis sub die 25 sept. 1700: *Ead. causa*, 21 *aug.* 1734, *dub.* 2.

46. Quæsitum quum fuerit, an celebrante canonico alter ex canonicis psalmos præcinere tam in choro, quam in supplicationibus, vel presbyteri hebdomadarii ecclesiæ metropolitanæ teneantur? S. C. resolutionem remisit ad S. C. Rituum[203]: *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 24, confirmata 28 *april.* 1736.

47. Pariter remittitur definitio ad S. C. Rituum[204], an in functionibus, in quibus canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi canonici canere in choro ex proprio stallo una cum hebdomadariis in cantu Gregoriano; vel onus canendi spectet etiam tunc ad solos hebdomadarios, et mansionarios? *Ibid.*, *dub.* 15, confirmata *ibid.*

48. Dubio exhibito : An canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Greca, dum choro, et aliis functionibus ecclesiasticis assistere debent, personaliter assistere teneantur; seu liceat eis servitium præstare per alium? S. C. respondit, ut dentur decreta *in Alatrina*, *Callien. Leyrien.* et *Ferentina*

[201] Vide verb. *Capitulum Ecclesiasticum* § X, num. 2 et 14.

[202] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.* « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere, et inservire; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. » Et hujusmodi Concilii dispositionem declarat Bened XIV. Const. *Cum semper* ad universos Italiæ Ordinarios, 19 aug. 1744, § 24. (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 166) his verbis: « Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis, aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina sess. 24, cap. 12, loquens de dignitatibus, et canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Trid. interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, et improbata; quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchialium hujus nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique eidem judicium prolatum reperiatur a pluribus conciliis provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, et confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiæ canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum nisi illis præsto sit apostolicum non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. » Idem Bened. XIV hanc rem expendit erudite etiam *Instit. Eccles.* C*VII*, § 3, pag. 751, tom. 11.

[203] Die 3 aug. 1737 S. C. Rituum decrevit, ac servari mandavit ad dub. VII : « *Quoad primam partem negative; et quoad secundam affirmative.* » Ex lib. *Decret. S. C. Rituum.*

[204] Quæ die 3 aug. 1737 ad dub. 8, decrevit : « *Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam.* » Ex lib. *Decret. S. C. Rituum.*

17 novem. 1685 [205]: *Nullius Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 8.

49. Postulatum quum esset, an prior ecclesiæ parochialis SS. Martini, et Barbaræ, uti canonicus, divinis officiis in choro ecclesiæ collegiatæ S. Petri, diebus festivis, et signanter in solemnioribus interesse teneretur? resolutio nulla prodiit, sed demandatum est, ut expectaretur exitus causæ coram Episcopo, et scriberetur eidem Episcopo ad mentem: *Sancti Miniatis*, 20 *martii* 1745, *dub.* 5.

50. An canonici ecclesiæ cathedralis præter horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V., psalmos pœnitentiales, et graduales, diebus in breviario designatis; sive consuetudo servanda sit? ad dubium hoc S. C. rescripsit servandam esse consuetudinem: *Montis Alti*, 28 *sept.* 1754.

51. Fortunatus Episcopus Neritonensis restituere cupiens divinum cultum pene intermissum in collegiata, et receptitia ecclesia terræ Galatonæ in constitutionibus capitularibus anno 1680 promulgatis declaravit tolerantiam inserviendi per substitutum, intelligendam esse per tres, aut quatuor vices in anno. Mos vero invaluit, ut canonici, et dignitates inservirent per tertiariam, et portionarii alternatim per hebdomadas, exceptis quibusdam functionibus, in quibus omnes inserviunt. Plures hinc canonicos inter, et portionarios exortæ sunt quæstiones circa servitii modum. Quæsitum exinde est, num sit augendum servitium, ita ut canonici teneantur servire in divinis officiis alternatim, et portionarii continuo, et quotidie, non autem per hebdomadam? Negativum dedit S.C.responsum juxta modum [206]: *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 2.

52. Quæsiverunt iidem canonici, num ipsi, et respective portionarii in loco, vel in suburbiis residentes inservire possint per substitutum ejusdem ordinis, saltem per decem dies infra annum? affirmativum exiit responsum, cum solitis tamen clausulis prout *in Ferentina*, *anni* 1685 [207]: *Ibid.*, *dub.* 3.

53. Inde S. C. requisita, an canonici, seu portionarii in absentia aliquorum ex una parte chori teneantur ad eam transire pro adæquando numero utriusque partis? S. C. rescripsit quoslibet teneri in suo ordine: *Ibid.*, *dub.* 9.

54. Et dubium: An, et ad quem spectet recitatio invitatorii, antiphonarum, responsoriorum, lectionum primi, et secundi nocturni? S. C. spectare ad portionarios resolvit: *Ibid.*, *dub.* 10.

55. Et ad canonicum antiquiorem hebdomadæ spectare putavit Missæ solemnis celebrationem, Sanctissimi Sacramenti expositionem, et divinorum officiorum præcentionem in octava Sanctissimi Corporis Christi, et in aliis diebus solemnioribus primæ, et secundæ classis, non ad portionarium hebdomadarium: *Ibid.*, *dub.* 11.

56. Joan. Baptista Petaccius canonicus collegiatæ ecclesiæ oppidi Proxeudi cum stipendio scut. 25 a communitate, et confraternitatibus præstando, munus organistæ exercens, prætendebat distributiones quotidianas, dum organum pneumaticum pulsabat, percipere: verum sancivit S. C. illum ad interveniendum choro teneri, neque permittendum illi esse tempore divinorum officiorum interventum in organo pro ecclesiæ servitio: *Ferentina*, 7 *junii* 1760, *dub.* 1.

57. Et cogendum insuper esse aliis pecuniariis pœnis arbitrio Ordinarii eadem S. C. definivit: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

58. Capitulum ecclesiæ cathedralis contendit damnandum esse hodiernum canonicum Carolum Pagani, et hæredes canonici Philippi Zacchæi; quorum primus adeo servitium ecclesiæ neglexit, ut fallentiarum cumulus ad scuta 54 pervenerit; et alter canonicus non exiguæ summæ debitor evaserat. Quæstione hac ad S. C. delata, et exquisito; num hæredes canonici Zacchæi, et canonicus Paganius tenerentur solvere punctaturas, et in qua summa, et cui deberentur? resolutum fuit, quod Zacchæi hæredes non teneantur, spectata compositione cum rev. fabrica S. Petri, et quod canonicus Paganius tenetur in tertia parte fructuum juxta quantitatem fallentiarum ad formam cap. 3, sess. 22 *de Reform.* [208]: *Spoletana, Punctaturarum*, 22 *maii* 1762.

59. Comes de Hoensbroeck canonicus, et scholasticus collegiatæ ecclesiæ B. M. V. Aquisgrani in canonicum a latere assumptus ab Episcopo Leodiensi, et in ejus servitio existens haberi pro præsente in choro, ac residentia debet: *Leodien.*, 28 *sept.* 1765.

60. Canonico cathedralis ecclesiæ Gregorio Rosetti abesse a choro tempore divinorum officiorum causa pneumaticum pulsandi organum, ac organorum modulatoris munus exercere non licet: *Tercainen.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 1.

205 Vide num. 2, 3, 4, 6 et 11, verb. *Canonici*, § 2.

206 Modus est ad formam constitutionum synodalium 1680: ex lib. 110. *Decret.* pag. 510.

207 Vide verb. *Canonici*, § 2, num. 11.

208 *De Reform.*; Ubi statuitur, quod tertia pars ex fructibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, officiorum fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur; si hi, qui eas obtinent, personaliter competens sibi servitium juxta formam ab Episcopis præscribendam quolibet die statuto non impleverint.

61. Imo est cogendus ad interveniendum choro ad formam juris : *Ibid.*, *dub.* 2.

62. Michael Angelus Crocichia canonicatus de jurepatronatus suæ familiæ ecclesiæ collegiatæ terræ Campaneani possessor absque Sedis Apostolicæ indulto, et Episcopi venia a residentia, et a choro semper abfuit. Capitulum illius absentiam detrimento divini cultus, capituli dedecori, et canonicorum incommodo esse ratum, ut ad punctaturas solvendas condemnetur, postulavit; et a die captæ possessionis ad easdem revera fuit condemnatus : *Nepesina*, 20 *januar.* 1776, *dub.* 1.

63. Geminos dux Alexander Pico in ecclesia collegiata Mirandulæ fundavit canonicatus, quorum possessores quatuor hebdomadalibus Missis, præter alias quolibet die festo celebrandas, necnon onere chori tempore Adventus et Quadragesimæ, diebus festis, concionibus, ac supplicationibus gravavit. Uterque canonicus sentiens onerum gravitatem reditibus imparem, reductionem petierunt, sed suspensa definitione, ut scribatur Episcopo juxta mentem [209] mandavit : *Regien.*, *Reductionis servitii chori, et Missarum*, 29 *julii* 1775. Deinde firmo remanente onere Missarum, servitium chori ad festos tantum S. C. reduxit : 27 *april.* 1776, confirmata 14 *martii* 1778.

64. Dubiis propositis : An canonici ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis, qui materialem tantum ex consuetudine choro exhibebant præsentiam, interesse teneantur, et canere in choro divina officia una cum vicariis beneficiatis, et in quibus horis?

65. An, et quibus remediis, et a quo sint cogendi in casu deficientiæ? S. C. censuit coadjuvandas probationes esse juxta mentem : *Leodien.*, 18 *aug.* 1770, *dub.* 1 et 2, et iterum : Dilata, et ad mentem rescripsit causa reproducta : 30 *aug.* 1777, *dub.* 7 et 8.

66. Ecclesiæ cathedralis canonici tempore divinorum officiorum Missas celebrare nequeunt, nisi de legitima superioris licentia, consuetudine contraria non obstante, quam nequaquam sustineri S. C. judicavit : *Comen.*, *Celebrationis Missarum*, 23 *novem.* 1771, *dub.* 2.

67. Canonicus Nicolaus de Bubalo basilicæ Lateranensis absens ab Urbe fuit absque indulto pontificio contra leges residentiæ, quum coadjutorem in canonicatu haberet, qui chori, et ecclesiæ servitio quam diligenter incumbebat; et quamvis consensus capituli adesset, pacto tamen adjecto, quod beneficii vacandi in hebdomada ad eum spectante collatio devoluta intelligeretur ad capitulum, adstrictus fuit ad solutionem punctaturarum pro rata tangente ad beneficiatos, et clericos beneficiatos. Absolutus autem fuit quoad canonicos ad formam consensus a capitulo præstiti : *Romana*, *Fructuum*, 29 *april.* 1780.

68. Clericus Paulus Gineuri canonicus ecclesiæ collegiatæ civitatis Pergulæ, causa studiorum indultum a residentia abscedendi, ejusque prorogationes obtinuit. Hujus gratiæ præsidio immunem se esse a præstatione punctaturarum ille credidit; sed capitulum contrarium sentiebat; idcirco postulatum fuit declarari, an eidem indultum præfatum suffragetur etiam ad effectum non solvendi punctaturas? sed negativa prodiit responsio, pro tertia parte tantum fructuum sui canonicatus : *Eugubina*, *Punctaturarum*, 5 *april.* 1783, *dub.* 1.

69. Et quum etiam exquisivisset, an, et a quo tempore sint solvendæ dictæ punctaturæ? responsum fuit a die non interventus choro, et ad mentem [210] : *Ibid.*, *dub* 2.

70. Quum canonicatus fundati ab Episcopo Reghinio in ecclesia cathedrali cum onere binarum hebdomadalium Missarum, ac servitii chori, ac *facultate reservata Episcopo mutandi qualitates, et obligationes dicti patronatus etiam contraria statuendo ad ejus libitum, sicuti melius placuerit*, imminuti sint valde reditus ob amissionem censuum, hodiernus canonicus Franciscus Petrucci reductionem postulat hebdomadalium, et conventualium Missarum, servitiique chori ad dies festos, et S. C. annuit juxta votum Episcopi [211] : *Sarsinaten.*, 16 *maii* 1789.

71. Interrogata est S.C., an, quomodo, et quibus diebus canonici collegiatæ ecclesiæ Ariciæ officium divinum in choro recitare teneantur? responsum prodiit affirmativum in omnibus juxta votum Card. Episcopi [212], etiamsi centenaria ostenderetur observantia : *Albanen.*, 16 *maii* 1789, confirmata 26 *martii* 1791.

72. Canonicus Aldebrandus Leoni de genere patronorum modo possidet canonicatum, qui ante erectionem collegiatæ, olim parochialis tantum, S. Leonardi oppidi Massatii ex capellania Flaminii Leoni instituta coaluit. At possessor prædictus pro tenui reditu scut. 8, vel 9, quæ ex originaria percipi possent sorte scut. 200, S. C. supplicavit ut servitium ad dies festos reducatur. Capitulum re-

[209] « Et mens fuit, ut Episcopus referret de existentia, statu, et qualitate prædiorum, quæ fuerant canonicatibus in fundatione assignata, eaque, eorumque reditus, cujus culpa decreverant, et an cum restaurationibus, seu meliioramentis faciendis in eisdem prædiis reditus sperari possint uberiores. » *Ead. causa*, 14 *martii* 1778, § 1.

[210] Et mens est, ut videretur, particulariter de examine statuti collegiatæ, transmissa per Episcopum ipsius particula, et decretis approbationis Episcopi; *Ead. causa*, 5 *april.* 1783.

[211] Vide not. 141, verb. *Canonici*, § 4.

[212] Vide not. 141, verb. *Applicatio*, § 1.

stitit, et S. C. reductionem petitam denegavit : *Æsina, Reductionis servitii chori*, 27 *aug.* 1791.

73. Canonici collegiatæ ecclesiæ Mercatelli post annos 70 renuerunt eorum præsentiam præstare anniversario ordinato a Laurentio Berardo in ecclesia S. Francisci dicti oppidi ratione tenuitatis emolumenti, et re in S. C. delata, hæc decidit, dictos canonicos assistere teneri ad prædictum anniversarium ad taxam constitutam ab Episcopo Castelli anni 1715. Hæc enim antiqua, et tenuis erat : *Urbanien.*, *Anniversarii*, 24 *januar.* 1795, *dub.* 1.

74. Chorale servitium, quod canonici ecclesiæ collegiatæ S. Joan. Baptistæ oppidi Canthiani ex decreto S. C. anni 1755 præstabant per duas hebdomadas, tertia alternis vicibus vacante, ob tenuitatem præbendarum, auctumque canonicorum numerum, reducitur a S. C. ad alternum chori servitium : *Eugubina, Servitii chori*, 13 *junii* 1795, *dub.* 1.

75. Et conceditur simplicibus diebus festivis exemptio a chorali recitatione matutini, et primæ canonicis destinatis celebrationi Missarum in ecclesiis ruralibus ob defectum aliorum sacerdotum : *Ibid.*, *dub.* 2.

76. Præscribitur tamen commune servitium chori in octavis paschatis Resurrectionis, Pentecostis, et SS. Corporis Christi tantum : *Ibid.*, *dub.* 3.

77. Vicarius apostolicus Setinus occasione sacræ visitationis ecclesiæ collegiatæ B. M. in cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio, exemptionem canonicorum convisitatorum a punctaturis decrevit, quod consentaneum decretis S. C. Concilii ei visum fuit. At capitulares decretum hoc impugnantes, quod solus Episcopus assumendi binos canonicos convisitatores, non inferius privilegium haberet, nisi de consensu capituli, quem vicarius apostolicus neglexit; S. C. adierunt, quæ præfatum decretum haud sustinere statuit : *Terracinen. et Setina*, 18 *junii* 1796, *dub.* 5.

78. Canonicus Ferdinandus Valenti passus est punctaturas ad formam constitutionum capitularium suæ ecclesiæ S. Mariæ in Via Lata Urbis, qui discessit a choro pro celebratione Missæ absque obtenta præfecti licentia, sed tantum cum bona fide prævia solita salutatione in discessu a choro juxta ecclesiæ consuetudinem. Hinc postulat punctaturarum restitutionem. S. C. autem ei non deberi dictam restitutionem resolvit : *Romana*, *Servitii chori*, 17 *sept.* 1796, *dub.* 2. Deinde dubio reproducto respondit quoad punctaturas elapsas post decretum diei 1 januar. 1794 in decisis; in reliquis recedendum a decisis. Nam eo tempore capitulum mandavit, ut Æditimus moneret de ecclesiæ necessitate, et de canonico, qui celebrare vellet : 9 *aug.* 1977.

§ XI.

Canonici quoad vacationes.

1. Quum canonici cathedralium, et collegiatarum, suum statutum habere dicerent apostolica auctoritate firmatum vacandi per centum dies, et fructus omnes, et distributiones percipiendi, ac postulassent declarationem non comprehendi in lege Concilii, respondit S. C. comprehendi, nisi quatenus legitime probaretur ejusmodi statuta fuisse confirmata a Sede Apostolica; talia enim non sustulisse Concilium sess. 24 cap. 12 [213] : *Elborenci, seculi decimi sexti.*

2. Quæritur in ecclesia Mutinensi, quæ requirit servitium totius anni, et in qua nulla est consuetudo, vel alicujus intermissionis privilegium; an canonici subjaceant pœnis ibidem a Concilio statutis, ut priventur dimidia fructuum parte? responsum est, trium mensium absentiam non concedi canonicis ex decreto Concilii sess. 24, cap. 12 [214], si a constitutionibus ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur : *Mutinen., anni* 1575, *dub.* 1.

3. Censuit insuper non oportere trium mensium continuam absentiam adesse, sed satis esse, quod dies absentiæ quandoque interpolati non superent trimestre : *Ibid.*, *dub* 2.

4. Qui non absunt a diœcesi, neque a civitate, sed ab ecclesiæ servitio haberi pro absentibus, dicto cap. 12. *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Licere canonico ab ecclesia tribus mensibus a Concilio permissis abesse, absque eo quod ullam obtineat, vel petat licentiam ab Ordinario : *Senen.*, 12 *maii* 1594.

6. Censuit S. C. minime indulgendum esse oratoribus, ut trium mensium spatio ab ecclesiæ possint abesse, si quidem decreto Concilii cap. 12, sess. 24, vers. *Præterea* [215], sicuti præservantur constitutionem longius servitii tempus requirentes, ita ut præservatæ videntur consuetudines : *Vallisoletana*, 17 *maii* 1599.

7. Procul dubio intelligi abesse ultra tres menses, quod non licet alicui canonico prætextu consuetudinis, aut statuti ex decreto Concilii Trid. cap. 12 sess. 24 vers. *Præterea* [216]. Quin etiam nec dicto trium mensium spatio abesse ab ecclesia fas est, si ejus constitutio longius, quam novem

[213] Vide not. 102.
[214] Vide not. 102.
[215] Vide not. 102.
[216] Vide not. 102.

mensium servitii tempus requireret. Adversus autem non residentem juxta dictum Concilii decretum procedendum esse ea ratione, qua præscribitur in dicto cap. 12 vers. *Alioquin* [217]. Immemorabilem vero consuetudinem, quantum pertinet ad absentiam ultra trimestre cujuslibet anni tempus, esse sublatam : *Bononien.*, 27 *martii* 1602, *dub.* 3.

8. Declaraverat jam antea S. C., nullam requiri licentiam ab hoc ut canonici abesse possint in mensibus ab eodem Concilio permissis, modo putat dictam declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt extra diœcesim, ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam; ceterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare : *Jadren.*, 9 *maii* 1626.

9. S. C. indulsit canonicis oratoribus, ut accedente consensu Episcopi vacationibus duorum mensium singulo anno frui possint, et interim fructus præbendarum cum universis distributionibus quotidianis percipiant; ita tamen, ut ecclesia suo debito non fraudetur obsequio, et vacationes hujusmodi non sumantur tempore Adventus, Quadragesimæ, nec ullo die festivo de præcepto, et tertia tantum pars canonicorum eodem tempore abesse valeat : *Camerinen.*, 12 *maii* 1629.

10. Card. Episcopum facere debere decretum, ut in collegiatis ecclesiis suæ diœcesis, quæ vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno, eodemque tempore, et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimæ, et Adventus, neque in amplioribus anni festivitatibus S. C. sancivit : *Auximana*, 12 *julii* 1631.

11. Eadem S. C. benigne annuit, ut canonici Prænestini per quatuor menses singulis annis, a prima scilicet die mensis junii, usque ad primam diem mensis octobris per tertiariam, hoc est, octo ex duodecim intervenire deberent, et quatuor a servitio vacare valerent : *Prænestina*, 22 *aug.* 1637.

12. S. C. benigne indulsit, ut canonici ecclesiæ collegiatæ S. Victoriæ Farfensis per duos menses a servitio ecclesiæ quotannis arbitrio Card. commendatarii abesse possent; ita tamen ut omnes interessent diebus dominicis, et festis totius anni, et diebus omnibus Adventus, Quadragesimæ, octavæ Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi, et nunquam eodem tempore abessent : *Nullius Farfen.*, 13 *nov.* 1655.

13. Censuit S. C. canonicos ecclesiæ cathedralis, qui habere aiunt facultatem vacandi a choro quatuor mensibus cum conditione, ut illo tempore teneantur ad musicam duplicatam, teneri implere conditionem prædictam et tempore præfato minime lucrari distributiones quotidianas, Episcopum tamen permittere posse, ut canonicus in sua hebdomada servitio ecclesiæ devinctus possit substituere alium canonicum, qui in ipsa hebdomada eodem servitio addictus non sit, et hoc casu distributiones quotidianas lucrari, ac si divinis personaliter interessent, ita tamen, ut hujusmodi facultate substituendi non abutatur, et canonicus subtituens sit præsens in civitate : *Aquilana*, 12 *dec.* 1643, 16 *januar.* ac 2 *dec.* 1644.

14. Canonici de jurepatronatus, qui ex vi institutionis tenentur celebrare singulis hebdomadis quinque Missas in ecclesia cathedrali juxta responsum alias in hac causa datum a S. C. die 21 sept. 1663 frui nequeunt jure vacationis concessæ per Concil. Trid. in sess. 24, cap. 12, vers. *Præterea celebrando* [218] extra illam : *Adjacen.*, *Celebrationis et distributionum*, 11 *julii* 1671, *dub.* 1.

15. Dubio proposito in S. C., an vacationes ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ infra annum debeant esse æquales, tam canonicis, quam beneficiatis? respondit, ut solitum servaretur : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 15.

16. In vim indulti vacationis a S. C. concessi die 3 martii 1646 [219] inter absentes a choro censentur comprehensi canonici infirmi, et jubilati ad effectum impediendi aliis canonicis solitam vacationem; nec censentur præsentes. In eorum enim dumtaxat, non in aliorum canonicorum commodum cedere debet privilegium indulti infirmis, et jubilatis concessi : *Auximana*, 24 *aug.* 1748, *dub.* 1.

17. Ex gratia vero est præfatum indultum ampliandum in eum modum ut medietas canonicorum ecclesiæ inservire debet cum conditionibus in eodem indulto contentis : *Ibid.*, *dub.* 2.

18. Canonici ecclesiæ cathedralis trium mensium

217 « Alloquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, contra eos, juxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur. »

218 Vide not. 102.

219 Ratione præbendarum tenuitatis postularunt canonici cathedralis ecclesiæ Auximanæ vacationem duorum mensium cum perceptione quotidianarum distributionum, et S. C. annuit arbitrio tamen Episcopi, et ea lege, ut eodem tempore duæ partes ex tribus eorumdem canonicorum semper inserviant ecclesiæ, et exceptis diebus solemnioribus, in quibus omnes inservire teneantur. Arbitrium suum interposuit Card. Vesporius Episcopus, et considerata eorumdem canonicorum qualitate, ac illorum assiduitate, et frequentia in servitio chori, et ecclesiæ, S. C. rescriptum exequendum censuit. *Ead. causa*, 24 *aug.* 1748.

vacationibus quolibet anno perfruuntur, sed ad omnes lucrandas distributiones dies tantum 20 eis prosunt, hinc instant, ut sibi quadraginta quinque vacationis dies elargiantur, quin distributiones, aliosque fructus a præsentibus percipiendos amittant. Episcopus referebat in ecclesia inspecta illius constructione æstatis, hiemisque rigorem experiri. Mandatum, ut scriberetur Episcopo pro meliori informatione, et ut referret de numero canonicorum, et de canonicatuum reditu : *Oscen., Servitii chori*, 18 *maii* 1776.

19. Ut canonici collegiatæ ecclesiæ S. Dalmatii oppidi Quarguinto ab assiduo chori servitio, ac residentia,quam hactenus præstiterunt, quodam modo leventur, bimestrem efflagitant vacationem saltem ad exemplum Alexandrinæ cathedralis. S. C. indultum vacationum pro duobus anni mensibus, excepto tempore Quadragesimæ, Adventus, et solemniorum anni festivitatum concessit : *Alexandrina, Servitii chori*, 17 *april.* 1790.

20. Ecclesia S. Marci castri Clementi in collegiatam erecta cautum fuit, ut canonici post annos 8, in quibus tantum dominicis, aliisque festivis diebus ecclesiæ inserviunt, omnibus inservire ecclesiæ teneantur ; inde suas capitulum condidit constitutiones, in quibus decernit, quod 8 illis elapsis annis, quisque duos vacationum menses diebus ferialibus sumere poterit juxta leges S. C. Concilii. Hinc canonici solliciti de vacationum indulto, an sint hæ concedendæ ? postulant, et S. C. esse concedendas juxta votum Archiepiscopi [220] resolvit : *Firmana*, 28 *maii* 1796.

§ XII.

Canonici quoad vocem in capitulo.

1. Censuit S. C. oratorem in subdiaconatus ordine non constitutum vocem in capitulo cathedralis, ubi canonicatum occupat, non habere, et si infra annum justo impedimento cessante ordines requisitos non susceperit, incidere in pœnas Clem. *Ut si qui de ætate, et qualit.* juxta cap. 4, sess. 22, Trid. Concil. [221] : *Nepesina*, *julii* 1588.

2. Canonicum, donec in sacris non fuerit constitutus, vocem in capitulo non habere, neque id præscribere potuisse respondit S. C.; atque ne in capitulum suffragia ferat, ab Episcopo esse prohibendum ; immo a canonicis nequaquam esse ad id admittendum resolvit : *Bononien.*, 27 *martii* 1602. *dub.* 2.

3. S. C. respondit, si orator est legitimæ ætatis, ita ut infra annum possit promoveri ad sacerdotium, ut requirunt canonicatus cathedralis durante anno, si statis horis interfuerit, percipere debere fructus, ac distributiones, sed vocem in capitulo non habere : *Eugubina*, 14 *febr.* 1609.

4. Defensa a S. C. canonicatuum erectione ab Episcopo peracta, statuitur canonicos ab Episcopo, ut proponitur, institutos habere vocem in capitulo : *Senogallien.*, 25 *febr.* 1617.

5. A S. C. responsum fuit, canonicum absentem posse votum suum alteri de capitulo delegare, si abfuerit ob aliquam causam ex his, quæ sunt approbatæ in Const. Bonifacii VIII [222] *Dubium*, 18 *febr.* 1623, *dub.* 1.

6. Censuit S. C. secundum ea, quæ proponuntur, oratorem vocem in capitulo habere ; ita tamen ut ordinem suæ præbendæ adnexum, quum ad ætatem legitimam pervenisset, suscipiat. Nam sexdecim erat annorum, ac dispensationem apostolicam obtinuerat : *Politianen.*, 13 *januar.* 1629.

7. Carolus de Ansaldis in ætate annorum quindecim provisus, et dispensatus ab Urbano VIII, Pont. Max., ad canonicatum in cathedrali ecclesia obtinendum, petiit declarari ; an vocem in capitulo haberet, et S. C. respondit, secundum ea, quæ proponuntur, oratorem vocem in capitulo habere : *Sancti Miniatis*, 15 *sept.* 1629.

8. A S. C. sancitur canonicum Venturellum apostolica auctoritate ætatis ratione dispensatum habere in capitulo vocem : *Amerina*, 2 *maii* 1643.

9. Si erectio quorumdam sex canonicatuum fuerit per Archiepiscopum valide facta, canonicos hujusmodi institutos habere vocem in capitulo, qua alii canonici fruuntur, firmatum est : *Rheginen.*, 19 *decem.* 1648.

10. Proposito dubio : An canonici ecclesiæ colle-

[220] Qui ait : « Eorum votis annuere censeant (EE. VV), non aliter ut facultate vacandi frui possint, quam ad formam earum legum, quas in re sacra ista Congregatio præscripsit, et synodales constitutiones servari jusserunt. » *Ead. causa*, 23 *april.* 1796, § 2.

[221] Vide not. 67.

[222] Cap. *Consuetudinem, de Cleric. non resid.* in 6, innovata a Concil. Trid., sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, quæ constitutio disponens de distributionibus quotidianis solum præsentibus tribuendis, excepit illos « quos infirmitas, seu justa rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. » Hinc dignitates, et canonici, voce in capitulo gaudentes, qui ob distantiam, infirmitatem, vel alium impedimentum, interesse non valent, possunt, etsi in loco residentiæ existant, procuratorem constituere ad eorum nomine votandum, non solum in electionibus ad canonicatum, beneficia, et officia, sed et pro resolvendis certis negotiis capitularibus, pro quibus convocandi sunt, quotiescumque sit capitulum extraordinarium ; uti advertit Scarfantonius *Animad. ad Lucub. Canon Ceccoperi*, lib. 4, tit. 3, num. 51, qui num. 53 subjungit, « atque in omni casu tenentur subrogare aliquem, qui sit de eodem capitulo, et sacris ordinibus decoratus. »

giatæ S. Mariæ in Cosmedin urbis minoribus ordinibus tantum initiati, qui ex dispositione juris canonici, et Sacri Concilii Trid. [223] vocem in capitulo non habent, saltem possint ipsi in capitulo assistere, atque interesse? posse definitum est: *Romana, Assistentiæ*, 8 *martii* 1664.

11. Franciscus Marras ecclesiæ metropolitanæ canonicus a Sede Apostolica ob archipresbyteri dementiam coadjutoriam ejusdem cum clausula, quod is una cum canonicatu retineret absque dispensatione, obtinuit; hinc duplex in capitulo suffragium ferre, duplicatasque percipere distributiones prætendit. Utrumque S. C. indulsit ad formam apostolicarum Constitutionum [224]: *Arboren.*, 24 *april.* 1700.

12. Capitulum cathedralis ecclesiæ sanxit tres fratres utrinque aut ex uno tantum latere conjunctos ad canonicatus, et præbendas admitti, et in capitulum recipi posse, duos tamen ex eis dumtaxat voce activa gaudere debere, confirmavitque declarando expressius non præter tres fratres prædictos in posterum esse admittendos, ac instante pro confirmatione apostolica S. C. licet rejecisset primum preces, tamen prævio recessu a decisis pro confirmatione in forma specifica, et ad mentem respondit: *Paderbonen.*, *Statuti*, 9 *aug.* 1704.

13. Dubio exhibito: An canonicus admissus in ecclesia collegiata SS. Gervasii, et Protasii cum reservatione jurispatronatus activi, et passivi, et pacto suam residentiam non deserendi, possit intervenire cum voto ad capitula, et signanter occasione electionis ad aliquam præbendam vacantem, seu ad alia, quæ privative fieri solent per archipresbyterum, et capitulum? rescripsit S. C. ut recurrat in casibus particularibus: *Novarien.*, *Præeminentiarum*, 14 *april.* 1714, *dub.* 7.

14. Franciscus Ambrosius canonicus ecclesiæ cathedralis, quum laboret podagra, indulto fruitur de emolumentis sui canonicatus participandi, licet choro non intersit. Sed quando Congregationes capitulares aguntur, consueta ad eum transmittitur denuncatio; hinc preces porrexit, ut substituendi alium canonicum, qui suo nomine præstet suffragium, ei detur facultas, et S. C. distulit resolutionem rescribens, ut capitulum audiatur: *Fulginaten.*, 18 *novem.* 1719.

15. Suo decreto privavit Episcopus Vigiliensis munus visitatoris apostolici exercens canonicum Sylvestrum de Ruffo ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli oppidi Terlitii voce activa, ac passiva. Privavitque, quia suam portionem bonorum capituli assignatam excipere renuerat, quum antea nemo suam præbendam haberet, sed de distributionibus canonici communicabant. Præfatum decretum non sustineri S. C. requisita putavit: *Juvenacen.*, 23 *aug.* 1738, *dub.* 2.

16. Imo declaravit decretum Episcopi visitatoris non afficere canonicos: *Ibid.*

17. Canonici clerici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in Cosmedin urbis in capitulo possunt intervenire, nec inibi vocem activam habere valent; *Romana, Vocis in capitulo*, 22 *julii* 1741.

18. Canonico Sergardi metropolitanæ ecclesiæ præsenti in sessionibus capitularibus jus vocis activæ, ac passivæ competit, etiam in negotiis spectantibus ad massas, de quarum distributionibus non participat. Nam absque ulla vocis limitatione admissus fuerat: *Senen.*, *Vocis in capitulo*, 26 *martii* 1768.

19. Canonici ecclesiæ collegiatæ Pergulæ in sacris non constituti non valent habere vocem in electione archidiaconi. Licet in litteris erectionis expressum sit quoad electionem *a pro tempore existentibus capitulo, et canonicis*: *Eugubina, Electionis*, 7 *sept.* 1793, *dub.* 2.

20. Capitulum Constantiense exposuit quoddam statutum pro capituli bono se condidisse, confirmationemque exorat. Nam si contingat duobus primo, et secundo consanguinitatis gradu invicem connexis, in capitulo jam existentibus, tertium quoque dictos gradus attingentem canonicatum obtinere, capitularis fieri nequeat, et a voce activa, et passiva maneat exclusus, ac a dignitatibus, donec unus ex præfatis sive per cessionem, vel per obitum locum eidem fecerit. S. C. vero ad plurima incommoda removenda quoad vocem activam tantum confirmandum statutum censuit: *Constantien.*, *Statuti*, 21 *maii* 1707.

CANONICUS.

§ I.

Canonicus coadjutus, et coadjutor.

1. Censuit S. C. coadjutores, quum divinis intersint, minime lucrari fructus præbendarum hujusmodi pro coadjutis ex proposita culpa, et delicto conjectis in carcerem: *Carthaginen.*, 1 *decem.* 1618.

2. Coadjutum infirmum, quamdiu coadjutor ex causa infirmitatis abfuerit, percipere debere sui

[223] Vide not. 67, verb. *Canonicatus*.

[224] Vide not. 210, verb. *Archipresbyter*.

canonicatus, et præbendæ fructus una cum distributionibus quotidianis tam diurnis, quam nocturnis, perinde ac si divinis officiis per se, vel coadjutorem interesset, S. C. resolvit : *Vicen.*, 21 *junii* 1625.

3. S. C. partibus auditis, et rationibus hinc inde deductis mature perpensis censuit canonicos coadjutores, etiam coadjutis absentibus non posse capitulis interesse, nec in illis votum dare, nec officium nuncupatum *Ansiano della Chiesa* exercere, nisi ista in litteris apostolicis coadjutoriæ explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur : *Narnien.*, 20 *martii* 1649.

4. Quum quæsitum fuisset : An coadjutori, absente canonico coadjuto, indistincte competat exercitium omnium functionum sui coadjuti, licet canonici in ordine succedentes prætenderent eas ad se, et non ad coadjutores canonicorum pertinere? responsum est, danda esse decreta Sacr. Congr. Rituum edita in Patavina, et Neritonen.[225] : *Casalen.*, *Confirmationis statuti*, 28 *januar.* 1690, *dub.* 2. Tamen canonicis non acquiescentibus, quia decreta in Neritonen., et Patavina loquuntur de coadjutore dignitatis archidiaconalis, et archipresbyteralis, et casus hic est de coadjutore simplicis canonici ex juribus circumferendis supplicatur S. C. vindicare, vel alio quovis modo decernere, et quæ decreta sint danda? respondit coadjutorem teneri facere omnes functiones, quas facere potest suus coadjutus, sedere tamen debere in ultimo loco sui ordinis : 15 *april. ejusd. anni.*

5. Quum sæpius contingeret canonicos, ceterosque in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis a residentia, et interventu, vel de jure, vel speciali indulto exemptos, uti jubilatos lucrari distributiones quotidianas, dubitatum fuit; an coadjutores eorum, qui gaudent hujusmodi indulto sive ex causa infirmitatis, sive jubilationis, sive alio simili, punctari debeant, et punctaturas damno coadjuti capitulum retinere. Dubio proposito, an capitulum possit punctaturas exigere? respondit S. C. danda esse decreta alias hac de re edita, 12 *martii* 1672[226] : *Dubium punctaturarum*, 31 *julii* 1694, *dub.* 1.

6. Et coadjuto, et signanter jubilato competi actis pro emendatione punctaturarum contra coadjutorem absque justa causa a servitio chori absentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Propositus fuit casus canonici coadjutoris, qui indultum petebat causa studiorum, offerente etiam coadjuto seipsum interea divinis officiis interfuturum. S. C. petitum indultum censuit negandum, rescripsitque oratorem uti posse jure suo : *Praten.*, *Indulti*, 2 *martii* 1697.

8. Canonicus coadjutor ecclesiæ cathedralis non potest uti privilegio in chori servitio alium canonicum substituendi, qui eo die non tenetur choro interesse, licet hoc privilegio ex consuetudine alii canonici fruantur : *Casertana*, *Servitii chori*, 28 *junii* 1704.

9. Quum fuisset dubium disputatum; an nolente, vel impedito canonico Moricono coadjuto, ecclesiæ cathedralis Missa solemnis, quæ vicissim ab eodem esset celebranda, a canonico Curtio Bonafide ejus coadjutore, vel a canonico Hippolyto Coloccio in ordine canonicorum succedente sit celebranda? S. C. exhibendam esse coadjutoriæ bullam putavit : *Æsina*, 9 *april.* 1718. Deinde negativum præbuit responsum quoad primam, affirmativum quoad secundam partem : 1 *april.* 1719, confirmata 16 *decem.* 1719, *dub.* 1.

10. Insuper canonicos coadjutores ejusdem ecclesiæ cathedralis in ordine presbyterali constitutos, et Missam solemnem non canentes in hebdomada statis vicibus, quæ tangit eorum coadjutos, eamdem Missam canendam, ut compleant canonicorum orbem, S. C. constituit : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Laurentii Joannes Guerinus coadjutus potest per seipsum explere functiones nuncupatas *de Hebdomada* et *de Turno*, uti antequam coadjutorem obtinuisset : *Florentina*, *Præeminentiarum*, 9 *april.* 1718, *dub.* 1.

12. Ac eo impedito, vel nolente potest dictas functiones coadjutor peragere, ne jus ea explendi ad canonicum alternatim succedentem devolvatur : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Electio ad officium fabricerii in favorem canonici Goria peracta valida est; etiamsi ab hinc decem annis coadjutoriæ gratiam obtinuerit : *Asten.*, *Officii fabricerii*, 2 *octob.* 1721, *dub.* 1.

14. Ac dictus canonicus coadjutus non est ab acceptione ejusdem officii excusandus : *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Ac exercere idem non tenetur per seipsum,

[225] Prima die 14 *febr.* 1615, et 3 *decem.* 1616. Altera 12 *octob.* 1619, quæ, impedito coadjuto, firmant jus functiones peragendi devolvi ad coadjutorem : et non ad canonicum in turno succedentem ; loquuntur in terminis coadjutorum, dignitatum, et non canonicorum. Sed S. R.C. die 24 maii 1636 in causa civitatis Castelli relat. inter *Decret. auth. ejusd. S. C.* num. 272, Romæ 1767 resolvit : « Non licet coadjutoribus canonicorum absentibus, vel impeditis coadjutis, inservire pro assistentibus Episcopo solemniter celebranti, vel cum cappa divinis inservienti ; sed hoc munus spectat, ac pertinet ad viros canonicos ordine successivo. »

[226] Tenoris seq. dubium coadjutoris, an coadjutor cum futura successione canonici habentis jubilationis indultum teneatur residere, et inservire pro coadjuto? S. C. respondit affirmative : rel. lib. 27, *Decret.*

sed illud valet per suum coadjutorem; et alius ex beneficiatis ejusdem cathedralis ab ipso substituendus exercere nequit: *Ibid.*, *dub.* 3.

16. Coadjutor cujusdem canonicatus cum futura successione, et congrua assignata, alias exterus, eo ipso dici potest subjectus capitulo Elborensi ad effectum ordines suscipiendi, absque aliis dimissoriis Episcopi suæ originis ad tramites bullæ *Speculatores*, § *Licet vero* [227] *: Elboren.*, *Dubiorum* 23 *aug.* 1721, *dub.* 1.

17. Ideoque supradicta coadjutoria sufficit saltem, ut talis coadjutor dicatur habere domicilium requisitum a bulla prædicta ad effectum ordines suscipiendi, eo quod ex possessione talis coadjutoriæ perpetuæ videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi: *Ibid.*, *dub.* 2.

18. In capitulis ecclesiæ cathedralis pro agendis negotiis capitularibus convocatis votum habere valent canonici coadjutores, excepto casu interventus coadjuti: *Ulissiponen.*, *Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 12.

19. Decano ecclesiæ cathedralis absente, renuente, aut alias quomodolibet impedito facultas convocandi capitulum devolvitur ad successivas dignitates, et canonicos gradatim; et quæsito, an excludi debeant coadjutores? habebitur ratio in casibus particularibus, visis litteris coadjutoriarum: *Mileritana*, *Jurisdictionis*, 18 *sept.* 1723, *dub.* 2.

20. Extra urbem se contulerant ob corporis infirmitates, et pro recuperanda valetudine canonicus coadjutus, ac ejus coadjutor collegiatæ ecclesiæ S. Marci. Canonici ejusdem ecclesiæ supplicarunt pro declaratione; an distributiones debeantur canonico coadjuto extra urbem commorandi suo pariter coadjutore extra urbem causa infirmitatis degente?

21. Et an lucra provenientia ex punctaturis, et absentiis canonicorum, quæ præsentibus accrescunt, debeantur canonicis coadjutoribus, sive coadjutis? dubium utrumque S. C. non resolvit, mandavitque perquiri decreta, et ad mentem [228]: *Romana*, *Distributionum*, 3 *decem.* 1729. Repropositis definiendis dubiis hisce, duorumque coadjutorum, qui sunt in causa, litteris exhibitis, resolutum fuit ad primum affirmative, quatenus uterque habeat indultum absentiæ. Et ad secundum hocce, deberi canonicis coadjutis: 19 *aug.* 1730.

22. Josepho de Miranda canonico ecclesiæ cathedralis ad obtinendam jubilationem obstat, quod jam habet coadjutorem cum futura successione: *Calaguritana*, *Jubilationis*, 2 *maii* 1733, *dub.* 1.

23. Durante absentiæ Francisci Sierra canonici coadjutoris ecclesiæ cathedralis, et consequenter tempore pœnalis servitii hospitalis unius civitatis Septensis, ad quod damnatus fuit spatio sex annorum ab Episcopo ex crimine patrato, residere valet Joannes Joseph Florez Sierra canonicus coadjutus: *Oveten.*, *Coadjutoriæ*, *et distributionum*, 6 *junii* 1739, *dub.* 1, confirmata 30 *januar.* 1740.

24. Et idem coadjutus residendo gaudere debet diebus vacationis, seu levamenti nuncupatis *las dies de gracias*, quæ dumtaxat coadjutoribus in levamen assidui, et diuturni servitii, ad quod se obstringunt in actu suæ admissionis præstare, conceduntur: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

25. Atque eodem tempore durante, si ægrotaverit dictus canonicus coadjutus non est habendus pro præsente tempore infirmitatis, nec potest lucrari distributiones salvo jure agendi contra coadjutorem pro damni reparatione: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

26. Assumpto ab Arrias Antonio Valledor canonico cathedralis ecclesiæ coadjutore Josepho Benedicto Valledor cum futura successione, hic post aliquod tempus deesse cœpit, renuens horis divinis choro interesse. Monitus pluries non obtemperavit, hinc per decretum judicis cum pœna excommunicationis, et privationis terminus fuit constitutus, ac S. C. coadjutus adiit, quæ sancivit esse locum privationi coadjutoriæ, de qua agitur, ita ut consulendum sit Sanctissimum pro deputatione novi coadjutoris: *Oveten.*, *Coadjutoriæ*, 8 *maii* 1745.

27. Francisco Lopez coadjutori Matthæi Conia ecclesiæ cathedralis canonici, cui coadjutus brevi pontificio impetrato stallum, turnum, et ætatis prærogativam sibi competentem resignavit, locus post canonicos de tempore captæ possessionis in qualitate resignatarii receptos debetur; nam eodem tempore etiam S. C. declaravit breve prædictum vali-

[227] Innocentii XII, die 4 novem. 1694 (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 374), ubi cit. § legitur: « Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tam de ceteris hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum, ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris; quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione, mentionem facere debebit. »

[228] Quæ fuit, ut exhiberentur litteræ coadjutoriarum: *Ead. causa*, 3 *decem.* 1729.

dum non esse : *Baren.*, *Præcedentiæ*, 19 *april.* 1760, *dub.* 2 *et* 3.

28. Sacerdos Dominicus Amurri canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Offidæ ob ingravescentem ejus ætatem constituit sibi coadjutorem Vincentium Andreanum ex sorore nepotem in minoribus ordinibus constitutum. Ipse sicut erat ex oppido Carassai petiit ab Episcopo Firmano litteras testimoniales, quas Episcopus Asculanus requisiverat. Renuit ille Episcopus has concedere, et idcirco S. C. adiit, quæ, ut scribatur Episcopo juxta mentem [229], voluit : *Asculana*, *Coadjutoriæ*, 12 *martii* 1785.

29. Canonico Coriolano Staccoli coadjutori ecclesiæ metropolitanæ conceditur ex gratia facultas substituendi alterum canonicum ad servitium chori, inspectis peculiaribus circumstantiis, et juxta votum Archiepiscopi [230]. Id enim nullis constitutionibus capitularibus interdictum erat, nec contraria vigebat consuetudo, ac plures erant coadjutores : *Urbinaten.*, *Servitii chori*, 12 *julii* 1794.

30. Quum Angelus Comolli coadjutor canonici Joan. Petri Aghina S. Mariæ ad Martyres urbis suum coadjutum præmortuus esset, obtinuit a Pontifice coadjutoriam sacerdos Aloysius Tazi, cui cedere noluit Aghina distributiones quotidianas, quas cessit primo coadjutori Comollio, ut in litteris apostolicis legitur, *in favorem sui perpetui coadjutoris cedere intendit*; propterea eamdem gratiam a suo coadjuto petiit Tazius, et assequi non valuit, sed ut ex jure consequeretur, S. C. adiit, quæ censuit distributiones quotidianas competere coadjutori Tazi : *Romana*, *Distributionum quotidianarum*, 23 *januar.* 1796. Sed postea prævio recessu a decisis coadjuto competere resolvit : 27 *aug.* *ejusd. anni.*

31. Dubitatum est in S. C., an, et quomodo canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium ecclesiæ collegiatæ Divi Petri juxta capituli veterem consuetudinem? respondit negative : *Spoletana*, *Servitii chori*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 2.

§ II.

Canonicus decanus, senior, et dignior.

1. Ad dubium, an absente primicerio hebdomadario, et alio primicerio possit canonicus antiquior cogi ad incipiendum matutinum, et horas canonicas, an dignior præsens? respondit S. C. canonicum antiquiorem, seu digniorem præsentem eodem modo posse cogi : *Andrien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 6.

2. Et altero : An cessante impedimento infirmitatis podagræ, qua dicti duo primicerii laborant, teneatur canonicus antiquior hujusmodi servitio subire? rescriptum dedit, canonicum antiquiorem absentibus duobus primiceriis teneri hujusmodi servitio subire : *Ibid.*, *dub.* 7.

3. Canonicus antiquior non potuit in præjudicium moderni theologi optare præbendas, a nuper defuncto theologo possessas : *Sebencien.*, *Juris optandi*, 8 *maii* 1688, *dub.* 1.

4. Vacante in ecclesia collegiata S. Crucis cantoratu, capitulum, antequam ad electionem procederet, sancivit, quod quisque electus foret, quingentos Barbantiæ florenos pro ecclesiæ fabrica solveret. Vacante etiam decanatu simile decretum edidit, sed aucto onere ad florenos mille in fabricæ reparationem itidem erogandos. Recens decanus doluit, tum ut aureos centum pro cappa post triennium solveret, tum ut quotannis anniversaria die dedicationis ecclesiæ, et etiam alia, quæ recolitur Exaltatio S. Crucis, convivio ceteros capitulares exciperet. Resolutiones hujusmodi capitulares S. C. validas non esse primo resolvit : *Leodien.*, *Capitulationum*, 30 *sept.* 1730, *dub.* 1. Iterum causa ad examen posita statutum fuit, quoad duo convivia decanum non teneri; quo vero ad cappam : Dilata, et scribatur Ordinario juxta instructionem [231], respondetur : 1 *sept.* 1731. Insuper duo annua convivia esse permittenda, sed non esse decanum cogendum ad ea sancitum est : 18 *julii* 1733.

5. Deinde ad dubium : An, et quæ alia onera sustinerentur? responsum prodiit : Dilata, et coadjuventur probationes : *Ibid.*, *dub.* 2. Et quoad alia onera : Dilata, respondit, et coadjuventur probationes super consuetudine quoad cappam : *Ibid.* Demum quoad onera remotis sequestris, trium mensium pro confectione, ac processus translatione terminum præfixit : 18 *decem.* 1734.

6. Siculi canonici collegiatæ et parochialis ecclesiæ S. Mariæ Pedonis collegialiter interveniunt etiam officiis defunctorum intra tres dies post depo-

[229] Mens est, ut dicat, aut graves recusationis causas, aut det testimoniales : *Ead. causa*, 12 *martii* 1785.

[230] « Duabus, nempe, vicibus ex intervallo per quindecim dies continuos singulis annis : *Ead. causa*, 11 *junii* 1794, § 1.

[231] S. C. scire cupit : 1. An subsistat, quod decanus solverit florenos bis centum quinquaginta pro juribus suæ possessionis, explicando in quam causam versa fuerit prædicta summa. 2. Quanti sint annui reditus decanatus, et annua onera. 3. An, et a quo tempore sit in usu statutum cleri circa cappam tradendam a decanis transmittendo etiam particulam ejusdem statuti. 4. Demum, an sacrarium ecclesiæ collegiatæ S. Crucis habeat annuos proventus sufficientes pro sacra supellectili. Super his itaque auditis non solum capitulo dictæ collegiatæ S. Crucis, sed etiam capitulis aliorum ecclesiarum, quibus sit commune statutum de cappa a decano tradenda S. C. certioret. *Regist. lit.* lib. 28, die 1 sept. 1731.

sitionem cadaveris in ecclesia celebrandis, absente, vel impedito præposito, penes quem actualis animarum cura residet, dignior ex prædictis canonicis supplere debet partes præpositi, excluso ejus coadjutore, et ceram manualem majorem, et duplicatam eleemosynam lucratur : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 11.

7. Archipresbytero terræ Campobassi impedito celebrare in diebus solemnibus, ac occasione supplicationum non œconomum, sed canonicum antiquiorem cum assistentia aliorum canonicorum debere statuitur : *Bojanen.*, *Jur. paroch. et præeminen.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 16.

8. Quum presbyteralem canonicatum sacrosanctæ basilicæ Lateranensis Franciscus de Vico obtinuerit in sequenti anno permutavit cum canonicatu subdiaconali, ac simul descendit ad subsellium inferiorem, postea vero rursus permutavit cum presbyterali canonicatu digniorem locum aliis canonicis ejusdem ordinis cedens. Canonicus Testa, qui in sede, ac functionibus illum præcessit de decanatu disputat. Card. archipresbyter canonico de Vico decanatum competere sibi adstruit, ex quo in Lateranensi ecclesia canonici cujuscumque ordinis indiscriminatim solam spectent rationem majoris antiquitatis; tum in tabella notante servitium chori, tum alternis vicibus collationis beneficiorum, tum denique in præbendarum optione. S. C. autem hanc quæstionem diluit rescribens *in casu, de quo agitur*, decanatum D. de Vico competere : *Romana*, *Decanatus capituli Lateranensis*, 6 *dec.* 1732.

9. Decanus collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ non solum interesse matutinis in diebus solemnibus, necnon tertiæ, sextæ, et Missæ majori, et vesperis cujuslibet diei, sed etiam quotidie matutinis, aliisque horis, ita ut standum est in decisis sub die 25 sept. 1700 : *Avenionen.*, 21 *aug.* 1734, *dub.* 2.

10. Decidit S. C. ad canonicum antiquiorem hebdomadæ ecclesiæ collegiatæ, et receptitiæ terræ Galatonæ spectare Missæ solemnis celebrationem, Sanctissimi Sacramenti expositionem, et divinorum officiorum præcentionem in octava Sanctissimi Corporis Christi, et in aliis diebus solemnioribus primæ, et secundæ classis, non ad portionarium : *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 2.

11. Decano canonico ecclesiæ cathedralis competit jus duplicis voti absoluti in capiendis omnibus et singulis resolutionibus capitularibus. Nam ipse erat in possessione immemorabili hujus prærogativæ, quæ plene probatur : *Tridentina*, 14 *febr.* 1761, *dub.* 3.

12. Quum decanus capituli ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis hospitale S. Jacobi ipsius oppidi, in quo nonnullæ degunt moniales regulam S. Augustini profitentes, visitaverit cum duobus a se delectis canonicis, et notario, totidemque sociis interfuerit superiorissæ electioni, disputata fuerunt dubia : An decano prædicto jus visitandi conventum, et dictum hospitale cum canonicis sibi benevisis competat; seu visitatio præfata sit circumscribenda?

13. Et an liceat eidem decano assistere electioni superiorissæ cum duobus canonicis ab eo assumendis; ita ut electio peracta valida sit? rescriptum fuit : Dilata et iterum proponatur causa, citato capitulo, eique præfigatur terminus ad deducenda sua jura in S. C. : *Leodien.*, *Visitationis*, 12 *martii* 1763, *dub.* 1 *et* 2. Deinde iterum S. C. resolutionem distulit, et mandavit rescriptum præfatum servari, scribique Episcopo juxta instructionem [232] : 18 *aug.* 1764. Postmodum responsum ad primum dubium dedit affirmativum quoad primam partem, negativum quoad secundam; et ad dub. 2, rescripsit affirmative : 28 *sept.* 1765.

14. Ad canonicum seniorem capituli collegiatæ, et ecclesiæ parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli ad confessiones approbatum jus administrandi sacramenta priori ejusdem collegiatæ infirmo, et eidem mortuo justa faciendi; minime vero ad viciniorem parochum spectat : *Pisauren.*, 25 *januar.* 1772, *dub.* 1.

15. Ac post obitum dicti prioris canonicus senior absque ulla Episcopi approbatione haud debet succedere in exercitio animarum curæ usque ad electionem novi prioris, sed locus est œconomi deputationi : *Ibid.*, *dub.* 3.

16. Canonicus Petrus Lupius senior ecclesiæ collegiatæ divi Nicolai terræ S. Ægisti habitare domum duobus constantem cubiculis a testatore Bernardino Lupio, ut senior sub pœna scut. decem incoleret, relictam tenetur, atque addidit S. C. ad mentem [233] : *Nullius, S. Ægisti,* 18 *julii* 1772, *dub.* 1.

17. Quæstio de electione decani in ecclesia metropolitana Urbini inter canonicum Franciscum Mariam Rosam ex eadem urbe, annorum 72 in capi-

[232] Scriptum est, ut legitime fiat capituli interpellatio, ut de actus validitate dubitari non possit, quod si per actum capitularem rite expletum præsenti controversiæ se immiscere nolle, litique renunciare decernet, de hoc publicum, ac legale exhibeat monumentum; ita quidem, ut declaratio, et renunciatio libera sit nullaque conditione, aut reservatione circumscripta, aut coercita; at si apponi velint, diserte, distincte, et singillatim explicentur, quæ sint conditiones, et reservationes, circa quas capitulum sua jura integra, atque illæsa præservare intendit : *Ead. causa*, 24 *aug.* 1765, § 4.

[233] Scilicet consulendum Sanctissimum pro dispensatione : *Ead. causa*, 18 *julii* 1772, *dub.* 1.

tulo cooptatum anno 1738, et inter canonicum Joan. Carolum Valbonetti ex Sarsinatensi diœcesi annorum 58 oriundum canonicum renunciatum anno 1753 orta est. Hanc S. C. dirimit in favore canonici Rosa, quum capituli constitutiones esse ex civitate oriundum, et in possessione antiquiorem præseferant; etiamsi canonicus alter antiquitatem esse intelligendam de canonico de massa, non de præbenda, quum ipse de massa anno 1753, alter anno 1755 obtinuerit, contenderet : *Urbinaten.*, *Decanatus,* 21 *nov.* 1778, confirmata 6 *martii* 1779.

§ III.

Canonicus hebdomadarius.

1. Ecclesia cathedralis Venafri triplicem speciem canonicorum habet. Primi *Præbendati*, alteri *Hebdomadarii,* ab obeundo per hebdomadas sacri munere, tertii *Expectantes,* vel *Supranumerarii* appellantur. Inter hosce orta fuit contentio, de qua S. C. decidit; canonicos hebdomadarios prædictæ ecclesiæ perfrui non debent jure canoniæ, nec partem constituunt capituli : *Vanafrana, Plurium,* 10 *decem.* 1746, *dub.* 1.

2. Nec eosdem canonicos assequi valere jure optionis præbendatos canonicatus resolvit : *Ibid., dub.* 2.

3. Neque eosdem teneri ad residentiam, ita ut standum est in decisis sub die 23 nov. 1680 statuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Et quoad servitium chori ecclesiæ præstandum cum habitu canonicali iisdem diebus, iisque functionibus, et eo modo, quo tenentur dignitates, et canonici præbendati, servari solitum mandavit : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Pariter, ut servaretur solitum, jubet, quoad rationem chori servitium præstandi : *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Etiam ad dubium : An, et in quo numero iidem hebdomadarii assistere teneantur cum pluvialibus archidiacono, et primiceriis vesperas, et laudes celebrantibus, ac respective officium diaconi et subdiaconi facere una, vel altera ex dictis tribus dignitatibus Missas celebrante ? respondit solitum servari : *Ibid.*, *dub.* 8.

7. Insuper censuit S. C. solitum servandum quoad eamdem assistentiam canonicis præbendatis, et respective expectantibus præstandam : *Ibid.*, *dub.* 9.

8. Canonicos vero hebdomadarios in functionibus in quibus celebrant canonici præbendati supplere non teneri vices canonicorum expectantium, qui sunt absentes, et eorum loco assistere putavit : *Ibid.*, *dub.* 10.

9. Dictosque canonicos etiam non invitatos interesse supplicationibus tantum solemnibus ordinariis et extraordinariis ab Episcopo ex causa publica indicendis, non aliis ejusdem ecclesiæ cathedralis teneri arbitrata est : *Ibid.*, *dub.* 11 *et* 12.

10. Minime vero prædictos canonicos de emolumentis dictarum supplicationum participare posse sancitur : *Ibid.*, *dub.* 13.

11. Et dubio : An iidem canonici hebdomadarii in peragendis funeribus teneantur non solum defunctorum cadavera comitari ad ecclesiam; verum etiam una cum dignitatibus, et canonicis præbendatis, ac supranumerariis ipsorum exequiis assistere ? servari solitum rescriptum tradidit : *Ibid.*, *dub.* 14.

12. Et quoad emolumentorum, quæ ipsis debentur, partitionem, pariter servari solitum voluit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 15.

13. Eosdemque canonicos non omnes Missas conventuales canere, quando ex præscripto rubricarum non una sed duæ, vel tres erunt canendæ, sed ad unam tantum teneri constituitur : *Ibid.*, *dub.* 16.

14. Ac ad omnia prædicta chori onera non teneri per se ipsos, sed eadem suppleri posse per substitutum, dummodo de gremio hebdomadariorum sint substituendi, deliberatur : *Ibid.*, *dub.* 17.

15. Præfatosque hebdomadarios canonicos insimul retinere non posse quodcumque beneficium, vel officium tam in urbe, quam in diœcesi, quod quomodolibet impediat, vel incompatibile sit cum dicti chori servitio, præcipitur : *Ibid.*, *dub.* 18.

16. Pro implemento autem omnium prædictorum eosdem canonicos hebdomadarios sibi ipsis constituere massam distributionum, et respective punctaturarum minime teneri; nec distributiones ipsorum esse ex massa capitulari coustituendas mandatur : *Ibid.*, *dub.* 19.

17. Et requisita S. C. quomodo sit providendum pro distributionibus ? esse in præcedenti provisum, et Episcopum jure suo uti responsum dedit : *Ibid.*, *dub.* 20.

18. Deinde alia fuerunt dubia proposita, nempe; an hebdomarii teneantur in suis respective hebdomadis non solum Missam conventualem canere, sed etiam in officio hebdomadariorum assistere omnibus canonicis usque ad completorium inclusive, noctuque respective Nativitatis Domini, necnon diebus hebdomadæ majoris lectiones canere, aliaque in servitium chori peragere, quæ a magistro cæremoniarum præscribuntur? et quatenus affirmative :

19. An omnia præmissa expleri etiam debeant alternatim a dignitatibus, et canonicis præbendatis, et expectantibus ?

20. Et an standum sit, vel recedendum a deci-

sis quoad dubium 8, 9, 14, 15, 17 et 18. S. C. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo pro plena informatione super solito: 17 *junii* 1747.

21. Ad canonicum hebdomadarium ecclesiæ collegiatæ S. Leonardi oppidi Campi Bassi, qui de mane Missam celebravit, pluviali indutum privative jus canendi vesperas, aliasque peragendi functiones ad formam statuti anni 1715, exceptis functionibus archipresbytero reservatis, jus pertinet: *Bojanen., Præeminentiarum*, 19 *april.* 1760, *dub.* 4.

22. Quilibet ex canonicis hebdomadariis tenentur celebrare Missam conventualem absque ulla eleemosyna comprehenso per vices archidiacono; non autem ea præstanda sit ex massa communi: *Fanen.*, 29 *april.* 1780. Deinde recedendum a decisis censuit S. C., deditque negativum ad primam partem, affirmativum ad secundam responsum: 20 *julii ejusd. anni*, confirmata 20 *januar.* 1781, *dub.* 2.

§ IV.

Canonicus honorarius et supranumerarius.

1. Episcopum auctoritate ordinaria non posse in sua ecclesia creare canonicos supranumerarios absque consensu capituli, et canonicorum S. C. declaravit: *Fulginaten.*, 26 *febr.* 1659, *dub.* 1.

2. Canonicis supranumerariis, qui possessionem assignato eis subsellio in choro adierunt, sed nunquam ecclesiæ inservierunt, et quibus Episcopus antecessor contulit canonicatus præbenda carentes, in ecclesiis collegiatis diœcesis, modernus Episcopus non tenetur præbendas canonicales vacaturas illis conferre, sed libere aliis dare potest: *Eystetten., Canonicatuum*, 2 *dec.* 1731.

3. Canonicum supranumerarium ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ, qui ex lege fundationis quotidie per se, vel per alium celebrare pro fundatrice tenetur, describi posse in tabella ad celebrandas alias Missas in eadem ecclesia fundatas S. C. putavit: *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 17.

4. Cauonici supranumerarii, sive *de Adjuncta* cathedralis ecclesiæ cum jure sedendi, honoris cappæ magnæ et aliorum, necnon pacto Missam conventualem absque stipendio celebrandi admissi, non tenentur subire onus hebdomadæ in eadem ecclesia, et Missæ conventualis celebrationis, et applicationis pro benefactoribus in genere: *Abellinen., Eleemos. Missæ convent.*, 27 *aug.* 1746. Deinde S. C. recessit a decisis, et respondere placuit affirmative, soluta tamen a canonicis antiquioribus eleemosyna Missæ coventualis pro rata parte servitii debiti ab eisdem canonicis antiquioribus: 14 *januar.* 1747. Demum in primo loco standum esse existimavit: 18 *martii ejusd. anni*, confirmata 17 *junii dicti anni.*

5. Canonici honorarii titulum petens in collegiata ecclesia S. Mariæ Sulmonis, vulgo *Sermoneta*, in qua nullum exemplum extat, clericus Joseph Quadrassi cum facultate interveniendi choro, supplicationibus, aliisque functionibus in habitu canonicali, novissimum locum post coadjutores occupans, nullisque distributionibus fruens, a S. C. auditus non fuit; licet ei faveret Episcopus, ac capitulum assentiretur: *Terracinen. seu Setina,* 16 *februar.* 1788.

§ V.

Canonicus jubilatus.

1. Canonici jubilati adesse non tenentur, prout alii, quoties Episcopus pontificialiter celebrat: *Aquilana, Servitii*, 27 *sept.* 1659, *dub.* 1.

2. Canonicis jubilatis debentur non solum reditus suarum præbendarum, et distributiones quotidianæ ordinariæ; sed etiam illæ, quæ ex anniversariis percipiuntur: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Et ad dubium: An ipsi jubilati cogi possint ad inserviendum aliquando, et saltem in festis primariis, dum sæpius ad lucrandum manualia ambulant extra civitatem per unum miliare, et cum intra civitatem degunt, negotiis tantum secularibus incumbunt? respondit S. C. cogi posse, quoties divinus cultus, et chori servitium detrimentum patiatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Canonico ex gratia julilato petenti declarari; an ipse teneatur solvere eleemosynam canonico, qui cantat Missam in hebdomadis alternatim eidem canonico jubilato spectantibus? respondit dandas esse declarationes alias editas præsertim *Prænestina* 11 *martii* 1662; in qua fuit responsum teneri per alium celebrare Missas lectas ratione sui canonicatus celebrandas, non vero Missas conventuales: *Dubium, Jubilationis,* 7 *julii* 1668.

5. Quum suffragaretur jubilatio intuitu tantum quadragenarii servitii obtenta, hinc jubilati sunt exempti a servitio hebdomadæ, quæ per vices eis obtingit: *Novarien.*, *Jubilationis*, 2 *octob.* 1677, *dub.* 2.

6. Ac iidem ad hebdomadæ munus satisfaciendum substituendo alios canonicos residentes non tenentur: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Et emolumenta anniversariorum, quæ infra annum fiunt, habere debent, quamvis non assistant: *Ibid.*, *dub.* 4. Deinde reproducto dubio stetit in decisis S. C. quoad anniversaria fixa, de quibus non est cautum a testatoribus, ut intervenientes tantum participent: 29 *novem.* 1681.

8. Non vero iidem participant de iis anniversariis, aliisque emolumentis, quorum testatores solis præsentibus dari, et absentium portiones applicari sacrario, vel in alios effectus erogari voluerunt: *Ibid., dub.* 5.

9. Demum intelligitur derogatum statuto de danda fidejussione residendi per sex menses : *Ibid., dub.* 6.

10. Capitulum sacrosanctæ basilicæ Lateranensis renuit canonico jubilato Francisco Columnæ nonnulla communia conferri, quæ prætendit idem canonicus ob amplitudinem verborum brevis suæ jubilationis; et S. C. decidit oratori, quamvis non interveniat, deberi dicta communia : *Romana, Distributionum,* 5 *martii* 1678, *dub.* 1.

11. Ac emolumenta supplicationum, de quibus agitur : *Ibid., dub.* 2.

12. Et ceras anniversariorum præter ea, quæ sunt nominatim expressa: *Ibid., dub.* 3.

13. Non autem portionem punctaturarum seu fallentiarum non intervenientium deberi resolvitur: *Ibid., dub.* 4.

14. Vigore jubilationis deberi canonico licet non inservienti partem ratam emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis decidit S. C. : *Lunen. Sarzanen., Jubilationis,* 30 *sept.* 1684, *dub.* 1.

15. Non autem ei deberi ratam partem emolumentorum provenientium ex funeribus, et anniversariis incertis, et extraordinariis resolvitur : *Ibid., dub.* 2.

16. Et in casu etiam, quo a testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari debere eos, qui non fuerunt præsentes, statuitur : *Ibid., dub.* 3.

17. Dictusque canonicus jubilatus non tenetur interesse capitulis, et congregationibus, quæ habentur pro gerendis negotiis ecclesiæ, et capituli : *Ibid., dub* 4.

18. Licet canonicus Carolus Baglionus indultum jubilationis obtinuerit, attamen capitulum ecclesiæ cathedralis renuit ei communia, quæ intervenientibus distribuuntur, tradere ; ideo supplicat pro definitione ; an ipse quamquam divinis, ceterisque functionibus non intersit, communia lucrari valeat? censuit S. C. dandum esse decretum editum die 5 martii 1678 [234]: *Perusina,* 17 *julii* 1688.

19. Spectato servitio annorum 40 et ultra ecclesiæ cathedrali in munere canonici a Bartholomæo Fabro præstito, ei concessa est jubilatio; deinde autem dubitatum fuit, an dicto canonico jubilato non residenti debeantur distributiones? eidem distributiones deberi, necnon ad residentiam localem teneri statutum est: *Sancti Angeli in Vado,* 15 *april.* 1690.

20. Prolato dubio; an canonico jubilato debeantur fallentiæ canonicorum absentium, si choro non intersit? responsum est, affirmative, dummodo non obstent constitutiones particulares, et consuetudo ecclesiæ : *Reatina, Distributionum,* 19 *april.* 1692.

21. Canonicus jubilatus Joannes Morellus ecclesiæ cathedralis non tenetur, vel per se, vel per alium ad celebrationem Missæ conventualis per vices : *Aquipendii , Jubilationis,* 23 *martii* 1697, *dub* 1.

22. Idem autem canonicus tenetur facere depositum tertiæ partis fructuum præbendæ pro distributionibus quotidianis, sicuti faciunt alii canonici: *Ibid., dub.* 2.

23. Ac idem canonicus participare potest de distributionibus, quas ponunt in massa ceteri canonici, sive ipse sit præsens, sive absens a choro, etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, seu consuetudo: *Ibid., dub.* 3.

24. Canonico jubilato, et non intervenienti Simeoni de Magnanimis ecclesiæ S. Mariæ in Cosmedin debentur emolumenta supplicationum, quæ fieri solent in diebus Rogationum, divi Marci, et SS. Corporis Christi; licet non sint expressa in indulto jubilationis : *Romana, Jubilationis,* 24 *martii* 1703.

25. Consuetum jubilationis indultum obtentum a Joanne Jacobo Razzino canonico cathedralis ecclesiæ ei suffragatur pro partitione omnium fructuum, et distributionum etiam extraordinariarum, et illarum, quæ in suo decreto Episcopus Pallavicini pro qualibet hora canonica adstantibus in choro tantum assignavit : *Burgi, S. Domnini jubilationis,* 19 *april.* 1704, *dub.* 1.

26. Ac dictæ distributiones illi non traditæ veniunt per canonicos a die indicti judicii restituendæ: *Ibid., dub.* 2.

27. Occasione jubilationis obtentæ a S. C. in favorem Antonii Mariæ de Lazara canonici ecclesiæ cathedralis instante capitulo decretum fuit præter distributiones quotidianas taxatas in dicta ecclesia cathedrali in summa scutorum trium millium admittendum esse canonicum jubilatum ad partitionem anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter præsentes tantum: *Patavina, Jubilationis,* 9 *junii* 1714, *dub.* 1.

28. Et canonicum jubilatum absentem a civitate intra, et ultra tres menses vacationis concessos a Sac. Concilio Trid. sess. 24, *de Reform.* cap. 12 [235] percipere debere distributiones quotidianas, et anniversaria prædicta decretum edidit: *Ibid., dub.* 2.

29. Denique canonicum jubilatum easdem distributiones, et anniversaria percipere debere licet

[234] Vide num. 10, § præsenti.

[235] Vide not. 102.

absentem ab urbe tempore Adventus, Quadragesimæ, aliisque festivitatibus in litteris Gregorii XIII, Pont. Max., contentis, S. C. placitum est: *Ibid.*, *dub.* 3.

30. Non obstante indulto jubilationis, jubilatus cogi ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur, potest: *Dubia*, *Jubilationum*, 17 *decem.* 1718, *dub.* 4.

31. Et non obstante prædicto jubilationis indulto jubilatus ad residendum, quando adstrictus non est ad interveniendum, tenetur juxta decreta [336]: *Ibid.*, *dub.* 5.

32. Canonicus Seraphinus ecclesiæ collegiatæ terræ Canini, cui fuit concessum indultum jubilationis cum solita clausula, debet participare de punctaturis, et fallentiis, si choro non intersit: *Aquipendien.*, *Indulti*, 1 *april.* 1719, *dub.* 1.

33. Ac etiam idem debet participare de emolumentis adventitiis anniversariorum, dummodo non obstet voluntas testatoris, vel dantis, non autem cadaverum comitatuum, si functionibus non intersit: *Ibid.*, *dub.* 2.

34. Indultum jubilationis Fabio Ballato olim canonico ecclesiæ metropolitanæ obtentum eidem suffragatur post obtentam in eadem ecclesia dignitatem decanatus, dummodo in solemnioribus inserviat: *Senen.*, 16 *martii* 1726.

35. Alexandrum Bandinellium canonicum jubilatum ecclesiæ metropolitanæ, quem contendit capitulum solutum haud esse ab onere celebrationis, et applicationis Missæ conventualis non teneri celebrare per seipsum, nec per alium Missam conventualem vicissim, ac applicare pro benefactoribus declaravit S. C.: *Senen.*, *Celebrationis et applicationis Missæ conventualis*, 12 *maii* 1759, *dub.* 1, confirmata 3 *julii ejusd. anni.*

36. Neque idem canonicus jubilatus, tenetur contribuere eleemosynæ Missarum conventualium: *Ibid.*, *dub.* 2.

37. Deinde capitulum in consultationem ponit dubia hæc: An onera capitularia infixa massæ communi distributionum deducenda sint, antequam fiat eorum divisio inter participes, etiam quoad canonicos jubilatos?

38. An onus eleemosynæ Missæ conventualis sit infixum massæ communi distributionum?

39. An idem onus eleemosynæ sit deducendum ab eadem massa communi distributionum, antequam fiat earum partitio, etiam quoad canonicos jubilatos? respondit ad 1 et 2, providebitur in tertio; ad 3 dubium negative: *Senen.*, *Jubilationis*, 9 *febr.* 1760, *dub.* 1, 2 *et* 3.

40. Ludovicus Perinius Carmarda canonicus jubilatus ecclesiæ cathedralis non debet participare de punctaturis, seu fallentiis vigore indulti jubilationis; quum contraria haberet consuetudo ecclesiæ; nec de emolumentis anniversariorum, ac supplicationum, si non intersit: *Realina*, *Jubilationis*, 12 *maii* 1770.

41. Canonici jubilati ecclesiæ cathedralis Felix nempe Marinani, Hermenegildus Squarti, Eutitius Valentini, et Joan. Baptista Fabiani debent participare ad formam consuetudinis de emolumentis Missæ conventualis, et anniversariorum, ad quorum celebrationem alternatim admissi hactenus fuerunt: *Hortana*, 5 *junii* 1790.

§ VI.

Canonicus et pœnitentiarius.

1. Consultum S. C. fuit, pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis teneri integras confessiones audire, non autem solos casus reservatos: *Abulen.*, 21 *april.* 1587, *dub.* 1.

2. Insuper pœnitentiarium sui facere postulatum confiteri volentibus horis opportunis arbitratu Episcopi: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Et ad dubium, an debeat teneri in manu virgam, seu rudem tempore, quo sedit in sua sede? novas consuetudines non esse inducendas rescripsit: *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Demum spectare censuit ad Episcopum deputare locum, et sedem, in qua audiendæ sunt confessiones a pœnitentiario: *Ibid.*, *dub* 4.

5. Canonicum pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis tempore, quo actu in ejus munere inservit, ex eleemosynis pro anniversariis defunctorum participare posse, dummodo non dentur pro celebratione Missarum, deciditur: *Viterbien.*, 15 *martii* 1631, *dub.* 2.

6. Censuit S. C. oratori Sigismundo Piccuino primicerio ita in locum pœnitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate, et legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis intersit in choro: *Lucana*, 10 *martii* 1635.

7. Benigne annuit S. C., ut orator pro tempore, quo confessiones in ecclesia cathedrali audit, si et quatenus consensus capituli accedat, distributiones quotidianas percipere possit: *Suessana*, 13 *sept.* 1636.

8. S. C. respondit, pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis non posse absolvere a casibus Episcopo reservatis, nisi Episcopus ipse hanc ei tribuerit facultatem: *Fossanen.*, 5 *decem.* 1637.

[336] Nempe *in S. Angeli in Vade*, 16 *april.* 1690. Vide num. 19.

9. S. C. censuit pœnitentiarium, quando non est impeditus in munere confessionis, interesse debere divinis officiis, et Ordinarium removere omnino debere abusus introductos circa recitationem hujusmodi divinorum officiorum : *Fanen.*, 25 *januar.* 1612.

10. Credidit S. C. canonico pœnitentiario oratori dandum esse indultum optandi præbendam pinguiorem, quæ in futurum semper conferatur canonico pœnitentiario, si Sanctissimus Dominus noster annuat: *Pisauren.*, 23 *maii* 1648.

11. Dubio : An canonicus pœnitentiarius comprehendatur in edicto, quo sub certa pœna, etiam pecuniaria jubentur omnes parochi, et confessarii seculares interesse congregationi casuum conscientiæ, quæ habetur coram theologo, seu alio deputato, ita ut cogi possit; an vero solum debeat hortari? censuit dandam esse declarationem alias editam die 16 decem. 1645 [237] : *Dubia, Pœnitentiarii*, 3 *oct.* 1671, *dub.* 1.

12. Canonicumque pœnitentiarium haud teneri assumere administrationem, seu œconomiam bonorum, et rerum capitularium, ut ceteri canonici, S. C. resolvit : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Eumdemque non teneri assumere officium punctatoris in choro jussit : *Ibid.*, *dub.* 3.

14. Ad dubium : An pro negotiis, seu controversiis capituli ablegari possit pœnitentiarius cathedralis? responsum est *negative* : *Anagnina, Residentiæ*, 12 *decem.* 1676.

15. Quum anno 1651 resolutum fuerit die 2 sept., quod obtinentes præbendam pœnitentiariæ non erant in ecclesia Sebenicensi admittendi ad jus optandi etiam de consensu capituli; inde Episcopus sacra Limina visitans retulit tenuitatem præbendæ pœnitentiariæ, et ei fuit sic responsum a S. C. Ceterum, ut necessitati, qua præbenda pœnitentialis laborat, provide consulatur, S. C. auctoritate sibi per Sanctissimum specialiter attributa, benigne indulsit, ut pœnitentiarius cathedralis prædictæ præbendas optare possit, sicuti ceteri canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus præbendis ascendat, quæ perpetuo affectæ pœnitentiario pro tempore esse intelligatur, ac sit : *Sebenicen.*, *Juris optandi*, 8 *maii* 1688, *dub.* 1,

16. Capitulum non tenetur abstinere se ab eligendo canonico pœnitentiario in officio capituli secretarii, archivistæ, et aliorum similium : *Vicen.*, *Visitationis sacrorum Liminum*, 15 *april.* 1690.

17. Canonicus Emmanuel Martinez Montoja ecclesiæ cathedralis, qui in concursu habito obtinuit canonicatum pœnitentiarium, fuit dispensatus pro retentione quoque archidiaconatus ejusdem ecclesiæ jam ipso possessi ; qua de causa in ejus favorem relaxata, ac supplicatio signata fuit. Nam dignitates residentiam non habent, et nequeunt nisi canonico ejusdem ecclesiæ conferri : *Oscen.*, *Canonicatus pœnitentiarii*, 15 *januar.* 1724.

18. Quum Urbanus VIII, Pont. Max., concessisset dignitatibus, et canonicis cathedralis ecclesiæ facultatem optandi, fuit dubium exhibitum : An canonicus pœnitentiarius sua præbenda, quam tenuem esse asseritur, libere dimissa, aliam optare possit, quæ effecta officio pœnitentiariæ perpetuo remaneat, et respective sit convalidanda optio præbendæ nuncupatæ *Char Bacha* a Joann. Andrea Marsilia canonico pœnitentiario? respondit S. C. quoad primam partem pro gratia, et quoad secundam iterum proponatur : *Melevitana*, 23 *febr.* 1726 confirmatur prima pars : 11 *januar.* 1725, *dub.* 1, et quoad secundam partem rescribitur negative, et quoad canonicum Petrum Paulum Grech utatur jure suo ; *Ibid.*, *dub.* 2. Denique quæstione reproducta, ei optionem præfatam competere S. C. existimavit : 10 *julii* 1728.

19. Canonicus pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis non tenetur assumere onera, et officia capitularia, præsertim procurationem generalem redituum, et bonorum ecclesiæ : *Conversana*, *Officiorum capituli*, 19 *novem.* 1729.

20. Erecta præbenda pœnitentiarii in ecclesia cathedrali prævio concursu obtinuit Lucas Antonius de Berardis, conditione adjecta, ut infra annum gradum magisterii ascendere omnino teneatur. Hac conditione non adimpleta, prius monitus fuit, deinde citatus, ipse excepit non cogi, quia nondum fuerat erectio peracta juxta formam Constitutionis *Pastoralis* [238], cum reditus pene ascendant ad scut. 44, et non obstante hac exceptione fuit privatus. S. C. autem non esse locum redintegrationi ad dictam præbendam, sed esse Sanctissimum supplicandum pro gratia statuit : *Ortonen.* *Canonicatus pœnitentiarii*, 28 *januar*. 1730, *dub.* 1.

21. Et ab dubium : An, et quomodo sit locus supplemento ejusdem præbendæ usque ad integram summam annuorum scutorum 60 monetæ romanæ, rescripsit : Dilata : *Ibid.*, *dub.* 2.

22. Canonico pœnitentiario ecclesiæ cathedralis juxta consensum præstitum a capitulo conceditur

[237] In causa *Comen.*, ubi S. C. censuit Episcopum Comensem cogere posse ad interveniendum Congregationi casuum conscientiæ archipresbyterum ecclesiæ cathedralis, qui curam animarum exercet, nec non canonicum pœnitentiarium ejus ecclesiæ, non autem canonicum theologum : Lib. 17, *Decret.* fol. 533.

[238] Benedicti XIII, qui in fine Constitutionis mandat idem servandum in erectione canonicatus pœnitentiarii, quod in erectioni canonicatus theologalis jussit : Vide not. 88.

indultum ad hoc, ut, sua præbenda, quæ tenuis reditus est, dimissa libere, possit aliam præbendam sacerdotalem optare, quæ effecta perpetuo officio pœnitentiarii remaneat; etiamsi quoddam detrimentum inferre canonicis præbendas diaconales, ac subdiaconales possidentibus, qui jure optionis pollent, videatur : *Regien.*, *Optionis*, 7 *junii* 1755, confirmat., 12 *julii ejusd. anni*.

23. Canonicus ecclesiæ cathedralis eligi potest in officium camerarii a capitulo non obstante contrario decreto ab Episcopo in visitatione emanato : *Pisauren.*, *Camerariatus*, 21 *novem.* 1761.

24. Canonicus pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis cogi potest ab Episcopo ad acceptandam delegationem absolvendi pœnitentes a casibus reservatis : *Pisauren.*, *Casuum reservatorum*, 21 *nov.* 1761, *dub.* 1.

25. Nec sumptibus Episcopi deputandum alium sacerdotem dicta facultate præditum, ut autumat idem canonicus pœnitentiarius, censuit S. C. addens ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

26. Et canonicus pœnitentiarius compelli etiam valet ab Episcopo uti facultate absolvendi a reservatis casibus etiam sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ in casu dolosi non usus ejusdem facultatis : *Ibid.*, *dub.* 3.

27. Et dubio : An idem canonicus petere valeat moderationem tabellæ casuum reservatorum? differtur resolutio : *Ibid. dub.* 4.

28. Canonico, et pœnitentiario Volaterranæ cathedralis conceditur jus optandi præbendas juxta declarationem in *Sellenicen.*, *Juris optandi* 8 *maii* 1688 [239] : *Volaterrana*, *Juris optandi*, 20 *julii* 1793.

§ VII.

Canonicus regularis.

1. Franciscus Anques electus in canonicum novitium fuit a priore, canonicis, et capitulo ecclesiæ Pampilonæ ordinis S. Augustini, et fere sex menses anni tirocinii intra septa prædictæ ecclesiæ tantum resedit; residuo vero illius anni tempore de licentia, et mandato prædictorum, at sub eorum obedientia mansit in quadam curia, negotia dicti capituli agendo. In fine anni professionem per procuratorem ad id deputatum emisit. Ignoratur professionis validitas, et valere S. C. definiit : *Pampilonen.*, *anni* 1575.

2. Proposito ad instantiam abbatis illorum, qui vulgo *scopettini* nuncupantur, hoc dubio : An canonicus regularis ex eorum congregatione possit absque indulto admitti ad ecclesiæ parochialem de eorum jure patronatus, et an obstet decretum emanatum 18 martii 1671 S. C. Episcoporum [240], quod de canonicis regularibus Lateranensibus loquitur? S. C. respondit : Canonicos regulares nuncupatos *scopettinos* non posse admitti ad exercendam curam animarum in dicta parochiali absque dispensatione apostolica, et quoad ipsos etiam servandum esse decretum præfatum : *Florentina*, 18 *julii* 1676.

3. Dubio oblato, an P. Archangelus Georgius canonicus regularis S. Salvatoris præsentatus ad archipresbyteratum secularem cum cura animarum valeat institui absque indulto Apostolico, et cum sola licentia ejus generalis? S. C. respondit esse unienda decreta hac de re edita per manus circumferenda [241], et causam proponi formaliter in S. C. auditis; et in præsenti casu secretario cum Sanctissimo pro concessione indulti cum clausula tamen, quatenus opus sit : *Placentina*, *Præsentationis*, 14 *novem.* 1693. Facta relatione Sanctitas Sua die 19 *ejusd. mensis* indulsit P. Georgio, ut ad ecclesiam parochialem præsentatus institui, illamque valeat retinere, quod confirmavit Innocent. XII, Pont. Max. [242], qui jussit super ea breve expediri, ut

[239] Vide num. 15, præsenti §.

[240] Quod decretum refert Benedictus XIV, in Const. *Quod Inscrutabili* 9 julii 1745 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 536), loquens de capacitate canonicorum regularium Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris, ad obtinenda beneficia ecclesiastica secularia, cum cura, et sine cura, atque pensiones ecclesiasticas : ubi § 2 sic ait : « Sane quum in congreg. venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad diversi generis negotia cognoscenda auctoritate Apostolica deputatorum, examinatum sæpe fuerit hujusmodi assertum jus canonicorum regularium ; sæpe responsum est, eos, absque apostolico indulto, ad sæculares parochias promoveri non posse. Ita respondit Congreg. Concilii de anno 1581 ; ejusque responsum approbatum fuit a sanctæ mem. prædeces. nostro Gregorio Papa XIII. Ita decrevit Congregatio Episcoporum, et Regularium de anno 1671 ; expensis prius rationibus fuse deductis a procuratore generali canonicorum regularium Lateranensium ; atque hoc pariter decretum a piæ mem. Clemente Papa X confirmatum, deindeque ad canonicos quoque regulares Sanctissimi Salvatoris extensum fuit. »

[241] In *Sancti Miniatis*, *Parochialis*, 28 *aug.* 1649, censuit S. C. sacerdotem Christophorum de Ciuccis canonicum regularem Lateranensem non esse capacem ecclesiæ parochialis absque Sedis Apostolicæ dispensatione (Lib. 18, *Decret.* fol. 672). *In Brixien.*, 15 *maii* 1653, quæsitum fuit; an regulares congregationis canonicorum Lateranensium, et congregationis Salvatoris, S. Georgii in Alga, et Cruciferorum sint admittendi ad concursus ecclesiarum parochialium secularium præsertim, quando habeant licentiam proprii generalis? et responsum, negative, sed dandas esse declarationes jam editas (Lib. 16, *Decret.* fol. 468).

[242] De hac quæstione diserte loquitur Bened. XIV. *Instit. Eccles. XCVII*, tom. 11, pag. 635, qui num. 5 ait : « Non ignoramus, regulares canonicos his decretis, ac sententiis minime acquiescere, ipsisque permissum fuisse,

omnibus innotesceret, et ut lex omnibus præscriberetur in posterum omnino servanda.

4. Quum Joseph Xaverius Petremand canonicus regularis monasterii, seu abbatiæ Montis Benedicti ordinis S. Augustini non obtinuisset a S. C. restitutionem in integrum ad suam infringendam professionem, quam nullam affirmabat ex vi, metuque a genitoribus illato, ab ead. S. C. postulavit, an sit locus translationi ad aliquem ordinem militarem, ubi vota emittuntur? hæc annuit pro translatione ad hospitale S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis [243] : *Bisuntina*, *Restitutionis in integrum,* 23 *junii* 1714, *dub.* 2.

5. Dubio exhibito : An Thomas de Adamis canonicus regularis ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, qui sibi resignari obtinuit ecclesiam parochialem S. Sabini in villa Parani Trebii Spoletanæ diœcesis servata forma decreti Clem. X, Pont. Max. [244], teneatur deferre habitum regularem suæ congregationis, tum in functionibus ecclesiasticis, quam extra ecclesiam, et respective habere socium regularem dictæ congregationis? S. C. respondit: Ad mentem [245] : *Firmana*, 23 *maii*, *dub.* 1.

6. Et eidem Thomæ de Adamis regressus, seu redintegratio quoad usum tantum ad bona renunciata occasione solemnis professionis in dicta congregatione emissæ, competit : *Ibid.*, *dub.* 2. Deinde idem Thomas contendit super pertinentia proprietatis, seu dominii bonorum, vel ad se, vel ad suam parochialem ecclesiam spectare, et S. C. ad Thomam non spectare decidit : 17 *julii* 1723.

7. Joannes Baptista Simonetta sacerdos nomen dedit religioni societatis Jesu, et in ea quartum votum emisit, deinde fuit translatus ad canonicos regulares Sanctissimi Salvatoris, ubi ad professionem admissus fuit. Putat Episcopus Nucerinus in Domino expedire, et populi indigentiæ convenire, ut idem assumatur ad animarum curam in parochiali ecclesia S. Bartholomæi Crocicchi; obtenta licentia ab abbate generali exhibet ipse preces ad apostolicum beneplacitum impetrandum, et S. C. petitis esse annuendum existimavit: *Ordinis*, *Canonicorum regularium SS. Salvatoris,* 17 *julii* 1723.

8. In metropolitana Bononiensi prælegit Card. Archiepiscopus ad vacantem canonicatum Joannem Baptistam Zanchinium canonicum regularem Lateranensem, dummodo suorum superiorum accederet licentia, et Sedis Apostolicæ indultum, si opus fuerit, uti accidit in obtinendas parochiales ecclesias seculares; absque examine articuli in genere petiit apud S. C. indultum assequendi dictum canonicatum, et ei fuit concessum : *Bononien.*, *Indulti*, 18 *sept.* 1723 [246].

9. Nicolaus Ferretti canonicus Lateranensis parochialem ecclesiam secularem rite obtinuit in diœcesi Theatina, qua dimissa, aliam ecclesiam parochialem S. Nicolai assequutus est in civitate Anconæ. Sed quum is veste incederet presbyteri secularis, ambigitur, an is pro religionis, et familiæ decore teneatur deferre habitum regularem congregationis Lateranensis tam in functionibus ecclesiasticis, quam extra ecclesiam, et respective habere socium regularem dictæ congregationis? et S. C. respondit: Dilata, et interim Nicolaus accedat ad habitandum

ut rationes suas contra proferrent. Sacra Concilii Congregatio die 14 novem. anni 1693 facultatem tribuit canonico regulari, ut secularem parochiam impetraret; et simul eadem sacra Congregatio indixit, ut collectis in unum decretis expenderetur, utrum canonicis regularibus liceret beneficia sæcularia cum animarum cura percipere, interposita solum abbatis generalis facultate, idque Innocentius XII approbavit, et litteras Apostolicas evulgari jussit, quæ rem eamdem confirmarent. » Item de hac controversia verba facit Card. Petra *Comment. ad Const. IX, Sixti IV*, sect. unic., num. 4, tom. 5, pag. 272 seq.

[243] « Quæ tamen gratia fuit concessa cum disparitate votorum, denegantibus aliquibus ex EE. PP. attentis rationibus, et stylo, adductis per me cit. *Const.* 8. Eugenii IV aliis annuentibus. Sed quia agebatur de oratore, qui jura deduxerat, circa probationem metus in sua professione, et aversi animi, tam ante, quam tempore probationis, et post professionem : imo professus, longinquas regiones refugit, ac militiæ nomen dedit : proinde ista, etsi non prævaluerint pro obtinenda in integrum restitutione contra professionem, satis urgere visa fuerunt pro impetranda gratia dicti transitus, ad hospitalarios supradictos, non autem militares, cum in illis major observantia vigeat, quam in militaribus; imo orator tali gratia usus non fuit, cum meliori capto consilio, in sua religione permanserit, recepta dispensatione a Congr. Concilii ab irregularitate, et censuris ob apostasiam, et militiam incursis.» Card. Petra *Comm. ad Const. III, Calixti III*, num. 13, tom. 5, pag. 45.

[244] Vide not. sup. 240.

[245] Et fuit, ut deferret habitum juxta solitum, et esset exemptus ab obligatione retinendi socium : *Ead. caus.*, 17 *julii* 1723 § 2. Quam declarationem expendens Card. Petra ait : « Et vero quoad habitus retentionem solitum erat, ut supra fuit dictum, non deferri, nec in decreto Clementino imponitur; sed solum ad formam cit. cap. *Quod Dei timorem*, si commode fieri posset, retineretur socius. Sed cum etiam hic usus desueverit, indeque etiam habitus forsan retentio non fuit adhibita; quodque tamen habet locum, eo magis si agatur de beneficio simplici, et de canonicatu in cathedrali, quia non convenit habitus regularis talia obtinentibus » *Comm. ad Const. IX, Sixti IV*, sect. unic., num. 5, tom. 5, pag. 273.

[246] « Ob graves rationes responsum fuit a Summo Pontifice privilegium eidem canonico impertiri posse...... At vero, cum eædem causæ minime intercederent, S. C. Summum Pontificem hortata est, ne alium canonicum regularem, qui in Pistoriensi ecclesia canonicatum expetebat, habilem, idoneumque Apostolica facultate redderet. » Bened. XIV, *Inst. Eccles. XCVII*, num. 4, tom. 11, pag. 634.

in domo parochiali, proponatur dubium super licito transitu ad secundam parochiam : *Anconitana*, 5 *julii* 1727.

10. Quum Joannes Baptista Sozzifanti canonicatum, quem a triennio circiter obtinet in cathedrali ecclesia, in favorem Josephi Mariæ germani fratris canonici regularis Lateranensis, necnon abbatis monasterii S. Bartholomæi in manibus Summi Pontificis resignare intenderet ; resignatarius præhabita sui superioris licentia adiit S. C. pro indulti consecutione, et negativum tulit responsum : *Pistorien.*, *Indulti*, 16 *martii* 1737, confirmat. 18 *maii ejusd. anni* [247].

11. Sacerdos Philippus Carrara canonicus regularis professus in congregatione Sanctissimi Salvatoris ex facultate sibi tum ab abbate generali, tum a procuratore generali ordinis data, supplicavit pro admissione ad archidiaconatum in ecclesia cathedrali vacantem, quem sponte clericus de Georgiis dimiserat ; S. C. eum audivit, Episcopo peculiariter pro eo intercedendo : *Fanen.*, *Indulti*, 30 *martii* 1743.

12. Joannes Baptista Lizzarius canonicus regularis Lateranensis pro assequendis beneficiis ecclesiasticis secularibus tenetur reportare indultum Apostolicum vigore Constitutionibus Benedicti XIV, Pont. Max. [248], quam procurator generalis ejusdem ordinis impetravit, qua onus novum imponebatur canonicis regularibus Lateranensibus expediendi indultum apostolicum, ut beneficia secularia consequi possent. Exposuerat enim adesse totius ordinis consensum, licet nemo unus adesset, qui id sciret : *Brixien.*, *Indulti*, 12 *maii* 1759, *dub.* 1.

13. Ideoque eidem non sufficit licentia patris abbatis generalis a S. C. Episcoporum, et Regularium confirmata *ibid.*

14. Residentiæ legem a Benedicto XIV, Pont. Max., indictam in litteris apostolicis, quibus ecclesiam Fuldensem monasterii ordinis S. Benedicti erexit in cathedralem, et episcopalem, non sine detrimento servari posse perspexit Episcopus, et Fuldæ abbas animadvertit præpositos nimis a cathedrali distare, qui cum sociis degunt in octo monasteriis dependentibus ; ideo petiit quomodonam consulendum Sanctissimum pro moderatione residentiæ ? protelata definitione demandatum est, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [249] non retardata interim exequutione bullæ Benedictinæ [250] : *Fulden.*, 12 *dec.* 1767. Et reproducta causa responsum prodiit, affirmativum juxta Episcopi votum quoad [251] numerum residentium, et tempus residentiæ : in reliquis arbitrio ejusdem Episcopi ; ita tamen, ut intra triennium decernat, quod statuendum existimabit, et referat S. C. : 28 *jan.* 1769. Narrat nunc Episcopus modum residentiæ a se septem comprehensum capitulis exaratum, et petit excogitati modi confirmationem, quam meruit obtinere : 14 *martii* 1774.

[247] Vide not. 246.

[248] Incipien. *Quod inscrutabili* 9 julii 1745 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 259), in qua Summus Pontifex controversiam super capacitate canonicorum regularium Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris ad beneficia ecclesiastica secularia cum cura, atque pensiones ecclesiasticas mature, ac docte expendit, decrevitque § 14 de consilio, et motu proprio canonicos regulares incapaces cujuslibet beneficii secularis, aut pensionis ecclesiasticæ absque apostolico indulto, quod prævio eorumdem superiorum regularium consensu est facilius concedendum uti ex § 16 evincitur.

[249] Datis itaque litteris Fuldensi Episcopo, mandatum ei fuit, ut evocatis præpositis, et capitularibus omnibus, hisque consultis de iis, quæ hac in re expedire viderentur, media proponeret, quibus Episcopali decori, rerumque gerendarum necessitati, necnon præpositorum, capitularium, et monasterii minori incommodo, ut detrimento prospectum foret. *Ead. causa*, 28 *januar.* 1766, § 2.

[250] Incipien. *In Apostolicæ* 4 octob. 1752 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 13) quæ § 5 decernit. « Ad hoc autem, ut ipsi ecclesiæ per nos in episcopalem , ut præfertur, erectæ splendidiori decore inserviatur, ipsarum tenore præsentium mandamus, quod ultra monachos continuo in primodicto monasterio juxta ejusdem primodicti monasterii regulas, et præcepta, prius, recipiendos, inibique habitantes, et residentes, qui, ut prius, quotidie ejusdem ecclesiæ chori servitio, aliisque arbitrio Episcopi, et abbatis Fuldensis pro tempore existentis præfati functionibus sacris peragendis obligati existant; decanus pro tempore existens præfatus, una cum uno ex dictis quinque aut sex capitularibus, non tamen præpositis monachis, ut antea, continuo apud eamdem præposituram S. Andreæ residere, octo vero præpositi pro tempore existentes præfati, ultra residentiam in præfata ecclesia in quatuor, et forsan ultra, anni diebus per eos, ut prius, fieri solitam ; quinque ex eisdem octo præpositis præfatis alternatim per integrum mensem quolibet anno ; reliqui autem quatuor, vel quinque monachi capitulares pro tempore existentes hujusmodi, etiam alternatim per integros sex menses (nisi aliter tam quoad octo præpositos, quam alios capitulares non præpositos monachos præfatos, super residentia hujusmodi, ab Apostolica Sede dispositum fuerit) eorum respectivæ residentiam apud eamdem Ecclesiam adimplere respective teneantur. »

[251] Ait enim Episcopus, ut fuit meus capitularium, non aliud magis opportunum excogitari posse residentiæ arbitrio Episcopi, et abbatis pro tempore existentis relinquatur ; addendo æqualem residentiam statui non posse ad unum mensem, tam quoad præpositos, quam quoad alios capitulares non præpositos ; modum vero residentiæ, nempe, de diebus festis, de horis canonicis, de functionibus de tempore, ac modo interveniendi Episcopi, et abbatis arbitrio constituendum, ea tamen lege, ut quo magis onus residentiæ capitularibus imminueretur, eo magis onus residentiæ capitulares adigeretur ad residendum in suis præposituris : *Ead. causa*, 21 *jan.* 1729, § 4.

§ VIII.

Canonicus sacellanus et camerarius.

1. Edictum ab Episcopo emanavit, quo præcipitur præter redditionem rationis coram eo visitatore faciendam, a canonicis camerariis capituli ecclesiæ cathedralis, ut eorum munera tempore visitationis prorogentur ; et id sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ injunxit ; propterea S. C. consulta edictum validum præterquam quoad prorogationem officiorum, et pœnam suspensionis declaravit : *Civitatis Castellanæ, Edicti*, 31 *julii* 1706.

2. Electio camerarii facta in capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Hieronymi Illyricorum de urbe habito die 29 maii propter interventum canonici de Pace valida est; etiamsi idem canonicus privatus esset de canonicali præbenda, et appellationem interposuerit, qua de causa ingerere non poterat in actibus capitularibus citra vitium attentatorum. Sed de licentia vices gerentis urbis ille interfuit : *Romana, Canonicatus*, 3 *dec.* 1718, *dub.* 2.

3. Quum exploratum non esset, an, et cui canonicus æedituus ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Pedonis, cujus cura animarum actualis residet penes præpositum, debeat reddere rationem administrationis sacræ suppellectilis, et emolumentorum sacrarii? et S. C. ut servaretur decretum visitationis anni 1691 rescripsit : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 14.

4. Canonicus æditicus ecclesiæ cathedralis, cujus præbendæ unitus existit prioratus S. Hippolyti, tenetur consulere propriis sumptibus administrationi sacramentorum incolis dicti prioratus, ibi retinendo vicarium, qui functiones omnes adimpleat, absque eo quod quilibet alius ad idem onus sustinendum teneatur : *Carpenctoraten.*, 26 *jan.* 1743, *dub.* 3. Inde reproposita causa S. C. recessit a decisis, decrevitque servandum esse decretum Episcopi anni 1633, quo onus administrandi sacramenta prædictis incolis injungebatur vicariis loci Carumbi, soluta per canonicum æditicum parocho Carumbi pecuniarum summa expendi solita in prandium seu refectiones, et taxanda per Card. præfectum : 24 *august. ejusd. anni*, confirmata 18 *junii* 1746.

5. Non tamen prandium, seu refectionem parocho, clero, magistratui, consulibus loci Carumbi, et habitatoribus territorii S. Hippolyti in die festivitatis Sancti prædicti in supplicatione accedentibus ad ejusdem Sancti ecclesiam, nec etiam aliud prandium die dominica sequenti præstare tenetur : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

6. Quum plura placuisset capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Martini civitatis Embricæ decernere quoad possessorem canonicatus *sacellanatus* nuncupati, quem Henricus Ignatius Hooster adeptus est; canonicus ad S. C. confugit, et hæc proposuit dubia; an statuta, seu ordinationes de anno 1638 facta per decanum, et canonicos Embricenses circa canonicum Sacellanum sustineantur ?

7. An canonicus sacellanus gaudere debeat jure turni, ac voce activa, et passiva, aliisque prærogativis, prout ceteri canonici ?

8. An onus celebrandi Missam parochialem singulis diebus dominicis, et festivis spectet ad canonicum sacellanum, seu ad capitulum ?

9. An canonico sacellano occupato in exercitio curæ animarum, et a choro absenti debeantur distributiones quotidianæ? ad omnia S. C. respondit : Dilata, et ad mentem [252] non retardata interim per sacellanum applicatione Missæ pro populo diebus festis : *Embricen.*, *Jurium canonicalium*, 29 *nov.* 1745, *dub.* 1, 2, 3 *et* 4. Deinde ad primum dubium affirmativum dedit responsum ; ad secundum negativum; ad tertium affirmativum ad primam partem, negativum ad secundam ; ad quartum affirmativum, etsi statuta præfata illum arcerent : 23 *sept.* 1747. Causa denuo prolata rescriptum emanavit : Dilata, et scribatur nuntio juxta instructionem [253] : 28 *aug.* 1756. Denique probationes adduxit, et monumenta canonicus præfatus, quod sacellanatus fuit unitus canonicatui septimo in ordine, ac verum capituli canonicatum acquisivisse nuncupatum, *sacellanatum*, non sacellanatus nomen, et honorem canonici; hinc S. C. recessit a decisis ad 1, et negativum responsum dedit, ad 2 pariter recessit a decisis, et affirmativum præbuit responsum ; ac *dub.* 3 et 4, confirmavit : 9 *febr.* 1765.

10. Canonico camerario, seu depositario pro tempore absque deliberatione, seu resolutione capituli prohibetur expensas quascumque præter summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu causæ extraordinariæ, aut quomodolibet necessariæ : *Firmand*, 8 *junii* 1782, *dub.* 6, confirmat. 6 *sept.* 1783, *dub.* 2.

11. Canonicus Sola collegiatæ ecclesiæ divæ

[252] Mens fuit, ut in nova causæ propositione quæstio diligenter ageretur, an canonicatus, de quo agitur, quem una cum sacellanatu habet Henricus Ignatius Hooster, capitularis sit, vel nudi honoris, et nominis, utque rogaretur Card. Melciniæ Archiepiscopus, ut hac de re S. C. certiorem redderet : *Ead. causa*, 23 *sept.* 1743.

[253] Ad parcendum expensis in hujusmodi diuturna lite commissum fuit nuntio Bruxellensi cum omnibus facultatibus, ut diligenter investigata facti veritate, rem, et partes, ita componere curaret, ut a lite recederent omnino : *Regist. lit.* lib. 31, *die* 28 *aug.* 1756.

Mariæ Magdalenæ oppidi Ereti in Sabinis, quod vulgo dicitur *Monte Rotondo* in sacris non constitutus, et super residentia causa studiorum dispensatus eligi non potuit in camerarium : *Sabinen.*, 31 *maii* 1783, *dub.* 1.

12. Ideoque exercere idem canonicus officium camerarii per substitutum nequit : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Duplex in cathedrali ecclesia adest patrimonium, unum capituli, alterum fabricæ. Canonicis promiscue utroque utentibus resolutum fuit, ut rationem Episcopo redderent. Modo deciditur, confirmandum, exequendumque esse decretum Episcopi Bernerii, qui anno 1595 in sacra visitatione mandavit, ne camerarii pro tempore impensam excederent scutor. 10 ex reditibus fabricæ, nisi res prius in capitulo oblata, et consensus vicarii generalis sit : *Asculana,* 12 *julii* 1788, *dub.* 3, confirmat. 7 *febr.* 1789.

§ IX.

Canonicus theologalis.

1. Quæritur explanari, quam immunitatem a servitio chori habere potest theologus ecclesiæ Paduanæ tempore, quo sacram Scripturam juxta præscriptum Sacr. Concil. Trid. in ecclesia publice interpretatur ? censuit nullam habere ad eum finem, ut absens a servitio chori percipiat quotidianas distributiones : *Patavina,anni circiter* 1574, *dub.* 5.

2. A capitulo ecclesiæ collegiatæ Hispalensis quæsitum est, num obtinens præbendam theologalem, sicuti sine fructu prius sacram Scripturam legebat, ita prosequi posset lectiones theologiæ scholasticæ, quas explicandas susceperat? respondit S. C. satisfieri decreto Concilii, sess. 5, cap. 1 [254], si vel sacra Scriptura, vel Theologia Scholastica legatur: *Hispalen.*, 5 *april* 1576.

3. Qui præbendam theologalem habet, excusandus est a choro tantum ea die, qua legit, non etiam uno, aut aliquibus diebus ante : *Avenionen.*, 25 *oct.* 586, *dub.* 15.

4. Et ad dubium: Et quid si tantum tribus diebus in hebdomada legit, anne ceteris etiam excusabitur? diebus quibus non legit non excusari, nisi quatenus excusarentur alii canonici, ut puta tempore vacationis permisso : *Ibid.*, *dub.* 16.

5. Et quid de anniversariis censendum sit maxime stante consuetudine, qua vel ægroti, vel negotia capituli curantes habeantur pro præsentibus? rescripsit non gaudere distributionibus, quæ dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant in diebus lectionum, in quibus lector habetur pro præsenti : *Ibid.*, *dub.* 17.

6. Stante etiam alia consuetudine, qua canonici non recipiunt fructus primo anno, utrum prædictum statutum, et consuetudo valeat in præjudicium illius, qui præbendam theologalem habet? si consuetudo valet quoad alios canonicos, valere etiam quoad theologum : *Ibid.*, *dub.* 18.

7. Et quid si canonici præter præbendam, quam *Grossam* vocant, lucrentur distributiones modo saltem Missæ, et vesperis intersint? respondit S. C., si quæratur de validitate consuetudinis, valere, ceterum aliis etiam horis ex massa præbendarum assignandas suas distributiones ; si vero quæratur, an lector reputari debeat præsens ad effectum lucrandi tales distributiones, respondit S. C. negative, præterquam in diebus, quibus legit : *Ibid.*, *dub.* 19.

8. Censuit S. C. canonicum præbendam theologalem obtinentem posse quidem compelli, ut per se, et non per substitutum muneri suo satisfaciat. Quod si in residendo se præbuerit contumacem debere Episcopum adversus eum procedere ad præscriptum decreti Concilii cap. 12, sess. 24 [255], et pro tempore, quo cessante legitima causa, et justo impedimento abfuerit, debere Episcopum alium ejusdem canonici substituere, qui ejus vices interim suppleat. Ceterum, an hic canonicus legi-

[254] Præcipitur omnibus Episcopis, ut « de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur ; ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur. » Quibus diebus lectio theologalis habenda sit, expresse non edixit Synodus Tridentina ; verum qua hora, quibusve diebus, tum super quo sac. Scripturæ libro conficienda sit lectio, Episcopi relictum voluit S. C. Concilii apud Garciam, *de Benef.*, part. 3, cap. 7, num. 153. Hac dispositione moderata est Decretalis cap. *Quoniam* tit. *de Magistris*, in hoc, quod hæc declarat officium theologi esse, ut sacerdotes, et alios doceat in sacra Pagina ; instruatque in iis præsertim, quæ ad curam animarum spectare noscuntur ; ex Trid. cit. vero illius munus est, sacram Scripturam dumtaxat exponere, et interpretari. Attamen ex sensu Sac. Congregationis Concil., ut refert Fagnanus in cap. cit. num. 31, lib. 5, pag. 85 videatur Tridentinum respexisse ad utramque facultatem, ad explicationem videlicet sacræ Paginæ, et ad theologiam scholasticam, velut habetur in causa num. 2, præs. §. Et Gallemart *ad dict.* cap. 1, *Trid. Concilii*, sess. 5, num. 16, pag. 17 ait : « Satisfit Concilium etiam scholasticam theologiam legendo. » De hoc dubio non semel orto, an canonicus theologalis satisfaciat muneri suo, et Tridentini menti, si loco explicandi libros sacræ Scripturæ, clerum erudiat in theologia scholastica. Benedictus XIV, *de Synod. Diœces.* lib. 13, cap. 9, num. 17, tom. 2, pag. 142, edit. Venet. 1775, diserte loquitur.

[255] *De Reform.* Vide not. 65.

tima causa abfuerit absitque necne, disquisitioni DD. Rotæ auditorum, apud quos causa agitur [256], esse relinquendum : *Placentina*, 29 *martii* 1607.

9. Censuit S. C. eum, qui præbendam theologalem obtinet, etsi ejus prædecessores nunquam legerint, teneri tamen, et ab Episcopo cogi posse id munus per seipsum explere ; alioqnin per substitutum ab Episcopo cum congrua fructuum assignatione eligendum : *Agien.*, 11 *sept.* 1621.

10. Episcopum cogere debere obtinentem in cathedrali præbendam theologalem ad subeundum per se onus suum etiam per substractionem fructuum ad præscriptum Sacr. Concilii, cap. 1, sess. 5, *de Reform.* [257]. *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 3.

11. Putavit S. C. privilegium de jure concessum canonicis, ut dum suo Episcopo inserviunt, fructus suarum præbendarum percipiunt, non suffragari canonico præbendam theologalem obtinenti : *Pacen.*, 16 *decem.* 1634.

12. Censuit S. C. canonico obtinenti præbendam theologalem non esse concedendam facultatem optandi : *Sebenicen.*, 6 *decem.* 1642.

13. Theologum ad certas lectiones juxta consuetudinem, vel ad Episcopi arbitrium teneri S. C. censuit : *Patavina*, 15 *julii* 1645.

14. Ad dubium : An liceat canonico theologo ecclesiæ cathedralis obtinere insimul lecturam in universitate ejusdem civitatis, et ulterius capellaniam unius ex monasteriis ipsius civitatis habentem curam animarum? respondit S. C. non licere dicto canonico obtinere una cum canonicatu capellaniam monasterii manialium, ut supponitur, curam animarum habentem : *Pisana*, 23 *maii* 1648.

15. Episcopus coegit Joan. Antonium Porrum theologum suæ ecclesiæ cathedralis debitum legendi munus obire; hinc ille S. C. adiit petens declarari se ad lectiones habendas minime teneri, quod canonicatus theologalis præbenda caret, et universos reditus ex distributionibus percipit, quod antecessores legendi munus obire minime coacti fuerunt. Et S. C. posse compelli judicavit : *Casalen.*, *Lectionis*, 12 *novem.* 1661, confirmata 28 *januar.* 1662.

16. Quum in erectione canonicatus theologalis juxta præscriptum Sacr. Concil. Trid., sess. 5, cap. 1 [258], assignati non essent certi dies, in quibus canonicus theologus debeat sacram Scripturam interpretari, nec eidem ab ipso canonico designati essent, non liquet, an canonici theologi compelli possint explere dictum munus saltem semel singulis hebdomadis exceptis tribus mensibus æstivis vel toleranda consuetudo, quibus interesse debent sub pœna certæ punctaturæ omnes canonici? S. C. censuit dandam esse declarationem alias editam seq. ten. *Censuit S. C. tempus, horam, et materiam Sacræ Scripturæ, supra qua legendum sit, remitti arbitrio Ordinarii* [259] : *Urbinaten. Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 9.

17. Dubio : An sede episcopali vacante possit eligi per capitulum in vicarium capitularem canonicus theologus in jure canonico non graduatus, graduato relicto? negativum datum est responsum : *Tirasonen.*, *Vicarii capitularis*, 13 *julii* 1669, *dub.* 1.

18. Canonicus theologus cathedralis nullos reditus habens præter simplices distributiones quotidianas pro divinis officiis, quas habent alii etiam canonici non excedentes scut. 60, supplicat declarari, an ei pro onere lecturæ, quod subit singulis hebdomadis, assignandum sit aliquod stipendium particulare? S. C. negativum tulit responsum : *Anagnina, Theologalis*, 23 *junii* 1674.

19. Dubio : An pro negotiis, seu controversiis capituli ablegari possint theologus cathedralis? ne-

[256] Capitulum ecclesiæ Placentinæ per duos deputatos de capitulo doctorem Caxam procuratorem constituit pro tractandis negotiis in Romana Curia, cum assignatione certi salarii, et promissione, quod intra sex annorum spatium, ipsum non revocaret, et cum paulo post revocasset, causa introducta in Rota, dubitavit an Caxa procurator sic constitutus potuisset revocari ? et Rota utraque parte informante revocari potuisse censuit. Potissimum fundamentum quia S. C. Concilii putavit hunc canonicum ad præbendam theologalem oblinendam potuisse compelli, ut per se, et non per substitutum muneri suo satisfaceret ; et nisi adesset legitima absentiæ causa, quam Rota ex eo non habuisse censuit, quia per capitulum putaverat mitti alium canonicum ad negotia tractanda, et lites defendendas, unde cessabat legitima causa, cum non magis istius canonici, quam alterius industria esset necessaria, et ad effectum, ut doctor potuisset legere per substitutum, non sufficiebat quælibet causa voluntaria, quæ non mutat legendi obligationem per seipsum, sed necessitas requiritur; et id habetur ex *Decis.* 147, num. part. 3, recent.

[257] Quo decernitur habentes stipendium pro lectione sacræ Scripturæ debent cogi per Ordinarios ad munus exequendum per se, vel per alios, etiam per subtractionem fructuum ; Cui decreto accessit Concil. Rom. anno 1725 celebrat. tit. 1, cap. 7 ; et Const. *Pastoralis* 14 kal. junii 1725. Bened. XIII, rel. *in Append. ejusd. Concil.* num. 2.

[258] *De Reform.*, cui accessit Concil. Rom. anno 1725 celebratum tit. 1, cap. 7, et Const. *Pastoralis* Bened. XIII 14 kal. junii 1725, rel. *in Append. ejusd. Concil.* num. 2.

[259] « Atque omnes conveniunt doctores, hujusmodi vero arbitrio in his decernendis, pro libera voluntate Episcopus abuti non potest ; regulari namque debet ex rationabili consuetudini ipsius ecclesiæ aliarumque circumpositarum, ut S. C. quoad tempus, et numerum lectionum censuit in cit. *Patavina.* » Card. Petra *Comment. ad Const. II, Innoc. VI*, num. 48, tom. 4, pag. 138.

gativum datum fuit responsum eo tempore, quo legere tenetur : *Anagnina*, *Residentiæ*, 12 *decem*. 1676.

20. Franciscus Venetianus theologus cathedralis ecclesiæ supplicat pro indulto, ut loco doctoratus in theologia, possit assumere gradum doctoratus in jure canonico; et S. C., considerata relatione Episcopi censuit, si Sanctitati Suæ placuerit, posse per suas litteras apostolicas committi eidem Episcopo, qui veris existentibus narratis, et dummodo prævio diligenti examine, oratorem invenerit habilem, et idoneum docendi theologiam moralem, et explicandi Scripturam sacram juxta legem in fundatione præbendæ theologalis appositam, pro suo arbitrio, et conscientia cum eo gratis dispenset, ut gradum doctoris in jure canonico suscipere valeat, qui sic susceptus oratori suffragetur, perinde ac si ipse in sacra Theologia graduatus reperiretur; ita tamen, ut theologiam moralem docendo, et sacram Scripturam explicando vere incumbat, et sedulo præstet operam; et de præmissis facta relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua benigne annuit : *Vigilien.*, 27 *sept*. 1681.

21. Resolvit anno 1651, die 2 sept., S. C., ut obtinentes præbendam theologalem non erant in ecclesia Sebenicensi admittendi ad jus optandi, etiam de consensu capituli. Postmodum vero quum Episcopus visitans retulisset tenuitatem præbendæ theologalis, ei fuit sic a S. C. responsum. Ceterum, ut necessitati, qua præbenda theologalis laborat, provide consulatur, S. C. auctoritate sibi per Sanctissimum specialiter attributa benigne indulsit, ut theologus cathedralis Sebenicensis præbendis optare possit sicuti ceteri canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus præbendis ascendant, quæ perpetuo affecta theologo pro tempore esse intelligatur, ac sit : *Sebenicen.*, *Juris optandi*, 8 *maii* 1688, *dub*. 2.

22. Quæsito per Episcopum : Num capitulum teneatur se abstinere ab eligendo theologali in officio capituli secretarii, archivistæ, vel aliorum similium, S. C. negativum dedit responsum [260] : *Vicen.*, *Visitationis sacr. Liminum*, 15 *april*. 1690.

23. Nicolaus Ursinus tunc Episcopus Ripanus de anno 1639 facta unione beneficii simplicis canonicatui, quem possidebat Carolus de Castellis, erexit illum in præbendam theologalem cum onere faciendi lectiones morales, et scholasticas singulis octo diebus, quæ tractu temporis ad singulos quindecim dies hucusque continuatæ sunt, etiamsi in ipsa erectione præscriptum fuerit onus legendi feria sexta cujuslibet hebdomadæ sacram Scripturam, et interpetrari, vel saltem aliquos casus conscientiæ explicare, omniaque alia, quæ ipsa synodus Episcopi Ursini anni 1642 perhibetur. Hac de causa modernus Episcopus theologum Justinum Berardum, ut suo muneri satisfaceret, monuit, et eidem præcepit, ut dictam lectionem statutis diebus agat; ab hoc præcepto canonicus theologus appellans ad Rotam Maceratensem obtinuit inhibitionem; et quamvis ageretur de præcepto facto in visitatione, de mense aprilis proxime præteriti absit a suo officio, de qua absentia, ac de prædicta inhibitione maxime conqueritur Episcopus, et testatur dictum Berardum per majorem anni partem nullas fecisse lectiones, sed tantum affixisse in aula sacrarii notulam duorum casuum, quos consuevit adstantibus absque ulla explanatione repetere; allato hinc dubio : An lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum habenda sit ad formam erectionis singulis octo, vel singulis quindecim diebus? rescripsit, esse servandam legem erectionis, et quoad modum remisit arbitrio Episcopi : *Ripana*, 12 *januar*. 1692.

24. Comprobato Jacobi Zancati canonici theologi ecclesiæ cathedralis servitio laudabili, ac assiduo per annos 43, obtinuit ille a S. C. indultum jubilationis; postmodum disputatione orta an teneatur ad onus lecturæ sacræ Scripturæ? teneri per seipsum, quando non sit legitime impeditus, quo in casu supplere debere per alium S. C. decrevit; modo idem confirmat addens, et teneri per alium supplere quando adsit diuturnum impedimentum : *Anagnina, Lecturæ*, 30 *julii* 1701.

25. Prætendente capitulo Milevitano reformationem constitutionis synodalis XXXI, qua cavetur, ut canonicus theologus cathedralis bis in hebdomada exceptis mensibus julii, augusti, et septembris in sacrario post vesperas materias morales brevi, et clara methodo legat, atque explanat, et ut ex hujusmodi exercitio uberior colligatur fructus, interveniant dignitates, canonici omnes, ceterique de clero tum ipsius cathedralis, tum civitatis notabilis, ejusque suburbii, præsertim confessarii, et ad presbyteratum promovendi; S. C. censuit validum esse decretum quoad tempus vacationis, et quoad interventum teneri confessarios, et curatos, reliquos vero esse hortandos, et non cogendos [261] : *Milevitana*, *Synodi*, 2 *julii* 1707.

[260] « Cum hujusmodi officia nequaquam totum hominem requirant, ut a suo munere legendi theologum divertant, sed potius munera sunt, quæ manualiter parvo momento expediuntur; itaque hujusmodi exemptio ab his muneribus cum onere legendi compatibilibus, ad privilegium absque facto principis trahi nequit. » Card. Petra *Comment. ad Const. II, Innoc. VI*, num. 45, tom. 4, pag. 138.

[261] « Dicere autem adhuc quis posset, hoc decreto non firmari obligationem interveniendi lectioni sacr. Scri-

26. Erecta præbenda theologali in ecclesia cathedrali cum onere sacram legendi Scripturam, ea lege, ut in hoc deficiente canonico præbenda eo ipso vacet. Defecisse canonicum theologum Nicolaum Bonaventuram Lancea in legenda Scriptura prætenditur; at ex deductis non constare de deficientia censuit: *Amerina, Præbendæ theologalis*, 15 *martii* 1710, *dub.* 1.

27. Nec ob prætensam deficientiam ille canonicatum, et præbendam juxta decretum appositum in litteris apostolicis amisit: *Ibid.*, *dub.* 2.

28. Et lectio sacræ Scripturæ facienda est publice in ecclesia, non vero in sacrario: *Ibid.*, *dub.* 3.

29. De loco, tempore, et hora, ac materia, super qua lector sacræ Scripturæ legere debeat, et de quantitate lectionum, S. C. arbitrio Episcopi commendavit [262]: *Ibid.*, *dub.* 4.

30. Neque sustinetur decretum Episcopi addens pœnam juliorum trium in synodo statutam usque ad julios quinque pro singulis lectionibus prætermissis in statutis anni diebus: *Ibid.*, *dub.* 5.

31. Et ad dubium, an validum sit aliud decretum adstringens canonicum lectorem sacræ Scripturæ ad lectiones memoriter dicendas, et illas pronunciando auditoribus absque libro, vel scripto; et ut singulæ lectiones, saltem per medietatem horæ perdurent? rescriptum est ad mentem [263]: *Ibid.*, *dub.* 6.

32. Joannes Antonius Pastorius provisus fuit a Sancta Sede de canonicatu cum præbenda theologali in collegiata ecclesia S. Juliani oppidi Gaudiani hac conditione, ut infra annum gradum magisterii in theologia in aliqua approbata universitate studii generalis suscipere teneatur. Adeptus proinde est doctoratum Mediolani, quem non suffragari S. C. rescripsit: *Novarien.*, *Doctoratus*, 8 *aug.* 1716.

33. Canonicus provisus de præbenda theologali cum clausula de assumendo infra annum gradu magisterii in sacra Theologia in aliqua approbata universitate, de jure non sufficit, quod magisterium infra annum recipiat in jure canonico in aliqua approbata universitate. Id S. C. decrevit, addiditque, ut haberetur ratio in casibus particularibus: *Dubium, Præbendæ theologalis*, 5 *junii* 1723.

34. Canonicus theologalis, et lectoralis cathedralis exemptus est a diaconatus officium exercendo diebus, quibus ratione muneris theologalis eximitur a choro. Hoc jam antea resolverat S. C., et modo confirmat in *Urgellen.*, 15 *decem.* 1725, *dub.* 1.

35. Insuper idem canonicus exemptus est etiam a subdiaconi munus tractando diebus, in quibus legit sacram Scripturam: *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Idemque potest concionare etiam per alium, petita venia a capitulo: *Ibid.*, *dub.* 3. Sed inde postulatum est; an sufficiat, quod eam petat, vel ulterius necessarium sit, quod obtineat? S. C. respondit teneri petere, et veniam a capitulo salvo recursu ad Episcopum obtinere: *Ibid.*, 28 *septem.* 1726, *dub.* 2.

37. Canonicus Gaspar Villanius, qui habet præbendam congruo annuo proventu scut. 60 carentem, solumque percipit scut. annua 40 cum onere centum, et decem Missarum tenetur in posterum ad lectiones canonico theologali incumbentes: *Nucerina Paganorum*, *Præbendæ theologalis*, 1 *martii* 1738, *dub.* 2.

38. Canonicus theologalis cathedralis ecclesiæ Antonius Magonzellius solvere tenetur in summa præscripta a concilio Romano [264] cathedraticum mensæ episcopali etiam pro tribus beneficiis unitis

pturæ; nam quamvis ageretur de lectione per canonicum theologum habenda, hic tamen non exponenda erat sacra Scriptura, sed materiæ morales, seu casuum conscientiæ, ut statuitur in adducta constitutione synodali, unde lectio theologalis reincidere videtur in conferentiam casuum conscientiæ. Ceterum verius est, mentem S. Congr. fuisse obligandi tantum curatos, et confessarios interesse lectioni theologali per canonicum theologum habendæ, sive hæc sit sacr. Script. theologiæ dogmaticæ, seu polemicæ, sive casuum conscientiæ, sive cujuscumque alterius materiæ ab Episcopo, juxta exigentiam prescriptæ, etenim omni casu censetur lectio theologalis, cum omnes præfatæ materiæ ad sacram Theologiam pertineant. » Card. Petra in *Comment. ad Const. II, Innoc. VI*, num. 60, tom. 4, pag. 142.

262 Vide not. 249.

263 « Quoad modum sane hujusmodi lectionis Episcopus invigilare debet, ut theologus proprium munus adimpleat, juxta suum rationabile arbitrium, ut mens fuit S. C. *in Amerina ecc.....* Et quidem nonnisi prudens Episcopi arbitrium consulere potest, ut theologus non abutatur legendo, modo puerili materiam, quam defert, ita ut sit causa derisionis, contra mentem S. C. volentis, quod a theologo populus, et clerus doceatur; an potius cartula utatur ad fovendam memoriam eorum, quæ docet, quod non esset improbandum, cum theologus non debeat concionari, sed more doctorum docere. » Card. Petra *Comment. ad Const. II, Innoc. VI*, num. 51, t. 4, p. 139.

264 Anno 1725 celebrato, ubi tit. 8, cap. 4, est: « Ipso communi jure est cautum, ut Episcopis cathedraticum a clericis debeatur, quod est duorum solidorum, viginti scilicet juliorum, census, cathedrali ecclesiæ solvendus, in signum honoris, et subjectionis cathedræ pontificali. Jus sane, inter cetera episcopalia, ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo immemorabili consuetudine præscribi. Quod si forte aliquid sub alio, vel fixorum munerum, vel xeniorum, nomine offeratur, decernimus, ut ab Episcopis, tanquam qui non præmium, sed honorem postulant, munera, et xenia recusentur hujusmodi; et cathedraticum dumtaxat, summam non excedens prædictam, ab ecclesiis (non tamen regularium) et beneficiatis, sibi subjectis, tali etiam volumus moderatione exigatur; videlicet 1. quibus sunt reditus infra scuta 10 (idem de ducatis monetæ

præbendæ theologali; etiamsi *extinctive*, uti dicitur, fuerint unita: *Tolentina*, *Cathedratici*, 14 *martii* 1739.

39. Canonico theologo Marino Avytaja ecclesiæ cathedralis Castrimaris non licet assequi, et simul retinere dignitatem primiceratus. Canonicatus enim illi præbenda carebant: *Castrimaris*, *Primiceratus*, 19 *sept.* 1744, confirmata 13 *febr.* 1745.

40. Joannes Laurentius Palumbius canonicus theologus, et decanus ecclesiæ cathedralis post diuturnum, assiduumque servitium præstitum, quum constet de ejus infirmitate, potest abesse non solum, sed etiam distributiones quotidianas, ac si præsens sit, onerata ipsius conscientia lucrifacere: *Tranen.*, *Distributionum*, 12 *sept.* 1750; et causa reproposita in decisis ad annum, et Archiepiscopus mandet suppleri lectiones sacræ Scripturæ sumptibus canonici Palumbii, respondit: 13 *martii* 1751. Denique pro gratia ad biennium, firma remanente obligatione supplendi per substitutum lectiones sacræ Scripturæ sumptibus propriis, decernere existimavit: 17 *junii* 1752.

41. Quum vacasset canonicatus, et præbenda in ecclesia cathedrali, Episcopus hanc constituere pro lectore sacræ Scripturæ, quo illa ecclesia carebat, putavit. Sed jurgium institutum S. C. resolvit, provisum cum onere explicandi Scripturam sacram apposito in litteris apostolicis teneri tale onus implere; etiamsi reditus canonicatus ad congruam non ascendant: *Sulmonen.*, *Canonicatus theologalis*, 20 *maii* 1752, *dub.* 1.

42. Et ad dubia: An congrua supplenda sit juxta quantitatem ducatorum, vel scutorum sexaginta monetæ romanæ deductis oneribus?

43. An materia sacræ Lectionis sit in arbitrio canonici theologi, seu designanda ab Ordinario?

44. Ac denique an canonicus theologus possit eligere substitutum, seu teneatur semper per seipsum ad explicationem sacræ Lectionis? *Audiatur novus Episcopus* respondetur: *Ibid.*, *dub.* 2,3 *et* 4.

45 Marianus Vetulius Narius canonicus theologus ecclesiæ cathedralis, qui unionem beneficiorum pro augmento præbendæ reditus ducat. 34 monetæ regni obtinere non valuit, destitit a lectionibus post munus expletum per 15 annos; hinc sequestrum super fructibus passus est, et re delata ad S.C., hæc firmandum statum, et interim a canonico theologali suum munus sustinendum censuit: *Civitatis Ducalis*, *Præbendæ theologalis*, 18 *junii* 1757, *dub.* 1.

46. Canonicus theologus ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ Ugloni Maximilianus Lavelli, cujus præbendam erexit, fundavitque Carolus Casati, gaudere debet præcedentia in choro, aliisque functionibus super ceteros canonicos antiquiores; etiamsi obstet pactum stipulatum cum capitulo fruendi præcedentia ratione antiquitatis, qua de causa antecessor ejusdem ultimum locum possedit, et inde primum ratione antiquitatis consecutus est: *Mediolanen.*, *Præcedentiæ*, 19 *sept.* 1761.

47. Canonico theologo cathedralis Petro Aloysio Bajardi loco doctoratus in Theologia sacra, satis non est doctoratus in utroque jure ab universitate Sapientiæ Urbis obtentus, sed dispensationi est locus: *Urbanien.*, 12 *decem.* 1761.

48. Canonicus theologus cathedralis cogi potest pro arbitrio Episcopi etiam vigore multæ, sacræ Scripturæ loco legere casus conscientiæ, seu theologiam moralem: *Pacen.*, 28 *sept.* 1765, *dub.* 1.

49. Canonicatus theologus ecclesiæ cathedralis tenetur ad obeundas lectiones sacræ Scripturæ ad formam decreti Concilii Tridentini: etiamsi antea possessor hujus præbendæ theologalis legere moralem theologiam suevisset: *Comen.*, *Canonicatus theologalis*, 23 *novem.* 1771, *dub.* 2.

50. Sacerdos Joseph Cajetanus Sciuscioli canonicus cathedralis ecclesiæ præbendam theologalem, quam in ea possidebat, resignavit sacerdoti Ludovico Jannio sub reservatione apostolicæ dispensationis. Resignationem admisit Episcopus, dummodo sese examinatorum judicio submitteret. Examinatores illum reprobarunt. Hos irrationabiles accusat modo Jannius, quinque adducens testes, qui bene, diserte, et egregie illum respondisse fatentur, et se laureatum jam esse ostendit. Verum causam S. C. minime definiens, ad Episcopum juxta mentem scribendum duxit: *Sutrina*, *Præbendæ theologalis*, 5 *aug.* 1780.

51. Ad interrogationem, an canonicus theologus ecclesiæ cathedralis loco explicationis sacræ Scripturæ possit explicare catechesim, et docere lectiones theologiæ moralis, prout approbante capitulo assueverat? S. C. scribendum Episcopo juxta mentem [265] censuit: *Fulginaten.*, 3 *julii* 1784.

52. Canonico theologo Volaterranæ cathedralis conceditur jus optandi præbendas juxta declarationem in *Sebenicen.*, *Juris optandi*, die 8 *maii* 1688 [266]: *Volaterrana*, *Juris optandi*, 20 *julii* 1793.

Neapolitanæ intelligatur) duo julii. 2. Quibus scuta infra 50, julii 5. 3. Quibus infra 100, julii 10. Quibus ultra 100, vel quamcumque in alia majori summa julii 15. 5. Ab ecclesiis vero, ubi plures de massas participant, ab omnibus in communi, julii 20; salvis tamen consuetudinibus, ecclesiis, et Episcopis magis familiaribus. »

[265] Et mens est, ut omnino servetur cap. 7, sess. 24. Concil. Trid., per eos, qui curam animarum gerunt, quo vero ad canonicum theologum, suas lectiones peragere debere juxta tradita a Benedicto XIV *de Synodo diœces.* lib. 15, cap. 9, § 17. *Ead. causa*, 3 *julii* 1784.

[266] Vide not. 21.

§ X.

Canonicus thesaurarius.

1. Canonicus thesaurarius fabricius Pr. Bonnicius a Sancta Sede de thesauraria tunc vacante provisus prætendit ad se custodiam sacrarum Reliquiarum ecclesiæ cathedralis privative quoad Episcopum spectare. Ille obtinuerat ab exequutore deputato in litteris suæ provisionis, qui erat canonicus pœnitentiarius dictæ ecclesiæ, et S. Officii patentatus, decretum contra Episcopum pro clavium traditione, ipso Episcopo reclamante; ob id consulta S. C. canonicum pœnitentiarium Vella contra Episcopum pro traditione clavium dictæ custodiæ procedere non potuisse resolvit : *Milevitana, Attentatorum*, 28 *junii* 1704, *dub.* 1.

2. Definit S. C. thesaurarium ecclesiæ cathedralis ad formam Concilii sess. 24, cap. 12 [267] *de Reform.* posse cogi ad residentiam : *Ostunen.*, *Procuratoris et residentiæ*, 28 *julii* 1708, *dub.* 1.

3. Canonicus thesaurarius, qui est tertia dignitas in ecclesia cathedrali, tenetur suppeditare omnia necessaria pro sonitu tintinnabulorum juxta decretum visitationis anni 1599 et 1608 : *Castellaneten., Visitationis sacr. Liminum*, 6 *maii* 1719, *dub.* 1.

4. De sexaginta libris ceræ, quas dictus thesaurarius tenetur tradere in festo Purificationis pro publica distributione, ea pars, quæ aliquando superest, cedere in beneficium ecclesiæ cathedralis haud debet sed ipsius thesaurarii : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Necnon dictus canonicus thesaurarius tenetur ad exercitium curæ animarum, sicuti alii duo parochi adstricti sunt; et eis æqualiter etiam contribuere omnia emolumenta parochialia devinctus est : *Ibid., dub.* 3.

6. Collata a Sede Apostolica anno 1718 Josepho Antonio Junguito thesauraria una cum canonicatu in ecclesia collegiata S. Mariæ civitatis Tudelæ, factæ sunt inter ipsum, et capitulum graves controversiæ, S. C. ad interrogata respondit constare de capituli excessibus contra dictum canonicum : *Nullius*, *Tudelæ*, 22 *nov.* 1727, *dub.* 1.

7. Ac eidem debeantur per capitulum omnia damna, et interesse passa ex causa molestiarum, et litium, quas capitulum in eum excitavit : *Ibid.*, *dub.* 3.

8. Et idem capitulum cogendum est sub pœnis pecuniariis in quantitate arbitrio nuntii, et in subsidium suspensionis a divinis ad exhibenda omnia instrumenta, et jura, quæ respiciunt reditus, præeminentias, ac jura dignitatis thesaurariæ, et canonicatus ejusdem Josephi : *Ibid., dub.* 4.

Rediit insuper capitulum in S. C., quæ rem commendavit Card. Bellugæ, qui auctoritate S. C. partes inducat ad concordiam, et quatenus concordare nolint, eam faciat ex officio in S. C. referendam : 13 *martii* 1728. Exinde decretum confirmatur juxta modum præescriptum a S. C., et a Card. Præfecto declarandum, et pro exequutione tam præsentis decreti, quam ab ipso in futurum dependentium Episcopo Tirasonensi cum facultatibus ejusdem S. C. causa remittitur : 13 *aug.* 1729. Demum confirmatur iterum addendo ad mentem [268] : 30 *sept.* 1730.

9. Thesaurario ecclesiæ metropolitanæ intervenienti in sessionibus capitularibus jus vocis activæ, ac passivæ competit, etiam in negotiis spectantibus ad massas, de quarum distributionibus ille non participat. Nam absque ulla vocis limitatione admissus fuerat : *Senen.*, *Vocis in capitulo*, 26 *martii* 1768.

Canonis privilegium. Vide *Clerici*, § iii.

CANONISSA.

1. Consulta S. C. est, num canonissæ, seu dominæ S. Petri Romaricomontis in Lotharingia Sedi Apostolicæ immediate subjectæ capitulariter congregatæ privative, et absque interventu presbyterorum canonicorum altaris majoris nuncupat., punire graves excessus alicujus delinquentis ex eisdem canonicis possint? responsum prodiit servandum decretum artic. 46 [269] Card. Rohan visitatoris : *Tullen.*, *seu Nullius S. Petri Romaricomontis*, *Visitationis*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 2.

2. Quum Anna Salome comitissa de Manderscheidt Falakenstem, quæ canonicatum una cum decanatu in collegiata ecclesia utriusque sexus sub titulo B. M. V. in oppido Thorensi, erecta necnon

[267] Vide not. 65.

[268] Mens fuit, ut prævia absolutione utriusque partis præscripta fuit solutio specifica, reprobata consuetudine, etsi immemorabili capitulum omnino se abstineat ab imposition pœnæ hujusmodi, sed tantum pœna pecuniaria datus fuit locus thesaurario, et præfatus Jungurtus teneatur accedere ad residentiam : Lib. 79, *Decret.* fol. 599.

abbatissatum in alia simili collegiata ad S. Ursulam intra Coloniam obtinet, exposuisset, se ob oculorum infirmitatem impediri quominus e civitate Coloniæ, ubi moratur, ad oppidum Thorense pergat, ibique debita expleat residentiam, atque postulasset injungi illius capitulo, ut donec convaluerit, fructus omnes tam ex decanatu quam ex canonicali præbenda provenientes pro rata parte medii anni sibi tradantur, S. C. juxta votum capituli responsum dedit negativum : *Leodien. seu Colonien., Fructuum*, 1 *sept.* 1736, *dub.* 1.

CANONISTÆ OFFICIUM.

Bonifacius IX, Pont. Max., capitulo supplicanti ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ civitatis Austriæ sive Fori Julii duos ex triginta novem suppressit canonicatus, statuitque, ut ex eorum reditibus, atque distributionibus duo alerentur magistri, theologiæ unus, juris canonici alter periti; qui quidem magistri in scholis legere, et clero et populo sermocinari deberent. Capitulum nullos reperiens idoneos clericos, qui ad formam Bonifacianæ Constitutionis canonistæ munere fungi possent, exoravit pro impetranda facultate erogandi ex reditibus officio canonistæ attributis annua scuta 30 in stipendium advocati laici, qui lites capituli frequentes admodum, atque complures agere, tuerive in judicio posset. Facultatem hanc indulsit S. C. ad quinquennium, si tamdiu perdurassent lites capituli, ea tamen lege, ut si forte idoneus aliquis clericus intra quinquennium sese exhiberet perfuncturum officio canonistæ, statim is a capitulo foret eligendus. Postulat hodie idem capitulum, num de gremio canonicorum possit eligere canonistam? et simul quærit, num præfatum indultum prorogandum sit indefinite, donec duraverit deficientia clerici secularis per edictum tamen quotannis invitandi? S. C. indultum prorogavit ad aliud quinquennium tantum juxta formam præcedentis : *Aquileien., Canonicatus*, 16 *febr.* 1743, *dub.* 1, 2, 3 *et* 4.

CANTOR.

1. De sua sententia S. C. interrogata; an ad cantorem, dignitatem ecclesiæ collegiatæ, ac parochialis S. Laurentii oppidi Drepani spectet jus dirigendi una cum capitulo, ac dignitate decanatus, ac gubernandi functiones ecclesiasticas, exceptis parochialibus in ecclesia collegiata peragendas; seu ad eosdem cantorem, ac decanum privative?

2. An ad eumdem cantorem una cum decano spectet jus administrandi omnia, et quæcumque bona tam dotalia parochialis, quam cetera quovis titulo, et nomine ad ecclesiam spectantia, et respective exercendi jura spiritualia, nimirum concedendi facultatem regularibus, sive societatibus ducendi supplicationes intra limites parochiæ, et similia, seu ad integrum capitulum?

3. An jus distribuendi omnes fructus suis respective præbendatis octo canonicatuum, quos fundavit Petrus Messina, spectet ad cantorem una cum decano, seu ad integrum capitulum?

4. An similiter ad easdem dignitates spectet jus distribuendi decem presbyteris, et quatuor clericis emolumenta ipsis debita super eisdem bonis Petri Messina, seu ad idem capitulum?

5. An privative facienda sit solutio a dignitatibus prædictis distributionum in presbyterorum, ac clericorum choristarum ex arca horarum canonicarum, seu liceat præsidere hisce solutionibus capitulo?

6. An præfati decem presbyteri, et quatuor clerici choristæ debeant dependere, et manere subjecti præfatis dignitatibus tantum, seu subjici integro capitulo?

7. An cura habitualis spectet, et resideat penes illas dignitates, seu penes capitulum, et quatenus negative ad primam partem?

8. An in causa remotionis, suspensionis, aut alterius impedimenti liceat dignitatibus, seu capitulo eligere substitutos pro exercenda actuali animarum cura?

9. An præfatis dignitatibus liceat assumere titulum parochi, et portionarii rectoris?

10. An cantori liceat inscribi caput insignis collegiatæ in scripturis, tam publicis, quam privatis?

11. An dignitates præfatæ teneantur subire onera suis respective præbendis injuncta, et quatenus affirmative?

12. An dignitates causa præbendarum parochialium teneantur post erectionem ad eadem onera, prout ante erectionem erant adstrictæ?

13. An ad cantorem, et decanum privative, vel ad integrum capitulum spectet jus condendi statuta, deputandi, et amovendi omnes officiales, ac ministros, necnon assignandi, ac præstandi salaria, et stipendia? omnia hæc dubia S. C. : et remisit ad Card. præfectum cum facultatibus S. C. etiam concordandi : *Mazarien., Jurium capitular.* 12 *aug.* 1741, *dub.* 1, 6, 8, 12, *usque ad* 21. At quum dubia 14 et 15, indecisa Card. Præfectus reliquisset; S. C. ea diluit ad 14, respondens nagative ad secundum; et ad 15 electionem spectare ad capilum : 12 *januar.* 1743, *dub.* 1 *et* 2.

14. Cajetanus Pereira clericus de Lago Portocarrero possidens dignitatem cantoratus maximi, quæ est secunda, et unita alteri subcantoratus in collegiata ecclesia oppidi de Bercellos ob defectum vocis, redituumque tenuitatem supplicavit pro dispensatione a residentia, et choro, et pro facultate suum munus per alium explendi. Facultatem impertivit S. C. ad triennium, firma tamen ramanente obligatione residendi, quatenus teneatur ex lege fundationis, et quoad exercitium cantus. Officialis Bracharensis rescripti hujusce exequutor, oratorem a residentia, et choro liberavit. Reclamarunt capitulares de excessu officialis exequutoris, et resolvi a S. C. curarunt, ut sententia exequutorialis esset confirmanda quoad triennale indultum subrogandi alium in cantu tantum : *Bracharen.*, 21 *junii* 1788, *dub.* 1.

15. Et resolutum quoque fuit, esse locum repetitioni quoad distributiones ab ipso Cajetano Pereira exactas pro tempore non residentiæ; et quo vero ad fructus præbendæ, servari disposita a S. Concilio Tridentino [270] : *Ibid.*, *dub.* 3.

CANTORATUS DIGNITAS ECCLESIASTICA.

1. Secundum ea, quæ proponuntur censuit S. C. ad dignitatem cantoriæ, de qua agitur, ætatem 25 annorum requirendam : *Cotronen.*, 4 *dec.* 1627.

2. Margarita Bonvicini in ecclesia collegiata D. Paulli civitatis Valletta canonicatum erigi jussit. Inde eamdem fundationem confirmavit, titulum canonicatus in dignitatem cantoratus, qua eadem ecclesia carebat, varians. At capitulo prima arrisit voluntas, non secunda, et canonicatus erectus est. S. C. consulta variationem in cantoratus prædictæ fundationis validam esse censuit : *Milevitana, Erectionis canonicatus, sive cantoratus*, 11 *aug.* 1753. *dub.* 1.

3. Et dicta cantoratus dignitas habet vigore donationis inter vivos annua scuta 10 sacrario præstandi; non autem retinendi choristam, sive clericum annuo stipendio scutorum quindecim, et sacrario annua scuta tantum quinque subministrandi, prout post donationem per instrumentum fundatrix disposuerat : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Et hæc dignitas præferenda est aliis dignitatibus postea in eadem ecclesia fundatis : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Occasione controversiarum, quæ exortæ fuerunt inter Episcopum Anglonæ, et abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni super jure conferendi beneficia simplicia S. C. decrevit, collationem cantoratus ad Card. abbatem spectare : *Anglonen.*, *Jurisdictionis*, 4 *julii* 1716, *dub.* 1.

CANTORATUS OFFICIUM.

1. Censuit S. C. declarandum decretum synodi ab Episcopo Larinensi anno 1728 habitæ pro directione chori ecclesiarum matricium, quo eidem Episcopo facultas instituendi simplex cantoratus officium tribuitur, validum esse : *Larinen.*, *Decretorum synodalium*, 30 *aug.* 1732, *dub.* 7.

2. Necnon deputationem dicti cantoratus officii, quoties vacet fieri prævio concursu super peritia cantus Gregoriani debere : *Ibid.* *dub.* 8,

3. Opus triennium est illis, qui ad distributionum partitionem juxta morem, et consuetudinem ecclesiæ Lequilarum, quæ pro receptiva habetur, admittantur. Sed servitio anni nondum impleto, Nicolao Carizzio ab Episcopo collatum fuit cantoratus officium, quod libere sacerdos Joseph Carizzius ei resignaverat. Collatio hæc plurium ejusdem ecclesiæ sacerdotum animum movit, qui disputarunt suffragiis eligendos esse sacerdotes, qui magis idonei

[270] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.* Vide not. 217.

reputantur; ob id, num electio ab Episcopo facta sustineatur? fuit postulatum : verum nulla edita definitione, dictum fuit ad mentem [271] : *Lycien.*, *Cantoratus*, 14 *maii* 1746, *dub.* 1. Impletis igitur mandatis, causa iterum proposita est, et quoque mansit irresoluta, et S. C. dixit ad secretarium juxta mentem : 9 *julii ejusd. anni*. Tertio causa producta, resolutum fuit, præfatam electionem non sustineri : 6 *aug. ejusd. anni*.

4. Quæsitum vero fuit, num dictum cantoratus officium in ea ecclesia resignari possit? et posse resignari decretum fuit : *Ibid., dub.* 2.

5. Dictum autem cantoratus officium non per concursum, sed Ordinarii arbitrio assignari debere resolvit S. C. : *Ibid., dub.* 3.

6. Sacerdos Joan. Lucas Seraphinius retinere haud valet una cum cantoratus officio in alma Domo Lauretana unam ex septem capellaniis erectis in oppido Montis S. Viti a Josepho Zoppinio, qui præter verba præseferentia præcisam residentiam, ait in testamento, *eas obtinere illos posse, qui alias perpetuas incompatibiles non habent*, quo casu absolute excludi illi semper debeant : *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 24 *aug.* 1748.

CANTUS GREGORIANUS.

1. Mandavit Episcopus, ut presbyteri tam admittendi ad consortium cathedralis ecclesiæ infra sex menses cantum Gregorianum tenerentur addiscere sub pœna scut. 25 sacrario ejusdem ecclesiæ applicanda; iidemque si infra alios sex menses instructi sufficienter in dicto cantu non essent, privari deberent etiam distributionibus quotidianis. Et S. C. quæsita, sustineri hoc decretum decidit : *Parmen.*, *Consortii*, 11 *maii* 1669. Deinde petita pœnarum moderatione, S. C. sancivit, delendam esse pœnam in primo semestri, ad secundum semestre apponendam pœnam amissionis distributionum futurarum : 24 *januar.* 1671, *dub.* 1.

2. Necnon eamdem applicandam esse locis piis censuit : *Ibid., dub.* 3.

3. Ac omnes æqualiter teneri affirmavit : *Ibid.*, *dub.* 4.

3. Examen vero relinquendum esse arbitrio Episcopi quoad ipsius præsentiam, sed faciendum esse a peritis, putavit : *Ibid., dub.* 6.

5. Cantus Gregorianus in concinendis est injungendus capitularibus ecclesiæ cathedralis juxta modum ab Episcopo Bisinianensi in sua relatione insinuatum : *Sancti Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 6.

6. Fundator voluit, ut peritus in cantu Gregoriano mansionariam Carusianam assequatur; ideo S. C. decidit ad eam obtinendam peritiam in eo cantu requiri, nec admitti ille debet, qui, quamvis senior sit capituli, et proinde altera qualitate pollens pariter a fundatore volita, tamen examinari super cantu renuit : *Murana*, *Mansionariæ*, 3 *maii* 1736, *dub.* 1. Deinde S. C. censuit recedendum a decisis sanciens illam mansionariam spectare ad seniorem in ordine, qui examine faciendo coram Episcopo reperiatur sufficienter in cantu Gregoriano versatus : 3 *martii ejusd. anni*.

7. In cantu Gregoriano examinandos censuit S. C., antequam admittantur ad participationem presbyteri ecclesiæ S. Mariæ de Colle oppidi Mormanni juxta Episcopi edictum, præter alias qualitates, et addidit ad mentem : 15 *decem* 1736, *dub.* 1, confirmata 30 *martii* 1737.

8. Super peritia in cantu Gregoriano testimonia exhibere debent capitulo juxta constitutiones illi, qui admittendi sunt ad servitium in divinis in ecclesia Canusina ad effectum participandi, additurque ad Card. præfectum ad mentem [272] circa testimoniorum eorumdem rationem : *Nullius Canusii*, *Participationis*, 17 *decem.* 1763, 4.

9. In cantu Gregoriano, non autem in cantu figurato debent esse idonei mansionarii ecclesiæ cathedralis ad canendum in choro pro cultu, et veneratione B. M. V. nuncupatæ *ab Igne* deputati; etiamsi fundator, qui illas mansionarias erexit, musicæ scientiam callentes voluerit; quum in organo pneumatico litanias canunt : *Foro-Livien.*, 21 *novem.* 1767.

CAPACITAS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § I; *Capellania*, § V; *Legatum pium*, § XV; *Pensio ecclesiastica*, § II.

[271] Et mens est, ut transmittantur omnia acta extrahenda citata parte. *Ead. causa*, 9 *julii* 1746.

[272] Mens autem est, ut hujusmodi admittendi coram Episcopo, et examinatoribus synodalibus respective examini, servata forma constitutionum capitularium ecclesiæ Canusinæ, eo subjiciant, et quatenus in re, de qua agitur, idonei fuerint reperti, testimonia recipiant super illorum peritia, ac idoneitate, eaque capitulo Canusino exhibere teneantur : *Regist. lit.* lib. 32, *die* 17 *decem.* 1763.

CAPELLA.

1. Quum rector capellæ, seu ecclesiæ Sanctissimo Crucifixo dicatæ oppidi Scandiani contenderet amplam sibi suffragari exemptionem, tam ab episcopali, quam a parochiali jure, propterea quod ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi, S. C. consulta decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vero spectasse ad eam basilicam prius quam in eo ædificeretur ecclesia : *Regien.,Exemptionis*, 20 *sept*. 1698. Deinde decidit, capellam prædictam haud esse exemptam a jurisdictione Ordinarii : 15 *novem. ejusdem.anni, dub.* 1, confirmata 15 *junii* 1709.

2. Quum ab ecclesia S. Andreæ de Valle societas Sanctissimi Redemptoris discesserit, ob id minime esse condemnandos patres Theatinos ad expensarum constructionis capellæ Sanctissimi Crucifixi in eadem ecclesia sitæ, et a dicta societate peractæ, refectionem; sed eamdem capellam vendendi personis sibi benevisis dictæ societati veniam dandam esse, S. C. placitum est : *Romana, Capellæ*, 28 *junii* 1704, *dub*. 2.

3. S. C. nomine rectorum capellæ Sanctissimi Rosarii erectæ in ecclesia cathedralis intelligi capellanos deputatos pro Missarum celebratione, non autem ejusdem capellæ officiales, mandavit : *Nucerina, Paganorum*, 20 *sept*. 1704, confirmata 10 *januar*. 1705.

4. Capella, seu ecclesia S. Joannis Baptistæ extra mœnia Foggiæ sita, non est exempta ab Ordinarii jurisdictione. In ea enim laicorum societas vigebat, quæ Hierosolymitanæ religionis se subjectam esse prætendebat : *Trojana, Jurisdictionis*, 24 *aug*. 1709, *dub*. 1.

5. Dominicus Brunaccius hæredibus suis erectionem jurispatronatus, et capellæ cum Missarum onere mandavit. At hæredes preces exibuerunt S. C. pro declaratione sese ex defectu redituum non teneri ad capellæ constructionem, eisdem permitti, ut muneri injuncto Missarum satisfaciant in alia ex capellis cathedralis. Idcirco putat Episcopus illos tantum teneri præstandi fundum pro celebratione Missarum S. C. autem rejecit prius instantiam, et modo pro meliori informatione respondit : *Neocastren.,Capellæ*, 1 *junii* 1709, *dub*. 1.

6. Ad capellam S. Erasmi ecclesiæ cathedralis spectant libere candelabra, crux, aliaque ornamenta argentea; eorum tantummodo custodia ad deputatos civitatis, ad quos juspatronatus pertinet, adjudicatur quanquam ex pecunia civitatis ea confecta fuerint : *Cajetana*, 2 *julii* 1718, *dub*. 1.

7. Item duas statuas argenteas jam factas, et pecuniam exactam, et exigendam ex vectigalibus, et aliis proventibus assignatis dictæ capellæ per civitatis consilium libere ad capellam; custodiam vero earumdem, ac redituum administrationem ad deputatos spectare S. C. decidit : *Ibid., dub*. 2.

8. Capellam, seu ædiculam B. Joannæ principissæ Portucalliæ dicatam fundavit Margarita Leite de Figueredo, propriisque bonis dotavit. Insuper quæsivit, num concedenda esset exemptio hujus patronalis capellæ sede episcopali vacante Portucallensi a capituli jurisdictione, cum subjectione immediata sanctæ Sedi Apostolicæ, ejusque nuntio pro tempore in regno Portucalliæ degenti? Sed quæsitum fuit incassum : *Portucallen.*, 11 *januar*. 1727, *dub*. 7.

9. Quum aliqua pars eleemosynæ, ac oblationum societatis Sanctissimæ Conceptionis piarum mulierum sine sacco erectæ in quadam capella ecclesiæ PP. Minorum conventualium terræ Montis Leonis in beneficium ecclesiæ dictorum patrum præcipue pro manutentione lampadis accensæ ante capellam Sanctissimi Sacramenti erogaretur. Episcopus Spoletanus in visitatione anni 1720 mandavit, ut in vim bullæ aggregationis venerabili confraternitati SS. Laurentii, et Damasi de Urbe, societas in alios usus erogare ejus reditus, ac eleemosynas, nisi in commodum ipsius capellæ, non deberet; mandavitque, ut Missæ in eadem capella societatis celebrarentur. Reclamarunt patres prædicti, et decreta ac Episcopi provisiones validas esse S. C. sanxit : *Spoletana, Juris visitandi*, 30 *sept*. 1730, *dub*. 1.

10. Episcopo competit jurisdictio capellam visitandi ad formam decreti in *Nucerina, Paganorum* 23 *julii* 1629 [273] : *Ibid., dub*. 2.

11. Patres S. Francisci terræ Argentæ non tenentur reponere in antiquo loco capellæ Sanctissimæ Conceptionis in eorum ecclesia erectæ a fami-

[273] Vide verb. *Episcopus* § XXV, num. 22, Benedictus XIV. Const. *Exponi nobis* 22 januar. 1755, vetus ordinis Prædicatorum privilegium confirmans, atque amplificans, publica sacella, et privativa oratoria in ædibus, prædiis, ac fundis ad cœnobia ejusdem ordinis pertinentibus posita, ab Ordinariorum locorum visitatione exemit, eaque ab ejusdem ordinis visitatoribus obiri, ac probari jussit.

lia de Martiis stemma ejusdem familiæ illius antiquæ patronæ, necnon veterem lampadem, aliaque suppellectilia olim ab illius patronis factæ, sed hæredibus propriis sumptibus stemma restituere licet: *Ravennaten.*, *Applicationis Missarum*, 17 *aug.* 1757, *dub.* 4.

12. Ac dicti patres ad eorum libitum amovere ab altari, ejusque proprio loco statuam B. M. V. petita prius, licet non obtenta a patrono licentia, non autem crucem, et candelabra insimul alligata dissolvere, aliaque supellectilia sacra a patrono facta pro usu dicti altaris alio asportare invitis ejusdem patronis possunt: *Ibid.*, *dub.* 5.

13. De capellæ S. Ægidii sitæ in parochiali ecclesia S. Jacobi Majoris dominio, et pertinentia non constat in favorem religionis Hierosolymitanæ. Incertum enim est an usus tantum, ac etiam dominium capellæ præfatæ quæsitum fuerit commendæ Hierosolymitanæ, ad quam ecclesia diruta S. Ægidii pertinebat, et ob id traditum fuit altare S. Ægidii in dicta ecclesia parochiali existentis, ut onera impleantur. Nullum exstabat acquisitionis instrumentum; et commendator eques Cevolus ex conjecturis, indiciis, monumentis, testimoniisque jus suum probare nitebatur: *Placentina*, *Jurisdictionis*, 4 *decem.* 1745, *dub.* 1.

14. In hac capella tamen independenter a parocho non competit commendatori jurisdictio, sed facultas peragi curandi sacra, ac in ea exequendi omnes alias ecclesiasticas functiones commendæ incumbentes, dummodo non impediantur functiones parochiales: *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Nec in hac capella parochus præferri debet in celebratione dictarum Missarum, ac functionum: *Ibid.*, *dub.* 3.

16. Ac hanc capellam, seu altare S. Ægidii Episcopo Placentino jurisdictio, ac jus visitandi competit: *Ibid.*, *dub.* 4.

17. Capella publicorum carcerum civitatis Montis Alti posita subtus palatium apostolicum præsidis est. Hanc sodalitium Sanctissimi Sacramenti custodit, ac rebus omnibus necessariis instruit, et semper Episcopi eam visitarunt. Eamdem esse subjectam ejusdem Episcopi jurisdictioni, ac visitationi S. Congr. resolvit: *Montis Alti*, *Visitationis*, 19 *novem.* 1757, confirmata 28 *januar.* 1758.

18. Archiepiscopo Leopoliensi capellam cœmeterii nimis angustam, ad quam populus frequens affluit, ita ut reliquus sub cœlo aperto, et cum nimia irreverentia assistit, et tam populus ipse, quam celebrantes distractionibus remanent obnoxii, supprimere licet, et imaginem Deiparæ Virginis ab eadem capella ad unum ex altaribus ecclesiæ cathedralis transferre, eidem Archiepiscopo datum arbitrium est: *Leopolien.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 1, confirmata 9 *febr.* 1765.

19. Dictæque sacræ Virginis imaginis, fundationum Missarum, et supellectilis translatio facienda est ad altare illud cathedralis, quod magis Archiepiscopo lubet: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmatur et additur ad mentem: *Ibid.*

20. Capellæ nova ædificatio sub invocatione S. Nicolai de Bario, et S. Antonii abbatis, quæ sita est in ecclesia collegiata S. Mariæ Majoris Alatrinæ civitatis spectat ad patronos, non autem ad capellanos, qui ex capellaniarum reditibus vix congruam conservationem percipiunt: *Alatrina*, *Reædificationis capellæ*, 29 *julii* 1775, *dub.* 1.

21. Ac Episcopus præfigat terminum patronis, quo elapso, procedat prout de jure: *Ibid.*, *dub.* 2.

22. Capellæ nuncupatæ *Corpus Christi* prope locum Albiniani in comitatu Venayssino, cujus loci est baro Alemannus de Passis, qui eam ædificavit, demolitioni, necnon alienationi illius situs, ac translationi onerum non est locus reparationi, ac novæ ejus ædificationi a barone dicti loci faciendæ, etiamsi Episcopus in visitatione ruinam minari agnoscens eam esse interdicendam, ac supprimendam decreverit: *Arausicana*, 17 *junii* 1780, *dub.* 1.

23. Nec capellæ ejusdem rectori indulgenda est reductio, ac commutatio onerum, quibus ex fundatione ille fuit gravatus: *Ibid.*, *dub.* 3.

24. Necnon capellæ supellectilia sacra sunt ab hærede fundatoris ad formam testamenti subministranda: *Ibid.*, *dub.* 4.

25. In favorem familiæ de Rubeis constat de patronatu capellæ S. Bartholomæi in ecclesia archipresbyterali terræ Uarceni existentis. Eadem familia plura exhibet testimonia: *Che la famiglia de Rossi ab immemorabili ha avuto, e pacificamente posseduto il giuspatronato di una capella sotto il titolo di S. Bartholomeo.* Etiamsi non evincatur id ex instrumento fundationis, aut ex alio documento, sed ex longa tantum consuetudine: *Alatrina*, 7 *maii* 1785, *dub.* 1. Inde recessit S. C. a decisis, remisit arbitrio Episcopi: 26 *novem.* *ejusdem anni.* Postmodum rediit in primo loco decisis: 16 *decem.* 1786.

26. Ac licet dictæ familiæ infra ambitum dictæ capellæ retinere scamna, et sedilia, dummodo ea divinis non inferrent impedimentum, et juxta hunc modum recedendum est a decisis sub die 24 novem. 1781, quoad dictam familiam de Rubeis: *Ibid.*, *dub.* 2. Inde recessit ut supra. *Ibid.* Postmodum stetit in secundo decisis *ibid.* et iterum stetit in secundo, et quarto loco decisis: 9 *julii* 1787.

27. Non licet autem archipresbytero, et rectori ejusdem ecclesiæ, sive cuilibet alteri supradicta scamna, et sedilia amovere, et respective in ea ap-

ponere, ac retinere exedram ad confessiones excipiendas, vel aliud quodcumque impedimentum, inaudito, et invito patrono : *Ibid.*, *dub.* 3. Deinde recessit a decisis ut supra : *ibid.* Postea rediit in primo loco decisis : *ibid.*

Capella *seu* Oratorium. Vide *Oratorium.*

CAPELLANIA.

§ I.

Capellania quoad applicationem et unionem.

1. Duarum capellaniarum, quas Dominicus Oradinus in ecclesia cathedrali ob redituum diminutionem hæreditatis, quæ onere scut. 30 pro quolibet capellano gravabantur, reductionem S. C. præcepit, et ad unam redegit; deinde eadem S. C. applicationem uni capellaniæ omnium redituum concessit : *Perusina*, *Capellaniarum*, 27 *martii* 1706, *dub.* 2.

2. Ex duabus capellaniis institutis a Francisco Barreto in ecclesia Cappuccinorum S. Antonii loci de Laule, quum eleemosyna Missarum aucta fuerit, ac capellani non inveniantur, ut onus adimpleant, fuit desideratum, ut una tantum capellania efficiatur cum onere Missæ quotidianæ; S. C. vero hanc unionem non admisit : *Faraonen.*, *Reductionis Missarum,* 7 *maii* 1718, *dub.* 1.

3. Princeps Dori Guttierez Spadafora exponens plurimum exoptare, ut in terra Spadafora collegium monialium de S. Maria fundetur, supplicavit pro applicatione quatuor capellaniarum ex septem, quibus hæreditas gravata est, et quæ adimpleri in ecclesiis Messanæ debeant. Etiamsi Archiepiscopus precibus annuendum censeret, S. C. haud assensa est : *Messanen.*, *Commutationis voluntatis*, 18 *nov.* 1711.

4. Causa maximæ diminutionis redituum quatuor capellaniarum, quæ fundatæ reperiuntur in templo parochiali SS. Felicis, et Adaucti oppidi S. Felicis Riperiæ Benacensis, Episcopus anno 1643 suo decreto earum duas univit, declaravitque, ut rector esset parochus dictæ ecclesiæ, et præpositus nuncuparetur, atque alios duos capellanos coadjutores haberet. Deinde in ambiguo fuit, an omnes teneantur ad applicationem Sacrorum? quum onus faciendi Sacrum diebus singulis datum tantum eis in fundatione fuerit. S. C. observari Episcopi decretum mandavit, immunesque ab applicatione Sacrorum adjecto onere duorum anniversariorum, unius nempe pro Joanna Cerclina, [alterius pro benefactoribus facto verbo cum Sanctissimo judicavit : *Veronen.*, 26 *junii* 1745, *dub.* 1.

5. Columba Maggia civis Malleani testamento cavit, ut ex bonis suis omnibus capellania erigeretur perpetua, cujus capellanum presbyterum nominaret Episcopus suffraganeus seu vicarius generalis, et de civibus, et pauperioribus Maliani. Suffraganeus elegit sacerdotem Ludovicum Lavinium, qui quum petiisset institutionem, contradicens habuit capitulum cathedralis, a quo hujus capellaniæ massæ capitulari facienda unio petebatur; sed tenues ejus reditus non esse exactorum monumentis eruebatur; S. hinc C. resolvit capellaniæ haud esse unioni locum : *Sabinen.*, *Unionis,* 18 *sept.* 1745.

6. Duas e bonis suis capellanias ad nutum absque ulla causa amovibiles Hieronymus Mariotti erigi voluit; proximiori consanguineo jus nominandi activum, descendentibus passivum dedit. Exequutores voluntatis istius preces obtulerunt, ut mutata mente testatoris dos, et fundus duarum capellaniarum, quæ erigendæ erant, unirentur, et congregationis Altaristarum cathedralis ecclesiæ tribuerentur; ea tamen lege, ut onera omnia a testatore data ferre illi tenerentur, cooptarentque in numerum eorum fundatoris consanguineos. Rationes in utilitatem, et divini cultus augmentum ponebant, quum Altaristæ illi assiduum ecclesiæ servitium præstent, et canonicas quotidie in choro horas persolvant. Sed applicationi haud esse locum S. C. definit : *Recineten.*, 28 *febr.* 1750.

7. Habitatores antiqui Serviliani, qui ad novum oppidum a Clem. XIV, conditum, migrare noluerunt, parochi auxilio, ac præsentia destituti, ob distantiam quatuor milliarum, et itineris asperitatem pro alterius (quum antiqua illuc fuerit translata) parochiæ in ecclesia B. Virginis de Plagis erectione precantur; et una cum Archiepiscopo suggerunt, ut parocho applicetur capellania Madricardo Mancini fundata ; ita tamen ut onus Missarum redigeretur. Verum S. C. adstipulata est juxta votum Archiepiscopi [274], dempta tamen suspensione Nissa-

[274] Quumque de decimis nova parochia erigi non posse cognoscatur, idcirco censet Archiepiscopus alia remedia esse quærenda, alia comparanda subsidia : nimirum, ut reditus cujusdam beneficii futuro parocho perpetuo tribuatur, ut societas Sacramenti ex ejus reditibus, qui singulis annis superextant, nummos viginti contribuat, et

rum legati Mancini ; et ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem : *Firmana*, *Erectionis parochiæ*, 15 *martii* 1783.

8. Sacerdos Bernardinus Silvestri capellaniam quamdam laicalem in ecclesia parochiali oppidi de Acunia fundavit, et ex reliquis bonis primogenituram in favorem masculorum suæ familiæ instituit ; et his deficientibus sorores hæredes vocavit, eisque capellam prædictam substituit. Defecit proles masculina : superstes ex vocatis est sola Anna Maria soror, quæ in ætate annorum 81 constituta, summa premit egestate, una cum filiis, ac nepotibus, et summo indiget levamine. Petit hæc proinde devolutionis bonorum primogenialium suspensionem, ut applicentur eorum fructus ad filiorum, nepotumque vitam. Precibus hujusmodi annuit S. C. ; ita tamen quod relicta penes capellanum bonorum possessione, celebratisque per ipsum Missis singulis feriis tertiis juxta testatoris voluntatem, persolvat ad decennium annua scuta 40 ; 20 nempe filiis Annæ Mariæ, et alia 20 nepotibus ex prædefuncto filio : *Lucana*, 17 *januar.* 1789.

§ II.

Capellania quoad dismembrationem, suppressionem ac caducitatem.

1. Laurentius de Laurentiis per contractum inter vivos spopondit solvere annua scuta 40 monialibus S. Luciæ Casæ Castaldæ comitatus Perusini, onere imposito, ut capellanum retinerent, qui earum confessiones exciperet, Missæ in ipsarum ecclesia sacrifi[illegible]um faceret. Casu autem, quo moniales ad aliud monasterium transferri contigisset, aut ipsarum monasterium destructum remansisset, deletam, revocatamque ipse voluit promissionem. Evenit monialium translatio, hinc commutatio voluntatis postulata fuit. Sed definitione causæ suspensa rescriptum est ad secretarium juxta mentem: *Perusina, seu Nucerina,* 20 *febr.* 1723.

2. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ nuncupatæ *Pedone* suppressionem duarum capellaniarum perpetuarum, quæ in eadem ecclesia a dicto capitulo ob ecclesiæ servitium erectæ fuerunt, ut redigantur ad statum amovibilitatis, ac ut mercenariæ in posterum sint, orant. Causa deprecationis fuit, harum possessores servitium chori ob eorum perpetuitatem minimum curabant, ita ut capitulum stipendium ex massa aliis capellanis, qui eorum vices implerent, persolvere coactum fuit. S. C. precibus adhæsit, quoad perpetuitatem tantum firma remanente capellaniæ ecclesiasticæ qualitate, sine tamen præjudicio præsentis alterius adhuc viventis capellani : ***Mediolanen.***, ***Suppressionis capellaniæ***, 15 *febr.* 1773.

3. Capellaniam Sanctissimæ Annuntiationis B. M. V. a Mariano Lotti fundatam in ecclesia cathedrali, in qua canonicatu ille gaudebat, relicto capitulo jure rectorem nominandi, idem capitulum dismembrare supplicavit, et ex ea duas constituere in favorem duorum sacerdotum, quos Episcopus, ac capitulum eligere debent, et qui onera juxta fundatoris voluntatem subeant. Hanc gratiam autem S. C. negavit : ***Massanen.***, 2 ***decem.*** 1780. Conquerentes de hoc decreto Episcopus, et capitulum jura sua deduxerunt, et S. C. stetit in decisis juxta modum[275]: 15 *sept.* 1781.

4. Ex binis ecclesiis S. Donati, et SS. Petri et Pauli Montis Ulmi una ecclesia collegiata conflata fuit. Ejusdem parochus ad deponendum coadjutorum onus supplicat, ut prævia suppressione capellaniæ erectæ in suburbana ecclesia S. Mariæ *del Paradiso* de jurepatronatus communitatis, ac canonicatus de suo jurepatronatus duæ erigantur vicariæ perpetuæ ; sed S. C. negative respondit, et addidit ad mentem[276]: *Firmana, Erectionis*, 18 *aug.* 1787.

5. Capellania fundata fuit a Francisco Liberati rectore ecclesiæ parochialis S. Nicolai Montis Georgii passive descendentibus sacerdotibus Francisci Pucci vocatis, et his deficientibus sacerdotibus familiæ Bernardini Morganti. Hanc, linea Francisci

demum, ut quantitas nummorum mille, quæ dotem format cujusdam capellaniæ, prævia Missarum reductione applicetur. Tali namque ratione, futuro parocho nummi sexaginta obveniet, quos in parochi ruralis conservationem satis esse dijudico. Societas, ac capellania præfata contribuere summam dictam debent per modum provisionis, nimirum donec vacaverit alia in loco beneficia, quorum reditus illam summam adæquent. Hinc reductio Missarum temporaria concedenda erit : *Ead. causa*, 15 *martii* 1783, § 5, seqq.

[275] Nempe ex capellania Lotti duas esse constituendas capellanias, reservato jurepatronatus in favorem capituli juxta legem fundationis cum assignatione scut. 30 pro uno quoque capellano, prævio examine ab Episcopo approbando iisdemque capellanis injungendum esse, ut canonicum parochum coadjuvarent, in omnibus spectantibus curam animarum ; ac præterea cum onere celebrandi per vices Missam in auroram, et in meridiem juxta solitum, et pariter cum obligatione applicandi centum Missas singulis annis ab uno quoque pariter capellano ad formam testamenti firmis remanentibus aliis oneribus apud canonicos, et præsertim Missæ conventualis cum applicatione pro benefactoribus ad formam juris, et Const. Benedicti XIV *Cum semper* facto cum Sanctissimo, et ad mentem : ***Ead. causa***, 15 ***sept.*** 1781.

[276] Vide not. 48.

exstincta, Aloysius Morganti obtinuit, qui inde militiæ seculari in Anconæ præsidio nomen dedit; ideo actum fuit in S. C. quoad caducitatem ejusdem capellaniæ? et non esse locum caducitati S. C. resolvit : *Firmana*, *Capellaniæ*, 21 *junii* 1788, *dub.* 1.

6. Præfigi tamen terminum unius anni ab Archiepiscopo clerico Aloysio ad assumendum sacerdotium, quo termino elapso fiat locus caducitati, demandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Quum canonicus Joseph Abbondi nonnullas prædiorum capellaniæ institutæ a Matthæo Uguccioni alienationes fecisset, quæsitum est, an constet de alienatione sortium, ita ut sit locus caducitati ? et S. C. affirmativum ad primam, negativum ad secundam partem dedit responsum. Nam possessor capellaniam redintegrasse, et unum et alterum retrovendisse censum ad instaurandam domum, ac de licentia Episcopi incidisse arbores, aliis subrogatis comprobabat : *Fanen.*, *Capellaniæ*, 29 *januar.* 1791, *dub.* 1.

8. Capellaniarum pinguium dismembratio denegatur duci Poli ad alias erigendas capellanias ex duplici, eoque tenui quotidianæ Missæ legato imposito possessori primogenituræ familiæ ducum Poli : *Tyburtina*, *Dismembrationis*, 26 *martii* 1793.

9. Sodalitium suffragii erectum in ecclesia S. Vitalis Parmæ plures habet capellanias, quæ *Residentiæ* nuncupantur, quinque de jurepatronatus, reliquæ sodalitii ipsius. Quum reditus oneribus non responderet, petiit Missarum reductionem, et obtinuit; modo postulat abolitionem superexstantium residentiarum Bencivegni ad augendum aliarum reditum. Nam arbitrium sodalitio dedit testator suam erogandi hæreditatem, *o nella erezione di residenze, o in altre opere pie* : idcirco S. C. abolitionem postulatam indulsit juxta votum Episcopi [277] : *Parmen.*, *Reductionis Missarum*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 2.

10. Clericus Bondi nominatus ad capellaniam sacerdotalem Zani, eam obtinuit cum conditione *dummodo Trebonianum se conferat, ibique resideat, statim ac ad legitimam pervenerit ætatem ad sacerdotium ascendat, et facultatem excipiendi sacramentales confessiones obtineat.* Pervenit ad ætatem an. 23, ac rogavit pro prorogatione termini ad sacros suscipiendos ordines, donec studia expleret, sed Carolus Silvestri ob lapsam legitimam ætatem capellaniam eum amisisse dicit; verum S. C. non esse locum caducitati respondit : *Sutrina*, *Capellaniæ*, 15 *julii* 1797.

§ III.

Capellania quoad dotem seu dotationem.

1. Marcus Aurelius Stella supplex est pro facultate assignandi scut. 70 in augmentum dotis capellaniæ in ecclesia S. Joannis Baptistæ terræ Perticæ fundatæ, alias ab oratore dotatæ, inspecta ejusdem redituum exiguitate, cum reservatione tamen amovibilitatis capellani ad nutum, qui hodie est perpetuus; sed S. C. haud eum audivit : *Farentina*, 14 *martii* 1682.

2. Iterum idem orator preces instauravit, cupiens prædictam capellaniam ab ipso fundatam cum onere Missarum trium quolibet mense ex perpetua efficere manualem, obtulit augmentum dotis in scut. 100 cum onere alterius Missæ quolibet mense; sed incassum, quia S. C. preces hujusmodi excipiendas esse minime putavit : *Ead. caus.* 10 *april.* 1683.

3. Post solemnem transactionem inter hæredes Franciscæ Valtrinæ, domum professam Societatis Jesu, et archiconfraternitatem Sanctissimæ Annuntiatæ sequutam, hæredes ab Alexandro Valtrino in tribus successivis, ac diversis testamentis institutos ex decem capellaniis ab eodem testatore relictis cum dote scut. 500 quatuor suppressæ, ac reliquæ in titulum in ecclesia S. Laurentii in Damaso de urbe assignata dote scut. 114 ex locis montium erectæ sunt. Postmodum sequuta eorumdem extractione, capellani pro supplemento institerunt, quum partes transigentes sese in quocumque eventu obligaverint. Et S. C. domum professam, ac confraternitatem teneri, proportione servata, in futurum solvere capellanis Valtrinis supplementum sancivit; et quoad liquidationem ad Card. præfectum remisit anno 1685. Inde eadem S. C., capellanis Valtrinis debetur integrum annuum legatum scut. 500, sive summa deficiens non obstante assignatione locorum montium, ita ut sit standum in decisis, decrevit : *Romana*, *Capellaniarum de Valtrinis*, 17 *julii* 1700, *dub.* 1.

4. Necnon teneri archiconfraternitatem ad supplendum ex effectibus destinatis pro dotium augmento, quibus deficientibus providebitur prout de jure, censuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Insuper eadem archiconfraternitas institit pro electione periti, quum reditus pro dotibus esset imminuti; et S. C. negativum quoad electionem periti præbuit responsum; et dari dubium, an, et cui de jure cedere debeat diminutio redituum : 23 *april.* 1701. Ad dictum dubium responsum

[277] Qui ait : « Delata tamen residentia Bencivegni, quum illius erectio posita sit a pio benefactore in arbitrio confraternitatis, dummodo ad animarum purgantium levamen inserviat. » *Ead. causa*, 11 *febr.* 1797, § 17.

uit, ad Card. præfectum, et Sperellum pro concordia: 4 *junii ejusd. anni*. Deinde cum concordia peragi non potuerit, rescriptum prodiit, ut demandetur exequutioni modum propositum a Card. præfecto, et Sperello [278]: 16 *decem*. 1702. Inde S. C. recessit a decisis sub die 16 decem. prædicta, et deberi supplementum capellanis resolvit, a quibus autem debeatur? videri particulariter mandavit: 9 *maii* 1703. Postmodum confirmata sunt prædicta decreta: 15 *sept. ejusd. anni, dub.* 1, ac omnes teneri proportione servata statutum fuit: *Ibid., dub.* 2. Denique quæsita S. C. pro declaratione, quod sodalitium dumtaxat teneretur, quum domus professa paupera oneri se subjici nequeat; rescriptum est ad mentem [279]: 16 *febr*. 1704.

6. Iterum vero ob alias locorum Montium extractiones immunitio capellaniarum reditus facta fuit, et novum postulatum a capellanis supplementum, et ad dubium: An, et quomodo sit providendum pro summis deficientibus, tam præteritis, quam in posterum decurrendis ad formam decreti 17 julii 1700? respondit: Dilata, et firmetur status integræ hæreditatis juxta mentem [280]: 10 febr. 1770.

7. Deinceps quæsitum fuit, an constet de deficientia effectuum destinatorum pro augmento dotium?

8. An, et quomodo, et contra quos sit providendum pro summis deficientibus, tam præteritis, quam in posterum decurrendis? et S. C. respondit, ad 1: Dilata, et ad mentem; [281] ad 2: affirmative, et persolvenda esse quotannis in posterum a sodalitio scut. 14, 58 capellanis retrahenda ex puellarum vestibus quæ archiconfraternitas præstare minime debet; sed servet omnino formam dotandi a testatore præscriptam: 10 *maii* 1782, *dub.* 1 *et* 2. Iterum redeunt capellani, quia deficiunt adhuc scut. 21, 26, ad dotem absolvendam scut. 500; sed haud probantibus novam locorum Montium extractionem, S. C. rescripsit constare de deficientia effectuum hæreditariorum pro executione voluntatis: 20 *januar*. 1798, *dub*. 1.

9. Et ad dubium, an, et cujus culpa defecerint, et qui teneatur ad illorum redintegrationem? respondit: Negative in omnibus: *Ibid., dub*. 2.

10. Hæres Francisci Carcani ad augmentum eleemosynæ Missarum in summa librar. 400 haud tenetur. Testator enim, ac capellaniæ fundator dotem constituendam annuam pro capellanis extraneis lib. 300 mandaverat; et promotor piorum legatorum augmentum ad formam taxæ diœcesanæ pro quotidiano Sacrificio determinatæ usque ad summam 400 prætendebat. *Mediolanen., Reductionis Missarum*, 30 *sept*. 1702, *dub*. 1.

11. Horatius de Statis junior causa eximendi ejus bona ab annua præstatione scut. 21 vigore facultatis tributæ instrumento fundationis capellaniæ perpetuæ ab Horatio de Statis institutæ Joanni Baptistæ de Statis tunc dictæ capellaniæ rectori summam aliquam persolvit. Sed quum illam capellaniam obtinuisset Franciscus Paulinus fructus dotis ejusdem esse valde imminutos, ac Missarum oneri impares agnoscens, pro redintegratione judicium adversus Laurentium de Statis hæredem fundatoris instituit; ideo Laurentius recursum habuit ad S. C., admittatur solvi per ipsum, et ejus hæredes capellano manualem eleemosynam cum obligatione omnium bonorum; et S. C. negativum dedit responsum, et non esse cogendum ad redintegrationem totius dotis capellaniæ, et ad Card. abbatem pro concordia: *Nullius Farfen., Capellaniæ*, 24 *sept*. 1707.

12. Hæres non tenetur supplere, si capellania instituta a Petro Paulo de Avila in favorem clerici Matthæi Francisci Cianni, quando tamen pervenerit ad sacerdotium, ad titulum ordinationis sufficere nequit, quia est annui reditus 50 a testatore statuti: *Rom., Capellan*. 12 *jan*. 1715, *dub*. 4, confirmata, 20 *sept. ejusd. anni*.

13. Duas capellanias ex vectigalibus regiis sibi a fisco debitis fundavit Carolus de Baldesiis ad rationem ducatorum 65 pro qualibet cum onere celebrandi Missam quotidianam. Residuum vero hæreditatis in dotes, et in celebrationem Missarum expendi voluit. Inde facta fuit reductio capellaniarum ad 45 ducata ob redituum diminutionem. Adauctis modo reditibus S. C. censuit augmentum juxta primam assignationem ratum esse, non autem servandam esse reductionem obtentam eleemosynæ ducatorum 45 seu granorum 12 dimidio pro qualibet Missa: *Neapolitana, Eleemosynæ Missarum*,

[278] In quo propositum fuit, et redituum imminutio partim cederet damno archiconfraternitatis, partim dotium, et capellaniarum: *Ead. causa*, 15 *julii* 1797, § 4.

[279] Nam « mandavit tandem Card. præfectus exequi mandatum quo supplemento integræ summæ deficientis contra bona hæreditaria Alexandri Valtrini possessa tantum per ven. Archiconfraternitatem. » Quum jam domus professa hæreditariam suam portionem bona fide consumpserat: *Ead. causa*, 15 *julii* 1797, § 5.

[280] Quæ mens subinde declarata fuit, ut post firmationem status, et confectionem peritiæ denuo proponatur causa super congruis dubiis. *Ead. causa*, 10 *maii* 1783.

[281] Et mens est, ut per secretarium novus eligatur peritus ratiocinator, qui stricte referat super hodierno statu activo, et passivo hæreditatis Valtrinæ, et deinde causa iterum proponatur sub dubiis primum: an constet de deficientia effectuum hæreditariorum pro exequutione voluntatis testatoris? et quatenus affirmative; secundum, an, et cujus culpa bona defecerint, et quis teneatur ad eorum redintegrationem? *Ead. causa*, 10 *maii* 1783.

16 *maii* 1716. Sed causa iterum discussa, quia pia dispositio ob hujusmodi augmentum quoad dotes, et Missas de requiem servari nequit, S. C. respondit in decisis, facta tamen erogatione in fine cujuslibet anni de eo, quod superest præter summam ducatorum 65 in causam dotium, et Missarum de requiem ad formam testamenti, et in quocumque casu diminutionis semper Missæ saltem ad manualem celebrentur : 3 *oct. ejusd. anni*.

14. Summam ducatorum sexcentum, quæ reliquit Annibal Surianus, in augmentum dotis capellaniæ a Victoria Suriano institutæ, prout disposuit, cedere debere S. C. statuit ; etiamsi testatrix Victoria in hac assignatione augmenti rectoris pro tempore et compatronorum consensum, qui datus haud fuit, requisierat : *Crotonen.*, *Capellaniæ*, 30 *januar.* 1717.

15. Laurentius Daniellius Papirio filio, et hæredi jussit, ut capellam S. Joannis Baptistæ in ecclesia S. Petri patrum Congregationis S. Philippi Nerii sitam, emeret, et ulterius ut eam congrue dotaret, ad Missam quotidianam pro animæ suæ suffragio celebrandam. Alavolinus Papirii successor cum patribus transegit, ut pater præfectus sacrarii esset capellanus perpetuus, et pro eleemosyna reciperet scuta 40 monetæ Urbini, et alia duo pro utensilibus. Episcopus a julio uno dictæ monetæ eleemosynam auxit ad julium monetæ Romanæ, ideo quæsitum fuit, an sustineretur transactio, et locus esset augmento dotis, seu Missarum reductioni? responsum fuit, recissa primum transactione, teneri ad dotationem, prout de jure : *Fanen.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 2.

16. Emmanuel Pistechius a Beatrice uxore hærede annui reditus assignationem pro Missa quotidiana ad rationem eleemosynæ granorum 12 cum dimidio pro qualibet præstari jussit. Beatrix sortes nonnullas capellaniæ attribuit, sed capellanus de læsione assignationem redarguit, inde ad aliam illa devenit, quam ordinaria potestas roboravit. Beatrix autem agnovit a capellano Ursaya bona facta fuisse deteriora, hinc facultatem sortes repetendi, ac unica vice pecuniam solvendi, vel annuos reditus pro Missa quotidiana sufficientes tradere efflagitavit. Episcopus de mandato S. C. in forma commissaria edito novam fecit assignationem. Sed hanc validam recurrentibus capellaniæ compatronis non agnovit : *Policastren.*, 17 *aug.* 1726, *dub.* 1.

17. Neque novæ attributioni locum, sed manutenendum esse illam ab Episcopo de Rosa factam reservato capellano jure agendi super bonis hæreditariis in casu deficientiæ bonorum assignatorum, S. C. determinavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

18. Traditio summæ scut. 500 in stabilibus investiendis pro fundo capellaniæ B. M. V. per hæredes Alexandri Fani fundatoris facta valida non est. Ipse enim testator hujus capellaniæ doti scuta quadraginta in quolibet anno attribuerat. Et hoc non ex fundatione, quæ non reperitur, sed ex instrumento primæ collationis desumitur ; idque semper fuit observatum : *Viterbien.*, 20 *sept.* 1727, *dub.* 1.

19. Qua de causa non est faciendum aliquod investimentum pro dote dictæ capellaniæ, sed hæredes subministrare annua scuta quadraginta tenentur : *Ibid.*, *dub.* 2.

20. Dum ad erectionem duarum capellaniarum, quas Joannes Carafini fundaverat, moniales Carmelitæ discalceatæ civitatis Cremonæ ab ipso hæredes institutæ devenerunt. Ipsas inter, et exequutores testamentarios patronos, qua ratione assignanda esset dos, vel scilicet in pecuniis, vel in fructibus terrarum frugiferarum, vel in censibus, sicut etiam de fructuum quantitate pro onere Missæ perpetuæ quotidianæ exorta erat controversia. S. C. postquam status hæreditarii firmationem præscripserat, assignanda esse tot bona stabilia hæreditaria, quæ æstimata juxta morem regionis quotannis redderent annua scuta 70 monetæ romanæ, tam pro eleemosyna Missarum, quam pro expensis necessariis pro expensis pro illarum celebratione : *Bargi S. Domnini*, 30 *april.* 1720, *dub.* 1, 2, 3 *et* 4.

21. Sacerdos Petrus Franciscus Malpicus capellaniam in ecclesia monasterii oppidi Serræ Comitum fundavit sorte scut. 400 in censibus collocata. Monasterium diu scuta 30 capellano solvit. Sed diminutis deinde fructibus scut. 25 numerare cœpit. Quæritur instante capellano : An monasterium possit, aut debeat assignare rectori census, aut pecuniam pro fundo dotali dictæ capellaniæ, et quomodo? sed responsum est : Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem [182] : *Senogallien.*, *Missarum*, 10 *maii* 1782, *dub.* 3. Deinde posse monasterium et investimentum pecuniæ cum scientia, et Episcopi approbatione faciendum, resolvit : 20 *dec. ejusd. anni*.

22. Petrus Nava Ramos, et Joannes Franciscus ejus filius, necnon Maria Martin amita capellaniam perpetuam in ecclesia cathedrali fundarunt, quæ deferendam primo loco Joanni voluit, deinde juspatronatus capitulo, ut eligere idoneum ad publice edocendam grammaticam prope ecclesiam cathe-

[182] Nempe ut referat circa observantiam de applicatione, vel non applicatione Sacrificii, recognitis etiam visitationibus, et libris monasterii, ac quænam esset eleemosyna manualis pro Missa circa annum 1612 : *Regist. lit.* lib. 28, *die* 10 *maii* 1732.

dralem cum prælatione in favorem consanguineorum, reliquit. Petrus ad secundas nuptias transiit, ac binos suscepit filios, quibus tribuere jus capellaniam obtinendi cupit, spondens dotem augere. Capitulum non assentitur, ne diutius bonum publicum scholæ grammaticæ suspendatur. Sed S. C. Petri preces excepit, quoad filios tantum oratoris, facto tamen prius legitime, et cum approbatione Ordinarii perpetuo augmento per ipsum oratorem oblato dotis beneficii in valore æquali antiquæ doti : *Civitaten.*, *Capellaniæ*, 20 *martii* 1734.

23. Capellaniæ perpetuæ mere laicales erectionem Laura Muti in ecclesia S. Egidii Urbis ordinavit, eique dotem vigore legati *in qualche credito spettante alla mia credita di rendita annua discudi ottanta*, oneris quotidiani adjuncto, legavit. Inde hæredem universalem nominavit, qui creditum etiam *cambiale* dicti annui reditus 80 pro capellaniæ dote addicere posse contendit, licet sit hoc extinctioni obnoxium. S. C. autem primum dixit, ut inventarium exhibeatur : *Romana*, *Capellaniæ*, 5 *junii* 1734. Postea dotem esse constituendam ex bonis hæreditariis judicio Card. exequutoris testamentarii decrevit : 21 *aug. ejusd. anni.*

24. Ex dote capellaniarum a Joan. Augustino de Cappellis institutarum non debent annua scuta decem retineri a patribus Carmelitis excalceatis oppidi Vulturis, quibus juspatronatum testator reliquit; etiamsi id facere consuevisse hactenus asseritur, sed ea distribuenda inter capellanos ejusdem testatoris est : *Januen.*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1736, *dub.* 4.

25. Superextantes reditus bonorum hæreditatis canonici Augustini Ximenis cedere debent ad formam testamenti in stipendium capellaniarum, quas residentes in ecclesia S. Theclæ civitatis de Xativa possident, deductis tamen prius oneribus, et æquali parte rata redituum sextæ capellaniæ erigendæ : *Valentina*, *Capellaniarum*, 10 *martii* 1742, *dub.* 2.

26. Dominicus Antonius Amicius nominatus a patrona Margarita Testa ad duas capellanias amovibiles fundatas in ecclesia parochiali Divi-Nicolai oppidi Scheggini bona plurima iisdem supposita esse alienata, ac distracta comperiit; vel sacra agenda pro redituum ratione imminui, vel facultatem dimidiam domus partem, ac duo prædia alienandi cum subrogatione Locorum Montium, quæ utilis fuit judicata, postulavit ; idcirco requisita S. C. an locus sit Missarum reductioni vel prædiorum alienationi? et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam ; an, et quæ oblatio sit admittenda? respondit, ut circumscripta nominatione novi capellani scribatur Episcopo pro nova informatione, et voto juxta instructionem [283] ; *Spoletana*, *Capellaniarum*, 28 *martii* 1744, *dub.* 1 *et* 2.

27. Cogendi non sunt hæredes in casu de quo agitur, seu hæreditas Jacobi Bonetti ad supplendum doti capellaniæ, nec locus est Missarum reductioni. Nam fundator hæredibus pondus fecit Missæ quotidianæ, ac eis venditionem bonorum præcepit, et de exacta pecunia censum emi, ac capellano pro tempore tradi, ut ex hujus fructibus sacrum peragat, voluit ; qui tamen fructus diminutioni sunt obnoxii : *Feretrana*, *Capellaniæ*, 16 *januar.* 1745.

28. Jacobus, et Dominicus fratres Livii subrogandi fundum capellaniæ a Livio Livii institutæ facultatem postularunt. Tot bona immobilia in locum undecim Locorum Montium non vacabilium substitui exoptabant ; siquidem ex immobilibus scuta 44 quotannis percipi fatebantur, evictionisque periculo occurri alia pro hypotheca bona subjiciendo cogitabant. At gratiam obtinere haud valuerunt : *Reatina*, *Subrogationis bonorum*, 14 *sept.* 1748.

29. Capellaniam erectam sub titulo S. Hieronymi in loco villæ Francæ, quam testator Joan. Antonius de Mays relinquens sua bona confraternitati *del Confalone* institui mandavit, fundandam esse cum bonis, quæ annua scuta 60 monetæ romanæ reddunt, imposito onere capellano celebrandi Missam quotidianam, residuum vero spectare ad societatem cum onere capellano utensilia subministrandi S. C. decrevit : *Nicien.*, *Capellaniæ*, 15 *april.* 1758, *dub.* 2 *et* 3, confirmata 12 *aug. ejusd. anni.*

30. Bona, quæ in dotem capellaniæ a Reparata Fundacci institutæ fuerunt, ita ab eisdem sunt redintegranda ; etiamsi hæres familia Liccia Episcopi testimonio de maxima paupertate præsertim ob componentium numerum doceret, et nullum remedium ad ejus indigentias sublevandas invenire valeret : *Alerien.*, *Legatorum*, 12 *aug.* 1758, *dub.* 2. Causa reproducta resolutionem distulit S. C., ut scribatur Episcopo juxta mentem [284] 24 *nov.* 1759. Inde confirmatur decisio emanata : 8 *martii* 1760 *et* 21 *junii ejusd. anni*, addendo ad formam testamentorum, et codicilli Reparatæ.

31. Ac in posterum eadem bona dictæ capellaniæ assignata non sunt administranda per syndi-

[283] Ut S. C. in re de qua agitur plene, et ex integro instructam reddat, de hinc inde expositorum veritate certioret, ac animi sui sensum aperiat : *Regist. lit.* lib. 29, *die* 28 *martii* 1744.

[284] Ut nimirum certiorem redderet S. C., an exequutioni demandasset rescriptum editum die 12 aug. 1758 super provisione bonorum de alio idoneo administratore, exclusis hæredibus ; et an aliquid opponendum contra erectionem capellaniæ: *Ead. causa*, 8 *martii* 1760.

cum, seu procuratorem pro tempore conventus ecclesiæ S. Reparatæ provinciæ Bonaniæ, ubi fundata reperitur capellania ; sed mandat S. C., ut Episcopus provideat de idoneo administratore exclusis hæredibus : *Ibid.*, *dub.* 3. Deinde reproducto dubio, protelata fuit decisio ut supra: *ibid.*; ac inde censuit S. C. Episcopum curandum, ut per hæredes adimpleantur onera omnino ad formam testamentorum. Nam hæredes excludere ab administratione a testatoris mente refragari ostendebatur : *Ibid.*, confirmata *ut supra ibid.*

32. Sacerdos Benedictus Antonius Fioretti ordinavit celebrationem nonnullarum Missarum, ac bona stabilia reliquit capellæ, seu præbendæ pro stipendio præfecti musicæ in ecclesia parochiali Montis Carotti, erigendæ. Exequutores testamentarii vigore facultatis a testatore tributæ tradiderunt nonnulla bona ad hæreditaria nomina delenda ; inde quæsitum fuit, an constaret de sufficienti redditione rationis pretii, et quatenus negative, in qua summa, et a quibus sit facienda redintegratio in favorem capellaniæ a dicto testatore ordinatæ? omnia remittendum ad Ordinarium pro redditione rationis censuit S. C. *in Æsina*, 18 *decem.* 1762, *dub.* 3, confirmata 25 *junii* 1763.

33. Capellaniam instituit Catharina ab Altemps marchionissa Soncini, quæ in ejus testamento verba fecit prius de fundi assignatione, inde de Missarum onere ; non ita in codicillis, ubi primum onus descripsit. Modo capellania indiget supplemento, et causa disceptationis S. C. decrevit teneri hæredem commissarium, qui onera repudiati legati a deputatis S. Hieronymi, in quorum favorem illa testatrix disposuerat, adimplevit : *Romana*, *Legati*, 21 *julii* 1764, *dub.* 1.

34. Quum pius testator Michael Angelus Monti in fundatione cujusdam capellaniæ summam scut. 500 in censibus constitutam attribuisset, quorum fructus sunt impares oneri Missæ quotidianæ sustinendo, petita fuit subrogatio fundi certi in bonis stabilibus valoris scut. 500, ac oneris imminutio ; idcirco S. C. constituendum esse certum fundum capellaniæ in bonis stabilibus ejusdem valoris putavit : *Firmana*, *Onerum Missarum*, 23 *junii* 1764, *dub.* 1.

35. Joseph Maria Barellius patronus capellaniæ sacerdotalis fundatæ a Victoria Ronca in ecclesia societatis Sanctissimæ Trinitatis dotem ejusdem augere exoptat, ac Missas ; ita ut capellanus ad illius titulum ordines sacros suscipere possit ; et quatenus non adesset proximus fundatrici, vel sacerdos, vel sacerdotio propinquus, uti in fundatione præcipitur, possit nominare quemcumque, vel ipsius Victoriæ, vel suum consanguineum, etsi sacerdotio non proximum, ut ad sacerdotium promoveatur. Annuit S. C. pro gratia dummodo tamen in nominatione præferantur, si aderant, sanguine propinqui testatrici tam actu sacerdotes, quam ad sacerdotium promovendi, denegata perpetuatione, et ordinaria auctoritate in ejusdem erectione : *Taurinen.*, *Capellaniæ*, 11 *januar.* 1777.

36. Carolus, Laura, et Eleonora de Folianis capellaniam amovibilem in ecclesia parochiali villæ de Regnano erigendam instituerunt. Domum, ac nonnulla prædia sub conditione, quod *mai possino essere permutati*, assignarunt pro dote. Quum autem eadem bona ita cum aliis familiæ de Folianis bonis commixta essent, ut separari nequeant absque hæredis damno, petita est aliorum bonorum subrogatio, quam S. C. denegavit : *Regien.*, *Permutationis*, 24 *julii* 1784.

37. Franciscus Basilius duas erigi imperavit capellanias, primam testamento in ecclesia cathedrali, alteram codicillis in ecclesia monialium S. Luciæ, prioris in secunda non facta mentione, imo bona alteri assignavit, quæ in favorem primæ disposuerat. In consultationem S. C. vocata hæc censuit erecta secunda etiam primam erigendam, ac pro dote omnia addicenda bona, ac jura ad hæreditatem prædicti spectantia, exceptis iis, quæ in codicillis pro secunda capellania fuere constituta : *Civitatis Plebis*, *Erectionis capellaniæ*, 27 *novem.* 1784, *dub.* 2.

38. Et quoad fructus est locus restitutioni, contra quos de jure a mense januarii 1757, quo tempore in mala fide detentor bonorum evasit : *Ibid.*, *dub.* 3.

39. Et hi fructus sunt erogandi in sortium emptionem pro dote ejusdem capellaniæ augenda : *Ibid.*, *dub.* 4.

40. Vincentius Ventura capellaniæ Tibaldeschi, qui in casu alienationis bonorum nova frugiferis prædiis mandavit fieri investimenta, obtinuerat, ut domum, in qua mulier quædam ex phtysi decessit, et cujus locatio, ac reparatio difficilis proinde est, vendere valeret. Nunc postulat, ut modus faciendi investimenti declaretur. Hoc non in censibus sed in stabilibus pretio domus vendendæ esse efficiendum S. C. existimavit : *Asculana*, 21 *junii* 1788, *dub.* 2. Difficile expertum est in stabilibus investimentum, hinc oblata sunt tot Loca MM., quot æquarent oblatum pretium scut. 650, et esse assignanda tot Loca MM cameralium, quot currenti pretio æquent summam scut. 650. S. C. declaravit : 20 *sept.* 1794.

41. Dominicus Mancinius ex patris nominatione duplicem capellaniam a Sebastiano Mancino patruo in ecclesia PP. prædicatorum Maceratæ fundatam possidet. At quoties hic apud patrem in Saxoferrati oppido degebat, obtinuit, ut domus cum Viridario a testatore ad capellanorum habitationem Maceratæ destinata venderetur ; idcirco postulat,

quomodo fieri debeat investimentum? ac in bonis stabilibus peragi, sin minus, fieri in censibus cum locis piis, et communitatibus status ecclesiastici arbitrio Episcopi S. C. voluit : *Maceraten.*, 4 *april.* 1789, *dub.* 2.

42. Alexander Pili hæredibus Missæ quotidianæ onus temporale, ad vitam nempe hæredis proprietarii, adjecit, fiducia relicta, quæ causa constituendi dotem in favorem capellaniæ perpetuæ cum prædicto onere fuit declarata. Obtulerunt proinde fundum scut. 1000, quem satis non esse Episcopus Fanensis dixit, contradicentibus hæredibus proprietariis, qui esse legatum temporale allegant. S. C. vero dubio, an, et quomodo, et pro qua summa sit fundus legati Missarum constituendus? responsum dedit affirmativum, assignato tamen fundo scutorum 1500 : *Fanen.*, *Capellaniæ*, 18 *sept.* 1790.

43. Capellaniæ institutæ a Matthæo Uguccioni nonnulla bona fuere alienata, inde in deliberationem vocatur, an, et a quo sit facienda redintegratio? et S. C. affirmativum edidit responsum juxta votum Episcopi [285] firma remanente deputatione œconomi : *Fanen.*, *Capellaniæ*, 29 *januar.* 1791, *dub.* 2.

44. Ex manualium Missarum legato demandato a Philippo Rosas erecta capellania perpetua quæsitum est, num servanda sint pro ejus fundo prædia relicta a testatore, vel alienari potius debeant vineæ, ut detractis sumptibus litis, reliquum pretium in censibus investiatur, et negativum in omnibus S. C. præbuit responsum : *Turitana*, 28 *maii* 1791, *dub.* 2.

45. Nicolaus Donati instituendo capellaniam indixit solutionem possessori libr. 150, et inde emptionem perpetui census. Hæres libellas annuas solvit, investimentum neglexit, et moriens jussit filio emptionem census in sorte scut. 800. Modo patroni fratres Pallavicini, quibus in concursu creditorum Gasparis Donati nonnulla fundatoris bona fuerunt adjudicata, animadvertentes præjudicium illatum capellaniæ ex protracto investimento scut. 800 supplicarunt, ut declaretur, recte necne constitutus fuerit fundus capellaniæ per fratres Pallavicini usque ad annuam summam scut. 32, valoris tempore testatoris mortis libr. 150, reservato jure agendi pro revelatione adversus quos de jure : *Januen.*, *Capellaniæ*, 16 *julii* 1791.

46. Quum hæreditas fundatricis capellaniæ Lauræ de Gattis relicta familiæ de Cignacchis pervenisset ad familiam Cani. Hæc ob prædia distracta aliisque subrogatis, et causa confusionis cum reliquis hæreditatis bonis investigare non valuit fundum capellaniæ scut. 600, cui additum fuit alterum scut. 100 absque ullo onere, exorat, ob id, ut constituatur fundus capellaniæ, et S. C. rescripsit esse constituendum fundum in scut. 700 monetæ Guastallæ ab Ordinario approbandum : *Nullius*, *Guastallæ*, 26 *nov.* 1791, *dub.* 1.

47. Quum capellania laicalis fundata in oppido Luxonii a Joan. Baptista Bontempo propter tenuitatem redituum per quatriennium et ultra vacasset, onera non sunt adimpleta, et fructus dotis depositi sunt in summa scut. 110. Implorata, et obtenta fuit reductio, modo consulitur de hac summa, et S. C. providendum censuit juxta votum Episcopi [286] : *Novarien.*, *Reductionis*, 19 *januar.* 1793, *dub.* 2.

48. Denegata in augmentum capellaniarum Argentæ Martignone fundi applicatione libell. 1000 per hæredem debitarum ob Missas non celebratas, impendi debet eadem summa in illarum celebrationem. Pinguis enim erat fundus capellaniarum pro Missa quotidiana : *Januen.*, *Capellaniarum*, 20 *apr.* 1793, *dub.* 2. Deinde prævio recessu a decisis reductis ad unam capellaniis, ratione tenuitatis redituum, constituto ei fundo ex besse hæreditatis delato ab hæredes Nicolai Cambiasi, et applicatis eidem capellaniæ scut. 1000 ob Missas non celebratas cumulatis, juxta votum Archiepiscopi fuit resolutum : 18 *julii* 1795.

49. Alienatio Locorum Montium capellaniarum, quas in ecclesia metropolitana Card. Jacobus Boncompagni Archiepiscopus fundavit, ad effectum investiendi pretium in censibus cum locis piis, vel communitatibus status ecclesiastici in majus capellanorum compendium, prohibetur : *Bononien.*, *Alienationis*, 15 *junii* 1795.

50. Sacerdos Amator Cera capellania in villa Tullii fundavit, ac nonnulla donavit bona, et donatarii onera adimplere se obligarunt. At ex iisdem bonis grave æs alienum solvi debuit, et Missæ omissæ fuerunt ad summam libell. 675. Procurator piorum legatorum cessit bona capellaniæ absque utilitate hæredibus fundatoris, qui correspectivum

[285] Qui censet hodiernum rectorem cogi oportere ad reddendam rationem, ut colligi possit, quantum alienaverit, quantum pecuniæ in compensationem alienati collocaverit, factaque comparatione, quantum debeat ad redintegrationem. Præscribendum insuper eidem rectori tempus ad agendum vel contra hæreditates eorum, qui et ipsi bona capellaniæ alienaverint (non turbatis tamen possessoribus bonæ fidei) quotiescumque hæreditates hujusmodi sint solvendo pares ; vel contra eos, qui fundos ad hæreditatem Ugoccioni spectantes possideant, quando impares sint redintegrationi alienantium hæreditates. *Ead. causa*, 29 *januar.* 1791, § 3.

[286] Qui ait: « Optimum foret, ni mea me fallit opinio, mandare, ut fructus vacantes, qui summam scut. 110 conficiunt, tuto implicentur, et ex fructibus inde percipiendis totidem Missæ ad ratam eleemosynæ, ut supra taxatæ in fundatoris suffragium a capellano in perpetuum celebrentur. » *Ead. causa*, 19 *januar.* 1793, § 4.

pretium deposuerunt, quod fœnori traditum affirmant annuas libell. 112. 10 oneri Missarum secundum institutionem pares esse; ideo exoratur pro approbatione cessionis, sed a S. C. concessum non fuit beneplacitum apostolicum : *Usellen.*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 1.

51. Permittitur tamen in augmentum imminuti fundi ipsius capellaniæ applicatio libellarum 675, quas debent hæredes ob Missas non celebratas, prout favebat Episcopus, addendo ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

52. Capellaniæ institutæ a Jacobo Seniori Bracci in ecclesia cathedrali montis Politani assignandum præscribitur fundum scut. 2000 ad formam ejus testamenti. Nam præter detractiones legitimæ, et trebellanicæ ei competentes ex allegato per ipsius succcessores fideicommisso Octavii Senioris, eam summam in libera hæreditate reliquit : *Montis Politani*, *Capellaniæ*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

53. Capellaniæ fundatæ ab Aurelio, et Antonio Filippini in parochiali ecclesia S. Blasii Montis Cerignoni sortes imminutas decernit S. C. esse reintegrandas in scut. 473, 50 monetæ Urbini ab hæredibus Philippi, et Joan. Baptistæ Laurentini, qui eas administrarunt, et sortes extinctorum censuum acceperunt, quod in votis erat Episcopus. Hæredes enim jura sua non produxerunt : *Feretrana*, *Capellaniæ*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 1. Inde causa reproducta, instantibus Antonio, et Mariano Begni, qui etiam capellaniæ bona administrarunt, ut redintegretur usque ad summam 503, 50, S. C. respondit in decisis usque ad summam 503, 50 : 18 *julii ejusd. anni*, *dub.* 1.

54. Lucia Mariotti Jucci voluit, ut dos institutæ capellaniæ perpetuo in ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli Manliani in tot Locis Montium constitueretur. At hæredes ad effectum liberandi hæreditatem ab onere acquirendi LL. Montium in fundum assignavit tria prædiola, quorum fructus satis sunt ad Missas celebrandas a testatore præscriptas; idcirco S. C. exorant, ut approbetur hæc assignatio; S. C. improbavit illam, et esse constituendum ad formam testamenti voluit : *Sabinen.*, *Capellaniæ*, 18 *april.* 1795.

§ IV.

Capellania quoad fundationem, ac erectionem.

1. Baro Joseph Toppius pro augmento divini cultus, populique devotione in ecclesia rurali in suo prædio territorii terræ Casalis sita, in qua a capellano sacramenta de consensu parochi administrantur, fundare capellaniam cupit; ideo petit ab Ordinario facultatem, quam denegavit, eo quia ecclesia sit in fundo, et solo privato fundata, nec publicæ viæ patet aditus. Inde orator ad S. C. confugit, quæ precibus annuit : *Theatina*, *Erectionis capellaniæ*, 29 *julii* 1690.

2. Quoddam hospitale in beneficium de jurepatronatus familiæ de Pepe auctoritate ordinaria Episcopus erexit. Huic erectioni præsides civitatis contradixerunt; et S. C. nullam illam declaravit. Inde institit pro erectione ejusdem hospitii in capellaniam cum Missarum onere, et in precibus minime expresso prædicto rescripto, gratiam per litteras apostolicas reportavit. Ast iterum reclamante communitate, et S. C. erectionis hospitii in capellaniam gratiam validam non esse constituit : *Acernen.*, *Commutat. volunt.*, 9 *junii* 1694.

3. Ad dubia, an procedere possit, et debeat ad erectionem duorum canonicatuum, non obstante dissensu capituli, vel capellaniarum?

4. An capellaniæ, de quibus agitur, erigendæ debeant instar aliarum capellaniarum existentium in dicta ecclesia cathedrali cum onere servitii chori? respondit S. C. firmandum esse statum hæreditarium, et redituum canonicatuum erigendorum, et canonicatuum erectorum : *Amerina*, *Erectionis canonicatuum*, 25 *junii* 1695, *dub.* 1 et 2.

5. Confratres congregationum laicalium Terracinæ existentium non dubitantes, quin reditus, et bona in pejus ruere possint, ea cesserunt, et pro erectione collegiatæ ecclesiæ S. Joannis octo canonicorum cum onere choro inserviendi, ac Missas explendi assignarunt. Sed notabilis collegiatæ impensa causa fuit, ut pro facultate erigendi octo capellanias, seu beneficia residentialia in eadem ecclesia cum prædicto onere loco collegiatæ cum clausula vocatis vocandis supplicarent. Episcopus itaque erectionem ejusmodi peregit, sed nonnullis adversus eam reclamantibus confratribus S. C. sancivit illam non sustineri : *Terracinen.*, *Capellaniarum*, 20 *aug.* 1701, *dub.* 2.

6. Christophorus Brignonius de villa Rezani institutis suis hæredibus celebrationem Missarum 50 mille, et aliorum 12,500 demandavit ecclesiis designatis pro illarum implemento. Inde de residuali summa in libellis in domo S. Georgii civitatis Januæ reperienda alias Missas quotidianas præcepit; atque causa non implementi loca pia substituit. De dicta residuali summa in scut. 9,000 inventa hæredes voluntatem non compleverunt. Quamobrem loca pia substituta S. C. exorant, ut ab hæredibus assignato certo fundo erigi octo capellaniæ in ecclesiis a testatoribus designatis pro celebratione Missarum possint. Sed S. C. gratiam impertiri renuit, addens, ut servetur mens testatoris : *Januen.*, *seu Savonen.*, *Erectionis capellaniæ*, 19 *aug.* 1702.

7. Capitulum insignis collegiatæ S. Mariæ in

Lata Via Urbis ex capellaniis sex perpetuis erigendis de jurepatronatus laicali ex dispositione Michaelis Cucci canonici dictæ ecclesiæ in ecclesia S. Michaelis Archang. prope castra S. Elpidii Morici exoptat erigere beneficia ecclesiastica cum reservatione juris instituendi in favorem sui ipsius juxta testamenti dispositionem. Sese opposuit Archiepiscopus Firmanus prætendens institutionem ad se spectare juxta dispositionem S. Concilii Trid. cap. 12, sess. 14, *de Reform.*[287], etiamsi contraria sit testatoris voluntas. Et S. C. dicti capituli supplicationem minime signavit : *Firmana, Capellaniarum*, 30 *sept.* 1702 [288]

8. Moniales S. Benedicti Urbini reputantes acceptionem capellaniæ institutæ a Julia Boccia in propria ecclesia cum conditione, ut nihil peterent a capellanis pro utensilibus, nimis forsan oneris sibi esse futurum, statuerunt facultatem illam acceptandi erectionem, ac absque ullo discrimine peragendam impetrare; et petitioni concessit S. C., cum assignatione tamen annuorum scutorum quatuor pro dictis sacris utensilibus, ac supellectilibus. Modo autem prævio recessu a decisis, nisi infra mensem moniales S. Benedicti declaraverint capitulariter velle acceptare cum onere sacrorum utensilium, capellaniam spectare ad moniales de Turre a testatore substitutas decrevit : *Urbinaten.*, 15 *nov.* 1704.

9. Armindus Riccius de terra Montis S. Martini pietatis opera reliquit, ut in ecclesiis dictæ terræ Missæ mille singulis annis per quatuor sacerdotes celebrarentur, declaravitque suam fuisse voluntatem et esse, ut reditus hæreditatis suæ in augendos, promovendosque viros dictos, ac religiosos impenderentur; hinc dubio proposito : An sit locus erectioni trium capellaniarum ex fructibus superextantibus, et illarum assignationi alicui ex religionibus reformatis in terram prædictam evocandis? rescriptum est, affirmative ad rationem eleemosynæ manualis unius julii nempe pro qualibet Missa in favorem religiosorum capacium arbitrio Card. Archiepiscopi : *Firmana*, 5 *junii* 1706.

10. Definiit S. C. locum non esse erectioni capellaniæ pro duobus capellanis choralibus cum oneribus injunctis in fundatione ab Episcopo factæ, qui pro dote scut. 600 tradere intendit; ita ut capitulum, et canonici a celebratione Missæ conventualis in feriatis diebus, ad quam non teneri canonici ex prætensa consuetudine, ac redituum tenuitate aiunt, eximantur, et addidit ad mentem : *Callien., Missæ conventualis*, 19 *junii* 1706.

11. Orta difficultate : An capellania a Joanne Cosma Colombino in ecclesia collegiata B. M. V. de Provenzano sit erigenda cum solo onere Missarum in festis, et commemorationibus B. Virginis, et festivitatibus SS. Apostolorum celebrandarum, una cum aliis duabus Missis in hebdomada? S. C. non esse erigendam cum duabus Missis hebdomadalibus decrevit. Nam in authenticis tabulis testamenti non apparet onus dictarum Missarum, et testator servitium chori præcipue respexit : *Senen., Oneris Missarum*, 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

12. Canonicus Dominicus Studiosus legatum reliquit ecclesiæ S. Mariæ de Focio comitatus Ameriæ in scutis bis mille, ut Sacrum peragatur arbitrio Episcopi, qui scut. 400 erogavit in tot Missas; de reliqua summa 1600 tres fundavit capellanias; postea S. C. interrogavit; an legatum de quo agitur, adjudicatum fuerit ecclesiæ cum onere Missarum, et quarum; vel debuisset in capellanias erigi? et tulit responsum negativum quoad primam, affirmativum quoad secundam partem : *Amerina, Eleemosynæ Missarum*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

13. De erectis proinde capellaniis ab Episcopo Fadulphio cum taxa eleemosynæ Missarum ex præfato legato, S. C. consulta illam erectionem ratam non habuit; sed taxandam esse eleemosynam ad rationem Bononiensium 15 pro qualibet Missa arbritrata est : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Quum adhuc erecta non esset capellania ordinata a Francisco Particella in ecclesia S. Josephi Loci Montis veteris, hæredes instituti S. C. exorant, ut dignetur eos absolvi ab onere dictæ erectionis, quia ceteroquin adimplenda omnia legata antecedenter imposita sunt expediti, vel onerum quantitatem juxta fructuum ratam partem reducere, resolutio non prodiit, ut expectetur exitus causæ super testamento expletis pro nunc oneribus præcedentibus : *Forosempronien.*, *Capellaniæ*, 16 *maii* 1711. Deinde censuit esse locum erectioni ad formam testamenti, et minime ad implementum onerum præcedentium, et Episcopum, ut assignentur meliora bona hæreditaria pro capellaniæ dote, prospiciendum : 27 *aug.* 1712

15. Ad tramites dispositionis pii Nicolai Gilii, qui voluit, ut duæ capellaniæ erigendæ nullo unquam tempore Episcopo, vel Datariæ subjicerentur, illæ in ecclesia collegiata S. Venantii Fabriani de jurepratronatus familiæ de Giampe erectæ fuerunt. De his S. C requisita erigi easdem non potuisse in titulum beneficii, sed debere tanquam legata pia haberi resolvit : *Camerinen.*, *Capellaniarum*, 11 *junii* 1712.

16. Non formam instrumenti fundationis a Daniele Toncato factæ capellaniæ sub titulo Sanctissimi

[287] Vide not. 31, v *Beneficia ecclesiastica*, § 5.

[288] Vide not. 32, v. *Beneficia ecclesiastica*, § 5.

Corporis Christi in ecclesia parochiali S. Jacobi villæ Clauseti de anno 1592 erectæ servandam esse; sed tuendam esse alteram anno 1593 additis oneribus institutam S. C. affirmavit : *Concordien.*, *Capellaniæ*, 1 *april.* 1713, *dub.* 1.

17. Victoria Suriano fundavit capellaniam hac conditione adjecta, ut si quis augmentum dotis fieret, rectoris pro tempore, et compatronorum consensum requisisset. Ante Annibal Suriano doti præfatæ capellaniæ duc. sexcentum adjunxit; sed denegantibus pro unione rectore, ac patronis assensum, coram Episcopo instituerunt hæredes pro novæ ac separatæ capellaniæ erectione, et obtinuerunt. At prævio recursu a patronis habito; erectionis decretum Episcopi haud sustineri S. C. sancivit : *Crotonen.*, *Capellaniæ*, 30 *januar.* 1717.

18. Erectionem capellaniarum, quæ canonicatus nuncupantur, Episcopus peregerat ex hæreditatis Joannis Francisci Chiaborelli reditibus. Hinc enim in beneficium altaris majoris, ac societatis ecclesiæ parochialis S. Ambrosii disposuit cogitavitque etiam nonnulla beneficia cum chori servitio erigenda, quum plusquam sufficiens pro indigentiis altaris prædicti, ac societatis annuus reditus hæreditatis esset; de qua erectione S. C. interrogata invalidam judicavit, et scribi Archiepiscopo Januæ juxta instructionem [289] mandavit : *Savon.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1. Inde disputato dubio; an constaret de fructuum sufficientia pro capellaniis erigendis? S. C. respondit affirmative juxta modum præscribendum a Card. præfecto [290] : *4 aug.* 1725, *dub.* 1.

19. Quum Episcopus ad erectionem duarum capellaniarum in ecclesia monialium S. Claræ civitatis Firmi ex fundatione Theodori Tabor ob redituum bonorum insufficientiam devenire abnuisset, nisi prævio beneplacito S. C. pro reductione onerum impetrando; commissarius fabricæ S. Petri eidem fabricæ bona applicavit. Episcopus proinde reclamavit, et S. C. non indigere beneplacito, et Ordinarium ad erectionem capellaniarum, prout de jure, non obstante applicatione fabricæ, procedendum putavit : *Firmana, Capellaniarum*, 1 *sept.* 1725, *dub.* 1.

20. Andreas del Sole moriens mandavit, ut omnia bona sua in ædificationem, et dotem monasterii et ecclesiæ erogarentur. Casu vero, quo intra quadriennium a die obitus non inciperetur monasterii fabrica, voluit tot erigi capellanias, quot fructibus bonorum responderent. Mortuus est testator die 16 octob. 1720, et testamentarii exequutores nonnisi de mense octob. 1720 inceperunt ædificium, et postea ab incepto opere desisterunt; propter hanc rem hæres usufructuria pro capellaniarum erectione urget, sed S. C. monasterii præfati ædificationi locum esse decrevit : *Cajetana, Erectionis monasterii*, 23 *julii* 1729, *dub.* 1.

21. Capellaniæ in ecclesia parochiali S. Martini erectio sustinetur, ac litteræ erectionis sunt exequendæ, non autem quoad vinculum hypothecæ appositum in reliquis Locis Montium hæreditatis sacerdotis Dominici Blanchi fundatoris in dotem non assignatis : *Nullius S. Salvatoris Majoris, Capellaniæ*, 9 *sept.* 1730.

22. Constantia Jannessa oppidi Castri Veteris altare in ecclesia S. Bernardini PP. Min. de Observ. Aquilæ cum onere Missarum arbitrio Ordinarii instituit. Joseph Antonius Corsi exequutor testamentarius supplicavit, ut ob eorumdem patrum incapacitatem prævia voluntatis commutatione, hæc capellania seu altare erigeretur in ecclesia parochiali dicti Castri, in qua testatricis ejusdem majorum sepulchrum exstitit. S. C. de hoc requisita primum definitionem protelavit, ut transmitti copia possit, et procurator generalis audiatur : *Valven. seu Aquilana*, 2 *dec.* 1730. Deinde pro erectione capellaniæ pro secularibus in ecclesia S. Bernardini arbitrio Episcopi Aquilani, et ad mentem rescripsit : 5 *maii* 1731.

23. Erectio capellaniæ ab Episcopo gesta ad hæredis instantiam cum voluntatis commutatione sanatione facto verbo cum Sanctissimo indiget. Benedictus enim de Berardis testavit auro liniri or-

[289] Et instructio fuit, ut per eumdem Card. Archiepiscopum fieret liquidatio status hæreditarii pii testatoris, ad quam videlicet summam revera ascendat annuas ejusdem reditus, et quomodo idem in præteritum fuerit administratus, et in quas causas erogatus, et quod ipse ulterius dignaretur certiorem facere S. C. de vero statu ecclesiæ, an ipsa videlicet reparatione indigeat, vel sacris supellectilibus : *Ead. causa*, 13 *julii* 1725, § 6.

[290] Modus est, ut fructus hæreditatis archipresbyteri Chiaborelli detractis oneribus, et legatis pro una medietate remaneant perpetuo applicati pro ornamento, et manutentione altaris majoris ecclesiæ parochialis Spigni sub vigilantia archipresbyteri pro tempore una cum confraternitate Sanctissimi Sacramenti ibi erecta : ex altera medietate erigantur septem capellaniæ manuales, inter quas partiantur æqualiter fructus ejusdem medietatis cum onere trium Missarum singulis hebdomadis celebrandarum a quolibet capellano in suffragium animæ testatoris, et cum obligatione interveniendi Missis cum cantu, vesperis, aliisque functionibus, quæ in dicta ecclesia solent ab archipresbytero celebrari in diebus festis de præcepto. Capellanorum nominatio in perpetuum spectet ad dictam confraternitatem una cum archipresbytero pro tempore, dummodo semper præferantur sacerdotes proximiores testatori, et deinde cives Spigni, et in eorum defectu nominari possint etiam exteri, nominatis tamen pro hac prima vice iis sacerdotibus, qui in fundatione beneficiorum facta ab Episcopo ex hac hæreditate fuerunt nominati. Lib. 75, *Decret.* fol. 408.

namenta ex gypso confecta in fornice publici oratorii S. Josepho dicati. Hoc opus inutile periti judicarunt, quia illa ornamenta sunt ruinæ proxima ob humorem, a quo sensim corrumpuntur; qua de causa fundationem capellaniæ in illius operis pii locum excogitavit: *Callien.*, *Capellaniæ*, 15 *decem.* 1731, *dub* 1.

24. Necnon esse restituendam pecuniam per Berardum ex mandato Episcopi depositam, ut ea juxta voluntatem testatoris ad ornatum capellæ erogaretur, judicavit, addiditque ad mentem [291]: *Ibid.*, *dub.* 2.

25. Agnes de Paulis hærede usufructuario instituto Antonio Serbaroli in proprietate nosocomium romanum fratrum S. Joannis de Deo adjecta conditione fundatione nnosocomii in oppido Cesano inchoandi vocavit. Dictus hæres usufructuarius timens patres hæreditatem non adituros, in testamento cavit, ut si patres eam repudiassent, esse in ecclesia parochiali dicti oppidi capellaniam erigendam. Sed patres possessionem nacti sunt bonorum, et fundationem distulerunt, ac inde postularunt commutationem, ut nempe in nosocomio romano ægros omnes tantum e Cesano recipere valeant. S. C. minime precibus adhæsit, et addidit, et quatenus instantes intra duos menses voluntatem mulieris non adimpleant, servetur dispositio Antonii Serbaroli, injuncto tamen capellano onere celebrationis, et applicationis Missæ quotidianæ, necnon adjuvandi parochum in cura animarum prævia approbatione Card. Ordinarii. Quo vero ad redditionem rationis de fructibus perceptis ad Card. Episcopum prout de jure: *Romana seu Portuen.*, *Commutationis voluntatis*, 20 *decem.* 1732. Deinde S. C. stetit in decisis quoad onus capellano injunctum parochum auxiliandi, ita ut reformanda in hac parte capellaniæ erectio minime est: 27 *febr.* 1768.

26. In locum erogandi pretium hæreditatis in tot Missas Constantia Pavoncella capellaniam cum onere tot Missarum, quot ferre possent annui reditus dictæ hæreditatis, erigendi facultatem petiit; et S. C. ei rescripsit, Episcopum procedere ad erectionem capellaniæ cum onere celebrandi juxta mentem Andreæ Jansanti tot Missas, quot celebrari possunt ex fructibus bonorum ad rationem manualis detractis utensilibus, et capellaniam remanere liberæ collationis, sed pro prima vice ex gratia ab Episcopo conferri fratri Constantiæ Pavoncellæ; necnon eumdem Episcopum cogere Philippum Belfortem, et Rocchum de Pavoncellis ad reddendam rationem de bonorum administratione, et de fructibus perceptis, ac ei incumbere, ut omnes iidem fructus restituendi etiam erogentur pro celebratione Missarum: *Perusina*, *seu Civitatis Plebis*, *Capellaniæ*, 27 *junii* 1733, *dub.* 1 et 2.

27. Leonardus Justinianus in sacello ædificando in castro Montis Rimaldi erectionem cujusdam capellaniæ mandavit. Sacellum exstrutum fuit; at filiæ dicti testatoris facultatem a S. C. erectionem in castro Podii Donadei Sabinensis diœcesis, ubi sunt nuptæ, transferendi petierunt, ac obtinuerunt. Sed causa reproducta S. C. recedit a decisis, et judicavit hæredes cogendos juris remediis ad explendas piam defuncti dispositionem, necnon ad reddendam rationem de fructibus perceptis: *Firmana*, *Capellaniæ*, 18 *julii* 1733, confirmata 29 *aug. ejusd. anni.*

28. Armindus Riccius hærede instituto opere pio, quod mons charitatis oppidi Montis Sancti Martini ipsius patriæ nuncupatur, Archiepiscopo facultatem suam voluntatem interpretandi reliquit; necnon voluit, ut, si reditus annui redundarent, Missarum onera augeri, et ea etiam ab exteris sacerdotibus impleri debeant. Archiepiscopus proinde, ut ipsius testatoris votis obsecundaret, binas quotidianas capellanias ex reditibus superextantibus erexit, utramque presbyteris congregationis missionis Firmi tradidit, quo factum fuit, ut mensa archiepiscopalis ab onere pensionem annuam eisdem patribus solvendi eximeretur; quum illa pensio imposita fuisset hac lege, ut si illi deinceps alios annuos proventus nacti fuissent, etiam cum Missarum onere, tunc pensio cessaret; propterea disputato dubio, an sustineantur erectiones nonnullis contradicentibus illius oppidi? et quatenus negative, an, et quomodo prædictus mons sit ab Archiepiscopo redintegrandus quoad tempus præteritum? S. C. respondit: Dilata, et ad mentem: *Firmana*, *Capellaniarum*, 10 *januar.* 1733, *dub.* 1 et 2.

29. Occasione erectionis faciendæ canonicatus demandati a Dominico Barca in collegiata ecclesia S. Stephani Novellariæ capitulum sese opposuit, ostendens tot oneribus fuisse canonicatum gravatum, ut ex illius reditibus congrua conservatio canonico deficiat, tamen S. C. erigendam esse capellaniam cum omnibus oneribus præscriptis statuit: *Regien.*, *Erectionis canonicatus*, 17 *nov.* 1736.

30. Franciscus Xaverius Lisius Missas celebrandas ex fructibus hæreditatis post uxoris obitum deposuit. Uxor hæreditatem ampliavit, petiitque capellaniam laicalem ad altare privilegiatum S. Petri de Alcantara collegiatæ ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris Maceratæ cum onere Missarum, ac pa-

[291] Nam facta fuit de præmissis per secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro; Sanctitas Sua S. C. sententiam benigne approbavit; et respective sanavit die 16 decem. 1731. Lib. 81, *Decret.* pag. 617.

tronatus in favorem hæredum erigendi; S. C. nulla data definitione, ut scribatur Episcopo pro meliori informatione juxta instructionem [292] mandavit : *Maceraten., Capellaniæ*, 4 *aug.* 1736. Inde pro erectione citra reservationem jurispatronatus rescripsit : 4 *maii* 1737.

31. Quæsitum quum esset, an erectio quinque capellaniarum, seu mansionariatuum ab Episcopo defuncto facta de anno 1729 cum omnibus, et legibus ibi præscriptis sustinetur? responsum est : Dilata, et scribatur Episcopo hodierno pro informatione, et voto : *Sancti Severi*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 1.

32. Capellaniæ erectioni annuendum non est in locum legati pro celebratione Missarum a Joanne de Gongora ordinati ob non modicam voluntatis immutationem; etiamsi ex ipsa erectione citius Missarum celebratio, quæ ad tramites testamenti incipi post mortem Mariæ Magdalenæ in vegeta adhuc ætate existentis debeat, inchoaretur, ac Missarum satisfactio perpetua ex assignata sorte tutius reddetur, *Corduben.*, *Erectionis capellaniæ*, 23 *aug.* 1738. Deinde canonicus Joseph de Gongora, qui erectionem exoptat, clarius pacta, ex quibus amplior causæ piæ conditio fit, exposuit, et S. C. a decisis recessit, ac gratiam erectionis juxta petita impertivit : 4 *julii* 1739.

33. Capellaniæ erectio ab Antistite Tridentino in ecclesia B. M. V. terræ Pellizzani peracta valida non est; sed voluntas obstat testatoris Alexandri Josephi Guarischetti, juxta quam legatum florenorum 4000 ecclesiæ prædictæ relictum simplex opus pium cum Missarum onere censendum est : *Tridentina, Translationis, oneris Missarum*, 13 *sept.* 1738, *dub.* 1. Causa ad examen revocata, ac novis documentis exhibitis, validamque fuisse dictam erectionem Gaspare Particella contendente S. C. recedendum a decisis censuit : 24 *januar.* 1739, *dub.* 1, confirmata 12 *sept. ejusd. anni.*

34. Duas capellanias esse erigendas in basilica S. Joannis Lateranensis Urbis S. C. judicium est; etiamsi Ursula de Angelis unam primo testamento erigi, alteram secundo nulla mentione facta de priori, imo cum clausula derogatoria cujuscumque dispositionis antea peractæ exoptaverit : *Romana, Capellaniæ*, 6 *decem.* 1738, confirmata 24 *januar.* 1739.

35. Ex hæreditariis bonis canonici Josephi Ximenis extare aiunt patroni capellaniarum, quas ille fundavit, tot bona, ut ea pro fundo erectionis sextæ capellaniæ sufficiant; subdunt tamen, eam hodie non esse erigendam, sed magis sextam fructuum partem, quæ in ipsius erectionem cedere deberet, expedire, in celebrationem tot Missarum ad rationem eleemosynæ manualis pro testatoris anima erogare, donec possit, sublata quadam adhuc vigente impeditione, ad pacificam ejusdem sextæ capellaniæ fundationem procedi. Id S. C. ultro concessit : *Valentina, Capellaniarum*, 10 *martii* 1742, *dub.* 4.

36. Canonicus Antonius Montanarius voluntatis canonici Marci Carelli exequutor, ejusdemque hæres petiit, ut dos 360 ducatorum, cujus reditus in perpetua anniversaria 36 erogari debebant, canonicis cathedralis ecclesiæ onus propter redituum tenuitatem respuentibus, in capellaniæ erectionem cum onere quinquaginta Missarum pro anima testatoris, aliorumque, quos ille nuncupavit, celebrationis impenderetur. Quatenus vero capellaniæ erectio S. C. non arrisisset, anniversariorum reductionem, quam impetravit, exoravit : *Cajetana, Commutationis voluntatis*, 22 *sept.* 1742.

37. Morte deleta Imperia Zagarolia a Christophoro Zellio usufructuaria constituta, erigendæ capellaniæ dies venit. Quum vero Franciscus Zagarolius, qui jura patronatus habet, probe intellexisset, hæreditatem Catharinæ Imperiæ filiæ præmortuæ, qua capellania erigenda erat, longe deductionibus legitimæ, dotisque augmenti esse diminutam, satis duxit quærere; num ad dictam erectionem cum oneris sacrorum reductione devenire debeat; et gratiam assequutus est reductionis ad rationem perpetuæ : *Viterbien., Capellaniæ*, 11 *januar.* 1744, *dub.* 1.

38. Capellaniam publico instrumento fundavit Arsilia Francesca vidua Sergii Venezziani, cui fundationi Episcopus consensum, quoadusque pinguius beneficium, et ecclesiæ utilius reddidisset, præstare abnuit. Arsilia illam fundationem revocavit et aliam, quæ fuit approbata, peregit, et primum capellanum nominavit. Morte sublato Episcopo, et animo dixit eam fuisse coactam secundam facere fundationem, et chori onus capellano injunctum delere, ac pro dissolutione dictæ secundæ fundationis S. C. supplicavit, affirmativumque responsum obtinuit, sed juxta modum [293] : *Vigilien., Fundationis*, 18 *julii* 1744.

39. Erectio capellaniæ sub titulo Sanctissimæ Annuntiationis B. M. V. per Ordinarium in ecclesia

[292] Quæ in eo versata est, ut Episcopus S. C. distincte referret, ad quam summam ascendere posset sors ab oratrice relinquenda una cum distincta recensione bonorum ab hæreditate Francisci Xaverii Lisii provenientium, et illorum, quæ proprio jure ad oratricem spectant, necnon quo Missarum numero eadem oratrix intenderet capellanum gravare : *Ead. causa*, 4 *maii* 1737, § 1.

[293] Et modus est, ut per oratricem augeantur reditus ad ducat. 12 cum obligatione manutenendi eumdem reditum in perpetuum : *Ead. causa*, 18 *julii* 1744.

cathedrali Montis Politiani facta sustinetur, licet Bracci patronis, verba testamenti esse de capellania seculari non ecclesiastica accipienda, opposuerunt, nihilque a testatore in secunda substitutione præter Missarum numerum de ecclesiastica qualitate mentio facto fuerit : *Montis Polit.ani*, *Erectionis capellaniæ*, 14 *januar*. 1747.

40. Pater Alexius Angioletti Celestinus in sua professione disposuit, ut post obitum suæ genitricis, et fratris patris Alexandri in ecclesia S. M. Celanellæ capellaniæ duæ erigerentur. Sed egressus inde e monasterio, et a congregatione Cassinensi P. Alexander omnia bona occupavit, et ex parte fundos capellaniarum distraxit. Postmodum mortem oppetiit, et factus est locus capellaniarum erectioni. Ad sorores Bottani Maria, et Prospera filia Margaritæ, sororis P. Alexandri, suspensionem earumdem obsecrarunt ad mortem usque ipsarum, ut ex reditibus bonorum annuam præstationem scut. 90 percipere possint. S. C. vero mandavit, ut capellaniarum erectio fieret, et postea supplicent : *Bergomen*, 3 *aug*. 1748.

41. Piis testoribus mandantibus erectiones capellaniarum sub conditionibus nempe prima, ut sint clerici capellani, et sacerdotes seculares, et deinde regulares, ut Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, judices visitationis testamentorum piarum dispositionum, ad quos quomodocumque spectat jus approbationis, omnino confirmare hujusmodi erectiones teneantur, S. C. consulta respondit, impedire non posse quominus regulares per seipsos Missas celebrent, onera suppleant, bona administrent, fructusque percipiant. Nam sæpius in regnis Indiarum Occidentalium in dubium fuit revocata ratio, et modus prædictarum erectionum exequendi : *Mexicana*, *Erectionis capellaniarum*, 25 *januar*. 1749, *dub*. 2.

42. Ideoque capellania a Sebastiano de Ariburi Arechaga relicta, est erigenda cum conditione, ut post mortem Antonii de Horbegozo primi capellani nominati transeat ad patres hospitii Eremitarum S. Augustini S. Thomæ de Villanova, qui nulla facta præsentatione presbyteri secularis, possint per seipsos Missas celebrare, aliaque onera implere, bona administrare, et fructus ad formam testamentariæ dispositionis dicti Sebastiani de Ariburi percipere : *Ibid*., *dub*. 3.

43. Anna Maria Sarmiento in fundatione cujusdam capellaniæ assignavit censum integrum centum millia regalium. Quum vero ex eadem attributione nihil supererat, unde viveret, clam convenit cum Emmanuele de Villaba, cujus filios vocaverat post primum capellanum, ut ipsa integros perciperet fructus nesciente ipso capellano, qui, vigore hujus capellaniæ, ad sacros ordines ascendit. Postea dubitantibus illis de conventione simoniaca, ac de suspensione, capellani Francisci S. C. sciscitati sunt, quæ pro absolutione, et dispensatione ad cautelam consulendum esse Sanctissimum decrevit : *Vallisoletana*, *Capellaniæ*, 26 *april*. 1749, *dub*. 1.

44. Capellania fundata a Simone Bonafe in ecclesia sodalitii sanctissimi Rosarii, de cujus manualitate constat, ab Episcopo, minime audito capitulo, in canonicatum ecclesiæ cathedralis erecta fuit. Transactis nonnullis annis S. C. requisita de ejusdem erectionis validitate, validam non esse illam erectionem firmavit : *Comaclen*., 23 *aug*. 1749.

45. Non est locus erectioni capellaniæ amovibilis, sed canonicatus in insigni collegiata terræ Otriculi. Nam fundatrix Constantia Metelli, etsi primum remiserit arbitrio exequutoris erectionem, tamen altero testamento idem arbitrium pendere voluit a casu, quo as hæreditarius faciendo dictam erectionem impar videretur. Reditus autem ad annua scut. 40 fere ascenderat : *Narnien*., *Erectionis canonicatus*, 20 *decem*. 1749, confirmatur cum additione, ut Episcopus redditioni rationis incumbat : 27 *martii* 1751.

47. Petrus Pœnales Compostellanus, parochiæ S. Mariæ *del Camino* post complura sorori Dominicæ, ejusque filiis relicta legata, hæredem in reliquis bonis instituit suam animam. Non satis Dominicæ, ejusque filiis fuere legata, ideoque hæc inde obtinuit ad S. C. annuam præstationem ducatorum 40 ad decennium ex fraternæ hæreditatis reditibus; postulat nunc, ut ex reditibus, qui supersunt ex viginti mille Sacrorum numero hactenus celebratorum fundetur capellania, quæ conferri perpetuo debeat uni ex filiis, et descendentibus, capellano certis, perpetuisque datis oneribus. Parochus contra contendit, superextantes reditus in ecclesiæ parochialis reparationem impendendos. Proposito igitur dubio, quomodonam essent præfati reditus distribuendi, et an esset capellaniæ erectioni locus ; S. C. rem Archiepiscopi arbitrio juxta mentem commendavit : *Compostellana*, 6 *junii* 1750.

47. Erigenda est capellania residentialis in collegiata S. Secundi ad formam testamenti Joannis Jacobi Beccaris, non autem beneficium simplex cum onere Missarum celebrationis, quod erigi ordinaverat testator, quando reditus ad capellaniam fundandam satis haud erant : *Asten*., *Capellaniæ*, 28 *aug*. 1751, *dub*. 1.

48. Statuit abbatissa Magdalena de Ferrany Vollor publico instrumento in parochiali ecclesia monasterii S. Petri Puellarum capellaniam, quam Antonii avi, et Philippi patris dispositiones ultimæ ordinaverant, servavitque sibi, quoad viveret, juspatronatus, et post ejus mortem abbatissis monasterii. Hodiernus capellanuus Joseph Ribert censet illam fundationem validam esse, quia acta fuit ab hærede,

et ultima substituta in testamentis avi, ac patris; etiamsi ii exequutores testamentarios delegerant, ac nominaverant, qui sunt adhuc superstites. De hac fundatione S. C. requisita, ratam non habuit, et addidit ad mentem [294]: *Barchinonen., Capellaniæ*, 17 *junii* 1752, confirmata 24 *martii* 1753.

49. Capellania perpetua designata fuit a Mercurio Floravantes terræ Belfortis cum Missarum onere personaliter per capellanum adimplendo, ac prælatione consanguineorum si idoneus ad celebrandum, ac ad confessiones audiendas adesset. Hæc capellania, licet Episcopus esse ecclesiasticam contenderet, mere laicalis a patrono post Mercurii obitum erecta fuit. Sed S. C., certante Philippo Panichellio consanguineo non sacerdote, neque confessario, in beneficium ecclesiasticum accedente patronis consensu esse erigendam declaravit: *Camerinen., Capellaniæ*, 25 *januar.* 1755.

50. In erectione capellaniæ laicalis fundatæ ab Olympia Aldobrandina Pamphilia in terra Carpineti ab Episcopo confecta, ipse Episcopus reservare jus instituendi capellanos a patronis nominatis sibi, suisque in episcopatu successoribus non valuit: *Romana seu Anagnina*, 1 *martii* 1755.

51. Capellania instituta a Maria Anzidora Ciaffoni cum dote scut. 550 erigenda est dote assignata scut. 200 ex bonis hæreditariis Dominici Ciaffoni. Nam legitimæ dicto Dominico in scutis 150 debitæ hæredum auctori detractioni locus fuit: *Montis Alti, Erectionis capellaniæ*, 18 *febr.* 1758.

52. In erectione capellaniæ sub titulo S. Hieronymi in loco Villæ Francæ peracta potuit Episcopus Niciensis sibi suisque successoribus reservare jus conferendi dictam capellaniam, quum ex testamento data ei fuisset, *in tutto, e per tutto la cura, instituzione, provista del capellano, e fissazione del numero delle messe*, nec societas nuncupata *del Consalone* jus habet nominandi, seu præsentandi capellanum. In hac erectione enim mere ministra, ac exequutrix societas fuit: *Nicien., Capellaniæ*, 15 *april.* 1758, *dub.* 1, confirmata 12 *aug. ejusd. anni.*

53. In publicis comitiis in oppido Majerati habitis deliberatum est, ut peteretur erectio duodecim capellaniarum ex bonis vacantis archipresbyteratus facienda, cum unione redituum suppressi conventus ordinis prædicatoris, ac utilium, quæ clero afferre geminæ societates laicorum utriusque sexus solent, ut conferri possint dictæ capellaniæ duodecim presbyteris naturalibus dicti loci, qui quotidie ecclesiæ inserviant, ac archipresbyterum, cui servanda est conciliaris congrua, adjuvant. Ac S. C. hujusmodi precibus haud adhæsit. Episcopus enim timet, ne diminutis archipresbyteratus reditibus difficilius inveniatur, qui ob paupertatem habitantium, ac aeris insalubritatem optare illam velit: *Militen., Erectionis capellaniar.*, 22 *martii* 1760.

54. Demandavit erectionem capellaniæ canonicus Carolus Antonius, et Constantinus Nicolaus fratres Marenchi. Difficultas statim ejusdem piæ voluntatis exequutionis agnita fuit. Hæreditas enim inventa ita pluribus oneribus, ac litibus obnoxia, ut munus exequutoris haud acceptatum fuerit. Hinc petitum, ut hoc munus capitulo injungeretur, cum facultate eligendi de consensu Episcopi unum, vel plures administratores, ac ut ex fructibus celebrarentur in ecclesia cathedrali tot Missæ certis designatis horis juxta numerum ab Episcopo, et canonico deputato taxandum. Sed ad rogatum respondit S. C., ut Episcopus mandet quamprimum firmari statum hæreditarium activum, ac passivum, illumque transmittat, et quatenus oratores, prævia judiciali denunciatione, munus exequutorum acceptare nolint alios deputari sibi benevisos arbitrio S. C.; interim vero nonnullas celebrari Missas ad altaria privilegiata in suffragium animarum testatorum curet. Posmodum ead. S. C. haud esse locum erectioni dictæ capellaniæ resolvit: *Aquen., Erectionis capellaniæ*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 1.

55. Capellania a Barbara Alfonsi Ægidii Fanelli uxore relicta erigi debet cum reservatione jurispatronatus omnibus descendentibus masculis de Benedictis facta ad formam testamenti non fundatricis Barbaræ, quæ præcise nihil de capellania loquuta est, sed Gabriellæ unius ex substitutis filialibus, quæ de numero Missarum de jurepatronatus, deque erectione providit: *Montis Falisci, Erectionis capellaniæ*, 23 *aug.* 1760.

56. Capellaniam manualem, quam sacerdos Joannes Merula ecclesiasticam fundaverat, in ecclesiasticum beneficium erigi S. C. denegavit. Adversatur enim testatoris mens, ac præjudicium infertur descendentibus agnationis, ac familiæ de Merulis jus ex testamento habentibus, postquam perveniunt ad ætatem annorum decem et octo, assequendi controversam capellaniam, dimisso extraneo possessore; quod sublatum lugerent dictæ familiæ vocati, sequuta capellaniæ in beneficium ecclesiasticum erectione: *Viglevanen., Capellaniæ*, 25 *april.* 1761, *dub.* 1.

57. Licet testator Sisinius Pescitelli erigi mandasset capellaniam jurispatronatus in altari seu capella S. Stephani ecclesiæ S. Mariæ Novæ terræ Tophiæ, tamen erectio facta centum retro annis ab

[294] Et mens est, ut Episcopus, prævia firmatione status hæreditarii tam Antonii, quam Philippi, incumbat exequutioni eorum voluntatis: *Ead. causa*, 3 *febr.* 1753.

abbate commendatario approbatur, quia locum non esse moderationi ad formam testamenti S. C. censuit : *Nullius seu Farfen.*, 21 *nov.* 1791, *dub.* 1.

58. Erectio capellaniarum, quas familia de Angelinis instituit, facienda est in capella S. Nicolai Tolentini, quæ ad familiam prædictam patronam pertinet, etiam regularibus, in quorum ecclesia Castri S. Angeli extat capella, invitis; prout demandatum fuit in testamento; nec est concedenda translatio in aliam ecclesiam : *Firmana, Erectionis capellaniarum*, 22 *januar.* 1763, *dub.* 2.

59. Quinque capellaniæ per archipresbyterum terræ Alviani Franciscum Mariam Titolivii institutæ fuerunt, inde dubitatum, an voluerit fundator qualitatem laicalem, vel ecclesiasticam ex duplici adhibita denominatione, ex qua qualitas laicalis prævalere videtur; ob id eædem non sunt per Ordinarium in beneficium ecclesiasticum collativum erigendæ, quod S. C. statuit in *Amerina, Capellaniarum*, 12 *martii* 1763, *dub.* 1.

60. Inde ad dubium, quomodo consulendum existentiæ dictarum capellaniarum? respondit satis provisum in testamento : *Ibid.*, *dub.* 2.

61. Insuper resolvit S. C. minime locum esse suppeditationi expensarum ex fructibus bonorum pro capellanis prædictis assignatorum : *Ibid.*, *dub.* 3.

62. Quum actum fuisset, an bona relicta a Salvatore Pecorella, Raphaeli Musolino sint assignanda, uti proximiori testatori ejus vita durante tantum titulo capellaniæ cum onere unius Missæ quotidianæ, ac interim suspensæ remaneant erectiones aliarum, quod idem Raphael plurimas litis expensas pro dictis bonis vindicandis fecerat? S. C. nulla data definitione, ut firmetur status, et scribatur Archiepiscopo juxta instructionem [295] respondit : *Panormitana*, 22 *sept.* 1763. Inde responsum præbuit affirmativum emissa per Musolinum renunciatione in forma juris valida in favorem hæreditatis omnium jurium, pro expensis factis, et assumpto onere solvendi omnes, et quascumque alias faciendas litium expensas, et capellanias esse erigendas Calatafimi post obitum ejusdem Musolini : 27 *april.* 1765.

63. Una nunc erigenda capellania est perpetua cum onere Missæ quotidianæ ex legatis Missarum a testatore Clemente Pace relictis. Nam Lucius Pace hæres duodecim filios habet, piamque voluntatem potest labefactare, præsertim, quia unum legatum incertum celebrationis initium sacrorum, cetera incertas conditiones continent : *Cassanen.*, 26 *nov.* 1763.

64. Papirius Danielius fundum annui reditus scutorum centum sexaginta legavit, ea lege, ut omnes in celebratione Missarum spatio ducentorum annorum erogari deberent. Hæres institutus ab Episcopo auctoritate S. C. obtinuit, ut quotannis ex reditu prædicto celebrarentur mille, et sexcentum, et duo Missæ, facta ab ipso obligatione super celebratione prædicta; etiamsi fructus prædii decrevissent. Re composita petiit hæres capellaniæ perpetuæ erectionem, assignationemque fundi annui reditus scut. 80 proposuit, eamque in locum prædicti legati substituere, ac voluntatis commutationem postulavit. Annuit S. C. prædictæ erectioni : *Fanen.*, 15 *dec.* 1764.

65. Non est locus commutationi voluntatis Alberti Bonanni pro erectione capellaniarum chori onere adjecto, pro qua erectione nonnulli canonici capituli cathedralis ecclesiæ nomine S. C. efflagitarunt; quum deficeret urgens, et gravis causa. Sed canonicatus juxta mentem testatoris sunt erigendi : *Hortana, Erectionis canonicatuum*, 23 *apr.* 1668, *dub.* 1, confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

66. Capellaniam præscriptam a Rosa Agostini in honorem S. Josephi in suo testamento, cui deerat subscriptio testatricis, sive octavi testis ejus loco adhibendi, esse erigendam S. C. mandavit. Aliena enim manu testamentum conscriptum Rosa coram testibus signo crucis obsignavit, aliisque testibus subscriptum notario clausum tradidit : *Anagnina, Erectionis capellaniæ*, 10 *julii* 1768. Postmodum non constare de testatricis voluntate, quum factum testamentum non fuerit, nec ab ea exaratum, ex quo non excludi suppositiam scripturam compertum est; S. C. recessit a decisis, nec esse locum erectioni sancivit : 10 *martii* 1770. Iterum producta causa, stetit in primo loco decisis : 28 *sept.* 1771, *dub.* 2. Sed statim rediit in secundo loco decisis : 4 *april.* 1772, *dub.* 1.

67. Capellania fundata a Magdalena Venanzetti in ecclesia collegiata S. Mariæ Matelicæ cum onere celebrandi Missas a capellano nominato, et per alium tempore infirmitatis erigi non debet in titulum beneficii ecclesiastici, ac effecta a pro-vicario generali non sustinetur. Ita S. C. decrevit in *Camerinen.*, *Capellaniæ*, 21 *nov.* 1771, *dub.* 1.

68. Canonicus Franciscus Hyacinthus Closio capellaniam perpetuam laicalem in ecclesia collegiata oppidi Javeni erigi deliberavit. Sed nunquam erecta fuit; ideo Felix Philippus Closio patronus, et pronepos fundatoris perpensa maxima illius inopia, do-

[295] Nempe, ut firmetur status activus, et passivus sortis relictæ ad effectum, de quo agitur, prævia æstimatione respective judiciali præcisi valoris ipsiusmet fundi una cum annuo reditu, quo modo percipitur, et percipi poterit casu, quo meliorari contingat, ulterius referat, an hujusmodi fundatio utilis sit vel necessaria signanter in loco demandato, et in ista diœcesi respective exquirendo a communitate, an illa valeat assensum ad memoratum effectum reponere : *Regist. lit.* lib. 32 *die* 24 *septem.* 1763.

nec vixerit, adimpleto Missarum onere suspensionem erectionis efflagitat. Nullis opponentibus aliis consanguineis, imo hanc gratiam implorantibus, juxta votum vicarii capitularis, et consensum interesse habentium ad vitam oratoris tantum, adimpletis oneribus annuit S. C. : *Nullius, Sancti Michaelis de Clusa*, 20 *januar*. 1776.

69. Erectionis capellaniæ mere laicalis a Joanne Francisco Brunerio institutæ suspensio intuitu patronorum a fundatore descendentium nimia paupertate laborantium concessa fuit, sed juxta Archiepiscopi votum facto verbo cum Sanctissimo : *Taurinen.*, 30 *martii* 1776.

70. Capellaniæ sacerdotalis fundatæ a Victoria Ronca in ecclesiæ societatis Sanctissimæ Trinitatis dotem augere Joseph Maria Barellus patronus cupit, ut auctoritate ordinaria erigatur. Sed S. C. annuit, et quoad erectionem auctoritate ordinaria nihil respondit : *Taurinen., Capellaniæ*, 11 *januar*. 1777.

71. Joseph Cappella, et Praxedes Celletti conjuges inter se facta reciproca donatione inter vivos ea lege, ut uxor si non transisset ad secunda vota, vel ad ea transiens filios non suscepisset, tunc plures capellaniæ erigerentur ; at ante obitum ipsius viri prævia absolutione a juramento præstito in donatione eam revocavit ; mandavitque in testamento, utcumque convolasset ad secundas nuptias, quatuor capellaniæ erigerentur. Uxor accepit virum Andream Trenta, et filius natus est. Modo exponit vir, ut ei facultas fruendi usufructu præfatæ hæreditatis suspensa erectione trium capellaniarum concedatur ; quartam vero in favorem nominati a testatore erigi promittit, et alias in dotem inde augere exoptat, facta jurium cessione, quæ ex donatione competere ipsi possint. S. C. nihil definiit, sed jussit, ut scribatur Episcopo pro ulteriori informatione super annuo fructu bonorum hæreditariorum Josephi Cappella, et super ætate oratoris : *Verulana*, 11 *jan*. 1777. Interea decessit uxor oratoris, urget mater uxoris, ut preces oratoris rejiciantur ob præjudicium suorum jurium contra eumdem, quæ coram AC. super nullitate donationis agitat ; et revera S. C. precibus viri non annuit : 14 *febr*. 1778.

72. Locus est capellaniarum, et legatorum per Vitalitia sumpta ad formam testamenti Antonii Pelucchi erectioni, postquam ab hæredibus obtentæ fuerunt prorogationes pro voluntatis exequutione ; non autem suspensio ejusdem erectionis a consanguineis petita paupertatem eorum præseferentibus est concedenda : *Romana*, *Capellaniarum et legatorum piorum*, 13 *sept*. 1777, *dub*. 1.

73. Ex bonis hæreditariis Alexandri Guicciardini expletis legatis de residuo relicto a testatore ecclesiæ S. Mariæ de Baraccano ad effectum erogandi in tot Missas, S. C. indulsit, ut erigantur tres capellaniæ cum onere Missæ quotidianæ celebrandæ, unius in ecclesia parochiali S. Juliani, et aliarum duarum in ecclesia præfata S. Mariæ ad rationem manualis, detractis utensilibus, et fiat investimentum in locis montium, et, quidquid superest, erogetur in tot Missas manuales facto verbo cum Sanctissimo : *Bononien.*, 4 *april*. 1778.

74. Camilla Brusati hæres, et filia Defendentis Brusati animadvertens hæreditatem defuncti esse plurimo ære alieno gravatam, quamdam capellaniam non erectam, Missas non celebratas, ac fundos a testatore pro illius dote præscriptos oneri ferendo prorsus impares, Theologum consuluit, qui non teneri resolvit ad capellaniæ erectionem causa legitimæ eidem debitæ ; hinc arbitrariam celebrationem peregit. Deinde una cum filio Joan. Petri curavit pro tranquillitate ejus conscientiæ cum capitulo ecclesiæ cathedralis contractum inire, vi cujus cessit nonnulla bona a testatore assignata pro dote capellaniæ, et capitulum Missarum celebrationem promisit. Denique filius ejusdem Joan. Petri animi pendens de omnium validitate quia hæreditas Defendentis dempto ære alieno, ac legitima erectionem capellaniæ in ecclesiæ monialium S. Augustini subire potest ; ob id S. C. exorat, ut rogatum novem complectens dubia definiatur, et prodiit rescriptum quoad præteritum in omnibus ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus initi cum capitulo annis 1750 - 1751, et orator acquiescat : *Novarien.*, 7 *aug*. 1779, *dub*. 1, *usque ad* 9.

75. Franciscus Cadoni de villa Mura morti proximus hæredem in semisse instituit filium, et alterum semisse vendi mandavit, ut pretium in celebratione Missarum impenderetur. Episcopus animadvertens nullum nisi parochum in ea villa extare sacerdotem ; hinc ad consulendum animarum saluti, proposuit, ut ex hoc semisse capellania erigetur injuncto capellano onere residentiæ, et parochum in animarum cura adjuvandi. Episcopi petitis S. C. respondit ad mentem [196] : *Bossanen.*, *Commutationis voluntatis*, 3 *julii* 1784.

76. Prius capellania a Francisco Basilio ad altare S. Josephi in ecclesia cathedrali civitatis Plebis, inde altera in ecclesia monialium S. Luciæ dictæ civitatis erigi constituitur. Ex utraque capellania secunda erecta fuit. Nam testator bona, quæ primæ pro dote atribuerat, secundæ assignaverat, idcirco

[196] Et mens est, ut referat de annuo reditu bonorum legatorum, de quantitate, et numero animarum parochiæ, et an Missarum applicatio facienda sit pro anima testatoris : *Ead. causa*, 5 *julii* 1784.

recessisse a prima fundatione fuit arbitratum. De his vero S. C. interrogata primæ quoque capellaniæ erectionem præcepit : *Civitatis Plebis*, *Erectionis capellaniæ*, 27 *nov.* 1784, *dub.* 1.

77. Capellaniæ in ecclesia parochiali oppidi Salarum erectionem instituere optarunt Joseph, aliique Bagni testatoris Joan. Alberti Brizii ex sorore nepotes, retentis stabilibus hæreditatis, quam animæ suæ dictus testator, fratre, et sorore extinctis, reliquit, et voluit, ut in frugiferum censum pecuniæ ex venditione mobilium retrahendæ collocarentur: locum esse dictæ erectioni juxta votum Archiepiscopi S. C. [297] definiit : *Papien.*, 8 *april.* 1786, *dub.* 1.

78. Junipera Magagnoli Missæ hebdomadalis onerata hæreditate præcepit, ut lampas accensa in ecclesia monasterii B. M. V. sine labe conceptæ Bononiæ poneretur, et quolibet mense tam professis, quam novitiis, et conversis singulatim obolum unum distribueretur. De fructibus autem hæreditatis superextantibus in favorem erigendæ capellaniæ peracto multiplico disposuit. Hæredes fiduciarii S. C. exponunt, ut loco multiplici, ac menstruæ distributionis capellania erigi possit, firmo lampadis luminis onere, alioquin post annos 25 locus dictæ erectioni esset. S. C. autem non assensa est : *Bononien.*, 7 *junii* 1787.

79. A nepte Maria Catharina hærede Jacobus Maria de Nigro præscripsit investiri hæreditatis fructus, ex quibus tot cum eleemosyna januensium obolorum duodecim, seu monetæ romanæ decem pro quolibet, celebrarentur Sacra. Expleta hæc fuit Missarum celebratio in monasterio S. Claræ de Carignano in remota Januæ parte sito. Eleemosynam hanc sacerdotes negligunt ; ideo hæres Marianna soror rogat, ut ex libris 300, quæ summam constituunt monetæ romanæ 46, 50, fiat in ea ecclesia erectio capellaniæ cum onere quotidiani Sacri, ac facultate removendi capellanum ad nutum abbatissæ. Quæritur hinc, an, et quomodo sit locus hujusce capellaniæ erectioni ex annuis præfatis libris 300? et locum illi esse S. C. putavit juxta votum Archiepiscopi [298], prævia obligatione monasterii per capitulum monialium facienda : *Januen.*, 5 *april.* 1788, *dub.* 1.

80. Erectio capellaniæ laicalis ex legato Missarum relicto ab Hippolyta Torelli Gisberti petita ab hærede mediato sub pluribus conditionibus conceditur a S. C. juxta Episcopi votum [299], quod oratori favet, dempta Missarum reductione : *Fanen.*, *Erectionis capellaniæ*, 9 *aug.* 1788.

81. Capellania per conjuges Franciscum Mastronium, et Annam Pomponium post eorum obitum instituta ex bonis dumtaxat erigitur viri, ob revocatum a superstite uxore testamentum quoad propria bona: *Signina*, 29 *nov.* 1788, *dub.* 1.

82. Hippolytus Callot hærede instituta ecclesia SS. Martyrum Laurentii in Fonte, et Hippolyti, quam nobilium aulicolarum congregatio, quæ *Urbana* dicitur, regit, multiplicum ordinavit ad capellanias sex erigendas, inde aliud confici mandavit multiplicum, ut usque ad 15 capellaniæ fundarentur, aliaque pia opera peragerentur. Capellaniis septem tantum erectis ecclesia ob æs alienum contractum, et precipue cum dicta hæreditate in summa conspicua petiit unionem hæreditatis, absque onere reliquas erigendi capellanias, et S. C. annuit juxta votum Card. visitatoris [300] : *Romana*, *Unionis redituum*, 25 *januar.* 1791.

83. Capellaniæ laicalis, seu legati pii instituti a Georgio Verdesio denegatur erectio cum qualitate ecclesiastica, et præscribitur, ut quotannis exhibeantur Episcopo documenta impletæ celebrationis. *Alben.*, 24 *martii* 1792, *dub.* 1.

84. Primum capellaniam perpetuam, postea legatum pium Missarum instituere censuit Octavius Speranza ; ideo Episcopus Beni pium legatum instantibus patronis in capellaniam crexit, et constituit in favorem cujusdam clerici sacrum patrimonium ;

[297] Qui utilem hanc voluntatis commutationem esse refert, ut ecclesiæ parochiali, quæ sufficienti Missarum numero festis aliis diebus præterquam dominicis caret, et parochiæ incolarum necessitati, qui uno, eodemque tempore parochiali Missæ interesse nequeunt, consulatur. Sufficere huic rei fructus hæreditatis animadvertit cum stabilia retinenda attollantur ad scut. 750, cetera vendenda et implicanda, ut supra ad scut. 160. *Ead. causa*, 11 *martii* 1786, § 3.

[298] Nedum, inquit Archiepiscopus, impossibile est invenire sacerdotes, qui tam exigua eleemosyna obolorum duodecim taxata a testatore, Missas celebrare velint in ecclesia oratricis monasterii, haud parum a centro civitatis dissiti, sed et alibi etiam difficile erit, ut eas adimplere facere possit. Hinc oratrici favendum censet : *Ead. causa*, 16 *febr.* 1788, § 2.

[299] Ait Episcopus, neque altare, neque capellanum Hippolytam statuere (celebrationi Missarum), Lelio Rinalducci hinc ut hæredi libera est de singulis facultas arbitrandi, ideoque concludit ; si in ecclesia rurali, (quæ publico usui est, atque ad eumdem Lelium pertinet) statutis ab ipso diebus hujusmodi Missæ celebrarentur, reliquæ vero, quæ numerum adimpleant, in qualibet ecclesia in commodum oratoris, uxorisque suæ ; id nec præter voluntatem testatricis fieri videretur. Neque ex hac, quam postulat, jurispatronatus erectione quidquam vel incommodi, vel detrimenti consequitur. Immo aliqua forte commodi, consequitur futurum sit, ut id in beneficium transeat alicujus idonei ad sacros ordines assequendos, cui vel beneficium ecclesiasticum desit, vel augusta domi res patrimonium non suppetat. Inde adversari fatetur Missarum reductioni voluntatem testatricis : *Ead. causa*, 9 *aug.* 1788, § 3, et seqq.

[300] Vide not. 182, tom. 1, verb. *Applicatio*. § 1.

at hodiernus patronus exorat pro redintegratione legati pii ad formam testamenti. S. C. vero sanavit erectionem peractam celebratis Missis 260 in ecclesia, in qua testator est tumulatus: *Fanen.*, *Capellaniæ*, 7 *maii* 1791, *dub.* 1.

85. Philippi Rosas legati Missarum manualium purificata conditione petita fuit perpetuæ capellaniæ erectio cum onere quotidiani Sacri, ac reservatione jurispatronatus in favorem descendentium testatoris, et S. C. ultro annuit juxta votum tamen vicarii capitularis [301]: *Turritana*, 28 *maii* 1791, *dub.* 1.

86. Ad alias erigendas capellanias ex duplici, eoque tenui quotidianæ Missæ legato imposito possessori primogenituræ Poli, haud donata fuit capellaniarum pinguium dismembratio: *Tyburtina*, *Dismembrationis*, 26 *martii* 1793.

87. Ad preces Venantii Bidini censoriæ viri erigi permisit S. C. sub die 28 maii 1791, capellaniam ex bonis ejus, et uxoris, licet in reciproco testamento bona eroganda essent in celebrationem Missarum, modo quæritur, num erigi scilicet deberet ex bonis dumtaxat uxoris, salvo usu fructu viri superstitis, eique relicta libertate variandi suam dispositionem, sub dubio, an, et quomodo sit locus exequutioni rescripti 28 maii 1791? rescribit S. C., negative, et servandam esse dispositionem censoriæ ad formam testamenti: *Firmana*, *Commutationis, Voluntatis*, 20 *april.* 1793.

88. Duplicem quotidiani Sacri capellaniam instituit Argenta Martignone, et pro fundo assignavit libel. 13000 investienda in tot locis Montis S. Georgii. Hæreditas partita est inter tres mediatos hæredes, et investimentum haud fuit peractum. Unus ex his Nicolaus Cambiasi pro sua rata parte Missas celebravit, inde omissa fuit celebratio. Modo consulta S. C. decidit esse instituendas capellanias per unum ex hæredibus fundatricis ad formam testamenti, cum integra nempe sorte libel. 13 mil. nondum separata ab hæreditate, licet duplex tantum delata ad eum fuerit hæreditaria portio: *Januen.*, *Capellaniarum*, 20 *april.* 1793, *dub.* 1, deinde prævio recessu a decisis reducuntur ad unam juxta votum Archiepiscopi, cum fructus magis dispositioni non respondeant: 18 *julii* 1795.

89. Piæ fundationes, et capellaniæ fundatæ a nonnullis monialibus professis monasterii Matris Dei Vallisoleti, declarantur ob immemorabilem observantiam validæ; licet de legitima facultate ab initio non constet: *Vallisoletana*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 1.

90. Antonia Persia, quam hæredem instituit vir ejus Claudius Ferettini, legato relicto nepti Claræ scut. 100, simplicem Missarum celebrationem demandavit capitulo ecclesiæ cathedralis hæredi scripto. Clara prædictum legatum non acceperat sub spe successionis, qua dejecta, et prole onusta obtinuit pontificium chirographum detrahendi ex hæreditate fundum pro capellaniæ erectione, et reliqua bona ei consignari, necnon descendentes fundatricis pro facultate nominandi; qua de causa dubio proposito, an, et intra quoad tempus sit erigenda capellania? affirmative respondit, intra brevem terminum ab Episcopo designandum: *Reatina, Capellaniæ*, 8 *febr.* 1794, *dub.* 1.

91. Fratres sacerdotes Joannes, et Joseph Porfiri mutua substitutione usus fructus hæreditatis constituta erectionem capellaniæ in nosocomio S. Antonii abbatis oppidi Saxiferrati edixerunt. Ast Joanne vita functo Joseph revocavit dispositionem, et canonicatum in ecclesia collegiata ejusdem oppidi mandavit, oneribus Missarum non immutatis. S. C. quæsita canonicatum potius quam capellaniam esse erigendam censuit. Nam S. C. jus, quo Joseph suam revocandi dispositionem gaudebat, ante oculos habuit: *Nucerina*, *Commut. volunt., et transactionis*, 5 *april.* 1764, *dub.* 1.

93. Quamvis sacerdos Horatius Zeppi erectionem præcipiens capellaniæ de simplici capellania hisce verbis *per ragione di legato pio* usus sit, et in codicillis Missas reduxerit, ut minus ejus consanguinei gravarentur; ad instantiam tamen exequutorum testamentariorum Archiepiscopus in perpetuum beneficium ecclesiasticum capellaniam illam erexit; inde S. C. causa concilii audita validam esse erectionem capellaniæ in beneficium ecclesiasticum declaravit. Nam testator non expressit laicalem illius qualitatem: *Urbinaten.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 1.

93. Die 1 maii 1796 sodales suffragii ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Venantii secundam decrevere erigere capellaniam ex redundantibus, reditus societatis cum onere Missarum, aliarumque societatum respicientium; hinc nominato primo capellano, pro approbatione dictæ resolutionis exorant, et S. C. juxta votum Archiepiscopi, qui annuebat, illam approbavit: *Camerinen.*, *Capellaniæ*, 6 *maii* 1797, *dub.* 1.

§ V.

Capellania quoad incompatibilitatem, et capacitatem illam retinendi.

1. Erecta capellania a Margarita Paulina mere

[301] Qui petitioni in omnibus favet: *Ead. causa*, 28 *maii* 1791, § 4.

laicalis fuit, ut ad eam nominaretur sacerdos, vel proximus ad sacerdotium. Nominatus fuit nepos testatricis ætate 19 annorum; inde præter dispensationem quæsitum fuit, an ad obtinendam capellaniam, seu legatum, de quo agitur, requiratur sacerdotium actu, vel proximitas sacerdotio? et S. C. dispensationem concessit: *Civitatis Plebis*, *Capellaniæ*, 25 *januar. dub.* 1.

2. Joannes Antonius de Alma in fundatione cujusdam capellaniæ in favorem suæ lineæ masculinæ quoad ejusdem nominationem disposuit, et ea linea extincta mensam archiepiscopalem substituit. Melchior de Alma nepos testatoris in capellania fuit institutus, qui vita fratribus absque sobole functis, cupiens ad conjugalem statum transire, et anceps est de capellaniæ devolutione, id declarari postulat. Censuit S. C. casu, quo orator contrahat matrimonium, capellaniam devolvi non debere ad mensam archiepiscopalem: *Firmana*, *Jurispatronatus*, 26 *febr.* 1684, *dub.* 1.

3. Capellania sacerdotalis fundata fuit a Margarita Cioffi cum onere Missarum, quod personale capellani non esse S. C. firmaverat; hinc decidit eamdem capellaniam non esse incompatibilem cum alio beneficio residentiali: *Interamnen.*, *Capellaniæ*, 3 *febr.* 1685, *dub.* 3.

4. Nec esse incompatibilem cum beneficio curato, qualis est archipresbyteratus, resolvitur: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Et dictam capellaniam, postquam de ea provisus reperitur archipresbyter, non deberi clerico Francisco Antonio oratori statuitur: *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Duæ capellaniæ institutæ a Francisco Francalancia, et a Joanne Picchinesii sunt incompatibiles tanquam sub eodem tecto: *Collen.*, *Applicationis Sacrificii*, 17 *decem.* 1689, *dub.* 3.

7. Quum vacasset in cathedrali ecclesia capellania major, et Episcopus vigore concordiæ habitæ cum capitulo eam canonico lectorali, et pœnitentiario contulisset; disputatum est, an dignitas capellaniæ majoris esset incompatibilis cum dicto canonicatu: et S. C. censuit capellaniam non esse incompatibilem cum canonicatu: *Oscen.*, 12 *martii* 1695, *dub.* 1.

8. Canonicum Bartholomæum Majonum unum ex coadjutoribus in curam animarum ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi oppidi Burgi Manerii, qui capellaniam tenet cum onere Missarum quotidiano, aliisque in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, posse eam retinere S. C. decrevit: *Novarien.*, 12 *decem.* 1705, *dub.* 4.

9. Fabricius Gervasius sacerdos de civitate Plebis unam capellaniam retinet ex illis, quas Antonius Orca in favorem sacerdotum dictæ civitatis in ecclesia S. Mariæ ad Martyres urbis fundavit. Idem ob aliorum sacerdotum urbis defectum aliam sibi conferri postulavit. Sed S. C. minime eum audivit; quamquam incompatibilitatem onus Missarum quatuor in hebdomadis cujusque capellaniæ non adduci contenderet: *Romana, seu Civitatis Plebis*, *Capellaniar.*, 27 *martii* 1706.

10. Breve extra tempora pro ordinum sacrorum susceptione obtentum a mansionario Petro Antonio Leomazzi est exequendum; nec ei obstat incompatibilitas retentionis capellaniæ sub titulo, et in altari SS. Floridi, et Amantii ecclesiæ cathedralis fundatæ a canonico Bracchi cum personali celebratione. Nam non adesse incompatibilitatem S. C. judicavit; etiamsi in breve prædicto servitium chori, ut mansionarius, expressum non fuerit, ac testator conferri capellaniam sacerdotibus cathedrali non inservientibus voluerit: *Civitatis Castelli*, *Incompatibilitatis capellaniæ*, 2 *julii* 1707.

11. Joannes Rufinus capellaniam jurispatronatus institutam in ecclesia B. M. Gratiarum extra castrum Anguglianì assequutus est, quæ residentia in dicta ecclesia, ac celebratione dominicis ac festivis diebus gravatur, Joannes tamen canonicatum quoque in ecclesia cathedrali Anconæ adeptus est; hac de re S. C. requisita constare de incompatibilitate canonicatus, ac capellaniæ sancivit: *Anconitana*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

12. Capellania, quam erigi Joannes Rettinus cum expressa declaratione esse legatum pium, seu capellaniam mere laicalem de jurepatronatus suæ familiæ mandavit, retineri non potest a Joanne Baptista Rettino in statu clerici conjugati. Nam in dispositione clare legitur capellanum sacra agere, dummodo sit sacerdos, si clericus per alium explere onus debere: *Firmana*, *Capellaniæ*, 18 *april.* 1711.

13. Capellania ordinata a Valeriano Fabio, ad quam ipse testator Bernardinum Torquatum clericum filium nepotis ejusdem nominavit, retinenda minime est per eumdem, quum jam ad secularia vota transiverit, quin etiam iterato conjugio, in quo perseverat, cum muliere alterius thori relicta, bigamiam bicipitem contraxerit: *Amerina*, *Capellaniæ*, 13 *maii* 1713, *dub.* 1.

14. Quum Virgilius de Virgiliis possessor capellaniæ institutæ a Petro Falconetti in urbe causarum patronus esset, ac ad nuptias seculares convolasset, dijudicatum est locum vacationi esse a die contracti matrimonii, et S. C. assensa est. Capellania enim hæc licet non haberetur pro beneficio ecclesiastico, dici tamen non debet esse legatum mere pium, quia fructus integre ad capellanum cum onere Missarum spectant; ac etiam aderat observantia, qua sacerdotes clerici nominati fuerant: *Reatina*, *Capel-*

laniæ, 22 *sept.* 1714, *dub.* 1, confirmata, 9 *febr.* 1715.

15. Exposuit Episcopus Bitectensis S. C. consuetudinem vigentem in provincia Barensi retinendi a clericis plura beneficia absque dispensatione apostolica; et ad ejus postulatum S. C. decrevit primo: Obtinens primam capellaniam sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus laicorum ad sui nutrimentum sufficiens non potest secundam de jurepatronatus laicorum retinere: *Bitecten.*, 6 *decem.* 1721, *dub.* 3.

16. Deinde obtinens duas capellanias sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus laicorum minime sufficientes ad decentia alimenta tertiam, ac quartam de jurepatronatus laicorum absque dispensatione apostolica retinere nequit: *Ibid.*

17. Rectores capellaniarum, quæ tum a Clemente XI, Pont. Max., perpetuæ cum onere personaliter residendi, ac per se ipsos quotidie celebrandi, nisi legitime sint impediti, erectæ fuerant, non possunt obtinere beneficia curata, vel œconomias ecclesiarum parochialium, aut onus confessiones excipiendi monialium, vel alia onera cum Missarum celebratione incompatibilia, ac per substitutos prædictas Missas celebrando, acceptare: *Neapolitana, Capellaniarum*, 14 *april.* 1725, *dub.* 1.

18. Capellania fundata a Gaspare Turchi mere laicalis retineri in statu conjugali a capellano Josepho Pediconio, quem testator nominavit, haud valet. Testator ipse enim etsi capellani sive sacerdotis, sive clerici primo nominati remotionem prohibuerit, tamen de substitutionibus loquens casum excipit, quando alius idoneus ad eam assequendam existeret: *Romana*, 20 *sept.* 1727.

19. Capellania ad Scalas Sanctas urbis est cum episcopatu Venusino incompatibilis: *Romana*, 27 *januar.* 1728.

20. Quum retentionem capellaniæ ecclesiasticæ, ac in titulum collativæ a sacerdote Thoma Martinez Gonzales fundatæ Francisco Alphonso Perez nominato, qui est clericus in statu conjugali permanens, S. C. denegaret, consulitur Sanctissimus pro gratia, ut dictus Franciscus possit eam retinere non ex priori titulo beneficii, sed ex novo titulo administrationis laicalis cum facultate fructus percipiendi, et onera Missarum persolvendi per alium, donec aliquis ex ejus filiis possit eam in titulum obtinere. Hæc enim gratia non cum fundatione, verum cum mente testatoris in codicillis expressa cohæret: *Segovien.*, *Capellaniæ*, 17 *novem.* 1731, *dub.* 1 *et* 2.

21. Capellania fundata a Bernardino de Ludovicis in parochiali ecclesia Villæ Termini cum expresso onere residendi in quadam domo, a S. C. cum beneficio parochiali diœcesis Reatinæ incompatibilis fuit declarata: *Aquilana, Capellaniæ*, 16 *maii* 1733, *dub.* 2, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

22. Capellania quædam instituta fuit a Joanne Cenciarelli in ecclesia parochiali Sanctissimæ Assumptionis oppidi Gavignani, qui onus archipresbyterum adjuvandi, ac per seipsum celebrandi capellano imposuit. Primum nominavit testator Dominicum Antonelli nepotem cum facultate infra mensem deliberandi, an velit injunctas conditiones acceptare. Dominicus facultatem substituendi sacerdotem idoneum, qui onera adimplere possit (alia enim capellania cum onere personali gaudebat) postulavit; sed contradicente Vincentio Marcelli secundo loco vocato, vicarius generalis in favorem Vincentii decrevit, ipsique illam capellaniam Dominico prætermisso contulit. Statim Dominicus reclamavit; et S. C. Vincentio, declaratione minime intra mense per Dominicum facta, capellaniam adjudicavit: *Signina, Capellaniæ*, 9 *febr.* 1737, *dub.* 1, decretum confirmatur, et additur, quatenus infra mensem Dominicus Antonelli capellaniam S. M. in Via non dimiserit: 9 *febr.* 1738.

23. Clericus Blasius Antonius Palenca nominatus fuit ad capellaniam erectam in ecclesia S. Michaelis Archangeli terræ Pontiani cum conditione, si idem de alio beneficio ecclesiastico ad congruam ejus vitæ conservationem provisus fuerit, nominatio resolvatur. Idem aliam capellaniam in ecclesia collegiata ejusdem terræ reditus scut. 14, obtinuit; ob id quæstione agitata in S. C., an factus sit locus nominationis resolutioni? S. C. negativum præbuit responsum: *Nullius, terræ Pontiani, Capellaniæ*, 14 *martii* 1739.

24. Canonicus Rillius unus ex duobus canonicis antiquioribus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi urbis Tolentinæ, necnon canonicus Joseph Pompilius capellaniam in ecclesia rurali S. Josephi retinere possunt; etiamsi onus illa habeat Missam in dicta ecclesia rurali celebrandi diebus festis, dummodo servitio chori, et oneribus canonicatus satisfaciant: *Tolentina, Servitii Chori*, *et Missæ conventualis*, 26 *maii* 1739, *dub.* 12.

25. Constat de incompatibilitate duarum capellaniarum, quarum unam Joseph Zoppinius in ecclesia S. Joannis Evangelistæ terræ Montis Sancti Viti erexit; expressitque in testamento illos posse eas assequi, dummodo alias perpetuas incompatibiles non habeant, ac onus celebrandi per se ipsum, aliaque onera personalem residentiam præferentia injunxit. Altera in ecclesia S. Amici Castri Muri adjecto onere personali capellano nunquam substituendi, nisi in casu infirmitatis fundata fuit. Idcirco Franciscus Menzucchius dimittere alterutram debet: *Senogallien*, *Capellaniæ*, 6 *junii* 1739.

27. Capellania fundata fuit a Mariano de Ferra-

rettis, quæ ita laicalis declarata est, ut in statu conjugali retineri nequit, S. C. decrevit haud esse consulendum Sanctissimum pro gratia, ut Joannes Baptista Cola de familia vocata dictam capellaniam titulo administrationis laicalis cum facultate fructus percipiendi, ac onera Missarum adimplendi per alium, donec aliquis ex descendentibus Colæ in titulum eam acquiret, retinere valeat : *Nullius Farfen.*, *Capellaniæ*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 2.

27. Hieronymus Mariotti duas erigi capellanias ex nutu absque ulla causa amovibiles mandavit. Frater Dominicus Antonius Lupi ex Maria Catharina testatoris sorore nepos, atque conventus Recinetensis ordinis Min. Conv. familiæ adscriptus Sum. Pont. exoravit, ut S. C. arbitrio committere dignaretur dispensationis gratiam, qua ipse veluti clericus proximior testatori cognatus, sublato quoque regularis sui status obstaculo, capax sit obtinendi nomine Recinetensis conventus pro alio sacerdote remotioris gradus memoratas capellanias, ut harum ope suppetias aliquas ferre queat egestati sororis, quæ 77 agit annos, tum proprii conventus a terræ motu nuperrime concussi. Sed S. C. qualitatem regularis oratori obstare definivit : *Recineten.*, *Capellaniæ*, 22 *junii* 1743, *dub.* 1.

28. Capellania instituta a Nicolao Marasio, qui onus singulis diebus sacrum faciendi, ac preces una cum pauperibus in æde hospitalis Misericordiæ urbis Carrariæ, ac in eodem hospitali residentiam imposuit, incompatibilis est cum parochiali ecclesia loci de Fontina ; ac parochus idcirco illam retinere nequaquam valet : *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Capellaniæ*, 23 *novem.* 1743.

29. Quoad capellaniam ordinatam a Francisco Mattuccio ad altare S. Michaelis ecclesiæ Matris Castris S. Joannis Rotundi adjecto onere sacri quotidiani perpetui, de qua voluit testator in agendo sacro præferri sacerdotem de gente Fraticelli, si unquam esset sacerdos, secus capitulum facultatem nominandi habeat ; quum Joannes Baptista Fraticelli possessor ejusdem capellaniæ obtinuerit canonicatum in collegiata ecclesia Foggiæ, substituit sacerdotem stipendio conductum, qui suas vices contra legem testatoris et capitulo dissentiente gereret. S. C. interrogata capellaniam incompatibilem esse cum canonicatu ecclesiæ collegiatæ Foggiæ non judicavit. Nam testator sacerdoti de familia vocata facultatem substituendi in casu cujuscumque impedimenti dederat : *Sipontina*, *Legati Missarum*, 28 *januar.* 1747, *dub.* 1.

30. Sacerdos Joan. Lucas Seraphinius retinere haud valet simul cum cantoratus officio in alma Domo Lauretana unam ex septem capellaniis erectis in oppido Montis S. Viti a Josepho Zoppinio, qui præter verba denotantia præcisam residentiam ait in testamento eas obtinere illos posse, qui alias perpetuas incompatibiles non habent, quo casu absolute excludi illi semper debeant : *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 24 *aug.* 1748.

31. Capellania fundata a Valerio Augustino Salvatorio, quam vocavit in testamento, ac in fundatione fuit nuncupata *juspatronatus*, *capellania laicalis*, *simplex officiatura*, nec inde erecta auctoritate ordinaria fuit, ac nominati sunt capellani amovibiles, non potest retineri a Blasio Righio in statu conjugali existenti ; etiamsi S. ipsa C. eam mere laicalem esse declaverit : *Civitatis Castelli*, *Capellaniæ*, 24 *april.* 1751.

32. Capellania ab Antonio Masciolla ordinata in ecclesia cathedrali absque conditione injuncta capellano celebrandi Missas per seipsum, nec permanendi in loco, ubi illa fuit fundata, a sacerdote Cajetano Paglia cum canonicatu collegiatæ ecclesiæ oppidi Flumarii retineri potest, nec est cum illo incompatibilis : *Trivicana*, *Capellaniæ*, 18 *novem.* 1752.

33. Quum actum fuisset, an Joachim Sebastiani, cui per decretum factum die 15 aprilis 1752 a S. C. fuit concessa retentio capellaniæ laicalis a Paulo Sebastiani in ecclesia parochiali S. Thomæ Apostoli terræ Offaneæ institutæ in statu laicali, possit illam retinere etiam in statu conjugali ? S. C. rescripsit : Dilata, et ad mentem [302] : *Auximana*, *Capellaniæ*, 22 *martii* 1755, *dub.* 1. Inde resolvit pro gratia etiam in statu conjugali adimpletis oneribus ad formam decreti : 26 *april. ejusd. anni.* Demum eidem Joachimo Sebastiani prævia dimissione facultatem nominandi Hieronymum ejus filium conjugatum in capellanum successorem indulsit : 15 *dec.* 1787.

34. Capellania ordinata a Francisco Frederico Giordani, qui onus Missarum personaliter per capellanum adimplendum injunxit, consequi nequit a presbytero congregationis S. Vincentii de Paula, qui in altari designato Missas celebrari nequit ; etiamsi sit per substitutionem nominatus expresse a testatore in clericatu seculari constitutus : *Casalen.*, 28 *januar.* 1764, *dub.* 1.

35. Capellaniam constitutam a Paulo Silvagni in ecclesia B. M. V. nuncupata *del Giglio*, qui celebrationem personalem precise, et expresse voluit, obtinuit Angelus Colacicchi prævio juramento onera implendi juxta testatoris mentem. Hic receptus est inter presbyteros oratorii Perusini ; ita ut conditiones, ac leges capellaniæ explere impossibile pro

[302] Mens fuit, ut perquireretur, an S. C. definitum fuisset capellaniam fundatam a sacerdote Paulo Sebastiani laicalem fuisse, prout supponebatur in dubio : *Ead. causa*, 26 *april.* 1755.

suo instituto sit; requisita proinde S. C. incompatibilitatem declaravit. Nam eidem denegavit facultatem per alium omnia onera adimplendi : *Perusina*, 2 *junii* 1764.

36. Capellania ordinata est a Dominico de Rosettis in ecclesia cathedrali S. Crucis cum onere celebrandi per se vel per alium in favorem prioris sodalitii Sanctissimi Corporis Christi cum expressa voluntate qualitatis presbyteralis, sive secularis, non obstante, quod confirmatio prioris a capitulo cathedralis fieri debeat. Hæc capellania a clerico conjugato unico ex fratre nepote moderni prioris de familia Rosetti potest retineri : *Foro-Livien.*, 19 *januar.* 1765.

37. Capellaniæ a Joanne Francisco Cerqua institutæ cum onere Missas celebrandi vel per se, vel per alium, quas ipse esse laicales voluit, a S. C. laicales ita fuerunt declaratæ, ut consequi a laicis, præsertim statui conjugali intentis, nequeant : *Anconitana, Capellaniæ*, 12 *maii* 1770, *dub.* 1.

38. Sanctes Justinius patronus capellaniæ laicalis a Julio Galli in ecclesia parochiali terræ Viturclani constitutæ adimpletis oneribus, non potest eam tueri in statu conjugali, licet inopia laboraret; nam superstes unicus clericus passive a testatore vocatus aderat : *Balneoregien.*, 29 *julii* 1775, *dub.* 1.

39. Capellanias amovibiles ab Antonio Rota in ecclesia collegiata terræ Ophidæ fundatas, donec vixerint, cum indulto pontificio obtinuerunt canonicus Lucius Recchius, sacerdotes Venantius Telli, ac Elpidius Biccolinus; etiamsi essent exteri presbyteri, et unus canonicus contra testatoris voluntatem. Sed instante capitulo patrono vitium obreptionis, et subreptionis indulti allegante, S. C. rescripta obtenta valida non esse decidit : *Asculana*, 15 *maii* 1779, *dub.* 1.

40. Annibal Fazi capellaniam perpetuam altari Sanctissimæ Annuntiationis parochialis ecclesiæ S. Petri terræ Montis Leonis ordinavit. Hujus collatio facta in favorem clerici Bernardini Tenti sustinetur; etiamsi sacerdotali qualitate in fundatione requisita destitutus sit; ille enim exoraverat S. C. pro facultate interea capellaniam servandi, oneribus per ejus patruum sacerdotem adimpletis : *Civitatis Plebis, Capellaniæ*, 16 *sept.* 1780.

41. Conjuges Bernardus, et Magdalena Caponetti capellaniam mere laicalem in ecclesia collegiata oppidi S. Elpidii cum onere capellano inibi sacra celebrandi per seipsum instituerunt, ac insuper præceperunt, ut si capellanus aliquam obtineret dignitatem ecclesiasticam Datariæ, ac Cancellariæ regulis subjectam, tunc capellania eo ipso vacaret. Quum autem hujus capellaniæ rector Bartholomæus Bacher evectus sit ad dignitatem episcopalem ecclesiæ Ripanæ, S. C. decrevit eam vacasse : *Firmana, Capellaniæ*, 16 *martii* 1782, confirmata 13 *julii ejusd. anni*.

42. Capellania a Joanne Trevisana instituta addicitur septenni ejusdem familiæ clerico legitime nominato, denegata Joanni Mariæ Benedetti uni ex familia vocata, et in statu conjugali constituto, illius retentione sub administratione ad complementum utilis septuagenariæ, quod septuagenario decurrente termino fundator ejusdem familiæ sacerdotes, clericosque vocaverat : *Firmana, Capellaniæ*, 25 *april.* 1789.

43. Censuit S. C. capellaniam laicalem institutam, ac fundatam a sacerdote Vincentio Carbi cum onere Missarum quatuor hebdomadalium celebrandarum in ecclesia parochiali S. Nicolai ad Forum Archimonium vulgo *Arcione*, quæ ad patres ordinis servorum Deiparæ spectat, posse servari ab omnibus parochis pro tempore ad formam testamenti non obstante ordinis præsidum repugnantia. Nam testator inter cetera mandavit : *Che il capellano nominato non sia tenuto impetrare veruna conferma, o instituzione da qualunque persona* : *Romana, Capellaniæ*, 16 *martii* 1789, *dub.* 1.

44. Capellaniæ a piis conjugibus Hieronymo Fioravanti, et Dorothæa de Sancti in ecclesia suburbana B. M. V. de colle Olibani fundatæ retentio denegatur clerico homicidæ Silvestro Gentili, qui sub contumaciali adhuc est pœna; licet eam postularet pauper ejus pater, quousque idoneus ad clericatum fieret alter filius ex prædilecto vocatorum genere; et locum esse decernitur electioni alterius capellani ad formam testamenti : *Prænestina, Capellani*, 19 *junii* 1790.

45. Capellania fundationis Petri Andreæ Marinucci, qui illam nominat etiam legatum simplex, vel juspatronatus laicalis, et in erectione rejicit rectoritatem ordinariam, et jus reliquit hæredibus nominandi capellanum, licet declaretur laicalis, tamen retineri non posse decernitur a laico, et fœmina. Nam a testatoribus in capellanos sacerdotes sunt nominati : *Montis Alti, Capellaniæ*, 22 *aug.* 1795, *dub.* 1.

§ VI.

Capellania quoad nominationem, præsentationem, adjudicationem, electionem et institutionem.

1. Circa facultatem conferendi unam ex novem capellaniis in ipsa cathedrali existentibus clerico ad exercendum officium cæremoniarum ad nutum Episcopi amovibile agendum est cum Sanctissimo D. Nostro, qui audita sententia S. C. benigne annuit, ut litteras apostolicas expediatur : *Viterbien.*, 31 *martii* 1631, *dub.* 3.

2. Ad dubium, an ad capellaniam fundationis Caroli Reliquii, qui illam destinavit cum onere Missarum relicto jurepatronatus Francisco Antonio Fasciano, ejusque hæredibus,, sit necessaria institutio? et consequens, an Episcopus jus instituendi sibi reservare potuerit? negative rescribitur : *Pennen.*, *Capellæ*, 26 *nov.* 1672, *dub.* 2.

3. Fundata fuit capellania amovibilis ad nutum patronorum cum onere Missæ quotidianæ, et prohibitione, ut in aliqua re non se intromitteret aliquis judex ecclesiasticus; ob id quæsitum est, an in tali capellania Ordinarius habeat jus instituendi capellanum?

4. An sufficiat electio patronorum in scriptis absque alia approbatione, aut institutione Ordinarii? ad primum negativum, ad secundum affirmativum dedit S. C. responsum : *Indiarum*, *Capellan.*, 11 *dec.* 1667, *dub.* 1 *et* 2.

5. Joannes Antonius de Alma in fundatione cujusdam capellaniæ in favorem suæ masculinæ lineæ quoad ejusdem nominationem disposuit, eaque deficiente mensam archiepiscopalem substituit; hac de causa institutus fuit Melchior de Alma testatoris nepos in capellaniæ possessione, qui vita functis absque sobole fratribus, et ad conjugalem statum transire cupiens, de capellaniæ devolutione ambigit; sed S. C. resolvit primum non debere devolvi, inde oratorem ipsum posse nepotem ex sorore in capellanum nominare censuit : *Firmana*, *Jurispatronatus*, 26 *febr.* 1684.

6. Quum de capellania sacerdotali fundata a Margarita Cioffi cum onere Missarum, quod personale capellani non esse, nec cum archipresbyteratu incompatibile S. C. judicaverat, provisus archipresbyter fuisset; præfatam capellaniam non deberi clerico Francisco Antonio oratori S. C. decidit : *Interamnen.*, *Capellaniæ*, 3 *febr.* 1685, *dub.* 5.

7. Deputationem capellani spectare ad hæredem, subministrata patribus congrua pro sacrarii suppellectilibus rescripsit S. C. : *Maceraten.*, 15 *martii* 1692.

8. Censuit S. C. secundum ea, quæ proponuntur, Episcopum in erectione capellaniæ fundatæ a Raphaele de Villar canonico ecclesiæ cathedralis Angelopolitanæ non potuisse coarctare nominationem capellani ad solos collegiales S. Pauli; sed priorissam pro tempore monasterii S. Catharinæ valere nominare ad capellaniam quamcumque aliam personam idoneam sibi benevisam, prout testator disposuit : *Mexicana*, *Capellaniarum*, 16 *maii* 1699, *dub.* 1.

9. Necnon ad conventum Carmelitarum discalceatorum spectare existimavit, non solum patronatum capellaniæ fundatæ a familia Rodriquez, sed etiam celebrationem Missarum, ut testator ordinavit, non vero eumdem conventum juxta Episcopi decretum teneri nominare ad illam celebrationem sacerdotem secularem deciditur. Nam Episcopus solum patronatum activum reservavit conventui, secluso a celebratione Missarum ea ratione, quod regulares sunt beneficiorum secularium incapaces : *Ibid.*, *dub.* 2.

10. Denique altera capellania, quæ in favorem patris S. Dominici, et ejus fratris germani, et inde consanguineorum fundata est, perpetua declaratur; et Episcopus non potuit Didaco Montero secundo loco nominato conferre proprietatem, et patri Dominico reservare fructus, et servitium sed in omnibus servanda est voluntas testatricis : *Ibid.*, *dub.* 3.

11. Ad capellaniam fundatam ab Augustino Fascioli cum passiva vocatione illorum de familia Paulina descendentium duo fratres de Paulinis Pirrus Hyacinthus, et Rodulphus electi fuerunt, quorum Pirroin examine a testatore demandato magis in moralibus rebus edocto reperto ab Episcopo uti etiam majori natu, ac pauperi capellania prædicta fuit adjudicata. Et huic etiam adjudicavit S. C. anno 1698. Inde non acquiescente Rodulpho decretum eadem S. C. confirmavit : *Romana*, *Capellaniæ*, 5 *junii* 1700.

12. Ad capellaniam laicalem fundationis Hyacinthi Gentiloni successores hæredum habentes vigore dispositionis facultatem nominandi capellanos possunt nominare seipsos : *Auximana*, *Capellaniarum*, 16 *dec.* 1702, *dub.* 2.

13. Patroni ad binas capellanias auctoritate Ordinarii erectas, ad quas duos capellanos nominari testatrix Leandra Faentia voluit, clericum Britium, qui utriusque onus commode explere potest, ac de illis est, jurepatronatus gaudent, ac ut ad illarum titulum ordinari possit, nominarunt; S. C. per supplicem libellum exhibitam instantiam pro dictæ nominationis confirmatione rejecit. Inde reproducta instantia, ut a decisis recedatur, responsum *in decisis* prodiit : *Assisien.*, *Jurepatronatus*, 2 *junii* 1703, confirmata 28 *julii ejusd. anni.*

14. Quum trium capellaniarum, quas fundaverat suo testamento Romulus Bomcambii in ecclesia B. M. Quercus in agro Narniensi, ita essent reditus immuniti, ut quilibet capellanus ex summa a testatore assignata scut. 75 vix scuta 26, 70 percipit; petita idcirco fuit Missarum reductio, sed eam S. C. denegavit, addens, ut supplicent in casu obitus alterius eorum. Hoc sequuto iterum recursum habuerunt : num esset locus electioni tertii capellani? et negativum S. C. præbuit responsum, et Ordinarius transmittat distinctum hæreditatis statum : *Narnien.*, *Capellaniæ*, 16 *junii* 1703.

15. Sacerdotalis capellania instituta fuit a Justina Magrini a Sabiniano in ecclesia S. Luciæ ejusdem

loci. Ad hanc obtinendam nullus invenitur sacerdos, sed tantum clericus Sabinianus præsentatus, cujus pater altare prepolire, ac onus per alium adimplere, dummodo filius in ea capellania instituatur, pollicetur; propterea quomodo sit providendum, exoratur. S. C. rem commisit Ordinario, ut accedente consensu patroni, et renovatis prius diligentiis pro sacerdote reperiendo, et quatenus iste non inveniatur, præfatam capellaniam pro suo arbitrio et conscientia conferrat enunciato clerico Sabiniano cum pactis, et conditionibus a patre oblatis: *Ariminen.*, *Capellaniæ*, 28 *junii* 1704.

16. In præsenti causa Joannes Dominicus de Janninis, et Bernardinus de Joraccis de prælatione ad capellaniam a Laura Taloni in oppido Turritæ fundatam agunt vigore nominationis ab eadem fundatrice ab utroque successive reportatæ. Nam primus ad triremiúm fuerat damnatus, inde in exilium commutatus, et postea absolutus. S. C. autem definitionem protelans, ut exhibeatur sententia condemnatoria Jannini rescripsit: *Pientina*, *Capellaniæ* 7 *febr.* 1705.

17. Ignatius Galantes inter ceteras pias dispositiones jussit, ut ex propriis bonis quatuor pia legata scut. 500 pro quolibet cum Missarum onere juxta reditus taxata stipe scut. 15 ad quatuor altaria monasteriorum totidem monialium civitatis Castelli erigerentur. Post illius obitum Antonius Galanti vigore facultatis a testatore prædicto tributæ capellanum nominavit Dominicum Galantem, cujus electioni Episcopus sese opposuit, quod est parochus ruralis ecclesiæ S. Petri de Cruce Villæ de Castilione ab urbe ultra quatuor milliaria distantis. S. C. tamen electionem sustineri definiit: *Civitatis Castelli*, *Legatorum piorum*, 19 *maii* 1708, *dub.* 1.

18. Nominatio capellani pro celebratione Missarum non ad patres Dominicanos civitatis Atriæ, sed ad hæredes Cynthiæ Cervonæ, quæ imposuit suo hæredi dictum onus Missæ quotidianæ adimplendæ in capella a testatrice dotata in ecclesia dictorum patrum existenti, spectat: *Atrien.*, *Celebrationis Missarum*, 23 *junii* 1708.

19. Ad capellanias fundatas a Josepho Absalone in ecclesia S. Caroli ad Catinarios urbis cum personali onere Missarum excepto casu impedimenti possessoribus injuncto, electi fuerunt duo capellani, qui ab urbe absentes per substitutos officio satisfecerunt. Hæredes vero ob neglectam residentiam devenire ad novam electionem capellanorum cogitabant; sed requisita S. C., hæc respondit non esse locum, licet capellaniæ essent residentiales; et præfigi terminum capellanis ad deducenda sua jura quare non teneantur accedere ad urbem, mandavit: *Romana*, *Capellaniarum*, 16 *martii* 1709. Deinde constare de legitimo impedimento capellanorum, ita ut ad urbem accedere non teneantur, durante infirmitate: 8 *febr.* 1710, *dub.* 1.

20. Et quoad novam electionem faciendam, præfigi terminum trium mensium capellanis ad dimittendum, vel canonicatum, et portionarium, vel capellanias præcepit: *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Nominatio in favorem Mariæ Perusini, ac inde institutio a vicario generali confecta ad binas capellanias Ludovico Bracci ordinatas haud sustinetur. Duo enim debent esse capellani, quum duas capellanias erigi testator edixerit: *Fanen.*, *Capellaniarum*, 14 *junii* 1710, *dub.* 1.

22. Nominatio tamen valere saltem potest pro una ex dictis duabus, quam dicto Perusino retinere placet: *Ibid.*, *dub.* 2.

23. Possessor capellaniæ ecclesiasticæ a Marco Turrono institutæ eligendus est amovibilis ad nutum societatis substitutæ SS. Faustinæ, et Jovitæ nationis Brixiensis, nullis existentibus a testatore contemplatis; etiamsi in testamenta contra perpetuitatem non disponatur: *Romana*, *Capellaniæ*, 15 *junii* 1710, *dub.* 2.

24. De incompatibilitate capellaniæ jurispatronatus in ecclesia B. M. Gratiarum extra castrum Augugliani cum onere residentiæ, ac omnibus dominicis, et festivis diebus celebrandi, fundatæ, cum canonicatu cathedralis constare S. C. firmavit. Modo præfigi postulatur terminum possessori duorum mensium ad eligendum alterutrum, quo elapso locum esse præsentationi alterius capellani: *Anconitana*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 2.

25. Communitas oppidi Hyspelli prævia donatione inter vivos quorumdam bonorum immobilium in summa scut. 100 exhibita, et a sacerdote Carolo Masciola facta, hunc vita durante deputavit in capellanum, ut Missarum onus in ecclesia S. Mariæ Mausolæi extra dicti oppidi mœnia sita impleatur. Sed Carolus de electionis hujusmodi validitate dubitans S. C. consulit, quæ non esse confirmandam censuit: *Spoletana*, *Capellaniæ*, 15 *novem.* 1710, confirmata 28 *martii* 1711, *dub.* 1.

26. Clericus Joan. Gregorius de Blancis duobus minoribus ordinibus insignitus, et in ætate annorum 22 ad capellaniam a Francisco de Baccis fundatam fuit nominatus sub conditione nempe, ut intra legitima tempora ordinem sacrum in instrumento fundationis ejusdem requisitum susciperet. Dispensationem ille petivit a qualitate sacerdotali nullis existentibus testatoribus descendentibus idoneis; sed sese opponente Joanne Baptista de Felicibus sacerdote ad eamdem capellaniam præsentato ab hære de proximiori, non esse locum postulatæ gratiæ resolvit: *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Dispensationis*, 10 *januar.* 1711.

27. Canonicus Raynaldius in Basilica S. Petri

Urbis tres in favorem sacrarii inservientium capellanias fundavit. Ad unam ex his sacerdotem Epiphanium Gizzi grati animi benevolentia nominavit. At quum idem sacrarii servitium dereliquisset, hæret capitulum, num possit ei unam ex illis capellaniis assignare? et esse ei assignandam, licet non sit amplius de gremio clericorum sacrarii, imo sit clericus beneficiatus ejusdem basilicæ, sancitum fuit: *Romana, Capellaniarum*, 3 *dec.* 1712, *dub.* 1.

28. Ad capellaniam a Valeriano Fabio ordinatam, præferendus est Thomas Antonius Nicolaus Nerius pii disponentis ex sorore pronepos. Nam testator nominationem perfici in favorem magis consanguinitate conjuncti significaverat: *Amerina, Capellaniæ*, 13 *maii* 1713, *dub.* 2.

29. Balthasar Riccius in acolytatus ordine constitutus ad capellaniam vacantem per obitum sacerdotis Angeli Pini fuit præsentatus, etiamsi capellania sacerdotalis sit, et valuit ex decreto S.C. institui. Nam infra sex menses ad sacros ordines promoveri potest: *Romana*, *Capellaniæ*, 4 *febr.* 1719, *dub.* 1.

30. Capellani deputatio pro Missæ quotidianæ celebratione in oratorio rurali B. M. V., quod in ecclesiam erigi, ac hospitali pariter inibi erigendo inservire debet, non potest fieri ab universitate pagi Peyseindependenter a parocho, sed sacerdos ab Ordinario deputetur: *Tarentasien.*, 22 *april.* 1719, *dub.* 4.

31. Capellaniam fundatam a Joanne Jacobo de Ambrosiis in ecclesia S. Ambrosii castri Rosorii Vincentius Durellus monachus ordinis Cisterciensis Romæ degens obtinuit. Hic haud pontificiam dispensationem pro consecutione impetrare potuit; qua de causa Episcopus uti devolutam alteri Durellio germano fratri patris Vincentii illam contulit; at patronus post Vincentii mortem Nicolaum Bertolinium nominavit; inde orto dubio: Num nominatio Nicolai Bartolini exequenda sit; vel Durellus in possessione ejusdem capellaniæ donec vixerit, sit manutenendus? S. C. dilata, respondit, ut coadjuventur probationes: *Æsina, Capellaniæ*, 22 *april.* 1719, *dub.* 2; postmodum negativum ad primam, affirmativum ad secundam partem dedit responsum: 26 *aug. ejusd. anni.*

32. Nicolaus Lappa capellaniam perpetuam fundavit, requisivitque in capellano confessarii qualitatem. Valerius de Valeriis a patronis præsentatus adprobationem ab Archiepiscopo tum ob ætatis defectum, tum ob ejusdem imperitiam reportare haud valuit; huic sese opposuit Cajetanus Petruccius confessarius terræ Montis S. Martini, ubi capellania erecta fuit; orta quæstione, non deberi dictam capellaniam Valerio de Valeriis, sed confessario terræ præfatæ firmavit S. C.: *Firmana*, *Capellaniæ*, 22 *junii* 1720.

33. Quum de capellania a Joanne Ognibene ordinata jus nominandi ad P. guardianum Cappuccinorum, et subpriorem S. Augustini civitatis Comacli spectaret, elegerunt isti sacerdotem Natalem Cassiani de Cavaleriis; sed sequuta capellaniæ vacatione, primus sacerdotem Thomam Cavalerium ex linea testatoris prædilecti, secundus sacerdotem Josephum Feletti nominavit, quia inhabilem P. guardianum ob sui status puritatem esse judicavit; ideoque omnem potestatem per accrescendi jus ad eum devenisse putavit. S. C. autem de Cavaleriis capellaniam adjudicavit: *Comaclen.*, *Electionis*, 19 *decem.* 1722.

34. In capellani electione ad laicalem capellaniam ex triginta ecclesiæ metropolitanæ, quæ onus chori habent, facta per suffragia collegialiter a capellanis, sub nomine massæ quædam summa pecuniarum promissa fuit. Hujusmodi promissio, ac pacta facta in illa occasione jam antea invalida S. C. declaraverat. Inde requisita quoad electionis prædictæ validitatem, rescripsit: Dilata, et præfigatur terminus interesse habentibus ad jura sua deducenda in S. C. *Januen.*, *Pactionum*, 16 *januar.* 1723, *dub.* 2.

35. Testatrix marchionissa Hieronyma Cavaleria de Ginettis nominari ad capellaniam ab ea institutam sacerdotem voluit, atque expressit, ut *ogni capellano possa, e debba celebrare ogni giorno una messa in perpetuo*; idcirco S. C. quæsita illam esse actu sacerdotalem declaravit, hac de causa nominatio in favorem clerici Vanni confecta invalida fuit pronunciata: *Romana*, *Capellaniæ*, 9 *sept.* 1724.

36. Ex præsentatis capellania, quam Herculus Murgia in ecclesia S. Mariæ de Platea Coriolani instituerat, adjudicanda est Attilio Murgiæ tanquam passive vocato; etiamsi in termino primi quadrimestris idoneus non fuerit, ac alterius quadrimestris prorogationem obtinuerit, in quo tempore tonsuram accepit, et aliorum præsentationes jam sequutæ erant: *Rossanen.*, 3 *febr.* 1725.

37. Nominatio capellani spectat ad officiales sodalitii Sanctissimi Sacramenti, quos fundator capellaniæ Joannes Franciscus Chiaborellius hæredes reliquerat: *Savonen.*, 4 *aug.* 1725, *dub.* 3.

38. Ad capellaniam quamdam de jurepatronatus duo a patronis fuerunt præsentati: Joseph de Silvestris filium Laurentium ætatis infantilis, Maria Soror sacerdotem Mariam Generali nominavit. De ejusdem capellaniæ qualitate capaces ad eam assequendam non esse infantes, et esse ecclesiasticam S. C. decrevit. Hinc Joseph quadrimestre elapso ad aliam nominationem in favorem sacerdotis Francisci de Sebastianis processit; contenditque de Sororis a patronatu spectato Maceratæ statuto, qui dotatas mulieres excludit, amotione, eumque bona fide non idoneum nominasse. S.C. tamen Matthiæ Gene-

rali capellaniam adjudicavit : *Maceraten.*, 10 *julii* 1728, *dub.* 1 et 2, confirmata 4 *decem. ejusd. anni.*

39. Joan. Augustinus Cappello ex codicillis septem capellaniarum erectionem mandavit, ac harum juspatronatus activum patribus provinciali, et priori, pro tempore Carmelitarum excalceatorum loci Vulturis, passivum descendentibus lineæ masculinæ Bernardi capelli, secundo clericis studentibus publicis ejusdem loci, ubi scholam instituit, et ex his nullis extantibus descendentibus Benedictæ Donghæ sororis testatricis, reliquit. Ob deficientiam lineæ masculinæ Bernardi prædicti præsentatus fuit ad unam ex illis capellaniis clericus Bartholomæus Pescettus. Huic sese opposuit familia Dongha, quia de tempore nominationis actu clericus scholasticus ille non erat. S. C. tamen nominationem gestam ratam habuit : *Januen.*, *Capellaniæ*, 3 *decem.* 1729, *dub.* 1. Deinde recedendo a decisis nominationem illam S. C. rejecit : 28 *julii* 1730.

40. Quæsitum postea fuit; an ad eamdem capellaniam, ceterasque fundatas a Joan. Augustino capelli sint nominandi in futurum filii descendentes a Benedicta Donghi de Cappellis? S. C. rescripsit, negative quoad capellaniam, de qua agitur, et in reliquis habetur ratio in casibus particularibus : *Ibid.*, *dub.* 2. Inde recedendo a decisis S. C. præbuit responsum affirmativum quoad capellaniam, de qua agitur, et in reliquis habebitur ratio in casibus particularibus : *Ibid.*, confirmata 17 *febr.* 1731.

41. Evenerunt casus particulares, et nominationem factam in favorem sacerdotis Francisci Mariæ Paganetti alienigenæ ad unam ex dictis capellanis amovibilibus, cui testator onus ludi-magistri exercendi injunxit, sustineri definivit. Nam nullus de genere vocatorum, qui onus assumere, et capellaniam vellet, reperiebatur : *Januen.*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1736, *dub.* 2.

42. Qua de causa ad eamdem capellaniam non est instituendus Joannes Antonius de Donghis de genere vocatorum Neapoli commorans, ut ad ejus titulum possit ordinari ; et quoad alias capellanias amovibiles S. C. institutionem in favorem ejusdem de Donghio patrum Carmelitarum arbitrio remittit : *Ibid.*, *dub.* 3.

43. Insuper nominationem clerici Joan. Piccardi facta a patribus provinciali provinciæ Januæ, et priore conventus Vulturis ad unam ex prædictis capellaniis non sustineri decidit ; ideoque eum esse removendum. Nam iste ex Vulturis pauperibus minime erat, sed in illius loci schola tantum rudimenta grammaticæ didicerat, e contra hanc capellaniam clericus Emmanuel Antonius Donghi a Benedicta descendens postulaverat : *Ead. causa*, 26 *febr.* 1752, *dub.* 1.

44. Joseph Emmanuel Delgado, ejusque avunculus Laurentius de Avila binas fundarunt capellanias perpetuas cum Missarum onere, ac consanguineorum vocatione ; hac de causa Michael de Eccheveria filius sororis Josephi fundatoris utramque obtinuit in proprietate, sed quum ei pauci menses deessent, ut ad presbyteratus ordinem ascenderet, coram capitulo, sede vacante, institit, ut interinus capellanus deputaretur ad onera implenda. Instantia vero rejecta fuit. Et inde S. C. dubii propositi, an dicto Michaeli sint capellaniæ adjudicandæ ? distulit resolutionem rescribens ad mentem : *Angelopolitana*, *Capellaniarum*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 4. Inde eidem esse utramque capellaniam adjudicandam decrevit : 22 *sept. ejusd. anni, dub.* 8.

45. Deinde fuit a S. C. declaratum requiri pro obtinenda institutione ad capellaniam a prædicto Josepho Delgado fundatam ætatem necessariam pro assequendis beneficiis non minorem respectu institutionis, et collationis in titulum ; sed posse etiam in minori ætate titulo administrationis retineri : *Ead. causa*, 5 *april.* 1732, *dub.* 1.

46. Idemque etiam esse quoad capellaniam alteram fundatam a Laurentio de Avila, requirendum, S. C. determinavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

47. Et in casu, quo pro utraque capellania obtinenda minor ætas non sufficiat, si vocati a fundatoribus, quum illæ vacaverint, non habeant requisitam ætatem protelanda est illorum provisio in titulum, et canonica institutio ; donec illi ad eam pervenerint ætatem, expletis interim per capellanos interinos oneribus : *Ibid.*, *dub.* 3.

48. Ac nominatio capellanorum interinorum ad patronos, non ad Ordinarium vi assertæ consuetudinis diœcesis spectat : *Ibid.*, *dub.* 4.

49. Collatio capellaniæ fundationis Laurentii Salustii facta fuit in favorem sacerdotis Josephi de Castracanis, hoc tamen pacto, licet non expresso in litteris collationis, ut si Fredericus Julius pronepos fundatoris expresse vocatus, dummodo ad sacerdotium ascendat, sacerdos fieri voluisset, eam dimittere deberet. Inde institutionem assequutus est ab Archiepiscopo libere, et absque conditionis mentione ; sed Fredericus ad sacros ordines ascendere cupit ; ob id re in S. C. deducta a Josepho, ut obtineat clericus Fredericus, dimittendam esse decretum prodiit : *Firmana*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1732.

50. Instituit Dionysius Bellinsani capellaniam in ecclesia S. Mariæ in Porticu urbis, cui electionem voluit perfici in favorem sacerdotis romani, et jus nominandi patribus ecclesiæ attribuit. Ad eam patres prædicti nominarunt patrem Puccetti sacerdotem romanum quippe, sed suæ religiosæ familiæ alumnum, ut ex capellaniæ reditibus subsidium aliquod religiosa domus acciperet. S. C. autem requisita electionem nullam esse, ac patres teneri sa-

cerdotem secularem eligere declaravit: *Romana, Capellaniæ*, 6 *decem.* 1732.

51. Non est locus suspensioni electionis duorum capellanorum cœtus presbyterorum fundati a Cæsare Armanni in ecclesia parochiali oppidi Meldulæ, ut reditus impendantur ad instaurandum, et ampliandum sacrarium, comparandamque sacram supellectilem, sed mandatur ad judices suos pro reddenda ratione de administratione per œconomos gesta, qua redditione rationis peracta, Ordinarius certiorem reddat S. C.: *Nullius. Foro-Pompilii, Capellaniarum*, 18 *april.* 1733, *dub.* 1.

52. Hæres Constantia Pavoncella postulavit facultatem erigendi capellaniam cum onere tot Missarum, quot annui reditus ferre possent, in locum erogandi hæreditatis pretium in tot Missas; S. C. assensa est, et interim sancivit, ut capellania remaneat liberæ collationis, sed pro prima vice ex gratia ab Episcopo fratri Constantiæ Pavoncellæ conferatur: *Perusina, seu Civitatis Plebis, Capellaniæ*, 27 *junii* 1733, *dub.* 2.

53. Decius Vacca capellaniam in ecclesia A. M.V. nuncupata *del Pillone* fundavit. Hujus testamentum haud expresse sacerdotem nominari declarat; idcirco ejusdem capellaniæ institutionem dandam esse præfixo termino Josepho Ignatio Zoncho clerico nominato in ætate annorum decem, et octo constituto, censuit S. C. Nam esse sacerdotalem habitu tantum jam antea S. C. declaraverat: *Salutiarum, Capellaniæ*, 18 *junii* 1735.

54. Massariis castri Montis Jovini capellanos ecclesiæ B. M. ejusdem castri cum Episcopi approbatione quoad sacramentorum administrationem eligere licet: *Civitatis Plebis*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 1, confirmata 29 *martii* 1738.

55. Ac propterea decretum Episcopi super electione capellanorum eorumdem latum validum est; salva tamen eadem electione a massariis juxta hujus primi dubii decisionem facienda: *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

56. Ad quamdam capellaniam a marchione Vasallo Anastasio Malliano ordinatam ipse fundator primum nominavit priorem Augustinum Stralla, sub conditione tamen, ut et ipse et sui hæredes credito 930 librar. renunciassent; deinde vero, eo defuncto, cum eadem obligatione alium presbyterum ex filiis Josephi Francisci germani fratris ejusdem Augustini nominavit, et demum disposuit, ut si prædicti acceptare nollent, prior Josephus Forzanus creditum præfatum priori Strallæ, hæredibus ejus solveret, et interim excluderentur a nominatione passiva omnes Strallæ. Clericus Andreas Stralla filius dicti Josephi instantiam a priore patruo defuncto promotam prosequens postulavit, ut enunciata conditio, uti simoniaca, a nominatione penitus rejiciatur, et ut puram nominationem consequi possit; S. C. vero scribendum Ordinario pro meliori informatione, auditis interesse habentibus putavit: *Montis Regalis, Capellaniæ*, 1 *junii* 1737. At postmodum prior Forzanus addidit, capellaniam esse presbyteralem, ac proinde illam consequi non posse clericum Andream annorum 16; hinc dandam esse institutionem sacerdoti Forzano fuit definitum: 19 *novem.* 1740, confirmata 6 *maii* 1741.

57. Clericatum, seu capellaniam *delle Gioje* Laurentius Anellius, qui ex linea fœmina, a fundatore Joan. Baptista Cassetta beneficiato basilicæ SS. Laurentii, et Damasi originem ducit, prævia patroni nominatione obtinuit. Inde animadvertens diem appropinquare, qua ætatem 24 annorum, legemque in testamento indictam esset expleturus, ad aliud triennium indultum retinendi eam impetravit. Patronus hujusce gratiæ inscius Blassium Andream Carletti nominavit, et nominationem suam sustineri, quum gratia præfata absque ejus consensu, imo eo non petito concessa fuerit, contendit; qua de re S. C. prorogationem obtentam a Laurentio nullam, necnon concedendam esse ad annum a die expletæ ætatis declaravit: *Romana, seu Prænestina, Legati*, 6 *julii* 1737, *dub.* 1 et 2.

58. Religiosus nominandus a patribus Servitis conventus Cæsenæ pro onere explendo capellaniæ ordinatæ a Vercellinis de Vercellinis, qui deputationem religiosi orti Cæsenæ, aut saltem filii conventus prædicti voluit, in concursu religiosus, qui una simul sit civis Cæsenæ, et filius conventus, alteri, qui sit tantum filius dicti conventus, præferri debet: *Cæsenaten., Capellaniæ*, 11 *martii* 1741, *dub.* 1.

59. Atque nominatio semel facta fratris Francisci Mariæ Candoli civis, et una simul filii conventus ad ejus vitam permanere non debet; sed, quoad resolutionem nuper factam a discretorio dicti conventus de nominando in posterum de biennio in biennium alternatim religiosos ejusdem conventus licet filios tantum, et non cives, ea servanda est quoad tempus etiam auctoritate S. C., et citra approbationem dispositionis testamenti in quantum repugnat voto paupertatis: *Ibid.*, *dub.* 2.

60. Et frater Candolus civis Cæsenæ, et filius dicti conventus alias nominatus permanere non debet in adimplemento ejusdem piæ voluntatis, et in perceptione emolumenti; sed posse iterum nominari: *Ibid.*, *dub.* 3.

61. Tam quoad legatum Missarum ab Orinthia Clodia Lauret relictum, quam quoad capellaniam fundatam a Margarita Lauret, jus nominandi capellanum Antonio Rodulphio unico superstite hæredi S. C. adjudicavit. Nam testatrices facultatem alibi pias fundationes transferendi tribuerant; et revera sequuta erat translatio ab ecclesia patrum Minimo-

rum oppidi Tarani, ad alteram *S.* Nicolai jurispatronatus familiæ de Rodulphis ejusdem oppidi: *Sabinen., Translationis legati Missarum,* 26 *januar.* 1743, *dub.* 2.

62. Sacerdos Ludovicus Lazzarinius in capellanum ecclesiæ nuncupatæ S. Mariæ de Pace deputatus fuit, ut onera capellaniæ amovibilis ad nutum patronæ communitatis Montis Milonis expleat, ac eamdem retinere, dum viveret, valeat, quum ipse ecclesiæ reparationem despoonderit; hac de causa S. C. requisita, dictæ capellaniæ perpetuitatem ad vitam sacerdotis præmemorati validam esse patefecit: *Maceraten., Capellaniæ*, 17 *sept.* 1746.

63. Celebratio Missarum, quas reliquerunt Joseph Ruffus, archidiaconus Gaballus, et Joannes Dattilus in altari Sanctissimæ Trinitatis, et B. Virginis in ecclesia patrum de Observantia S. Francisci urbis Uxenti erecto, privative ad dictos patres spectat, non autem est arbitrio Annæ Mariæ Gaballo hæredi alios deputare capellanos, seu sacerdotes in casu, de quo agitur, excepto archidiaconi Gaballo legato: *Uxentina, Celebrationis Missarum,* 13 *januar.* 1748, *dub.* 1, confirmata 27 *april. ejusd. anni.*

64. Quum conjuges Julianus Dieste, et Josepha de Loxo capellaniam quamdam consanguineis jurepatronatus tributo fundaverint, inde ad removenda jurgia, et dissidia, quæ inter consanguineos passive vocatos oriri possent, petierunt, ut ipsis mutare fundationis ipsius legem liceret, ut nempe ad capellaniam præsentare valeant, qui magis hæredibus placerent. Obstitit Ildephonsus de Torres tanquam passive vocatus, et ad capellaniam vacantem poposcit institutionem, contendens fundatores non posse detrimentum juri quæsito passive vocatis inferre; ideo S. C. præfatam commutationem inficiata est; sed licere fundatoribus eorum vita durante tantum præsentare capellanum ad libitum putavit: *Compostellana, Capellaniæ*, 10 *febr.* 1748, confirmata 11 *maii ejusd. anni.*

65. Capellania a Laurentio Paulonio in ecclesia collegiata S. Ceciliæ terræ Aquæ Spartæ fundata sacerdoti Lucio Moscatellio qualitates requisitas a fundatore habenti fuit adjudicata; quanquam capitulum facultatem in deficientia vocatorum extraneos eligere obtinuerit, et unum ex his deputare meditabatur: *Tudertina, Capellaniæ*, 17 *maii* 1749.

66. Mercurius Floravantes capellaniam perpetuam cum prælatione consanguineorum, si idoneus obtinendi adesset, fundavit; eique onus personale Missarum, ac confessiones audiendi adjunxit. Erecta hæc fuit laicalis; sed S.C. erigendam esse ecclesiasticæ qualitatis accedente patroni consensu jam antea præceperat. Modo Josepho Farroni extraneo sacerdoti, et confessario a patrono præsentato contradicente Philippo Panichellio consanguineo non sacerdote, neque confessario adjudicandam esse declaravit: *Camerinen., Capellaniæ*, 25 *jan.* 1755.

67. Quum actum fuisset, an capellaniæ institutæ a Paulo Sebastiani in ecclesia parochiali S. Thomæ Apostoli terræ Offaneæ nominatio, tam activa, quam passiva, durante linea Sebastiani prædicti spectet ad eamdem lineam? protelavit S. C. definitionem, et ad mentem [303] respondit; nam testator expresse suæ lineæ juspatronatus activum dedit, et passivum ab ipso nulli datum fuit: *Auximana, Capellaniæ*, 26 *april.* 1755, *dub.* 2. Inde, ut in casibus particularibus recurrat, fuit resolutum: 26 *april. ejusd. anni.*

58. Jus nominandi capellanum ad fundationem Recuperi Sanctini integraliter, et privative ad Felicem Angelum Gratiosi, et Michaelem Jannarelli, non autem cumulative cum Universitate, et hominibus villæ civitellæ Vervici spectat. Nam hi dictitabant non potuisse a Recupero ecclesiæ instauratore juspatronatus acquiri, quum Universitas primum eam ædificaverit et dotaverit, atque cessum fuerit juspatronatus Gratioso, et Jannarello, qui sunt de sanguine fundatoris; licet has cessiones Episcopus approbasset: *Reatina, Capellaniæ,* 10 *maii* 1755.

69. Capellani nominationis tempus prorogatur ad novennium, donec scilicet filius natu major Hieronymæ Mazzatosti patronæ capellaniæ in ecclesia collegiata S. Sixti a Margarita Marinoni erectæ, qui septennis est, adolescat, et fructus dictæ capellaniæ in ejus subsidium cedat, etiam ad studia vacanda, adimpletis interim oneribus per œconomum a Card. Episcopo deputandum: *Viterbien., Capellaniæ*, 18 *junii* 1757.

70. Capellani nominatio in favorem clerici, qui ætatem non habebat ad ea onera implenda, quæ a fundatore Michaeli Angelo Moni imposita fuerant, sanguine tamen patroni, ac fundatoris conjuncti, fuit ex gratia adprobata, præfixo termino ab Archiepiscopo ad suscipiendum ordinem sacerdotalem ad formam Concilii [304], et quoad confessionem arbitrio

[303] Vide not. 302.

[304] Sess. 23, cap. 11, 13 et 14, *de Reform.*, ubi cautum est, ut nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines clerici promoveantur, et promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittatur, atque demum ordinem presbyteratus assumentes bonum habeant testimonium, et in diaconatus per annum integrum probati, nisi ob ecclesiæ utilitatem, aut necessitatem aliud Episcopo videtur; item diligenti examine præcedente idonei comprobentur. Hinc quamvis in

ejusdem Archiepiscopi adimpletis interim capellaniæ oneribus per alium sacerdotem ab eodem Archiepiscopo adprobandum: *Lucana, Capellaniæ*, 2 *sept.* 1758.

71. Ambrosius Padovanius de sanguine fundatoris, et patroni ad capellaniam præsentatus a Summo Pontifice institutionem cum derogatione medietatis vocum obtinuit, postquam eamdem gratiam reportaverat Joannes Baptista Gajani, cujus tamen supplicatio subreptionis, et obreptionis vitio laborabat, de quo exinde sanationem impetraverat. Ex his prælatio habuit Ambrosius, cujus supplicationem signandam esse S. C. sancivit : *Faventina, Capellaniæ*, 31 *martii* 1759.

72. Clericus Joannes Franciscus Piccardi e loco Vulturis oriundus, ac pauper cooptatus inter scholares,cui Gardinarius veris existentibus narratis contulit unam ex capellaniis institutionis Augustini Cappelli est removendus reclamantibus fratribus de Donghis ; quia qualitates ipsius respiciunt tempus præteritum, et testator vocavit: *Putti di detta scuola : Januen.*, *Capellaniarum*, 25 *april.* 1761, *dub.* 1, confirmata 30 *januar.* 1762.

73. Adjudicato jurepatronatus capellaniæ mere laicalis institutionis comitis Raynerii Montemarte filiis Magdalenæ Leonardi licet per medium fœminæ descendentibus a Blasio Leonardi, quæsitum fuit : An esset signanda supplicatio pro dispensatione qualitatis clericalis a testatore indicta in favorem Pauli Nicolai Bonavisa unius ex dictis filiis Magdalenæ? et S. C. ut recurrat in casu vacationis rescripsit :*Civitatis Castelli*,*Capellaniarum*,29 *aug*.1761,*dub*.3.

74. Hoc casu sequuto, quæritur in favorem Pauli Nicolai prædicti, an sit capax ? et esse idoneum capellanias prædictas assequendas resolvit : *Ead.*, 1 *martii* 1766, *dub.* 1.

75. Capellania jurispatronatus communitatis Ferentini unita fuit seminario, reservata facultate sibi nominandi unum alumnum. Sed a nominatione postquam cessavit communitas, anno 1700 capellania impetrata fuit a Joanne Baptista Ferri ob assertam unionis nullitatem. Inde Benedictus XIII, Pont. Max. univit seminario nunc prout ex tunc, ubi primum vacare contingeret. Capellanus Ferri decessit, et seminarium apprehendit capellaniæ possessionem. Deinde quum clericus Petrus Nolli nominatus ad locum seminarii admissus non fuisset, quia per biennium admissio gratuita suspensa erat, propter æs alienum occasione ædes seminarii instaurandi contractum, idem a dataria capellaniam tanquam adhuc vacantem impetravit , et litterarum apostolicarum exequutionem petiit, quam minime admisit S. C. *Ferentina, Beneficii*, 16 *januar.* 1762.

76. An societate Sanctissimi Rosarii castri Pulverisii, et Plebano patronis nominatio effecta fuit ad capellaniam fundationis Joannis Baptistæ Mainardi in favorem clerici Aloysii Mainardi de genere vocatorum tredecim annos nati , sub conditione apostolicam impetrandi dispensationem. Deinde iidem patroni ad eamdem sacerdotem Julium Giampedi Magdalenæ Mainardi filium subsidarie tamen in eventum, quo primus non obtinuisset dispensationem ætatis tempore statuto, nominarunt. De hac conditione iste conquestus est, res delata est ad S. C. et hæc supplicationem Aloysii esse relaxandan deliberavit : *Anconitana*, *Capellaniæ*, 12 *junii* 1762.

77. Quæstio agitata est inter Annuntiatum de Angelis,et Hippolytum Cantonium nominatos ad capellaniam in ecclesia S. Joannis oppidi Campaneani fundatum a Nicolao Foscosi, qui legem expressit, ut idoneus capellanus ætatis annorum 20, ac e Campaneano præsentari debeat. Has qualitates docet habere Annuntiatus, qui insuper derogationem vocum medietatis petiit; Cantonius vero sibi juvari, quod filius sit patronæ, putat. S. C. vero supplicationem Annuntiati esse signandam censuit : *Nepesina*, *Capellaniæ*, 27 *april.* 1765.

78. Ad capellaniam vacantem in ecclesia parochiali Montis Carotti institutam a Seraphino Thesei, Valeria Thesei, ad quam jus nominandi pertinet, Angelum Anselmium ætatis annorum 12 filium sororis nominavit. Huic dispensationem ætatis petebat, objecerunt sese contradictores nonnullli ex descendentia fœminina familiæ testatoris ; et uni ex his favit S. C. signandam esse supplicationem Antonii Dionisii qualitates a testatore requisitas habentis decernens. Nam testator elegi ex familia, et hoc non extante idoneum aliter mandaverat : *Æsina*,*Capellaniæ*, 23 *martii* 1765, confirmata 20 *aug.* 1767.

79. Horatius Maria Ondedeus Eugubinus quinque instituens perpetuas capellanias, hæredibusque nominandi jus tribuens jussit, ut capellani Eugubii nativi essent. Patronus ad vacantem nominavit Benedictum Brunettum e villa Petrojæ, ad octavum ab urbe Eugubina lapidem. Nominato capellaniam dedit Episcopus, exinde ad ejus titulum subdiaconatus ordinem contulit. Increbuit inde rumor, Brunettum non habuisse e civitate Eugubii juxta mentem testatoris ortum ; hinc Brunettus contendens eos, qui in

citatis capitibus Episcopo tribuatur auctoritas dispensandi super interstitiorum observantia ; tamen hujus auctoritatis usus, non quidem ex mero arbitrio dirigendus est sed habita dumtaxat ratione necessitatis, aut utilitatis ecclesiæ, ut ait Bened. XIV, *de Synod. diœces.* lib. 2, cap. 2, num. 16.

territorio, ejusque pagis, ac vicis nati sunt, civitatis nomine venire, oraculum petiit S. C., et quæsivit, utrum nominari potuerit, et quatenus negative, institit pro sanatione? et S. C. consulendum esse Sanctissimum pro sanatione ad cautelam respondit : *Eugubina*, 18 *martii* 1765.

80. Gens Perucca beneficio fundato in ecclesia S. Joan. Baptistæ Cerseti ad juspatronatus passivum ejusdem vocavit omnes descendentes, dummodo capaces essent, et in tenera ætate etiam existentes, ideo patroni supplicarunt, ut nominatio fieri possit de puero etiam lactenti, qui in agnatione esset, et novam dotem scut. 600 in censibus, quæ scut. 30 reddunt, obtulerunt, sed supplicarunt incassum : *Vercellen.*, 9 *aug.* 1766.

81. Ad capellaniam fundatam a Dominico et Margarita Mattioli in ecclesia Spiritus Sancti oppidi S. Georgii præsentarunt una patroni nepotem clericum Petrum Crescentinium, et huic renuenti substitutus est sacerdos Octavianius. Clericus dispensationem ætatis petiit, sed inde postulata gratia neglecta, canonicatum quemdam assequutus est. Qua de causa Episcopus jure devoluto sacerdotem Joannem Baptistam Spadonium nominavit. Controversia in S. C. deducta, decretum esse capellaniam sacerdoti Octaviano adjudicandam emanavit : *Fanen.*, *Capellaniæ*, 16 *sept.* 1769.

82. Capellania amovibilis in ecclesia plebana S. Stephani oppidi Montis Sancti a Spirito Spiriti fuit instituta. Inde sacerdoti Carolo Sasseti collata fuit. Hic, quum ecclesia prædicta ad collegiatæ honorem evecta fuit, canonicus evasit. Dubitatum fuit de validitate ejusdem collationis, et eam sustineri S. C. sancivit; etiamsi testator non esse eligendum, qui alieno servitio addictus est, significaret : *Firmana*, *Capellaniæ*, 24 *nov.* 1770.

83. Capellaniam instituit Angelus Carderius cum onere Missarum, quæ in ecclesia sodalitii B. M. Angelorum loci Lepriniani celebrandæ sunt; legemque dedit sodalitio sacerdotes filios Augustini Carderi, aliter sacerdotem proximiorem, dummodo sit ex domo Carderi, præferri. Ad hanc electus fuit clericus Carolus Carderi, qui oneribus expletis per alium, causa studiorum eam retinere impetravit, et per decennium possedit. Sed sodales illam electionem absque eorum convocatione rite non fuisse peractam putantes, in novum capellanum Nicolaum Carderi proximiorem de familia elegerunt : idcirco quæstione discussa in S. C., cuinam ex his sit capellania adjudicanda? rescriptum prodiit : Dilata et ad Card. præfectum ad mentem[505] : *Nullius*, *Lepriniani*, *Capellaniæ*, 14 *dec.* 1771. Deinde resolutum fuit in favorem Caroli, qui documenta suæ promixioris consanguinitatis cum testatore protulit : 14 *martii* 1772.

84. Capellaniæ ordinatæ a Magdalena Venanzetti in ecclesia collegiata S. Mariæ Matelicæ, cum nulla verba in fundatione qualitatis sacerdotalis præseferant, collatio in favorem clerici Nicolai Vincentii Belardi testatricis consanguinei valida est; testatrix ipsa occasione vacationis descendentes non posse assequi donec *non sara in stato, ed eta di poter soddisfare alla celebrazione di dette Messe*, expressit : *Camerinen.*, *Capellaniæ*, 21 *nov.* 1772, *dub.* 2.

85. Benedictus Sampieri in fundatione cujusdam capellaniæ nominari, ac præferri aliquem de familia Panzani statuit; hanc conferri clerico, qui tantum primam tonsuram habet, Joanni Baptistæ Panzani non debere decrevit S. C.; etsi capellania laicalis sit, ac testator Missam per seipsum celebrandi haud præscripserit : *Ariminen.*, *Capellaniæ*, 12 *martii* 1774, *dub.* 1.

86. Et collatio, seu nominatio facta a communitate Gambettulæ sacerdotis Jacobi Tonielli extranei vim habet, nec est ad novam nominationem deveniendum : *Ibid.*, *dub.* 3.

87. Ad capellaniam laicalem a Francisco Ughi ordinatam relicto passivo jurepatronatus in favorem consanguineorum cum prælatione magis idonei, patronus Paulum Ughi pronepotem suum ætatis annorum 10, nulla conditione adjecta apostolicam petendi dispensationem, nominavit. Sacerdos Jacobus Bacci, quum se passive vocatum, et unice qualificatum existimaret, contra eum solemniter protestatus est; idcirco orta lite, Paulus veniam ætatis postulavit, et res ad S. C. delata est; hæc minime esse relaxandam supplicationem, ac ætatis dispensationem concedendam decidit : *Perusina*, *Capellaniæ*, 30 *julii* 1774. Exinde susceptum consilium deposuit, et esse relaxandam supplicationem censuit : 8 *julii* 1775. Denique rediit S. C. in primo loco decisis addens, et partes utantur jure suo coram Ordinario : 2 *maii* 1776.

88. Capellania, quam erigi mandavit Eugenius Rodriquez in ecclesia PP. B. M. V. de Mercede, et Divo Joanni dicata, non debetur iisdem patribus, de quorum jure constabat; sed pro prima vice facultas facta fuerat Petro de Castro illam assequendi ab ipso testatore, dummodo in sacris ordinaretur, et ipse dispensationem apostolicam ab onere ordines sacros suscipiendi obtinuerat : *Romana*, *Capellaniæ*, 8 *april.* 1775.

89. Capellani nominationi locus est in favorem clerici Augustini Onesti unice passive vocati a testatore Julio Galli, qui capellaniam fundavit; non

[505] Mens in defensorum monitionem versatur.

autem potest patronnm illam retinere in statu conjugali, nec idem Augustino nulla patroni nominatione indigenti adjudicatur : *Balneoregien.*, 29 *julii* 1775, *dub.* 2.

90. Decreverat antea S. C. juspatronatus in favorem Scholasticæ Quartucci Molelli ; modo sancivit capellani nominationem a patrona factam in favorem sacerdotis Brizi validam, ac litteras apostolicas esse exequendas. Constat enim de legitima confirmatione clausulæ additæ, verificato prius coram Ordinario loci dicto jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione : *Verulana*, *Jurepatronatus*, 16 *jan.* 1779, *dub.* 2.

91. Nominatio ad capellaniam perpetuam a Jacobo Pei ordinatam in ecclesia parochiali, et collegiata S. Eustachii de Urbe pro futura vacatione, quam nominationem expleverunt patroni, firma non est in favorem Loretti Ciccolini religiosi ex ministris infirmorum, necnon possessio ab eo post ultimi possessoris obitum capta ; sed danda est institutio sacerdoti Jacobi Torri nominato a sodalitio B. M. V., ad quod jus nominandi fuit delatum ; etiamsi per triennium Ciccolinius possederit : *Romana*, *Capellaniæ*, 19 *febr.* 1780.

92. Hannibal Fazi capellaniam perpetuam altari Sanctissimæ Annuntiationis parochialis ecclesiæ S. Petri terræ Montis Leonis fundavit ; hujus collatio facta in favorem clerici Bernardini Tenti valida est ; etiamsi sacerdotalem qualitatem in fundatione requisitam non haberet ; idcirco exoraverat S. C. pro facultate interea capellaniam retinendi, oneribus per ejus patruum sacerdotem adimpletis : *Civitatis Plebis*, *Capellaniæ*, 16 *sept.* 1780.

93. Patronatus capellaniæ fundatæ a Maria Angela Picucci Claræ Trovarelli a fratre Francisco, qui nullos habebat filios, concessus fuit ; sed, quum nominatio hujus capellaniæ ex fundationis lege devincta est in favorem alicujus ex congregatione secularium, et regularium presbyterorum, Clara prædicta petiit facultatem nominandi aliquem ex suis filiis, familia testatoris extincta. S. C. vero nulla capta resolutione, rescripsit, ut oratrix utatur jure suo : *Firmana*, *Capellaniæ*, 20 *januar.* 1781.

94. Capellania instituta a conjugibus Caponetti in ecclesia collgiata oppidi S. Elpidii cum onere celebrandi per seipsum, sacerdoti Moretti nominato in capellanum adjudicatur, ad mentem[306], reprobata nominatione altera a reliquis patronis in favorem presbyteri Oratorii S. Philippi Nerii dicti oppidi Aloysii Petrucci expleta : *Firmana*, *Capellaniæ*, 16 *martii* 1782, *dub.* 2, confirmatur, et additur quoad supplicem libellum Ludovici Moretti ad D. secretarium cum Sanctissimo : 13 *julii ejusd. anni.*

95. Anna Maria Strozzi relicto jurepatronatus viro ejus Michaeli Angelo duci Sermonetæ capellaniam fundavit sub lege, ut ad eam semper sacerdos sibi subjectus nominaretur. Dux patronus sacerdotem Josephum Marini Pistoriensem, quem inter familiares domus suæ adlegit, et in numero suorum civium subjectorum adscripsit, nominavit. Insurrexit tamen Petrus Favali sacerdos subditus originarius, ut sibi capellania jure devolutionis adjudicaretur ; S. C. consulta, nominationem sacerdotis Marini validam declaravit : *Veliterna*, *Capellaniæ*, 23 *febr.* 1782.

96. Ad capellaniam fundatam a Paulo de Bonianis in ecclesia plebis S. Petri civitatis Guastallæ, quam testator conferendam esse demandaverat sacerdoti actu, vel habitu, clericum in decimo quarto ætatis anno constituto nominandum a patronis non esse S. C. significavit : *Nullius, Guastallæ*, 31 *maii* 1783, *dub.* 2.

97. Nominatio in favorem sacerdotis Candidi Gentili a Paulo Ciccalotti perfecta ad capellaniam, quam Theresia Ciccalotti Caldori in ecclesia S. Jo. Baptistæ oppidi Turris erexit, haud sustinetur. Alienigena est enim nominatus, non de contemplatis familiis : *Sabinen.*, *Capellaniæ*, 27 *mart.* 1784, *dub.* 1.

98. Necnon eadem capellania Melchiori Picarozzi de familia a testatrice expresse vocata adjudicatur ; præfixo tamen ei termino duorum mensium ad residendum, oneribus interim per alium expletis : *Ibid.*, *dub.* 2.

99. Instituta capellania a Conrado Capici in capella ecclesiæ metropolitanæ, pariter a Joan. Baptista Rubino demandata in eadem capella Missarum celebratione ; inter capellanum, et hæredes Rubini conventum fuit ab his annua scuta 25 pro implendis oneribus tradi. Hæreditas Rubini ad familiam Margiaccam, illa Capricii ad marchiones Blanc devenit. Capellania interim vacante hi nominarunt Jacobum Capitaneum, jus sibi esse nominandi putantes ; alter familia Dominicum Rispolium Capitaneo morte præoccupato Vincentius Limata suffectus fuit ; inde a curia archiepiscopali institutus ; deinde S. C. requisita de ejusdem validitate, validam esse institutionem judicavit : *Beneventana*, 24 *jan.* 1784, *dub.* 1.

100. Capellaniam ecclesiasticam ordinatam ab Angelo Bonelli in ecclesia parochiali Castri Melezzoli cum verbis non requirentibus qualitatem sacerdotalem in actu præsentationis, sed in muneribus a capellano subeundis, excipiendi nempe confessiones, in loco residendi, S. C. esse sacerdotalem habitu ; idcirco dandam esse institutionem clerico Horatio

[306] Et mens est, ut præfigatur sacerdoti Moretti terminus duorum mensium, ut accedat ad S. Elpidium ad celebrandum per seipsum : *Ead. causa*, 16 *martii* 1782, *dub.* 2.

Mancini annorum 25 circiter declaravit : *Tudertina*, 30 *julii* 1785.

101. Actum fuit in S. C. de erectione perpetuæ capellaniæ a Joan. Alberti Brizii institutæ, instantibus Josepho, aliisque Ragni testatoris ex sorore nepotibus; inde isti petierunt, ut jus capellanum nominandi sit in favorem proximiorum testatori reservandum. S. C. autem tantum ex gratia, ut pro prima vice conferatur nominando a Josepho et aliis Ragni, concessit : *Papien.*,8 *apr.*1786,*dub.*2.

102. Instituta fuit capellania ab Ubaldo Conversi in ecclesia S. Nicolai castri Elegabitiarum, ut de triennio in triennium, vel sacerdos confirmaretur, vel aliis subrogaretur. Ad hanc nominatus fuit Dominicus Terentius; qui nondum absoluto triennio sibi perpetuari postulavit : interea elapso triennio Aloysius Terentius electus fuit, cui Dominicus restitit, quod prælative esse vocatum autumat. Consulta S. C. non constare de prælativa vocatione Dominici ad prædictam capellaniam ; ita ut sit declaranda in illus favorem perpetuitas ; sed esse nominationem Aloysii servandam decretum prodiit: *Pisauren.*, *Capellaniæ*, 2 *decem.* 1786, *dub.* 1.

103. Quum jam antea capellaniam ordinatam a Jacobo Bussi in ecclesia loci Gambulagæ clericalem esse pronunciatum a S. C. fuisset; idcirco præsentatio clerici Vincentii Cicognara a patronis confecta ad eamdem modo confirmatur : *Ferrarien.*, *Capellaniæ*, 21 *junii* 1788, *dub.* 2.

104. Capellania a Joanne Trevisani instituta addicitur septenni ejusdem familiæ clerico legitime nominato, denegata Joanni Mariæ Benedetti uni ex familia vocata, et in statu conjugali constituto, illius retentione sub administratione ad complementum utilis septuagenariæ, quod septuagenario decurrente termino fundator ejus familiæ sacerdotes, clericosque vocavit : *Firmana, Capellaniæ*, 25 *apr.* 1789.

105. Fundata capellania perpetua in ecclesia S. Petri Somnæni a sacerdote Frederico Butio, ac reservato jurepatronatus tam activo, quam passivo descendentibus suarum neptum, et hæredum. Lis de nominatione inter patronos orta est, sed concordia sopita fuit; ut nempe alternatim in posterum a familiis Mancini, et Bernardini capellanus nominaretur. Nominavit itaque Mancini, inde familia Bernardini. Tertio nuper sequuta vacatione, ad capellaniam institui postulavit sacerdos Angelus Schiera tanquam descendens a familia Mancini. At Adeodatus Bernardini nominavit Aloysium nepotem, quem vicarius misit in possessionem. Inde re in S. C. delata, hæc declaravit institutionem Schiera dandam esse : *Terracinen. seu Privernen.*, *Capellaniæ*, 8 *aug.* 1789.

106. Delata jurepatronatus capellaniæ fundatæ ab Antonio de Bellis in collegiata ecclesia S. Mariæ Arcisgurgæ ad proximiorem familiam Antonii Nardovincentii, ac capellania vacante inter Franciscum, et Aloysium de Bellis, Erasmum Recchio, et Joannem Baptistam de Nardis præsentatos a descendentibus filiorum Antonii in discrimine res est. Liti cesserunt Erasmus, et Franciscus; alter libere, alter in favorem Aloysii ejus fratris, reservato jure pro futura vacatione; vicarius generalis Joan. Baptistam de Nardis uti proximiorem instituit; Aloysius deinde matrimonium contraxit, et in jus venit Franciscus. Res delata fuit in S. C. quæ litem dirimit, sanciens litteras apostolicas in favorem Joan. Baptistæ de Nardis præsentati a remotioribus consanguinei fundatoris servandas non esse : *Terracinen. seu Setina*, *Capellaniæ*, 28 *nov.* 1789, *dub.* 1, confirmata 15 *maii* 1790.

107. Necnon institutionem dandam esse in favorem Francisci de Bellis proximioris illius consangnineo resolvit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

108. Octavius Speranza primo testamento capellaniam perpetuam in secundo primo revocato legatum pium erigi mandavit. In primo tantum reserravit juspatronatus in favorem Antonii Speranza, et inde equitis Petri Pauli Carrara , et descendentium Episcopus legatum pium in capellaniam erexit, et jurispatronatus lineæ masculinæ de Carraris reservavit. S. C., cui patroni adierunt, ut legatum redintegretur prævia sanatione capellaniæ, in futurum capellani nominationem spectandam ad Episcopum censuit : *Fanen.*, *Capellaniæ*, 7 *maii* 1791, *dub.* 2.

109. Ad capellaniam laicalem institutam ab Addetio Martelli in ecclesia parochiali S. Nicolai oppidi Aquævivæ patroni nominarunt pro celebratione Missarum sacerdotem Carolum de Angelis sub lege *che non possa appropriarsi che la sola limosina di un paolo per Messa*. De validitate hujusce nominationis nutans sacerdos Franciscus Angelotti supplicavit Sanctissimo pro illius collatione ; et dubiis in S. C. disputatis, an, et quomodo sit locus collationi capellaniæ? et quatenus affirmative.

110. An sacerdoti Francisco Angelotti sit conferenda? rescribitur ad primum esse locum nominationi capellani per patronos ad formam testamenti, præfixo per Ordinarium competenti termino, ad secundum provisum in primo : *Ripana*, *Capellaniæ*, 7 *maii* 1792, *dub.* 1 et 2.

111. Ad capellaniam, seu simplex beneficium vacans fundatum a sacerdote Joanne Magnoli in ecclesia S. Sebastiani societatis *de Battuti Bianchi* obtinendum supplicavit Julius Antonius Brunaccini pro ejus filio annorum quatuor, et eodem tempore nominati fuerunt a patronis sacerdos Joannes Amadei, et sacerdos Stephanus Bagattoni, qui S. C. consultaverunt, cui sit danda institutio? putavit sus-

pendendam nominationem, et in administrationem in favorem pauperis pueruli prælative vocati concedendam, donec ad majorem pervenerit ætatem: *Foro Livien.*, *Capellaniæ*, 25 *junii* 1791, *dub.* 1.

112. Hæredem instituit uxorem Persiam Claudius Ferettini legato scut. nepti Claræ centum relicto. Uxor capitulo ecclesiæ cathedralis hærede scripto legatum Missarum fundavit. At Clara prole onusta, quæ sub spe hæreditatis cum consensu Persiæ Joan. Baptistæ Fortunati nupserat, nunquam legatum accepit, et spe dejecta a Summo Pontifice obtinuit, ut ex hæreditate fundo separato, capellania erigeretur, et reliqua bona ei traderentur, cum facultate nominandi ad eam testatoris descendentes; ideo nominavit clericum suum filium, qui contradicente capitulo pro tributa facultate nominationis a dicta Persia in favorem sacerdotis Reatini, S. C. adiit, quæ conferendam esse clerico præfato in titulum patrimonii sacri sancivit: *Reatina*, *Capellaniæ*, 8 *febr.* 1794, *dub.* 2.

113. Ad capellaniam laicalem fundatam a Benedicto de Tavellis in ecclesia S. Paterniani, ad quam passive vocavit fundator clericos etiam in minoribus ordinibus constitutos, nominationem Petri Pauli Lovatelli an. 9, et prima dumtaxat tonsura initiati a patrono factam sustineri S. C. declarat: *Ravennaten.*, *Capellaniæ*, 18 *april.* 1795, *dub.* 1.

114. Nominatio ad capellaniam fundationis Alexandri Ziani facta vigore transactionis post absolutam litem super sortibus ejusdem capellaniæ, et ut asseritur cum correspectiva promissione de impetranda a S. C. Boni regiminis diuturna dilatione ad communitativum quoddam solvendum debitum, a S. C. simoniaca declarata haud fuit; hinc non est dicta nominatio in favorem clerici Pauli Bondi facta irritanda, nec alium nominandi est facultas concedenda: *Sutrina*, *Capellaniæ*, 18 *apr.* 1795, *dub.* 3.

115. Sacerdos Joseph Budroni possessor capellaniæ fundatæ ab Elisabeth Murgia Culcinagiu, qui ad illam oriundos urbis Turritanæ ad nominationem Archiepiscopi vocavit; et primus capellanus nominatus a fundatrice bona capellaniæ ita in melius mutavit ut libellarum 3000 auctus est illius valor; animum hic habet donandi refectiones capellaniæ, quoties Archiepiscopus nominaret in successorem capellanum sacerdotem Joan. Baptistam Marras ejus nepotem licet civem oppidi Claramonti. Favet Archiepiscopus, sed de simoniæ labe dubitans S. C. consuluit, quæ esse permittendam nominationem sacerdotis Marras juxta votum Archiepiscopi respondit: *Turritana*, *Capellaniæ*, 30 *julii* 1796.

116. De binis capellaniis fundatis in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi a Cæsareo sen. Calvi suspensio capellanorum obtenta fuit anno 1771 a patrono Cæsareo jun. Calvi, quousque perveniret ad legitimam ætatem ejus nepos, oneribus expletis, quum prædia in pejus censibus subrogata permutata fuerint. Inde semper neglecta dicta nominatio fuit, paucis celebratis Missis. Modo vero supplicat patronus pro suspensione nominationis sed S. C. locum esse nominationi capellani, et Episcopum præfigere terminum prout de jure ad dictam nominationem, mandavit: etsi indigentiam patroni Episcopus proferret: *Spoletana*, *Reductionis Missarum*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 2.

§ VII.

Capellania quoad reductionem, commutationem, et dimissionem.

1. Ex duabus capellaniis fundatis a Dominico Oradino in ecclesia cathedrali ob redituum decrementum hæreditatis, quæ scut. 30 cuilibet capellano persolvere gravabatur, S. C. esse locum reductioni ad unicam tantum decrevit. Nam testator in casu hujusmodi fieri ab hærede electionem unius capellani disposuerat: *Perusina*, *Capellaniarum*, 27 *martii* 1706, *dub.* 1.

2. Joannes Baptista Stacconius hæredem ecclesiam B. M. V. de Consolatione Urbis instituit, eique onus indixit, ut quinque in designatis ecclesiis laicales capellaniæ erigerentur. Primo ad scuta 200 fructus hæreditatis ascendebant, sed mox ad scuta 150 redacta sunt, ac propterea ecclesiæ custodes supplicant, vel imminuetur capellaniarum numerus, vel reducentur Missæ. S. C. vero Missarum numerum ad manualem firmis remanentibus quinque illis capellaniis reduxit: *Romana*, *Capellaniarum*, 10 *maii* 1710.

3. Camillus princeps Pamphilius senior suo hæredi attributionem tot locorum montium fructus annui scut. 400 pro fundatione sex capellaniarum in ecclesia S. Agnetis mandavit. At temporibus Innoc. XI. Sum. Pont. reductione passa, locorum Montium reditus imminutus fuit ad scuta annua 300; ideoque dictus princeps ad sextum capellanum nominandum se abstinuit, ac num esset locus reductioni capellanorum, vel dotis supplemento quæsivit, et S. C. denegans reductionem quoad supplementum causam denuo proponi statuit: *Romana*, *Dotis capellaniarum*, 13 *junii* 1722.

4. Ad capellaniam fundatam a Laurentio Salustro in ecclesia parochiali castri Horticinii electus sacerdos Joseph de Castracanis, hoc tamen pacto, ut, si deinceps Fredericus Julii testatoris pronepos, et expresse *nell atto, che dovera essere promosso agli ordini sagri, o pure essendo sacerdote,* vocatus, presbyter fieri voluisset, teneretur Josephus capellaniam dimittere. At institutio ab Archiepiscopo

nulla conditionis illius facta mentione data fuit. Fredericus præfatus jam clericali militiæ adscriptus ad sacros ordines initiari cupivit petiitque capellaniam, et Josepho illam abdicare recusante, S. C. adiit, quæ sacerdotem Josephum dimittere capellaniam teneri, ut eam obtineat clericus Fredericus, firmavit : *Firmana*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1732.

5. Hippolytus Callot Burgundus sex capellanias in ecclesia SS. Laurentii, et Hippolyti in fonte instilui exoptavit, sex alias absoluto multiplico ex reditibus superextantibus peragendo fundari voluit, ut decenter divina officia persolvenda in choro sint. Sed ut hisce erectionibus manus admoveatur, necesse est tria, vel quatuor expectare secula, et idonea ad chorum deinde non est angusta ecclesia. Mutationem propterea in eum modum exigebant hæredes, qui congruentior sit, exitumque habere commodius possit. S. C. rescripsit consulendum esse Sanctissimum pro commutatione in hoc tantum, ut singulis capellanis tribuantur annua scuta 96., atque habitatio, aliaque commoda in testamento expressa : *Romana*, *Commutationis voluntatis*, 27 *febr.* 1734.

6. Capellania fundata fuit a Luca Alberto, et Dinozzo de Lippis perpetua, et laicalis de jurepatronatus in favorem descendentium, reservata a fundatoribus facultate variandi, ac ampliandi vocationem dicti jurispatronatus. Istis fundatoribus patentibus facultatem immutandi qualitatem ejusdem in capellaniam ad nutum amovibilem, S. C. aures non præbuit : *Florentina*, *Capellaniæ*, 14 *april.* 1736.

7. Capellania nuncupata *della Brunetta*, de cujus fundatione non adest memoria, sed onere Missarum gravatur, unita fuit plebanæ ecclesiæ S. Hellenæ villæ Avenalis. Hujus capellaniæ dimissionem factam a Francisco Mattarelli dictæ plebaniæ rectore, etiamsi ab Episcopo approbatam, invalidam esse S. C. judicat; tum quia non licet unionem antiquam infringere, tum quia fundum capellaniæ vel ejus dotem in abdicatione assignatam, verum esse proprium fundum non constat. Nam in quadam visitatione excessisse reditus scut. 40 enunciatur, et Franciscus non sufficere ad onus Missarum trium hebdomadalium explendam obfirmat : *Cingulana*, *Capellaniæ*, 27 *sept.* 1738.

8. Capellania fundata a Simone Bonafe in ecclesia sodalitii Sanctissimi Rosarii, de cujus manualitate constat, ab Episcopo minime audito capitulo in canonicatum ecclesiæ cathedralis erecta fuit. Transactis nonnullis annis S. C. requisita de validitate ejusdem commutationis, nullam esse declararit : *Comaclen.*, 23 *aug* 1749.

9. Clericus Simon Gualaguini capellaniam quotidianam a sodalitio S. Mariæ Suffragii obtinuit, ut ejusdem titulo possit ordinari. Sub ea lege autem ea data fuit a sodalibus, ut possit illa frui, donec provisus aliunde fuerit. Ipse postmodum beneficium sub titulo S. Josephi quinti in ecclesia cathedrali assequutus est; hac de causa S. C. exquisita esse locum dimissioni capellaniæ decrevit : *Cæsenaten.*, *Capellaniæ*, 13 *januar.* 1753.

10. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Agathæ postulavit, ut binæ capellaniæ erectæ vigore dispositionis canonici Mazii in terra Montis Florum propter exiguum canonicorum numerum, ob quem servitium ecclesiæ prætermittitur, in quatuor mansionarias injuncto possessoribus Missarum celebrationis, et choro interveniendi onere convertantur. Annuit S. C. juxta preces facto verbo cum Sanctissimo : *Ariminen.*, *seu Feretrana*, 24 *april.* 1784.

11. Ex tribus designatis a sacerdote Julio Avondano capellaniis unica tantum fuit instituta, eique omnia bona assignata. Capellanus voluntatem testatoris in testamento, ac codicillo expositam non adimpleri, nec posse inspecta redituum tenuitate comperiit. Idcirco rogat, ut ex demandatis a testatore tribus capellaniis, una tantum cum onere Missæ quotidianæ, ac festum celebrandi conceptionis B. M. V. juxta testamenti legem, ac docendi pueros præcepta fidei erigatur. Censuit S. C. rescribendum, ut firma remanente una capellania locentur omnia bona oblatori annui reditus scut. 100, nisi per affictionem edictorum melior sperari oblatio possit, et Episcopus curet instaurationem bonorum ejusdem capellaniæ, interim capellanus teneatur onera, de quibus in precibus, subire; postquam vero bona fuerint instaurata, capellanus ad omnia onera juxta testatoris voluntatem teneatur : *Derthonen.*, 22 *maii* 1784.

12. Dominicus Gomes Ribeiro, et Angela de Cunha conjuges societati tertii ordinis S. Francisci de Pœnitentia annuum reditum regal 120 mil., scut. nempe 120, ut duæ erigerentur capellaniæ cum Missæ quotidianæ onere, ac responsorii recitationis, una excepta Missa pro unaquaque capellania in singulas hebdomadas donaverant. Per centum fere annos religiose donatorum voluntas impleta fuit, modo aucta eleemosyna manuali in regno Lusitano, sacerdos, qui capellaniarum onera compleat, inveniri nequit; ideo exoratur, ut ex duabus fiat una; sed S. C. reductionem ad manualem retento numero duarum capellaniarum indulsit, et quoad præteritum D. secretario cum Sanctissimo rem commendavit : *Ulyssipponen.*, 26 *novem.* 1785.

13. In ecclesia collegiata, et parochiali Visitationis B. M. V. oppidi Garbo octo adsunt capellaniæ chorales una cum stipendio scut. 16. monetæ romanæ, quinque cum scut. 7, et duæ cum scut. 11 et 18. Quum neminem ad tenues istas obtinendas capellanias allexerint edicta, supplicat decanus pro illarum reductione ad tres. Episcopus ei favet, et

collegiatam indigere pro ecclesiæ servitio saltem duobus capellanis testatur. Et S. C. reductionem postulatam ad tres tantum concessit: *Milevitana*, 23 *april*. 1796.

§ VIII.

Capellania quoad statum, et qualitatem.

1. Aurelius Banchi fundavit capellaniam laicalem in altare S. Luciæ ecclesiæ parochia is terræ Appignani. Ad eam vocavit clericum bonorum morum, ut teneatur dictum altare officiare, regere, et divina celebrare; idcirco non patet, an hujusmodi beneficium sit sacerdotale; ita ut de illo provisus teneatur celebrare per ipsum Missas, et non per substitutum implere illas possit? explicavit S. C. beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale, et posse per substitutum onera expleri: *Auximana*, 15 *nov*. 1649, *dub*. 1.

2. Erecta capellania a Margarita Paulina mere laicalis fuit, ut ad eam nominaretur sacerdos, vel proximus ad sacerdotium. Nominatus fuit nepos testatricis ætate 19, inde S. C. consulta, an ad obtinendam capellaniam, seu legatum, de quo agitur, requiratur sacerdotium actu, vel proximitas ad sacerdotium? et quatenus affirmative.

3. An cum oratore dispensandum? rescripsit esse dispensationem concedendam: *Civitatis Plebis, Capellaniæ*, 25 *januar*. 1681, *dub*. 1 et 2.

4. Marcus Aurelius Stella fundavit capellaniam in terra Perticæ perpetuam cum onere trium Missarum quolibet mense. Modo cupiens hujusmodi capellaniam ex perpetua efficere manualem, obtulit dotis augmentum in scut. 100 cum onere alterius Missæ quolibet mense, et S. C. exorat, quæ haud preces excepit: *Ferentina, Capellaniæ*, 10 *apr*. 1683.

5. Bartholomæus Jorius hæredem instituit capellam S. Francisci in ecclesia S. Andreæ terræ Cottanelli, ut capellanus amovibilis deputetur ad celebrandas Missas. In codicillis vero quoad dictam electionem vocavit nonnullos sacerdotes, hinc disputatum est, an capella sit amovibilis ad nutum? et S. C. esse perpetuam respondit: *Sabinen., Capellaniæ*, 18 *martii* 1681, *dub*. 1.

6. Et ad alterum dubium, an sit sacerdotalem? esse sacerdotalem rescripsit: *Ibid., dub*. 2.

7. Contendente Joseph Cioffi minoribus ordinibus insignito, ac in ætate viginti annorum constituto sibi deberi capellaniam a Margarita Cioffi ordinatam sub lege hisce verbis concepta; *Con questo cioè essendoci preti della Casata, e nazione di essa testatrice tanto per linea mascolina, quanto femminina si debba dare a loro, e non essendoci preti di detta Casata si debba dare a preti di Casa Cioffi, et non essendovi di Casa Cioffi, si dia a preti di Casa Honorati, e non essendoci preti di niuna di dette Casate, si debba dare a preti di Piedeluco, e mai si pos a dare a preti forastieri*; dubium fuit disceptatum; an capellania, de qua agitur, sit sacerdotalis? et esse fuit definitum: *Interamnen., Capellaniæ*, 3 *febr*. 1685, *dub*. 1.

8. Quamvis Petrus Gabriel erexisset capellaniam cum onere unius Missæ quotidianæ celebrandæ in perpetuum in altari B. M. V. de Monte Carmelo sub hac lege (sunt testamenti verba): *Quod dicta Missa quotidiana in puncto meridiei, constituto sacerdote, aut canonico bonæ vitæ celebrari committatur*: attamen controversia movetur: An capellania præfata sit sacerdotalis, vel ad eam nominari possit simplex clericus minor 24 annorum? non esse sacerdotalem, et ad eam clericos simplices nominari posse decisum fuit: *Justinopolitana, Capellaniæ*, 11 *januar*. 1698, *dub*. 1.

9. Capellanias, quas Hyacinthus Gentilonius mere laicales, ac cum prohibitione, ne supra illis possint superioris ecclesiastici manus immittere, instituit, instar hæreditatis mere profanæ reputandas, sed non ita laicales, ut ad illas nominari etiam laici, mulieres, ac pueri possint, censuit S. C.: *Auximana, Capellaniarum*, 16 *dec*. 1702, *dub*. 1.

10. Calamellus de Calamellis duas in ecclesia cathedrali fundavit capellanias, et, ut harum possessores, et quilibet ipsorum concurrant cum aliis ministris dictæ ecclesiæ ad omnes horas canonicas nocturnas, ac diurnas celebrandas, corporali necessitate cessante, seu justo impedimento, et justa causa, quæ patens officialibus, qui aliorum absentiam scribunt, videatur, voluit; ut eo modo, ac forma, quibus alii capellani ejusdem ecclesiæ puniuntur, plectantur. De harum qualitate non constat, eas non esse precise residentiales, ita ut compatibiles sint cum alio beneficio residentiali, seu parochia, S. C. ostendit: *Ferrarien, Capellaniæ*, 3 *martii* 1703, *dub*. 1.

11. Cosmas Toraltus, instituto hærede Leonardo nepote, ut ex integra sua hæreditate deducta falcidia, vel trebellanica in favorem hæredis in altari congregationis S. Cosmi, et Damiani capellania singulis quatuor annis amovibilis, imposito capellano onere celebrandi Missas pro ejus anima institueretur, mandavit. Hujus capellaniæ qualitas disceptata est in S. C., quæ esse laicalem arbitrata est: *Tropien, Capellaniæ*, 9 *januar*. 1706, *dub*. 1.

12. Obtenta fuit ex duabus capellaniis perpetuis a Dominico Oradino fundatis in ecclesia cathedrali ad unam tantum reductio; deinde hæres, cui eligendi capellanum potestas tributa fuit, petiit, an locus sit amovibilitati ejusdem? Et S. C. non esse locum judicavit: *Ferusina, Capellaniarum*, 27 *martii* 1706, *dub*. 4.

13. Capellaniam institutam a canonico Ferrarino in ecclesia cathedrali hisce verbis; *Item volo, et jubeo, quod quicumque per tempora in ipsa capellania fuerit capellanus, teneatur, et debeat interesse divinis officiis singulis horis canonicis, nisi esset absens justa de causa, vel nisi manifesta infirmitate corporis gravaretur; et volo, et jubeo, ut qualibet die teneatur, et debeat dicere Missam pro defunctis;* esse tantum residentialem causative, non precisæ residentiæ S. C. firmavit: *Ferrarien., Capellaniæ*, 26 *martii* 1707.

14. Quum Card. Urbis vicarius capellanias fundatas a Card. Corrado in ecclesia S. Mariæ Transpontinæ, et alteram in ecclesia S. Gregorii esse omnino seculares, tum inspecta ipsarum natura, tum contextu fundationi proxima inducta per exequutores testamentarios mentis fundatoris conscios, qui, quoad vixerint, seculares nominarunt, censeret; inde etiam S. C. desuper requisita eas seculares, et sacerdotibus secularibus non regularibus conferendas esse sancivit: *Romana, Capellaniarum*, 1 *decem.* 1708.

15. Joseph de Absalone in ecclesia S. Caroli ad Catinarios Urbis binas capellanias personaliter imposito capellano excepto casu impedimenti Missarum onere fundavit. Occasione neglectæ a capellanis residentiæ, qui per substitutos onera impleverant, interrogata fuit S. C. de earum qualitate, et residentiales esse declaravit: *Romana, Capellaniarum*, 16 *martii* 1709.

16. Quoad capellaniam, seu legatum Missarum a Marco Turrono relictum ecclesiæ SS. Faustini, et Jovitæ nationis Brixiensis urbis, de qua ex testamento minime ejusdem qualitatis dignoscitur; quum tantum capellanum promoveri ad ejusdem titulum testator voluerit, S. C. capellanum esse amovibilem ad nutum societatis prædictæ ecclesiæ, non esse perpetuum putavit: *Romana, Capellaniæ*, 14 *junii* 1710, *dub.* 2.

17. Quum clerico Dominico Titulo legitima intercedente patroni præsentatione capellania ab Euphasia de Anselmis, quæ sacerdotem esse capellanum requisivit, fundata, fuisset collata; ambigitur de ejusdem qualitate, et S. C. esse sacerdotalem actu illam judicium fecit; *Nepesina, Capellaniæ*, 27 *maii* 1713-1714, *dub.* 1.

18. Capellaniam, quam Petrus Paulus de Avila, nulla ordinaria auctoritate intercedente hæredibus instituendam, ac erigendam commisit, esse laicalem non ecclesiasticam S. C. placitum est: *Romana, Capellaniæ*, 12 *maii* 1714, *dub.* 1.

19. Nec esse sacerdotalem actu, sed habitu decernit: nam testator clericum Matthæum Franciscum Cianci prænominavit, *quando pero detto Mattea Francesco sara arrivato all'eta di celebrare il S. Sacrificio*: *Ibid., dub.* 2, confirmata 12 *januar.* 1715. Inde censuit S. C. a decisis recedendum, et capellaniam præfatam non esse neque actu neque habitu sacerdotalem resolvit: 18 *maii ejusd. anni*; sed iterum in primo loco decisis, causa reproducta S. C. rediit: 20 *sept. ejusd. anni.*

20. Erectio capellaniæ S. Ambrosii castri Rosarii ad titulum perpetui beneficii est reformanda in capellaniam amovibilem quoad capellanos extra familiam fundatoris Joannis Jacobi de Ambrosiis ad formam ejusdem dispositionis non obstante erectione ab Episcopo servatis servandis peracta: *Æsina, Capellan.*, 22 *april.* 1719, *dub.* 1, confirmata 26 *aug. ejusd. anni.*

21. Capellania a Josepho Panziroli in altari majori ecclesiæ B. M. V. in Porticu urbis cum onere Missarum tantum laicalis non autem ecclesiastica fuit existimata: *Romana, Capellaniæ*, 12 *julii* 1721.

22. Capellania erecta in ecclesia parochialis Casalis Portici est amovibilis, quum testator Dominicus Guillelminius voluerit, quod D. Giacinto tantum *non possa esser amosso dalla detta celebrazione sua vita durante; Neapolitana, Capellaniæ*, 2 *oct.* 1723.

23. Quum testatrix marchionissa Hieronyma Cavaleria de Ginettis nominari ad capellaniam ab ea institutam sacerdotem voluerit, ac expresserit, quod *ogni capellano possa, e debba celebrare ogni giorno una Messa in perpetuo:* S. C. requisita illam esse sacerdotalem actu declaravit; qua de causa nominatio in favorem clerici Vanni facta invalida indicta fuit: *Romana, Capellaniæ*, 9 *sept.* 1724.

24. Capellanias, pro cujus crectione S. C. judicium pronunciavit esse reditus sufficientes a Joanne Francisco Chiaborello relictos altari, ac societati Sanctissimi Sacramenti, modo esse manuales non perpetuas S. C. decrevit. Nam nihil de qualitate earumdem testator deprompserat: *Savonen.*, 4 *aug.* 1725, *dub.* 2.

25. Capellania fundata a Sebastiano Ferreira, ad quam ipse disposuit non esse admittendum, nisi illum qui saltem intra tempus habile fieri possit sacerdos, sacerdotalis habitu tantum fuit reputata; non obstante, quod in fundatione onus celebrandi per seipsum appositum non legatur: *Ulyssiponen., Capellaniæ*, 15 *novem.* 1725.

26. Capellania instituta a Nicolao Paulini, quam voluit esse laicalem, ac posse in titulum haberi; ecclesiastica, sed non collativa, nec legatum pium, cujus sint capaces etiam fœminæ, infantesque, fuit judicata: *Maceraten.*, 28 *sept.* 1726.

27. Fundavit sacerdos Thomas Martinez Gonzalez capellaniam ecclesiasticam, ac in titulum collativam; quamquam in codicillis idem fundator eo animo fuisse videatur; ut nominatus Franciscus

Alphonsus Perez capellaniam retineret. Verum hæc lex in fundatione per contractum irrevocabilem absoluta minime fuit inserta. S. C. de ejusdem qualitate consulta respondit esse ita ecclesiasticam, ut a dicto Francisco retineri haud in statu conjugali posse: *Segovien., Capellaniæ*, 17 *novem.* 1731, *dub.* 1.

28. Conjuges Marcus Antonius de Janfranchis et Elisabetha in fundatione capellaniæ, quoad consanguineos, quos nominari voluit capellanos, loquuti sunt hisce verbis: *Ogni qualvolta siano buoni preti et sacerdoti atti, ai quali mancandogli qualche anno per poter dir Messa dopo sequita la mia morte intendiano, che siano amessi*; et quoad extraneos exorant prædicti fundatores admittendos esse sacerdotes optimæ vitæ; inde venit in disceptationem ejusdem capellaniæ qualitas; quoad consanguineos esse sacerdotalem habitu ad formam testamenti S. C. decidit: *Senogallien., Mansionariæ* 16 *maii* 1733, *dub.* 1, confirmata 17 *april.* 1734.

29. Et quoad extraneos capellanos esse sacerdotalem actu declaravit; *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

30. Leonardus Justinianus capellaniam absque ulla mentione de illius qualitate ordinavit. Ad hanc fuit a patronis Albertus de Marcantoniis nominatus. Sed iidem patroni etiam absque causa posse hunc removeri putarunt, et idcirco S. C. consuluerunt. Hæc sacerdotem deputandum pro Missarum celebratione, de qua agitur, esse amovibilem ad patronorum nutum plane visum est: *Firmana, Capellaniæ*, 18 *junii* 1735, *dub.* 1.

31. Capellaniam a Decio Vacca in ecclesia S. M. V. nuncupatæ *del Pillone* fundatam, ad quam nominari non expresse sacerdotem voluit, sed verba testamenti sacerdotem, cui autem onus Missæ personaliter celebrandæ non imposuit, ostendunt, esse sacerdotalem habitu non actu S. C. censuit: *Salutiarum, Capellaniæ*, 18 *junii* 1735.

32. Capellanias ordinavit Petrus de Magistris in suo testamento, in quo capellanos hortatus fuit *a farsi promovere, quanto prima possono al sacerdozio*, ac in codicillis expressit non promotos habere annum dumtaxat ad se promovendum, eisque solum facultatem celebrandi per alium in casu legitimi impedimenti concessit. Easdem esse sacerdotales habitu in S. C. decretum est: *Tusculana, Capellaniarum*, 14 *januar.* 1736, confirmata 22 *julii* 1741.

33. Capellaniam, in cujus fundatione pius testator usus quoad nominandos sacerdotis nomine, qui sacrum certis diebus cujuslibet hebdomadæ celebraret, sententia fuit S. C. esse sacerdotalem saltem habitu. Nam testator expresse, capellanum celebrare per se-ipsum teneri, non dixit: *Romana, Capellaniæ*, 28 *april.* 1736, *dub.* 1.

34. Capellania fundata fuit a Luca Alberto, et Dinozzo de Lippis perpetua, et laicalis de jurepatronatus in favorem descendentium, reservata a fundatoribus vacationem dicti jurispatronatus variandi, ampliandique facultate. Istis fundatoribus petentibus immutandi qualitatem in capellaniam ad nutum amovibilem potestatem, S. C. eis aures non præbuit: *Florentina, Capellaniæ*, 14 *april.* 1736.

35. Capellaniam a Francisco Tozzio institutam, qui capellanis onus servitii chori ecclesiæ parochialis S. Nicolai terræ Boschi imposuit, munusque magistri publici, et quæ capellania in bulla erectionis residentialis dicitur, residentialem S. C. esse putavit; ita ut capellani implere per seipsos onera a fundatore præscripta teneantur: *Tudertina, Capellaniæ*, 25 *januar.* 1738.

36. Capellania a marchione Vasallo Anastasio Melliano fundata, ut presbyter ex vocata familia nominaretur, presbyteralis fuit judicata; ita ut consequi clericus annorum 16 nequit: *Montis Regalis, Capellaniæ*, 19 *novem.* 1740, confirmata 6 *maii* 1741.

37. Capellania de jurepatronatus laicali, in qua nominati institutionem ab Ordinario obtinuerant, haud laicalis fuit a S. C. reputata; ita ut a Joanne Baptista Colarieti etiam in statu conjugali, quamvis testator Marianus de Ferrarettis in sua dispositione nullum verbum protulisset innuens qualitatem beneficii ecclesiastici, nec interventum auctoritatis Episcopi in fundatione requisivit: *Nullius Farfen., Capellaniæ*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1.

38. Capellania fundata a Martio Constantino, de qua perhibent visitationis actus onus parochum ecclesiæ loci Cameratæ coadjuvandi, ac singulis diebus festis celebrandi, a S. C. fuit non simplex capellania, sed residentialis declarata: *Sublacen., Capellaniæ*, 13 *julii* 1743, *dub.* 1.

39. Posteaquam Margarita Testa, uti mater, et tutrix Dominici Antonii, et Mariæ Ceciliæ pupillorum, ad quos pertinet juspatronatus duarum capellaniarum amovibilium in ecclesia parochiali divi Nicolai oppidi Scheggini existentium nominaverit sacerdotem Dominicum Antonium Amicium; hic non obstante patronæ dissensu sibi ad vitam perpetuari petiit, quum esset fundatori sanguine conjunctus, spondens capellaniarum bona distracta reparare. Sed S. C. circumscribi novi capellani nominationem, ac Episcopo pro nova informatione, et voto juxta instructionem [307] scribi mandavit: *Spoletana, Capellaniarum*, 28 *martii* 1744, *dub.* 3.

40. In capellanum ecclesiæ S. Mariæ de Pace

[307] Vide not. 283.

sacerdos Ludovicus Lazzarinius deputatus fuit, ut onera capellaniæ amovibilis ad nutum patronæ communitatis Montis Miloni expleret, et ad vitam eam retineret, quum ipse ecclesiæ reparationem promiserit. S. C. inde consulta de qualitate capellaniæ, perpetuitatem ad vitam capellani prædicti validam esse declaravit: *Maceraten.*, *Capellaniæ*, 17 *sept.* 1746.

41. Constructo altari divo Josepho dicato in ecclesia sodalitii Sanctissimi Rosarii Simon Bonafe voluit, ut hæredes præstarent capellano, quem ipsi nominassent, annuos scut. 20 pro dote, et idem capellanus sacra duo singulis hebdomadis agere teneretur. Non liquet hujus qualitas; S. C. esse illam manualem explicavit : *Comaclen.*, 23 *aug.* 1749.

42. Dispositio Francisci Ambrosii Cuppini præseferat simplex legatum pium cum onere Missarum, non autem beneficium ecclesiasticum. Ex integra enim mente dignoscitur fundatorem, nihil aliud voluisse, quam simplicem capellaniam laicalem fundare, quum quædam bona in capellani commodum assignaverit, ut sacra ageret, nec auctoritatem Episcopi in erectione, nec ejusdem consensum inquisivit : *Ferentina*, *Capellaniæ*, 19 *dec.* 1750.

43. Capellania, quam Valerius Augustinus Salvatorius fundavit, et quæ ex fundatione, testamento nuncupata fuit juspatronatus, capellania laicalis, simplex officiatura, neque eadem auctoritate ordinaria erecta fuit, ac sunt capellani ad nutum amovibiles, a S. C. laicalis fuit declarata; ita tamen, ut eadem non possit in statu conjugali retineri : *Civitatis Castelli*, *Capellaniæ*, 24 *april.* 1751.

44. Capellaniam, quam Dominicus Michillius instituit, ut ejusdem possessor parochum ecclesiæ S. Georgii Montis Monachi coadjuvet, ita ut in parochi absentia onus celebrandi pro populo, ac per seipsum onera adimplendi habeat, S. C. residentialem esse credidit : *Montis Alti*, *Capellaniæ*, 29 *julii* 1752, *dub.* 1.

45. Prævia primi capellani nominatione Ursula Trojani perpetuam laicalem capellaniam ordinavit. Sed, quum ab Archiepiscopo erectionis ejusdem decretum obtinuisset, usque modo ecclesiastica fuit reputata. Desuper a S. C. judicium postulatum fuit; et laicalem non ecclesiasticam esse definivit : *Urbinaten. seu Ariminen.*, *Capellaniæ*, 3 *feb.* 1753.

46. Comes Raynierius Montemarte capellanias, quibus ordines sacros suscipi possit, instituit, voluitque ut tanquam pia legata haberentur; ac in erectione, ac institutione vetuit ordinaria auctoritate opus esse. De hujus qualitate S. C. interrogata; esse mere laicales, non ecclesiasticas prodiit decretum : *Civitatis Castelli*, *Capellaniarum*, 29 *aug.* 1761, *dub.* 1.

47. Capellania fundata de jurepatronatus laicalis a Joanne de Sanctis cum onere celebrandi Missas, sive per capellanum, sive per alium est ecclesiastica non laicalis. Latum enim fuit a curia archiepiscopali decretum instante patrono pro erectione, quo vicarius generalis prævia erectione dictæ capellaniæ in simplex ecclesiasticum beneficium (sunt decreti verba) illud ipsi clerico Cyriaco contulit, asssignavitque : *Urbinaten.*, *Capellaniæ*, 25 *sept.* 1762.

48. Capellaniam Felicia Mazzoni in ecclesia parochiali oppidi S. Marcelli ordinavit, quam ex testamenti verbis etsi qualitas laicalis desumatur, tamen testator ecclesiasticæ qualitati non adversari videtur. Hæc solemniter patrono petente a curia episcopali in ecclesiasticam capellaniam erecta fuit. Et S. C. pro ecclesiastica haberi resolvit : *Æsina*, *Capellaniæ*, 18 *maii* 1765, *dub.* 1.

49. Instituit Petrus Bianchi capellaniam in ecclesia sodalitii Mortis Centumcellis, ac curia episcopalis erexit, institutionemque dedit. Testator præceperat esse laicalem cum onere Missarum, nec in ea jus Ordinario unquam competere posset, et hujusmodi alia verba adhibuit. Hanc S. C. laicalem declaravit : *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 23 *nov.* 1765.

50. Perpetua capellania constituit Ursula Padrignas in ecclesia Lucensi in Hispania Tarraconensi cum onere cum aliis capellanis Sanctissimo Sacramento, quod quotidie in eadem ecclesia exponitur, alternatim inserviendi, celebrandique nonnullas Missas per seipsum aut per alium in causa impedimenti, et statim ac capellanus officium parochi assumat, aut aliud incompatibile cum residentia vacare capellaniam voluit. Quæstio de ejusdem qualitate orta est, et esse residentialem in S. C. deliberatum est : *Lucen.*, 1 *martii* 1766.

51. Capellania in ecclesia collegiata SS. Faustini et Jovitæ Viterbii fundata a Sernutio Ciccolino est manualis, et ad nutum Sanctensium patronorum amovibilis, non autem perpetua, et addidit S. C. hoc decernens ad mentem [308]; etiamsi capellanus antecessor a Sede Apostolica fuerit provisus, ac ordinaria auctoritate in perpetuam capellaniam erecta fuerit : *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 1.

52. Capellaniæ a Joanne Francisco Cerqua institutæ cum onere Missas celebrandi vel per se, vel per alium, a S. C. laicales fuerunt declaratæ; sed non ita ut consequi laici, præsertim statui conjugali intenti, possint : *Anconitana*, *Capellaniæ*, 12 *maii* 1770, *dub.* 1.

[308] Et mens est, ut resolutio habeat locum futuris vacationibus, facto verbo cum Sanctissimo : *Ead. causa*, 30 *maii* 1767.

53. Capellaniam, quæ cum Missarum onere sacerdos Vitus Angelus Thomasinius, reservato jure nominandi in favorem Joannis Philippi Vitali, ac descendentium instituerat, clericus Philippus Angelus Vitale a patre nominatus, primusque vocatus assecutus. Hic etiamsi postea uxorem duxerit, eam retinuit. Deinde patre vita functo, alter filius clericus cælebs nominationem ejusdem habuit, et huic Archiepiscopus adjudicavit, sed possessore reclamante Philippo Angelo, examini subjecta fuit ejusdem qualitas. Laicalem esse sive legatum pium Missarum S. C. definiit : *Firmana*, *Capellaniæ*, 19 *sept.* 1772, *dub.* 1.

54. Et nec posse retineri a Philippo Angelo Vitali in statu conjugali resolvit : *Ibid.*, *dub.* 2.

55. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ nuncupatæ *Redone* suppressionem duarum capellaniarum perpetuarum, quæ in eadem ecclesia a dicto capitulo ob ecclesiæ servitium erectæ fuerunt, ut redigantur ad statum amovibilitatis, ac ut mercenariæ in posterum sint, exorant. Causa postulationis fuit, ut ex harum possesoribus servitium chori ob eorum perpetuitatem ita negligebantur, ut capitulum stipendium ex massa aliis capellanis, qui in eorum vices suppleant, persolvere coactus fuit. S. C. precibus adhæsit, quoad perpetuitatem tantum firma permanente capellaniæ ecclesiasticæ qualitate, sine tamen præjudicio præsentis alterius adhuc viventis capellani : *Mediolanen.*, *Suppressionis capellaniæ*, 13 *febr.* 1773.

56. A pia muliere Maria Solaini in ecclesia Suffragii civitatis Comacli capellania constituta fuit, adjecto Missarum personali onere, trimestri excepto, quo tempore possessor per alium onus adimplere potest. Consulta S. C. de ejusdem qualitate, decretum prodiit esse residentialem, ita ut sacerdos Joseph Fantinius ratione capellaniæ ad residentiam tenetur : *Comaclen.*, 18 *dec.* 1773, confirmata 2 *martii* 1776.

57. Capellaniæ erectæ nonnullæ fuerunt in ecclesia Suffragii oppidi Montis Ulmi ex dispositione Jacobi Ferri, qui capellanis onus personalis celebrationis, ac sacramentales confessiones audiendi adjecit. Idemque prælegit in vocatione tres familias, nominavitque clericum addendo, *non essendo in eta ecc..... ci contentiamo, che possa farla celebrare per alium, che sia confessore.* Deinde declaravit, quod si in oppido citato esset aliquis bonæ indolis adolescens, postea nominari, dummodo clericus evadat, et posteaquam pervenisset ad ætatem, ad sacerdotium sub pœna amissionis capellaniæ ascendat. Dubio disputato de harum qualitate; et esse sacerdotales illas censuit S. C. : *Firmana*, *Capellaniarum*, 23 *april.* 1774, *dub.* 1, confirmatur juxta modum[309] : 17 *sept. ejusd. anni.*

58. Victoria Ronca in ecclesia societatis Sanctissimæ Trinitatis capellaniam sacerdotalem fundavit. Joseph Maria Borellus patronus desiderat dotem ejusdem augere, et Missas, ita ut capellanus ad illius titulum ordines sacros suscipere possit. S. C. gratiam indulsit, dummodo præferantur in nominatione, si adsint, sanguine proximi testatrici tam actu sacerdotes, quam ad sacerdotium promovendi juxta fundationis legem. Sed quoad perpetuitatem, *nihil* rescripsit : *Taurinen.*, *Capellaniæ*, 11 *jan.* 1777.

59. Constituta fuit a Paulo de Bonianis in ecclesia plebis S. Petri civitatis Guastallæ capellania, quam testator beneficium manuale, et non perpetuum esse cupiit. Sed quum lapso temporis in titulum perpetuum illam conferre consueverit, S. C. esse capellaniam præfatam beneficium ecclesiasticum putavit : *Nullius Guastallæ*, 31 *maii* 1783. *dub.* 1.

60. Capellaniam ecclesiasticam ordinatam ab Angelo Bonelli in ecclesia parochiali castri Melezzoli cum verbis non requirentibus qualitatem sacerdotalem in actu præsentationis; sed ex muneribus a capellano subeundis, excipiendi nempe confessiones, in loco residendi, S. C. esse sacerdotalem habitu, idcirco dandam esse institutionem clerico Horatio Mancini annorum 25 circiter patefecit : *Tudertina*, 30 *julii* 1785.

61. Capellania de Leonoris erecta fuit in oratorio societatis S. Francisci disciplinantium oppidi Marsciani, ad quam testator, ut eligatur sacerdos bonæ vitæ, jussit, aliisque verbis in testamento qualitatem sacerdotalem redolentibus adhibuit. Consilium initur in S. C., quæ esse actu sacerdotalem quoad extraneos, habitu quoad fundatoris consanguineos decrevit : *Perusina*, *Capellaniæ*, 19 *jan.* 1788, *dub.* 1.

62. Capellaniam Jacobus Busi in ecclesia loci Gambulagæ instituit. In hujus testamento eligi capellanum mandavit, cui onus Missarum injunxit, quem hæredes in instrumento dotationis sacerdotem appellarunt; et a die erectionis semper præsentati ad capellaniam sacerdotali charactere insigniti fuerunt; S. C., autem esse clericalem non autem sacerdotalem sancivit : *Ferrarien.*, *Capellaniæ*, 21 *junii* 1788, *dub.* 1.

63. Capellania residentialis fuit erecta in cathedrali Astensi sub titulo SS. Thomæ et Philippi. De hac non extat fundatio, sed ex statutis cautum est,

[309] Et modus est, ut admittantur tantum clerici trium familiarum cum lege tantum, ut postquam pervenerint ad legitimam ætatem sacerdotes ordinentur : *Ead. causa*, 17 *sept.* 1774.

ut omnia beneficia residentialia sint sacerdotalia, necnon decreta visitationum memorant institutionem veterem in clerici favorem, ac alias in favorem presbyterorum. S. C. eam sacerdotalem testificata est. Antiqua ecclesiæ observantia sacerdotalem reputavit : *Asten.*, 20 *sept.* 1788, *dub.* 1.

64. Instituta capellania a sacerdote Joanne Massi in ecclesia S. Philippi Nerii Perusiæ hisce verbis : *Una capella, che sia simplice officiatura meramente laicale, e non soggetta alle regole della cancellaria*, adjuncto onere hebdomadali quatuor Missarum per alium implendo, inde per Episcopum immutata fuit ejusdem qualitas in ecclesiasticam cum hæredis consensu. Clara hinc non fuit ejusdem qualitas, sed S. C. aperuit, non esse ecclesiasticam, ita ut non tenetur capellanus officium divinum recitare rescribens : *Perusina,* 29 *aug.* 1789.

65. Capellania ordinata a sacerdote Petro Bracci cum prælatione agnatorum; licet deesset præceptum expressum celebrandi per seipsum, tamen capellanum sacerdotem nuncupavit, ac facultatem dedit per alium sacrificandi, quum studiis vacaret, est sacerdotalis non clericalis; ita pronunciavit S. C. : *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 17 *april.* 1790, *dub.* 1.

66. Capellania fundata a Dominico Carnago in ecclesia parochiali Bremidæ cum onere Missæ quotidianæ, et anniversarii *per se, e non per altri*, ac assistendi diebus festis Missis, ac vesperis, declaratur residentialis : *Papien.*, 19 *februar.* 1791, *dub.* 1.

67. Capellania a Maria Ursula Arnoldi Spiringhen vidua Gualterotti iu ecclesia cathedrali instituta cum onere *di celebrare, o far celebrare tre Messe* a S. C. clericalis explicatur : *Civitatis Castelli, Capellaniæ*, 23 *febr.* 1793.

68. Capellania fundationis Petri Andreæ Marinucci, qui illam nominat etiam legatum simplex, vel juspatronatus laicale, et in erectione noluit auctoritatem ordinariam, et jus reliquit hæredibus nominandi capellanum, renunciatur laicalis; sed retineri non posse etiam decernitur a laico, et a fœmina. Nam a testatore in capellanos sacerdotes sunt nominati : *Montis Alti, Capellaniæ*, 22 *aug.* 1795, *dub.* 1.

69. Capellaniam ordinatam ab Horatio Zeppi, qui illam nomine capellæ sub titulo B. M. V. erigi voluit, et jus nominandi descendentibus reservavit, et in testamento, et codicillis non fecit mentionem laicalis qualitatis, licet legatum pium appellaverit, et Missa reduxerit in codicillis, ut minus ejus consanguinei gravarentur ; Archiepiscopus in beneficium ecclesiasticum erexit, et S. C. ratam erectionem primum habuit, deinde quæsita an eadem capellania sit simplex legatum pium Missarum, vel vera capellania? respondit provisum in primo : *Urbinaten.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 2.

§ IX.

Capellania quoad titulum sacræ ordinationis.

1. Mille reliquit annuas Missas celebrandas a quatuor sacerdotibus Armindus Riccius in celebratione prælatis conjunctis, cupidusque fuit, ut auctis hæreditariis reditibus augeatur eleemosyna usque ad scut. 36 pro quolibet capellano, cum prohibitione dictam celebrationem in titulum beneficii erigendi. Modo Nicolas Crucianus testatori conjunctus, qui, titulo ad suscipiendos ordines carens, in titulum adjudicari unam ex dictis capellaniis poscit. Et S. C. definiens in favorem auctionis eleemosynæ, etiam decrevit, ut orator ordinari ad titulum ejusdem absque alio supplemento patrimonii possit : *Firmana, Capellaniæ*, 14 *januar.* 1708, *dub.* 2.

2. Capellaniam sub invocatione Sanctissimi Sacramenti fundatam in ecclesa castri S. Angeli Madamæ a Blasio Ursino modo possidet Clericus Aurelius Gratiosus descendens ex fœmina de familia de Mancinellis prædilecta, qui ad ejus titulum sacris insigniri ordinibus exoptans, ad S. C. recurrit pro declaratione, an respectu sui ipsius operetur amovibilitas a testatore injuncta exceptis descendentibus, quum ipse ex fœmina esset descendens ; S. C. preces hujusmodi rejecit. Nam quoad perpetuitatem testator tres nominatos masculos de illa familia tantum, et descendentes ab illis respexit : *Tyburtina, Capellaniæ*, 14 *junii* 1710.

3. Capellaniæ institutæ, ac fundatæ a Raynaldi, canonico basilicæ S. Petri Urbis, in favorem inservientium sacrarii ejusdem basilicæ, singulæ sunt assignandæ clericis dicti sacrarii in titulum patrimonii, quo se promoveri ad sacerdotium possint : *Romana, Capellaniarum*, 3 *dec.* 1712, *dub.* 2.

4. Ac sunt libere assignandæ non cum clausula, ut, quum fuissent aliunde provisi, quo commode vivere possint, dimittant servitium sacrarii, debeat alios clericos ejusdem sacrarii capitulum nominare. Nam hoc testator non expresserat : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Prævia nominatione collata fuit capellania actu sacerdotalis fundationis Euphasiæ de Anselmis clerico dominico de familia Titulona a testatore prædilecta. Et licet Episcopus comprobat eam non habere reditum congruum, nec adesse utilitem, ac necessitatem ecclesiæ, ut ille ad sacerdotium promoveatur, quum Romæ moram traheret ; S. C. tamen, ut Episcopus ad titulum dictæ capellaniæ (docto coram ipso de sufficienti reditu ad formam taxæ synodalis Nepesinæ) vel ordinare debeat vel

ipsi litteras dimissoriales concedere imperavit: *Nepesina, Capellaniæ*, 27 *maii* 1713, *dub*. 3.

6. Capellania annui reditus scut. 50 instituta, ac ordinata a Petro Paulo de Avila in favorem clerici Matthæi Francisci Cianci, ut possidere possit, quando ad sacerdotium pervenerit, potest deservire pro sacro patrimonio facto tamen supplemento per ipsum Cianci: *Romana, Capellaniæ*, 12 *januar*. 1715, *dub*. 3, confirmata 20 *sept. ejusd. anni*, *dub*. 2.

7. Ad capellaniæ titulum potest ordinari clericus Cajetanus Corsetti superaddito de bonis patrimonialibus annuo reditu scut. 10. Nam hæc capellania instituta a societate B. M. V. de Lilio terræ Aquæ Spartæ onus Missarum 300 annuatim habet, et reditus in scutis circiter 40 constat, ac in diœcesi Tudertina in scutis 50 sacrum patrimonium constituendum est: *Tudertina, Capellaniæ*, 12 *martii* 1718, *dub*. 2.

8. Joseph Belluccius clericus Ariminensis a Cardinali Barberino abbate Farfensi beneficium, seu capellaniam perpetuam sub titulo S. Mariæ Angelorum erectam in ecclesia parochiali Castri Novi reditus scut. 36 ob 35 oneris Missarum num. 235, et 3 cum cantu, et unius anniversarii obtinuit. Hic ad ejusdem titulum in sacris ordinibus avet initiari, et S. C. requisivit, quæ demandavit, ut scriberetur pro veritate per D. fiscalem curiæ Card. vicarii, et per alium eligendum a Card. præfecto: *Ariminen*., 29 *aug*. 1722. Dein alio proposito dubio an a beneficio, seu capellania, ad cujus titulum, quis intendit ad sacros ordines promoveri, detrahenda sint onera Missarum eidem adjecta, quando beneficiatus eas per seipsum celebrare non tenetur, vel oneribus Missarum non detractis, sive illæ celebrandæ sint per seipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro summa constituenda a synodali constitutione, vel regionis more requisita pro sacris ordinibus suscipiendis?

9. An clericus Joseph Belluccius sacris ordinibus initiari ad titulum capellaniæ possit? S. C. ad primum rescripsit esse relinquendum arbitrio, et Ordinariorum conscientiæ: ad secundum, provisum in primo: 17 *julii* 1723, *dub*. 1 et 2 [310].

10. Legionensis Episcopus in relatione status suæ ecclesiæ exposuit, quod tempore sedis vacantis nonnullæ capellaniæ fundantur cum onere, ut possessores ad sacros ordines ascendant, quæ ut plurimum fictæ sunt, et eo tantum fine eriguntur, ut ad earum titulum aliqui ordinentur. Hisce S. C. consuluit, decernens capellaniarum fundationes sede vacante, non posse ad earum titulum aliquem ordinari, nisi fuerint ab Episcopo successore adprobatæ; et capellanias erectas ante tempus sedis vacantis non posse ad earum titulum dimissorias concedi, nisi ab Episcopo prædecessore adprobatæ fuerint, et pro congrua synodali sufficiant: *Legionen*., *Visitationis sacrorum Liminum*, 15 *dec*. 1725.

11. Joan. Stephanus Donghi de familia ultimo loco vocata in deficientia primi, et secundi vocatorum generis est ordinandus ad unam ex capellaniis institutis, et relictis in oppido Vulturis a Joan. Augustino de capellis; sed in casu vacationis ad formam tamen testamenti: *Januen*., *Capellaniarum*, 26 *febr*. 1752, *dub*. 3.

12. Clericus Simon Gualaguini capellaniam quotidianam a sodalitio S. Mariæ Suffragii obtinuit, ut ejusdem titulo possit ordinari. Sub ea lege autem illa data fuit a sodalibus, ut possit eadem frui, donec provisus aliunde fuerit. Ipse postmodum beneficium sub titulo S. Josephi quinti in ecclesia cathedrali assequutus est; hac de causa S. C. requisita esse locum dimissioni capellaniæ decrevit: *Cæsenaten*., *Capellaniæ*, 13 *januar*. 1753.

13. Capellaniæ amovibilis institutæ ab Ulysse Calvi firmata fuit perpetuitas in favorem Clementis ex descendentia testatoris, et ex genere vocatorum, prævia amotione capellani Caroli Alliani penitus extranei, quum Clemens ad ejusdem titulum sacerdotium accipere exoptaret. Nonnulli patroni contra hanc perpetuitatem reclamarunt, nullam habuisse de illa scientiam contendentes. Sed S. C. illam esse validam declaravit: *Albiganen*., *Legatorum*, 21 *maii* 1757, confirmata 17 *sept. ejusd. anni*.

14. Ad capellaniam, quam sacerdotalem cum onere Missarum, et amovibilem ad annum tantum Stephanus Magnoni in ecclesia parochiali castri Palatii instituit, proximiores sibi, et sanguine conjunctos, et in eorum defectu sacerdotes ejusdem loci, deinde alios, qui capellis laicalibus inserviunt per biennium, juxta ætatis eorum prærogativam, vocavit. Hæc capellania a S. C. perpetuata fuit in favorem clerici Aldebrandi Albertini testatoris consan-

[310] In hac causa Benedictus XIV, qui S. C. Concilii erat a secretis, diligentem exaravit dissertationem, quæ extat tom. 2. *Thesauri resolut*. pag. 214 edit. Rom. *Discursus secretarii* inscriptam, in qua cujuslibet ex diversis auctorum sententiis præcipua expendit rationum momenta; et S. C. censuit « rem permittendam » (ait idem *de Synod. diœces*. lib. 7, cap. 72, num. 6, pag. 576, edit. Rom. 1748) « conscientiæ, et arbitrio Ordinariorum, qui spectatis locorum, et personarum conditionibus, vel in particularibus evententibus, vel etiam in synodo per modum legis decernant, an onera Missarum sint, aut non sint detrahenda e reditibus beneficii, e quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus. » De hac causa egit etiam Ursaya: *Discept. eccles. IV*, tom. 5, part. 1, per tot, et in addit. § IV.

guinei, ut illius titulo ordines sacros suscipere possit, necnon denegata fuit redintegratio sacerdoti Argangelo Tenti, qui inter presbyteros dicti loci est senior: *Forosempronien., Capellaniæ*, 11 *april.* 1761.

15. Nobilis mulier Honesta Benaglia Roncalli capellaniam nomine Altaristatus in ecclesia parochiali S. Mariæ Magdalenæ annui reditus scut. 25 fundavit, sed cavit expresse, se nolle erigere juspatronatus, vel aliquod beneficium ecclesiasticum perpetuum collativum, neve in id mutaretur. Imminutionem hodie ad 15 scut. summam passum est prædium. Clericus Carpinelli, qui aliud simplex possidens beneficium, postulat, ut perpetuus in sui favorem reddatur Altaristatus, ut ipse ad sacros possit ordines evehi, sed frustra preces effundit: *Fulginaten., Altaristatus*, 13 *febr.* 1773, *dub.* 1.

16. Capellania sacerdotalis fundata fuit a Victoria Ronca in ecclesia societatis Sanctissimæ Trinitatis cum Missarum onere, ac prælatione sanguinis proximiorum, quum nullus sit ex consanguineis actu, vel habitu sacerdos, Joseph Maria Barellus patronus dotem ejus augere appetit, ac Missas, ita ut capellanus ad illius titulum ordines sacros suscipere possit, et quatenus non adesset propinquus fundatrici, vel sacerdos, vel sacerdotio proximus, possit nominari quemcumque, vel ipsius Victoriæ, vel suum consanguineum, etsi sacerdotio non proximum, ut ad sacerdotium promoveatur. Annuit S. C. pro gratia, dummodo tamen præferantur in nominatione, si adessent, sanguine propinqui testatrici tam actu sacerdotes, quam ad sacerdotium promovendi; quo vero ad perpetuationem, et erectionem auctoritate ordinaria negativum dedit responsum: *Taurinen., Capellaniæ*, 11 *januar.* 1777.

17. Clerico Aloysio Saluzzo, qui nominatus fuit a sodalibus Spiritus Sancti ad capellaniam institutam in eorum oratorio, petenti illam retinere pro congrua patrimonii sacri una cum beneficio, quod habet in ecclesia cathedrali, a S. C. conceditur gratia arbitrio, et conscientiæ Episcopi; etiamsi capellania præfata gravata sit pro integro reditu Missarum oneribus manuali dumtaxat eleemosynæ respondentibus: *Interamnen.*, 25 *januar.* 1783.

§ X.

Capellania quoad translationem, et suspensionem.

1. Fundatrix capellaniæ institutæ in ecclesia parochiali oppidi Pizzoni nominavit capellanos patres S. Dominici pro celebratione Missarum cum facultate transferendi fundationem ad propriam ecclesiam; sed contra eos se opposuerunt parochus, et sacerdotes ejusdem oppidi, et S. C. quæstionem solvit, decernens non licere eisdem patribus dictam capellaniam ad eorum ecclesiam transferre: *Militen., Capellaniæ*, 1 *dec.* 1696, *dub.* 1.

2. Emmanuel Sanchez demandavit, ut residuam hæreditatem solutis legatis exequutores investire, et ex fructibus tot sacra loco non designato celebrationis agere deberent. Episcopus Settala, et P. Borellius inquisitor exequutores pecunias residuales occuparunt, et Missæ celebratæ fuerunt. Deinde diviso investimento, et ex una parte unam capellaniam erexerunt, et alteram conventui Diani diœcesis Albinganensis cum Missarum onere assignarunt, necnon ejusdem administrationem cesserunt. At dubitans P. Borellius de ejusdem potestate quoad translationem administrationis capellaniæ prædictæ a Sanctissima Inquisitione, ad quam de jure spectabat, ad conventum Diani, sciscitatus est a S. C., quæ validam non esse translationem, et scribi Episcopo pro informatione super applicatione alterius medietatis legati, auditis interesse habentibus, resolvit: *Derthonen., Legati*, 4 *junii* 1701, confirmata 1 *april.* 1702.

3. Etsi testator Annibal Tappi hærede constituta societate Sanctissimi Rosarii terræ Orciani mandaverit, ut si sors reditus imminui contigerit, suspendi debeant dotium distributiones, non autem capellaniæ ab eo fundatæ; tamen fructibus diminutis non dotium distributionem suspendere curavit societas, sed a celebratione Missarum removit sacerdotes Ascanium Seccum, et Joan. Baptistam Riccium capellanos testatori proximos. Censuit Episcopus haud deficere tantam summam, ut capellaniæ a testatore prædilectæ suspendi debeant; at S. C. pensioni earum locum esse affirmavit: *Fanen., Capellaniarum*, 29 *april.* 1713, *dub.* 1.

4. Primum S. C. noluit adprobare translationem imaginis B. M. societatis Confalonis una cum capellaniis a Laureto Raspirio fundatis, sequutam ab antiqua ecclesia terræ motu pene collabente, et a sodalibus relicta, ad aliam ecclesiam novam ampliorem, et populo commodiorem patrum Doctrinæ Christianæ sub die 3 julii 1706, *dub.* 2. Postmodum ratam habuit, confirmavitque sub die 11 *sept. ejusd. anni*: *Nullius Ferentilli, Confirmationis concordiæ.*

5. Quum gubernator civitatis Dertonæ, ad quam spectat juspatronatus capellaniæ a nobili Emmanuele Sanchez de Guevara institutæ in oratorio publico sub titulo Christi extra castrum civitatis ab ipso constructo, postulasset facultatem transferendi dictam capellaniam ad aliud oratorium intra septa castri erectum, ut decentiori cultu ibi sacrificia offerantur, S. C. eam facultatem denegavit: *Derthonen., Translationis capellaniæ*, 23 *feb.* 1715, *dub.* 1.

6. Petrus de Magistris tres capellanias cum one-

re Missarum erigendas mandavit. Emolumentum scut. 50. ab hærede subministrandum constituit. Sed quum domus hæreditariæ proximam ruinam injuria temporum minitarentur, apud S. C. quæsitum fuit: An sit locus suspensioni scut. 50 solutionis singulis capellanis faciendæ ad effectum bona, de quibus agitur, instaurandi? et S. C. negativam præbuit responsionem: *Tusculana*, *Capellaniarum*, 16 *martii* 1715, *dub*. 1.

7. Ad dubium exhibitum a gubernatoribus piæ domus S. Mariæ *della Solitaria* ad retardandam imminentem loci pii ruinam ex redituum deficientia; an sit locus suspensioni duodecim ex viginti quatuor capellaniis erectis in ecclesia prædicta pro manutentione monialium, ac puellarum, et pro quo tempore? S. C. respondit: Dilata , et scribatur juxta instructionem, et ad mentem : *Neapolitana, Conservatorii*, 1 *junii* 1715, *dub*. 3.

8. Fundavit capellaniam Gregorius Scarponius in ecclesia parochiali S. Felicis de Albereto, quam transferri inde in oratorio publico S. Bernardini ejusdem loci pro commodo capellanorum, ac populi utilitate postulavit. S. C. vero instantiam rejecit, addens, quatenus vero necessitas postulet celebrari Missas diebus festi in castro Albereti, quum parochialis prædicti castri sit extra, Episcopus alio modo provideat. Inde prævio recessu a decisis gratiam translationis impertivit, cum onere tamen, ut capellanus debeat doctrinam christianam omnibus diebus festis docere. Demum parocho ecclesiæ S. Felicis reclamante, testatoremque in ea elegisse sepulturam contendente S. C. in primo loco decisis rediit: *Ariminen.*, *Translationis capellaniæ*, 20 *dec.* 1732, confirmata 17 *april*. 1734.

9. Horontius Sebastiani in sacello S. Michaeli Archangelo dicato ecclesiæ parochialis S. Annæ de Palatio, aut in alio loco dicti templi peculiari extructo tumulo sepeliri exoptavit, ac in dicta ecclesia capellaniam erexit. At Horontius in alia parœcia, ubi domicilium transtulerat, mortalitatem explevit. Frater illius, ac hæres testamentum ignorans in sacello gentilitio in ecclesia S. Mariæ Novæ existenti eum condit. Efflagitata est a S. C. capellaniam præfatam ad prædictum sacellum gentilitium familiæ, ubi fundatoris corpus jacet, transferendi facultas, sed incassum : *Neapolitana, Commutationis voluntatis*, 7 *febr*. 1733.

10. Cujusdam capellaniæ erectionis demandavit Leonardus Justinianus in sacello ædificando castro Milonis Rinaldi. Sed sacello constructo S. C. efflagitarunt Magdalena, et Elisabeth filiæ memorati testatoris, ac nuptæ in castro Podii Donadei diœcesis Sabinensis pro translatione erectionis illius capellaniæ in dicto castro Podii Donadei; et translationem petitam obtinuerunt. Inde instantia iterum examinata S. C. recessit a decisis, et, ut hæredes cogantur juris remediis ad implendam piam dispositionem defuncti, necnon ad reddendam rationem de fructibus perceptis, resolvit : *Firmana*, *Capellaniæ*, 12 *julii* 1733, confirmata 29 *aug. ejusd. anni*.

11. Princeps Dori Guttierez Spadafora, cujus hæreditas septem capellaniis quotidianis gravatur, exoptans, ut ei concedatur trium ex dictis Missis quotidianis translatio ab ecclesiis Messanæ, ubi fuerunt fundatæ, ad ecclesiam parochialem novi oppidi Spadafora, et licet Archiepiscopus gratiam posse concedi putaret, et civitas Missis abundet, S. C. tamen ei non assensa est : *Messanen.*, *Commutationis voluntatis*, 18 *novem*. 1741.

12. Juxta facultates hæredibus tributas capellaniæ ordinatæ a Margarita Laureta translationi locum esse arbitrio Card. Episcopi ab ecclesia fratrum Minorum in alteram parochialem oppidi Tarani, ubi capella de jurepatronatus adest, quando constet tamen sibi, ut capella sit sufficienter instaurata, et sacris supellectilibus instructa, necnon de securitate adimplementi, S. C. firmavit : *Sabinen.*, *Translationis legati Missarum*, 16 *febr.* 1743, *dub*. 1.

13. Pater Alexius Angioletti Celestinus in sua professione disposuit, ut post obitum suæ genitricis, et fratris patris Alexandri in ecclesia S. M. Celanellæ capellaniæ duæ erigantur. Sed egressus inde pater Alexander e monasterio , et congregatione Cassinensi omnia bona occupavit, et ex parte fundos capellaniarum distraxit. Postmodum mortem oppetiit et factus est locus capellaniarum erectioni. At sorores Bottani Maria, et Prospera filiæ Margaritæ sororis P. Alexandri suspensionem earumdem supplicarunt ad mortem usque ipsarum, ut ex reditibus bonorum annuam præstationem scut. 90 percipere possint : S. C. vero mandavit, ut capellaniarum erectio fieret, et postea supplicarent : *Bergomen.*, 3 *aug*. 1748.

14. Capellaniam instituit Joan. Baptista Valzonius in oratorio B. M. V. Sanctissimi Rosarii loci Varigioni diœcesis Mediolanensis, ac postea nonnulla bona emit, oratoriumque extruxit in villa Gardegiani status Veneti acquisita. Post hujus obitum haud potuit capellania erigi, quia bonorum, quæ in Venetiarum ditione sita erant, venditio minime fuit permissa, ubi fundata erat capellania tantum bona nonnulla fidei commisso subjecta existebant; petita fuit proinde ejusdem capellaniæ translatio in oratorio ab ipso ædificato in Venetiarum ditione; sed S. C. preces non audivit, addens, quoad assignamentum sortis partes utantur jure suo coram Card. Archiepiscopo : *Mediolanen.*, *Translationis capellaniæ*, 22 *novem*. 1755.

15. Erectio capellaniarum, quas familia de Angelinis instituit, facienda est in capella S. Nicolai Tolentini, quæ ad familiam prædictam patronam pertinet, etiam regularibus, in quorum ecclesia extat capella, invitis, prout demandatum est in testamento; nec est concedenda translatio in aliam ecclesiam: *Firmana*, *Erectionis capellaniarum*, 22 *januar*. 1763, *dub*. 2.

16. Vacante tertia capellania ex illis fundatis a sacerdote Francisco Cerqua patroni Vincentium Cerquam compatronum, qui est laicus, imo conjugali statui intentus, nominarunt, cui minime posse adjudicari S. C. jam antea decreverat; ob id ejusdem suspensionem saltem petierunt, donec aliquis superveniat ex suis filiis, qui capax sit eam assequendi, impletis interim per alium Missarum oneribus; idcirco exposita fuit qualitas paupertatis, et cum testatore conjunctio. Sed nihil obtinuerunt: *Anconitana*, *Capellaniæ*, 12 *maii* 1770, *dub*. 2.

17. Accolæ oppidi agressus aliquo sacerdote destituti a Summo Pontifice precibus vicerunt capellaniæ quam fundavit Petrus Terribilinius in loco Vergeletti, translationem, ut dictus locus aucto incolarum numero modo proprium parochum, ac alium capellanum haberet. Gratia hæc vix innotuit familiis Terribilinii descendentibus a fundatoris fratribus, ad quos voce una juspatronatus spectat, de injustitia translationis, ac vitio gratiæ relatæ S. C. docuerunt; et illam nullam esse S. C. declaravit: *Comen.*, *Translationis capellaniæ*, 18 *julii* 1772.

18. Arbitrio Card. Urbis vicarii remissa fuit translatio capellaniæ a Præsule Carolo Gonsaga in parochiali ecclesia S. Nicolai de Perfectis erectæ, cujus onera Missarum religiosi dictæ ecclesiæ, ubi minime corpus testatoris humatum fuit, expleri a capellano nominato dictitabant: *Romana*, *Celebrationis Missarum*, 17 *julii* 1773, *dub*. 2.

19. Capellaniam instituit Jacobus Philippus Concetti in ecclesia rurali S. Mariæ nuncupata *delle Grazie* oppidi S. Justi. Postmodum quam plurimæ controversiæ inter patronos ecclesiæ exortæ fuerunt; ita ut Missarum celebratio fuerit intermissa. Postulavit proinde capellanus translationem ejusdem cum suis oneribus ad aliam ecclesiam, et S. C. translationi locum esse juxta votum vicarii capitularis [311] existimavit: *Firmana*, *Translationis capellaniæ*, 17 *april*. 1779.

20. Canonicus Ludovicus Desideri ex terra Panicali degens Perusiæ perpetuam laicalem capellaniam in ecclesia S. Mariæ Novæ patrum Servorum civitatis Perusiæ, cum onere personalis residentiæ in exequutionem voluntatis Cleopatræ Trani, instituit. Patroni ejusdem supplicarunt, ut illam cum omnibus Missarum oneribus a dicta ecclesia S. Mariæ Novæ ad collegiatam ecclesiam terræ Panicalis transferre dignaretur; ad hoc ut de illa provisus parocho in animarum cura auxiliaretur. Petitioni Episcopus, et religiosi prædicti favebant, sed non S. C. Nam quæsierat jam antea S. C. ab Episcopo, qua in ecclesia sepulchrum Cleopatra prædicta habuerit: *Civitatis Plebis*, 15 *maii* 1779.

21. Ecclesia prioralis SS. Apostolorum Petri, et Pauli terræ Montis Leonis in collegiatam erecta fuit. In hac erectione census in sorte 1200 fuit impositus. Vacat nunc capellania curata, et prior, ac canonici, qui ad munia parochialia capellano inhærentia peragenda sese obferunt, suspensionem collationis capellaniæ precantur, ad effectum erogandi annua scuta 30 in partialem census redemptionem. Annuit Episcopus, et nemini suspensionem hanc afferre præjudicium addit; et tamen a S. C. non impetratur suspensio. Redeunt oratores, et, ut recedat a decisis, petunt, pro ære alieno solvendo, sed perstitit S. C. in decisis: *Civitatis Plebis*, 5 *aug*. 1780.

22. Canonicus Guidus Badalotti capellaniam laicalem instituit, nemine ad juspatronatus passivum vocato. Unus patronus masculus Joachim Provenzali superest. Præ sua paupertate exorat ille, ut suspensa nominatione capellani sibi redituum capellaniæ decernatur administratio, ea tamen lege, ut redituum medietas sibi in alimoniam durante paupertate, medietas altera in eleemosynam Missarum juxta testatoris votum erogetur. Oratoris petitis S. C. indulsit ad quinquennium expletis duobus anniversariis, et quinque Missis: *Aquen.*, *Capellaniæ*, 3 *febr*. 1787, *dub*. 1.

23. Suspensio nominationis capellani conceditur ad quinquennium Dominico de Sanctis patrono laico capellaniæ erectæ a Palladio Olivari ad proprium altare S. Caroli in parochiali ecclesia Montopolis, deputato ecclesiastico administratore, qui celebratis Missis ad formam fundationis, superextantem reditum erogaret in reparationem altaris, et subrogationem novæ tabulæ pictæ; nam de patrono paupere non agebatur: *Nullius Farfen.*, *Suspensionis Missarum*, 14 *januar*. 1792.

24. In favorem unici, et pauperis filii Joannis Pauli Perrotti passive vocati, qui statum amplexurus erit conjugalem, suspenduntur capellaniæ tum Jacobi Perrotti, tum Joan. Baptistæ Mollea, ad quindecim annos, deputato ecclesiastico administratore,

[311] Ait vicarius capitularis, ecclesiam ad hæc onera implenda aptam videri illam, quæ præposituralis est *infra* oppidum, et Mariæ Virgini dicata: *Ead. causa*, tom. 48, pag. 17, seq.

qui adimpletis oneribus reliquam summam oratori consignet: *Montis Regalis, Capellaniarum*, 23 *nov.* 1795.

25. Quum capellaniarum fundationis hæreditatis tum Franciscæ Borelli, tum Francisci de Comitibus existentium in ecclesia archipresbyterali S. Laurentii oppidi Formelli administrator in favorem possessorum capellanorum in legali redditione rationis scut. 380 debitor evasisset; dicti capellani preces adhibent pro suspensione collationis vacantis capellaniæ ad decennium; et S. C. usque ad extinctionem æris alieni scut. 380 annuit: *Nepesina, Capellaniæ*, 25 *januar.* 1796.

26. De binis capellanis a Cæsareo Sen. Calvi in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi suspensionem nominationis obtinuit anno 1771 patronus Calvi, quousque ad legitimam ætatem ejus nepos perveniret, expletis oneribus, quia prædia illarum permutata in pejus censibus subrogata fuerant. Inde neglecta semper fuit dicta nominatio paucis celebratis Missis. Modo patronus postulat a S. C. suspensionem, testimonium suæ inopiæ Episcopo perhibente; et S. C. præcepit nominationem capellani; et ut Episcopus præfigat terminum, prout de jure ad eamdem nominationem faciendam: *Spoletana, Reductionis Missarum*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 2.

CAPELLANUS.

§ I.

Capellanus quoad eleemosynam Missarum.

1. Tam antecessor, quam hodiernus rector capellaniæ in cathedrali ecclesia erectæ, ac a Joanne Simeone institutæ, eleemosynam pro toto tempore, quo debitam omiserunt celebrationem, et applicationem restituere tenetur, addendo S. C. ad mentem [312]; etiamsi de onere prædicto perpensis fundatoris verbis dubitaretur: *Lucana*, *Celebrationis Missarum*, 18 *febr.* 1702, *dub.* 3.

2. Capellanus, qui ad explendum onus Missæ quotidianæ perpetuæ a Carolo d'Eymar relictum nominatus est, acceptavit nominationem, animo tamen augeri curandi eleemosynam per testatorem statutam in solidis quinque, uti insufficientem. At S. C. testatoris voluntatem servari mandavit: *Carpentoraten.*, *Eleemosyn. Missæ perpetuæ*, 11 *martii* 1702.

3. Armindus Riccius inter pia opera ordinata voluit mille Missarum annuatim celebrationem, quæ compleri in ecclesiis montis S. Martini a quatuor sacerdotibus debeant; ac vetuit, ne unquam erigerentur in titulum beneficii, ac in ista celebratione proprios conjunctos prædilexit; demandavitque, ut eleemosyna capellanis usque ad scut. 36 cum incremento hæreditatis redituum augeri possit. Reditus hæreditatis aucti sunt, hinc capellani eleemosynæ augmentum usque ad dictam summam postulant, quod eis S. C. adjudicavit: *Firmana*, *Capellaniæ*, 14 *januar.* 1708, *dub.* 1.

4. Jacobus Vinea mortis memor jussit, ut hæredes quotannis, et in perpetuum certis diebus, et altaribus Missas 84 a patribus Carmelitis, constituta eleemosyna solidorum 10 pro qualibet, celebrari curarent, sed extincta familia jam vocata, voluit, ut pro dictis Missis eleemosyna in scutis 7 aureis solveretur. Obita testatoris morte consanguinei hæredes cum Carmelitas disputarunt super eleemosynæ quantitate, intendentibus patribus eam esse solvendam ad rationem scut. 7 aureorum; et altercante hærede præstandam esse eamdem juxta testatoris mentem. Episcopus interrogatus in favorem hæredis rescripsit, et S. C. ad Episcopi sententiam accedit: *Asten.*, *Eleemosynæ Missarum*, 29 *martii* 1710, *dub.* 1.

5. Capellanus, quem S. C. amovibilem ad nutum confraternitatis SS. Faustinæ, et Jovitæ nationis Brixiensis esse declaravit, debet eleemosynam Missarum percipere ad rationem juliorum duorum pro qualibet, prout testator in favore passive vocatorum mandaverat; non autem ad rationem manualis; licet de passive vocatis nullus adsit: *Romana*, *Capellaniæ*, 14 *junii* 1710, *dub.* 3.

6. Capellanis, seu beneficiatis de massa, qui diurno servitio ecclesiæ cathedralis vacant, attributi fuerunt proventus locorum 20 montis S. Georgii provenientium ex relictis variis defunctorum. Horum fructus impares comperiebantur Missarum oneribus injunctis, inde assignati eis reditus locorum 60 ejusdem montis adjuncto cuilibet onere Missæ quotidianæ. Deinde aucta congrua eis fuit in locis 80, ac postremo proventus locorum 120 vigore rescripti S. C. die 27 *april.* 1630, assignatus fuit. Canonici autem contradixerunt, sed capellani ob indulta præfata prætensionem excitarunt, percipiendi locorum 120 fructus, ex eleemosynis quoque manualium Mis-

[312] Mens est, ut pro præteritis Missis diebus lunæ supplicetur pro condonatione: *Ead. causa*, 18 *febr.* 1702.

sarum in supplementum capellaniarum inspecta tenuitate eorum præbendæ, modicitate distributionum, et gravi chori onere. Has Missas non comprehendi in assignatione præfata canonici asseruerunt, et cum his S. C. sensit, die 6 *julii* 1747 [313]. Deinde Archiepiscopus occasione visitationis postulavit, ut eadem S. C. nonnulla dubia declararet, quæ ita diluit.

7. Per Constitutionem Innoc. XII, Pont. Max. quæ incipit *Nuper* de celebratione Missarum [314], non fuerunt revocata indulta, de quibus agitur, tam quoad legata Missarum perpetua, quam quoad Missas manuales : *Januen.*, *Celebrationis*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

Ac debet servari circa Missas manuales præscriptus modus in decreto S. C. edito sub die 6 *julii* 1647, *Ibid.*, *dub.* 2. Deinde decidit S. C. pro continuatione provisionis demandatæ arbitrio Card. Archiepiscopi [315] : 28 *julii* 1713.

8. Itidem præfata indulta comprehendunt legata, habent etiam onus determinati numeri Missarum : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Ac dicta indulta legata Missarum perpetua acquisita ab ecclesia post decretum S. C. non comprehendere valent, et firmitur status coram Card. Archiepiscopo juxta instructionem Præfecti [316] : *Ibid.*, *dub.* 4. Inde S. C. recessit a decisis comprehendi etiam legata relicta post citatum decretum S. C. 1647, dummodo recipiatur tantum summa concessa pro congrua capellanorum : *Ibid.*

10. Quum capellanus possessor fundationis institutæ a Carissimo Bricca in ecclesia S. Silvestri villæ Falerinæ diœcesis Reatinæ condemnatus fuisset ad celebrationem tot Missarum juxta redituum vim ; modo eleemosyna pro qualibet Missa ad rationem perpetuæ constituitur : *Romana*, *seu Reatina*, *Capellaniæ*, 17 *martii* 1714, *dub.* 3.

11. Joan. Petrus Strada ad nutum amovibiles tot capellanias fieri mandavit, ad hoc ut Missæ quotidianæ a capellanis celebrarentur. S. Maria de Montibus hæres instituta S. C. oraculum exquirit, tum super eleemosynæ quantitate, quæ hisce Missis statui debet, tum etiam circa ejusmodi stipis applicationem, num videlicet capellanis celebrantibus integra persolvi, vel tradi ipsis eleemosyna manualis debeat, et reliquum in ecclesiæ hæredis utilitatem convertere. S. C. Missarum eleemosynam ad rationem perpetuæ taxavit, et integram non manualem eleemosynam capellanis tradendam esse declaravit : *Romana*, *Eleemosynæ Missarum*, 12 *maii* 1714, *dub.* 1 et 2.

12. Capellani fundationum, quæ a Clem. XI Pont. Max. in favorem domus Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis factæ fuerunt, in casu impedimenti substituto sacerdoti tradere debent, non stipendium pro eis statutum, sed solam manualem eleemosynam , nam eis onus celebrandi per seipsos, nisi legitime sint impediti, injunctum fuerat : *Neapolitana*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1725. *dub* 2.

13. Capellanus, qui gravatur celebratione Missæ unius qualibet die alterius hebdomadæ, et una simul dispensatus a Clem. VIII, Pont. Max. ab onere celebrandi, dummodo solveret scuta 10 monasterio S. Nicolai, in cujus ecclesia fundator capellaniam erexerat, et modo aucta eleemosyna Missarum non liberatur ab onere Missarum per solutionem scutorum 10 tantum, sed tenetur Missas celebrare, vel summam stipendio respondentem Missarum celebrandarum quolibet die alterius hebdomadæ ad rationem eleemosynæ manualis tradere. Nam ipsi capellano plurima fundatoris bona obvenerunt. Ita S. C. decidit, posteaquam die 14 *julii* 1739, scribi Episcopo juxta instructionem [317] præceperat : *Pistorien.*, *Celebrationis Missarum*, 23 *sept.* 1741, *dub.* 1.

[313] Ubi inspecto assensu procuratoris canonicorum S. C. ex gratia indulsit ut deputatis per Card. Archiepiscopum uno ex canonicis, et uno ex capellanis massæ pro custodienda cum duabus clavibus distinctis una tantum arca, ab eodem Card. Archiepiscopo destinanda ad recipiendas eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis in ecclesia cathedrali elargientur, possint capellani participare ex dictis eleemosynis usque ad summam redituum LL. MM. 120 S. Georgii, servato tamen in reliquis decreto *de Celebrat. Miss.* ab hac S. C. edito : Lib. 18, *Decret.* fol. 349.

[314] Incipien. *Nuper*, 23 decem. 1697 (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 464), quæ accessit Concil. Trid. sess. 22, cap. unic. ac nonnullis declarationibus S. C. Concilii auctoritate Urbani VIII illi tributa, relatæ in Const. ejusdem Pont. *Cum sæpe*, 21 junii 1625 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 335), et ab Innoc. XII, confirmatæ, ac innovatæ in cit. Const. in cujus § 5, cautum est : « Id vero, ut deinde observetur exactius S. Congr. eadem auctoritate revocat privilegia , et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum in futurum suscipiendis satisfiat. »

[315] Card. Archiepiscopus præstituta arca pro deponendis Missarum eleemosynis ipsius claves ipse custodire voluit, devitandorum jurgiorum causa. *Ead. causa*, 28 *julii* 1713.

[316] Quæ hujusmodi fuit, ut status formaretur super quantitate redituum, quos præfati capellani percipiebant de anno 1618 tam ex capellaniis, quam ex legatis perpetuis, et aliis quantitate fructuum, quos modo percipiunt, ac ulterius exprimeretur, unde proveniat augmentum, sigillatim specificatis relictis : *Ead. causa*, 28 *julii* 1713.

[317] In eo nempe versatam, ut ab ipso diligenter inquireretur, qui a monialibus circa controversam Missarum celebrationem anteacto vetustiori tempore servatus usus : *Ead. causa*, 23 *sept.* 1741, § 1.

14. Rector capellaniæ S. Antonini, et animarum purgantium erectæ in ecclesia parochiali montis Raynaldi in casu impedimenti celebrationis Missarum cum cantu ad formam fundationis præstare parocho solitam eleemosynam pro Missis cum cantu debet : *Firmana*, *Jurium parochialium* , 2 *decem.* 1747, *dub.* 3.

15. Item prædictus capellanus tenetur solvere eleemosynam manualem juxta morem regionis parocho canenti Missam in officiis animarum purgantium ex eleemosynis collectis : *Ibid.*, *dub.* 4.

16. Capellano substituto ab Emmanuele Antonio de Donghis integram eleemosynam pro Missis huc usque celebrandis a patribus Carmelitis, quis capellaniarum fundationis Joannis Augusti capelli jurepatronatus gaudent : *Januen.*, *Capellaniarum,* 25 *april.* 1761, *dub.* 4.

17. Capellanis, seu mansionariis ecclesiæ cathedralis S. Severini celebrantibus, atque applicantibus Missam conventualem in diebus ferialibus debita est peculiaris eleemosyna, atque est præstanda a singulis canonicis ex reditibus parochialibus. Nam usus invaluerat canonicos Missas celebrare tantum die festo, reliquas quatuor capellanos, qui in ecclesia sunt, a quolibet eleemosyna proprio ære soluta : *Sancti Severini*, *Eleemosynæ Missæ conventualis,* 24 *martii* 1764, *dub.* 1 et 2.

18. Eleemosynam Missarum capellaniæ, a Carolo Carloni fundatæ, et ab Angela ejus uxore erectæ de jure nunc patronatus gentis Aluffiæ, deberi decernitur sacerdoti Carolo Antonio Fraschetti capellano ad manualem pro summa ab Ordinario liquidanda. Nam patroni simplicem manualem capellano tradebant, et reliquam partem retinebant, quum de capellania laicali, meroque pio legato agi dictitarent : *Nullius S. Salvatoris Majoris*, *Capellaniæ,* 18 *aug.* 1792.

19. Clericus Paulus Bondi nominatus ad capellaniam fundationis Alexandri Ziani, quum non constet nihil ante possessionem bonorum capellaniæ pro Missis tunc celebratis consequutum fuisse, et verisimile est et bona, et reditus pinguis capellaniæ a die nominationis per actas lites vindicasse ; hinc non esse locum compensationi Missarum quoad præteritum S. C. sancivit : *Sutrina*, *Capellaniæ*, 18 *april.* 1795, *dub.* 4.

20. Sacerdos Abel Avanzi in testamento occasione fundationis perpetuæ laicalis capellaniæ eleemosynam in ob. 15 juxta reditus, non numerum Missarum constituit ; in codicillis vero præscripsit Missam quotidianam cum eleemosyna ob. 20, si augeatur reditus ad scut. 72. Quæritur itaque an, et ad quam eleemosynam celebrari debeant Missæ in casu imminutionis reditus infra summam scut. 72 ? respondit affirmative ad eleemosynam ob. 15 ad formam testamenti : *Spoletana*, *Capellaniæ*, 17 *dec.* 1796, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Missa*, § VIII.

§ II.

Capellanus quoad fructus, et emolumenta.

1. In ecclesia cathedrali adsunt nonnulli capellani cum residentiæ onere, qui tamen de distributionibus quotidianis non participant, ac proinde sæpius servitium derelinquunt. Hac de re quæritur, an prædicti, qui servitium omittunt, dum Episcopus pontificaliter celebrat, aut quoties divinis officiis præsto est, possint multari per subtractionem tertiæ partis redituum suarum capellaniarum, applicandæ, et distribuendæ intervenientibus ? posse respondit S. C. multari, arbitrio Episcopi quoad quantitatem multæ applicandæ fabricæ ecclesiæ, si indigeat, vel alteri pio loco, itidem pro ejusdem Ordinarii arbitrio : *Aquilana*, *Servitii*, 27 *sept.* 1659, *dub.* 4.

2. Archiepiscopus Elector pro bono et suarum ecclesiarum regimine canonicis assumptis, a Summo Pontifice obtinuit in eorum favorem indultum a residentia. Hac de causa S. C. occasionem habuit declarandi, ut ex generalitate, et amplitudine verborum indulti veniunt omnes distributiones quotidianæ sive annexæ, sive separatæ a corpore præbendæ, sive in anniversariis, seu aliis piorum memoriis, et fundationibus consistant, quando aliter non fuerit a testatoribus dispositum, et quod capellani dicto Archiepiscopo inservientes debent illis gaudere vigore dicti indulti : *Colonien.*, *Distributionum,* 9 *maii* 1671, *dub.* 1 et 2.

3. Quæsitum quum esset, an et quæ portio sit ex reditibus, quos capellani de massa nuncupati collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Vineis percipere possint, extrahenda ad effectum illam erogandi in distributiones quotidianas? responsum exiit, dempta eleemosyna manuali Missarum tertiam partem residui applicandam pro distributionibus esse : *Januen.*, *Celebrat. Miss.*, 26 *nov.* 1701, *dub.* 2.

4. Geminas fundavit capellanias in ecclesia cathedrali Calamellus de Calamellis cum onere chori capellanis imposito, uti alii Cassellani ejusdem ecclesiæ, ac punctaturarum casu necessitatis corporis, ac justi impedimenti, causæque excepto. Has S. C. esse non precise residentiales, ita ut sint compatibiles cum alio beneficio residentiali, seu parochia jam judicaverat. Modo decrevit occasione absentiæ Francisci Serræ curati parochiæ Sanctissimi Salvatoris ad Pontem senatorium de Urbe ; illum non residentem capellanum distributionibus applicandis sacrario ecclesiæ privandum : *Ferranien.*, *Capellaniæ*, 3 *martii* 1703, *dub.* 2.

5. Omnes fructus capellaniæ erectæ ab Episcopo Fadulphio ex legato Missarum canonici Dominici Studiosi relicto ecclesiæ B. M. de Focio comitatus Ameriæ cum eleemosyna trium juliorum pro qualibet Missa postea ad bonon. 15 reducta, Dominico Præsedio capellano pro Missis celebratis, ac celebrandis non ad rationem manualis eleemosynæ, sed ad rationem taxæ bonon. 15 pro qualibet Missa debentur : *Amerina, Eleemosynæ Miss.*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 3.

6. Priores et sodales ecclesiæ S. Mariæ de Vineis Planis oppidi Arpini binas instituerunt capellanias cum annua præstatione ducat. 35 pro qualibet earum, necnon Episcopo pro suo arbitrio erectionem commendarunt. Hic tres non duas erexit, et eis duc. 30 pro qualibet assignavit. S. C. ad capellanorum querelas fructus capellaniarum debere esse ducat. 35 non 30 in omnibus sanatione erectionis juxta formam prædictam decrevit : *Sorana, Capellaniarum*, 30 *sept.* 1713, *dub.* 5.

7. Condita ab Episcopo erectio capellaniarum ex reditibus hæreditatis Francisci Chiaborelli declarata fuit invalida. Capellani nuncupati canonici non tenentur fructus perceptos restituere, sed Episcopus apponat œconomum, qui reditus administret, et idem Episcopus inhibeat capellanis, ne accedant ad servitium chori, ita decrevit, et addidit, ut scribatur Card. Archiepiscopo Januæ juxta instructionem [318] : *Savonen.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 2 et 3.

8. Dubio proposito : An capellani proprietarii, etiam infantes nominati a Josepho Delgrado, et Capitaneo Laurentio de Avila ad capellanias fundatas de jurepatronatus, possint integros fructus dictarum capellaniarum, detractis oneribus pro celebratione Missarum, percipere ? S.C. definitionem protelando ad mentem respondit : *Angelopolitana, Capellaniarum*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 3.

9. In casu autem, quo proprietarii capellani non habeant ætatem requisitam pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis reditus superextantes, detractis oneribus Missarum, cedere debere commodo ipsorum vocatorum, non autem deberi integre capellanis interinis, S. C. definiit : *Ead.*, 5 *april.* 1732, *dub.* 5.

10. Item in casu, quo ipsi instituti non habeant ætatem requisitam ad Missarum onera implenda, reditus superextantes, detractis oneribus Missarum, cedere commodo ipsorum institutorum, non autem capellanis interinis debent : *Ibid., dub.* 7.

11. Declaraverat jam antea S. C. non esse locum suspensioni electionis capellaniarum ecclesiæ parochialis oppidi Meldulæ fundationis Cæsaris Armanni ad instaurandum sacrarium; modo sancivit emolumenta dictarum capellaniarum, ad quas fuerunt nominati Paulus Georgius, et Joseph Amigonus a communitate patrona, eisdem esse adjudicanda : *Nullius Foro-Pompilii, Capellaniarum*, 19 *april.* 1733, *dub.* 2.

12. Capellano, seu rectori oratorii B. Annuntiationis villæ Tini siti intra limites parochiæ S. Laurentii terræ Accumuli an competat, atque debeatur ulla portio tam ceræ, quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictæ parochiæ, quos tumulari in dicto oratorio, quacumque consuetudine non obstante contingat ; S. C. decrevit quartam funeris dumtaxat competere parocho, reliqua vero emolumenta funeris spectare ad ecclesiam Sanctissimæ Annuntiatæ tumulantem, quoad eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam, vel ibi sunt condendi in majorum sepulchro : *Asculana, Jur. et funct. paroch.*, 29 *aug.* 1733, *dub.* 3.

13. Eidem capellano, seu rectori debentur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in oratorio, non in villa Tini ; ita tamen, ut ratio reddatur Episcopo, et dictæ eleemosynæ, vel oblationes convertantur in usum, et cultum ipsius ecclesiæ cum ejusdem Episcopi adprobatione, nec opus est de licentia, vel de consensu parochi quoad illarum administrationem : *Ibid.*, *dub.* 4.

14. Ex dote capellaniarum a Joan. Augustino de capellis institutarum non debent annua scuta decem retineri a patribus Carmelitis excalceatis oppidi Vulturis, quibus juspatronatus testator reliquit ; etiamsi id facere consuevisse hactenus asseratur ; sed ea inter capellanos ejusdem testatoris sunt distribuenda : *Januen.*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1736, *dub.* 4.

15. Augmentum annui reditus attributum capellanis ecclesiæ S. Theclæ civitatis nuncupatæ *de Xativa*, necnon capellaniarum destinatio, et redituum assignatio in favorem descendentium a Josepho Ximeno pio testatore, qui residentiæ, ut alii, non adstricti sunt, quemadmodum sententia lata curia archiepiscopalis providit, non sustinetur ; contradicebant enim administratores piæ hæreditatis, quia voluntas testatoris immutabatur : *Valentina, Capellaniarum*, 10 *martii* 1742, *dub.* 1.

16. Ac augmento præfato frui non debent capellani moderni, et futuri descendentes a dicto Josepho testatore per lineam fœmininam : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata 13 *junii* 1744.

17. Fructus hæreditatis elapsi post obitum testatoris usque ad erectionem capellaniæ a Joanne Jacobo Beccari fundatæ non debentur sacerdoti Coppa capellano nominato, sed in augmentum sortis

[318] Vide not. 289.

ejusdem fundationis sunt conferendi : *Asten.*, *Capellaniæ*, 28 *aug.* 1751, *dub.* 2.

18. Quum actum fuisset de augmento distributionum capellaniarum in capitulo metropolitanæ ecclesiæ, quæ pondus servitii choralis pene quotidiani, ac Missarum habent, quod augmentum ex industria capellanorum in muneribus ratiocinatoris, œconomi, et villici obeundis retrahi potest; S. C. protelando decretum, ut firmetur status juxta instructionem [319] voluit : *Bononien.*, 13 *julii* 1765. Deinde gratiam augmenti in scut. 28 tantum adimpletis oneribus Missarum, et perlatis oneribus administrationis impertivit : nam non obstabat conditio, ut auctis reditibus augeatur numerus Missarum; quia ex natura bonorum augmentum originem minime ducebat : 10 *maii* 1766.

19. Ad capellanum pro tempore institutæ capellaniæ a Sernutio Ciccolini in ecclesia collegiata SS. Faustini, et Jovitæ non spectant omnes reditus pro dote capellaniæ ab eodem testatore relicti, sed tantum congrua ad rationem annuorum scut. 50. Nam eruitur ex fundatione capellano providendum esse de congrua mercede, non autem omnes fructus dandos esse; quod est antiquis Episcoporum decretis consonum : *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 5.

20. Omnes fructus capellaniæ manualis a sacerdote Joanne Merula non sunt percipiendi a capellano; sed investiendi sunt ad formam testamenti [320] deducta Missarum eleemosyna : *Viglevanen.*, *Capellaniæ*, 25 *april* 1761, *dub.* 2.

21. Franciscus Antonius Malavi rector sacri Montis Calvarii, qui est prope oppidum Domus Ossulæ, præter reditus a pio fundatore Joanne de Cupis pro capellania relictos, præoptabat sibi a sacro concessu confirmari augmentum ab Episcopo Novariensi anno 1702 rectori capellaniæ prædictæ de bonis hæreditariis dicti pii fundatoris factum, eo quod hic redituum illius tenuitatem, ac fundatoris dotem augere volentis præsumptionem ostendebat; at hodiernus Episcopus nec de tenuitate, nec de fundatoris præsumpta voluntate edoctus, et piam decedentis dispositionem implere sollicitus, negat augmentum ullum illi faciendum esse; ideo ad quæsitum : An, et quando oratoris supradicti precibus sit annuendum? respondetur ut scribatur Episcopo juxta instructionem [321]: *Novarien.*, 17 *julii* 1773.

22. Quum in visitatione Antistes Alatrinus interdixerit celebrationem sacrorum in capella S. Nicolai, et S. Antonii abbatis in ecclesia collegiata S. Mariæ Majoris, ut reparari possit fructibus capellanorum, appositum fuit sequestrum super reditus, et S. C. primum sancivit instaurationem ad patronos capellæ spectare, inde mandat validum non esse prædictum sequestrum : *Alatrina*, *Reædificationis Capellæ*, 29 *julii* 1775, *dub.* 3.

23. Capellano Augustino Onesti unico de passive vocatis superstiti, qui nominationem habet, fructus a die vocationis capellaniæ demptis oneribus, non autem patrono licet pauperi deberi S. C. statuit : *Balneoregien*, 29 *julii* 1775, *dub.* 3, confirmata 23 *novem.* 1776.

24. Fructus capellaniæ S. Mariæ ad Nives in ecclesia S. Christophori de Trevina erectæ a Francisco Guidelli, qui illam fundavit, ac donationis titulo cessit bona capellaniæ in proprietate, et post interitum etiam eorum usumfructum, debentur capellano Vincentio Monni a die obitus Francisci Guidelli; etiamsi adsint filii, qui inopiam allegant, quos ante cessionem fundator habiturum non cogitabat, quia illo tempore viduatus erat uxore : *Civitatis Castelli*, *Capellaniæ*, 30 *aug.* 1777, *dub.* 2.

25. Post prorogationes pro exequutione voluntatis Antonii Pelucchi concessas, erectio demandata

[319] Ut referret de præciso reditu capellaniarum in moneta romana, de adimplemento sacrorum mensualium, de eorum numero, qui in præsens celebratur a quolibet ex capellanis, de reditu aucto ex industria capellanorum, et quæ summa supersit præter distributiones consuetas, et eleemosynas quindecim Missarum, quæ ab unoquoque ex capellanis celebrari debent juxta reductionem ab initio factam; ac super præmissis S. C. instructam redderet, et animi sui sensum aperiret : *Ead. causa*, 22 *martii* 1766, § 2.

[320] Nam statuta earumdem Missarum eleemosyna in annuis libris imperialibus tercentum, seu scutis 40 monetæ romanæ pius testator jussit, ut, si fructus hæreditarii ad prædictam summam non ascenderent, pro modo deficientis quantitatis minueretur numerus Missarum, nulla petita a superioribus reductione ; si vero illam superarent, certa portio erogaretur in emendis sacris supellectilibus, et residuum investiretur in aliquo fundo tuto, cum facultate illum distrahendi, quoties reditus ordinarii non sufficerent pro omnibus satisfaciendis oneribus : *Ead. causa*, 11 *ap.* 1761.

[321] Nempe, ut Episcopus transmittat dispositionem, et successivam erectionem capellaniæ, seu canonicatus, distincte instruat, ad quam precise quantitatem reditus ascendant tempore erectionis, et qui successive erant anno 1702, et denique an secundum antiquos status iidem in præsens existant, et undenam augmentum ab Episcopo Visconti constitutum detractum fuerit, et modo percipiantur ; an reditus secundum præsentem statum sint ad mensuram onerum, quæ sustinet rector, eaque distincte et singillatim enumerabit ; an denique apud hæreditatem testatoris servetur adhuc prædium *della Mattarella*, seu potius istud una cum ceteris bonis venditum fuerit. De his igitur, aliisque, quæ ad rem conferre putaverit, audito ipso rectore Malavi, aliisque etiam si qui sunt interesse habentibus. *Regist. lit.* lib. 35, *die* 17 *julii* 1773.

capellaniarum jussa fuit, et capellanis deberi stipendium a die erectionis earumdem fuit constitutus: nam iidem deberi illud a die lethi fundatoris autumabant: *Romana, Capellaniar. et legator. pior.*, 23 *sept.* 1777, *dub.* 2.

26. Fructus pensionis tributæ in annuis scutis novem a sacerdote Jacobo Nance in dotem capellaniæ institutæ in ecclesiæ parochiali, et collegiata S. Petri Avenionensis die procedente reducti fuerunt. Accedit, quod illos debitor non solvit, imo anno 1779 clam a rev. fabrica S. Petri compositionem quoad præteritum obtinuit. S. C. prædictos fructus deberi capellano ab anno supradicto, quo tempore vacavit capellania, in posterum censuit; et quoad annos præcedentes deducet jura sua, ut interim omnino audiatur S. C. rev. fabricæ S. Petri [322]: *Avenionen., Capellaniæ*, 16 *sept.* 1780.

27. Sacerdos Joan. Baptista Rondini unus ex capellanis ecclesiæ S. Mariæ Angelorum terræ Philoptrani, qui instar capituli canonicorum choro inserviunt, ob plura patrata crimina ad quinquennium in quoddam monasterium damnatus fuit. Ei fructus, et distributiones non deberi ceteri capellani inservientes durante ejus absentia autumant, et S. C. præsidio nituntur, quæ non ei illos deberi resolvit: *Auximana, Capellaniæ*, 21 *januar.* 1797, *dub.* 1.

28. Censuit inde ead. S. C. dictos fructus, ac distributiones non esse partiendas inter capellanos inservientes, sed sacrario deberi. Nam in fundatione earumdem capellaniarum occasione vacationis, aut capellani absentiæ fructuum, ac distributionum in favorem sacrarii applicatio fuit demandata. *Ibid.*, *dub.* 2. Inde causa reproducta quoad distributiones in decisis; quoad fructus, prævio recessu a decisis esse inter capellanos dividendos dixit: 19 *aug. ejusd. anni.*

§ III.

Capellanus quoad Missarum applicationem.

1. Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quædam capellania cum onere capellano pro tempore sacrum faciendi singulis dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium. Ideo Episcopus Tinensis supplicat a S. C. declarari; an hujusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperiit. S. C. respondit applicandum esse sacrificium pro anima testatoris: *Tinen., Applicationis sacrificii*, 18 *aug.* 1668.

2. Supplicat Episcopus declarari capellanos teneri applicare sacrificium pro animabus fundatorum, licet hoc onus fundatores non expresserint; nec posse aliud stipendium recipere quacumque prætensa consuetudine non obstante, et S. C. censuit danda esse decreta alias edita in *Lucana, Applicationis sacrificii* 7 aug. 1683 [323], et aliud decretum [324]: *Collen., Applicationis sacrificii*, 28 *aug.* 1683.

3. S. C. perpendens quamdam dispositionem, in qua cautum fuerat, ut capellanus pro tempore Missam celebraret omnibus diebus hebdomadæ, præter unum, dummodo tres Missæ qualibet hebdomada celebrarentur de mortuis pro anima fundatoris, capellanum teneri applicare dumtaxat tres Missas de mortuis, et non alias sententiam prononciavit: *Collen., Applicationis sacrificii*, 17 *nov.* 1685.

4. Pius vir in quadam fundatione sic effatus est: *Il capellano sia tenuto, e obligato giornalmente celebrare la Messa, eccetto il venerdi, quale sia vacuo. Il lunedì, e mercoldi sia tenuto celebrare le Messe de' morti per suffragio dell' anima sua ecc.* Hinc in dubio ponitur, an rector dictæ capellaniæ præter dies lunæ, et Mercurii teneatur applicare sacrificium ceteris diebus, quibus celebrare tenetur? affirmativum datum est responsum, et esse locum reductioni arbitrio Card. Præfecti mandatum est. Nam fructus annuus dictæ fundationis tantum est in scut. 30: *Collen., Applicationis sacrificii*, 22 *junii* 1686, *dub.* 1.

5. Et ad dubium alterum, an itidem teneatur applicare sacrificium die Veneris, quatenus illa die, nolens uti vacatione sibi concessa, Missam celebret? negativam responsionem prodiit: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Quum testator Marcus Antonius Bassus relicto legato quodam Missarum nullam expressisset applicationem, sed tantum celebrationem, quæsitum est, an teneatur capellanus applicare sacrificia pro anima illius? et teneri eum S. C. respondit. Fundator enim requisierat sacerdotes bene moratos pro eadem celebratione: *Vicentina*, 18 *sept.* 1781, *dub.* 1.

7. S. C. applicationem sacrificii minime demandavit in terminis fundationis capellaniæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata,

[322] Audiri præcepit S. C. rev. fabricæ S. Petri, apud quam forsan haud validam compositionem debitor pensionis reportavit.

[323] Vide verb. *Missa*, § I, num. 1.

[324] Quæritur quarto, an sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, et unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere? S. C. respondit, sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere; rel. *in ead. causa.*

ut plurimi negotiis detenti Missam audire possint, et præcipue discipuli, quando a schola discedunt : *Collen., Applicationis sacrificii,* 17 *dec.* 1689, *dub.* 1.

8. Ac illud applicando pro anima Joan. Picchinesii recte non satisfacit capellanus suo muneri ab utroque fundatore injuncto, qui applicationem demandarunt : *Ibid., dub.* 2.

9. Cardinalis Marianus Per-Benedictus capellæ a se honorifice constructæ in collegiata insigni S. Venantii, nonnulla donavit loca Montium, ad hoc ut ex eorum fructibus scuta 40 unicuique ex capellanis quatuor amovibilibus traderentur, qui alternis mensibus canere continuo tenerentur Missam conventualem; ita tamen, ut illo mense, quo alter eorum Missam canit, ceteri lectas Missas celebrarent, et pro fundatore preces funderent. Lectas Missas celebrarunt, et Missas conventuales capellani pro fundatore diu applicarunt. Verum capitulum ejusdem ecclesiæ, cui habitualis animarum cura inest, eas pro populo, sicut etiam illas, quas canonici celebrant, applicandas esse contendit; et S. C. definivit, capellanos prædictos Missam conventualem pro populo applicare non esse adstrictos, sed pro omnibus teneri benefactoribus applicare: *Camerinen., Applicationis Missæ conventualis*, 19 *julii* 1704.

10. Capellaniam a Jacobo Pastorello in ecclesia parochiali S. Valentini castri Lacus obtinuit Nicolaus de Nobilibus, deinde Marcellus Ferentillus, post cujus obitum caruit rectore per annos 30 ob diminutionem, seu difficilem exactionem redituum, ac plurimorum censuum jacturam. Nuper provisus fuit de ea Carolus Petrus Cardonus, qui prætentionem excitavit quoad applicationem Missarum, quæ minime erui ex fundatione potest. Censuit S. C. eumdem applicare Missas teneri. Legitur enim onus in fundatione quotidie celebrandi Missam sub auroram, et rogandi Deum pro anima ipsius testatoris: *Spoletana, Applicat. et reduct., Miss.*, 11 *januar.* 1710, *dub.* 1.

11. Rector capellaniæ, quæ in ecclesia cathedrali erecta, ac a Joanne Simeone instituta fuit cum hisce verbis : *Pro remedio suæ.... inde et Missam singulo mane celebrare curabit*, tenetur sacrificium pro anima, fundatoris applicare : *Lucana, Celebrationis Missarum*, 18 *feb.* 1702, *dub.* 2.

12. Franciscus Gappuccius erecta capellania de jurepatronatus familiari onus capellano injunxit nonnullarum Missarum pro anima conjunctorum; deinde Missam hebdomadalem absque ullo verbo applicationem denotante. Episcopus compertus est capellanum minime applicasse Missam prædictam, dubium excitavit, quod S. C. capellanum cogendum ad applicationem esse resolvat. Inde capellano minime acquiescente S. C. dictam declarationem confirmavit : *Burgi S. Sepulchri, Applicationis Missarum*, 11 *januar.* 1716.

13. Possessor capellaniæ fundatæ ab Angela Sandri tenetur ad applicationem pro fundatrice duorum anniversariorum, et ceterarum Missarum ad formam decreti Archiepiscopi Martii Medices [388]. Nam fundatrix officiatura capellæ, seu altaris a se designati capellanum oneravit, addens pro ejus anima, sicuti reliqui capellani in aliis altaribus sacra faciebant, ideoque non tot choros supponebat, quot sunt capellani, et verbum *officiare* pro celebrando usurpavit : *Florentina, Abolitionis oneris*, 11 *dec.* 1717.

15. Calamellus de Calamellis erecta capella in ecclesia cathedrali, duas in illa capellanias fundavit ; onus possessoribus dedit, ut continue celebrent Missas, sed diebus ferialibus specialiter pro anima ipsius Calamelli patris, matrisque suæ. Nominati ex diuturno tempore celebrarunt, sed non applicarunt, nisi in illis diebus ferialibus, in quibus in kalendario ritus contingit *de ea*, de quo agunt acta visitationis. At S. C. despecta observantia respondit, teneri capellanos quocumque die applicare Missam pro anima fundatoris, ejusque proximorum : *Ferrarien., Applicationis Missarum*, 26 *martii* 1718, *dub.* 1, 2 et 3, confirmata 24 *febr.* 1720.

15. Ille, qui capellaniam fundatam a Joanne Francisco de Gonzaga in altari majori ecclesiæ monasterii monialium Corporis Christi Mantuæ possidet; quum celebrationem non applicationem demandasset testator, et commodum monialium respexisset, non tenetur Missam applicare pro suffragio animæ fundatoris, sed ad solam Missæ celebrationem : *Mantuana, Applicationis sacrificii*, 19 *nov.* 1718.

16. Joseph Allbertonius celebrationem 50 Missarum in favorem suæ animæ ordinavit ; inde onus Missæ quotidianæ in oratorio S. Antonii abbatis loci Arto causa majoris beneficii, et commoditatis communitatis, ac in codicillis celebrationem dictæ Missæ sub auroram cujusqne diei festi, capellano imposuit. De applicatione ejusdem oneris S. C. consulta, non teneri applicare capellanum pro suffragio animæ testatoris Missam quotidianam in oratorio prædicto celebrandam, statuit: *Novarien.*, 22 *novem.* 1727, *dub.* 1.

[388] Qui facultate utens S. C. quoad capellanias, de quarum fundatione non constabat, certum numerum Missarum ratione redituum pro fundatione applicandarum per capellanos præfixit, et inter cetera mandavit, ut capellanus fundationis Sandri, quæ non inveniebatur, Missas 230 celebraret : *Ead. causa*, 27 *novem.* 1717.

17. In supremis tabulis Vespasianus Ferrantes mandavit erectionem capellaniæ sacerdotalis in ecclesia monialium S. Mariæ Magdalenæ conficiendam, cujus rector celebrare quotidie teneatur Deum orando pro anima testatoris, suorumque benefactorum. De hoc onere S. C. requisita, duxit non teneri capellanum applicare sacrificium pro anima fundatoris, sed satis est illius recordari in orationibus, quæ in collecta, aut memento sacri fiunt: *Ferrarien.*, *Applicationis sacrificii*, 11 *junii* 1729.

18. Quum fuisset petitum: An rector capellaniæ fundatæ ex dispositione Petri Francisci Malpici teneatur applicare sacrificium pro ejus anima, vel tantummodo celebrare absque applicatione in ecclesia monasterii, quod in oppido Serræ Comitum extrui præceperat? responsum exiit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem [326]. Testator enim nulla imposita applicatione celebrari in ecclesia monasterii, ut monialibus inserviat, expetivit: *Senogallien.*, *Missarum*, 10 *maii* 1732, *dub.* 1. Deinde S. C. applicationem pro ejusdem anima præcepit: 20 *dec.* 1732.

19. Quum S. C. sub die 29 julii 1690 decrevisset capellanum possessorem fundationis a societate Sanctissimæ Annunciatæ oppidi Montopolis peractæ cum onere applicationis, et residentiæ personalis, teneri ad applicationem sacrificii, modo eadem S. C. factam resolutionem confirmat, et addidit, ut Episcopus cogat omnino rectorem tam ad applicandum in futurum, quam ad satisfaciendum propter neglectas applicationes in præteritum. Etiamsi capellanus Alexander Toscanellius exciperet tenuitatem dotis assignatam in limine fundationis, ac capellanos antecessores non applicasse: *Sancti Miniatis*, *Applicationis Missæ quotidianæ*, 3 *dec.* 1734, *dub.* 1.

20. Franciscus Maria de Machiavellis dotem cujusdam capellaniæ de jurepatronatus suæ familiæ a summa scut. 23 auxit ad summam scut. 60 imposita capellano applicatione, absque qua Missæ antea celebrabantur. Ita voluntas fuit exequuta; sed transacto temporis spatio hæres Joannes Baptista Machiavelli deberi solutionem in scut. 24 contendere cœpit; hinc quæstio ad S. C. delata est, quæ Missam quotidianam sine onere applicationis in posterum applicare debere, stante scutorum 36 augmento, decrevit: *Florentina, Applicationis Missæ quotidianæ*, 24 *julii* 1734, *dub.* 1.

21. Rectores capellaniarum, quas Philippus Maria vicecomes Mediolani dux in ecclesia S. Joannis Modœtiæ fundavit, ac onus Missarum eis injunxit, qualibet die ob reverentiam Beati Joannis cum onere choro inserviendi, non tenentur Missas applicare, quemadmodum vicarius generalis jam definierat: *Mediolan.*, *Applicationis Missarum*, 11 *maii* 1748.

22. Cyprianus Mocenigo plebanus Eutici instituit capellaniam, et nulla facta mentione de applicatione onus celebrationis Missarum injunxit; et nec uti posse plebanum curatum hoc capellano mandavit; ac insuper onus recitandi *De profundis* cum oratione post celebrationem, et casu, quo ille evocatus in aliam ecclesiam ad sacrificandum, annuere potest; dummodo orationem prædictam habere reminiscatur. Consulta S. C. ad applicationem non teneri decrevit; quia post erectionem sacrum a capellanis nunquam fuit applicatum: *Tarvisina*, *Applicat.*, 6 *decem.* 1749, *dub.* 1.

23. Balthazar de Ulloa duas fundavit capellanias, quarum unius possessor meridie, alterius ante meridiem celebraret quotidianam Missam nulla facta mentione de applicatione. Vincentius Antonius y Aguiar hæres, et patronus supplicavit explicari, capellanos non teneri ad applicationem Missarum, quia huic oneri impares sunt reditus. Sed Vincentius, favente quamvis Episcopo, voti sui compos factus non fuit; quum Missas applicandas esse S. C. definierit: *Compostellana*, 12 *julii* 1760, *dub.* 1, confirmata 8 *maii* 1762.

24. Capellanos fundationum, quæ fuerunt actæ in capellis villæ Avisii, teneri Missam applicare pro animabus testatorum; ita ut confirmandum esse decretum vicarii generalis Tridentini S. C. statuit; etsi fundatores nullo facto verbo de applicatione saluti animarum eorum providere exoptaverint: et revera nunquam Missæ fuerunt applicatæ, et incolarum commodum ante oculos semper capellani habuerunt: *Tridentina*, *Applicationis Missarum*, 26 *martii* 1768, confirmata 16 *sept.* 1769.

25. Capellanus Andreas Rota, qui binas capellanias possidet fundationis Cardinalis Dominici Thusci, qui ait, non esse applicandas nisi Missas defunctorum, quæ in expiationem, suffragium eorum celebrare debent; de aliis nonnisi orationem, ac preces voluit, licet antea onus quotidianum applicandum injunxerit; at S. C. judicavit, omnes applicandas esse juxta modum [327]: *Regien.*, 3 *aug.* 1735, *dub.* 1.

26. Capellanias in metropolitana ecclesia obtinentes, dum Missas solius præsentiæ celebrabant, consueverunt etiam eadem die alia onera Missarum adimplere cum sacrificii applicatione. Usum non satis tutum revisores legatorum piorum existima-

[326] Vide not. 282.

[327] Nempe diebus lunæ per annum pro anima Card. Tusci, et suorum, in reliquis pro benefactoribus: *Ead. causa*, 3 *aug.* 1765.

runt. Verum animadvertentes redituum tenuitatem, et excessivum Missarum numerum, precati sunt, ut capellanis concederetur facultas onera Missarum explendi per solam celebrationem, solamque præsentiam cum applicatione sacrificii pro aliis legatis quibus onus inest applicationis. Re ad S. C. delegata, et dubio proposito, de quibusnam capellanis sit locus celebrationi, et Missarum applicationi? responsum prodiit: Dilata, et ad mentem[328]: *Ferrarien.*, 19 *julii* 1783.

27. Clericus Antonius Maria Bollati ex passive vocatis oblinet capellaniam fundatam ab Josepho Antonio Coppi in ecclesia parochiali Capriarum onere Missæ quotidianæ, residendi, aliisque gravatam, cum facultate tamen supplendi per alium excepto parocho, ne ecclesia illius Missa privetur. Dictus clericus suam exponit paupertatem, et quærit, an sit illi libera applicatio? negative S. C. respondit: *Segusien.*, *Reduct. Miss.*, 16 *april.* 1791, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Missa*, § I.

§ IV.

Capellanus quoad onera in genere.

1. Petiit Episcopus, an capellani, seu altaristæ Missas celebrantes ex beneficiorum obligatione ipsi quoque teneantur suppeditare sumptus consumptionis paramentorum, et ceræ, quum sacraria tenuissimos reditus, ac proventus habeant? S. C. audiendos esse altaristas, et interim servari solitum dixit: *Maceraten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 29 *april.* 1664, *dub.* 15.

2. Expositum fuit capellaniam fundatam a Rosato de Eleonoris habere onus celebrandi, ac scholam retinendi, docendique doctrinam Christianam, ac reditus esse notabiliter diminutos; ideo postulatur reductio onerum, et S. C. delevit onus scholæ, ac docendi Christianam doctrinam; ac Missas reducendas servata proportione redituum qualitatis ad rationem manualis eleemosynæ censuit: *Reatina*, 17 *decem.* 1689.

3. Leonardus Fronda hærede instituta capella Sanctissimi Rosarii ecclesiæ cathedralis duas ex tribus partibus suæ hæreditatis voluit, ut Missas 200 quotannis officiales capellæ a canonico Josepho de Francisco ei conjuncto celebrari curarent; et de alia tertia parte per eosdem ad libitum pro usu capellæ disponi mandavit. Joseph, et alii sacerdotes celebrantes Missas etiam aliorum piorum testatorum pro usu utensilium solverunt carolenos 18 pro quolibet numero Missarum 100, et proposuerunt dubium: An hujusmodi solutio sit facienda ab ipsis, diminuto prædicto bis centum Missarum numero, vel a capella hærede ex reditibus tertiæ partis illis libere relictæ? S. C. rescripsit spectare ad rectorem nempe ad capellanum prædictæ capellæ, non diminuto Missarum numero: *Nucerina Paganorum*, 20 *april.* 1697.

4. Capellani ecclesiæ parochialis S. Crucis teneantur exhibere libros antiquos, et recentes legata, et bona eidem ecclesiæ relicta continentes occasione visitationis abbatis monasterii B. M. V. de Naxera ordinis S. Benedicti, qui privative quoad visitationem, in reliquis cumulative cum Episcopo habet jurisdictionem: *Calaguritana, Visitationis*, 18 *junii* 1701, *dub.* 1.

5. Item tenetur exhibere libros, in quibus recensentur anniversaria, aliaque onera, et pia opera in dicta ecclesia fundata: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Idem capellani tenentur quoque exhibere libros fundationum beneficiorum, et capellaniarum, earumdem fundationum instrumenta continentes: *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Imo ad producendum codicem accepti, et expensi redituum ecclesiæ, eorumque consolidatas rationes, adstricti sunt: *Ibid.*, *dub.* 4.

8. Insuper proferre notulam eorum, qui capellanias possident, et alia beneficia in eadem ecclesia, et illorum, qui anniversaria, aliaque pia opera adimplere debent, tenentur: *Ibid.*, *dub.* 5.

9. Item iidem capellani devincti sunt ad edendam notulam bonorum, quæ alienata, vel noviter acquisita fuerunt ab ecclesia, ac instrumentorum, scripturarumque easdem alienationes, ac acquisitiones respicientium: *Ibid.*, *dub.* 6.

10. Taxam carolenorum tredecim pro usu supellectilium sacrorum solvendam esse a capellanis capellæ Sanctissimi Rosarii in ecclesia cathedrali erectæ, in ea celebrantibus, non ab administratoribus, seu rectoribus capellæ prædictæ S. C. decrevit: *Nucerina Paganorum*, 2 *maii* 1705.

11. Capellanos ecclesiæ parochialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii,

[328] Et mens est, ut exhibeantur decreta, et acta facta coram Card. del Verme, et ut scribatur Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem: *Ead. causa*, 19 *julii* 1783. In instructione dictum est, haud deprehendi ex fundatione nonnullarum capellaniarum legem fundatoris exclusivam oneris Missas applicandi; ac prorsus ignorari consuetudinem, quæ respicit modum, et tempus explendæ celebrationis. Inde animadversum, quod rectores hujusmodi anno 1703 in S. C. institerunt pro exequutione decreti Episcopi Fontana, quo celebratio pro mortuis fundatoribus demandata fuit. De aliis vero capellaniis descriptis nullam proferri testamentariam dispositionem S. C. putavit, nec de his mentionem fieri in sententia ann 1703, et in hoc casu fundatorum suffragio consulere voluisse censuit. Hinc postulatur ulterior causæ elucidatio: *Regist. lit.* lib. 34, *die* 19 *julii* 1783.

qui præfatæ ecclesiæ, tam in celebrandis officiis, quam in administrandis sacramentis, aliisque peragendis muneribus juxta Episcopi præceptum diligenter inservire debebant archipresbytero in ecclesiasticis functionibus, et in divinis obedientiam præstare, eidem ex decreto S. C. inservire debere constituitur : *Immolen.*, *Jurium parochialium*, 12 *febr.* 1707, *dub.* 2, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

12. Eosdemque capellanos aliquam ex dictis functionibus non respicientibus curam animarum facere volentes non a Card. abbate commendatario ejusdem ecclesiæ, sed ab archipresbytero licentiam obtinere adstringendos esse firmatur : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

13. Capellani ab Annibale Tappi instituti interesse debent redditioni rationum, ac investimentis faciendis de eorum reditibus, ac bonis ; etiamsi idem fundator œconomum, qui curam, ac administrationem pecuniarum habet, reliquerit. Nam iidem capellani administrari hujusmodi hæreditatem in grave eorum detrimentum autumabant : *Fanen.*, *Capellaniarum*, 29 *april.* 1713, *dub.* 2.

14. Franciscus Phisicus quinque erigendas in sacello S. Blasii ecclesiæ S. Crucis oppidi Montis Bodii mandavit capellanias ; et quum in instrumento injunxisset onus chori, indefinite loquendo, omnibus diebus festivis anni, ac in testamento onus in omnibus festivitatibus dicti sacelli taxavit ; ignoratum fuit, quibus festivitatibus restringi, aut ampliari debeat mens testatoris; et S. C. teneri capellanos omnibus diebus festivis celebrandis in ecclesia S. Crucis, ubi sita est dicta capella, resolvit : *Senogallien.*, *Capellaniarum*, 9 *sept.* 1713, *dub.* 1.

15. Possessores capellaniarum, quas priores, et sodales ecclesiæ S. Mariæ de Vineis Planis oppidi Arpini commissa erectione arbitrio, et Episcopi prudentiæ fundarunt, disceptant Episcopum in erectione earumdem excessisse, tum quoad numerum, tum quoad onera imposita, et apud S. C. questi sunt ; et decretum prodiit onus adjectum interveniendi quotidie per dictos capellanos divinis officiis in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli non sustineri ; sed tantum servitium festivis,ac toto Adventu,et Quadragesima adimpleturi sunt : *Sorana*, *Capellaniarum*, 30 *sept.* 1713, *dub.* 2.

16. Necnon onus inserviendi per dictos capellanos diebus festivis, et in omnibus Missis paratis pro diacono, et subdiacono non sustineri statuit, ac servari decreta S. C. Rituum [329] voluit : *Ibid.*, *dub.* 3.

17. Onus autem adjunctum similiter punctaturarum dictis capellanis in casu deficientiæ a servitio chori, et applicationem punctaturarum earumdem in favorem sacrarii S. Mariæ de Vineis Planis, non beneficiatorum S. Michaelis Archangeli, ratum habuit : *Ibid.*, *dub.* 4.

18. Petrus Paulus de Avila capellaniam præordinavit jubens, ut capellanus esset Matthæus Franciscus Ciancius clericus, quando tamen ad ætatem celebrandi sacrificium pervenerit. Ætatem attigit Matthæus a disponente contemplatam, et quæsivit, num infra annum assumere sacerdotium teneretur? et utique teneri responsum accepit : *Romana*, *Capellaniæ*, 12 *januar.* 1715, *dub.* 2.

19. Gondisalvus Pereira Archiepiscopus Bracharensis, constructa capella, eam dotavit, voluitque, ut fructus sex capellani perciperent, quibus onus Missarum, et chori imposuit. Deperditis, ac imminutis longo ævo bonis, ac reditibus capellæ, capellani reductionem onerum postulant, et assequuti sunt juxta modum propositum ab Archiepiscopo [330] : *Bracharensis*, *Reductionis onerum*, 11 *sept.* 1717.

[329] Inter decreta authentica S. C. Rituum ab an. 1790 ad 1794 edita num. 10, hæc habentur *Senogallien.* Cum exorta fuisset controversia inter canonicos ecclesiæ cathedralis Senogallien. ex una parte circa onera eorumdem mansionariorum, et servitium sive assistentiam ab iisdem præstandam canonicis in officiis diaconi, et subdiaconi infra scripta dubia ad judicium S. Rit. Congr. delata sunt, nempe.... II. An teneantur mansionarii præstare servitium in qualitate diaconi, et subdiaconi canonico ubique celebranti in casu etc. » *Negative* respondit die 26 *januar.* 1793 confirmata 18 *febr.* 1894. Et revera juxta dispositionem *Cæremonialis Episcoporum*, lib. 2, cap. 17 ead. Sacra Rituum Congreg. decrevit dignitati, vel canonico solemniter celebranti deberi assistentiam duorum canonicorum, vel dignitatum, nam (uti refert Pignatell. *Consul. XXVIII*, num. 1, et seq. tom. 4) in Sypontina : « Narratum fuit in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli montis Gargani Sypontinæ diœcesis adesse quatuor dignitates, ac duodecim canonicos, omnes præbendatos, et dubitari inter ipsos, an celebrante aliqua dignitate, vel canonico inservire debeant pro diacono, et subdiacono canonici, an vero alii inferiores de gremio ejusdem ecclesiæ? Et S. Rituum Congreg. respondit, dignitate, vel canonico celebrante pariter canonicos pro diacono, et subdiacono, et non alios inferiores inservire debere, non obstante contraria consuetudine, quam abusum ead. S. Congr. declaravit *die 8 martii* 1631. » Quod tamen intelligendum esset, dummodo canonicorum numerus non esset adeo exiguus, ut deservientibus duobus, vel tribus ministerio altaris,chorus remaneret vacuus assistentia canonicorum, hoc enim casu expediens magis foret, ut pro diacono, et subdiacono inservirent capellani sive mansionarii, ut advertit Scarfantonius *ad Lucubr. Canon. Ceccoperi*, lib. 2, tit. 5, *Animad.* num. 15, et idem Pignatell. *Consul. XXVIII*, num. 15.

[330] Ait Archiepiscopus : « Quicumque ex capellanis tempore messis habent quadraginta circiter mensuras frumenti, et pro Missis habent 60 regalia pro qualibet, et pro choro 30 regalia. Et cum hodie in illis partibus eleemosyna manualis cujuslibet Missæ sint 100 regalia, et

20. Capellaniæ fundatæ in ecclesia collegiata S. Laurentii a Francisco de Ginoris in testamento nullum impositum fuit onus; sed postea vicarius generalis teneri ad Missas per seipsum celebrandas ac onus festivitatis peragendæ sancti patroni capellæ, aliarumque declaravit. Nonnulli successores sese subjecerunt ad hujusmodi onera. Capellanus hodiernus tamen Laurentius de Franchis animadvertens reditus assignatos decrevisse, fundationem invenit, et apud S. C. perquisivit, an ad expressa onera teneatur; et non teneri S. C. judicavit: *Florentina*, 12 *martii* 1718.

21. Clericus Cajetanus Corsetti oneribus de novo impositis occasione nominationis a sodalibus B. M. V. de Lilio terræ Aquaspartæ obtentæ, ac non enunciatis in fundatione non est devinctus: *Tudertina, Capellaniæ*, 12 *martii* 1718, *dub.* 1.

22. Possessor capellaniæ S. Bernardini, quæ in ecclesia cathedrali erecta fuit, et de qua fundatio desideratur, dum quærit, num teneretur deferre pluviale, et sacrum facere diebus certis, et horis in tabellis præscriptis? prodiit responsum: Dilata, et extrahantur partitæ ex libris sacrarii citatis interesse habentibus, et interim præsens capellanus tabellam observet: *Callien.*, 6 *maii* 1718, deinde affirmativum dedit responsum: nam observantia in favorem ecclesiæ aderat, et capellanus ipse, qui refragatus est, se juramento tabellarum dispositionem servare obstrinxerat: 4 *maii* 1719.

23. Occasione suppressionis parvi cujusdam conventus S. Augustini de Plano Mileti erecta fuit capellania perpetua, cujus possessori onus residendi in conventu, per seipsum quotidie celebrandi, parocho adjuvandi, litteras docendi, ac seminario scut. 20 annua solvendi impositum fuit. Hæc pensio autem inspecta redituum imminutione ad scut. 10 inde redacta fuit. Modo vero hujus capellaniæ reditus ad scut. 20 ob. 50 sunt attenuati; hinc disputatum, num ipse teneretur ad annuam illam præstationem scut. 10 in favorem seminarii, vel sit locus onerum reductioni? S. C. firmandum statum, et examinandos testes formaliter auditis interesse habentibus censuit: *Feretrana, Reductionis onerum*, 3 *sept.* 1718, *dub.* 1 et 2. Deinde ad primum affirmative respondit, et secundi dubii protelavit definitionem, ut melius firmetur status, et scribatur Episcopo pro informatione super necessitate parochum adjuvandi: 7 *sept.* 1720.

24. Capellani S. Hilarii, a quibus tenor fundationis quotidie celebrandi Missam in basilica Lateranensi, et in eadem divinis officiis interveniendi exigit, considerata redituum minutione, implorarunt onerum reductionem. Archipresbyter, annuente capitulo, reductionem, et Missarum, et servitii fecit. Sed non acquiescentibus capellanis audita desuper fuit S. C., et hæc, firmo remanente Missarum onere, pro majori reductione servitii chori, arbitrio Card. archipresbyteri, audito capitulo, rem commendavit: *Romana, Reduct. servitii chori, et Missar.*, 18 *april.* 1722.

25. Capellanus Joannes Philippus Vieri fundationis Prosperi Bottini Archiepiscopi Mirensis, cujus muneris non est per seipsum Missas celebrandi, ad se promovendum ad sacros ordines non est cogendus: *Romana, Capellaniæ*, 29 *aug.* 1722, *dub.* 2.

26. Immemorabilis in cathedrali ecclesia Burgensi in Belgio vigebat consuetudo, qua capellanus recens provisus post adeptam possessionem beneficii ceteris capellanis convivium, vulgo nominatum *Symbolum gratulatorium*, parare tenebatur. Cornelius Hyacinthus de Vos noviter provisus judicialiter apud decanum, et canonicos citatus fuit, ut consuetas eis epulas instrueret. Hinc a S. C. est scitatus, num licite peti, darique possit convivium illud, et an laudabilis, et observanda sit ea consuetudo? respondit S. C. consuetudinem hanc esse improbandam, et ad mentem [331]: *Burgen.*, 3 *sept.* 1729.

27. Quum ageretur de constructione sacrarii, ac comparatione sacrarum supellectilium ecclesiæ parochialis oppidi Meldulæ, ubi cœtus presbyterorum fundationis Armanni existit; dubio, an capellani conventus prædictæ fundationis teneantur, et de quibus pecuniis? S. C. responsum dedit, ut Ordinarius instaurari sacrarium, et sacram supellectilem a quibus de jure mandet: *Nullius Fori-Pompilii, Capellaniarum*, 18 *april.* 1733, *dub.* 2

28. Fundarunt conjuges de Janfranchis nonnullas capellanias, voluitque sacerdotes idoneos, ac præcipue in cantu Gregoriano *per ben servire la Chiesa, e pregando in fine detti signori arciprete, e canonici a favorire.... detti signori mansionarii, o capellani non certezza, che di simile dimostrazione anch' essi sapranno corrispondere col rimostrarle almeno col desiderio di servirli nelle fun-*

amplius, dicerem, quod numerus Missarum pro quolibet capellano justissime posset reduci fere ad dimidium, ut scilicet in quolibet mense satisfacerent, dicendo quindecim Missas quilibet ex eis pro manuali eleemosyna 120 regalium pro quolibet, et quod pro obligatione recitandi in choro horas canonicas quotidie, nihil immutaretur circa salaria, sed mensuræ illæ frumenti, quas insuper habent, veluti distributiones quotidianæ dividerentur inter præsentes, et id quod non lucrabitur absens, applicaretur fabricæ ejusdem capellæ. » *Ead. causa*, 21 *aug.* 1717.

[331] Videlicet, ut si capellanus nolit parare prandium, cogi nequeat; si vero velit, prohiberi non debeat, dummodo convivium sit frugale, et moderatum. Rel. *in Leodien.*, 18 julii 1733, § 8.

zioni della Chiesa, ed in particolare ne giorni piu cospicui; e bisognosi, ne quali speriamo potersene compromettere, siccome li preghiamo. De capellanorum oneribus S. C. requisita decrevit eos hortandos esse, non autem cogendos, ut divinis officiis solemnibus diebus intersint : *Senogallien.*, *Mansionariæ*, 16 *maii* 1733, *dub.* 4, confirmata 17 *apr.* 1734.

29. Possessores capellaniarum, quæ erectæ fuerunt a principe Joanne Baptista Pamphili in ecclesia S. Agnetis Urbis, anno 1709, debent eidem ecclesiæ utensilia pro Missarum celebratione ; etiamsi ex illis nonnulli possessores inibi existentes alumnorum collegii regimen, ac instructionem sustineant : *Romana*, *Utensilium*, 21 *martii* 1736.

30. Quatuor capellani Jacobi Landulphi fundationis in ecclesia receptitia Sanctissimi Corporis Christi civitatis Magdalunæ Missa quotidiana gravati instar aliorum capellanorum, impediti quum essent ex causa adversæ valetudinis, tenentur supplere per alium in Missis adimplendis, ac in canendis horis canonicis ; quod chori onus iidem capellani inde acceptarunt, uti veteres capellani : *Casertana*, *Capellaniarum*, 14 *dec.* 1737, confirmata 21 *april.* 1742.

31. Capellaniarum, quas instituit canonicus Joseph Antolinius, possessores tenentur subire onera hebdomadariorum, canere Missas, ceteraque alia facere instar aliorum capellanorum hebdomadariorum. Nam fundator onus chori in eodem modo, ac iisdem oneribus ceterorum sacerdotum in divinis officiis injunxit : *Lauretana*, *Indulti*, 10 *junii* 1741, *dub.* 2.

32. Capellanus, qui est rector fundationis a Mario Constantino in terra Cameratæ confectæ, ac residentialis declaratæ, reductionem obtinuit, quoad onus tantum parochum adjuvandi, arbitrio Card. abbatis, qui mandat celebrari tam pro præterito, quam pro futuro. Illorum enim neutra indicta fuerunt a fundatore, sed ea onera tantum acta visitationis declarant : *Sublacen.*, *Capellaniæ*, 13 *julii* 1743, *dub.* 2.

33. Capellaniæ ecclesiasticæ sub ea lege per pios testatores ordinatæ, ut ad illas primo admittantur clerici seculares ad titulum earum ad sacros ordines promovendi, et deinde succedant regulares ; sic ad eosdem regulares transire debeant, ut capellanis primo nominatis decedentibus, vel alia quacumque causa capellanias hujusmodi assequentibus, per seipsos, non autem per sacerdotes seculares ab eis præsentandos, et a locorum Ordinariis instituendos, Missas celebrare, aliaque onera implere, administrare illarum bona, omnesque fructus percipere possint : *Mexicana*, *Erectionis capellaniarum*, 25 *januar.* 1749, *dub.* 1.

34. Casimirus Molinarius capellanus, seu rector beneficii nuncupati *S. Hieronymi primi* in ecclesia cathedrali tenetur in divinis inservire dictæ ecclesiæ singulis diebus, et horis canonicis instar aliorum beneficiatorum. Nam ita fuisse observatum ex consuetudine diuturna ; ex statutis, ac edictis veteribus Episcoporum evincitur : *Cæsenaten.*, *Servitii*, 22 *januar.* 1752.

35. Posita absolutione conditionum, quas in testamento Lucia Montarelli ordinavit, non est locus augmento onerum celebrationis Missarum quinque pro qualibet hebdomada, et cantus ad formam dicti testamenti, capellaniæ ab eadem testatrice fundatæ in ecclesia parochiali S. Mariæ in Pensulis. Nam aiebat capellanus, si morte Josephi Parasini cessaverit ususfructus, ac morte conjugum Hadriani, et Paulæ Geraldini bona donata reversa fuerint ad hæreditatem, compendia hæc non esse lucro capellanorum, sed lucro hæreditatis, quæ a testatrice parochiali prædictæ data fuit : *Narnien.*, *Capellaniæ*, 9 *febr.* 1754.

36. Gregorio Antonellio possessor capellaniæ S. Mariæ Lauretanæ erectæ in ecclesia collegiata SS. Quintini et Petri de Saxa civitatis Aquilæ, tenetur choro deservire per seipsum non per substitutum ; etiamsi vetus sit in eadem ecclesia consuetudo, ut possint capellani servitium per substitutos præstare, dum morbo laborent : *Aquilana*, 20 *martii* 1756, *dub.* 1.

37. Quatuor in basilica Lateranensi capellanias Hilarius Maurus Parmensis institutit, ac unicuique capellano onus injunxit Missæ quotidianæ, et instar canonicorum ejusdem basilicæ choro inserviendi. Causa diminutionis earumdem redituum una deinde altera fuit suppressa, et declaratum augendi earum numerum, si augeretur et fructus. Verum quum capellani sortem scut. 1400, et fructus scut. 1300 recuperassent, capitulum Lateranense institutit, ut augeretur servitium chori ; S. C. audito archipresbytero, censuit Missarum onus augendum, et capellanias redintegrandas juxta numerum a testatore præfinitum ; hinc S. C. rescripsit juxta votum in omnibus Card. protectoris. Et in folio proposita causa in decisis dictum est : *Romana*, 11 *aug.* 1759. Capellani conquesti sunt, et reductionem Missarum petierunt, et S. C. jussit, ut eligatur peritus judicialis pro firmatione status : 17 *junii* 1775, inde permansit in decisis. 4 *april.* 1778. Demum putavit recedendum a decisis, et juxta votum Card. archipresbyteri [33*] decidere : 20 *dec.* 1788.

[33*] Qui ita concludit : « Qua de re, quoniam et patronorum consensus accedit, censerem annuendum esse oratoribus pro reductione Missarum ad menstruas 45 tantum, ab ipsis celebrandas servata forma in omnibus re-

38. Laurentius Compagnoni fundator cujusdam capellaniæ quum voluerit Missas a capellano celebrari in ecclesia rurali prædii Cimarellæ vita naturali ipsius fundatoris durante, ac injunxerit onus etiam administrandi sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ in eadem ecclesia; fuit dubitatum, an teneatur post obitum testatoris capellanus pro tempore ministrare sacramenta prædicta in dicta rurali ecclesia? quum etiam in alias ecclesias celebrandi potestatem dedisset, S. C. negativum protulit responsum; licet in fine dispositionis testator dixerit: donec dicta ecclesia existeret: *Maceraten.*, *Capellaniæ*, 18 *aug.* 1764, *dub.* 1.

39. Capellania erecta in oppido S. Marcelli fundata in ecclesia parochiali a Felicia Mazzoni, quæ a S. C. fuit declarata ecclesiastica, debet subjacere ad onera *di terzarie, galere, e spogli*, uti ecclesiastica: *Æsina, Capellaniæ*, 18 *maii* 1765, *dub.* 2.

40. Capellanus Andreas Rota, qui gaudet duabus capellaniis fundationis Card. Dominici Thusci, qui præter Missas alia onera capellanis imperavit; modo spectata redituum imminutione postulat, quæ implere debeat onera? et S. C. juxta votum Episcopi [333] respondit: *Regien.*,3 *aug.* 1765, *dub.* 3.

41. Possessori capellaniæ erectæ a Philippo Garzia de Mennaca in ecclesia monialium S. Torquati, ad rogatum monialium illarum, quæ nonnulla onera injungere capellano, perspecta monasterii indigentia, desiderabant, annuit S. C. juxta modum [334] rejectis aliis oneribus. Nam testator prædilexit monasterium, in ejus ecclesia capellaniam fundavit, et in ea tumulari voluit, priorissam in jurepatronatus substituit, domum monasterio proximam capellano assignavit: *Toletana*, 20 *sept.* 1766.

42. Capellani pro tempore fundationis Sernutii Ciccolini peractæ in ecclesia collegiata SS. Faustini, et Jovitæ alligantur a præsentia chori in divinis officiis, quod onus descendit ex clara testatoris littera: *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 3.

43. Capellania amovibilis sub invocatione divi Antonii erecta in ecclesia S. Patritii prope mœnia terræ campi Feudoni quæ ex dispositione sacerdotalem, ac jurisdictioni, ac visitationi Archiepiscopi esse subjectam, ac habere certum Missarum onus evincitur, legi præstationis mediæ annatæ in favorem ecclesiæ cathedralis non subjicitur: *Firmana*, 19 *sept.* 1767.

44. Demandaverat canonicus Jacobus Franciscus Pomeranus erectionem collegiatæ ecclesiæ parochialis S. Mariæ ab Ulmo; sed nunquam fuit erecta, et capellani a diuturno jam tempore addicti in præsenti fuerunt ecclesiæ cathedrali, quotidianum in ea cum ceteris de capitulo præstantes servitium. Hi nihil de distributionibus participantes supplicant pro reductione servitii chori ad dies festos tantum. Et S. C. firmari status voluit, definitionem protelando: *Alexandrina*, 21 *novem.* 1767.

45. Capellani cathedralis ecclesiæ grave nimis asserentes ob nimiam redituum tenuitatem onus assidui et quotidiani servitii chori, exorant pro ejus reductione ad dies tantum festos. Nam reditus annuus est in quantitate scut. 233, 93, hisque subductis oneribus, expensisque in scut, 87, 146, 80, superest scut. 87, 13, quæ summa in 6 capellanos divisa, unicuique scut. annua 14, 52 obvenit, tun ratione præbendæ, tum quotidianarum distributionum; hinc S. C. esse concedendam reductionem servitii chori juxta votum Episcopi [335] resolvit: *Alexandrina*, *Servitii Chori*, 30 *julii* 1768.

46. Erecta capellania chorali ex mandato Marci

scripti hujus S. C. lati *die* 1 *decem. anni* 1725. *Ead. causa*, 29 *novem.* 1788, § 2.

[333] Qui ait: « Reformationem vero crederem peragi posse hoc pacto, faciendo, videlicet novum exactum computum redituum antiquorum, et etiam illorum, quos non accidentaliter, sed ex propria industria, et labore nuper auxit orator in eum finem, ut Missæ quoque augerentur. Facto hoc computo putarem pro casibus fortuitis, et manutentionibus, honestam fieri posse redituum diminutionem in decima parte, ne locus amplius esset posterum novæ reductioni petendæ. Peracta hac diminutione, sentirem reditus omnes implicandos esse in celebratione ad altare capellæ, et applicatione tot Missarum ad normam taxæ Benedictinæ pro Missis perpetuis juxta obtentum, et exequutum gratiosum rescriptum, cum ita sufficienter aliquo modo provisum videatur congruæ conservationi, et manutentioni capellanorum volitæ in fundatione. Quoad vero reliqua onera omnia, ex quo orator non repugnat aliquid annuatim impendere pro ipsis in pristinum restituendis, ut deinceps successores sui æqualiter teneantur, judicarem reformationem ipsorum fieri posse hoc pacto, videlicet ut deinceps capellani teneantur ad semel in mense pro quolibet recitandas litanias B. M. V. post Missam celebratam, vel privatæ, vel publice; secundo, ut de proprio teneantur aliquid solvere sacrario cathedralis, utcumque satis provisæ, pro cera in dictarum Missarum celebratione necessaria, quamvis mihi non constet, quod unquam pro hac cera aliquid solutum, vel postulatum fuerit pro præterito; tertio denique, ut si forte in futurum contingeret mors alicujus personæ, quæ se probaret de familia fundatoris (incertum quippe est, an aliquis de tali familia supersit), teneantur capellani ejus exequiis, et anniversariis interesse, necnon pro unaquaque triginta Missas continuas applicare ex numero earum, quæ in reformatione reductionis taxatæ fuissent: *Ead. causa*, 13 *julii* 1765, § 10.

[334] Et modus est injungendi onus futuris capellanis celebrandi Missam hora a priorissa designanda, et administrandi sacramentum Eucharistiæ monialibus: *Ead. causa*, 20 *decem.* 1766.

[335] Indulgendum censet Episcopus oratorum precibus eo potissimum, quod tenuitas emolumenti residentiæ quo-

Antonii Gervellieri in ecclesia cathedrali, illa collata fuit clerico Henrico Viti, qui onera explere, et constitutiones ecclesiæ observare promisit. At inde nimis grave visum fuit ei onus quotidiani servitii chori, ac impares reditus; ideo ille supplicat pro reductione ad dies festos, sed incassum. Nam testator nullo expresso servitio instar aliarum erectionem præceperat : *Perusina, Capellaniæ choralis*, 10 *febr*. 1770.

47. Non capellanos ecclesiæ ruralis SS. Felicis, et Adaucti, sed ejus rectorem oleum pro lampade ante augustissimum Eucharistiæ sacramentum ardente, subministrare teneri S. C. statuit : *Firmana*, 8 *aug*. 1772, *dub*. 3.

48. Eosdem pro tempore capellanos sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ intra ecclesiam in casu tantum necessitatis eadem præbere teneri, obstringique decisum est : *Ibid*., *dub*. 5.

49. Quæsitum etiam est, an capellani præfati tenerentur exponere in eorum ecclesia Santissimum Sacramentum singulis diebus dominicis, et festis, et cum eo benedicere populo, quoties habitatores vici prope ecclesiam extructi expensas in id necessarias subirent? et responsum : Dilata, coadjuventur probationes, et scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem : *Ibid*., *dub*. 6.

50. Posteaquam clericus Carolus Carderi nominatus fuerat a sodalibus S. Mariæ Angelorum Lepriniani ad capellaniam a Joanne Angelo Carderi fundatam, qui qualitatem sacerdotalem requisivit; dubium exortum S. C. diluit, sanciens nominatum capellanum ad suscipiendos ordines sacros cogendum esse : *Nullius Lepriniani, Capellaniæ*, 17 *julii* 1775, confirmata 7 *aug. ejusd. anni*.

51. Non ad capellanos, qui ex reditibus fundationum vix congruum alimentum percipiunt, sed ad patronos capellæ S. Nicolai de Bario, et S. Antonii abbatis in ecclesia collegiata S. Mariæ Majoris sitæ instauratio spectat : *Alatrina, Reædificationis capellæ*, 29 *julii* 1775, *dub*. 1.

52. Quum Julius Fadulfius hæres Cleriæ Sersanti Fadulfi alienaverit prædium dotale capellaniæ a Cleria fundatæ, et alterum subrogaverit; impares modo fructus subrogati prædii oneribus subeundis comperiit; hinc postulat, ut capellanus immunis fieret a traditione frumenti, olei, ac musti a testatrice in favorem Cappuccinorum præscripta, et ubicumque pro suo arbitrio sacra ageret, quot annui prædii reditus sunt, detractis utensilium expensis, aliisque pro ejusdem prædii cultura necessariis. Propter hujus preces S. C. Episcopo juxta instructionem [336] scribendum credidit : *Interamnen*., 19 *apr*. 1777. Deinde commutationem voluntis juxta votum Episcopi [337] celebratis per capellanum Missis in capellis S. Antonii Patavini erectis in ecclesia Min. conventualium S. Francisci juxta reditus prædii Podemontis ad rationem eleemosynæ manualis, detractis utensilibus, docto quolibet anno de implemento coram Episcopo, indulsit : 19 *julii ejusd. anni*.

53. Petente Antonio Maria Manfredi patrono capellaniæ institutæ ab Antonio Sibilla seniore, et auctæ ab Antonio Sibilla juniore, onerum reductionem, ac Missarum eleemosynæ taxam a testatoribus non prædefinitam, quamvis pro secunda capellania declarata a sacerdote Petro Paulo Manfredi hærede fiduciario dicti Antonii junioris statuta fuisset in obolis 12 januæ pro qualibet, id est minori unius julii; necnon exponente redituum diminutionem ex jurata peritorum fide, S. C. respondit, firmo remanente integro onere tum quinque annuarum Missarum ad altare S. Bernardi celebrandarum, tum trium Missarum qualibet hebdomada in altaribus ab Antonio seniori destinatis cum eleemosyna ad rationem perpetuæ celebrationis; reliquæ Missæ ab Antonio juniore præscriptæ reducantur ad rationem manualis, juxta quantitatem redituum quotannis distincte percipiendorum; sublato onere capellano inserviendi expositioni Sanctissimi Sacramenti, et quoad legatum Missarum relictum a Petro Paulo Manfredi super ejus prædio *in Castelletto* celebrentur tot Missæ, quot ex annuo reditu celebrari poterunt ad rationem manualis : *Albinganen*., 22 *dec*. 1778.

54. Denegata a S. C. demolitione capellæ nuncupatæ Corpus Christi prope locum Albiniani in comitatu Venayssino, cujus loci est baro Alemannus de Passis, qui eam ædificavit, necnon translatione onerum; rectori ejusdem capellæ non est indulgenda reductio, ac commutatio onerum, quibus ex fundatione ille fuit gravatus : *Arausicana*, 17 *junii* 1780, *dub*. 3.

55. Capellanos non adimplevisse onera constare

tidianæ oneri respondere non videatur, et propter hanc tenuitatem, residentiam ipsam negligi haud raro periculum sit : *Ead. causa*, 9 *julii* 1765, § 7.

[336] Ut scilicet referret, an fructus subrogati prædii Piedelmonte sufficiant necne pro omnium implemento, ut jure decerni possit, vel exequutio mentis testatoris, quatenus reditus pares sint, vel ejusdem mentis commutatio quatenus impares habeantur; utque certiorem redderet hanc S. C. de annuis reditibus dicti prædii eorum facto calculo per decennium, vel per peritos anno computato sterili cum fertili, et an dimidium rubri frumenti, computato similiter anno fertili cum sterili emi possit ad rationem juliorum duodecim pro qualibet quarta, necnon musti pretium sit computandum ad rationem juliorum noveni pro qualibet salma, ac demum qua in ecclesia tumulatum fierit cadaver testatricis : *Ead. causa*, 19 *julii* 1777.

[337] Quo aperuit suum votum ad concessionem gratiæ proclive : *Ead. causa*, 19 *julii* 1777.

S. C. respondit. Nam Felix Bartolucci in sua dispositione Missas, officia divina in capella S. Sebastiani ecclesiæ collegiatæ terræ Matterillæ præcepit, sicut missariis ejusdem terræ videbitur; capellanos vero legitur in visitationibus onus catechismi, Missæ sub auroram persolvisse. Item Perna Roncetti Missas tres quolibet die lunæ cujuslibet mensis una cum Missa cum cantu celebrare fuit servatum. Insuper etiam S. C. decrevit quoad futurum, legatum Bartolucci esse complendum cum celebratione unius Missæ singulis diebus dominicis, et festis; et legatum Pernæ Roncetti esse absolvendum cum celebratione trium Missarum lectarum, et una cum cantu prima die lunæ cujuslibet mensis : *Nullius Ferentilli*, *Visitationis sacrorum Liminum*, 28 *april*. 1781, *dub*. 1 et 2.

56. Capellania, quam fundavit Sanctes Liegi in oppido castri Plani gravatur onere Missarum cum eleemosyna ob. 12 juxta reditus, Missæ inter illas cujusdam hebdomadæ computari debent; insuper onere interventus vesperis, et Missis solemnibus, ac aliis quibuscumque parochialibus functionibus. Modo petitur reductio Missarum ad taxam conciliarem, et exemptio a celebratione Missæ solemnis iis diebus, quibus parochus loci solemniter sacris operatur, aliorumque onerum moderatio. Verum S. C. non favit Missarum reductioni, et reliqua arbitrio Episcopi remisit : *Æsina*, 26 *novem*. 1785.

57. Licet capellaniæ octo fundatæ in monasterio monialium S. Augustini ratione diminutionis redituum, ac onerum earumdem reductæ ac septem fuerint; moniales modo instant pro ulteriori reductione, annonæ caritatem, redituum tenuitatem, necnon inveniendi capellanos difficultatem allegantes. Annuit gratiæ S. C. juxta votum Archiepiscopi [338]; ita tamen, ut Missæ ex reditibus uniendis, et respective ex delendis oneribus celebrandæ applicentur pro particularibus benefactoribus, quoad fieri separatim poterit, sin minus collective : *Januen.*, *Reduct. Miss.*, 17 *junii* 1786.

58. Ob diminutos capellaniarum reditus obsecrata fuit S. C. a collegiatæ ecclesiæ capellanis pro onerum reductione, et commutatione anniversariorum ad Missas lectas; ita tamen ut idoneum capellaniæ prædictæ præstare possent titulum pro sacra ordinatione; et S. C. eos audivit juxta votum Card. relatoris : *Leodien*, 24 *martii* 1787.

59. Ex annuis Mediolanensibus libr. 300 seu scut. 50 monetæ romanæ capellaniam instituit Antonius Robbio in parochiali ecclesia oppidi Salarum cum onere quotidiani sacri, et choralis residentiæ in divinis. Aucta in ea regione ad ob. 16 cum dimidio manuali eleemosyna, S. C. precati sunt patroni pro reductione onerum; et illa servitium chori deleri statuit, et ad rationem manualis Missas celebrari voluit : *Derthonen.*, *Reductionis onerum*, 19 *maii* 1787.

60. Statim ac S. C. declaraverat capellaniam fundatam a pio testatore de Leonoris in oratorio societatis S. Francisci disciplinantium oppidi Marsciani esse quoad consanguineos ipsius testatoris habitu sacerdotalem, præfigi clerico Josepho Sestio fundatoris consanguineo terminum unius anni ad assumendum sacerdotium voluit: *Perusina*, 19 *januar*. 1788, *dub*. 2.

61. Ad possessorem capellaniæ fundatæ a sacerdote Joanne Femi cum onere Missarum, adjuvandi parochum, ac pueros erudiendi communitas castri pascuorum partem ratam *del Castelluccio* in augmentum capellaniæ redituum cessit. At ad solvendum debitum collectarum cameralium, quarum impositione possidentes *del Castelluccio* gravati fuerant, capellanus Buccetti suam ratam partem animo tamen repetendi pependit, ac inde exoravit S. C. pro restitutione indebiti, eoque defuncto instantiam prosequuti sunt illius hæredes, ac hodiernus capellanus. S. C. fuit animo spectare onus exsolvendi collectam ad universitatem Fematris: *Spoletana*, 27 *febr*. 1790, *dub*. 1.

62. Anno 1504 sacerdos Dominicus de Ochis capellaniam cum onere sacri quotidiani, et diurni, nocturnique servitii ecclesiæ cathedralis instituit. At in visitatione anni 1589, causa redituum diminutionis, Missæ ad tres hebdomadales reductæ fuerunt. Modo capellaniam Ferdinandus Chiabrera possidet, qui postulat, an, et quomodo impleri debeant onera ejusdem? affirmative juxta votum Episcopi [339] S. C. respondit: *Aquen.*, *Reduct. oner.*, 19 *febr*. 1791.

63. Capellano fundationis mulierum de Ceccarellis in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli oppidi Vici peractæ causa tenuitatis redituum, ac gravitatis onerum, præsertim ludimagistri exercendi in dicto oppido, in quo alter cum stipendio communitatis illo munere fungitur, S. C. reduxit

[338] Qui sequentem proponit reductionis modum : Narratum est supra, ut, cum capellaniæ ab octo ad septem reductæ fuissent, jussum fuerit, ut superextantes reditus in eleemosynam tot Missarum lectarum implicarentur. Harum vice proponit augmentum dotis septem capellaniarum ad scut. 48, dimidio circiter comprehensis sacris utensilibus, factaque hac additione superfuturas adhuc animadvertit lib. 21, 12, 3, ex illis, quæ fuissent in Missas lectas, de quibus supra erogandæ : *Ead. causa*, 17 *junii* 1786, § 4.

[339] Qui ait : « Decernendam observantiam celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada, feria scilicet secunda quarta, et sabbato, sicuti ab initio observatum vidimus... et injungendum capellano interessentiam divinis officiis in cathedrali celebrandis diebus festis de præcepto. » *Ead. causa*, 29 *januar*. 1791, § 4.

onera juxta votum Episcopi [340] : *Alatrina* , *Reductionis onerum,* 27 *aug.* 1791.

64. Quoad capellaniam fundatam ab Anzelino Tabozzi in collegiata ecclesia S. Juliani oppidi Guardiani, prædiorum medietas absque capellanorum culpa antiquitus deperdita fuit, ideo reductæ Missæ quatuor hebdomadales ad 108 annuas. Sed satis non fuit hujusmodi reductio capellano Joanni Ambrosio Lazzarini canonico curato, qui exemptionem a chorali servitio, et aliam Missarum reductionem implorat. Verum a prima reductione reditus minime imminuti fuerunt, et onera expleta ; ideo S. C. hujusmodi preces rejecit : *Novarien.* , *Reductionis oner.*, 17 *sept.* 1791.

65. Capellanis ecclesiæ cathedralis, qui ex ecclesiæ statuto, et sexcentenaria observantia nullis gaudebant vacationibus, et continuum præstabant chori servitium, conceduntur a S. C. vacationes per duos menses, amissa tamen tertia distributionum parte, in quibus eorum reditus potissimum consistunt: *Illerden.*, *Absentiæ et distribut.*, 3 *martii* 1792, *dub.* 2.

66. Petrus Angelus Mattioli laicalem capellaniam instituens cum Missarum onere simpliciter capellanum confessiones fidelium excipiendas hortatus est; ideoque S. C. consulta, an ei hoc onus incumbat? et utique incumbere respondit: *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 20 *april.* 1793, *dub.* 1.

67. Jussu Francisci Malacalza capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in domo sua, in eaque recipiendi patres ordinum S. Francisci de Assisis, et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum, neglectamque prædiorum culturam invenit ; ideo exorat pro temporali Missarum suspensione, ac a residentia, hospitioque dispensatione, ut domus, ac prædia reparentur. Annuit S. C. in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet mense, et docto coram Episcopo de erogatione superextantium redituum in causam expressam : *Lunen. Sarzanen.*, 19 *januar.* 1793.

68. Vix dum electus fuit Bernardinus Narduccius in capellanum fundationis Agnetis de Paulis, quæ Missam quotidianam, et adjumentum parochi in oppido Cæsani mandaverat, causa redituum ejusdem capellaniæ diminutionis supplicavit, ut liberaretur ab onere adjuvandi parochum, sed non fuit auditus; renovat modo preces, et annuum stipendium scut. 48 pro utroque onere, infelicemque residentiæ locum ostendit, et iterum non esse locum reductioni onerum declaravit : *Portuen.*, *Reductionis onerum,* 18 *april.* 1795.

69. Clericus Paulus Bondi nominatus ad capellaniam fundationis Alexandri Ziani tenetur sacramentum Pœnitentiæ, nisi legitime impeditus sit, administrare ; hoc enim onus per contractum suscepit, licet fundator loquutus fuerit, *perche questi abbia l'autorita di confessare* , inde, *ed avendo detti capellani la confessione, debbano confessare, ma a loro arbitrio : Sutrina*, *Capellaniæ*, 18 *april.* 1795, *dub.* 6.

70. Duas Cæsareus sen. Calvi fundavit capellanias in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi, earumque onera ob mutata in pejus prædia censibus subrogata reducta ab Episcopo *ad annuas Missas* 141 *vel* 112 *ex missis* 7 *hebdomadalibus in fundatione demandatis* fuerunt ; licet id non ex fundatione, quæ deficit, sed ex commentariis familiæ Calvi constat ; dein capellani nominatio postmissa fuit, ac celebratio in Missis 50 confecta. Episcopus vero ambigit, in quo numero sint Missæ celebrandæ? in numero 141 S. C. firmavit ; etsi Episcopus inopiam patroni ostenderet, ac annuam Missarum 50 celebrationem perpetuam ad meliora bona cum residuo fructu reddenda capellaniæ proponeret : *Spoletana*, *Reduct. Miss.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 1.

§ V.

Capellanus quoad onera Missarum in genere.

1. In casu quo capellanus, qui erat obligatus ad celebrandum per seipsum ; et omiserat propter infirmitatem celebrationem 46 Missarum , proposito dubio : An capellanus devinctus quotidie celebrandi per seipsum, potuerit omittere celebrationem pro tempore infirmitatis, et nihilominus eleemosynam prætermissæ celebrationis consequi ? responsum exiit negativum, et teneri supplere per alium celebrationem Missarum occasione infirmitatis omissam : *Romana*, *Celeb. Miss.*, 4 *junii* 1689.

2. Hisce dubiis : An competat capellano intra hebdomadam aliqua quies honestatis, et reverentiæ causa?

3. An multa solidorum decem debeat esse pro pœna, vel pro mercede Missæ non celebratæ?

4. An tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? ad primum, in casu de quo agitur, negativum, nisi suppleat per alium. Ad secundum, cedere loco pœnæ. Ad tertium, nega-

[340] Qui censuit : « Firma remanente obligatione celebrationis trium Missarum in qualibet hebdomada, posse esse locum reductioni oneris ludimagistri ob imminutione m redituum, qui vere impares sunt pro utroque onere ferendo ultra expensas annuatim occurrentes pro manutentione dictæ capellæ, sacrarum supellectilium cathedratici et collectarum cameralium : *Ead. causa.* 27 *aug.* 1791, § 3.

tivum in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies emanavit a S. C. responsum : *Dubium*, *Celeb. Miss.*, 17 *sept.* 1695, *dub.* 1, 2 et 3.

5. Fundatio capellaniæ institutæ in ecclesia paparochiali oppidi Pizzoni nominavit capellanos patres S. Dominici pro celebratione Missarum, etiamsi parochus, et sacerdotes dicti oppidi non licere vigore legati regularibus celebrare in ecclesia seculari inspecto synodali decreto contenderent. Hac de causa orta controversia S. C. definiit in favorem patrum, quibus onus injunctum fuit celebrationis in ecclesia parochiali, quod explere cœperunt; sed iterum parocho refragante, et illam capellaniam esse beneficium seculare, de quo incapaces sunt regulares confirmante, S. C. consilium non mutavit : *Mileten.*, *Capellaniæ*, 1 *dec.* 1696.

6 Ex genere capellaniarum, quæ in ecclesia cathedrali reperiuntur fundatæ, et quarum onera sunt confusa, vel non expressa, aut nullam habent fundationem, capitulum prætendit teneri possessores quotidie ad celebrationem Missarum alternatim per hebdomadas. At capellanis renuentibus quoddam decretum synodale exhibentibus ; S. C. remisit ad Card. Episcopum, qui auditis interesse habentibus provideat prout de jure : *Ferrarien.*, *Capellaniarum*, 7 *julii* 1703.

7. Rector pro tempore capellaniæ erectæ in ecclesia cathedrali institutæ a Joanne Simeone sub verbis *pro amore Dei, et pro remedio animæ suæ.. etc.*,inde, *et Missam singulo mane celebrare curabit, etc.*, tenetur quotidie in altari designato celebrare : *Lucana*, *Celeb. Missarum*, 18 *febr.* 1702, *dub.* 1.

8. Ex duabus capellaniis fundatis a Dominico Oradino reductione ad unicam tantum ob redituum hæreditatis, quæ onere scut. 30 pro quolibet capellano gravabatur, tenuitatem obtenta ; eadem S. C. quoad onera Missarum capellanum teneri ad formam testamenti mandavit [341] : *Perusina*, *Capellaniarum*, 27 *martii* 1706, *dub.* 3.

9. Quum Cosma Toraltus capellaniam amovibilem cum onere tot Missarum, quot reditus caperent, instituisset, requisitum fuit a S. C. an, et quot Missæ celebrari debeant? prodiit rescriptum ; ex singulis ducatis 12, annui reditus celebrandam esse unam Missam in qualibet hebdomada : *Tropien.*, *Capellaniæ*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 6.

10. Diversimode leguntur onera capellaniæ a Nicolao Sylvio canonico ecclesiæ cathedralis civitatis Castrensis institutæ.In erectione onus trium Missarum hebdomadalium ; in tabella in Missis 70, quotannis. Provisus Archangelus Spagna hujus fundationis onus juxta tabellæ præscriptum implevit, et commissarius rev. fabricæ S. Petri pro sacrificiis prætermissis pulsavit ; ob id consulta S. C. rescribere censuit pro informatione novo Episcopo juxta instructionem [342], præfixo termino oratori duorum mensium, quo elapso ad celebrationem juxta fundationem teneri : *Aquipendii*, *Missarum*, 2 *maii* 1711.

11. Matthæus Carabellus in ecclesia monialium S. Silvestri de Capite Urbis capellaniam ordinavit. Filii tantum idem reliquit arbitrio Missarum celebrationem, quam patronorum hæres capellani voluntati remisit : hinc celebratæ tot Missæ fuerunt, quot capellanis eisdem placuerunt. Quum autem in visitatione anni 1707, præscriptum Missæ quotidianæ onus legitur, fabrica S. Petri urgente Michaelem Angelum Olivetanum modernum possessorem, S. C. occasionem habuit decidendi capellanum tam ante, quam post declarationem patronorum ad Missam quotidianam teneri : *Romana*, *Celebrationis Missarum*, 5 *sept.* 1711, *dub.* 1.

12. Nec potest excusari dictus capellanus a die captæ possessionis bonorum : *Ibid.*, *dub.* 2. Deinde etiamsi inventa, ac exhibita fuerit declaratio de Cæsaris Carabelli filii prædicti testatoris, in qua ille onus 4 Missarum hebdomadalium imposuit, S. C. tamen stetit in decisis : 9 *april.* 1712.

13. Prætendente Augustino Sebastiano rectore beneficii S. Francisci terræ Aquævivæ, quod tam ipse, quam ejus prædecessor per lapsum 37 annorum onera incumbentia cum celebratione sex Missarum in hebdomada explevissent, modernus tamen Episcopus ex documentis visitationum repertis ad celebrandas binas Missas singulis diebus illum coegit. Quamobrem capellanus S. C. auxilium imploravit, tum quoad declarationem, tum quoad reductionem oneris Missarum, et absolutionem quoad præteritum. Hæc distulit resolutionem, ut fiant di-

[341] Quo præcipitur, ut in eventum, in quo hæres conditionem suam deteriorem fecisset, dictum hæredem non teneri eligere, nisi unum capellanum, cum supradictis oneribus, et conditionibus : *Ead. causa*, 27 *martii* 1706.

[342] Inspectis libris, in quibus adnotatur satisfactio onerum Missarum in ecclesia, de qua agitur, libris visitationum ejusdem beneficii, et in bullis collationum tam præsentis beneficiati, quam antecessorum, distincte referat, quale onus Missarum sit expressum, habere idem beneficium, ac quot Missæ celebratæ fuerint a beneficiatis antecessoribus, ac ulterius transmittat prætensa decreta facta a prædecessoribus, quæ cogebant beneficiatum ad adimplementum onerum juxta fundationem, ut supponit vicarius in ejus relatione, ac demum ut orator quamprimum de præmissis doceat, eidem terminum duorum mensium præfigat, alias eo elapso illum cogat ad celebrandum juxta fundationem. *Regist. lit.* lib. 24, *die* 2 *maii* 1711.

ligentiæ juxta instructionem, ac interim servetur solitum celebrationis sex Missarum in hebdomada: *Ripana, Missarum*, 20 *febr*. 1712, *dub*. 1 et 2.

14. Quum in ecclesia parochiali S. Jacobi villæ Clauseti ad tramites instrumenti fundationis anni 1592 a Daniele Toncato peractæ erecta fuisset capellania sub titulo Sanctissimi Corporis Christi cum onere Missarum trium hebdomadalium; postea aliud fundationis instrumentum anni 1593 compertum est, quod onus Missæ quotidianæ indicat; ideo hodiernus possessor S. C. adiit, quæ servandam esse formam subsequentis fundationis anni 1593 sancivit: *Concordien., Capellaniæ*, 1 *april*. 1713, *dub*. 1.

15. Possessores capellaniarum, quas commissa erectione Episcopi arbitrio priores, et confratres ecclesiæ S. Mariæ de Vineis Planis oppidi Arpini fundarunt, conquesti sunt Episcopum in erectione earum excessisse, hinc a S. C. quæsierunt, an, et quale onus Missarum ab eis sit servandum? et respondetur, ut solitum servaretur: *Sorana, Capellaniarum*, 30 *sept*. 1713, *dub*. 1.

16. Quum possessor capellaniæ institutæ a Casimiro Bricca in ecclesia S. Silvestri villæ Falerinæ adjecto Missarum juxta reditus onere a S. C. postulasset pro declaratione, numquid tuto continuare in celebratione trium Missarum hebdomadalium possit, quemadmodum capellanus antecessor morem gessit; S. C. illum non posse in illa celebratione perseverare constituit: *Romana*, *seu Reatina, Capellaniæ*, 17 *martii* 1714, *dub*. 1.

17. At tot Missas juxta redituum quantitatem celebrandas putavit: *Ibid*., *dub*. 2.

18. Dum incertum fuit, an beneficiatus capellaniæ sacerdotalis a Marchisio de Amo fundatæ ad celebrationem Missæ quotidianæ, et trium anniversariorum teneatur? S. C. responsum prodiit affirmativum. Nam licet ex fundatione, verborum contextu offerre sacrificium quotidianum colligatur, tamen possessores onus non impleverunt, imo ultimus status beneficii a Missarum quotidiana celebratione exemptus comperitur: *Mediolanen., Oneris Missarum*, 22 *junii* 1715, *dub*. 1.

19. Et ad dubium; An modernus capellanus ad satisfactionem Missarum pro tempore, quo possidet dictam capellaniam tenetur? respondit, quoad anniversaria affirmative, quoad Missas celebrandas esse in aliquo numero arbitrio Archiepiscopi: *Ibid*., *dub*. 2.

20. Sacerdos Ludovicus Ramazzottus ordinatus ad titulum capellaniæ de jure patronatus laicorum onus habentis Missæ quotidianæ, persolvere hoc onus tam pro præterito, ad rationem manualis a die compositionis, quam in futurum tenetur, et Episcopus prout de jure contra eumdem procedat: *Fanen., Patrimonii sacri, et Missarum*, 21 *aug*. 1717, *dub*. 2.

21. Quum Matthæus Franciscus Ciancius fructus capellaniæ institutionis Joannis Baptistæ Altoviti habitu sacerdotalis postulasset, etiamsi promotus haud sit ad sacerdotium ex defectu capellaniæ ejusdem redituum, qui pro sacro patrimonio minime sufficiunt, ac ei supplementum deficit; S. C. rescribens fructus ei deberi, etiam decrevit Missas a die, qua Ciancius constitutus sit in ætate, qua promoveri potuit ad sacerdotium, et in futurum juxta mentem testatoris celebrandas esse: *Romana, Capellaniæ*, 10 *julii* 1717, confirmata 27 *novem*. *ejusd. anni*.

22. Possessor capellaniæ fundatæ ab Angela Sandri tenetur ad celebrationem, et applicationem pro fundatrice duorum anniversariorum, et Missarum ad formam decreti Archiepiscopi Martii Medices [543]. Nam fundatrix officiatura capellæ, seu altaris a se designati illum oneravit, addendo pro ejus anima, sicut reliqui capellani in aliis altaribus sacra faciebant, ideoque non tot choros supponebat, quot sunt capellani, et verbum *officiare* pro celebrando usurpavit, quod fundatio inventa exibet: *Florentina, Abolitionis oneris*, 11 *decem*. 1717.

23. Inita consultatione, quot Missæ sint celebrandæ quoad capellaniam ab Alexandro Fani fundatam, de qua fundatio minime reperitur, sed in instrumento primæ collationis onus enunciatur, testatorem in scutis annuis 40 cum onere Missas celebrandi illam dotasse. S. C. servari decretum Card. Sacchetti [544] respondit: *Viterbien.*, 20 *sept*. 1727, *dub*. 3.

24. Antonia de Robertis, et Theresia de Conciliis cum quibusdam Missarum oneribus legata nonnulla reliquit. Ex his in capella tituli S. Nicolai oppidi Angriæ beneficium erectum fuit. Hujus rector, seu capellanus Missæ unius hebdomadalis onus, prout ex visitationibus eruitur, statutum non explevit. Mandavit proinde Episcopus beneficii fructus sequestro subjici, donec de satisfactione constaret. Implere in parte curavit capellanus, sed nullatenus se teneri existimans, quæsivit, an, et ad quem numerum celebrare Missas teneretur?

25. Et an præter peculiaria legata de Robertis, et de Conciliis teneatur etiam celebrare Missam unam singulis hebdomadis, seu diebus dominicis, vel tantummodo in festivitate S. Nicolai? ad hæc

[534] Vide not. 323.

[544] Tunc Episcopi Viterbiensis, qui de mandato S. C. taxavit numerum Missarum ad unam Missam pro qualibet hebdomada: *Ead. causa*, 20 *sept*. 1727, § 2.

postulata S. C. teneri ad unam Missam qualibet hebdomada die ad arbitrium rectoris respondit : *Nucerina Paganorum*, *Oneris Missarum*, 19 *nov.* 1729, *dub.* 1 et 2.

26. Petrus Fabrega fundavit capellaniam in ecclesia collegiata S. Felicis, ut unum Missæ sacrificium celebraretur a dignitatibus, et canonicis dictæ ecclesiæ ad altare B. M. V., constituta certa hora, et reservato jure nominandi capellanum. Inde condito testamento ad nominationem in favorem canonici Francisci Fabrega pronepotis processit, nulla facta mentione de ecclesia, et altari pro celebratione, sed tantum, ut celebret Missam prædictam quotidianam ; inde exploratum fuit : An onus celebrandi Missam quotidianam certis horis, et in ecclesia, ac altari a fundatore designatis in testamento, dictum canonicum Fabregam afficiat? affirmativum præbuit S. C. responsum : *Gerunden* , *Celebrat. Missar.*, 3 *april.* 1734, *dub.* 2.

27. Quatuor capellani Jacobi Landulphi fundationis in ecclesia receptitia Sanctissimi Corpis Christi civitatis Magdalunæ Missa quotidiana gravati instar aliorum capellanorum non possunt vacare a celebratione unius Missæ in singulis hebdomadis ; etiamsi testator suum studium in illos manifeste ostenderit, quum ab onere interveniendi choro immunes renunciaverit. Sed addidit S. C. quoad celebrationem juxta mentem fundatoris videatur particulariter : *Casertana*, *Capellaniarum*, 14 *decem.* 1737, confirmata 21 *april.* 1742.

28. Nec iidem quatuor capellani impediti ex causa adversæ valetudinis tenentur supplere per alium in Missis celebrandis, ac in canendis horis canonicis; quod chori onus iidem capellani inde acceptarunt, uti veteres capellani : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

29. Capellano permittenda non est pro capellania fundata a Balthazare Caravaggio erecta in ecclesia parochiali S. Jacobi Laudæ, celebratio Missæ in alia ecclesia ad ipsius fundatoris arbitrium. Nam licet idem fundator peracta , absolutaque erectione ipsius capellaniæ postulasset, ut capellanus in ecclesiis, quæ suis,suisque uxoris, et nepti commodiores essent, Missam posset celebrare, hanc facultatem ab Episcopo per duos menses cujuslibet anni obtinuit; inde occubuit, precesque ejus nepta instauravit. At fundator ecclesiæ cultum respexisse videtur : *Lauden.*, *Capellaniæ*, 23 *aug.* 1738, *dub.* 1.

30. Missarum celebrationem ordinavit Joannes Pasqua cononicus basilicæ SS. Laurentii , et Damasi, quæ peragi in eadem ecclesia a capellanis ejusdem basilicæ choralibus , eisque in casu quo illi deficiunt, vel non sunt idonei, beneficiatos, clericos beneficiatos , et capellanos valtrinos substituit. De hoc S. C. requisita decidit Missas præfatas esse in casu enunciato a beneficiatis, cleris beneficiatis, et a capellanis valtrinis celebrandas : *Romana*, *Legati*, 8 *febr.* 1744, *dub.* 1 , confirmata 22 *januar.* 1746.

31. Ac capellanos prædictos chorales in casu absentiæ, vel alterius legitimi impedimenti non possunt Missas celebrare per alios, sed potius Missæ celebrandæ per beneficiatos, clericos beneficiatos, et capellanos valtrinos : *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Capellaniæ ecclesiasticæ sub ea lege per pios testatores ordinatæ, ut ad eas primo admittantur clerici seculares ad titulum earum ad sacros ordines promovendi, ac deinde succedant regulares, sic ad eosdem regulares transire debeant, ut capellanis primo nominatis decedentibus, vel alia quacumque causa capellanias hujusmodi non consequentibus, possunt per seipsos, non autem per sacerdotes seculares ab eis præsentandos, et a locorum Ordinariis instituendos, Missas celebrare, aliaque onera implere, administrare illarum bona, omnesque fructus percipere : *Mexicana*, *Erectionis capellaniarum*, 25 *januar.* 1749, *dub.* 1.

33. Sacerdos Cajetanus Lavianus rector capellaniæ erectæ ad altare S. Donati in ecclesia parochiali S. Mariæ Petræ Paganæ cum onere Missarum centum annuatim explendo petit declarari liberum an sibi sit, ut eas ubique celebret? in capella, et altari S. Donati celebrationem faciendam esse S. C. censuit. Nam in favorem ejusdem capellæ legatum datum fuerat, ut in ea celebrari sacrificia debeant, quia testator fuit unus ex sacelli fundatoribus : *Compsana*, 9 *aug.* 1766.

34. Glottus Raynierius canonicus Perusinus possidens capellaniam ex legato Laviniæ Muschiæ in ecclesia monachorum S. Bernardi erectam supplicavit pro facultate celebrandi in ecclesia cathedrali et obtinuit a Curtio patre patrono consensum ; sed ei contradixit procurator generalis ordinis, tum ne ecclesia quotidiano sacro privaretur, tum ne emolumentum amitteret ex omissionibus capellani obventurum ; hac de re S. C. canonici , patronique voto haudquaquam favit : *Perusina*, *Oneris Missarum*, 29 *novem.* 1766.

35. Heraclitus Morronius quotidianum sacrum ordinavit in ecclesia collegiata S. Nazarii Mediolani peragendum, ac capellanum nominavit. Stipendium eidem a capitulo ecclesiæ cathedralis hærede præstandum præcepit, quod auctum inde fuit a sacerdote Joanne Corbella, qui in choralem capellaniam cum onere residentiæ fundationem erexit. Hodiernus capellanus Joan. Baptista Cambosa per 40 fere annos servitium chori præstavit, sed apoplexia correptus, ac paupertate laborans cupit, ut pro tempore infirmitatis facultas ei sit ultra decem dies

celebrationem oneris Missarum omittendi. S. C. resolutionem distulit, et interim mortuo capellano capitulo cathedralis instante negativum datum fuit responsum : *Mediolonen. seu Lauden.*, 23 *aug.* 1760.

36. Capellanus fundationis confectæ a Sernutio Ciccolini in ecclesia collegiata SS. Faustini, et Jovitæ ad celebrationem Missæ quotidianæ tenetur. Quum testator competentem assignaverit mercedem capellano, et quotidianum sacrum usque ad annum 1709, in quo Card. Episcopus Sanctæ Crucis propria auctoritate onus reduxit, impletum fuerit : *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 2.

37. Capellania perpetua erecta fuit in ecclesia parochiali SS. Cosmæ, et Damiani oppidi Mornici a Joanne Thoma Bascape, qui in dispositione primum dixit capellanum obstrictum esse celebratione sub auroram singulis diebus, dein diebus feriatis pro majori populi commodo sub auroram. Hujus capellaniæ possessor tenetur singulis diebus etiam celebrare : *Placentina, Celebrationis Missæ*, 8 *junii* 1771.

38. Julianus de Rubeis capellanus fundationis Sanctissimæ Conceptionis in ecclesia veteri cathedrali S. Savini oppidi Ischiæ erectæ cum onere Missarum, tenetur dictum onus implere in ecclesia Aquipendii, quæ ecclesia cathedralis fuit declarata, et ubi translatum fuit capitulum ecclesiæ S. Savini. Nam idem capellanus, quum ortus in oppido Ischiæ habuisset, ac in ipsius territorio sita sunt bona capellaniæ facultatem celebrandi in parochiali ecclesia ipsius oppidi postulat : *Aquipendien.*, *Oneris Missarum*, 4 *april.* 1772.

39. Canonicus Lupi possessor capellaniæ fundatæ a Delia Cassia, et Lucretia Lupi ejus filia in ecclesia S. Laurentii oppidi S. Ægisti est adigendus ad celebrationem Missarum, quas omisit, pro scutis 36, quam summam in expensas tum ornati capellæ, tum sacrarum supellectilium impendit : *Nullius S. Ædisti, Capellaniæ*, 27 *junii* 1772, *dub.* 2.

40. Joseph Nicolinius ex oppido Gradariæ capellanus ad majus altare ecclesiæ societatis Sanctissimi Sacramenti, et Crucis civitatis Senogalliæ, et singulis dominicis, aliisque binis diebus infra hebdomadam ad Missam cum sacrificii applicatione celebrandam adstrictus, facultatem implorat celebrandi Missas quocumque in loco ipse reperiatur. Oppidum Gradariæ 40 milliariis a Senogalia distat, sacerdos inopia laborat, et parentibus ætate gravibus, duabusque sororibus auxilium in patria præstare compellitur. Diminuti sunt quoque capellaniæ reditus; et ille patronorum de Tamburrinis consensum habuit. Attamen S. C. voluntati testatoris Joannis Baptistæ Magi refragari noluit : *Senogallien.*, *Translationis Missarum*, 27 *novem.* 1773.

41. Alphonsus Gabriellis capellaniam instituens exequutoribus numerum sacrorum stabiliendi, ac inter sex nominatas ecclesias celebrationem dividendi potestatem detulit. Exequutores prædicti juxta redditum hæreditatis ad rationem ob. 20 pro eleemosyna detractis omnibus expensis pro exactione Missarum numerum statuerunt. Definiendum esse hunc numerum modo efflagitat capellanus, quin fructuum recollectio expectetur, antequam celebratio peragenda sit. Reditus ejusdem, expensis minutis, in annuis circiter scut. 81, 35 constant, quæ subjecta manutentioni domus ruralis sunt. S. C. censuit esse celebrandam a capellano Missam quotidianam, et in ecclesiis juxta modum ab exequutoribus definitum : *Maceraten.*, 2 *martii* 1776.

42. Quum quæreretur, quanam hora Missa, quam pietas Caroli Misericordi castri S. Venantii in diebus festis celebrandam, suis bonis ad hoc erecta capellania, mandavit, celebrari debere ab ejus rectore, populo, et Episcopo pro commoditate audiendæ Missæ postulantibus? eumdem oratorem pro hora ab Episcopo designanda teneri responsum fuit, et juxta instructionem scribendum : *Urbevetana*, 19 *april.* 1777.

43. Canonicus Joannes Barastrellius, qui est capellanus trium quarumdam institutionum monasterii S. Placidi nullum onus Missarum prædecessores implevisse asserit, qui ad orandum tantum pro anima fundatorum teneri putarunt. Nihil aliud ex fundatione, nisi testatores divinorum officiorum celebrationem demandasse evincitur, et unus testator celebraturo sacerdoti reliquit. Reditus harum fundationum sunt imminuti, et hæ ferme quatuor secula præseferant. Capellanus declarari onera pro eisdem legatis piis implenda postulat. S. C. capellanum Missas in altaribus a fundatoribus designatis juxta quantitatem redituum ad rationem taxæ perpetuæ cum applicatione pro anima respectivorum fundatorum teneri rescribit : *Messanen.*, 16 *maii* 1778.

44. Quoad capellaniam institutam a Joanne Baptista Boasi super domo pluribus obligationibus affecta, necnon et doti subjecta Catharinæ Passano, responsum fuit, providendum esse juxta votum Archiepiscopi [348] applicatis Missis pro Joanne Baptista, et Laura : *Januen.*, *Reduct. et translat. Missar.*, 16 *dec.* 1786, *dub.* 1.

45. Quo vero ad aliam capellaniam institutam a

[348] Archiepiscopus censet, quoad secundam capellaniam, ut « oratrices teneantur capitale hujusmodi libr. duo mille caute collocare cum ejus monetali augmento, quo evehitur ad libras bis mille sexcentas triginta sex hujus

Laura Boasi super eadem pariter domo fundata simile responsum prodiit : *Ibid.*, *dub.* 2.

46. De capellaniis institutis a Card. Cosma imperiali in ecclesia S. Joannis Baptistæ Januensis, cum onere personalis celebrationis, et in casu deficientiæ amissionis assignationis non constat, an, et quæ rata pars menstrui eorum assignationis sit statuenda in singulas Missas, et cui in casu omissionis per capellanos celebrationis adjudicandum, quod superest, detracta eleemosyna alterius sacerdotis celebrantis? rescriptum est affirmative in obolis 20 pro qualibet Missa retinendis in favorem ecclesiæ, detracta alterius sacerdotis celebrantis eleemosyna : *Romana*, *Capellaniarum*, 27 *junii* 1789, *dub.* 2.

47. Capellanus fundationis Angeli de Pennachis, cui onus imposuit fundator celebrandi sacrum in festis diebus de præcepto, et in aliis festivitatibus B. M. V., illud celebrare tenetur in festivitatibus etiam, quæ non sunt de præcepto : *Nullius Ferentilli*, *Visitationis sacr. Liminum*, 19 *februar.* 1791, *dub.* 1.

48. Et aliqua occurente festivitate B. M. V. diebus dominicis, aliisque festis de præcepto, non tenetur Missam alia die supplere : *Ibid.*, *dub.* 2.

49. Neque tenetur celebrare in aliis etiam festivitatibus B. M. V. ab ecclesia indictis post erectionem capellaniæ : *Ibid.*, *dub.* 3.

50. Capellaniam annui reditus scut. 40 vel 36, absque expresso celebrationis Missarum mentione, sacerdos Antonius Bitti Antonio Rozzi, ut sacerdotalem statum susciperet, reliquit. In reliquis vero bonis Missas designavit; ideo S. C. consulta statuit Missas esse celebrandas a capellano in numero præfiniendo arbitrio, et conscientia vicarii apostolici : *Recineten.*, *Capellan.*, 27 *aug.* 1791.

51. Missæ prescriptæ capellano a Jacobo Mancini cum eleemosyna obolorum 20 pro qualibet superextante reditu capellaniæ, annuis celebratis festivitatibus sex in rurali ejus ecclesia S. Francisci de Paula, in eadem pariter celebrandæ sunt ecclesia ex præsumpta testatoris voluntate : *Camerinen.*, 11 *maii* 1793, *dub.* 1.

52. Permittitur tamen illarum translatio ad ecclesiam ab Episcopo designandam ad formam indulti S. C. 11 martii 1786, firmo nempe remanente onere celebrandi diebus festis in dicta ecclesia S. Francisci de Paula : *Ibid.*, *dub.* 2.

53. Spectata facultate tributa a S. C. Concilii ex reditibus superextantibus piæ hæreditatis Ricci, Archiepiscopus tres erexit capellanias in oppido Montis S. Martini cum onere sacri quotidiani, et tribuit PP. Augustianis cum annuo stipendio scut. 36 pro qualibet. Sed quia patres nunquam distributive per singulos dies celebrarunt, sed infra annum per 80, et ultra annos; hæredes testatoris petunt celebrationem quotidianam, et S. C. intra annum Missas esse celebrandas resolvit. Nam in tabella ecclesiæ adnotabatur num. 93 Missarum *distribuite per comodo de padri in ciascum Mese* : *Firmana*, *Capellaniarum*, 23 *januar.* 1796.

54. Capellano Leonardo Gentilini, qui in accipiendia capellania Alberi instituta in ecclesia Carminis Cæsenæ se obligavit ad celebrandam Missam quotidianam in publico oratorio terræ Portus Cæsenatici, ad quod translata fuit eadem capellania, et sufficientes habet reditus, nempe scut. 62 annuatim, onus celebrationis proprio sumptu imponitur : *Cæsenaten.*, *Capellaniæ*, 19 *dec.* 1795, confirmata 12 *martii* 1796.

55. Quum sortes capellaniæ fundatæ ab Aurelio et Antonio Filippini in parochiali ecclesia S. Blasii Montis Cerignoni culpa administratorum imminutæ essent, et Missæ haud celebratæ; S. C. decrevit, ab eis suppleri debere Missas non celebratas, reservato in favorem capellani jure agendi adversus eosdem hæredes pro solutione debitæ eleemosynæ pro Misssis celebratis : *Feretrana*, *Capellaniæ*, 28 *feb.* 1795, *dub.* 2, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

56. Quum rectorum culpa in pessum iverint prædia capellaniæ fundatæ a David Dominici in ecclesia S. M. Majoris oppidi Hispelli oneris trium hebdomadalium Missarum, et vix redderent scut. 11, 94. Antistes facultate apostolica utens an. 1727, onus reduxit ad unam hebdomadalem, aliasque duas menstruas, augendis Missis, reditibus auctis. Modo accreverunt reditus ad scut. 20, 32, hinc S. C. exoratur quomodo sint celebrandæ Missæ? et respondit ad formam decreti Episcopi anni 1727. Nam deductis oneribus vix supersunt capellano scut. 9, 1/2 ; *Fulginaten.*, *Capellaniæ*, 17 *sept.* 1796, *dub.* 2.

57. Testamento sacerdos Abel Avanzi in fundatione perpetuæ laicalis capellaniæ non numerum Missarum, sed eleemosynam in ob. 15, juxta reditus definivit; in codicillis vero Missam quotidianam cum eleemosyna ob. 20, si augeatur reditus ad scut. 72 statuit. Quum modo censuales fructus reddunt scut. 80, petiit capellanus ; an pro reditu excedente

monetæ extra bancum ad hoc, ut ex ipsis proventibus singulis annis celebrare facere teneantur tot Missas rationata eleemosyna ad hanc synodalem taxam injuncto pariter ipsis onere continuo celebrare faciendi tot Missas pariter ad formam synodi quot esset fructus capitalis prædicti a die adeptæ possessionis domus ejusdem usque ad diem qua præficitur, impendium. » *Ead. causa*, 16 *decem.* 1786, § 3.

scut. 72 tot aliæ præter quotidianam celebrandæ sint Missæ? et S. C. negative respondit: *Spoletana, Capellaniæ*, 17 *dec.* 1796, *dub.* 1.

58. Decreta erectione secundæ capellaniæ a sodalibus Suffragii ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Venantii, et a S. C. approbata; iidem sodales petierunt ab ead. S. C. indultum celebrandi primam Missam a capellano circiter quadrante post meridiem singulis diebus festis de præcepto propter populi commoditatem, et obtinuerunt: *Camerinen., Capellaniæ,* 6 *maii* 1797, *dub.* 2.

59. Franciscus Padovani instituens per instrumentum laicalem capellaniam in ecclesia parochiali Sanctissimi Nominis Jesu Civitatis Plebis onus capellano 50 Missarum annuatim imposuit, et adjunxit postea alias 20 Missas. Inde in testamento *accio che il peso, ed obligo del capellano pro tempore sia esattamente adempito*, onus Missarum reduxit ad 25, et nullam mentionem fecit Missarum 20; hodiernus capellanus consuluit S. C. pro declaratione, an, et quot Missæ celebrari deberent? cui respondit Missas annuas 45 esse celebrandas, et ad D. secretarium cum Sanctissimo: *Civitatis Plebis, Oneris Missarum,* 19 *aug.* 1797.

Reliqua. Vide *Missa* per tot.

§ VI.

Capellanus quoad præcedentiam, jura, ac potestatem.

1. Capellanus ecclesiæ ruralis S. Mariæ, quæ vocatur, *del Forno* extra oppidum Castellani sitæ, si Ordinarius in eadem asservandum sacramentum Eucharistiæ putet, nonnisi in casu necessitatis, quando nempe clausæ sunt oppidi januæ, sacramenta dispenset: *Cajetana*, 24 *maii* 1659.

2. Capellani ecclesiæ ruralis S. Mariæ *dell' Armi,* quibus incumbit onus animarum, non possunt funus ducere sine interventu, et licentia parochi matricis terræ Cirdarii: *Cassanen., Jurium parochialium*, 9 *julii* 1672, *dub.* 2.

3. Nec Missas solemniter canere inconsulto archipresbytero: *Ibid., dub.* 3.

4. Nec eosdem capellanos posse facere denunciationes projectarum, quas ab eadem rurali ecclesia recipiuntur, illasque projectas matrimonio jungere censuit S. C.: *Ibid., dub* 5.

5. Quum rector capellæ, seu ecclesiæ Sanctissimo Crucifixo dicatæ certaret amplam ibi suffragii exemptionem, tam ab episcopali, quam a parochiali jure; propterea quod ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi; S. C. decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vere spectasse ad eam basilicam, priusquam in eo ædificaretur ecclesia: *Regien., Exemptionis*, 20 *sept.* 1698. Deinde de aliis propositis dubiis super functiones ecclesiasticas peragendas a capellanis in eadem ecclesia, capellam seu ecclesiam non esse exemptam a jurisdictione Ordinarii declaratum est: 15 *nov. ejusd. anni, dub.* 1, usque ad 8, confirmata 15 *junii* 1709.

6. Dubio proposito: An capellanus conservatorii Sanctissimæ Conceptionis Casalis Pentæ terræ S. Severini infra annum solemnitates in ecclesia dicti conservatorii celebrare possit? S. C. judicium fuit, ut exprimantur solemnitates particulares: *Salernitana, Jurium parochialium,* 19 *aug.* 1702, *dub.* 5.

7. Sed ad dictum capellanum spectare benedictionem candelarum in die Purificationis, Cinerum, et Palmarum resolvit: *Ibid., dub.* 6.

8. Edicto a Card. Episcopo vulgato, ut confessarii omnes novam ab ipso reciperent adprobationem; hujusmodi edicto parere capellanus Arcis Ferrariensis renuit, ab Ordinarii jurisdictione se exemptum putans. Congruo hinc proposito dubio, responsum extitit, quod capellanus ipse in ecclesia præfatæ Arcis confessiones sacramentales absque Ordinarii adprobatione audire nequit: *Ferrarien., Jurisdictionis*, 12 *januar.* 1704, *dub.* 2.

9. Capellanis ecclesiæ parochialis S. Mariæ Pontis Sancti in suburbiis civitatis Fori Cornelii, qui in officiis, et administrandis sacramentis, aliisque muneribus peragendis inservire debent, functiones tam parochiales, quam non parochiales in dicta ecclesia absque archipresbyteri licentia facere non posse, stabilitur: *Imolen., Jur. paroch.*, 12 *febr.* 1707, *dub.* 3, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

10. Capellanus nuncupatus rector ecclesiæ seu loci pii S. Josephi existentis intra limites parochiæ S. Silvestri, sive sacerdos alius priori benevisus in præfata ecclesia per annum Missas solemnes tam pro vivis, quam pro defunctis celebrare non valet. Sed id omne ad parochum S. Silvestri privative spectare statuitur, ac mandatur insuper, ut synodalis servetur constitutio [346]: *Mediolanen., Jur. paroch.*, 24 *aug.* 1715, *dub.* 1.

11. Idem capellanus ab Ordinario adprobatus in eadem ecclesia sacramentum Eucharistiæ excepto paschali tempore absque expressa licentia parochi administrare potest; et quoad sacramentum Pœnitentiæ ministrandum; relictum id est arbitrio Ordinarii: *Ibid., dub.* 2.

12. Quæsivit exinde idem capellanus; num posset in novendiali sacro ante festum S. Josephi, et

[346] Ubi vindicatur parocho jurisdictio in omnibus ecclesiis, sive oratoriis ejus districtus: *Ead. causa*, 22 *junii* 1715.

die Mercurii cujuslibet hebdomadæ exponere sacramentum Eucharistiæ, populoque adstanti benedictionem impertiri absque dicti parochi licentia? S. C. id arbitrio Ordinarii reliquit : *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Idem vero capellanus cum Ordinarii, sive parochorum, quibus subsunt sponsi, licentia illos in matrimonio conjungere, illisque benedictionem dare valet : *Ibid.*, *dub.* 5.

14. Erectæ fuerunt a Sum. Pont. Clem. VIII, ac Clem. XI, nonnullæ capellaniæ in ecclesia domus Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis. Earum possessoribus imposuerunt onus celebrationis personale, nisi legitime impediti sint. Causa evenit impedimenti, et S. C. ad eosdem substituere sacerdotes ad onera implenda, et non ad officiales, vel gubernatores domus prædictæ pertinere constituit : *Neapolitana*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1725, *dub.* 3.

15. Dubio prolato : An proprietarii, etiam infantes nominati a Josepho Delgado, et Capitaneo de Avila ad capellanias de jurepatronatus ab ipsis fundatas, donec ad sacerdotium ascendant, habeant jus nominandi capellanos interinos pro celebratione Missarum, et pro adimplemento onerum a fundatoribus præscriptorum : vel jus deputandi capellanos interinos ad Ordinarium Angelopolitanum spectet? S. C. distulit resolutionem addens ad mentem : *Angelopolitana, Capellaniarum*, 3 *januar.* 1731, *dub.* 2.

16. Necnon post obtentam institutionem pertinere statuit ad ipsos institutos deputare capellanos interinos, qui onera Missarum earumdem capellaniarum adimpleant, quas Missas ob defectum ætatis ad ordinem presbyteratus requisitæ ipsi instituti celebrare per seipsos nequeunt; non autem hoc ad Ordinarium spectare : *Ead.*, 5 *april.* 1736, *dub.* 6.

17. Celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai intra limites parochialis, et collegiatæ ecclesiæ S. Martini urbis Cerreti sita, non spectat ad archipresbyterum, et canonicos dictæ collegiatæ privative quoad omnes, sed ad capellanum dictæ ecclesiæ S. Nicolai cum facultate assumendi in dicta Missa, et anniversario presbyteros sibi benevisos. Nam Joannes Angelus Rosatus, qui in illa ecclesia capellaniam fundavit, per suos capellanos peragi dictas functiones voluit : *Thelesina, Anniversarii, et Missæ solemnis*, 9 *feb.* 1732, *dub.* 1.

18. Pariter celebratio Missæ solemnis cum primis, et secundis vesperis in die festo S. Nicolai ad capellanum dictæ ecclesiæ independenter et sine venia parochi, et cum facultate presbyteros, quos voluerit, assumendi, non autem ad archipresbyterum præfatæ ecclesiæ spectat: *Ibid.*, *dub.* 2.

19. Capellano, seu rectori beneficii erecti in oratorio Beatissimæ Annuntiationis villæ Tini intra limites parochialis ecclesiæ S. Laurentii terræ Accumuli sito, licet celebrare festum Beatissimæ Annuntiatæ, eadem die canere Missam solemnem; non autem exedras ad confessiones audiendas erigere, necnon sacramentum Pœnitentiæ administrare, seu administrari curare, et indulgentias publicare absque licentia, interventu, et consensu parochi dictæ ecclesiæ : *Asculana, Jur. et funct. paroch.*, 29 *aug.* 1733, *dub.* 2.

20. Et dubium : An idem rector, seu capellanus teneatur permittere, ut parochus doceat in dicto oratorio doctrinam Christianam ; vel possit hoc impedire? S. C. arbitrio Episcopi remisit : *Ibid.*, *dub.* 5.

21. Ad capellanum ab hæredibus fundatoris deputandum spectat celebratio Missæ quotidianæ fundatæ a Balthazare de Magistris in altari SS. Trium Regum in ecclesia S. Crucis PP. reformatorum S. Francisci erecto, non autem privative ad dictos patres; etiamsi antea semper eleemosynam iisdem patribus præstare ab hæredibus solitum fuerit : *Papien.*, *Oneris Missarum*, 12 *decemb.* 1733, *dub.* 1.

22. Non constat de aliquo jure capituli cathedralis ecclesiæ ad conficiendas functiones ecclesiasticas occasione cadaverum tumulationis, et die festo S. Margaritæ in ecclesia ejusdem sanctæ nuncupata *de Suffragio*, quam ei subjectam esse idem capitulum prædicat. Sed jus faciendi easdem functiones privative ad capellanos ejusdem ecclesiæ, salvis juribus parochialibus, spectat : *Ortonen.*, 29 *januar.* 1735.

23. Ad capellanum ecclesiæ S. Michaelis Archangeli terræ Pontiani spectat celebratio Missæ solemnis in diebus festis ejusdem Sancti, cui fundator capellaniæ hoc onus imposuit; non autem ad archipresbyterum, et ad canonicos ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Nicolai terræ prædictæ, qui juspatronatus habere contendebant : *Nullius seu terræ Pontiani*, *Missæ solemnis*, 9 *julii* 1735.

24. Sacerdos Paschalis Lazzarinius possessor capellaniæ a Polidoro Oradinio in ecclesia cathedrali fundatæ cum Carolo Pilorci possessori alterius capellaniæ ordinatæ ab Oradinio fratre germano Polidori de præcedentia disceptavit; dubio subjecto S. C., hæc resolvit, servandam esse consuetudinem præcedendi juxta vetustatem possessionis inter capellanos in ecclesia prænarrata residentes; ita ut Lazzarinius Pilorcio debeat præcedere : *Perusina*, *Præcedentiæ*, 14 *januar.* 1736, confirmata 1 *sept.* *ejusd. anni.*

25. Capellano, seu rectori oratorii publici extructi a familia Bevilaqua in suo latifundio intra

limites parochialis ecclesiæ S. Jacobi sito, quæ subest abbatiæ S. Silvestri oppidi Nonantulæ conciones, et exhortationes habere ad populum de licentia Card. abbatis etiam invito parocho licet: *Nullius seu Nonantulana*, *Jur. paroch.*, 27 *junii* 1744, *dub.* 4.

26. Necnon licet eidem capellano Sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum ministrare inter Missarum celebrationem non in Missarum intercapedine, ac inter Missarum solemnia, excepta semper die Paschatis, et communione paschali: *Ibid.*, *dub.* 7.

27. Ac dicto capellano, seu rectori licet capsulas habere in partibus oratorii pro eleemosynis recipiendis vel quæstuas peragere per seipsum, et per alios de Ordinarii licentia: *Ibid.*, *dub.* 9, confirmata 8 *maii* 1745.

28. Ad eumdem administratio oblationum, ac eleemosynarum, quæ fiunt in dicto oratorio, non ad parochum spectat: *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

29. Sed de hac administratione ratio per eumdem capellanum Ordinario reddenda est: *Ibid.*, *dub.* 12.

30. Canonicus Pasqua basilicæ SS. Laurentii, et Damasi ordinavit nonnullas Missas, voluitque capellanos chorales ejusdem ecclesiæ earumdem officio satisfacere posse, et in eorum defectum beneficiatos, clericos beneficiatos, ac capellanos valtrinos posse celebrare. Hinc exortum est dubium: An casu absentiæ, vel alia quavis causa, qua sacra peragere nequeunt capellani chorales, habeant hi facultatem onus per alios, quos ipsi velint, sacerdotes implendi, vel adigi possint, ut beneficiatis, ac capellanis valtrinis utantur? S. C. ut beneficiatis, clericis beneficiatis, et capellanis valtrinis uti debeant, rescribit: *Romana*, *Capellaniarum*, 22 *januar.* 1746, *dub.* 2.

31. Rectori capellaniæ S. Antonini, et animarum purgantium erectæ in ecclesia parochiali Montis Raynaldi per alios sacerdotes sibi benevisos, vel per seipsum canere Missas licet, dummodo ipse celebret in diebus statutis a fundatore capellaniæ, ac ab Ansuino Justiniano, et supellectilibus capellæ S. Antonini, ac propriis utensilibus utatur; non autem Missæ privative a parocho sunt canendæ: *Firmana*, *Jur. paroch.*, 2 *dec.* 1747, *dub.* 1.

32. Ob insignem piam munificentiam a Francisco de Los Cobos, ejusque uxore, et filio in nova Ubedæ civitate effusam Gregorius XIII, Pont. Max., concessit, ut ecclesiæ S. Salvatoris eorum ære extructæ capellanus major præcedentiam super omnes alios urbis beneficiatos haberet. Capitulum huic constitutioni obtemperare renuit, ac assecutus est a Paulo V, Pont. Max., rescriptum, ut incederent capellani juxta tempus eorum fundationis. Patroni de Los Cobos obreptitie illud ob silentio prætermissam Gregorii VIII Constitutionem reportatum dicunt, et res in quæstione posita, S. C. servandum solitum putavit: *Giennen.*, 24 *aug.* 1754, *dub.* 1, 2 et 3.

33. A capellano Joanne de Felice deputato a primis patronis, cujus non est locus remotioni, facienda est administratio bonorum, quæ capellaniæ assignata erant; non autem spectat hæc administratio ad Felicem Gratiosium, et Michaelem Jannarellium vigore cessionis, et donationis juspatronatus capellaniæ acquirentem, quam cessionem prædictus capellanus in dubium revocavit: *Reatina*, *Capellaniæ*, 10 *maii* 1755, *dub.* 3 *bis*, confirmata 7 *junii*, ac 23 *aug. ejusd. anni.*

34. De consuetudine immemorabili in Amerina diœcesi vigente, ut rectores, sive capellani ecclesiarum ruralium insciis parochis benedicant candelas, palmas, aliaque, etiamsi parochus Montis Lampani de turbata jurisdictione parochiali reclamaverit, ac Episcopus rectori Riccetti ruralis ecclesiæ S. Laurentii præceperit, ut ab illis functionibus sese abstineret; S. C. decrevit benedictiones, et distributiones, ovorum, cinerum, candelarum, palmarum, quæ non sunt de juribus mere parochialibus, expleri tamen posse a Riccetti capellano, etiam cum pulsatione tintinnabuli, nec privative ad parochum spectare: *Amerina*, *Functionum*, 3 *decem.* 1757, *dub.* 1.

35. Necnon licet capellano prædicto celebrare Missam in die festo ante parochialem cum Evangelii explicatione; sed quoad Evangelii explanationem prævia Episcopi venia: *Ibid.*, *dub.* 3.

36. Ac licet eidem capellano facere solemnem officiaturam cum Missa, et ritu solemni præsertim in die S. Laurentii titularis ecclesiæ, parocho insciente, aut invito: *Ibid.*, *dub.* 4.

37. Capellano pro tempore fundationis gestæ in ecclesia collegiata SS. Faustini, et Jovitæ a Sernutio Ciccolinio, quamvis non vocato, haud competit, jus interveniendi una cum capitulo dictæ ecclesiæ collegiatæ comitatui cadaverum, et funeribus; et respective participandi de eorum emolumentis, quum de gremio capituli non sit, sed merus mercenarius; etiamsi onere residentiæ, ac servitii chori tanquam beneficiatus gravetur: *Viterbien.*, *Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 7.

38. Canonicus Lupi possessor capellaniæ institutæ a Delia Cassia, et Lucretia Lupi ejus filia in ecclesia S. Laurentii oppidi S. Ægisti plurium Missarum celebrationem omisit, et fructus in ornatum capellæ, sacrarumque supellectilium comparationem erogavit. Nunc, ut definiatur, efflagitat, an jure impendere summam redituum in eam causam potuit, quum aliter pia dispositio impleri nequiret? S. C. respondit quoad utensilia affirmative, in reliquis negative, et orator agat contra quos de jure:

Nullius S. Ædisti, Capellaniæ, 27 *junii* 1772, *dub.* 1.

39. Ad capellanum ecclesiæ, et capellæ B. M. V. Gratiarum Frusinonis de jurepatronatus Scholasticæ Quartucci spectat administratio quoad bona, jura, credita, sacra supellectilia, et alia quæcumque data, concessa, et perventa ad dictam ecclesiam, et capellam; licet dicta ecclesia a communitate patribus Sanctissimi Redemptoris concessa fuerit: *Verulana, Jurispatronatus*, 16 *jan.* 1779, *dub.* 3.

40. Capellanis hospitalis S. Mariæ de Crucibus sacramenta infirmis, aliisque ibi commorantibus administrare licere S. C. definiit. Definiit quoque eorum cadavera in ejus ecclesia, et cœmeterio esse condenda. Modo definiit eisdem capellanis licere præsente parocho aqua benedicta cadavera extra hospitale humanda in actu eorum traditionis, aspergere: *Ravennaten.*, 27 *junii* 1789, *dub.* 3.

§ VII.

Capellanus quoad remotionem, privationem, et redintegrationem.

1. Ambigitur Episcopum excessisse fines suæ potestatis, ac testamenti Caroli Reliquii, qui in codicillis capellanum voluit amovibilem, et proponitur, an Episcopus jus amovendi capellanum cum clausula *ex rationibili causa*, restringere potuerit? negative respondetur: *Pennen.*, *Capellæ*, 26 *nov.* 1672, *dub.* 1.

2. Clericus Joseph Fuentes de Lebrixa suspensus, et irregularis fuit judicatus a S. C. ob ejus promotionem ad sacros ordines ab Episcopo Samensi, cui addictus erat, factam, absque Archiepiscopi Hispalensis litteris commendatitiis, cui est subditus, et ad titulum non sufficientis beneficii. Huic S. C., ut confugiat pro absolutione ad dictum Archiepiscopum, quam haud ab eodem obtinere valuit, præcepit; sed a vicario urbis id retulit, inde quæsivit: An ob irregularitatem, in quam incurrit, privatus beneficiis, et capellania compescuerit? et negativum rescriptum quoad beneficia, et capellanias in titulum obtentas; affirmativum autem quoad dehinc relatas S. C. respondit: *Hispalen.*, *Irregularitatis*, 9 *julii* 1701.

3. Confugit ad S. C. sacerdos Sylvester de Philippis, qui ad duo beneficia simplicia canonicatus institutionem ab Episcopo moderno obtinuerat, ac pariter ad aliud beneficium simplex, seu capellaniam perpetuam ad quorum titulum ab ipso Episcopo fuerat initiatus. Postea idem Antistes minime auditum eum altero ex his beneficiis, ac capellania privavit, suspenditque a sacrorum ordinum exercitio. Implorat ob id redintegrationem cum fructuum restitutione; et S. C. quoad capellaniam, et fructuum ejusdem restitutionem, ac ordinum exercitium ei favit. Ait enim Episcopus instante promotore fiscali contra prædictum, ratione indebitæ retentionis unius ex canonicatibus incompatibilibus ob residentiam, et dictæ capellaniæ super eodem tecto ad privationem devenisse: *Marsicana*, *Beneficiorum*, 24 *maii* 1710.

4. Capellani nominati, ac nominandi pro celebratione quinque Missarum, quas perpetuas peragi ab archiconfraternitate Confalonis Urbis Matthæus Maria Ghirlandari demandavit, tantum cum causa, non autem in quocumque casu, et absque causa ab illis, ad quos pertinet nominatio, et mutatio, removeri possunt: *Romana*, *Declarationis voluntatis*, 23 *april.* 1735, *dub.* 1.

5. Capellanum Albertum de Marcantoniis Barbara Vidua, et Magdalena filia primogenita, vigore facultatis sibi a Leonardo Justiniani fundatore tributæ, deputarunt. Inde sub obtentu capellaniæ qualitatis amovibilitatis ad nutum patronæ removere sunt conatæ. S. C. idcirco requisita, decernens ejusdem capellaniæ amovibilitatem, esse locum dicti Alberti remotioni sancivit: *Firmana, Capellaniæ*, 18 *junii* 1735, *dub.* 2.

6. Massariis castri Montis Jovini capellanos ecclesiæ B. M. dicti castri cum Episcopi adprobatione quoad sacramentorum administrationem eligere licet, eosdemque Episcopo inconsulto amovere; dummodo remotio in odium haud fiat: *Civitatis Plebis*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 1, confirmata 29 *martii* 1739.

7. In præsenti casu Thomas Ferri manutenendus, et quatenus opus sit, redintegrandus ad officium capellani est: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

8. Et propterea Episcopi decreta capellanos respicientia, resoluta non fuerunt a S. C., sed, ut iidem audirentur, fuit mandatum: *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

9. Etiamsi juspatronatus capellaniæ fundatæ a Recupero Sanctini privative ad Felicem Angelum Gratiosi, et Michaelem Jannarellium non cumulative cum universitate villæ Civitellæ Vervici spectaret, quemadmodum S. C. decreverat; tamen eadem S. C. non esse locum remotioni capellani deputati a dicta universitate, salva tamen auctoritate Episcopi ante cessionem, et donationem facta de jurepatronatus, constituit: *Reatina, Capellaniæ*, 10 *maii* 1755, *dub.* 2.

10. Posteaquam a Margarita Testa uti matre, et tutrice Dominici, et Mariæ Cæciliæ pupillorum, ad quos pertinet juspatronatus duarum capellaniarum amovibilium, quæ fundatæ in ecclesia parochiali divi Nicolai oppidi Scheggini existunt, nominatus fuerat sacerdos Dominicus Antonius Amicius capel-

lanus, eadem mulier complura bona distracta, ac alienata a capellano Felice Testa, ac postulatam ab eo reductionem fuisse, comperiit; ideo rogavit S. C., ut ei, aliisque suis successoribus dictum capellanum amovendi inconsulta S. C. facultas tribuatur; habuit responsum, instante hodierno capellano, ne sine causa removeri possit, ut circumscripta novi capellani nominatione, scribatur Episcopo pro informatione, et voto juxta instructionem [347] : *Spoletana, Capellaniarum* , 28 *martii* 1744, *dub.* 4.

11. Quum a pia Elisabeth Erasmi in fundatione capellaniæ fuisset expresse reservata facultas capellanum ad nutum amovibilem removendi cum causa, et absque, et nominatus fuisset ad eam sacerdos Thomas Bartholani a Bernardino Laezza patrono, postea Nicolaum Roscioli, qui per duos menses capellaniam possedit, deinde absque causa alium capellanum patronus nominavit, de qua remotione conquestus Nicolaus apud S. C. redintegrationem petens, quam dandam non esse statuit : *Romana, Redintegrationis*, 21 *nov.* 1761.

12. Ad legatum pium Missarum ab Antonio Rota relictum deputati fuerunt duo capellani, qui indulta pontificia obtinuerunt Missas celebrandi donec vixerint, sed capitulum terræ Ophidæ, ad quod spectat jus capellanum, vel capellanos deputandi, exorat, ut dicta indulta tanquam subreptionis, et obreptionis vitio infecta revocarentur, quum qualitates a testatore requisitas capellani minime haberent. S. C. indulta præfata valida esse, et non esse locum eorum amotioni a capellania declaravit : *Asculana,* 15 *maii* 1779, *dub.* 2.

13. Marcus Aurelius Peretti ex compatronis cujusdam capellaniæ laicalis novem capellaniæ prædiola, ac domum, quæ eidem fundationi assignata erat, alienavit. Inde sacerdos Carolus Peretti, qui eamdem capellaniam cum conditione amissionis, si congruo beneficio provideretur, obtinuit, paulo post ecclesiam quamdam parochialem, quam decennio tantum retinuit, assequutus est, hinc post parœciæ dimissionem inspectis dictis alienationibus sacro patrimonio destitutus ille remansit; exorat proinde redintegrationem ad nulliter capellaniæ bona distracta, et reportavit ad ea, quæ descripta in instrumento diei 9 *dec.* 1757 fuerunt : *Asculana, Capellaniæ,* 2 *dec.* 1786, *dub.* 1.

14. Fundata capellania laicali in oppido Montis Sancti a sacerdote Spiriti, inter ceteras pactiones fundationis, quæ causam controversiæ præbent, ipse voluit, ut plebanus pro tempore, et sacerdos dicti oppidi senior libere possint, et absque causa aliqua capellanum pro eorum arbitrio removere, quin rationem nisi Deo, et eorum conscientiæ afferrent. Hac de causa senior sacerdos canonicum Canepinium possessorem dictæ capellaniæ amovit, qui gravate id ferens, querelam ad S. C. detulit, quæ servandam esse amotionem, nec esse locum redintegrationi, licet Episcopus id evenisse ex odio testetur, deliberavit : *Firmana, Capellaniæ*, 3 *martii* 1787, confirmata 19 *maii ejusd. anni.*

15. Octavius Speranza etsi in primo testamento capellaniam perpetuam instituerit, tamen in secundo primo revocato legatum pium reliquit; idcirco Episcopus Beni erexit illud in capellaniam, quam clerico Francisco Rossetti pro sacro patrimonio contulit. Patroni postularunt, ut redintegretur legatum pium, sed S. C. prævia sanatione erectionis capellaniæ, sacerdotem præfatum, qui bona fide ad sacerdotium ascendit, abdicari non debere titulo capellaniæ, et quoad administrationem juxta votum Episcopi [348] S. C. respondit : *Fanen., Capellaniæ,* 7 *maii* 1791, *dub.* 3.

16. Canonicus Antonius de Sanctis capellanus amovibilis capellaniæ nominatus est ab officialibus societatis S. Sisinnii martyris Tophiæ, sed dicti officiales post quadragenariam possessionem eum dimiserunt, ob iteratam ab eodem compositionem a rev. fabrica impetratam. et a S. Concilii reductionem insciis officialibus dictæ societatis. S. C. autem consulta, redintegrationem dicti canonici ad capellaniam mandavit : *Nullius Farfen., Capellaniæ*, 6 *aug.* 1791.

17. Quum simpliciter Petrus Angelus Mattioli hortatus esset in fundatione capellaniæ possessorem excipiendi fidelium confessiones, quod onus ei incumbere decidit S. C.; modo privandum capellania non esse Petrum Coccoli ob nondum acceptam ex contraria opinione pagellam confessarii, sed præfigendum ipsi terminum arbitrio Card. Episcopi ad excipiendas confessiones : *Senogallien., Capellaniæ*, 20 *april.* 1793, *dub.* 2.

§ VIII.

Capellanus quoad residentiam, quando celebrare debeat per seipsum.

1. Post sequutam cujusdam capellaniæ erectionem, quum præsentari deberet capellanus, qui in divinis eidem capellæ inserviret, et ibidem divina continue celebraret, Missam, et officia nocturna, et diurna, ac residentiam continuam juxta ecclesiam S. Andreæ serviendo dictæ capellæ faceret; quæsitum fuit : An rector ejusdem capellæ residere, et

[347] Vide not. 283.

[348] Episcopus censet relinquendam administrationem Rosetto, qui 24 annis titulo patrimonii bona fide possedit : *Ead. causa*, 2 *maii* 1791, § 6.

subire onera per seipsum teneretur; censuit S. C. rectorem residere, ac munia hujusmodi per seipsum explere teneri : *Cenomanen.*, 20 *julii* 1600.

2. Paulus Bianchi fundavit capellaniam laicalem in altare S. Luciæ ecclesiæ parochialis terræ Appignani; ad eam vocavit clericum bene moratum, ut teneatur dictum altare officiare, regere, et divina celebrare; idcirco quæsitum est: An hujusmodi beneficium sit sacerdotale; ita ut de illo provisus teneatur per seipsum Missas celebrare, et per substitutum non possint impleri?

3. An personaliter residere teneatur; ita ut Card. Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera expleri possint? ad primum beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale, et posse per substitutum onera impleri; ad secundum, Card. Episcopum posse permittere, S. C. respondit : *Auxinama*, 13 *nov.* 1649, *dub.* 1 et 2.

4. Quædam capellania fuit fundata in hac forma, ut presbyter seu capellanus instituendus, et quilibet successor in perpetuum teneatur in ecclesia cathedrali quotidie, salvo justo impedimento, celebrare Missam, aliaque divina officia in dicta ecclesia pro remedio animarum fundatorum. De hoc audita S. C. censuit supradictum capellanum utrumque onus in ecclesia cathedrali impositum per seipsum implendum : *Vintimillien.*, 18 *april.* 1654.

5. Bartholomæus Jorius hæredem instituit capellam S. Francisci in ecclesia S. Andreæ terræ Cottanelli, ut capellanus amovibilis celebrandas Missas deputetur. In codicillis vero quoad dictam electionem vocavit nonnullos sacerdotes. Postulatum proinde est : An sit sacerdotalis ita, et taliter, ut capellanus teneatur per seipsum, nec possit per alium Missas celebrare? S. C. respondit esse sacerdotalem, sed non teneri celebrare per seipsum : *Sabinen.*, *Capellaniæ*, 18 *martii* 1684, *dub.* 2.

6. Et dubio, an dictæ capellaniæ inhæreat onus residentiæ? S. C. affirmativum præbuit responsum, sed tantum causative : *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Contendit Joseph Cioffi minoribus ordinibus insignitus, et in ætate 20 annorum constitutus sibi deberi capellaniam a Margarita Cioffi ordinatam sub lege hisce verbis concepta : *Con questo cioe essendoci preti della casata, e nazione di essa testatrice tanto per linea mascolina, quanto feminina si debba dare a loro, e non essendoci preti di detta casata si debba dare a preti di casa Cioffi, e non essendoci di casa Cioffi, si dia a preti di casa Honorati, e non essendoci preti di niuno di dette casate, si debba dare a preti di Piedeluco, e mai si possa dare ai preti forastieri.* Capellania primum fuit judicata sacerdotalis, deinde capellanum in casu, de quo agitur, non teneri Missas celebrare per seipsum : *Interamnen.*, *Capellaniæ*, 3 *febr.* 1685, *dub.* 2.

8. Licet testator, qui quamdam capellaniam fundare statuerat, legem residentiæ non adjecisset; hæres tamen in ipsa fundatione hisce verbis cavit, ut *nominatus ad beneficium teneatur habere domicilium in oppido Villæ Novæ, et personaliter celebrare Missas sex qualibet hebdomada in capella B. M. V. Gratiarum.* Proposito hinc dubio : An capellanus teneatur ad onus personalis residentiæ, et celebrationis per seipsum? negativum edidit S. C. responsum : *Asten.*, *Capellaniæ*, 14 *febr.* 1699.

9. Quum Christophorus Vidua capellanus nominatus fuisset ad capellaniam, quam Paula Sturia de loco Conzani cum onere personali Missarum fundaverat, inde provisus de canonicatu in ecclesia cathedrali, ratione incompatibilitatis alius capellanus fuit nominatus, propterea Christophorus ad S. C. recurrit, quæ eum teneri per seipsum celebrare declaravit sub die 18 *sept.* 1688, modo decretum confirmavit in *Casalen.*, *Residentiæ*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 1.

10. Cleopatra Thiani instituto hærede canonico Ludovico Desiderio erigi mandavit capellaniam Missa quotidiana personali oneratam, addens, ut capellanus annuatim duobus mensibus gaudeat, et occasione infirmitatis per alium possit Missas adimplere ; ob id instante moderno capellano sacerdote Pompilio Corsetto, S. C. definiit teneri eum per seipsum Missas celebrare : *Civitatis Plebis*, *Celebrationis Miss.*, 15 *dec.* 1718, confirmata 15 et 29 *martii* 1710.

11. Petrus Maria Sabiranus possessor capellaniæ fundatæ a pio testatore Joanne de Capitaneis loci de Monterono, qui capellanum residentia in castro S. Agathæ gravavit ; sicuti expertus est loci prædicti propriæ saluti obnoxium aerem, supplex adiit S. C., quæ capellani officii esse, ut resideat, ac per seipsum celebret Missas statuit : *Bononien.*, *Celebrationis Missarum*, 1 *junii* 1709, *dub.* 1.

12. At indulgendum est, ut celebret per alium pro quatuor mensibus æstivis ad biennium auctoritate Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Ad capellanias fundatas a Josepho Absalone in ecclesia S. Caroli ad Catinarios Urbis cum personali onere Missarum excepto casu impedimenti possessoribus injuncto, electi fuerunt duo capellani, qui ab Urbe absentes per substitutos proprio officio satisfecerunt. Hæredes vero ob neglectam residentiam devenire ad novam electionem capellanorum cogitabant; et requisita S. C., respondit non esse locum novæ electioni, etsi capellaniæ essent residentiales ; sed præfigi terminum capellanis ad deducenda jura sua, quare non teneantur accedere

ad Urbem, mandavit : *Romana*, *Capellaniarum*, 16 *maii* 1709. Deinde constare de legitimo impedimento capellanorum, ita ut ad Urbem accedere non teneantur durante infirmitate, resolvit : 8 *febr.* 1710, *dub.* 1.

14. Joseph Ferrinus, qui impetravit sibi ab Apostolica Sede capellaniam quamdam cum onere residentiæ personalis, et parochum adjuvandi villæ Ronchi Sambacci erectam, ob residentiam non servatam sui antecessoris, recursum habuit pro exemptione ab hac obligatione sub prætextu, quod ejus prædecessores idem onus non persolverunt. S. C. vero eum teneri ad continuam residentiam prout de jure stabilivit : *Fanen.*, *Residentiæ*, 24 *jan.* 1711.

15. Capellanus posssessor institutionis actæ a Petro Paulo de Avila, qui Matthæum Franciscum Cianci, quando ad ætatem celebrandi pervenerit, absque ulla alia expressione personalitatis nominavit, haud celebrare per seipsum obstrictus est ex decreto S. C. in *Romana, Capellaniæ*, 12 *maii* 1714, *dub.* 3, confirmata 12 *januar.* et 26 *sept.* 1715, *dub.* 2.

16. Chori præsentia in ecclesia Ripana præter onus Missæ quotidianæ præscripta a testatore Hyacinthi Rubini, occasione legati pii institutionis, quoad clericos extraneos non tantum est intelligenda, sed etiam quoad clericos de ejusdem testatoris consanguinitate; nam ille comprehensive de hoc onere in suo testamento loquutus est : *Ripana*, *Patrimonii sacri*, 23 *junii* 1714, *dub.* 2.

17. Ac hujusmodi præsentia in choro residentiam causativam importat : *Ibid.*, *dub.* 3.

18. Clericus Ferdinandus Scaglionius renunciatus capellanus fundationis Luciæ Portici de Valentano, quæ tantum imposuit onus Missarum quatuor quolibet mense, non tenetur ad residentiam in ecclesia majori Valentani, nec ad alias Missas superadditas a Fiditio Cardavelli hærede, qui capellaniam in beneficium ecclesiasticum perpetuum erexit, et per annos 88 id observatum fuit : *Montis Falisci,* 31 *maii* 1721.

19. Capellani fundationis Prosperi Bottini Archiepiscopi Mirensis, qui capellaniam instituit in ecclesia SS. Crucis, et Bonaventuræ nationis Lucensis, officium celebrare per seipsum non tenentur; etiamsi testator primo vocato injunxerit celebrationem per seipsum, nisi impediatur; postea vero capellani nominationem amovibilis mandaverat ; *Romana, Capellaniæ*, 29 *aug.* 1722, *dub.* 1.

20. Capellaniarum, quas Clem. VIII, et Clem. XI, Sum. Pont. in favorem domus Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis fundaverant, possessores, quibus injunctum fuit celebrandi per seipsos, nisi legitime sint impediti ; in casu impedimenti substituto sacerdoti non stipendium pro eis statutum, sed solam eleemosynam manualem tradere debent : *Neapolitana, Capellaniarum,* 14 *april.* 1725, *dub.* 2.

21. Iidem capellani instituti a Clem. VIII, Pont. Max., durante infirmitate muneri Missarum satisfacere per substitutum possunt; et quoad institutos a Clem. XI, Pont. Max., exhiberi breve mandatur : *Ibid.*, *dub.* 4.

22. Antonius Cerasolus primus nominatus fuit capellanus cujusdam fundationis gestæ a Bernardino de Ludovicis in parochiali ecclesia villæ Termini præsertim cum expresso onere residendi in quadam domo assignata ; hic provisus de ecclesia parochiali in diœcesi Reatina incompatibili cum hoc onere, S. C. consuluit, quæ ad formam testamenti residere teneri duxit : *Aquilana, Capellaniæ,* 16 *maii* 1733. *dub.* 1, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

23. Capellanos fundationis conjugum de Janfranchis, qui in testamento admittendos esse sacerdotes ad capellaniam, quas S. C. esse habitu sacerdotales quoad consanguineos capellanos, et actu quoad extraneos declaravit, jusserunt, modo non teneri celebrare per seipsos Missas a testatoribus demandatas eadem S. C. statuit : *Senogallien.*, *Mansionariæ*, 16 *maii* 1733, *dub.* 3, confirmata 17 *april.* 1734.

24. Petrus Fabrega, fundata capellania in ecclesia collegiata S. Felicis, voluit, ut unum Missæ sacrificium fieret a dignitatibus, et canonicis ejusdem ecclesiæ ad altare B. M. V. certa hora constituta. Inde condito testamento in capellanum delegit Franciscum Fabrega pronepotem suum canonicum ipsius ecclesiæ, *ad hoc, ut obitu meo sequuto celebret durante vita sua dictam Missam quotidianam;* orta proinde difficultate, an teneatur per seipsum celebrare? S. C. non teneri decrevit : *Gerunden., Celebrat. Miss.*, 3 *april.* 1734, *dub.* 1.

25. Capellania instituta a quodam pio testatore in ecclesia S. Caroli ad Catenarios Urbis habitu tantum sacerdotalis fuit declerata. Modo mandatur, ut capellanus possessor per seipsum celebrare non teneretur. Nam testator non aperte hoc onus personale imposuit : *Romana, Capellaniæ,* 28 *april.* 1736, *dub.* 2.

26. Flavius Fucci capellanus nominatus a fundatrice marchionissa Margarita Berioli potuit substituere alium sacerdotem, nec per seipsum tenetur Missas ab ipsa fundatrice demandatas celebrare. Nam ipsa testatrix expresse illi facultatem celebrandi per alium in casu absentiæ dederat : *Civitatis Castelli, Celebrationis Missarum,* 4 *aug.* 1736.

27. Aloysius Ferdinandus de Donghis ex genere vocatorum a testatore Joanne Augustino Capelli, ordinandus ad titulum unius ex capellaniis ab ipso Capelli fundatis, potest celebrare per alium ab ip-

somet eligendum. Nam injunctum haud fuit expresse a fundatore onus celebrationis personale : *Januen.*, *Capellaniarum*, 14 *april.* 1756, *dub.* 1.

28. Imo S. C. declaravit omnes capellanos prædictæ fundationis posse sacrum celebrare per alios ab ipsis eligendos : *Ead.*, 25 *april.* 1761, *dub.* 3.

29. Capellanus pro capellania a Balthazare Caravaggio fundata, et erecta in ecclesia parochiali S. Jacobi Laudæ tempore infirmitatis dispensandus non est ab onere celebrandi per alium. Nam non erat injunctum hoc onus per seipsum explendi : *Lauden.*, *Capellaniæ*, 23 *aug.* 1738, *dub.* 2.

30. Quum Petrus Franciscus Glussiani nominatus fuerit ad capellaniam fundatam in ecclesia S. Nazarii Petræ Sanctæ a Josepho Maria Glussiano, ac inde causa studiorum indultum alibi personale onus, ac perpetuum Missarum implendi obtinuerit, donec extra patriam degeret; inde prorogatum indultum hujusmodi fuit. Sodales autem societatis S. Hieronymi administratores dictæ ecclesiæ sese opposuerunt, et revocationem indulti subreptitie impetrati, uti aiebant, reportarunt : idcirco disceptatum fuit, an indultum sustineatur, vel potius sit servanda ejusdem revocatio; et S. C. non sustineri, sed revocationem esse servandam rescripsit : *Mediolanen.*, *Capellaniæ*, 22 *novem.* 1738.

31. Angelus Bianchi fundavit capellaniam de jurepatronatus laicali in ecclesia parochiali terræ Appignani cum onere celebrationis Missarum statutis diebus, et horis, ac onere residentiæ in dicta terra domum suam colendo. Constat antecessores capellanos legem residentiæ nequaquam observasse; et revera neque servavit hodiernus capellanus; quæsitum fuit proinde in S. C., an idem residere teneatur? et teneri ad formam testamenti [349], in reliquis in decisis de anno 1649 [350] S. C. respondit : *Auximana*, 17 *januar.* 1761.

32. Sententia fuit S. C., ut capellani omnes fundationum Joannis Augustini Capelli in loco Vulturis possint per alios a seipsis eligendos celebrare. Nam nulla adest lex fundatoris per seipsum celebrandi : *Januen.*, *Capellaniarum*, 25 *april.* 1761, *dub.* 3.

33. Matthæus de Marescottis capellaniam a se fundatam gravavit præter Missas onere docendi fideles doctrinam Christianam, residendi in oppido Bagnariæ; ac persoliter omnia adimplendi, nisi in casu *di studio, o d' infermita corporale fossero impediti*. Thomas de Marescottis capellanus senex, ac adversæ valetudinis requisivit : An teneatur hæc onera per seipsum solvere? S. C. responsum dedit, ut recurrat ad Episcopum, qui procedat prout de jure ad formam testamenti : *Imolen.*, *Capellaniæ*, 8 *aug.* 1761.

34. Quum centenaria observantia legum fundationum ecclesiæ collegiatæ S. Angeli in Foro Piscium, ac decretorum Sacræ Visitationis, quæ pervetusta in archivo asservantur quoad onera inhærentia capellaniarum, de quibus Card. visitator ab omnibus negligi conqueritur; dubio proposito : An capellania sub titulo S. Mariæ Magdalenæ nunc Sanctissimæ Annunciatæ, ceteræque in eadem collegiata erectæ, onus habeant residentiæ, ac choro serviendi? rescribitur : Dilata, et ad dominum secretarium ad mentem : *Romana*, *Capellaniarum*, 20 *aug.* 1768.

35. Capellanus rector beneficii erecti rurali ecclesia diruti castri Plumbinariæ cum onere celebrationis Missarum personaliter in eadem ecclesia pro commodo agricolarum peragendæ, onus absolvere per seipsum, non per alium tenetur: *Signina*, *Beneficii*, 3 *aug.* 1771, *dub.* 2.

36. Et locus est tantum dispensationi in favorem hodierni capellani provisi postea de ecclesia parochiali S. Stephani terræ Villis Montanæ, et translati ad archipresbyteratum collegiatæ ejusdem terræ, præsertim ob redituum prædictæ capellaniæ tenuitatem : *Ibid.*, *dub.* 3.

37. Capellani, seu rectores capellaniarum, quæ fuerunt a Jacobo Ferri in ecclesia Suffragii oppidi Montis Ulmi institutæ, ac sacerdotales a S. C. declaratæ, tenentur onera imposita per seipsos adimplere, non per subtitutum, præterquam quoad capellaniam sub invocatione B. M. V. de qua testator declaravit *ci contentiamo, che possa farla celebrare per alium, che sia confessore.* Hoc fuit judicium S.C. in *Firmana*, *Capellaniarum*, 17 *sept.* 1774, *dub.* 2.

38. Deinde quæsitum fuit : An, et quomodo in casu non satisfactionis sit providendum? S. C. servari existimavit legem fundationis in cap. 4 dispositionis Octaviæ [351], quæ fuit soror testatoris, et hæres

[349] Qui præcepit, ut hujusmodi rector, et clericus teneatur, et obligatus sit ad residentiam, et moram trahere in terra Appignani, suam domum prædictam habitando : *Ead. causa*, 17 *januar.* § 2.

[350] Die 13 novem., ubi ad dubia I. An hujusmodi beneficium sit sacerdotale; ita ut de illo provisus teneatur per seipsum Missas celebrare, et per substitutum non possit impleri? II. An personaliter residere teneatur, ita ut Card. Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint? responsum est. Ad I., beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale, et posse per substitutum onera impleri. Ad II., Card. Episcopum posse permittere : *Ead. causa*, 17 *januar.* 1761, § 4.

[351] Quæ postremo loco declaravit, ut si quis ex capellanis in adimplemento onerum defecisset, tunc liberum esset sodalitio Suffragii capellaniæ reditus sequestro subjiciendi, eosque erogandi in adimplementum onerum cum eleemosyna manuali, et quidquid superesset eidem soda-

usufructuaria, et quoad capellanias in testamento quamdam declarationem pandit : *Ibid.*, *dub.* 3.

39. Sacerdos Petrus Coluzzi Romæ degens, honestoque addictus servitio rector est capellaniæ fundatæ ab Aurelio Celestinio in ecclesia B. M. V. *della Stella*, quæ parum a terra Bassanelli distat. Quum fundator capellanis onus personale tam celebrationis Missarum, tam aliorum onerum pro cultu B. M. V. imposuerit, per alium supplendi Petrus prædictus facultatem petiit, sed incassum : *Hortana*, 20 *januar.* 1776.

40. Ob capellaniam possessam a canonico coadjutore comite Olgiati in ecclesia cathedrali, qui onere Missæ quotidianæ per seipsum sub auroram explendo, ac assidue residendi, in loco Scalengiarum gravatur, levamen idem petiit a S. C., sed minime auditus fuit quoad onus Missarum, licet agebatur de filio patroni, et imminutus reditus esse asserebatur; verum ex gratia non residebat : *Taurinen.*, 29 *april.* 1780, *dub.* 1 et 2.

41. Cardinalis Cosma Imperiali capellanias fundavit pro Januensibus sacerdotibus in ecclesia S. Joannis ejusdem nationis, onera explicandi quolibet die festo Evangelium, et peragendi catechismum, necnon applicandi viginti Missas mensuatim capellanis imposuit. Capellani paulatim Missas 20 per alios applicare, reliquas pro præsentia omittere cœperunt. Secreta ecclesiæ congregatio decrevit, capellanis non licere per alios celebrare. Conquesti sunt capellani; sed S. C. eos in præfata ecclesia teneri quotidianum Missæ sacrificium per seipsum operari respondit: *Romana, Capellaniarum*, 27 *junii* 1789, *dub.* 1.

42. Clericus Antonius Maria Bollati ex passive vocatis obtinet capellaniam fundatam a Josepho Antonio Coppi in ecclesia parochiali Capriarum, et gravatum onere Missæ quotidianæ, residentiæ, aliisque, tributa tantum vocatis facultate supplendi per alium excepto parocho, ut in ecclesia duæ sint Missæ. Dictus clericus suam exponens paupertatem, petit, an, et quommodo sint concedendæ vacationes; S. C. rescripsit quoad vacationes negative, excepto casu infirmitatis : *Segusien.*, *Reduct. Missarum*, 16 *april.* 1791, *dub.* 1.

43. Antonius Orca binas instituit capellanias, et capellanis onus imposuit celebrandi per seipsos, exceptis casibus legitimi impedimenti. Hinc capellani sueverunt in casu infirmitatis pretermittere Missas. Episcopus vero postulat, an, et quomodo capellani teneantur supplere Missas tempore infirmitatis? et respondit S. C. affirmative, et teneri per alios sacerdotes : *Civitatis Plebis, Visitationis sacr. Liminum*, 27 *aug.* 1791.

44. In institutione capellaniarum, quas fundavit Card. Antonius Maria Salviati in ecclesia S. Jacobi Incurabilium Urbis, donator injunxit onus celebrandi *per se*, sed non addidit clausulam, *et non per alios*; et in tabella ecclesiæ, typis impressa anno 1675, in qua rite Missæ notantur, et quæ ab aliis sacerdotibus omissæ supplentur, onus hujusmodi præscribitur; idcirco capellani propter etiam redituum tenuitatem celebrare per alios Missas sueverunt, et inde S. C. consuluerunt, quæ capellanos primæ institutionis dicti Cardinalis teneri per seipsos sacra peragere decidit : *Romana*, *Capellaniar.*, 26 *novem.* 1796, *dub.* 1.

45. Et casu infirmatis dictos capellanos per alios, dummodo dies quindecim non excedant, supplere non teneri statuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

CAPELLANUS CURATUS.

§ I.

Capellanus curatus, quoad jura, postestatem, ac functiones parochiales.

1. Civitas Catacensis ultra 7 mille animabus constat. Ecclesia cathedralis vera, et principalis parochia, et matrix, cui soli debetur quarta funeris, ut dicitur, decem et octo tamen intra illius ambitum numerat capellas angustas, et rudes, quarum capellani in paternis domibus habitantes, diebus dominicis, et de præcepto resident, curamque animarum exercent. Hi capellani antiquitus de gremio capituli erant, ac choro inserviebant; inde vero tantum vocem in capitulo servarunt. Episcopus non obstante contraria consuetudine plurima edidit de eorum curæ exercitio decreta. Qua de causa in S.C. instante capellanorum cœtu hæc dubia proposita fuerunt; nempe an decretum Episcopi circa conservationem Venerabilis in ecclesiis S. Mariæ de Meridie, et S. Stephani sustineatur?

2. An parochi, seu capellani curati teneantur

litio applicandi *in premio della vigilanza sopra l'adempimento della pia volunta del testatore* : *Ead. causa*, 12 *martii* 774, § 3.

in eorum ecclesiis asservare sanctissimum sacramentum Eucharistiæ? et quatenus affirmative

3. Ad quem pro hujusmodi effectu spectet onus subministrandi expensas?

4. An iidem teneantur residere intra limites eorum parochiæ, seu curæ et quatenus affirmative

5. An, et ad quem spectet onus præstandi domus juxta parochorum indigentiam decentes?

6. An ipsis competant omnia, et singula jura parochialia etiam in præjudicium cathedralis?

7. An præfati capellani, seu parochi frui debeant in futurum pærogativa habendi vocem in capitulo in electione vicarii capitularis, et similibus, prout ad præsens potiuntur? ad hæc omnia responsum prodiit, ut coadjuventur probationes circa qualitatem parochialem, et audiatur capitulum : *Catacen.*, *Parochialitatis*, 29 *novem.* 1704, *dub.* 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7. confirmatur inde, et additur, ut interim per modum provisionis sine præjudicio ambarum partium serventur decreta facta ab Ordinario super conservatione Sanctissimi Sacramenti in ecclesiis S. Mariæ de Meridie, et S. Stephani : 16 *maii* 1705. Denuo causa reproducta, suspensa definitio fuit, donec proponatur causa super meritis in secunda post reges, et interim vicarius recognoscet statum prædictarum parochialium juxta instructionem : 28 *novem. ejusd. anni*. Demum censuit S. C. prævio recessu a decisis a decreto provisionali Sanctissimum asservandum in ecclesia cathedrali, donec aliter a S. C. provideatur, et in reliquis audiatur capitulum super deductis in S. C., et interim serventur constitutiones circa electiones vicarii capitularis : 2 *octob.* 1706.

8. Capellani ad curam animarum exercendam a canonicis, et capitulo ecclesiæ cathedralis, et parochialis S. Ruini Assisii deputandi assumere nomen, et titulum capellanorum curatorum dictæ ecclesiæ possunt : *Assisien.*, *Curæ animarum*, 16 *novem.* 1709, *dub.* 3.

9. Decreta Card. Episcopi nempe 1 et 16 demandantia, ut archipresbyter sit unicus parochus utriusque parochiæ insimul unitæ S. Andræ, et S. Joan. Baptistæ oppidi Bagnariæ, et ut talis habeat integrum regimen ; rector vero, seu capellanus perpetuus habeat solam facultatem exercendi dictam curam in auxilium archipresbyteri, et omnia circa dictum gubernium animarum teneatur deferre eidem archipresbytero cum debito honore, et dependentia, valida sunt ex S. C. consulto : *Imolen.*, *Jur. paroch.*, 1 *junii* 1715, *dub.* 1.

10. Item decreta Card. Episcopi nempe 2 et 11, demandatia, ut archipresbyter tanquam parochus utriusque ecclesiæ unitæ, in quibusvis actibus, et functionibus titulo archipresbyterali uti debeat, sub invocatione utriusque SS. Joan. Baptistæ, et Andreæ; et e contra rector, seu capellanus perpetuus in subscriptionibus, et denunciationibus non se exprimat veluti parochus, aut curatus absolute illius ecclesiæ, sed se denominet, aut subscribat cum expressione capellani curati perpetui, seu rectoris perpetuæ capellaniæ curatæ in ecclesiis SS. Joan. Baptistæ, et Andreæ, valida esse S. C. defendit : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Decretum, quo demandatur, ut directio chori, Missarum, et functionum quarumcumque in ecclesia pro tempore peragendarum spectent ad archipresbyterum, et eo absente, vel impedito, chorus dirigatur, et functiones peragantur per capellanum perpetuum, si ipse velit; sin minus per alterum capellanum amovibilem, firmum est : *Ibid.*, *dub.* 4.

12. Et idem decretum, quo præcipitur, ut incepta functione ordine supradicto per capellanum amovibilem, vel perpetuum respective, non turbetur per capellanum, seu archipresbyterum supervenientem, ratum S. C. habuit : *Ibid.*, *dub.* 5.

13. Insuper decretum, quo jubetur, ne capellanus perpetuus admittat ad primam susceptionem sacramenti augustissimi Eucharistiæ pueros, vel puellas, nisi certiore facto archipresbytero de capacitate eorumdem puerorum in principiis, et rebus fidei, omnem vim habet : *Ead.*, 22 *junii* 1715, *dub.* 7.

14. Item decretum, quo injungitur, ut administratio sacramenti Eucharistiæ tempore paschali adhibeatur per ipsummet archipresbyterum, quatenus impeditus non reperiatur, quo casu adhibeatur per capellanum perpetuum curatum, nisi alias fuerit per archipresbyterum demandatum ; ita nempe, ut non nisi cum scientia, monito, et voluntate archipresbyteri administretur Eucharistia dicto tempore in satisfactionem præcepti paschalis, validum est : *Ibid.*, *dub.* 8.

15. Et decretum, quo decernitur, ut in solemni administratione sacramenti baptismatis, ac matrimonii capellanus perpetuus sese ingerat, quatenus archipresbyter illa ministrare non velit, validum judicatur : *Ibid.*, *dub.* 9.

16. Ac idem decretum, quo demandatur, ut capellanus perpetuus sacramento matrimonii non assistat, nisi certiore facto Archipresbytero sponsos satis esse instructos in primis fidei rudimentis, libere matrimonio consensisse, ambos in statu libero reperiri, nec ullum inter eos revelatum esse impedimentum, ratum habuit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 10.

17. Demum idem decretum, quo præcipitur, ne capellanus perpetuus audeat substituere inconsulto archipresbytero sacerdotes exteros in funeribus, aut aliis functionibus parochialibus præsertim ministrando sacramento matrimonii, S. C. tuetur : *Ibid.*, *dub.* 11.

18. Baro Marquadus de Reidkiemb, postquam sumptu suo pagum Stetten ab hæreticorum manibus vindicarat, exposuit, ut illius habitatores ad 150 ascendentes ab ecclesia parochiali media hora, seu germanica leuca distent, atque propterea postulavit, in capella januam in via publica obversam habente confessiones a capellano ab Ordinario adprobando audiri, ibique sacratissimum Eucharistiæ sacramentum conservari, ac distribui, verbum Dei explicari, aquasque, et tempestates benedici, aliaque parochialia munia exerceri, salvis tamen juribus stolæ proprio parocho competentibus. S. C. precibus ejusdem indulsit ad decennium, dummodo ipse se obligaret in forma juris valida ad manutenendum suis expensis lampadem, et dummodo præceptum paschale ab omnibus adimpleretur in parochia. Inde quæsitum est, num essent exequendæ litteræ apostolicæ etiam non accedente parochi consensu ? et affirmative juxta modum a Card. Præfecto exprimendum [352] rescriptum est : *Augustana*, 7 *april.* 1731.

19. Ad Capellanos curatos, qui erecti fuerunt apostolica auctoritate pro animarum curæ exercitio, non pertinet facultas eamdem curam, ac parochiales functiones in ecclesia S. Stephani de Campio privative peragendi ; sed cumulative cum plebano rectore ejusdem ecclesiæ. Nam in earumdem capellaniarum erectionis bulla legitur, jure parochialis ecclesiæ, et cujuslibet alterius semper salvo : *Florentina, Jur. paroch.*, 6 *decem.* 1738, *dub.* 1, confirmata 14 *martii* 1739.

20. Imo capellanos præfatos in respicientibus animarum curam subjiciendos plebano censuit S. C. : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

21. Ad dubium, an liceat parocho oppidi Folli ad sui libitum explere omnes functiones parochiales in ecclesia, et in loco Bastremoli, ibique etiam ad sui libitum residere? S. C. voluit ut scribatur Episcopo juxta instructionem [353] : *Lunen. Sarzanen, Juris amovendi capell. cur.*, 2 *sept.* 1747, *dub.* 2. Deinde affirmative ad primam, reservatis capellano curato emolumentis, negative ad secundam partem S. C. respondit : 11 *maii* 1748.

22. Capellanus curatus in duas ecclesias S. Luciæ, et S. Bartholomæi intra fines ecclesiæ parochialis S. Mariæ extra mœnia arcis Sancti Leonis constitutus non debet alternatim divina immolare sacrificia, aliaque parochialia munera exercere, sed solitum ante decretum Episcopi Calvi servari S. C. mandat ; licet ex diuturna consuetudine alternis vicibus in illis parœciis officium suum fungeretur : *Feretrana, Alternativæ*, 22 *junii* 1748.

23. Capellano curato ecclesiæ S. Bernardi loci Delii, quæ distat ab ecclesia parochiali S. Laurentii duobus fere millibus passuum concedenda est sepeliendi cadavera, et administrandi sacramenta baptismi, et extremæ unctionis facultas, salvis juribus parochialibus ; non quoad matrimonia, et implementum præcepti paschalis : *Albinganen., Cur. animar. et funct.*, 9 *sept.* 1752, *dub.* 1.

24. Et an populo Delii indulgendum sit, ut audiat sacrum a dicto capellano in ecclesiis S. Bernardi, aut S. Laurentii die Paschatis faciendum ? huic dubio provisum fuit in decreto Episcopi [354] : *Ibid.*, *dub.* 2.

25. Necnon licet in eadem ecclesia S. Bernardi capellano funebres, et alias non parochiales functiones peragere, salvis tamen emolumentis parochialibus : *Ibid.*, *dub.* 3.

26. Parochia Alpisplanæ duo inter fines suos comprehendit dissita loca vicum superiorem, et vicum medium, in quorum primo adest oratorium S. Josephi, ubi denegata fuit erectio novæ parochiæ. S. C. etsi noluerit, ut parochus pro tempore dictæ parochiæ Alpisplanæ cogi debeat retinere curatum vicarium in dicto oratorio, censuit tamen esse

[352] Modus autem est ut prævia restrictione gratiæ ad decennium proximum tantum sacellanus, seu capellanus nequeat exercere alia munia parochialia, præter ea, quæ explicite enunciantur in eisdem litteris apostolicis, quoque facultas prædicandi verbum Dei, catechismum, et doctrinam Christianam edocendi, eidem capellano ultra tempus restrictum in relatione Ordinarii sub die 23 januar. 1728 libere concedatur pro anni tempore etiam, quoad incolas pagi Stetten., et in reliquis serventur modificationes, et conditiones contentæ in eadem supradicta relatione Ordinarii : Lib. 81, *Decret.* pag. 147.

[353] Ut Episcopus referat, an in deputatione capellani pro loco Bastremoli Episcopus illum dumtaxat approbaverit pro audiendis sacramentalibus confessionibus, aliisque administrandis sacramentis, seu potius nominationem, et deputationem dicti capellani a parocho factam pro exercitio curæ animarum in eodem loco confirmaverit, et an præcedentes deputationes capellanorum factæ fuerint cum qualitate amovibilitatis ad nutum parochi : *Regist. lit.* lib. 30, *die* 2 *sept.* 1747.

[354] Populus Delii anno 1718 Episcopo visitationem agenti preces obtulit, quibus petebat, ut suis prospiceret incommodis. Episcopus, qui præsens viderat iter asperum, præruptum, difficile, et octo rivis interceptum, qui hiberno præsertim tempore, quo tumescunt, sine periclo trajici non possunt, qui cognoverat plures sine sacramentis decessisse, majorem populi illius partem sacris interesse festis diebus non posse, pueros fere omnes ipsa fidei rudimenta ignorare, audito parocho, decrevit, ut salvis emolumentis parochialibus, in oratorio Delii retineretur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pro infirmis, ut sacrum in eo fieri quotidie posset, exceptis diebus festis Paschatis, et S. Laurentii, utque a capellano Evangelium populo, pueris fidei rudimenta explicarentur : *Ead. causa*, 29 *julii* 1752.

providendum, nempe facultatem concedendo capellano vici superioris expensis, illius populi audiendi in hujusmodi oratorio publico confessiones, conservandi sacram Eucharistiam, et oleum sanctum, et hæc sacramenta administrandi, Missamque etiam diebus solemnioribus celebrandi salvis quibuscumque juribus parochialibus: *Derthonen.*, *Dismembrationis*, 11 *jan.* 1766, *dub.* 2.

§ II.

Capellanus curatus quoad electionem, et deputationem.

1. Collapsa ecclesia S. Michaelis Archangeli, parochus villæ Lapidiæ cœpit functiones parochiales in ecclesia, seu oratorio confraternitatis S. Bernardini exercere. Sanctesii dictæ villæ electionem capellanorum, qui stipendium accipiunt ex eleemosynis in præfata ecclesia S. Michaelis collectis, ad seipsos spectare contendunt. S. C. ut Episcopus audiatur, rescripsit: *Spoletana, Parochialitatis*, 16 *novem.* 1715, *dub.* 5.

2. Capellanum curatum pro nunc constitui mandavit S. C. in ecclesia S. Mariæ loci Retorti expensis parochi, et scribi Episcopo juxta instructionem [383], donec definiretur, num locus sit dissolutioni unionis ecclesiæ parochialis villarum ipsius loci, et Silvæ ab altera ecclesia parochiali villæ Rompeggi? *Placentina*, 13 *april.* 1726, *dub.* 1 et 2.

3. Thesaurarius ecclesiæ cathedralis per publicas schedulas capellanum curatum quærebat, ut archipresbyterum oppidi S. Blasii adjuvaret, spondens, qui sese minori stipendio offerebat, electurus. Ob id Episcopus vicariam perpetuam erexit; at S. C. hanc rescindit, præcepitque, ut archipresbyter deputet capellanum coadjutorem cum salario ab eodem statuendo sumptibus thesaurarii: *Neocastren.*, *Parochialis*, 23 *junii* 1725, *dub.* 3. Deinde censuit deputandum esse in capellanum coadjutorem sacerdotem a thesaurario nominandum, et ab Episcopo prævio examine adprobandum, statuta eidem per Episcopum congrua ex reditibus thesaurarii: 10 *maii* 1727.

4. Capellanum, seu vicarium ad exercitium curæ animarum ecclesiæ cathedralis deputandum, vel de gremio capituli dictæ cathedralis, vel extra gremium ipsius, ab Episcopo, a quo præmisso examine adprobati semper fuerunt presbyteri ad curam animarum electi a capitulo, approbari debere, resolutum fuit: *Cingulana, Curæ animarum*, 19 *julii* 1732, *dub.* 5.

5. Cardinalis de Ilcio Episcopus Sabinensis ecclesiam S. Nicolai oppidi Canemorto visitans decrevit, ut vicarius perpetuus, intra unius mensis spatium per abbatem commendatarium abbatiæ S. Mariæ *del Pian di Pozzaglia,* cui parochia illa erat adnexa, de coadjutore provideretur. Id ægre tulerunt Bernardinus Narius abbas, et Franciscus Caffarellius resignatarius. At Episcopus retulit, quod 170 primum erant familiæ, et quod nunc sint 216, et quæ olim erant capita hominum 820, nunc sint 1030; hinc unus non sufficiat omnibus. Ad id ergo, quod proponebatur, responsum fuit esse capellani curati appositioni locum: *Sabinen.*, 18 *septem.* 1751.

6. Necnon decretum supra expositum, quod Card. Episcopus ediderat, exequendum esse fuit firmatum: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Denegata dismembratione a S. C. ecclesiæ parochialis pagi Schliengen decreta fuit deputatio capellani curati, qui continuo residere debeat in pago Steinenstatt, et sumptibus magni prioris, ex decimis parochialibus Steinenstatt, et in subsidium reliquum suppleatur a communitate: *Constantien.*, 27 *junii* 1761, *dub.* 2.

8. Accolæ *Fontis Voracis*, qui inter gelida Appennini juga positi sunt, ab Episcopo capellanum, seu vicarium parochi pro se, aliisque circumjectis pagis obtinuerunt; domus enim pro illius habitatione princeps ab Auria construxerat. Sed quum iidem dismembrari ab antiqua parochia Casanovæ nequivissent, petierunt, quomodo ei foret providendum? et optime ab Episcopo provisum fuisse, statutum est: *Derthonen.*, *Dismembr.*, 23 *junii* 1764, *dub.* 2.

9. Locum esse S. C. existimavit ad tramites decreti Sacræ Visitationis deputationi capellani curati in ecclesia rurali S. Mariæ *della Molara*, intra

[383] Instructio S. C. in sensu fuit, ut expensis parochi S. Michaelis loci Rompeggi constituatur capellanus, qui resideat in ecclesia S. Mariæ loci Retorti, et in ea exerceat curam animarum pro commoditate populi sub ea degentis; ac ulterius Episcopo rescribendum esse censuit ut citatis interesse habentibus capere faciat mensuram latitudinis torrentis, seu fluminis *Nuci* nuncupati in loco, in quo pedagium constituendum est, et in præteritis constitutum fuit, necnon S. C. instructam reddat super quantitate redituum tam certorum, quam incertorum, qui remanerent pro parocho S. Michaelis, quoties fieret dismembratio ecclesiæ S. Mariæ, et huic bona assignarentur, quæ ad ipsam ante unionem pertinebant; præterea referat precisam quantitatem bonorum, et redituum ad ecclesiam S. Mariæ pertinentium, et quid instantes pro nova construenda parochia in ecclesia S. Mariæ intendant quolibet anno contribuere pro novi parochi manutentione, quomodo se obligare intendant, et an prætendant, quod præsentatio novi parochi ad ipsos pertinere debeat: *Regist. lit.* lib. 27, *die* 13 *april.* 1726.

fines parochiæ Montis Portii, ubi permulti commorabantur toto agro dispersi cum suis familiis; et ex his e vivis nonnulli decedunt absque sacramentorum auxilio, et hiberno tempore sæpe diebus festivis sacrum non audiunt: *Tusculana*, 8 *junii* 1765, *dub.* 1.

10. Francisco Monti parocho ecclesiæ S. Mariæ ad Mare in castro Turris Palmarum, qui aqua salutis infantem jam rite baptizatum abluit, et causa ejusdem imperitiæ in latina lingua, postulavit communitas dicti castri substitutionem capellani curati, qui animarum commodis diligentius inserviat, quum reditus parochiales essent scutorum 160 annuatim; S. C. autem respondit, ut oblatis precibus Archiepiscopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini [356]: *Firmana*, *Dispensationis ab irregularitate*, 28 *april.* 1781, *dub.* 2.

11. Jam antea denegata fuerat dismembratio parochialis ecclesiæ S. Nicolai villæ Mensæ, ac respective erectio ecclesiæ B. M. V. Angelorum terræ Canutii in novam parochiam, quando S. C. mandavit esse providendum per translationem capellani curati ab ecclesia S. Eleuterii ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum, facta ab hominibus villæ Canutii domum eidem capellano curato suppeditandi obligatione: *Ravennaten.*, *Dismembrationis*, 5 *april.* 1783, *dub.* 2.

12. Misereri maxime oporteret habitatorum regionis les Palus, quæ trans torrentem Sorque sita est, et duas circiter leucas ab oppido Montilii, ac paræcia distat; iter est difficile, ac periculis plenum, qua de causa minime vocem sui pastoris audiunt, et sine sacramentis moriuntur. Actum fuit apud S. C., an sit locus additioni quarti presbyteri in ecclesia parochiali oppidi Montilii? et responsum negativum prodiit: *Carpenctoraten.*, *Dismembrationis*, 20 *aug.* 1785, *dub.* 1.

13. Deinde mandatum fuit a S. C. esse locum erectioni capellæ, seu ecclesiæ succursalis in loco territorii les Palus juxta votum Archiepiscopi [357]: *Ibid.*, *dub.* 3.

14. Hæc autem ecclesia succursalis construenda est, ac domus pro habitatione presbyteri capellani, necnon subministranda sunt sacra supellectilia, et respective manutenenda sumptibus monasterii decimatoris S. Benedicti Montis: *Ead.* 4 *febr.* 1786, *dub.* 1, causa reproducta rescriptum est, ad mentem [358]: 20 *maii ejusd. anni*, confirmata 29 *julii ejusd. anni.*

15. Et quoad stipendium eidem capellano præstandum in omnibus dicti monasterii sumptibus juxta taxam præscriptam in Constitutione Sanctissimi anni 1778: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

16. In parochia castri S. Petri duæ Appojani nomine sunt villæ animarum 100, et duplici, et ultra lapide per asperum iter procul ab ecclesia parochiali; ideo illarum incolæ supplicant pro erectione novæ parochiæ, vel institutione capellani curati in oratorio Appojani S. Athanasii cum assignatione decimarum, et unione beneficii S. Athanasii; S. C. censuit institutioni capellani curati residentis locum esse: *Asculana*, *Erectionis parochiæ*, 26 *novem.* 1796, *dub.* 1.

§ III.

Capellanus curatus quoad Missam pro Populo.

1. Capellani curati amovibiliter a capitulo, et ca-

[356] Sess. 21, cap. 6, *de Reform.* ubi legitur: « Quia illiterati, et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt, quam ædificant; Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestæ vitæ sint, coadjutores, aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione, et exemptione remota. » Et Concil. Trid. sequuta est S. C. declarando quoad curatos ecclesiarum parochialium illiteratos, et imperitos Episcopum uti posse facultate sibi per Sacr. Concil. tributa cap. 6, sess. 21, *in Cassanen.* 16 *januar.* 1638, *dub.* 1, lib. 15, *Decret.* fol. 649.

[357] Ait Archiepiscopus: « Constat in facto quod locus dictus *les Palus* alias neglectus, quoad culturam terreni, paucas haberet mansiones, et consequenter incolas, sed post cursum annorum viginti usque adhuc multæ domus fuerunt extructæ, quam plurimæ familiæ degentes, et numerus populi magis, magisque auctus. Constat insuper, ut distantia dicti loci les Palus ad ecclesiam parochialem sit valde considerabilis. Etenim ex loco dicto de Pont des Vaches ad oppidum Monteux est *di tre quarti di lega*; distantia vero du Pont des Vaches ad fines des Palus *di cinque quarti di lega*; ita ut videatur omnino circa medium loci les Palus prope domum Joannis Ludovici Danis, necessariam esse erectionem novæ ecclesiæ pro populo, novam domum, et novam congruam in favore presbyteri, qui in adjutorium parochi, et populi a parochiali ecclesia distantis exerceat functiones parochiales in ecclesia succursali. » Et concludit: « Reliquum est aliquid dicere, cujus expensis fieri debeat constructio ecclesiæ succursalis novæ domus, et nova congrua presbytero assignanda. Regulæ juris in hac re decernunt, ut priores decimatores eo quod decimas exigunt, teneantur pro parte ad constructionem novæ ecclesiæ, novæ domus, et ad solutionem totius congruæ, necnon dationis, et manutentionis omnium articulorum, qui necessarii sunt pro decenti servitio ecclesiæ, ita ut si reditus decimarum non sufficiat, tunc habitantes loci cogi possunt, uti singuli solvere summas deficientes. Verum hoc timendum non est, quia priores annuatim recipiunt pro decimis summam librarum 1400. Et satis quoad hoc provisum videtur a Concilio Tridentino sess. 21, cap. 7, *de Reform.*: *Ead. causa*, 30 *julii* 1785, § 6, et seqq.

[358] Et mens est ut Episcopus statim provideat de ido-

nonicis ecclesiæ cathedralis deputati exercitio animarum curæ, tenentur diebus dominicis, et festis Missam applicare pro populo; etiamsi iidem una cum mansionariis, et canonicis Missas conventuales in dicta ecclesia cathedrali celebrare adstringantur: *Ferrarien*, 18 *martii* 1719, *dub*. 5.

2. Capellano curato parvæ ecclesiæ S. Josephi olim Sanctæ Marmellæ in sacris visitationibus a Card. Episcopis mandata fuit applicatio Missæ pro populo, sed applicare pro populo ille renuit, ac declarari an teneatur petiit; sed teneri S. C. decrevit. Ait enim Episcopus eum curam animarum libere, et independenter exercere a quolibet alio parocho; licet tamen ille sit amovibilis ex lege fundationis capellaniæ, nec ulla parochialia emolumenta percipiat, ac habeat onus Missarum in favorem fundatoris: *Portuen.*, *Applicationis Missæ pro Populo*, 19 *julii* 1766.

§ IV.

Capellanus curatus quoad residentiam, et onera.

1. Institutæ fuerunt ante Concilium Tridentinum in quibusdam ecclesiis parochialibus capellaniæ perpetuæ, quarum rectores parochos adjuvarent in curam animarum, inde venerunt in diceptationem dubia, quæ definita fuerunt a S. C., coadjutores, nempe, omnes hujusmodi, quomodocumque sint capellaniæ institutæ, teneri ad residentiam personalem eadem lege Concilii Trid. sess. 23 cap. 1, *de Reform.* [359], qua rectores ipsi parochialium ecclesiarum tenentur: *Brixien.*, *anni* 1573, *dub*. 1.

2. Et ab ea lege excipiuntur dumtaxat, qui ex institutione possunt per alium servire: *Ibid.*, *dub*. 2.

3. Ac Episcopus tenetur eosdem coadjutores ad residentiam, sicut rectores ipsos compellere: *Ibid.*, *dub*. 3.

4. Nequit autem idem Episcopus cum aliquo hujusmodi coadjutore dispensare quoad residentiam personalem, prout nec cum rectoribus ipsis potest: *Ibid.*, *dub*. 4.

5. Decretum Card. Episcopi, quo decernitur, ut in omnibus functionibus, in quibus archipresbyter Missas, vel vesperas solemniter celebrat, capellanus curatus perpetuus teneatur eidem inservire in altari vel choro, ratum est: *Imolen.*, *Jur. paroch.*, 1 *junii* 1715, *dub*. 6.

6. Suppresso parvo monasterio Carmelitarum sito in pago, qui dicitur *Monte Fune*, ejusque bonis instituta capellania perpetua cum cura animarum, cui onus legata sacrorum implendi, ac quotannis solvendi scut. 18, hospitali *della Scaletta* civitatis Fori Cornelii, cui adstricti erant patres Carmelitæ, datum fuit. Inde capellanus diminutionem dictæ annuæ præstationis obtinuit, et modo ab hoc onere absolvi petit, quod suæ parœciæ reditus hisce oneribus sunt impares. S. C. eum audivit: *Imolen.*, *Reduct. Missar., et liberar. oner.*, 7 *aug*. 1745, *dub*. 2.

7. Capellanus Brunati curatus institutus a Dominico Michilli in ecclesia parochiali S. Georgii Montis Monachi in adjutorium parochi personaliter explendum, cogendus est ad celebrationem Missarum per seipsum sub pœna privationis beneficii, nec valet per alium exequi: *Montis Alti*, *Capellaniæ*, 29 *julii* 1752, *dub*. 1.

8. Et idem capellanus curatus tenetur ad redditionem rationis, ac traditionem omnium, quæ continentur in decretis Sacræ Visitationis, ac successiva sententia reverendissimi Ordinarii: *Ibid.*, *dub*. 2.

9. Capellani curati ædes, ac instauratio ecclesiæ SS. Angelorum Custodum spectat ad capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Elpidii ad Mare: *Firmana*, 7 *sept*. 1776, *dub*. 4.

§ V.

Capellanus curatus quoad remotionem.

1. Quoad capellanos curatos, qui ad nutum, et sæpe absque causæ cognitione abdicantur, Episcopum jure suo uti debere, deciditur: *Civitatis Castellanæ*, 26 *aug*. 1628, *dub*. 2.

2. Quum in plerisque ecclesiis parochialibus comitatus Nursiæ assertus mos invaluisset, ut eorum rectores ad nutum respective parochiæ incolarum amoveantur, Episcopus decernere voluit, ne in

neo capellano pro incolis loci les Palus sumptibus monasterii: *Ead. causa*, 20 *maii* 1786.

[359] Hoc decretum una cum sess. 6, cap. 2, *de Reform.* decernit, ut nulli obtinenti beneficium curam animarum habens non residere liceat, nisi ob rationabilem causam ab Episcopo approbandam, deputandis nihilominus vicariis ob curam animarum. Huic dispositioni accessit Const. Pii IV, *in Suprema*, 25 novem. 1564, in qua præter pœnas inflictas in dictis duobus Trid. decretis addita est altera privationis parochiæ, amissionis facultatum testandi, et disponendi, si quæ residentiæ transgressoribus competere dignoscantur, eorumque bona, tam mobilia quam immobilia, jura, actiones etc. subjiciuntur spolio cameræ apostolicæ. Inde in Const. S. Pii, *Cupientes*, 11 julii 1568, obstringuntur ad legem residentiæ beneficiati, aut dignitates, curam animarum habentes pari modo, ac simplices parochi. Quoad eosdem autem in urbe commorantes, et ad suas ecclesias redire negligentes, accessit edictum Innoc. XIII, emanatum 1723, et innovatum a Bened. XIII, in *Concil Rom.* tit. 17, *De non resid.* cap. 7. De residentia difuse agit Bened. XIV. *Inst. Eccl. XVII* per tot. edit. Ingolstadii, et Augustæ Vind. 1751, p. 101

posterum animarum curam obeuntes ipso inconsulto abdicarentur. Reclamavit communitas Montis Bufi, et S. C. non licere communitati capellanum seu curatum ad nutum amovere, sed tantum ex causa adprobanda per Episcopum, declaravit : *Spoletana, Juris amovendi curatum*, 8 *julii* 1713.

3. Eques Gaddius commendatarius, ad cujus commendam sacri ordinis Hierosolymitani pertinet parochialis ecclesia S. Christophori, eligere capellanum curatum amovibiliter consuevit, ac amoto sacerdote Antonio Philippo Castellucci hodierno capellano curato, vocatur in deliberationem, an liceat eidem commendatario movere capellanum curatum ad suum libitum, seu dumtaxat ex causa ab Episcopo adprobanda ; et ad mentem respondit : *Civitatis Plebis, Juris removendi curatum*, 19 *julii* 1732. Inde in casu, de quo agitur, esse locum alterius capellani deputationi decrevit : 27 *sept. ejusd. anni.*

4. Dubio, an sustineatur remotio Franscisci Sarri capellani curati ecclesiæ parochialis nuncupatæ *della Casalina* ab abbate monasterii S. Petri Congregationis Cassinensis civitatis Perusiæ peracta, cui unita est memorata ecclesia ? contendente dicto capellano ad nutum non esse amovibilem, et de immemorabili consuetudine in sui favorem constare; S. C. ad mentem [360] respondit : *Perusina, Remotionis vicarii, sive capellani curati*, 3 *aug.* 1743.

5. Non licet parocho oppidi Folli amovere ad suum arbitrium, et etiam absque causa ab Ordinario cognoscenda, capellanum curatum a terra Bastremoli, cui est subjecta, licet ab ipso nominatus ille fuisset : *Lunen. Sarzanen., Juris amovendi capellanum curatum*, 2 *sept.* 1747, *dub.* 1, confirmata 11 *maii* 1748.

6. Quum archipresbyter Petrus Giovanellius terræ Gradariæ, deputato in suum vicarium Andrea Nardio, ut suam causam, in qua de privatione parochiæ agebatur, in S. C. tribunali tueretur, Romam venisset, curia episcopalis eum amovit, et alium deputavit; et dictum Nardium uti capellanum pro ecclesia rurali S. Sophiæ, quæ est adnexa archipresbyteratui, constituit. De hoc conquestus est archipresbyter, et consulta S. C. remotionem capellani sustinere resolvit : *Pisauren.*, 1 *sept.* 1753, *dub.* 1.

7. Non constat de perpetuitate capellani curati, seu vicarii curati ecclesiæ filialis S. Felicitatis villæ Rocchettæ deputandi a priore, seu parocho ecclesiæ parochialis matricis S. Angeli in Cryptis, sed de illius ammovibilitate ad nutum ; ita ut sustinetur remotio sacerdotis Dominici Pauletti. Nam fuit deputatus expresse ad nutum, ac sumptibus parochi est conductus : *Montis Alti, Remot. capell., et jur. paroch*, 12 *julii* 1762, *dub.* 1.

8. Thomas Cardinellius parochus castri Gimiliani, et villæ Podii, ne invitus ab Episcopo cogeretur dimittere exercitium curæ animarum per se, et per capellanum Pomponium a se assumptum obeundum, præsidio S. C. nititur. At Episcopus capellanum amovit, et alium morigerum substituit, idoneum ab examinatoribus synodalibus compertum, et S. C. remisit amotionem illam arbitrio, et conscientiæ Episcopi : et in casu denegatæ redintegrationis Pomponii, Episcopus præfigat terminum parocho ad eligendum alium capellanum ab eodem Episcopo adprobandum, et ad mentem : *Asculana*, 26 *febr.* 1763, *dub.* 1.

§ VI.

Capellanus curatus quoad stipendium, ac emolumenta.

1. Quinam de jure teneantur stipendium capellano coadjutore in curam animarum oppidi Podii Mirteti solvere? respondit S.C. teneri assertos canonicos. Nam his onus archipresbyterum adjuvandi incumbit, quia ipsi de decimis participant : *Farfen., Decimar. et deput. capell.*, 1 *sept.* 1691. *dub.* 5.

2. Censuerat S. C. approbandum esse cappellanum, seu vicarium curatum ad exercitium curæ animarum ecclesiæ cathedralis electum a capitulo, et ab Episcopo præmisso examine confirmatum ; modo mercedem eidem a præposito, sed ex massa capitulari solvendam esse resolvit : *Cingulana, Curæ animarum*, 19 *julii* 1732, *dub.* 4.

3. Archipresbyter Petrus Giovanellius terræ Gradariæ causa suæ absentiæ in suum vicarium, seu capellanum curatum deputavit Andream Nardium. Sed curia episcopalis eum amovit, et alium elegit, et dictum Nardium uti capellanum pro ecclesia rurali S. Sophiæ, quæ est annexa archipresbyteratui, constituit. S.C. remotionem Nardii defendit; hinc quæsitum fuit: An idem Nardius teneatur stipendium exactum restituere, quod deberi archipresbyter ab eo, qui præposuit, ostendit; seu relaxandum sit mandatum pro aliis salariis elapsis, et non solutis usque ad diem præstiti servitii? S. C. rescripsit ad mentem : *Pisauren.* 1 *sept.* 1753, *dub.* 2. Deinde affirmativum ad primam partem, negativum ad secundam dedit responsum : 28 *sept.* 1754, *dub.* 1.

[360] Et mens est, ut Sarri in casu, de quo agitur, non removeatur, nisi ad effectum eum præficiendi alteri parochiæ : Lib. 95, *Decret.* fol. 349.

4. Obiit capellanus curatus ecclesiæ S. Mariæ receptitiæ de Castello civitatis Castrivillarum, et inter participes, Carmelus Casellius, qui inter expectantes erat, et senior in ordine, admissus fuit; sed indicto concursu, electionem in capellanum Antonius Campanella tenuit. Quæstionem excitatam S. C. diluit definiens capellano curato deberi partitionem massæ communis, quamvis non sit parochiæ incola, nec sacerdos supranumerarius in ordine ejusdem ecclesiæ senior : *Cassanen.*, 3 *april.* 1756, *dub.* 1.

5. Et deberi ei a die electionis partitionem prædictam, ad quam postremo admissus fuit Carmelus Casellius, et a die captæ possessionis : *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Siculi archipresbyter Montis Portii renuebat aliquid posse præstare rurali capellano curato, fuit disputatum : An et a quo, et quomodo, et in qua quantitate debeatur eidem capellano salarium? S. C. respondit : Dilata, et firmetur status servatis servandis coram Ordinario : *Tusculana,* 8 *jun.* 1765, *dub.* 2.

7. Incolarum territorii oppidi S. Elpidii a Mare indigentiis occurens Archiepiscopus Firmanus capellanum curatum constituit in ecclesia SS. Angelorum Custodum, et pro stipendio mandavit, ut traderentur rubra frumenti colligenda ex familiis rusticorum, prout hactenus factum est pro stipendio capellani non curati, necnon oleum pro lampade perpetua ; at temporibus postremis hoc solvere incolæ præfati detrectarunt ; ob id S. C. decrevit præter rubra decem frumenti tribuenda capellano curato a societate S.Mariæ Misericordiæ, debere suppeditationem rubrorum quinque, et olei pro lampade parochiæ incolas Arellæ, manutentionem vero ecclesiæ et ædium parochialium ad collegiatam S. Elpidii spectare : *Firmana*, 7 *sept.* 1776, *dub.* 1.

8. Deinde sancivit S. C. frumentum et oleum esse exigendum a syndicis dicti loci Arellæ ad formam divisionis adprobandæ a Card. Archiepiscopo, ac consignandum capellano curato : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Archipresbyter ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Majoris terræ Bictoniæ, recusantibus canonicis onus curæ subeundi, assumpsit tres exteros sacerdotes in capellanos curatos cum stipendio scut. 25. Modo supplicat pro augmento in aliis scut.9 non ex propria præbenda, sed ex massa communi, uti fuit capitulariter resolutum, spectata privatione proventus scut. 700 facta ab archipresbytero in favorem collegiatæ, occasione suæ erectionis. Et S. C. esse locum augmento stipendii capellanorum resolvit, quatenus non interveniant sacerdotes oppidani : *Assisien.*, *Stipendii*, 17 *sept.* 1796, *dub.* 1.

10. Necnon censuit dictum augmentum deberi ex massa communi,non ab archipresbytero : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Quum S. C. institui mandasset capellanum curatum in oratorio Appojani S. Athanasii, haud esse locum erectioni novæ parœciæ; item jussit, ut ei congrua constituatur facta obligatione per communitatem juxta votum Episcopi [381] : *Asculana*, *Erectionis parochiæ*, 26 *nov.* 1796, *dub.* 2.

Capellanus religionis hierosolymitanæ. Vide *Religionis militaris*, § III.

CAPELLANUS SODALITII.

§ I.

Capellanus sodalitii quood jura, præcedentiam, et facultatem sacras functiones peragendi.

1. Capellanus archiconfraternitatis Mortis indutus superpelliceo, et stola nequit post absolutum a parocho officium funeris in ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, super eodem cadavere una cum sodalibus canere psalmos *Miserere* et *De profundis* cum aspersione aquæ benedictæ : *Romana*, *Funerum*, 10 *januar.* 1682, *dub.* 3.

2. Capellani societatum sanctissimi Suffragii, et Laurentii Pontremuli ministrare nequeunt, nisi de speciali licentia Ordinarii christifidelibus ad ecclesiam confluentibus extra tempus paschale sacramentum pœnitentiæ, et Eucharistiæ : *Lunen. Sarzanen.*, *Jurium parochialium*, 19 *aug.* 1690, *dub.* 3. Inde censuit S. C. posse, accedente consensu parochi : 13 *januar.* 1691.

3. Dictosque capellanos in diebus Purificationis B. M. V., et dominicæ Palmarum non posse facere solemnes benedictiones candelarum, et palmarum palam in ecclesia, vel privatim in sacrario, deciditur : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

[381] Qui putat assignanda esse scut. 15 ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus ex scut. 30, quæ Appojani illi ecclesiæ solvunt, et uniantur scut. 14 beneficii S. Athanasii, et id augeri potest præstatione illa, ad quam incolæ sese obstringere parati sunt. *Ead. causa*, 26 *novem.* 1796, § 4.

4. Nec in solemnioribus anni diebus possunt canere, et celebrare Missas, et vesperas solemnes sine licentia parochi : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

5. Ad dubia, an capellani societatis S. Mariæ Coronatæ, seu Suffragii Bononiæ aggregatæ archiconfraternitati Suffragii Urbis possint christifidelibus ad ecclesiam confluentibus extra tempus paschale administrare sacramentum pœnitentiæ, et Eucharistiæ absque parochi venia?

6. An iidem capellani in diebus Purificationis B. M. V., et dominicæ Palmarum possint facere solemnes benedictiones candelarum, et palmarum palam in ecclesia, vel privatim in sacrario absque licentia parochi?

7. An in solemnioribus anni diebus possint canere et celebrare Missas, et vesperas solemnes absque parochi venia? danda esse decreta in *Lunen. Sarzanen.*, 19 *aug.* 1690 et 13 *januar.* 1691, *ad dub.* 3, 4 et 5 [362] S. C. censuit : *Bononien.*, *Jur. paroch.*, 17 *nov.* 1691, *dub.* 2, 3 et 4.

8. Dubium, an parocho impedito, vel abnuente explere functiones expositionis, et benedictionis Sanctissimi Sacramenti possit capellanus sodalitii laicalis S. Nicolai de Tolentino absque alia ejusdem parochi venia? solvit S. C., tradens decreta [363] : *Ferrarien.*, *Jur. paroch.*, 22 *martii* 1698, *dub.* 3.

9. Capellanus oratorii societatis Mortis, et Orationis Casalis Majoris potest recitare privatim qualibet die sabbati, et aliis diebus ad formam constitutionum sodalitii, litanias B. M. V. absque facultate, vel interventu præpositi, in cujus parochiæ limites oratorium situm est : *Cremonen.*, 23 *jan.* 1706, *dub.* 9.

10. Non licet eidem capellano in supplicationibus, aliisque functionibus, dum una cum sodalibus incedit, ac intervenit respective, uti stola præsente etiam dicto præposito extra oratorium : *Ibid.*, *dub.* 10.

11. Dubio proposito, an pertineat ad capellanum societatis doctrinæ Christianæ erectæ in ecclesia parochiali S. Mariæ de Curtina in simplex beneficium redacta; vel ad capitulum basilicæ S. Antonini Placentiæ canere Missam, benedicere populo cum Sanctissimo, officium facere mortuorum, et alias functiones cum stola, pluviali, et aspersione aquæ lustralis in celebratione officii mortuorum, vel trigesimi in dicta ecclesia S. Mariæ, cujus cura parochialis unita fuit dictæ Basilicæ? S. C. ad S. C. Rituum [364] commendavit : *Placentina*, *Functionum ecclesiasticarum*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1.

12. Eamdemque responsionem [365] tulit S. C., an societati doctrinæ Christianæ prædictæ in dicta ecclesia S. Mariæ liceat celebrare, vel celebrare facere per ejus capellanum omnes functiones non parochiales independenter a parocho ecclesiæ collegiatæ S. Antonini? *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Capellanus societatis Orationis, et Mortis loci Prædarii potest deferre stolam in supplicationibus, quæ in oratorio, non autem, quæ extra illud fiunt : *Novarien.*, *Aggregationis*, 24 *sept.* 1718, *dub.* 6.

14. Necnon capellano dictæ societatis licet agere benedictionem, et distributionem candelarum in dicto oratorio pro sodalibus, et sororibus in festo Sanctissimæ Purificationis : *Ibid.*, *dub.* 12. Et hoc dubio ad examen iterum revocato, rescriptum est : Ad mentem : 13 *januar.* 1720.

15. Capellanus sodalitii Salutis expleta supplicatione generali diei festivitatis ecclesiæ S. Antonii abbatis terræ Medicinæ, ubi societas translata fuit, superpelliceo, et stola indutus, absente vel etiam renuente parocho, licet populo benedicere in propria tamen ecclesia, non extra illam : *Bononien.*, 28 *junii* 1724, *dub.* 4.

16. Et eidem societati adjudicata facultate sepeliendi in propria ecclesia cadavera sodalium, et consororum, qui ibidem sepulcrum elegerint, decretum fuit capellanum ejusdem absque parocho non posse officium aliasque functiones super eisdem cadaveribus explere, nisi parochus vocatus renuat, vel alium sacerdotem non substituat : *Ibid.*, *dub.* 9.

17. Et quoad dubium, an dictæ societatis capellano in functionibus novendialibus, et expositionis Sanctissimi Sacramenti tempore infirmatis alicujus sodalis liceat populo benedicere? servandas constitutiones synodales decernitur : *Ibid.*, *dub.* 11.

[362] Vide num. 2, 3 et 4.

[363] Alias edita, et præsertim in *Lunen. Sarzanen.*, 27 *julii* 1697 tenoris, ut sequitur : Ad preces confratrum oratorii S. Laurentii Pontremoli, qui ob imminentem festivitatem S. Laurentii supplicant committi Ordinario deputationem alterius sacerdotis loco parochi, qui Missam, aliasque ecclesiasticas functiones valeat explere in oratorio. E converso autem parochus ad removendum omnem ambiguitatem supplex petit rescribi, non teneri similem licentiam impertiri, nisi in casu, quo, aut nequeat, aut justis de causis nolit per seipsum functiones prædictas peragere et ob id in casu itidem alicujus provisionis ad preces eorumdem confratrum ab hac S. C. capiendæ ipsum solummodo parochum ecclesiasticas functiones exercere debere? S. C. censuit parochum non teneri impertiri licentiam, nisi fuerit impeditus, vel noluerit per seipsum gratis functiones peragere : Lib. 48, *Decret.* pag. 133, et seqq.

[364] Sub die 2 julii 1712. S. C. Rituum decrevit : « Ad primum quoad, benedictionem cum venerabili arbitrio Episcopi, quoad reliquas functiones, spectare ad parochum in casu de quo agitur. » « Ad secundum, recurrant in casibus particularibus : » Lib. *Decret. S. C. R.* sub dicto anno, fol. 297.

[365] Vide not. 364.

18. Societas S. Leonardi in ecclesia B. M. de Planctu, quæ intra limites parochialis ecclesiæ S. Salvatoris civitatis Fulginii sita est, reduxit propriam ecclesiam in ampliorem formam, et indultum retinendi in ea sanctissimum Eucharistiæ sacramentum obtinuit, ac ideo cum eo supplicationem singulis annis post expositionem 40 Horarum, die ultima aprilis peregit. Id autem causa quæstionis fuit, an delatio nempe Venerabilis facienda sit a capellano societatis, vel a parocho? et a capellano faciendam esse de licentia Episcopi fuit resolutum : *Fulginaten.*, 18 *maii* 1726.

19. Dubio exhibito : An capellanus societatis S. Mariæ Constantinopolis in ecclesia S. Sebastiani posita extra mœnia terræ Rendarum receptæ præcedere debeat, vel rector, seu beneficiatus dictæ ecclesiæ in functionibus in eadem ecclesia explendis? S. C. rem definiendam Ordinario, qui provideat pro suo arbitrio, et prudentia, commendavit : *Consentina, Capellæ*, 3 *decem*. 1729, *dub*. 6.

20. Capellani deputandi a societate Suffragii possunt solemniter de licentia Episcopi canere Missas in ecclesia, seu oratorio sub titulo Suffragii absque venia parochi S. Mariæ loci Ragnani; non autem Missas solemnes, quæ, quatenus in dicta ecclesia, seu oratorio canendæ sint, celebrandæ ab eodem parocho sunt : *Firmana*, *Jurium parochialium*, 2 *junii* 1736, *dub*. 1.

21. Capellani ecclesiarum societatum laicalium terræ Suriani recitare possunt officium defunctorum et canere Missam ad præscriptum Ritualis, antequam sepeliantur cadavera in dictis ecclesiis illata, non autem hoc privative ad parochos spectat : *Hortana, Jurium parochialium*, 5 *julii* 1738, *dub*. 3. Quum inde rectoribus parochiæ jura sua potestas facta fuisset experiendi, S. C. nullam dedit decisionem, sed scribi Episcopo juxta instructionem [566] mandavit : 1 *aug*. 1739.

22. De nonullis quæstionibus excitatis inter fratres ordinis Prædicatorum conventus civitatis Centumcellarum, cui adnexa est ecclesia parochialis S. Mariæ, et inter sodales societatis Orationis, et Mortis S. C. placitum fuit, licere capellanis societatum dictæ civitatis, tam in supplicationibus per eam peragendis, quam in cadaverum, quæ tumulari tam in eorum ecclesiis, quam in parochiali, seu aliis debent, comitatu stolam præsentibus parocho, vel viceparocho deferre : *Viterbien.*, 15 *decem*. 1742, *dub*. 6.

23. Capellanis societatis in ecclesia S. Mariæ de Valle terræ Galatri erectæ cujus rector, et sodales esse in solo Lateranensi constructam, et ideo ab omni sive Episcopi, sive parochi jurisdictione immunem esse affirmant, non licet conciones, et sermones ibi per seipsos, aut per alium habere absque Episcopi licentia. *Mileten.*, *Jurisdictionis, et jurium parochialium*, 6 *maii* 1747, *dub*. 1.

24. Nec iisdem capellanis licet sanctissimum Eucharistiæ sacramentum publicæ populi adorationi in dicta ecclesia absque venia ejusdem Episcopi exponere : *Ibid.*, *dub*. 2.

25. Et ad dubium : An præfati capellani possint Missas solemnes, aliasque functiones in dicta ecclesia S. Mariæ explere diversis temporibus consuetis quibus fiunt in parochiali ecclesia terræ Galatri, et illis temporibus, quibus in ecclesiis filialibus dictæ terræ geruntur? S. C. affirmativum dedit responsum designata per Episcopum hora congrua, qua in ecclesia parochiali peraguntur : *Ibid.*, *dub*. 7.

26. Necnon capellani prædicti valent impedire, ne archipresbyter dictæ terræ possit ab ecclesia S. Mariæ sumere Viaticum, illudque ad parochiæ incolas infirmos deferre, nisi in casu necessitatis : *Ibid.*, *dub*. 8.

27. Capellani seu rectores societatis Mortis, et Orationis de Quarto sive seculares, sive regulares possunt stolam deferre in districtu parœciæ extra monasterium monachorum divi Hieronymi congregationis Olivetanæ ejusdem oppidi, ubi sodalitium erectum est juxta institutum in supplicationibus funerum tantum, etiam præsente parocho S. Joannis : *Januen.*, *Jur. parochialium*, 13 *julii* 1748, *dub*. 1.

28. Sodales Pœnitentium in urbe Boujeux episcopali, et auctoritate apostolica approbati, contra morem ab Episcopo moniti fuerunt, ne functiones sacras inconsulto parocho agerent. Reclamarunt illi, sed ex decreto S. C. eorum capellani Missas solemnes, et privatas, Sanctissimi Sacramenti expositiones, benedictiones, supplicationes, aliasque functiones non parochiales parocho inconsulto explere possunt : *Apten.*, 2 *decem*. 1758, *dub*. 2, confirmata 11 *aug*. 1759.

29. Capellanus societatis Sanctissimæ Conceptionis terræ Brixilli archiconfraternitati Orationis, et Mortis Urbis aggregatæ, præsente parocho in supplicationibus funeribus, nequit extra oratorium stolam deferre : *Mutinen.*, *Aggregationis*, 20 *novem*. 1762, *dub*. 4.

30. Capellano sodalitii tertii ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri sacerdoti ad sodalium placita

[566] Ut nempe Episcopus pro sua dexteritate, et prudentia curet partes ipsas componere, easque ad aliquam transactionem super iisdem controversiis inducere. Ita igitur omni adhibita diligentia exequetur, et quatenus partes renuant de resultantibus certiorando, animi sui sensum circa modum aliquam statuendi concordiam S. C. aperire non omittet. *Regist. lit.* lib. 29, *die* 1 *aug*. 1759.

destinando licet benedicere populo occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti, quæ fieri solet in ecclesia ejusdem societatis in qualibet feria 3, et per novem dies ante festum dicti sancti. Nam sodalitium sibi jus esse vigore indulti apostolici Episcopi consensu, et adprobatione muniti, exponebat: *Firmana, Functionum*, 17 *julii* 1773, *dub.* 1.

31. Ac eidem capellano, vel alteri sacerdoti per confratres destinando licet expositionis occasione 40 Horarum in repositione Sanctissimæ Eucharistiæ, populo benedicere : *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Non autem dictus capellanus, vel alius sacerdos potest in die festo S. Antonii Patavini, et in aliis festivitatibus instituti ejusdem societatis, prout etiam in anniversario canere Missam solemnem independenter a parocho ; sed servandas constitutiones synodales judicium S. C. fuit : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata 14 *martii* 1778, *dub.* 1.

§ II.

Capellanus sodalitii quoad electionem, et approbationem.

1. Temporalis deputatio capellanorum in discordia confratrum societatis laicalis Sanctissimæ Assumptionis, et Rosarii spectat ad Episcopum post tertium scrutinium, non ad gubernatorem, et officiales dictæ societatis : *Senogallien.*, *Juris suffragandi*, *et deputandi capellanos*, 4 *junii* 1701, *dub.* 2.

2. Capellanum societatis Sanctissimæ Annuntiatæ existentis in ecclesia S. Joannis Baptistæ, quæ sita est extra mœnia civitatis Foggiæ, a sodalibus eligendum esse, nec ab Ordinario, vel a commendatario religionis Hierosolymitanæ adprobandum, S. C. pronunciavit : *Trojana, Jurisdictionis*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 12.

3. Capellanus societatis S. Mariæ de Planctu villæ Silicis non est cogendus ad audiendas sacramentales confessiones etiamsi parochia adjumento indigeat. Quæstioni occasionem præbuit ipsius societatis aggregatio facta sodalitio S. Mariæ de Planctu urbis, quæ inter privilegia habet, ut possint sodales sacerdotem aliquem adprobatum in capellanum, et confessarium suum eligere : *Civitatis Castelli*, *Juris eligendi capellanum*, 13 *sept.* 1755.

§ III.

Capellanus sodalitii quoad onera.

1. Quum in urbe Trojæ adessent presbyteri, qui in ecclesiis laicalium societatum superpelliceo ornati cum laicis in divinis canendis laudibus commiscentur, capitulum detrectavit, et eos non posse asserto famulatu sodalitatum se a cathedralis servitio subducere contendit. In deliberationem cadit : An quoad presbyteros capellanos nuncupatos societatum Sanctissimæ Annuntiationis, et S. Leonardi sit servanda resolutio diei 20 sept. 1704 [367], seu isti teneantur, vel possint servitium præstare, et alia quoad eosdem injuncta, et stabilita in statutis dictarum societatum ? S. C. cunctando definitionem, jubet, ut dubium proponatur super assertis statutis utriusque societatis citatis interesse habentibus, non retardato interim per presbyteros capellanos cathedralis servitio juxta anni 1704 resolutionem : *Trojana, Servitii*, 23 *junii* 1742, *dub.* 1.

2. Et ad dubium : An iidem presbyteri, seu capellani teneantur canonicis cathedralis ecclesiæ divina officia peragentibus inservire cum pluvialibus, vel in ministerio diaconi, et subdiaconi, vel alias, et quomodo ? S. C. solitum servari mandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Capellanus societatis S. Mariæ de Planctu villæ Silicis non est cogendus ad audiendas sacramentales confessiones, etiamsi parochia adjumento indigeat : *Civitatis Castelli, Juris eligendi capellanum,* 13 *sept.* 1755.

§ IV.

Capellanus sodalitii quoad stipendium.

Dianora a Monteveteri hæredem scriptum Montem Pietatis Brixichellæ oneravit manutentione capellani in ecclesia sodalitii S. Crucis, qui quotidianum sacrum ibi celebraret. Prævio inde laudo stipendium fuit edictum scut. 40, et duo novissimi capellani scut. 33 sunt consequuti. Capellania vacante nemo comparuit ad illam acquirendam ; hinc societas exorat, ut augeatur stipendium, et S. C. annuit pro summa per Ordinarium præfinienda : *Faventina, Capellaniæ*, 21 *junii* 1794.

[367] In qua fuit resolutum : Sacerdotes simplices nullum habentes beneficium in cathedrali ecclesia, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum, assistere servitio ecclesiæ prædictæ singulis diebus de præcepto teneri. Vide verb. *Presbyteri*, § 10.

CAPELLANUS SEU VICARIUS EXERCITUS.

Capellanus seu vicarius exercitus quoad jura, et facultatem.

1. Matrimonia quæcumque militum contrahenda coram capellanis exercituum in quocumque loco existentium fore nulla, nisi doceat de sufficienti facultate, vel privilegio, S. C. articulo discusso decidit : *Mediolanen.*, *Matrimonii*, 11 *decem.* 1677.

2. Vigore delegationis, de qua agitur, apostolicæ ipse delegatus apostolicus, ut talis, ejusque vicarius, et capellani exercitus facultatem habent assistendi matrimoniis militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione : *Belgii*, *Matrimoniorum*, 29 *maii* 1683, *dub* 1.

3. Dictaque facultas eis non est privative, quoad contrahentium parochos : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Nec eadem facultas pollet, dum milites matrimonium contrahunt, in hibernis, vel æstivis castris commorantes : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Neque eamdem potestatem habent, dum milites sunt in præsidiis : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Capellani cujusvis exercitus sive regulares, sive seculares catholici administrare nequeunt militibus in præsidiis degentibus sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis, sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, et Ordinarii approbatione, in cujus diœcesi extare contigerit : *Dubia jurisdict. capellan. exercitus*, 6 *martii* 1694, *dub.* 1.

7. Nec iidem assistere matrimoniis militum cujuscumque nationis degentium in præsidiis cum militaribus fœminis, sine dicta apostolica facultate, et præcedenti approbatione status liberi, ejusque recognitione coram Ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parœcia illi manent, valent : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Necnon militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Neque cum militibus in actuali expeditione positis : *Ibid.*, *dub.* 4.

10. Nec cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis originariis loci, seu diœcesis, in qua reperiuntur : *Ibid.*, *dub.* 5.

11. Et milites acatholici cum acatholicicis contrahentes tenentur servare formam præscriptam in Sac. Concilio Tridentino [368], in locis, ut publicatum fuit Concilium juxta decretum S. C. 26 *sept.* 1602, *dub.* 3, approbante Clemente VIII, Pont. Max.[369] : *Ibid.*, *dub.* 6.

12. Eoque magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus, et non militaribus in præsidiis, castris, et expeditione manentes, sed ulterius indigere dispensatione, ut [præfata matrimonia licite contrahantur : *Ibid.*, *dub.* 7.

13. Non autem capellani acatholici assistere possunt matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis, etiam intra fines Italiæ : *Ibid.*, *dub.* 8.

14. Et ad dubium : An, et quid pro sanatione gestorum in præteritum, et in futurum super præfatis omnibus pro certa regula Sanctissimum consulendum et statuendum ? in præteritum censuit S. C. non esse perturbandas conscientias quoad sacramentum Pœnitentiæ ; quo vero ad matrimonia inita sine speciali facultate apostolica, vel sine licentia Ordinarii loci, vel parochi non servata forma Sac. Concilii Tridentini in cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrim.*,[370] pro sanatione, si Sanctissimo D. N. placuerit, renovato tamen consensu, etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus parocho illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio. Provisio in futurum differatur in prima Congregatione, in qua consulendum erit, ac deliberandum : die autem 20 *martii ejusd. anni* quoad provisionem, et sanationem, rescriptum fuit : Ad

[368] Sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.* Ubi cautum est, ut matrimonium, antequam contrahatur, ter a proprio parocho contrahentium tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, et si nullum impedimentum apponetur, matrimonium in faciem ecclesiæ celebrabitur præsentibus saltem parocho, et duobus, vel tribus testibus, et matrimonium aliter celebratum, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus festibus nullum decernit sancta Synodus, et omnino inhabiles reddit contrahentes ad sic contrahendum.

[369] Ubi fuit declaratum, nullum esse matrimonium contractum coram capellano exercitus a militibus existentibus sive in expeditione actuali, sive in statione, vel præsidiis, non servata forma Conc. Trid. cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrim.*, ubi hoc est pnblicatum, ut ait Giraldi *Exposit. jur. pont.* part. 2, tom. 3, ad dict. cap. et sess. pag. 992.

[370] Vide not. 368.

secretarium cum Sanctissimo juxta mentem: *Ibid.*, *dub.* 9.

15. Proposito dubio: An capellanus alicujus regiminis, vulgo *Monie del reggimento* censeri valeat proprius parochus militum ejusdem regiminis; ita ut valide assistere possit matrimoniis eorumdem militum? S. C. censuit dandum esse decretum *sub die* 6 *martii* 1694 [371]: *Casalen.*, *Matrimoniorum*, 28 *junii* 1704.

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § XVII.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM.

§ I.

Capitulum ecclesiasticum quoad convocationem.

1. Respondit S. C. Episcopo Vigiliensi, si ab eodem aliquid canonicis ad deliberandum proponere voluerit, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, posse ipsum capitulum convocare, vota exquirere, ac juxta ea concludere ex decret. cap. 6, sess. 25 [372]. In ceteris autem casibus, an Episcopus possit interesse capitulo? jus commune immutatum manere: *Vigilien.*, 7 *junii* 1601.

2. Quoad dubium, an tempore celebrationis divinorum officiorum possint canonici habere capitulum, et casu, quo non possint, si illud de facto celebrent contra inhibitionem Episcopi, possint contra eosdem procedere ad multas, et subtractionem fructuum etiam sine conjudicibus? respondit S. C. capitulum non esse habendum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur, quod si secus fiat, canonicos nequaquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis, quibus divinis non interfuerunt, et eo casu Episcopum posse sine conjudicibus contra canonicos procedere ad subtractionem fructuum, et ad multas ab eo impositas: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 11.

3. Dubio, an singulis hebdomadis statuto die in aliis vero, non nisi ex Episcopi speciali licentia capitulum congregari debeat? responsio datur, si capitulum extraordinariis diebus convocandum sit, de hujusmodi convocatione certiorem esse reddendum Episcopum, a quo tamen convocatio ipsa impedienda non erit: *Maceraten.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 11.

4. Statim ac Episcopo innotuit, quod in capitulo habito a canonicis ecclesiæ Lauretanæ agi debebat de re immunitatem ecclesiasticam tangente, ut arcerentur jurgia, ac populi offensiones, quæ inter partes imminebant, inhibuit canonicis capitulariter congregari usque ac diem 22 mensis augusti, quo se accessurum exhibuit, ut omnia pacato animo fierent. Consulta S. C. de validitate hujusce decreti, illud validum esse declaravit: *Lauretana*, *Convocat. capituli*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 1.

5. Canonici integræ præbendæ ecclesiæ cathedralis habere non valent capitula pro agendis negotiis capitularibus tempore, quo in choro recitantur officia divina, nisi in casu necessitatis tantum, cui alio tempore occurri nequeat: *Ulissiponen.*, *Orientalis*, 5 *dec.* 1772, *dub.* 11.

6. Pro convocandis capitularibus non tenetur decanus ecclesiæ cathedralis, ad quem spectat capitulum cogere, licentiam sede episcopali vacante petere a vicario capitulari: *Milevetana*, *Jurisdictionis*, 18 *sept.* 1723, *dub.* 1.

7. Ac ipso decano absente, abnuente, aut alias quomodolibet impedito facultas convocandi capitulum devolvitur ad successivas dignitates, et canonicos gradatim, et an excludi debeant coadjutores? habebitur ratio in casibus particularibus visis litteris coadjutoriarum: *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Non autem vicarius capitularis potest proce-

[371] Vide num. 6, præsenti §.

[372] *De Reform.* ubi legitur: « Quod si aliquid canonicis ad deliberandum proponant; nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. » Inde addit: « Ceteris autem in rebus, capituli jurisdictio, et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva, et intacta omnino relinquatur. » Gallemart, ad dic. cap. pag. 429, edit. Trident. 1745, num. 19, ait: « Episcopo ex decreto hujus cap. quod ad convocationem capituli spectat, ea dumtaxat auctoritas est attributa, ut eo casu solo possit ipso suo arbitrio capitulum convocare, vota requirere, et juxta ea concludere, dummodo non sit actum de re ad suum, vel suorum commodum spectante. In reliquis Concilium suum unicuique jus reservavit. Eadem tamen Congregatio censuit, Episcopum convocare non posse capitulum in illis casibus, in quibus judex esse non potest. Et qui de re spectante ad episcopalem dignitatem potest esse judex, convocare potest capitulum. » Et num. 20: « Eo casu, quo res esset pertinens ad commodum Episcopi, Concilium declaravit, quod capitulum non potest convocari sine consensu, et præsentia Episcopi, reliquos autem casus reliquit in terminis juris veteris. In capitulis ergo non exemptis, quæ Ordinario subsunt, est servandum jus commune. »

dere ad censuras contra decanum, dignitates, et canonicos capitulum sine licentia convocantes: *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Insuper decanus, dignitates, et canonici capitulum convocantes uti valent quacumque persona pro indicendis capitularibus, necnon quocumque notario casu, quo cursores, et cancellarius eorum officium præstare recusent: *Ibid.*, *dub.* 4.

10. Dignitas autem, seu canonicus capitulo præsidens non tenetur certiorem reddere vicarium capitularem absentem de resolutionibus capitularibus: *Ibid.*, *dub.* 5.

11. Fas non esse canonicis ecclesiæ metropolitanæ aliquando incipere, aut respective inceptas prosequi congregationes capitulares, non obstante secundo tintinnabuli signo jam dato pro servitio chori, deciditur: *Capuana*, 17 *dec.* 1735, *dub.* 18, confirmata 28 *april.* 1736.

12. Capitulum convocandum esse juxta indultum Julii III, Pont. Max. [373], cum Episcopi consensu, ac licentia censuit S. C. Nam concessa fuerat aperitio oris adversus breve Clementis XII, Pont. Max., a canonicis ecclesiæ cathedralis impetratum, quo eis facultas tributa fuerat convocandi capitulum libere, ac independenter ab Episcopo, et sede vacante ab archidiacono, quoties agendum foret de litibus vertentibus, et excitantibus inter se, et Episcopum, ac archidiaconum, quod reducendum mandarunt indultum S. C. ad terminos præfati indulti Julii III, Pont. Max.: *Gerunden.*, *Juris convocandi capitulum*, 13 *sept.* 1738, *dub.* 1 et 2, confirmata 24 *januar.* 1739.

13. Capituli convocatio ad priorem ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi civitatis Tolentinæ juxta constitutionem synodalem anni 1728 spectat: *Tolentina*, *Servitii chori*, *et Missæ conventualis*, 26 *maii* 1736, *dub.* 7.

14. Pronunciavit S. C. jus capitulum convocandi in ecclesia cathedrali præposito, et in ejus absentia camerario, jus vero aperiendi capitulum digniori inter præsentes competere. Nam præpositura major est post pontificalem dignitas in ecclesia cathedrali, in cujus favorem non obstant constitutiones capitulares; etiamsi quadam consuetudo non diuturna opponebatur: *Imolen.*, *Juris convocandi capitulum*, 14 *maii* 1774, *dub.* 1.

15. Item jus examinandi scrutinia competit digniori una cum camerario, nempe secrete vota eligentium investigare, eaque in scriptis redigere, et sic redacta publicare. Et huic decreto observantia favet, testimoniaque ætate graviorum canonicorum illud comprobant: *Ibid.*, *dub.* 2.

16. Jus convocandi capitulum pro negotiis capitularibus convenit archidiacono ecclesiæ cathedralis, et canonicis ordine successivo, privative quoad Episcopum, ejusque vicarium generalem: *Camerinen.*, *Præeminent.*, 7 *april* 1781, *dub.* 7.

17. Resolutionem autem de ineundis comitiis capitularibus singulis secundis dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia denunciatione S. C. improbavit: *Ibid.*, *dub.* 8.

18. Deinde pro convocatione capituli canonici instantes præventive denunciare archidiacono negotia in eodem capitulo tractanda, non tenentur: *Ibid.*, *dub.* 9.

19. Quum disputatum fuisset, an jus perpetuum capitulum convocandi in ecclesia collegiata S. Michaelis archangeli urbis Firmi competat priori ipsius collegiatæ, seu idem jus partiri annuatim in singulos canonicos debeat? Nulla data fuit definitio, sed tantum præfigendum terminum priori ad deducenda jura sua creditum fuit: *Firmana*, 8 *junii* 1782, *dub.* 1. Deinde affirmativum ad primam, negativum ad secundam partem editum fuit responsum: 6 *sept.* 1783.

20. Erecta in collegiatam ecclesia parochialis S. Bartholomæi Murrivallium conditæ fuerunt constitutiones capitulares, et præ ceteris, ut capitula congregentur de mandato, et licentia præpositi primæ, et unicæ dignitatis, sive in ejus absentia canonici senioris statutum est. Semper servata fuerunt jura præpositi. Modo autem die 20 januar. convocatum fuit capitulum a seniori canonico; hinc orta quæstione S. C. declaravit competere præposito prædicto jus convocandi capitulum: *Firmana*, *Præeminent.*, 26 *novem.* 1796, *dub.* 2.

21. Et eo absente a loco residentiæ, vel renuente licere convocare capitulum de licentia canonici senioris præsentis decidit: *Ibid.*, *dub.* 3.

22. Ac jus proponendi materias decidendas in capitulo spectare voluit S. C. ad singulos canonicos post præpositum, per ordinem ætatis prærogativæ: *Ibid.*, *dub.* 4.

23. Jus vero colligendi suffragia competere dixit præposito juxta modum [374]: *Ibid.*, *dub.* 5.

24. Imo resolvit constare de nullitate capituli diei 27 maii, et diei 12 julii 1796. Nam spretis contestatis denunciationibus cordatorum canonico-

[373] De anno 1551, relatum in decis. *Gerunden.*, *Jurisdictionis super jure convocandi capitulum*, 14 junii 1702, § 2, « nempe facultatem se congregandi per unum capitularem semel in hebdomada pro negotiis capitularibus dumtaxat, hac tamen adjecta conditione, quatenus scilicet vicarius sic requisitus neglexerit, vel recusaverit. »

[374] Nempe quoad ad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam: *Ead. causa*, 26 *novem.* 1796, *dub.* 5.

rum, et absque mandato præpositi, imo secundum cum inhibitione S. C. *Nihil innovari*, convocatum fuit: *Ibid.*, *dub.* 6.

§ II.

Capitulum ecclesiasticum quoad curam animarum.

1. Hoc ordine cura animarum in urbe Acheruntina inter capitulares ecclesiæ cathedralis exercetur, nempe si primus archidiaconus in eadem cura deficiat, cantor ei succedit, cantori canonicus senior, et sic deinceps gradatim usque ad canonicum recentiorem. Modo quæritur, an hoc sit tolerandum, quum cantor, et canonici non examinentur in ordine ad curam animarum, et possit contingere, ut eam exerceat, qui casuum conscientiæ principia ignoret; vel potius in defectu archidiaconi decerni debet substitutus approbatus ab Ordinario juxta mentem Sacr. Concilii ? rescribitur singulos canonicos in casu exercitii curæ animarum esse examinandos, ac probandos : *Acheruntina, et Matheran.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 3 *martii* 1668, *dub.* 4.

2. Quum Episcopus tam ab archipresbytero animarum curam exercente, quam a canonicis veteribus, ac novis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ S. Ginesii alternatim celebrantibus Missam conventualem, ut consuetudinem habuerant, in dominicis diebus, festis, ac Quadragesimæ applicari eum pro populo mandasset, capitulum adiit S. C., quæ definiit onus Missæ lectæ parochialis spectare ad archipresbyterum tantum pro populo applicandæ: *Camerinen.*, *Missæ conventualis*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1, confirmata 22 *maii* 1706.

3. Sancivit S. C. curam animarum tum habitualem, tum actualem ecclesiæ cathedralis, et parochialis S. Ruffini Assisii penes capitulum, et canonicos ejusdem ecclesiæ, non autem penes ejus priorem primam dignitatem residere : *Assisien.*, *Curæ animar.*, 16 *novem.* 1709, *dub.* 1.

4. Et illud capitulum duos capellanos amovibiles pro curæ exercitio, dummodo approbentur ab Episcopo, valet deputare, non vero unum tantum eligere curatum principalem tenetur : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 24 *maii* 1710, *dub.* 1.

5. Capitulum ecclesiæ cathedralis tenetur persolvere eleemosynam capellanis curatis ob Missas applicatas diebus festis pro populo; nam hi curati amovibiles sunt, et curam animarum exercent : *Ferrarien.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 6.

6. Contendente capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Majoris Pedemontis, quod cura habitualis animarum resideat penes se; S. C. ad eumdem spectare curam habitualem ejusdem ecclesiæ resolvit : *Aliphana*, *Curæ*, 12 *januar.* 1726, *dub.* 1.

7. Quum Episcopus in visitatione deprehendisset, ut in pluribus in sua diœcesi erectis in collegiatas ecclesiis parochialibus cum onere canonicis injuncto per se, vel per subtitutum curam animarum exercendi ea negligatur, edixit, ut canonici, penes quos cura habitualis residet, concionibus populum tenerent, eique fidei rudimenta dominicis festisque diebus aperirent. Adversus Episcopi decretum reclamavit Laurentius Pifarus canonicus ecclesiæ collegiatæ Mathelicæ prætenditque se ab hoc onere immunem esse, quia in ætate 64 annorum oculorum acies obtusior est; hinc videndum, an illud onus substitutis sit implendum curam animarum exercentibus, ideoque quomodonam sit exequutioni mandandum Episcopi præceptum? S. C. quæsivit novam informationem juxta instructionem [375] firmo interim remanente Episcopi decreto, et concessa Laurentio Pifaro exemptione a munere prædicandi : *Camerinen.*, 9 *febr.* 1726.

8. Michael Milonus canonicus cathedralis ecclesiæ ostendere nitebatur curam actualem minime residere penes singulos canonicos. Exhibuit litteras S. C. diei 5 maii 1646 ad Episcopum Missas, quibus curæ animarum ecclesiæ cathedralis exercitium non probarunt eminentissimi Patres, ut vage capitularibus immineat, et mandarunt alicui certæ præbendæ de consilio capituli injungi, vel vicariam inibi erigi perpetuam, ut subjectus populus certum pastorem agnoscat; hac de causa propositum fuit dubium in S. C., an in ea cathedrali actualis cura animarum resideat penes omnes, et singulos canonicos; responsum est, ut Episcopus omnino procederet ad exequutionem litterarum S. C., additis etiam coadjutoribus curæ ex canonicis, et de exequutione certiorem S. C. reddat : *Sarnen.*, *Emolum. funer.*, *et decimar.*, 7 *julii* 1731, *dub.* 1.

9. Quoad controversias excitatas inter præpositum, et capitulum collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Mariæ Pedonis S. C. definivit, curam animarum ecclesiæ prædictæ non esse totam penes præpositum; sed penes præpositum actualem tantum, et habitualem esse penes capitulum : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 1.

10. Et dubio, an, et ad quem spectet jus eli-

[375] Firmo interim remanente decreto Episcopi, et concessa canonico Pifaro exemptione a munere prædicandi edoceri præscribitur, an substituti exercentes curam animarum, eam exerceant cumulative, vel privative quoad ipsum capitulum, et an in prima institutione fuerit in dictos substitutos transfusa animarum cura, sive ejus exercitium privative, vel cumulative cum ejus capitulo, et demum an iidem substituti sint perpetui, vel ad nutum amovibiles: *Regist. lit.* lib. 27, *die* 9 *febr.* 1726, fol. 11.

gendi coadjutorem in exercitio curæ animarum, quoties eo opus sit? ad præpositum spectare cum approbatione Ordinarii, datur responsum : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Ad quæsitum vero, an jus administrandi ecclesiam, et omnes res ad eam spectantes competat soli præposito, vel capitulo una cum præposito? rescribitur in concernentibus animarum curam, competere soli præposito, in reliquis vero capitulo una cum dicto præposito : *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Inde a S. C. excluditur capitulum a perceptione emolumentorum omnium, quæ quomodolibet consueta sunt, et proveniunt tum ex ejus exercitio, exceptis decimis, et præposito privative dicta emolumenta vindicantur : *Ibid.*, *dub.* 5.

13. Sed legata pia, Missæ, officia pro defunctis facienda, vel annualia, tam ante, quam post erectionem collegiatæ relicta, et relinquenda ecclesiæ, spectant ad capitulum una cum præposito, tam quoad administrationem, quam quoad emolumenta : *Ibid.*, *dub.* 6.

14. Nec emolumenta funerea, comprehensis etiam officiis, provenientia ex tumulatione cadaverum extraneorum ponenda sunt in massa capitulari sed privative præposito adjudicantur : *Ibid.*, *dub.* 7.

15. Ac præposito, vel ejus coadjutori competit privative quoad capitulum facultas concordandi circa ea, quæ quodcumque funus respiciunt : *Ibid.*, *dub.* 9.

16. Ac cera superextans in funeribus, et eorum occasione etiam accensa in ecclesia, et altaribus non est ponenda in massa capitulari, sed privative spectare ad præpositum : *Ibid.*, *dub.* 10.

17. Ac indepenter a capitulo, et a canonico æditue nequit præpositus prohibere, ne aliquis sacerdos extra clerum dictæ ecclesiæ ibidem sacrum peragant sine illius consensu, et dignare sacras vestes, et altaria, in quibus sacerdotes Missam celebrent : *Ibid.*, *dub.* 6.

18. Ad dubium, an licentia vero sacrificandi, initium faciendi sit danda a præposito privative, vel a capitulo, et ad quem spectent candelæ in altari accensæ? respondit S. C. negative, et candelas spectare ad æadituum : *Ibid.*, *dub.* 17.

19. Et jus disponendi de sepulcris constructis, et præstandi consensum pro aliorum constructione habet capitulum, comprehenso præposito : *Ibid.*, *dub.* 18.

20. Capitulum ecclesiæ cathedralis tenetur, imo cogi potest ad eligendum capellanum, seu vicarium pro exercitio animarum curæ, etiam extra capituli gremium, eidem vicario, non a præposito, cujus præbendæ nulla animarum cura est adnexa, sed ex massa capitulari soluta mercede : *Cingulana*, *Curæ animarum*, 19 *junii* 1732, *dub.* 3 et 4.

21. Dum parochialem ecclesiam S. Nicolai Clemens VIII, Pont. Max., in collegiatam erexit, quatuor præter undecim canonicos, et tres dignitates fecit hebdomadarios curatos, ut quæcumque parochialia munera hi obirent, prius ab Episcopo per concursum examinati, et probati, institui deberent : sed inter eos, et canonicos de habituali cura orta est controversia. Episcopus mandavit, ut in exequiis generalibus, et etiam regiis, quibus adest capitulum, totum officium, et exactio emolumentorum spectet ad idem capitulum, assignata curatis portione, et oblatione; in aliis vero exequiis, quæ etiam generalia nuncupantur, quibus intersunt curati, et clerus dumtaxat, jus designandi horas, campanarum sonitum, totumque officium spectet ad eosdem curatos. S. C. desuper quæsita decretum Episcopi sustineri censuit : *Orioleu.*, *Decretorum*, 23 *januar.* 1754, *dub.* 1.

22. Item decretum Episcopi validum est mandans, ut quatuor beneficiati hebdomadarii sint curati, in quibus resideat jus parochiale privative quoad capitulum, cui non competat, neque actuale, neque habituale jus, et exercitium curæ in ecclesia, neque in districtu parochiæ, quodque eisdem hebdomadariis non impediatur, quominus se inscribant curatos proprios : *Ibid.*, *dub.* 2.

23. Decretum pariter ejusdem validum putatur, quo præcipitur, nt curati possint in eorum capellis, seu in aliis existentibus in ecclesia collegiata, ac in eremis sitis intra limites parochiæ celebrare Missas, et alia officia parochialia tempore ipso, quo recitantur horæ canonicæ : *Ibid.*, *dub.* 3.

24. Item validum est decretum mandans, ut in locationibus redituum communium, venditionibus, et oppignoribus curati, clerusque concurrere debeant una cum capitulo, tam in præviis tractatibus, quam in ipsis contractibus : *Ibid.*, *dub.* 4.

25. Decretum vero jubens, ut admissio residentis supranumerarii, aut dotalis fiat cum interventu curatorum, et cleri; et ut in casu alicujus controversiæ, litis inter capitulum, et clerum, iste separatim se congregare possit in loco, ubi fuerit ei permissum ab Episcopo, sive ab ejus vicario foraneo, qui eisdem congressibus intersit, ac præsideat? respondetur, quoad primam servetur statutum : quo vero ad secundam negative prout jacet, sed posse privatim tantum congregari : *Ibid.*, *dub.* 5.

26. Decretum sustinetur, quo Episcopus imperat, ut arcarius, et collector redituum communium, et funerum exhibere debeant curato hebdomadario particulam cujuscumque testamenti ad pias causas, ut disponere possit mortuarium : *Ibid.*, *dub.* 6.

27. Item defenditur decretum mandans, ut capitulum non possit mulctare curatos ob defectum

commissos in functionibus parochialibus, sed tantum ob illos quos commiserint circa servitium chori, et circa officia, quibus capitulum assistit, et præsidet : *Ibid.*, *dub.* 7.

28. Tuetur decretum præcipiens, ut quando defertur sacrum Viaticum alicui dignitati, seu canonico per aliquam dignitatem, seu canonicum curatus hebdomadarius assistat deferenti, qui in hujusmodi functione habeatur pro curato : *Ibid.*, *dub.* 8.

29. Minime denique sustinetur decretum constituens, ut in collationibus habendis de moralibus quæstionibus, si præsideat regens, proximum ab eo locum occupet curatus, reliquæ vero sedes sint communes tam canonicis, quam ecclesiasticis indiscriminatim : *Ibid.*, *dub.* 9.

30. Capitulum ecclesiæ cathedralis civitatis Pentimæ habet adnexam ecclesiam parochialem Assumptionis B. M. V. castri Hillaris ad quintum ab Urbe lapidem, in qua residere consueverunt tres canonici alternis vicibus curam animarum exercentes. Sed quum S. C. eos ad residentiam revocavit, hinc dubio disputato, an in posterum pro curæ animarum exercitio in dicto castro deputandus sit parochus perpetuus ab Ordinario, servata forma Concilii, et an ei dandi sint coadjutores? S. C. respondit, ut Episcopus procedat prout de jure ad formam Concilii, interim provideat de œconomo expensis cujus de jure : *Valven.*, *Residentiæ*, 25 *januar.* 1738, *dub.* 3, confirmata 20 *dec. ejusd. anni.*

31. Dubia : An cura habitualis ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Laurentii oppidi Deprani ad dignitates, seu ad capitulum spectet, et an penes illos, vel illud resideat? et quatenus negative ad primam partem.

32. An in casu remotionis, suspensionis, aut alterius impedimenti liceat dignitatibus, seu capitulo eligere substitutos pro exercenda actuali cura animarum?

33. An decedente aliqua ex dictis dignitatibus licitum sit capitulo prævia approbatione Ordinarii deputare substitutum pro exercitio dictæ curæ, donec dignitas vacans provideatur? remisit ad Card. præfectum cum facultatibus S. C. etiam concordandi : *Mazarien.*, *Jur. capitular.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 14, 15, 16. Sed quum Card. præfectus indecisa dicta dubia reliquisset, S. C. ad dub. 14, negativum ad primam partem, affirmativum ad secundam responsum præbuit, ad dub. 15 et 16 electionem spectard ad capitulum censuit : 12 *januar.* 1743, *dub.* 1, 2 et 3.

34. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis non tenentur præter Missam conventualem celebrandam alternis vicibus aliam applicare Missam pro populo; quum hanc canonicus parochus applicet : *Hortana*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 2, confirmata 29 *ejusd. mensis, et anni.*

35. Sed tenetur canonico parocho Missam parochialem celebranti eleemosynam pro illius applicatione præstare : *Eadem*, 29 *aug.* 1744, *dub.* 3. Inde censuit recedendum a decisis : 19 *dec. ejusd. anni*, confirmata 13 *febr.* 1745.

36. Capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ terræ Paliani non competit jus deputandi, et removendi unum ex coadjutoribus in animarum cura ; etiamsi æquum esse, ut, cujus pecunia erigitur beneficium, sive illius coadjutoria, ei sit prærogativa, et jus nominandi, removendique, contenderet : *Prænestina*, *Contributionis*, 18 *dec.* 1745, *dub.* 2.

37. In omnibus supplicationibus, etiam solemnibus, et funebribus explendis a presbyteris ecclesiæ S. Nicolai coadjutricis parochialis cathedralis ecclesiæ servitio adscriptis non tantum ab Episcopo, sed etiam a capitulo unico parocho quoad supplicationes tantum extra ambitum agendas petenda est, et obtinenda venia : *Andrien.*, 24 *jan.* 1767, *dub.* 14, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

38. Quæsitum quum esset, an in sola ecclesia cathedrali unica totius civitatis Andriæ parochiali, vel etiam in ecclesia S. Nicolai adjutrice in sacramentorum administratione certis designatis finibus, publicari debeant excommunicationes, litteræ monitoriales pro rebus deperditis, necnon denunciationes occasione matrimoniorum contrahendorum, et clericorum, qui sunt promovendi? responsum exiit affirmativum quoad excommunicationes, et litteras monitoriales, arbitrio Episcopi in reliquis in utraque ecclesia respective : *Ibid.*, *dub.* 22, confirmata *ibid.*

39. Quum fuerit postulatum, an capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Venantii, cui unita fuit ecclesia parochialis S. Petri castri Helfortis cum onere eligendi idoneum presbyterum pro cura animarum, teneatur in illa ecclesia nominare vicarium curatum? S. C. præcepit primum scribendum juxta mentem [576] : *Camerinen.*, *parochialis*, 29 *nov.* 1777. Deinde affirmativum dedit responsum juxta votum Episcopi [577] ; etiamsi Episcopus anno 1757 inspecta relatione vicarii curati Manicelli familias ab illa cura migrasse, et non esse obligatum capitulum nominare vicarium declarasset : 16 *maii* 1778, con-

[576] Mens est, ut requiratur ab Episcopo, et referat, an in terra Belfortis, vel ejus distructu familiæ, quæ spectarent ad veterem parochiam S. Petri, quæ subinde ad curam parochiæ S. Eustachii transierint, reperiantur, *Ead. causa*, 29 *novem.* 1777.

[577] In quo censet, ut si restauranda sit parœcia S. Petri, commodum esset, huit addere congruam partem alterius parœciæ S. Eustachii, eo quod absque tali separatione altera ex iis redundantem haberet plebem, altera vero paucissimas personas : *Ead. causa*, 16 *maii* 1778.

firmata et additum fuit, ad mentem [378], 15 *januar.* 1785. Item in decisis quoad dismembrationem parœciæ S. Eustachii, cujus rata pars fuit unita ecclesiæ prædictæ S. Petri cui parochus assensus primum est, deinde se pœnituit, et S.C. respondit, et mandat, ut præfigatur Episcopo terminus sex mensium pro executione, et referat : 18 *junii ejusd. anni.*

40. Morte possessoris viduato archipresbyteratu, cui inest cura animarum actualis in ecclesia Urbevetana, non licet capitulo, ad quod cura habitualis animarum pertinet, presbyteros substituere, qui interim animarum curam exerceant ; sed spectat ad Episcopum deputatio œconomi ; etiamsi in ejus favorem capitulum centenaria consuetudo œconomum deputandi, seu interinos substitutos, archipresbyteratu, vacante alleget : *Urbevetana*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 2.

§ III.

Capitulum ecclesiasticum quoad jurisdictionem, et potestatem.

1. De capitulis exemptis, licet Episcopi eorum subsint metropolitanis, quæritur, an, sicut Episcopus exemptus teneatur semel eligere metropolitanum, ejusque conciliis provincialibus interesse et decreta in illis condita observare, idem dicendum sit de capitulis exemptis, seu potius dicendum sit, an decreta illius Concilii provincialis si interfuerit illorum Episcopus non exemptus, observare debeat? Sanctitas Sua ex sententia S. C. declaravit ita debere observari : *Mediolanen., anni* 1573, *dub.* 3.

2. Censuit S. C. cap. 6, sess. 25, *de Reform.*[379] non habere locum nisi in capitulis, quæ exemptionis privilegio, vel alio speciali jure se tueri possunt adversus jurisdictionem Episcopi ; ideo si capitulum Niciense non sit tale, dubii resolutionem a jure communi petendam esse, ita ut Episcopus in causis criminalibus ; etiamsi de arduis non agatur, consilium capituli requirere, non autem illud sequi teneatur : *Nicien.*, 18 *nov.* 1628, *dub.* 9.

3. Capitulum ecclesiæ cathedralis, de cujus consensu pro rebus seminarii agendum est juxta præscriptum cap. 18, sess. 23 [380] non habere vocem in electione alterius de clero, ab eodem clero eligentis S. C. decidit : *Bellunen.*, 17 *april.* 1630,

4. Dubio proposito, an, spectata consuetudine capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctarum taxare solet, sit locus certam, et perpetuam taxam pro funeribus quibuscumque præscribendi ? hanc enim taxam oratrix petebat committi alicui ex Episcopis vicinioribus, quum ad Archiepiscopum quota pars antedictarum pecuniarum funerum spectaret ; respondit S. C. secundum ea, quæ narrantur, non licere capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo injungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque S. C. probandam transmittat : *Matherana*, *Funerum*, 13 *nov.* 1660, *dub.* 1.

5. Insuper resolvitur capitulum, quamvis non vocatum non posse, invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa funeribus interesse : *Ibid.*, *dub.* 2.

[378] Et mens est, ut Episcopus incumbat omnino diligenti exequutioni, et subinde referat eidem S. C. *Ead. causa*, 15 *januar.* 1785.

[379] In quo post confirmationem omnium, quæ in cap. 4, sess. 6, *de Reform.* ut infra, statuta fuerunt, eamdem materiam de capitulis, et canonicis ab episcopali jurisdictione exemptis prosequendo excepit casus, nempe quando Episcopus extra visitationem contra aliquem de capitulo procedere velit, id fieri non posse statuitur, sine consilio, et assensu duorum capitularium, quos anno quolibet ineunte ex canonicis capitulum tenetur eligere, qui in tali processu unum votum habeant, si vero uterque ab Episcopo dissenserit, eligatur tertius ab Episcopo, et capitulo ; et si in hac electione discordaverint, electio tertii devolvatur ad viciniorem Episcopum ; et juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus causæ finiatur. Hæc dispositio non est confundenda cum altera contenta in cap. 4, sess. 6, *de Reform.*, ubi decernit, Episcopos capitula, quæ procul dubio exempta intelliguntur, eorumque canonicos visitare posse, corrigere, et emendare, tam per seipsos solos, quam cum adjunctis sibi personis eorumdem arbitrio deligendis ; nec officiunt illa verba *juxta canonicas sanctiones*, quæ jubent, ut duo, aut tres cathedralis canonici Episcopo visitandi adjungantur, uti videre est in cap. 17, *Ut justa, de Offic. jud. ordin.*, quam olim sententiam Rotam Romanam amplexam esse dignoscitur ; nam ea verba Concilii recte referre possint ad alia, quæ proxime consequuntur, *toties, quoties opus fuerit.* Verum si duo citata Concilii decreta comparentur, mens patrum Tridentinorum deprehenditur, scilicet, et liberum esse voluit, Episcopis jus visitandi capitula, etiam exempta, per se ipsos solos, et absque adjunctis ; et nihilominus eisdem exemptis capitulis præservandum censuit privilegium, ut extra visitationem non possit Episcopus contra canonicum quemlibet procedere, nisi duobus aliis canonicis ad id sibi adjunctis, ac de eorum consilio, et assensu, modo jam explicato. Vide Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 13, cap. 9, num. 5, seqq. edit. Venet. 1775, tom. 2, pag. 136.

[380] *De Reform.*, ubi ne seminaria ex redituum defectu unquam pereant, statuitur, ut ex reditibus mensæ episcopalis, et capituli, et quorumlibet beneficiorum diœcesis certa pecuniæ summa detrahatur, quotannis seminario præstanda, juxta taxam ab Episcopo præscribendam cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab ipso Episcopo alter a capitulo eligatur, ac duorum de clero civitatis quorum alterius electio ad Episcopum, alterius vero ad eumdem clerum pertineat.

6. Capitula cathedralium exempta reputanda non esse, nisi privilegio apostolico, aut legitima consuetudine exemptionem suam tueantur, S. C. interrogata Episcopo respondit : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1664, *dub.* 1.

7. Ac in illis cathedralibus, ubi leviores tantum excessus canonicorum corrigi per capitulum consueverunt, consuetudinem hanc ad graviora delicta, et ad punitionem aliarum personarum, minime extendendam; sed ejusmodi consuetudinis limites esse servandos, et nihilominus hujusmodi capitula cathedralium nulla exemptione se tueri posse, quin ipsa, et eorum personæ ab Episcopis visitari, et corrigi ad præscriptum S. Concilii cap. 4, sess. 6, et cap. 6, sess. 25, *de Reform.*[381] valeant, statutum est : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Itidem capitula cathedralium simpliciter exempta, litteras dimissoriales ad ordines concedere, sacerdotes ad sacramentales confessiones excipiendas, vel prædicatores ad sacras conciones habendas examinare, sive approbare non posse, definitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Prætendit capitulum cathedralis sibi vigore asserti statuti capitularis apostolica auctoritate Innoc. VIII, Pont. Max., confirmati, competere jus privativum administrationis sacramentorum canonicis infirmis in quacumque parochia degentibus. At parochis recurrentibus, jus administrandi sacramenta canonicis infirmis spectare ad parochos privative quoad capitulum decernitur : *Novarien.*, *Jurium administrandi sacramenta*, 17 *sept.* 1695, *dub.* 1.

10. Capitulo, et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ urbis Foggiæ licitum est ducere funus per publicas plateas, et a via recta declinare, et ita pervenire ad ecclesiam funeris, et præsertim regularium : *Trojana, Funerum*, 21 *maii* 1701, *dub.* 1.

11. Non autem jus est eidem ducere cadaver alicujus de regimine civitatis prius in ecclesia collegiata ad officia explenda, et deinde ab illa transferre ad ecclesiam funeris, nisi aliter disposuerint defunctus, vel ejus hæredes : *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Fas non est capitulo, seu ejus decano retinere claves pulpiti cathedralis, quum concionator deputatus a Episcopo non exhibeat ei litteras patentales, ad quam exhibitionem non tenetur : *Urgellen.*, *Juris concionandi*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 2.

13. Cognitio causæ, ob quam juste quis a choro recedit, ad effectum removendi punctationes spectat ad capitulum ecclesiæ cathedralis, non ad ejusdem capituli archidiaconos, vel ad alios : *Conversana*, *Punctatur.*, 4 *decem.* 1706, *dub.* 2.

14. Ad peragendam erectionem ecclesiæ B. M. V. de Populo Pontremoli in collegiatam, ac fundandam in dicta ecclesia primam dignitatem præposituram nuncupandam est opus, ut prævia suppressione tituli collativi parochialis S. Geminiani intra limites sitæ, animarum cura, ac reditus transferantur; ideo capitulum ecclesiæ cathedralis sese opposuit, adducens jus, quod ad ipsum spectat dictam parochiam conferendi : et S. C. constare de hoc jure censuit : *Lunen. Sarzanen.*, *Erectionis collegiatæ*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 1.

15. Inde illud jus non obstare erectioni prædictæ statutum est : *Ibid.*, *dub.* 2.

16. Proposito dubio; an pertineat ad capitulum basilicæ S. Antonini Placentiæ Missam canere, populo cum Sacramento benedicere, officium facere mortuorum, et alias functiones cum stola, pluviali, et aspersione aquæ lustralis in celebratione officii mortuorum, vel trigesimi in ecclesia S. Mariæ de Curtina, quæ redacta fuit ad simplex beneficium, et cujus cura parochialis unita fuit dictæ basilicæ; seu ad capellanum piorum operariorum doctrinæ Christianæ, quorum societas in ecclesia prædicta S. Mariæ sita est? S. C. ad S. C. Rituum[382] decisionem remisit : *Placentina, Funct. ecclesiasticar.*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1.

17. A capitulo, et a canonicis ecclesiæ cathedralis de licentia Episcopi facienda non est convocatio cleri, ut contribueret extraordinariis indigentiis laicorum, sed facienda est ab Episcopo : *Burgi Sancti Domnini*, *Convocationis capituli*, 18 *april.* 1711, *dub.* 1.

18. Sed libri collectarum sunt exhibendi capitulo eidem in loco Episcopo beneviso : *Ibid.*, *dub.* 2.

19. Sibi vindicante capitulo ecclesiæ cathedralis jus celebrandi Missas, et exequias, necnon anniversaria recolendi præcipue quæ vulgo dicuntur, *terzi*, *settimi*, *et trigesimi* in quibusdam ecclesiis regularium, et societatum ex piorum disponentium voluntate agenda, crucis vexillo erecto occasione funerum PP. Dominicani insurrexerunt, et occasionem dederunt, ut S. C. decrevisset, patres prædictos licere in propria, ecelesia celebrare Missas, exequias, et anniversaria vulgo *terzi*, *settimi*, *et trigesimi*, tam pro his, qui tumulati reperiuntur in dicta ecclesia, quam extra, nenon alia, et quæcumque anniversaria, et pro his eleemosynam recipere; non hæc omnia privative spectare ad capitulum cathedralis in eadem patrum ecclesia : *Ruben.*, *Jurium funerandi*, 28 *julii* 1713, *dub.* 1.

20. Ac dicto capitulo licere occasione comitatus,

[381] Vide not. 379.

[382] Super hac re plurima habemus decreta a S. C. Rituum emanata *die* 10 *decem.* 1703, *Urbis, et Orbis*, et approbata a Clemente XI, *die* 12 *januar.* 1704, quæ refert Ferrarius in sua *Canonica Bibliotheca* tom. ult.

et cadaverum tumulationis in ecclesia patrum Prædicatorum eam ingredi cum cruce erecta, non autem ibi facere funus circa cadaver : *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Novarum, de cujus quadam superioritatis specie super ceteras ecclesias parochiales fulgere S. C. jam antea definierat, jus recipiendi Episcopi arbitrio oleum sanctum, illudque privative distribuendi, et tradendi parochis dicti oppidi competere S. C. decernit : *Derthonen.*, *Jur. paroch.*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 6, confirmata 7 *decem.* 1720, *dub.* 1.

22. Eidemque capitulo jus in propria ecclesia convocandi parochos, qui ad funus invitantur, et omnes, qui ad supplicationes accedunt, non autem parocho defuncti dictam facultatem convocandi putavit : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

23. Non autem jus deferendi stolam in processionibus, et funeribus habet privative capitulum collegiatæ : *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

24. Capitulumque una cum archipresbytero ejusdem collegiatæ in solemnibus supplicationibus, et rogationibus alias ingredi, ibique consuetas orationes, seu functiones peragere valet : *Ibid.*, *dub.* 13, confirmata *ibid.*

25. Proposito dubio in S. C., an etiamsi constaret de territorio separato abbatiæ S. Ruffini, quæ est in castro Fori Pompilii, possit capitulum basilicæ S. Petri Urbis concedere dimissorias clericis castrorum dictæ abbatiæ? responsum datum fuit negativum : *Nullius*, *seu Brictinorien. et Policastren.*, 21 *jan.* 1719, confirmatur, et additur, quoad indultum supplicent Sanctissimo : 24 *aug.* 1720.

26. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Leonis non potest in die festivitatis S. Luciæ canere Missas adventitias ad suum libitum in altari ejusdem Sanctæ in ecclesia PP. S. Francisci de Paula, invitis eisdem patribus; præterquam quoad binas Missas cum cantu; etsi capitulum rationem curæ habitualis cunctarum animarum, et consuetudinis ederet : *Nullius Castellaniæ*, 29 *aug.* 1722, confirmata 30 *januar.* 1723.

27. Ad capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Populo de Saliceto terræ Pontremoli supplicationem die festo Sanctissimi Corporis Christi cum Venerabili faciendam prælative respectu archypresbyteri SS. Hippolyti, et Cassiani, aliorumque parochorum ejusdem oppidi pertinere resolvitur : *Lunen. Sarzanen.*, *Præeminent.*, 9 *junii* 1725, *dub.* 2.

28. Capitulo ecclesiæ cathedralis integrum est deputare arbitros, qui de causis recusationis cognoscant; nam canonicus Martinez ejusdem ecclesiæ causa agitante cum Ludovico Maroccu vicarium capitularem suspectum ex capite inimicitiæ coram pleno capitulo pro arbitrorum deputatione allegavit; cui exceptioni locum minime esse vicarius prædictus judicium cum adjunctis exercens putavit : *Calaritana*, 8 *junii* 1726, *dub.* 2.

29. Necnon ipsi capitulo competere prædictam deputationem, quando vicarius capitularis cum adjunctis procedere debeat, S. C. censuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

30. Amiterni, et Furconii destructorum incolæ in unum populum Aquilanum coaluerunt, ut omnes promiscue uterentur jure civitatis. Hinc duplex extitit Paganica, quarum una ab intra, altera ab extra nuncupatur. S. C. censuit, ut archipresbyter una cum capitulo, relicta veteri ecclesia, in aliam intra civitatem extructam migrare deberet, et deinde mandavit, ut erectio fieret perpetuæ vicariæ cum cura animarum in eadem ecclesia ab extra, et novo ibi vicario præcedentia tributa fuit; at sese opponente capitulo decisum est, vicarium in quibuslibet festis solemnioribus anni Missam majorem celebrare in ecclesia S. Mariæ de Paganica ab extra posse; neque vero tam canonicis, et capellanis ab extra, quam archipresbytero, canonicis, et capellanis ecclesiæ ab intra uti singulis, dum sunt præsentes, excluso eodem vicario, hoc licere : *Aquilana*, *Præeminentiarum*, 11 *sept.* 1728, *dub.* 1. Inde dubio reproducto servari votum Card. Bellugæ mandatur : 22 *sept.* 1731, *dub.* 1.

31. Ac functiones benedictionum, et excommunicationem possunt fieri a dicto vicario, non autem a canonicis, et capellanis ab extra, quam archipresbytero, canonicis, et capellanis ab intra, sive uti singulis, sive uti universis, dum sunt præsentes, excluso eodem vicario : *Ibid.*, *dub.* 3, reproducto ut supra respondit S. C.

32. Deinde quoad dubium, an archipresbyter, canonici, et capellani collegiatæ, et parochialis ecclesia ab intra faciant unum, et idem corpus cum vicario curato, et capellanis ecclesiæ ab extra, tam in functionibus ecclesiasticis, quam in perceptione distributionum, aliorumque redituum massæ capitularis; et an unum corpus constituant etiam in perceptione manualium, et an vicarius curatus sit de gremio? servari votum Card. Bellugæ, censuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

33. Jus tumulandi concessum fuit ecclesiæ collegiatæ B. Mariæ Virginis in Povenzano urbis Senarum vigore laudi ab Archiepiscopo promulgati, quibusdam tamen conditionibus appositis, ac præsertim ut canonici parocho præcederent sub vero cruce parochi ejusdem, utque omnia emolumenta ad parochum spectarent. Hoc jus quamvis ab ecclesia prædicta obtentum fuerit in S. C. prædictis conditionibus silentio prætermissis, et tantum facto verbo de quarta in favorem parochi defensa, tamen ead. S. C. firmavit dictum jus sepeliendi ad formam laudi,

quod servari mandavit, addiditque ad Card. præfectum juxta mentem [383] : *Senen.*, *Jur. parochial.*, 18 *novem.* 1730.

34. Capitulum ecclesiæ S. Petri Romaricomontis in Lotharingiæ Sedi Apostolicæ immediate subjectum et solis abbatissa, et canonissis, sive dominabus, non autem ex eis simul cum presbyteris, canonicis altaris majoris nuncupatis constitui S. C. existimavit : *Tullen.*, *seu Nullius S. Petri Romaricomontis*, *Visitat.*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 1.

35. Capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Agathæ civitatis Cremonæ in omnibus actionibus, et supplicationibus synodalibus propriam crucem erectam habere licere, præterquam intra cathedralem ecclesiam S. C. definivit : *Cremonen.*, *Synodi*, 5 *april.* 1732, *dub.* 3, confirmata 29 *aug.* 1733.

36. Sancivit S. C. capitulum ecclesiæ cathedralis posse cogi ad eligendum capellanum, seu vicarium pro exercenda cura animarum dictæ ecclesiæ etiam extra gremium capituli : nam idem affirmabat hanc curam præbendæ præposituræ adnexam esse : *Cingulana*, *Curæ animarum*, 19 *julii* 1732, *dub.* 3.

37. Censuit S. C. sustinendum esse decretum Episcopi, mandans, ut in exequiis generalibus, et etiam regiis, quibus adest capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Nicolai civitatis Alonis totum officium spectet ad idem capitulum, assignata curatis rata parte, et oblatione; in aliis vero exequiis, quæ etiam generalia nuncupantur, quibus intersunt curati, et clerus dumtaxat, jus designandi horas, tintinnabulorum sonitum, totumque officium spectet ad eosdem curatos : *Oriolen.* *Decretorum*, 23 *januar.* 1734, *dub.* 1.

38. Decisumque jam antea fuerat, ut ad quatuor hebdomadarios, non ad capitulum collegiatæ, ac parochialis ecclesiæ prædictæ S. Nicolai habitualis, et actualis animarum cura pertineret; modo definiit, ut idem capitulum non possit mulctare curatos ob defectus commissos in functionibus parochialibus; sed tantum ab illis, quos contraxerint circa servitium chori, et circa officia, quibus capitulum assistit, et præsidet : *Ibid.*, *dub.* 7.

39. Non constat de aliquo jure capituli cathedralis ecclesiæ ad conficiendas functiones occasione cadaverum tumulationis, et die festo S. Margaritæ in ecclesia ejusdem sanctæ nuncupata *de Suffragio*, quam ei subjectam esse prædicat; sed jus faciendi easdem functiones privative ad rectores, et capellanos ejusdem ecclesiæ, salvis juribus parochialibus spectat : *Ortonen.*, 29 *januar*, 1735.

40. Quum capitulum cathedralis ecclesiæ utens jure animadvertenti in suos capitulares ob quoddam delictum a canonico Joann. Gonzalez Verguvio patratum, nedum eum mulctaverit pœna ter centum viginti regalium, verum etiam ad biennium voce activa, et passiva, suoque stallo in choro privaverit, assignata illi sede in ultimis capellanorum subselliis facta quæstio fuit de jure ab S. C. decidenda; statuit autem hæc, capitulo competere ecclesiæ ministros pro levibus minime autem pro gravibus excessibus : *Civitatis provinciæ Compostellanæ*, *Juris mulctandi*, 3 *decem.* 1735, *dub.* 1, confirmata 12 *martii* 1746.

41. Quæsitum consequenter fuit num idem jus competeret pro excessibus in choro, aula capitulari, et ecclesia dumtaxat, vel etiam extra patratis, et responsum est competere pro levibus, et casibus etiam extra chorum, et ecclesiam commissis in functionibus tamen ecclesiasticis tantum, in quibus capitulum procedit sub cruce : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

42. Necnon in multis pecuniariis tantum jus ei tribuitur, duorum nempe, vel quatuor, et ad summum sex ducatorum juxta casus; ita tamen ut multa erogetur in pios usus : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata et additum, pro multis pecuniariis tantum usque ad summam ducat. 10 : 12 *martii* 1746.

43. Dubio proposito, an liceat capitulo una cum canonicis, et præposito collegiatæ ecclesiæ, ac parochialis S. Fidelis intervenire funeribus eorum, qui sepulturam elegerunt in societatis ecclesia S. Joann. Baptistæ in Atrio? proponi dubium super matricitate S. C. respondit : *Comen.*, *Administrat.*, *et jur. paroch.*, 27 *julii* 1737, *dub.* 8.

44. Gregorius XII, Pont. Max., in collegiatam erexit ecclesiam S. Mariae de Carignano, indulsitque jus sepulturæ abbati, et canonicis, omniaque jura parochialia pro universo clero, ceterisque ecclesiæ addictis, patronique descendentibus, ac hæredibus, eorumque familiaribus absque præjudicio parochiæ, in qua posita est dicta ecclesia. Metropolitanæ ecclesiæ minister tradere noluit canonicis aquam baptismalem, oleum infirmorum ; ideo de parochialitate ecclesiæ initum fuit certamen, et S. C. non constare de qualitate parochialis respondit, præterquam in iis. quæ a jure sepeliendi dependent : *Januen.*, *Jur. paroch.*, 14 *decem.* 1737, *dub.* 1.

45. Non constat de exemptione generali capituli ecclesiæ cathedralis a jurisdictione ordinaria Episcopi : *Gerunden.*, *Exemptionis*, 24 *maii* 1738, *dub.* 1. confirmata 19 *decem.* 1739.

[383] « Mens autem est, ut assistente capitulo eccl. Provenzani in tumulatione cadaveris expositi in sua ecclesia, possit idem capitulum in dicta tumulatione tantum elevare suam crucem, firma tamen remanente consignatione ceræ parocho juxta laudum observandum etiam in ceteris omnibus, et per omnia, et hoc dummodo canonici acquiescant. Lib. *Decret.* 80, fol. 368.

46. Idem capitulum subjicitur constitutionibus synodalibus, sive aliis legibus etiam per edicta expositis ab Episcopis, absque illius consilio, et assensu, non autem cum ejusdem consilio tantum editis: *Ead.*, 19 *decem.* 1739, *dub.* 4.

47. Capitulum ecclesiæ cathedralis libere administrare reditus capellæ S. Michaelis Archangeli in dicta ecclesia existentis, cui Horatius Fortunatus Episcopus bona reliquit sub capituli administratione, non valet, sed cum regimine Episcopi; necnon capitulum idem tenetur reddere rationem Episcopo juxta resolutionem editam anno 1726, [384], et standum est in decisis in omnibus: *Neritonen.*, *Redditionis rationis*, 1 *martii* 1738.

48. Dubium exhibitum, an ad capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Laurentii oppidi Drepani una cum cantore, et decano spectet jus dirigendi, et gubernandi functiones ecclesiasticas, exceptis parochialibus, in ecclesia collegiata peragendas, seu ad eosdem cantorem, et decanum privative? remittitur ad Card. præfectum cum facultatibus S. C. etiam concordandi: *Mazzarien.*, *Jur. capit.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1.

49. Item ad dubium, an ad plenum capitulum spectet jus administrandi omnia, et quæcumque bona tam dotalia parochialis, quam cetera quovis titulo, et nomine ad ecclesiam spectantia, et respective exercendi jura spiritualia, nimirum facultatem concedendi supplicationes intra limites parochiæ, et similia, seu ad cantorem, et decanum? ut supra respondetur: *Ibid.*, *dub.* 2.

50. Ac quoad dubium, an jus distribuendi omnes fructus suis respective præbendatis octo canonicatuum, quos fundavit Petrus Messina, spectat ad dignitates privative, seu ad integrum capitulum? et quatenus negative ad primam partem.

51. An jus idem distribuendi fructus cuilibet ex dictis sex canonicis competat capitulo, etiam postquam bona a Petro Messina relicta ad ecclesiam transiverint? ut supra rescribitur: *Ibid.*, *dub.* 6 et 7.

52. Dubio insuper, an similiter ad idem capitulum pertinet jus distribuendi decem presbyteris, et quatuor clericis emolumenta ipsis debita super iisdem bonis Petri Messina, seu ad duas dignitates? idem datur responsum: *Ibid.*, *dub.* 8.

53. Demum dubium, an ad integrum capitulum spectet jus condendi statuta, deputandi, et amovendi omnes officiales, ac ministros, necnon assignandi salaria, et stipendia, seu ad cantorem, et decanum privative? pariter ut supra commendatur: *Ibid.*, *dub.* 21.

54. Capitulo una cum canonicis ecclesiæ cathedralis non est concedenda exemptio a jurisdictione Episcopi moderni: *Juvenacen.*, 30 *mar.* 1743, *dub.* 5.

55. Quum fuisset postulatum, an capitulo ecclesiæ cathedralis, ejusque primæ dignitati, seu parocho S. Terentii, intra cujus parochiæ limites collocatum palatium episcopale, jus sacramenta Sanctissimæ Eucharitiæ, et Extremæ Unctionis Episcopo ægrotanti competat? servari Cæremoniale [385], mandatur: *Faventina*, *Præeminent. et funer.* 7 *junii* 1760, *dub.* 8.

56. Eidem capitulo in supplicationibus, quibus intervenit collegium parochorum, binas erigendi cruces, unam scilicet ante mansionarios, et seminarii alumnos, alteramque ante ipsos canonicos, juxta veterem morem, et antiquam observantiam, cujus initii memoria non extat, jus tribuendum esse S. C. judicavit: *Ibid.*, *dub.* 9.

57. Tam præfatum capitulum, quam prædictum etiam parochorum collegium in supplicationibus, quæ occasione synodi fiunt, incedere debent sub unica cruce totius cleri, et hanc crucem elevare tantummodo debet cathedralis ecclesia: *Ibid.*, *dub.* 10.

58. Ex duabus ecclesiis collegiatis una tantum in terra Lugi est, et in parochialem erecta, altera suppressa, patribusque concessa Scholarum Piarum sub novo nomine S. Francisci de Paula. Sed cum in litteris suppressionis festum dicti Sancti solemne jussum esset, et declaratum, quod ad capitulum, et ad canonicos præfatæ collegiatæ spectaret annuatim se conferre ad ecclesiam S. Francisci de Paula pro decantanda Missa solemni in die festo ejusdem Sancti; canonici a S. C. decidi sibi obtinuerunt, ut occurrente festo prædicto in una ex feriis majoris hebdomadæ liceat capitulo differre accessum ad ecclesiam ejusdem Sancti ad diem, in qua ab Ecclesia universali fit officium ipsius Sancti: *Imolen.*, *Jur. paroch.*, 20 *dec.* 1760, *dub.* 1.

59. In solemni autem supplicatione Sanctissimi Corporis Christi capitulum illud ingredi in ecclesiam S. Francisci de Paula, et super aram majorem Sanctissimum Sacramentum ad modicum tempus, in sublevamen delatoris deponere valere, S. C. firmavit: *Ibid.*, *dub.* 3.

60. Putant insuper canonici collegiatæ S. Jacobi olim, nunc SS. Petronii et Prosperi terræ Lugi, stante unione, ac jura translata, facultatem sibi inter

[384] In congregatione particulari deputata ex pontificio rescripto Benedicti XIII, Pont. Max., sub die 5 maii, in qua præter cetera statutum fuit; sortes relictæ ab Horatio Fortunato, et ab Horatio Giaccoli esse administrandæ a capitulo cum Episcopi vigilantia, et in casu negligentiæ capituli a solo Episcopo investiendæ; ut in futurum anno quolibet a procuratore, seu administratore ratio reddatur Episcopo pro tempore tum impensarum, tum reliquatus: et in casu negligentiæ, aut dolosæ administrationis valeat novum procuratorem, seu administratorem constituere. *Ead. causa*, 8 *febr.* 1738, § 2.

[385] Vide not. 29, pag. 27.

inter hæc jura connumerandam competere interesse anniversariis officiis, quæ fiunt in ecclesia PP. Min. conv., curatus autem S. Francisci de Paula hoc sibi licere contendit ex pia dispositione de Mugnapanis, a quo invitantur quatuor sacerdotes S. Hilarii, et quatuor S. Dominici, quatuorque presbyteri S. Jacobi et totidem S. Mariæ de Lugo. Et S. C. definiit spectare ad collegiatam jus transmittendi octo ex suis presbyteris ad officia, de quibus agitur, in ecclesia PP. Conventualium: *Ibid.*, *dub.* 11.

61. Et ad capitulum prædictum SS. Petronii, et Prosperi haud spectat jus accedendi ad congregationes B. Mariæ S. Rocchi, et Montis Pietatis, sed ad parochum S. Francisci de Paula hoc spectat; licet novæ parochiæ antiqua jura adempta fuerint; tamen hoc jus in synodalibus constitutionibus præscribitur: *Ibid.*, *dub.* 23.

62. Ad capitulum, et canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ *del Piano* oppidi Montellæ, cui unita reperiuntur duæ parochiales ecclesiæ, spectat privative deputatio presbyterorum secularium ad nutum amovibilium in dictis ecclesiis: *Nuscana*, 14 *apr.* 1764, *dub.* 3, confirmat. 24 *nov. ejusd. anni.*

63. Inter capitulum Lateranense, et Episcopum Spoletanum orta controversia est de spirituali jurisdictione in ecclesiam ruralem S. Pauli, quam in territorio oppidi Strecturæ sub sua diœcesi erectam affirmabat Episcopus Spoletanus, et capitulum Lateranense in territorio castri S. Mamiliani abbatiæ Ferentilli positam esse asseverabat. Probabat ulterius capitulum supra ecclesiæ S. Pauli januam extitisse insignia basilicæ Lateranensis, sacrasque visitationes in ea paractas fuisse a visitatoribus a capitulo destinatis; hac de causa S. C. capituli Lateranensis non Episcopi Spoletani jurisdictioni ecclesiam hanc S. Pauli esse subjectam definivit: *Spoletana, seu Nullius Ferentilli, Jurisdictionis,* 16 *junii* 1770.

64. Capitulo collegiatæ ecclesiæ oppidi Tungrensis competit facultas mulctandi vicarios ejusdem collegiatæ absentes absque licentia capituli, vel per substractionem quotidianarum distributionum eorumdem vicariorum, quatenus absint, vel per substractionem fructuum vicariarum diebus absentiæ congruentium: *Leodien.*, 30 *aug.* 1777, *dub.* 5.

65. Ad capitulum ecclesiæ cathedralis spectat jus admittendi novos canonicos ad possessionem canonicatuum, non ad archidiaconum, et præpositum, juxta formam hactenus observatam, ut nempe post fidei professionem, et juramentum coram archidiacono, vel etiam altero digniori, eo absente præstitum novus canonicus in possessionem veniat per duos canonicos a capitulo deputandos, nisi alii exequutores in litteris apostolicis dati fuerint: *Camerinen.*, *Præeminentiar.*, 7 *april.* 1781, *dub.* 6.

66. Capitulo ecclesiæ cathedralis licuit, et in posterum licebit cum approbatione Episcopi variare, vel reformare horarium; etiamsi fuerit in Lauretana synodo 1627 a Card. Episcopo Roma horarium statutum, et S. C. huic decreto addidit [386], ad mentem: *Lauretana*, *Horarii*, 8 *junii* 1782, *dub.* 1.

67. Regimen, et administrationem ecclesiæ parochialis S. Petri Montis Martiani in collegiatam noviter erectæ, et clavium custodiam ejusdem ecclesiæ sacrarii, chororum, et cubiculi positi supra capellam B. M. Carminis, et turrium sacrarum spectare juxta modum [387] ad capitulum per canonicum æditumm annuatim ab ipso eligendum exercendam, non vero privative ad archipresbyterum S. C. præfinivit: *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 1.

68. Prædictoque capitulo subesse nequit societas sanctissimi Rosarii in eadem ecclesia S. Petri, ut asseritur, erecta, sed soli archipresbytero: *Ibid.*, *dub.* 8.

69. Sed supplicationes prædictæ ecclesiæ indicendæ sunt per archipresbyterum de consensu capituli juxta decretum Card. Episcopi anni 1781: *Ibid.*, *dub.* 9.

70. Dubio proposito, an, et quomodo capitulares ecclesiæ collegiatæ divi Petri absentes substituere possint in chorale servitium, et sibi invicem permutare conciliares vacationes juxta eorum antiquam consuetudinem; et ad quæ loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia civitatis? S. C. respondit, affirmative juxta votum Episcopi [388], et ad formam *Jadren* anni 1626 [389]: *Spoletana*, *Servitii chori*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 1.

§ IV.

Capitulum ecclesiasticum quoad massam fructuum, distributionum quotidianarum, et emolumenta.

1. Episcopus sancivit, ut præpositus ecclesiæ S. Mariæ Majoris Lomelli traderet quotannis lib. 200, et canonicus quisque lib. 100 pro distributionibus quotidianis loco tertiæ partis fructuum, sed

[386] Et mens est, ut servetur resolutio capitularis anni 1774, et si quid erit innovandum consulatur S. C.: *Ead. causa*, 8 *junii* 1782.

[387] Nempe ad formam primi decreti Card. Episcopi anni 1781. *Ead. causa*, 13 *junii* 1786, *dub.* 1.

[388] Qui putat consuetudinem hujusmodi esse tolerandam dummodo substituti eidem servitio non sint adstricti; restituant substituentes infra annum præstita servitia; frequenter non fiant substitutiones; et non absint substituentes a territorio: *Ead. causa*, 28 *febr.* 1795, § 3.

[389] Vide verb. *Canonici* § 11, num. 8.

nempe. *Il visitatore apostolico ha prærdinato, che la detta terza parte de frutti si debba ad ogni modo separare da essa prepositura, e canonicati, e convertirsi nelle distribuzioni quotidiane*; hinc quæsitum est, et declaratum, factum ob Episcopo decretum non obstante contrario jussu visitatoris apostolici esse servandum: *Papien., anni circiter* 1577, *dub.* 1.

2. Insuper decernit, quum dicta conversia in quotidianas distributiones fuisset facta ex præscriptione tamen decreti Concilii sess. 21, cap. 3. *de Reform.* [390], prout in litteris ejusd. S. C., ad Episcopum Papiensem scriptis legitur, idcirco portiones absentium non esse applicandas fabricæ, sed servientibus accrescere: *Ibid., dub.* 2.

3. Licet ex inæqualibus præbendis tertia pars sit deducenda propter distributiones quotidianas; divisio tamen inter deservientes ita fieri debet, ut qui plus contribuit, plus etiam serviendo lucretur ad ratam partem: *Alexandrina, anni* 1581,*dub.* 3.

4. S. C. censuit tertiam partem fructuum præbendarum cathedralis ecclesiæ pro distributionibus quotidianis intelligi separatam ex cap. 3, sess. 21 [391]; ideoque portiones non deservientium deservientibus accrescere, non autem applicandas loco pio, vel fabricæ, ut fit ex separatione facta ex dicto cap. 3, sess. 22 [392], quod decretum factum fuit in odium dignitatum, quæ non residendo nihil aut minus tertiam partem consueverant amittere: *Pisauren., sept.* 1587.

5. Detractio tertiæ partis ex fructibus præbendarum, ac dignitatum facienda ex cap. 3. sess. 21. [393], et convertenda in distributiones quotidianas fieri debet non ex una, et altera tantum pinguiori præbenda, sed ex omnibus præbendis, ac dignitatibus ecclesiæ: *Bosanen.*, 15 *april.* 1592, *dub.* 2.

6. Eadem autem assignatio distributionum quotidianarum ex tertia parte fructuum dignitatum, et præbendarum facienda est detractis pensione, et aliis oneribus legitimis, quamdiu illa duraverint: *Ibid., dub.* 3.

7. Unusquisque percipere debet tantum de distributionibus quantum de sua præbenda fuit detractum, et is cui plus ablatum est de præbenda pinguiori, plus de distributionibus percipere debet, cui autem nihil ablatum est, nihil est dandum. *Ibid., dub.* 4.

8. Respondit S. C., si quemadmodum proponitur in dicta ecclesia, nullæ sint distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, debere Episcopum tertiam partem fructuum tam dignitatum, quam canonicatuum separare, et in distributiones quotidianas convertere, quæ inter dignitates obtinentes, et divinis intervenientes tantum proportione servata dividantur ad præscriptum ejusdem Concil. cap. 3, sess. 21 [394]: ideoque S. C. serio mandavit Episcopo, ut ad continendos in officio canonicos prædictæ ecclesiæ ejusmodi remedio uti non differat: *Terracinen.*, 13 *jan.* 1624, *dub.* 1.

9. Censuit S. C., si in dicta ecclesia frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradu, pro loci, ac personarum qualitate non sufficiant, licere Episcopo cum consensu capituli aliquot simplicia beneficia iis unire, vel, si hac ratione providere non possit, aliquas ex iis supprimere, earumque fructus, ac proventus reliquorum canonicorum præbendis applicare, easque ad pauciorem numerum reddere, dummodo tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commode valeant respondere, quemadmodum statuit ejusd. Concil. decr. cap. 15, sess. 24 [395]: *Tullen.*, 15 *martii* 1622.

10. Episcopus separare debet tertiam partem fructuum quarumcumque præbendarum, ac in distributiones quotidianas convertere ad præscriptum Sacr. Concil. cap. 3, sess. 21, et cap. 3, sess. 22, *de Reform.* [396], ac etiam deputare punctatorem, atque non inservientes, et absentes multare, necnon contra eos procedere juxta formam supradictorum capitulorum, et cap. 12, sess. 24, *de Reform.* [397], non obstantibus quibuscumque exemptionibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, et constitutionibus, vel statutis capitularibus etiam juramento firmatis: *Nicien.*, 18 *nov.* 1628, *dub.* 2.

11. Deducenda est portio pro distributionibus quotidianis etiam ex decimis oppidi Liventii: *Ibid., dub.* 3.

12. Canonicos absentes per tres menses eis a sacr. Concil. Trid. permissos lucrari fructus suarum præbendarum, amissis distributionibus quotidianis, quæ inservientibus accrescant, quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstante: *Ibid., dub.* 4.

13. Episcopus visitans Apostolorum limina dubium proposuit, ad quod respondit S. C., quoad observantiam regulæ ordinis S. Augustini, et constitutionum capitularium per dignitates, et canonicos ecclesiæ cathedralis injungendum esse nuntio Hispaniarum, ut opportune provideat; eos tamen

[390] Vide not. 165 et 166, tom. 1, verb. *Applicatio*, § 1.
[391] Vide not. 165 et 166, ut sup.
[392] Vide not. 165 et 165, ut sup.
[393] Vide not. 165 et 166, ut sup.
[394] Vide not. 165 et 166, ut sup.
[395] *De Reform.* ubi de ecclesiis cathedralibus, et collegiatis loquitur.
[396] Vide not. 101, verb. *Canonici*, § 3.
[397] Vide not. 65, verb. *Canonicatus*, § 5.

suas portiones loco canonicatuum sibi obtinentes, et jus administrandi, quæ suo usui sunt destinata, habentes, posse de hujusmodi bonis tantum ad pia opera inter vivos disponere; in concernentibus vero servitium chori, et ecclesiæ Episcopum omnino curare debere, ut constitutiones capitulares observentur, nec ullo modo permittere, ut divinis officiis non inservientes portiones pro distributionibus quotidianis destinatas percipiant; cessantibus causis in cap. unic. *de Cleric. non residen.* in 6 expressis [398]: *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 1.

14. Quod Episcopus mandavit divisionem distributionum quotidianarum non posse fieri a canonicis absque interventu personæ ab Episcopo deputatæ, supplicat propterea capitulum præcipi eidem Episcopo, ut quatenus persona ab ipso deputata intervenire nolit, possit ad divisionem devenire. Quoad portionem ad canonicos pro distributionibus spectantem deputandum esse punctatorem, qui dictas distributiones assignet: *Guardien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 3.

15. Constitutio Sixti V, Pont. Max.,præcipit, ut supprimantur omnes præbendæ canonicales Urbini, et de fructibus quibuscumque spectantibus dictis canonicatibus fiat una massa, dividenda in distributiones quotidianas inter canonicos divinis intervenientes. Quæritur ergo an toleranda consuetudo in contrarium, qua solum applicatur distributionibus quotidianis certa quantitas, quæ plerumque non excedit medietatem fructuum canonicalium, relicta alia medietate æquis portionibus distribuenda inter canonicos; etiamsi divinis non intersint, stante dispositione sacr. Concil. sess. 21,cap. 3 *de Reform.*; et qua tertia pars fructuum applicetur distributionibus quotidianis, salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes, sive non servientes nihil, vel minus tertiam partem percipiant? respondit S. C., quidquam, nisi audito capitulo, non esse decernendum: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum,* 10 *martii* 1663, *dub.* 5.

16. Et ad alterum dubium, an stante dispositione sacr. Concil. Trid. sess. 24 cap. 12, §. *Distributiones vero, de Reform.* [399], quod punctaturæ distributionum accrescant solis intervenientibus divinis officiis, servanda sit consuetudo, quod dictæ punctaturæ distribuantur æqualiter inter omnes canonicos; ita ut de iis æque participent tam præsentes, quam non præsentes divinis, imo etiam qui punctis est notatus? rescribitur non esse observandam: *Ibid.*, *dub.* 6.

17. Quum Alex. VII, Pont. Max., ecclesiam matricem insulæ Gaudisii erexisset in colllegiatam, ac onus chori, Missæque conventualis una cum duabus Missis pro benefactoribus etiam ignotis adjunxisset, quæsitum est: An omnes, et singuli reditus beneficiorum, legatorum, eleemosynarum, et similium, quæ fundata, et respective relicta sunt ante bullam laudati Pontificis pro celebrandis Missis, sint in eadem celebratione erogandi? et quatenus non omnes.

18. An saltem aliqua eorum portio, et quæ?

19. An, et pro quo tempore canonici valeant vacare a choro? primum fuit rescriptum firmandum esse statum antiquum, et modernum coram Card. præfecto: *Melevitana, Onerum Missarum,* 26 *martii* 1689, *dub.* 1, 2 et 3. Deinde ad 1 et 2, responsum prodiit,non immutata nempe divisione facta inter canonicos super hæreditate Maganutiæ ex fructibus ejusdem, et ex aliis provenientibus ex capsa eleemosynarum erogentur scuta 35 pro distributionibus quotidianis; reliqui vero fructus applicentur pro præbenda canonicali, et pro eleemosyna Missarum, quas quilibet canonicus, vel per se, vel per alium quotidie celebrare, et sacrificium pro animabus benefactorum applicare teneatur; ita tamen, ut, si quando augeatur reditus, augeatur etiam proportione servata numerus earumdem Missarum; quod in actu visitationis præsertim inspicere curæ esse debebit Ordinario pro tempore: 6 *aug. ejusd. anni.*

20. Ecclesia collegiata oppidi Ariciæ caret distributionibus quotidianis; ob id quæritur, an, et quæ taxa pro dictis distributionibus servanda sit? S. C. respondit servandam esse taxam juxta formam a sacr. Concil. [400], præscriptam: *Albanen.*, *Distributionum,* 9 *decem.* 1690.

21. In ecclesia cathedrali nullæ adsunt distributiones quotidianæ, hinc occasione visitationis eas constituere Episcopus cogitavit, et præfinivit in annuis scut 12 pro quolibet. Sed nonnullis capitularibus non acquiescentibus, S. C. consulta decrevit, non debere de necessitate fieri separationem effectivam tertiæ partis fructuum omnium dignitatum, et canonicatuum pro massa distributionum, nec eamdem stabiliri posse in annuis scut. 12 pro quolibet etiam pro futuris temporibus in perpetuum: *Aquipendii, Distributionum*, 29 *novem.* 1692, *dub.* 1.

22. Acta dicta massa distributionum detrahendam non esse portionem respondentem vacationi

[398] Nempe « exceptis illis, quos infirmasset, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret » quæ dispositio renovata fuit a Concilio Tridentino sess. 24, cap. 12, *de Reform.* De hac decretali loquitur Benedictus XIV, *Inst. Eccles.* 107, § 8, pag. 791, edit. Ingolstadii, et Augustæ Vind. 1751, et Giraldi, *Exposit. Jur. Pont.* tom. 1, pag. 243, seqq. omnes exponit, qui ab hanc decretali hodie excipiuntur.

[399] Vide not. 107, verb. *Canonici*, § 3.

[400] Vide not. 165, tom. 1, verb. *Applicatio*, § 1.

trium mensium juxta bullam erectionis, et sententiæ, in ejus exequutionem latæ ab AC. Bulgarino, deciditur : *Ibid.*, *dub.* 2.

23. Depositumque dictæ massæ distributionum debere esse reale, et effectivum definitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

24. Quæsito, an sit introducta consuetudo, quæ servanda veniat, faciendi portiones canonicales, seu præbendas variabiles in stabilibus de quibus agitur, cum optione portionum canonicis antiquioribus? censuit S. C. injungendum esse Episcopo, ut in actu visitationis firmet statum massæ communis, et distributionum ad formam Concilii [401], et postea S. C. certiorem faciat : *Verulana, Punctaturarum*, 10 *julii* 1694, *dub.* 1.

25. Episcopus Gozzadinus in synodo celebrata anno 1626 tertiam partem fructuum omnium canonicatuum ecclesiæ cathedralis in quotidianas distributiones convertit, modumque punctis notandi in singulis horis præscripsit. At tractu temporum in desuetudinem decretum abivit, et modernus Episcopus iterum suo decreto punctaturas exoletas revocavit, et canonicis reclamantibus S. C. decretum Episcopi de distributionibus quotidianis, et punctaturis esse exequendum voluit : *Civitatis Castellanæ*, *Punctaturarum*, 5 *maii* 1696.

26. Instante Episcopo Gienennsi ad hoc ut servitium suæ ecclesiæ cathedralis religiose servaretur proponi hæc dubia curavit : An statuta præfatæ ecclesiæ circa distributiones quotidianas sint servanda; seu attendenda sit dispositio sacri Concilii Tridentini, cap. 3, sess. 21, *de Reform.* [402]? et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam,

27. Quomodo illarum divisio per Episcopum facienda sit per singulas horas? ad primum negativum dedit responsum, mandavitque, ut servetur præfata Concilii dispositio; ad secundum, divisionem esse per Episcopum ad formam Concilii [403] faciendam censuit : *Giennen.*, *Distributionum*, 24 *april.* 1700, *dub.* 1 et 2.

28. Ut exequutioni præfatum rescriptum mandetur, Episcopus omnium librorum, ac documentorum, exhibitionem postulavit; sed prætendentibus modo præfatis canonicis, quamdam constitutionem conditam fuisse ab Episcopo Sarmiento quoad quotidianas distributiones, illamque nihilominus sac. Conc. Trid. non adversari; causa in S. C. fuit reproducta, et S. D. decretum distulit, ut firmaretur status peculiaris tam redituum, quam onerum, et expensarum : 16 *febr.* 1704, *dub.* 1 et 2.

29. Distributiones, et emolumenta funerum, supplicationum ecclesiæ collegiatæ oppidi Terlicii accrescere debent intervenientibus, non autem applicari possunt archipresbytero, locis piis, aliisque usibus sibi benevisis : *Juvenacen. seu Nullius Terlicii*, *Distributionum*, 13 *aug.* 1707, *dub.* 3.

30. Duæ ex tribus partibus distributionum quotidianarum ecclesiæ cathedralis cedere non debent pro fructibus in augmentum præbendarum : *Suessana*, *Tabellæ horariæ, et servitii chori*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 4.

31. Quum Episcopus in postrema visitatione absentes de propriis fallentiis participare comperiisset, decretum edidit, ut nullus ecclesiæ cathedralis præbendatus de fallentiis, quibus ratione absentiæ gravatur, partem capiat; huic decreto capitulares non acquieverunt, et fuit apud S. C. in ambiguo, an, et quomodo inter eos facienda sit punctaturarum divisio? et responsio fuit protelata, ut Episcopus formulam transmittat : *Ruben.*, *Punctatur.*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 1.

32. Necnon punctaturæ non debentur in casu, de quo agitur, ex emolumentis provenientibus a Missarum, et anniversariorum celebratione : *Ibid.*, *dub.* 2.

33. Reditus massæ *Communeriæ* nuncupatæ, quæ ex legatis piis constat, et extat in ecclesia cathedrali, in tres partes dividi debent, ita ut duæ inter canonicos tantum dividantur, et tertia pars inter alios presbyteros; et quilibet canonicus duplicem ratam partem habeat, et quilibet presbyter simplicem, exceptis legatis, in quibus alias per testatorem dispositum fuerit : *Squillacen.*, *Missæ convent.*, *et communeriæ*, 24 *sept.* 1712, *dub.* 2, confirmata 2 *martii* 1713, *dub.* 1.

34. Ad dubium : An divisio redituum canonicalium ecclesiæ cathedralis facta ab Episcopo ad formam decreti anni 1647 [404] tam pro distributionibus, quam pro expensis sit servanda, seu quænam rata pars sit applicanda pro distributionibus, et quænam pro expensis? respondit S. C. : Dilata, et firmetur per Episcopum status bonorum, et servetur interim Episcopi decretum : *Perusina*, *Distributionum*, 22 *junii* 1715, *dub.* 1.

35. Inde resolvit, ut pro rata parte destinata pro distributionibus nullo modo possit per capitulares converti in alios usus, nisi ad causam eorum, qui

[401] Vide not. 165 et 166, tom. 1, verb. *Applicatio* § 1.
[402] Vide not. 165 et 166, ut sup.
[403] Vide not. 165 et 166, ut sup.
[404] Sub die 7 sept. S. C. censuit, injungendum Episcopo esse, ut pro ejus arbitrio deductis oneribus, et expensis fiat assignatio bonorum distincta cuilibet præbendæ canonicali, constituta tamen prius tertia parte bonorum pro distributionibus quotidianis, ut servitium ecclesiæ laudabiliter impleatur : *Ead. causa*, 22 *junii* 1716.

choro inservierunt, juxta naturam quotidianarum distributionum : *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Exposuit in S. C. Episcopus antiquum abusum irrepsisse locandi a capitulo ecclesiæ cathedralis majori oblatori pro integro anno bona cujuscumque ecclesiæ parochialis vacantis; ideo S. C. consuluit super hoc jure, quæ decrevit capitulum prædictum jus percipiendi fructus ecclesiarum parochialium de tempore vacationis habere : *Illerden.*, 25 *januar.* 1727, *dub.* 1.

37. Necnon dictum jus pertinere ad idem per integrum annum a die vacationis judicavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

38. Et ad dubium, an idem jus pertineat quoque, ubi infra annum ecclesiæ parochialis provisa fuerit de novo parocho? respondit : Dilata et scribatur Episcopo pro nova informatione juxta instructionem : *Ibid.*, *dub.* 3.

39. Res dubia facta fuit, an archipresbyter, canonici, et capellani collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Mariæ de Paganica ab intra faciant unum idemque corpus cum vicario curato, et capellanis ecclesiæ ab extra in perceptione distributionum, aliorumque redituum massæ capitularis; et an unum corpus constituant etiam in perceptione manualium?

40. An ceræ provenientes ex funeribus, ac anniversariis celebrandis in ecclesia S. Mariæ de Paganica ab extra, et oblationes, quæ fiunt in die Commemorationis mortuorum in pane, vino, aliisque rebus offerri solitis, spectent ad capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ ab intra, cui est unita illa ab extra, et ad ejusdem massam capitularem, seu ad vicarium curatum? rescribitur, ut servaretur in omnibus votum Card. Bellugæ : *Aquilana*, *Præeminentiarum*, 22 *sept.* 1731, *dub.* 2 et 6.

41. Quum horribilis terræmotus in urbe Foggiæ factus fuisset, ut pene prostraverit plerasque domus capituli collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ, inita fuit ab ipso capitulo deliberatio, ut universi præsentes reditus tum præbendarum, tum massæ communis in unum conferantur acervum, ex quo sumptus necessarii pro domorum reparatione desumi deberent. Tres canonici, quorum præbendæ immunes a calamitate fuerunt, id peragi abnuerunt; hoc disserendi locum tribuit, et S. C. absque cunctatione statuit omnia bona tam massæ communis, quam præbendarum coacervanda ad effectum dividendi reditus detractis expensis necessaris : *Trojana*, *Præbendarum*, 6 *dec.* 1732, *dub.* 1, confirmata *juxta modum*[405], 10 *januar.* 1733. Insuper exequendas esse præfatas resolutiones mandavit : 6 *dec.* 1738.

42. Capitulum ecclesiæ cathedralis nequit carolenos exigere decem, quod vocatur jus pompæ, a defunctorum sodalium hæredibus, quando sodales, qui intra parœciam existunt, occasione tumulationis eorumdem pannum nigrum loculum tegentem, quem ipsa sodalitia servant, adhibent; etiamsi consuetudo in favorem capituli invaluerit : *Trojana, Funerum*, 29 *aug.* 1733.

43. Massam capitularem ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ communem inter canonicos, et beneficiatos quoad partitionem esse, non quoad administrationem, quam ad solos canonicos spectare S. C. resolvit : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 6.

44. Clemens VIII, Pont. Max., parochialem ecclesiam S. Nicolai in civitate Alone locatam in collegiatam erigens hebdomadarios curatos quatuor fecit, ut quæcumque parochialia munia obirent, et per concursum exercitium obtinerent. Instituta inter eos, et capitulum disputatione Episcopus decrevit, ut in exequiis generalibus, et etiam regiis, quibus adest capitulum, totum officium, exactio emolumentorum ad idem capitulum assignata parochis rata parte, et oblatione spectaret : *Orioten.*, *Decretorum*, 23 *januar.* 1734, *dub* 1.

45. Mos in metropolitana ecclesia viget, ut præter annuos præbendarum reditus quidam sint fructus partim in pecunia, partim in frumento, qui servata punctaturæ norma quolibet mense divisi, certis anni temporibus, juxta ecclesiæ servitium canonicis distribuuntur; aliique insuper sunt, vulgo nuncupati *repliche*, quos sub eadem punctaturæ lege hactenus tradere canonicis consuevit. Promotor fiscalis apostolicæ Nuntiaturæ Neapolis hos fructus a canonicis defunctis non exactos usitato spolio subjici disceptabat. Ad hanc quæstionem exsolvendam propositum fuit dubium; an massa illa communis distribui solita certis anni temporibus partim in pecunia, et partim in frumento naturam, et qualitates distributionum quotidianarum habeat? et illas habere qualitates resolutum fuit : *Capuana*, *Spolii*, 9 *julii* 1735.

46. Quum capitulum metropolitanæ ecclesiæ altercaretur non posse compelli, ut singulis diebus festis de præcepto choro omnes capitulares inter-

[405] Videlicet, ut durante provisionali conservatione redituum, quidquid erit de jure solvendum pro pensionibus solvatur ex acervo eorumdem redituum. Quo vero ad damnum, quod proveniet a culpa, et facto canonicorum ad Episcopum pro extrajudiciali illius recognitione; denique quoad prorogationem, et quantitatem annuæ summæ erogandæ in reparationem damnorum ad eumdem Episcopum pro suo arbitrio, et prudentia : *Ead. causa*, 10 *januar.* 1733.

sint, nisi prius quotidianæ distributiones prævia præbendarum suppressione, vel beneficiorum simplicium unione augeantur, quæsitum in S. C. fuit, an sit locus augmento prædicto? habendam rationem in casu recursus cum opportunis documentis censuit : *Rossanan.*, *Servitii chori*, *et distribut. quotidian.*, 1 *martii* 1738, confirmata 24 *maii ejusd. anni*.

47. Negligentiæ capituli ecclesiæ collegiatæ B. M. V. oppidi Thorensi quoad chori servitium Card. Franciottus Tanara occasione sacræ visitationis occurere voluit, dum nuntius apostolicus ad tractum Rheni reperiebatur ; præcepitque idcirco, ut tertia pars massæ communis, et redituum omnium assignaretur pro distributionibus quotidianis, quod decretum inde Clem. X, Pont. Max., confirmavit. Modo canonici dictæ ecclesiæ supplicant, ut non tertia pars massæ communis, ac redituum assignetur pro divisione, sed unusquisque ex canonicis quotidianas distributiones in annuis quinquaginta florenis Barbantiæ ex suis reditibus annuatim detrahendis adaugere teneatur, et S. C. assensa est : *Leodien.*, *Distributionum*, 23 *aug.* 1738.

48. Tanta est inæqualitas præbendarum canonicalium ecclesiæ cathedralis ut convenienti conservationi singulorum provisum non est, proindeque a capitulo proposita fuit præbendarum in massam communem reductio ; hac de causa capitulariter canonici congregati statuerunt, omnes præbendas occasione in futurum earum vacationum reduci, conflata ex iisdem communi massa, ut sic nulli uni accedat præjudicium. Hujus reductionis modo confirmationem implorant, sed frustra, et negationi S. C. addidit ad mentem : *Vasionen.*, 22 *nov.* 1738.

49. Quarta, et alia funerum emolumenta, pecuniæque, quæ in fine anni ex reditibus a procuratoribus capituli ecclesiæ cathedralis exactis supersunt, non ad dignitates, et canonicos spectant sed inter eosdem canonicos, ac presbyteros participantes, seu mansionarios æqualiter sunt dividenda : *Bituntina*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 3.

50. Dubiis in medium adductis, an ex nunc constituenda sit arca communis mensæ capitularis ecclesiæ collegiatæ ac parochialis S. Laurentii oppidi Drepani ad servandos fructus, et quæcumque emolumenta etiam parochialia singulis dignitatibus, et canonicatibus respective debita?

51. An capsa horarum canonicarum in eadem arca mensæ capitularis annua scuta 60 debita duobus ex canonicatibus a Petro Messina fundatis, donec illorum dos transeat ad ecclesiam, deponere teneatur?

52. An fructus bonorum subrogatorum in locum dotis relictæ pro aliis quatuor canonicatibus a dicto Petro fundatis, in eadem arca communi ad effectum distribuendi præfatis canonicis respective deponi debeant?

53. An in eadem arca communi capitulari collocanda sit tertia pars fructuum præbendarum parochialium, ac canonicalium, ut in distributiones quotidianas erogentur? et quatenus affirmative

54. An hoc ipsum servari debeat etiam postquam bona Petri Messina transiverint in ecclesiam?

55. An distributiones ex arca horarum canonicarum solvendas præter decem presbyteros, et quatuor clericos a dignitatibus nominandos alii sacerdotes, et clerici choristæ supranumerarii admitti possint? et quatenus negative

56. An ad hunc effectum capitulo præsidere liceat solutionibus prædictis distributionum in favorem eorumdem faciendis; seu solutio prædicta privative a dignitatibus sit peragenda?

57. An præfati decem presbyteri, et quatuor clerici choristæ dependere, ac subjici prædictis dignitatibus tantum, seu integro capitulo debeant?

Singula ad Card. præfectum cum facultatibus etiam concordandi pro definitione remittuntur : *Mazarien.*, *Jur. capitular.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 3, 4, 5, 9, 10, 11, 12 et 13.

58. Fructus, et proventus omnes bonorum capituli cathedralis ecclesiæ communiter inter capitulares dividi juxta resolutionem captam a majori numero capitularium collegialiter congregatorum, inque communi massa reponi, et communi nomine administrari debent : *Bisinianen.*, 2 *dec.* 1741, confirmata 2 *junii* 1742, *dub.* 1.

59. Fructusque prædicti super æqualitatem percepti a die hodiernæ resolutionis restituendi sunt : *Ead.*, 2 *junii* 1742, *dub.* 2.

60. Quoad in pejus mutationes vero, seu instaurationes, a quibus primæ refici, et ad quorum commodum secundæ cedere debeant, remissum id fuit ad Ordinarium, ut procedat prout de jure : *Ibid.*, *dub.* 3, 4, 5 et 6.

61. Eleemosynæ pro Missis cum cantu defunctorum præsente cadavere, et pro anniversariis adventitiis ecclesiæ cathedralis distribuendæ sunt inter solos præsentes, et non reducendæ sunt instar distributionum quotidianarum. Hoc sancitum habetur : *Alexanen.*, 1 *sept.* 1742, *dub.* 6.

62. Sacram visitationem anno 1608 agens Episcopus Bovius suæ cathedralis ecclesiæ cautum illud voluit, ne reditus bonorum, quæ ex pia fidelium largitate pro sartis tectis, supellectili, et ornamentis ecclesiæ reparandis obvenerant, quæque vulgo nuncupantur *Procura de Benefizi*, dividi in posterum inter canonicos una cum aliis massæ communis possent, sed dumtaxat in eos usus, ad quos fuerant destinati, cum scientia, et consensu ipsius Episcopi erogandi sunt. Hoc decretum inde alter

Antistes innovavit, modernusque Præsul. At capitulo instante dubitationi decretum obnoxium fuit præsertim super illorum redituum, qui vulgo nuncupantur *Procura de Benefizi,* distributione. S. C. vero protelavit resolutionem, mandavitque, ut firmetur status redituum, tam bonorum prædictorum, quam mensæ episcopalis, necnon mensæ capitularis, et coadjuventur hinc inde probationes super consuetudine : *Melphicten.*, 30 *martii* 1743, *dub.* 1, *usque ad* 11.

63. Card. Bussius anno 1712, quo apostolici nuntii munere perfungebatur ad tractum Rheni, inter cetera decrevit, ut capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Dionysii Leodii impetrare a Sede Apostolica curaret confirmationem emphyteutici contractus paulo antea initi, et fundos non rite distractos, vel eorum pretium recuperare, necnon dictæ ecclesiæ utilia peragere. Id exequi promiserunt canonici, sed anno 1734 duo canonici conquesti sunt apud nuntium apostolicum, dicta decreta negligi, aliaque bona capitulum distraxisse. Nuntius exequi dicta decreta jussit. Id vero occasionem dedit S. C. decidendi, procedendum esse ad exequutionem sententiarum in iis partibus, in quibus demandatur in posterum observantia ordinationum Card Bussi, et Episcopo auctoritate S. C. incumbere ulteriorem earum exequutionem ; in reliquis, ut prævia sanatione alienationum factarum, ex peculiaribus circumstantiis facto verbo cum Sanctissimo acquiescant : *Leodien.*, 18 *maii* 1743, *dub.* 1, usque ad 6.

64. Prætermissa in capitulo insignis collegiatæ ecclesiæ Terlitii consuetudo fuit solvendi distributiones quotidianas quolibet quadrimestri, licet hæc consuetudo a visitatore apostolico, et a capitulo sancita, confirmataque fuisset. Decanus, canonici, plurimique portionarii capitulares in jus vocarunt primicerium, aliosque canonicos rerum administrationem gerentes, ut distributiones quotidianas elapsas, et non solutas, ac in posterum decurrendas a die 1 sept. anni 1743 solverent, et eorum facti sunt voti compotes : *Juvenacen.*, *Distribut. quotidian.*, 3 *april.* 1745, *dub.* 1, confirmata 29 *maii ejusd. anni.*

65. Par omnes Capuanæ ecclesiæ metropolitanæ capitulares præstant servitium, impares tamen reditus habent. Eadem inæqualitas non tantum in præbendis illorum, quas possident, sed quoque in distributionibus communium redituum consistit. Huic malo ut occurreretur, fuit capitulariter resolutum, ut ex universis reditibus fieret massa communis æqualiter inter omnes canonicos distribuenda, servata tantum majori quadam, et congrua proportione distributionis inter dignitates, et presbyteros. Ii vero, qui diminutionem timebant, post eorum mortem hoc exequendum proponebant. Postulato proinde, num locus esset capitularibus resolutionibus super hac præbendarum erectione in massam communem? et quatenus affirmative,

66. An eadem massa sit exequenda juxta methodum a capitulo præscriptam, seu alio modo præscribendam? Negativa prodiit definitio : *Capuana, Massæ communis,* 19 *dec.* 1750, *dub.* 1 et 2.

67. Capitulum, et canonici cum clero cathedralis ecclesiæ quatuor anni diebus ad ecclesiam abbatialem S. Viti accedunt, quæ secundo lapide a civitate distat, ac patres conventuales, ad quos ecclesia illa pertinet, solvebant stipendium supplicationum hujusmodi. Hoc stipendium dividebatur inæqualiter inter eos. Inde quum auctum a patribus prædictis stipendium fuisset, orta est controversia, et S. C. divisionem augmenti faciendam esse juxta solitum antiquæ partitionis declaravit : *Polymnianen.*, *Divisionis augmenti*, 12 *nov.* 1752.

68. Conventio facta fuit inter officiales hospitalis S. Mariæ de Limite, et parochum SS. Mariæ, et Hilarii, nunc S. Francisci de Paula, occasione, qua sepulcra in hospitali condita sunt, ut officiales scuta annua novem parocho penderent. Sed cum in unione collegiatarum SS. Mariæ et Hilarii, et S. Jacobi, hodie SS. Petronii, et Prosperi Benedictus XIV, Pont. Max., omnia jura huic transtulerit ecclesiæ S. Jacobi, jurgium exortum est inter parochum, qui ratione funeris, et tumulationis dicta scuta novem prætendit, et inter capitulares, qui jure translationis ea sibi vindicant, annuam scutorum 40 pensionem illi tradendo. Quæstionem hanc S. C. resolvit, quando ad capitulum illa scut. 9 spectare conclusit *in Imolen.*, *Jur. paroch.*, 20 *dec.* 1760, *dub.* 7.

69. Dissidium agitatum fuit in S. C., an sit adprobanda deliberatio capitularis super erectione novæ massæ distributionum, seu addendæ sint punctaturæ pro recitatione officii parvi Beatæ Virginis, aliisque functionibus in decreto Card. Episcopi contentis?

70. An de nova massa participare debeant canonici coadjutores? et quatenus negative

71. An ex summa assignata pro nova massa sint detrahenda scuta 1100 monetæ Melitensis, illaque applicanda in erectionem decem canonicatuum secundariorum? S. C. retulit responsum : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem, et dentur nova dubia : *Melevitana*, *Erect. novæ massæ distribut.*, 25 *septemb.* 1762, *dub.* 1, 2 et 3.

72. Capitulum collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Blasii oppidi Montis Milonis taxam pro punctaturis a duobus deputatis confici mandavit. De hac taxa, tanquam gesta nulla Concilii Tridentini ser-

vata forma [406] queritur prima capituli dignitas præpositus, eo quod habita minime fuerit ratio de oneribus præposituræ annexis, neque de cathedratico, neque de collectis, et procurationibus, nec demum de emolumentis parochialibus, quæ a canonico curato, et beneficiato viceparocho percipiuntur, et eo quod discriminati haud sunt dies solemnes ab aliis, et ob non habitam consentaneam distributionem inter capitulares, qui tres diversas classes efficiunt, et stipendia in æqualia percipiunt; hac de re S. C. taxam nequaquam esse servandam rescripsit; sed reformandam esse, et faciendam taxam adprobandam ab Episcopo ad formam Concilii [407], et bullæ erectionis : *Maceraten.*, 14 *febr.* 1767, *dub.* 2, confirmata 14 *maii* 1768.

73. Capitulum ecclesiæ collegiatæ SS. Petronii, et Prosperi quotannis instar supplicationis ad ecclesiam S. Rocchi occasione festi titularis solemniter celebrandi accedit. Anno 1764 induti dumtaxat rocchetto, et superpelliceo intervenerunt, festumque celebrarunt; ob id officiales, sodalesque nosocomii S. Rocchi solitum capitularibus stipendium rependere renuerunt, quod nec cappa magna, nec mozzetta, nec almutia usi sunt. Re in S. C. deducta, decretum est consuetum stipendium eisdem deberi : *Imolen.*, 10 *febr.* 1770, *dub.* 1.

74. Imo idem capitulo stipendium pro annis præteritis debetur : *Ibid.*, *dub.* 2.

75. Quum S C. jus administrandi sacramenta infirmo priori collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli, et eidem mortuo exequias ducendi canonico seniori capituli ad confessiones approbato, non autem parocho viciniori adjudicasset; insuper capitulo deberi emolumenta funeris sancivit : *Pisauren.*, 25 *januar.* 1772, *dub.* 2.

76. In cathedrali ecclesia a Sum. Pont. confirmatum statutum reperitur, quo mandatur, ut quilibet de canonicatu, vel de portionaria noviter provisus per sex menses suæ præbendæ fructus inter alios dividendos, dimittere debeat. Hos præbendæ fructus in casu vacationis per obitum hæredes percipiunt, in casu permutationis, vel resignationis, nihil de his fructibus percipere possint, qui permutant, vel resignant. Capitulum prædictæ ecclesiæ dubitans hoc statutum ob simoniæ, vel sordidæ avaritiæ suspicionem revocatum a sac. Concilio Tridentino, vel a peculiaribus Constitutionibus Sum. Pontificum [408] fuisse; petiit proinde, an sint renuncianti præbendæ fructus primi semestris restituendi? et utique esse restituendos, non autem dividendos ad formam statuti, S. C. decidit : *Burgen.*, 27 *novem*, 1779.

77. Episcopus acta visitatione in ecclesia cathedrali B. M. V., et collegiata S. Secundi civitatis Astæ Pompeiæ, hæc dubia in medium protulit, an sustineatur consuetudo canonicorum interveniendi choro per novem menses sive continuos, sive interpolatos qualibet die pro una hora canonica pro lucrandis reditibus grossæ nuncupatis?

78. An sustineatur consuetudo in capitulo cathedralis ecclesiæ privandi de dictis reditibus grossæ novum canonicum primo anno suæ residentiæ? S. C. nulla data definitione, scribendum Episcopo pro meliori informatione audito utroque capitulo putavit. Nam Episcopus postulaverat, an hujusmodi consuetudines licet immemorabiles servandæ sint, vel proscribendæ ad mentem Concilii Tridentini [409] : *Asten.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 10 *febr.* 1781, *dub.* 1 et 2.

79. Loco distributionum quotidianarum in ecclesia collegiata olim parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli per capitulare statutum ab Episcopo approbatum anno 1718 punctaturæ absentium fuerunt subrogatæ. Modo vero canonici institutionis de Rubeis bona canonicatuum in se divisa retinent; canonici fundationis de Corradis dividunt pro æquali rata parte sortium fructus, nec habent distributiones. Morem hunc improbarunt Episcopi, ac a Terentio Consoli canonico fundationis de Rubeis postulatum est, ut quæ de communi massa, et quotidianis distributionibus in bulla erectionis præfinita sunt, exequantur. S. C. proinde decrevit, inter cunctos canonicos esse locum confectioni massæ communis omnium, et singulorum fructuum, redituum, et proventuum jurium, et emolumentorum provenientium tum ab hæreditate de Rubeis, tum ex legato Perti Corradi : *Pisauren.*, *Massæ communis*, 25 *januar.* 1783, *dub.* 2.

80. Ac rata pars fructuum, redituum, proventuumque, ac emolumenta prædicta etiam incerta cedere debent in usum distributionum quotidianarum ad formam bullæ erectionis, et ad mentem [410] : *Ibid.*, *dub.* 3.

81. Ac dividendæ sunt hujusmodi distributiones quotidianæ inter illos ad formam bullæ erectionis [411] : *Ibid.*, *dub.* 4.

[406] Vide not. 165 et 166, verb. *Applicatio* § 1.

[407] Vide ut supra.

[408] Vide not. 158, verb. *Canonici* § 6.

[409] Vide not. 158, verb. *Canonici* § 6.

[410] Et mens est, ut scribatur Episcopo, qui referat, an adsit dos congrua pro fabrica ecclesiæ, et expensis sacrarii. *Ead. causa*, 25 *januar.* 1783.

[411] Peractæ a Clem. XI, Pont. Max., anno 1718, in qua sic statuit de redituum partitione, ut omnia, et singula fructus, et emolumenta hæreditatis primo dicti testatoris provenientia in unam massam communem congeri debeant, et ex illa ducatis duodecim auri pro cujuslibet ex quatuor priorum, et trium posteriorum canonicorum pro præbendis detractis, reliqua omnia, ac etiam incerta quæ-

82. Deinde relata ab Episcopo sacrarii indigentia, pro quo nulla adest dos, S. C. rescripsit, quoad fabricam satis provisum. Quo vero ad expensas sacrarii serventur capitula XII et XIII statutorum [412] : 31 *maii ejusd. anni.*

83. Interrogata est S. C., an sit toleranda consuetudo, qua capitulares ecclesiæ cathedralis in ingressu solvant libras quadringentas, seu verius 424 ad augendam, et conservandam massam distributionum quotidianarum, ita ut qui non solverit, omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur? S. C. negativum dedit responsum juxta votum Card. relatoris [413] : *Ecclesien. Oner., et distribut.*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 2.

84. Et ad interrogatum, quonam modo ea distributionum massa confici debeat? responsum fuit, applicandas esse massæ distributionum duas ex tribus partibus, relicta tertia parte pro legatis piis, in reliquis juxta votum Card. relatoris [414] : *Ibid.*, *dub.* 3.

85. Et juxta hoc tertium dubium faciendam esse divisionem sortis, et fructuum librarum 26,821, quæ fœnori datæ sunt communitati Yglesiarum : *Ibid.*, *dub.* 7.

86. Postmodum ex narrato dubio tertio ortæ sunt novissimæ quæstiones, quum Card. relator in voto fuisset, capitulares omnes esse obligandos, ut in eorum ingressu mediam annatam solverent eidem massæ distributionum ; hinc dubitatum, an illi capitulares, qui ante Sac. Cong. decreta, ut in dubio prædicto 2., libras 424 massæ distributionum numeraverint, post aliam præbendam assecuti sunt ; debeant persolvere dictam mediam annatam ; seu potius antiqua consuetudo retinenda sit, qua is, qui eam summam semel dedisset, nihil aliud solvere debeat, licet præbendam pinguiorem acciperet? S. C. respondit juxta votum Card. relatoris [415] : *Ead. caus.*, 17 *junii* 1797, *dub.* 1.

87. Inde, an illi capitulares, qui post illa decreta in capitulum ingressi solam mediam annatam dederint, si deinde ad aliam præbendam admittantur, novam mediam annatam tum præbendæ, tum distributionum pendere teneantur ? respondit pariter juxta votum Card. relatoris [416] : *Ibid.*, *dub.* 2.

88. Et ad dubium, num capitulum licite possit beneficii possessionem impedire antequam capitulari scripto, et cum alterius fidejussione se obliget, se ex fructibus perceptis mediam annatam soluturum, et eorum quantitatem legitimis documentis probaturum ? rescripsit S. C. affirmative juxta modum [417] : *Ibid.*, *dub.* 3.

89. Denique dubiis, num in mediæ annatæ rationibus subducendis detrahere oporteat impensas tum certas, stabiles, tum arbitrarias, et extraordinarias ?

90. Num de anno tam sterili, quam fertili ratio simul habenda sit?

91. Num mediæ annatæ quantitas æstimari debeat a die, quo præbendæ successor possessionem adipiscitur, an a die ipso, quo illa vacans facta est?

92. An, et quomodo sint liquidandi cujusque præbendæ reditus ad certam in futurum constituendam mediam annatam? ad omnia dedit responsum S. C. affirmativum juxta votum Card. relatoris [418] : *Ibid.*, *dub.* 4, 5, 6 et 7.

cumque in usum distributionum quotidianarum inter dictos quatuor priores, et tres posteriores canonicatus præbendas obtinentes, ac horis canonicis, aliisque divinis officiis interessentes juxta providam ordinationem desuper faciendam dividenda, et repartienda cedere, et converti debeant. *Ead. causa*, 14 *decem.* 1782, § 3.

[412] Statutum capituli cap. 12, hæc habet : « Attesa la poverta della nostra sagrestia ogni nuovo canonico dopo il termine di un anno, che avra preso il possesso dovra pagare in mano del Camerlengo scudi dieci ducali, quali dovranno intieramente impiegarsi in paramenti sagri per l'istessa sagrestia. » Et cap. 13, statuitur : « Dovra il canonico amministratore ritenersi ogni anno dieci scudi per ogni canonico ad effetto di pagarli al canonico Camerlengo, con i quali denari dovra supplirsi alle spese, che occorrono alla giornata. Un equal contribuzione dovra ogni anno nel Mese di Gennaro farsi per l'istesso da canonici Rossi : *Ead. causa*, 10 *maii* 1783, § 3.

[413] Qui ait : « Quo vero ad dubium secundo loco propositum spectat, respondendum esse ducerem : Negative. » Inde validas affert, atque doctissimas rationes ad præfatam consuetudinem removendam : *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, in prim. relat. § 16, seqq.

[414] Qui loquutus est : « Equidem hoc modo respondendum arbitrarer : Prævia sanatione impetranda a Sanctissimo, applicandam esse massæ distributionum medietatem omnium capitalium, et fundorum capituli tunc existentium, relicta alia medietate pro legatis piis, et in posterum obligandos esse omnes capitulares, ut in eorum ingressu mediam annatam eidem massæ distributionum dimittere teneantur ; quod si reditus adhuc ad congruam quotidianarum distributionum taxam non sufficiant, Episcopus pro sui arbitrio, et conscientia utatur aliis remediis a Concilio Trid. præscriptis cap. 5, sess. 21 et 22, et cap. 15, sess. 24, *de Reform. Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, in prim. relat. § 22.

[415] Card. relator censet respondendum : « Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta modum, nempe si libellæ 424, semel a capitulari in suo primo ingressu solutæ, mediam annatam novæ præbendæ forte non adæquent, id, quod deest, tantum erit addendum. » *Ead causa*, 6 *martii* 1797, § 11.

[416] Qui putat respondendum : « Ad II. Negative pariter juxta modum, nempe, quod si prior media annata jam soluta, novam alterius præbendæ non adæquet, quod deerit, suppleri oportet. » *Ead. causa*, 6 *maii* 1795, § 12.

[417] « Nempe, facta obligatione, et præstita fidejussione solvendi mediam annatam constituendam, ut in sequentibus. » *Ead. causa*, 17 *junii* 1797.

[418] Qui recte animadvertit, ut respondeatur postremis quæstionibus, et censet, scribendum Episcopo « ut jubeat,

93. Dubio in S. C. proposito, an, et quomodo capitulares ecclesiæ collegiatæ divi Petri absentes a choro tempore divinorum officiorum, et in eadem ecclesia celebrantes lucrari possint distributiones quotidianas juxta eorum veterem consuetudinem? respondit S. C. negative juxta votum Episcopi, et constitutiones Episcopi Facchinetti [419] : *Spoletana, Servitii chori* 28 *febr*. 1795. *dub*. 3.

94. Et ad alterum dubium, an, et quomodo capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem ecclesia, quo tempore confessiones audiunt, pro præsentibus haberi debeant? negativum datum est responsum juxta votum Episcopi [420], non obstante contraria prisca consuetudine : *Ibid.*, *dub.* 4.

95. Capitulum ecclesiæ cathedralis ex octo canonicis, qui dicuntur *de Massa*, qui præter communes reditus distinctam habent præbendam, aliisque supranumerariis, qui sunt de jurepatronus, et peculiares habent reditus, constat. Gravinus Hamilton convenit cum canonicis, ut tertia pars solveret pretii monumentorum, quæ in prædiis capituli prædicti invenirent; et inventis plurimis monumentis in prædio, canonico adjutori solvit tertiam partem in scutis 900, quam canonici inter se diviserunt, uno canonico adjutori contradicente; hinc re in S. C. delata, esse locum restitutioni prætii simulacrorum, et ad cautelam canonici massæ antiquæ consulant conscientiæ suæ, decisum est : *Prænestina, Monumentorum*, 17 *decem*. 1796, *dub*. 1.

96. Et dictum pretium investiendum esse S. C. voluit in favorem antiquæ massæ, et ad Card. Episcopum pro exequutione rem remisit : *Ibid.*, *dub.*2.

§ V.

Capitulum ecclesiasticum quoad Missam conventualem.

1. Censuit S. C. agendum esse cum Sanctissimo domino nostro pro confirmatione gestorum ab Episcopo, et ut cum applicatione sacrificii Missarum conventualium cunctis oneribus, quæ in illa die contingunt, satisfiat : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 1.

2. In S. C. habetur, ut capellani divisi per hebdomadas ferialibus diebus Missas canunt conventuales, diebus festivis, et adnotatis in tabella canonici; de hac re dubitatur, num Missæ conventualis onus tale sit, ut pro ea eleemosyna ab aliquo benefactore recipi non liceat? censuit non licere : *Fulginaten.*, 10 *januar*. 1660.

3. In illis diebus, quibus juxta tabellam Missa conventualis non habet onus certæ, et particularis applicationis, canonicus, vel capitularis, qui alternatim illam celebrat, nequit pro illius celebratione, seu applicatione eleemosynam manualem recipere, vel omisso stipendio satisfacere aliis oneribus sibi inhærentibus ratione alicujus beneficii, vel capellaniæ : *Foro Sempronien.*, *Celebrat. Missar.*, *aug*. 1683, *dub*. 1.

4. Ac præfatis diebus, quibus juxta tabellam Missa conventualis non habet onus certæ, et particularis applicationis, nequit mediante illius celebratione explere onera officii, vel anniversarii, addendo orationem propriam pro defuncto : *Ibid.*, *dub*. 2.

5. Atque illis diebus, quibus Missa conventualis habet onus certæ, et particularis applicationis, et ulterius occurit casus celebrandi aliam Missam cum cantu ratione officii, et anniversarii, vel ex alia causa hujusmodi, nequit dumtaxat cantari Missa hæc extraordinaria, et onus Missæ conventualis impleri, mediante celebratione Missæ planæ; *Ibid.*, *dub*. 3.

6. In casibus, et ad effectum, de quibus supra non suffragatur consuetudo immemorabilis : *Ibid.*, *dub*. 4.

7. Neque suffragatur tenuitas præbendarum, et distributionum capitularium : *Ibid.*, *dub*. 5.

8. Dubiis, an capitulum, et canonici pro diebus, quibus alternis vicibus ex ordinatione ecclesiæ tenentur celebrare Missam conventualem, teneantur etiam applicare pro populo, et benefactoribus, nec eleemosynam pro ea recipere?

9. An idem statuendum stante consuetudine in contrarium non applicandi, et eleemosynam recipiendi? ad primum responsum affirmativum, et non posse recipere eleemosynam. Ad secundum ut ad primum, non obstante asserta consuetudine : *Hydruntina*, *Applicat. Missæ convent.*, 1 *martii* 1692, *dub*. 1 et 2.

per capitulum statum decennii confici redituum singularum prebendarum.... Cum autem in lapsu decennii æqua etiam habeatur ratio annorum tam sterilium, quam fertilium, verissime, et justissime colligetur valor mediæ annatæ : ea enim erit dimidium decimæ partis illius summæ, quæ superest ex summa facta decennalis reditus tam ordinarii, quam extraordinarii, detractis tamen ante expensis omnibus per decennium factis, sive ordinariis, sive extraordinariis. » *Ead. causa*, 6 *maii* 1797, § 28.

[419] « Qui censet, ut capitulares tempore chori haud possunt discedere a choro, causa Missam privatam celebrandi ad legatorum satisfactionem, vel ad propriam commoditatem, nisi in casu necessitatis cum licentia præfecti servata antianitate, et cum his consonant constitutiones Facchinetti. » *Ead. causa*, 28 *febr*. 1795, § 5.

[420] Hic putat, ut excipiatur prior, qui curam animarum adnexam habet, et capellanus curatus, necnon capitulares deputati ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiæ : *Ead. causa*, 28 *febr*. 1795, § 5.

10. Gregorius XIII, Sum. Pont., attribuit canonicis, et dignitatibus ecclesiæ cathedralis tanquam inopis quasdam portiones fructuum, quæ dividi sueverant inter parochos, et sacerdotes beneficiatos absque præfixione numeri, parochiis inservientes, sed in parochiis juxta tempus, et horas ab Archiepiscopo designandas servitium præstare deberent; ob id Archiepiscopus in actu visitationis horas designavit, necnon applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus in cathedrali. Capitulo reclamante S. C. sustineri dictum decretum sancivit: *Lancianen.*, *Jur. paroch.*, 13 *novem.* 1694.

11. Onus celebrandi Missam conventualem an spectet ad dignitates, et personatus privative quoad canonicos, vel illis impeditis, aut recusantibus etiam ad canonicos per vices? negativum datum est responsum, addendo nisi in casu, quo dignitates, et personatus fuerint legitime impediti: *Calacen.*, *Servitii chori*, 29 *novem.* 1698, *dub.* 2.

12. Quum Episcopus tam ab archipresbytero animarum curam exercente, quam a canonicis veteribus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ S. Ginesii per vices celebrantibus Missam conventualem, ut in more habuerint, dominicis diebus, festis, ac Quadragesimæ applicare eam pro populo mandasset, capitulum adiit S. C., quæ definiit onus Missæ lectæ parochialis spectare ad archipresbyterum tantum pro populo applicandi: *Camerinen.*, *Missæ convent.*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1. confirmata 22 *maii* 1706.

13. Ac Missam conventualem teneri idem capitulum quotidie celebrare mandat: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata, *ibid.*, addendo in casu, de quo agitur, quoad dies festos tantum.

14. Necnon applicandam ab omnibus esse non pro populo, sed pro benefactoribus constituit: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

15. Deinde S. C. declaravit prævia confirmatione decretorum quoad dies festivos, necnon teneri ad celebrationem etiam diebus ferialibus Quadragesimæ: 7 *decem.* 1709, *dub.* 1.

16. Ac esse celebrandam cum cantu: *Ibid.*, *dub.* 2.

17. Et ante concionem præcepit: *Ibid.*, *dub.* 3.

18. Capitulum constans præposito, canonicis, ac beneficiatis collegiatæ ecclesiæ S. Martini oppidi Caldarolæ, cui incumbit onus animarum, tenetur applicare Missam parochialem pro populo, et respective conventualem pro benefactoribus in genere, etsi antea nunquam Missam conventualem pro benefactoribus applicaverit, sed pro populo; et capitulum ait ecclesiam illam in collegiatam erectam a quodam pio fundatore, et factam unionem ecclesiæ parochiali fuisse: *Camerinen*, *Applicat. Missæ convent.*, 28 *junii* 1704, confirmata 9 *junii* 1714.

19. Capitulum, et canonici omnes collegiatæ ecclesiæ S. Euphemiæ loci Insulæ tenentur singulis dominicis, et festivis diebus, Missam conventualem canere in ecclesia collegiata, etiamsi stationes in aliis ecclesiis dictæ plebis contingant: *Comen.*, *Servitii chori, et expensarum*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1. Iterum ad examen causa subjecta instante capitulo protelata fuit definitio, et jussum fuit, ut interim non retardetur exequutio omnimoda decretorum S. C.: 9 *april* 1712. Postmodum confirmata fuerunt decreta: 6. *aug. ejusd. anni.*

20. Ac illi cogendi sunt juris remediis: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

21. Necnon tenentur prædicti singulis diebus Quadragesimæ, et Adventus nedum interesse omnibus horis canonicis sub pœnis a jure inductis: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

22. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ, et parochialis Sanctissimæ Annuntiatæ *Vallatæ* nuncupatæ oppidi Pedemontis, qui licet ab immemorabili non habuerint quotidianam officiaturam, tamen Episcopus in visitatione eos teneri ad Missam conventualem statuit. Sed ex decreto S.C. ad hoc onus adstricti pro nunc haud sunt; nam illi de tenuitate redituum, et de parvo canonicorum numero S. C. docuerant: *Aliphana*, *Servitii chori*, 12 *febr.* 1707.

23. Missæ a visitatore apostolico Maranta in suis constitutionibus ordinatæ diebus festis, aliæque si adsint, non debent subjacere oneri applicationis sacrificii, sed solummodo Missæ conventuales, quæ celebrantur ratione canonicatus in ecclesia collegiata terræ Ophydæ: *Asculana*, *Distributionum*, 13 *aug.* 1707, *dub.* 4, confirmata 23 *junii* 1708.

24. Capitulum, et canonici cathedralis ecclesiæ tenentur ad celebrationem quotidianam Missæ conventualis: *Tusculana*, *Missæ conventualis*, 21 *apr.* 1708, *dub.* 1.

25. Et dicta Missa conventualis celebranda est diebus feriatis tam per canonicos, quam per beneficiatos alternatim: *Ibid.*, *dub.* 2.

26. Et dicta Missa, licet sint dies feriati, celebranda est cum cantu: *Ibid.*, *dub.* 3.

27. Dictaque Missa conventualis est applicanda pro benefactoribus ab omnibus celebrantibus: *Ibid.*, *dub.* 7.

28. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli civitatis Firmi præter Missam parochialem tenentur quoque applicare quotidie Missam conventualem; etiamsi ex bulla erectionis in collegiatam elici non posse hoc onus patefacerent: *Firmana*, *Applicat. Missæ convent.*, 17 *junii* 1713.

29. Quanquam capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis, et parochialis in eorum favorem con-

suetudinem, redituumque tenuitatem allegarent, tamen eos obligari applicare quotidie Missam conventualem pro fundatoribus, et benefactoribus in genere S. C., decrevit : *Balneoregien.*, *Missæ paroch.*, *et convent.*, 19 *aug.* 1713, *dub.* 1.

30. Necnon singuli canonici a die adepti canonicatus satisfacere propter Missas conventuales usque ad huc non applicatas obstricti sunt : *Ibid.*, *dub.* 2.

31. Missæ insuper de anniversario, quæ in choro in quatuor mensibus anni diebus non impeditis cantantur cedere non debent loco Missæ conventualis : *Ibid.*, *dub* 3

32. Et canonici celebrare, et applicare tam dictas Missas de anniversario, quam conventuales tenentur : *Ibid.*, *dub.* 4.

33. Capitulum, et canonici una cum præposito collegiatæ, ac parochialis ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Mare terræ Majoris tenentur celebrare, et applicare quotidie Missam conventualem pro benefactoribus, uti decrevit Archiepiscopus occasione sacræ visitationis : *Amalphitana*, *Oneris Missæ et curæ animar.*, 13 *april.* 1715, *dub.* 3.

34. Necnon tenentur satisfacere propter Missas conventuales adhuc non applicatas : *Ibid.*, *dub.* 4.

35. Et quoad tempus, tenentur Missas non applicatas celebrare, et applicare a die adepti canonicatus : *Ibid.*, *dub* 5.

37. Missa conventualis, quæ celebratur in insigni collegiata Utini a canonicis presbyteris alternis, debet applicari : *Aquileien.*, *Missæ convent.*, 13 *april.* 1715, *dub.* 1.

38. Non autem dictis canonicis presbyteris celebrantibus dictam Missam conventualem eleemosyna pro celebratione præter assignatam dictæ Missæ distributionem debetur : *Ibid.*, *dub.* 2.

39. Ad tramites bullæ Clementis VIII, Pont. Max., usque anno 1601 elevatum fuit oppidum S. Domnini in civitatem, et collegiata illius ecclesia in cathedralem extincta præpositura, ac vicaria perpetua pro animarum cura exercenda fundata. Sed quum hodiernus Episcopus occasione visitationis nonnulla edidisset decreta quoad Missam conventualem, hinc conquesti canonici sunt, qua de causa S. C. sancivit, onus capituli ecclesiæ prædictæ esse quotidianam applicationem Missæ conventualis : *Burgi S. Domnini*, *Missæ convent.*, 16 *maii* 1716, *dub.* 1.

40. Ac dignitates in solemnioribus festivitatibus, canonici in diebus festis, et vicarius perpetuus in feriis tenentur applicare Missam conventualem pro benefactoribus ad formam decreti Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 2.

41. Dignitatibus insuper, canonicis, et vicario perpetuo debita est eleemosyna unius julii pro qualibet Missa conventuali per modum distributionis præter emolumenta præbendarum, et vicariæ respective : *Ibid.*, *dub* 3.

42. Dictaque eleemosyna pro Missa conventuali dignitatibus, canonicis, et vicario perpetuo solvenda est ex reditibus capituli ad formam decreti Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 4.

43. Deinde censuit S. C. mandata relaxata contra capitulum, et canonicos pro eleemosyna Missarum conventualium celebratarum per vicarium perpertuum, et consummata contra canonicum Laurentium de Rubeis valida non esse; et quoad redintegrationem cum confectione damnorum, et interesse ad mentem respondit : *Ibid.*, *dub.* 5.

44. Diebus Quatuor Temporum, et Vigiliarum, in quibus ex rubrica Missalis cantari debent duæ Missæ, canonici prædictæ ecclesiæ canere aliam Missam debent ad formam dictæ rubricæ præter solitam Missam conventualem : *Ibid.*, *dub.* 6.

45. Et pro hujusmodi Missa celebranda ad formam dictæ rubricæ augeri debent distributiones tam canonicis, quam vicario perpetuo aliisque residentibus : *Ibid.*, *dub.* 7.

46. Dictumque augmentum sumi debet ex reditibus capituli ad formam decreti Episcopi, non aliunde est per Episcopum providendum : *Ibid.*, *dub.* 8.

47. Capitulum, et canonici ecclesiæ parochialis S. Mariæ terræ Marthæ non tenentur ad celebrationem Missæ conventualis. Nam nullos reditus communes, nec quotidianas distributiones habent, et archivo, singillo, aliisque signis qualitatem collegialitatis arguentibus carent, licet almutiam coloris violacei deferant. Missam pro populo canunt, atque applicant. In choro tantum horas minores, ac vesperas suo tempore cantant : *Montis Falisci*, *Missæ convent.*, 12 *febr.* 1718.

48. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis tenentur canere omnibus diebus dominicis, et aliis festivis de præcepto cum diacono, et subdiacono Missam conventualem, non autem permitti potest, ut in aliquibus diebus dominicis, aliisque festivis de præcepto Missa conventualis sine diacono, et subdiacono cantetur; etiamsi canonici consuetudinem in eorum favoren citassent. Ita S. C. decrevit Episcopo postulante : *Verulana*. *Visitat. sacr. Liminum*, 21 *januar.* 1719, *dub.* 1.

49. Item capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Erasmi ejusdem urbis debent cantare Missam conventualem quolibet die; et licet eis tantum in solemnioribus ab Episcopo designandis uti diacono, et subdiacono ; non autem possunt his in hebdomada eamdem Missam, uti in more fuere, decantare : *Ibid.*, *dub.* 2.

50. Capitulum, et canonici, una cum mansionariis, capellanisque ecclesiæ metropolitanæ, qui

omnes ex usu, et ex immemorabili consuetudine tenentur tantum celebrare Missas conventuales, etiam easdem applicare pro benefactoribus adstricti sunt : *Ferrarien.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 1.

51. Ac celebrantibus, et applicantibus Missas conventuales est eleemonyna a capitulo solvenda : *Ibid., dub.* 2.

52. Atque pro eleemosyna dictarum Missarum conventualium omnes constituentes corpus capituli sive sacerdotes, sive diaconi, sive subdiaconi vel participent, vel non participent de massa distributionum onus habent, ac ex eadem massa ea detrahi debet : *Ibid.*, *dub.* 3.

53. Petitionem capituli, et canonicorum collegiatæ ecclesiæ S. Euphemiæ Insulæ, qui dimicabant se non teneri ad quotidianam Missæ conventualis applicationem, S. C. rejecit : *Comen.*, *Missæ paroch.*, *et conven.*, 11 *maii* 1720, *dub.* 1.

54. Et ad dubium : An singuli eorum teneantur a die adeptæ possessionis eorum canonicatuum satisfacere propter Missas conventuales huc usque non applicatas. S. C. respondit : Ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

55. Deinde definiit S. C. idem capitulum, et canonicos præter Missam conventualem debere celebrationem implere per archipresbyterum parochum Missæ parochialis cum applicatione diebus festivis hora populo accommodata : *Ibid*, *dub.* 3.

56. Necnon in diebus ferialibus Quadragesimæ, in quibus in ecclesia parochiali conciones habentur idem facere debet, et applicationem omittere resolvit : *Ibid.*, *dub.* 4.

57. Declaratum fuit a S. C., capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi nuncupati *di Core* teneantur quotidie Missam conventualem celebrare, sicuti visitator Episcopus præceperat. Etiamsi factum id nunquam fuerit, et inopes essent canonicatus : *Veliterna*, 14 *martii* 1722, *dub.* 2.

58. Ac tenentur quotidie dictam Missam conventualem applicare pro benefactoribus : *Ibid.*, *dub.* 2.

59. Exemptionem vero elargitur spectata præbendarum tenuitate, ut Missam conventualem diebus tantum festis de præcepto applicent : *Ibid.*, *dub.* 3.

60. Capitulum, ac canonici ecclesiæ collegiatæ S. Petri Spoleti obligantur ad celebrationem, et applicationem quotidianam Missæ conventualis, veluti in visitatione demandatum fuerat : *Spoletana*, 19 *decem.* 1722, *dub.* 1 et 2.

61. At ratione redituum præbendarum modicitate arbitrio Episcopi conceditur, ut Missas diebus tantum festis de præcepto applicent : *Ibid.*, *dub.* 3.

62. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis præter Missam conventualem, tenentur quoque celebrare Missam de feria, et eamdem Missam conventualem pro benefactoribus applicare; minime consuetudo servanda est : *Acerrarum*, 23 *aug.* 1727, *dub.* 10.

63. Et quæsitum quum fuisset, num edictum Episcopi, quo sub pœna suspensionis jubetur, ut epistola in Missa conventuali canatur ab una ex canonicis choro inservientibus, sive sit servanda consuetudo canendi præfatam epistolam per clericum celebranti inservientem? Missam conventualem canendam esse cum diacono, et subdiacono delata pœna suspensionis, S. C. rescripsit : *Ibid.*, *dub.* 22.

64. Quum Missa conventualis, quæ in ecclesia cathedrali quotidie peragitur, non applicaretur pro benefactoribus, hinc S. C. mandavit non retardari applicationem. Sed hodie recurrunt canonici exorantes pro hac exemptione, quod ex immemorabili reperiuntur exempti, et quod fundatores fuerunt Hungariæ reges; tenuitatem autem præ ceteris demonstrabant præbendarum redituum. Dubiis igitur quæ a capitulo proponebantur, responsum præbuit S. C., ut Missa applicaretur diebus tantum festis de præcepto in casu *Spalaten.*, *Applicat. Missæ convent.*, 23 *julii* 1729, *dub.* 1 et 2.

65. Decisum consequenter fuit, ut præfatæ Missæ conventualis applicatione supposita, idem capitulum teneretur in posterum continuare in celebratione aliarum Missarum, et in quotidiana recitatione precum cum applicatione pro benefactoribus : *Ibid.*, *dub.* 3.

66. Singulis diebus celebranda est a dignitatibus, et canonicis ecclesiæ cathedralis Missa conventualis cum omnibus solemnitatibus : *Salernitana*, *Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 14.

67. Et quoad dubium, an celebratio Missarum explenda sit juxta formam præscriptam in edicto *diei* 27 *febr.* 1731, cap. 13 et 14, vel juxta prætensum solitum ecclesiæ? S. C. respondit : Dilata, et ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 13.

68. Quum questus in Episcopum capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Agathæ oppidi Proxeudis haberet, quod ipse nuper tum archipresbytero pro populo, tum canonicis pro benefactoribus Missæ præceperat applicationem singulis diebus festis de præcepto; licet id capitulum esse contra morem, et ultra vires asserat; et usus hactenus fuit, ut Missa parochialis diebus tantum dominicis applicaretur, et Missam conventualem celebrare quolibet die festo, sed absque applicatione consueverint. Res tamen discussa fuit in S. C., an, et pro quibus Missis sit locus diminutioni, seu reductioni ? negative quoad Missas parochiales, et conventuales, in reliquis ut particulariter videretur fuit resolutum : *Ferentina*, 26 *martii* 1735, *dub.* 1.

69. In urbe Tolentini extat collegiata ecclesia S. Jacobi priore cum animarum cura, et undecim canonicis, qui priorem adjuvare obstricti sunt, constans. Inter capitulares habitæ aliquæ fuerunt quæstiones, quas S. C. diremit decernens, Missam cum cantu in dicta ecclesia esse celebrandam juxta decretum Visitationis anni 1727 : *Tolentina, Servitii chorii, et Missæ convent.*, 26 *mart.* 1739, *dub.* 1.

70. Ac eamdem esse celebrandam per vices : *Ibid.*, *dub.* 2.

71. Eumdemque ordinem incipiendum non a priore, sed a canonico decano, indeque prosequi ad alios canonicos : *Ibid.*, *dub.* 3.

72. Et præter canonicum hebdomadarium in dicta Missa cum cantu, aliisque officiis alios canonicos interveniendos : *Ibid.*, *dub.* 4.

73. Imo deficientibus ab hujusmodi interventu eisdem canonicis esse ipsos multandos, et quoad quantitatem arbitrio Episcopi remittendam : *Ibid.*, *dub.* 5.

74. Episcopus Senogalliensis visitationem peragens cathedralis ecclesiæ reperit solos seniores, seu primæ erectionis canonicos persolvere eleemosynam pro celebratione Missæ conventualis, ejusdemque Missæ sacrificium a capitularibus omnibus pro populo, nullum autem pro piis benefactoribus applicari ; idcirco eis onus quotidianum applicationis Missæ conventualis pro benefactoribus, ac pro collegio imposuit, ejusdemque eleemosynam ab omnibus solvi jussit. Canonici posteriores decreto obtemperare abnuentes, quæsierunt, utrum illud sit exequendum? et esse exequendum S. C. resolvit, ita tamen, ut applicatio fieret pro benefactoribus tantum : *Senogallien. Missæ convent.*, 16 *decem.* 1741, *dub.* 1.

75. Capitulo, et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Platea terræ Mathelicæ tam veteribus, quam adjunctis denegatur reductio applicationis ad solos dies festos Missæ conventualis alternis faciendæ; etiamsi præbendarum redituum tenuitatem exhibere adacti sint : *Comerinen.*, *Missæ convent.*, 24 *aug.* 1743, *dub.* 3, confirmata 18 *julii* 1744.

76. Ac in vigiliis, in quibus duplicantur, vel triplicantur Missæ cum cantu, sunt omnes applicandæ. Sed inspecta redituum parcitate ex gratia conceditur, ut una tantum applicetur : *Ibid.*, *dub.* 4, et in confirmatione ad mentem [421] : 13 *junii* 1744.

77. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis non tenentur præter Missam conventualem celebrandam per vices aliam applicare Missam pro populo, quum hanc canonicus parochus applicet : *Hortana*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 2, confirmata 29 *ejusd. mensis*, *et anni*.

78. Benedictus Lupertus Episcopus Calliensis cathedralis suæ capitulo donavit aurea quingenta, quorum reditus impendi perpetuo in celebratione sacri conventualis dietim a capitulo agendi, et applicandi pro benefactoribus in genere deberent. Hujus oneris modo diminutis reditibus præbendarum capitulum postulat reductionem quoad applicationem ; at obtinere eam non valuit : *Callien.*, *Reduct. Missæ convent.*, 8 *febr.* 1744.

79. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Minorissæ, sacrum sine cantu perficiendo in capella SS. Martyrum sub altaris majoris dictæ ecclesiæ existentium, dum in choro horæ canonicæ recitantur, Missæ conventualis muneri satisfacere non valent ac inde postulantes ad solos dies festos reductionem ob reditus exiguos, qui vix ad alimenta sufficiunt, S. C. responsum suspendit, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [422] : *Vicen.*, *Missæ convent.* 2 *sept.* 1747. Postmodum petitam gratiam haud indulgendam censuit : 13 *sept.* 1749.

80. Tyburtinus Episcopus intendebat, capitulum et canonicos cathedralis ecclesiæ duo, triaque sacra, quæ statis quibusdam diebus juxta rubricæ præcepta cum cantu agere solebant, pro benefactoribus in genere, præter conventuale, applicare teneri. Canonici autem satis esse aiebant conventualis sacri applicationem, ut hactenus factum ab ipsis est, quia rubricam celebrationem, non applicationem jubere subdebant; ita etiam S. C. Tyburtino Episcopo in status ecclesiæ relatione respondisse, ac præ se ferre consuetudinem asseverabant. Quæsito hinc, num præter Missæ conventualis applicationem, applicare etiam canonici deberent secundam, et tertiam Missam cum cantu agendas ; sed resoluta non fuit causa, et dictum ad mentem : *Tyburtina*, 13 *junii* 1744.

81. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ Luniani tenentur quotidie celebrare Missam conventualem, ac applicare juxta decretum in visitatione editum ab Episcopo, non obstante contraria immemorabili consuetudine. At perpensis peculiaribus facti circumstantiis, inter quas præbendarum tenuitas, indulgendum est, ut applicetur omnibus

[421] Mandatur Episcopo Camerino, ut « contra enunciatum canonicum Petrum Salta prout juris fuerit procedat ; ita igitur exequetur, et de executione certioret. » Lib. *Regist.* lit. 29, *die* 18 *julii* 1744.

[422] Data fuit epistola ad Vicensem Episcopum, ut referret, quanti sint annui reditus, tum præbendæ, tum distributionum quotidianarum, quæve sint onera particularia cujuslibet canonicatus collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Minorissæ : *Ead. causa*, 13 *sept.* 1749.

diebus festis de præcepto tantum : *Amerina, Missæ convent.*, 12 *martii* 1746.

82. Capitulum, et canonicos collegiatæ ecclesiæ oppidi Sabiniani applicare quotidie Missam conventualem pro benefactoribus in genere mandatur; etiamsi in fundatione certis oneribus gravati fuerint; non autem solus archipresbyter dictæ collegiatæ obstrictus est : *Ariminen., Missæ convent.*, 18 *sept.* 1751, *dub.* 1.

83. Necnon dicti canonici omnes vicissim celebrare, et applicare Missam conventualem tenentur, incipiendo tamen ordinem ab archiepresbytero: *Ibid., dub.* 2.

84. Ac pro gratia ad dies tantum festos spectata, et perdurante redituum miseria reductio oneris præfatæ Missæ conceditur : *Ibid., dub.* 3.

85. Et quoad dubium ; an teneantur pro tempore præterito ad applicationem Missarum conventualium, quæ nequaquam celebratæ fuerunt? rescribitur, ad D. secretarium facto verbo cum Sanctissimo : *Ibid., dub.* 4.

86. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai terræ Meldulæ non sunt, nec fuerunt immunes ab applicatione Missæ conventualis, licet expositum fuerit ecclesiam illam noviter erectam in collegiatam ex unius benefactoris fundatione fuisse, qui, præscripta aliarum Missarum applicatione, eam expresse in Missa conventuali non requisivit : *Nullius S. Ruffilli provinciæ Ravennaten.*, 8 *aug.* 1761, *dub.* 1, confirmata 14 *febr.* 1767.

87. Imo nec eis impertitur reductio oneris applicationis ejusdem Missæ ad dies dominicos tantum, ratione assertæ redituum exiguitatis : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

88. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Martini urbis Cerreti exponentes eorum ecclesiam ex unione quinque parochialium, et ex septem simplicium beneficiorum adnexione componi, tantummodo ad implendum onera, quibus parochiales, et beneficia unita gravabantur, teneri præsumunt; non autem ad applicationem Missæ conventualis, quam quotidie absque applicatione cum cantu celebraverant; hinc quæsierunt, an tenerentur pro benefactoribus in genere applicare, et quibus diebus? et responsum habuerunt : Dilata, et firmetur status coram Ordinario servatis servandis : *Thelesina, Missæ convent.*, 4 *junii* 1768.

89. Capitulum, et canonici ecclesiæ S. Agathæ terræ Ascani tenentur Missam conventualem pro benefactoribus applicare ; quanquam eorum consuetudinem pervetustam onus illud respuentem, ac tenuitatem redituum demonstraverint : *Aretina, Missæ convent.*, 16 *decem.* 1769, *dub.* 1.

90. Sed reductionem illius oneris ad formam Constitutionis Benedicti XIV, Pont. Max., incipien. *Cum semper* [423] reportarunt : *Ibid., dub.* 2.

91. Capitulum, ejusque canonici collegiatæ ecclesiæ S. Perpetui oppidi Solerii vix diebus festis sacrum conventuale operabantur, cognita autem propria obligatione postularunt absolutionem quoad præteritum, et a Sanctissimo obtinuerunt, necnon etiam reductionem quoad futurum, quum præbendæ parvæ, ac onustæ multis essent a fundatoribus oneribus; S. C. pro reductione applicationis ad omnes dies festos de præcepto expletis oneribus fundationum juxta votum Episcopi [424] indulsit : *Alexandrina, Missæ convent.*, 28 *julii* 1770, *dub.* 1.

92. Capitulum collegiatæ, et parochialis ecclesiæ B. M. V. oppidi Messerani reductionem Missæ conventualis ad solos dominicos dies, et festos de præcepto ob redituum inopiam petiit, et non impetravit : *Vercellen.*, *Reduct.*, 18 *aug.* 1770, *dub.* 1.

93. Validam esse S. C. declaravit consuetudinem ecclesiæ cathedralis canendi Missam conventualem in quibuscumque diebus per annum, exceptis diebus anniversarii, et obitus defunctorum, ac feriis Quadragesimæ, in quibus officium alicujus sancti occurit, et addidit ad mentem [425] : *Comen., Celebrat. Missarum*, 23 *novem.* 1771, *dub.* 1.

94. Capitulum compositum ex archipresbytero

[423] Die 19 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163), in qua § 19, disponitur : « Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa conventuali, ad nihilum fere reductæ vix forent, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus sess. 24, cap. 15, opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium præbendarum inopiæ valeat provideri : si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam inire posse contingat, reliquum erit ad Congr. Concilii recursum habere ; cujus erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a prædecessoribus nostris eidem impartita, et a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere. »

[424] Qui concludit, ut inspecta præbendarum tenuitate, nullaque segregata, et aliunde promanante distributionum in commune relictarum massam applicare solis tantum festis de præcepto, aut si fieri possit etiam solis dominicis diebus, a qua lege si placet S. C. immunem declarare præpositum, quoties per vices hebdomadarium agit, quod nimirum jam tenetur pro populo suo Missam parochialem applicare. *Ead. causa*, 7 *julii* 1770, § 5

[425] Mens est, ut cantetur una Missa, reliquæ conventuales lectæ celebrentur, exceptis diebus, prout in dubio : *Ead. causa*, 23 *novem.* 1771.

animarum curam exercente, et septem canonicis in ecclesia adest oppidi Magentiæ B. M. V. in Cœlum Assumptæ dicata, quod quum Episcopus rescivisset, minime applicare Missam conventualem, ad quotidie applicandam illud adegit. Exemptum se capitulum putans, vel quia non constat de erectione collegialitatis, vel quia ex consuetudine quatuor seculorum canonici Missam conventualem non applicarunt, vel demum, quia reditibus caret paribus oneri; quæsivit proinde quibus diebus Missam conventualem applicare teneatur; S. C. respondit pro diebus festis, et de præcepto tantum : *Terracinen.*, *seu Privernen.*, *Missæ convent.*, 21 *novem.* 1772.

95. Capitulum, et canonici ecclesiæ S. Nicolai terræ S. Ægisti, quam non constat fuisse auctoritate apostolica in collegiatam erectam, sed tantum eidem nomen in nonnullis posterioribus actibus fuit tributum, applicare Missam conventualem pro benefactoribus non tenentur : *Nullius*, *Trium Fontium*, *Missæ convent.*, 4 *april.* 1772, *dub.* 1.

96. Capitulum Cinguli urbis pro diebus ferialibus tantum, et donec extinguatur census scut. 2200 a capitulo ipso impositus pro erectione illius ecclesiæ in collegiatam, exemptum declaratur ab applicatione Missæ conventualis, ad quam olim prioratus D. Exuperantii, qui prævia ejusdem collegiatæ coaluit, tenebatur : *Cingulana*, *Missæ convent.*, 8 *aug.* 1772.

97. Quum ex immemorabili consuetudine applicata unquam fuisset a capitulo ecclesiæ collegiatæ divi Petri et Dalmatii urbis Alexandrinæ Missa conventualis pro benefactoribus in genere, ac in fundatione ejusdem celebratio, nulla facta mentione de applicatione injuncta fuisset; quæstio versatur super hoc onere, et S. C. decernit prædictum capitulum quotidie Missam conventualem applicare pro benefactoribus in genere teneri : *Alexandrina*, *Missæ convent.*, 22 *januar.* 1774, *dub.* 1.

98. Et dubio, an, et quomodo sit concedendum indultum exemptionis ab hoc onere applicationis? responsum traditur : Dilata, et firmetur status : *Ibid.*, *dub.* 2.

99. Insuper dubium; an, et quomodo quoad præteritum sit providendum? ad Card. præfectum cum Sanctissimo pro decisione remittitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

100. Capitulum, et canonici collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Laurentii martyris in terra S. Laurentii Majoris sitæ, inspecta tenuitate redituum in distributionibus quotidianis unice consistentium, reductionem Missæ conventualis ad dies festos tantum de præcepto exorarunt, et obtinuerunt : *Thelesina*, *Missæ convent.*, 5 *julii* 1777.

101. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Majoris Arquati, qui numero sunt cum beneficiatis quinque supra viginti, et 282 scuta partiuntur in fine cujuslibet anni duplicem tamen partem accipiente archipresbyro; supplicarunt pro reductione Missæ conventualis ad dies tantum festos de præcepto, et sunt consequuti : *Placentina*, *Missæ convent.*, 1 *martii* 1777.

102. Pius vir Christophorus Benzi, ut canonici parochialis ecclesiæ S. Mariæ Pedonæ servitium ad solos dies festos, nescitur qua causa, redactum choro præstarent quotidie, necnon Missam cum cantu in expiationem suæ, suorumque defunctorum animæ celebrarent, capitulo promisit quolibet anno tradere libras imperiales quatuor mille. Initus desuper fuit contractus, et obtentum beneplacitum apostolicum. Enclyclica supervenit Benedicti XIV, Pont. Max.; capitulum assignatas libras 360 impares esse duplici Missæ diebus festis cum applicatione asserens, supplicavit pro reductione ad unicam tantum Missam singulis diebus festis de præcepto; et preces incassum adhibuit : *Mediolanen.*, *Missæ convent.*, 5 *junii* 1779.

103. Quum canonici, et præbendati collegiatæ ecclesiæ S. Florentii oppidi Florentiola propter prædendarum, ac distributionum tenuitatem Missam conventualem ad formam Benedictinæ encyclicæ [426] pro benefactoribus applicare in more non fuissent; moniti ab Episcopo fuerunt, ac inde reductionem ad dies festos efflagitarunt, et ad quinquennium obtinuerunt, addendo S. C. ad mentem [427] : *Placentina*, *Missa convent.*, 27 *novem.* 1779. Urgente quinquennii termino canonici massæ capitularis, et præbendarum angustias adhuc manere exponentes, preces instaurant, et reductionem ad dies festos de præcepto impetrant : 30 *julii* 1785.

104. Capitulum S. Victoris gravatum se esse sentiens Episcopi præcepto, qui voluit, ut Missa conventualis, quæ in ea collegiata ecclesia canitur, applicaretur pro benefactoribus in genere, exorat pro exemptione ab hujusmodi applicatione, et quia ab erectione reperitur exemptum, et quia sex ex duodecim canonici animarum curæ in separatos montium, valliumque parochiæ incolas incumbunt; vel saltem pro indicti oneris reductione ad dies tantum festos de præcepto propter eorum redituum tenuitatem implorat. Reductio petita donata fuit ad

[426] Vide not. 48, verb. *Absolutio* § 1.

[427] Mens fuit Episcopo significata, ut is videret et referret : an per suppressionem alicujus ex canonicalibus primo vacaturi, et unione fructuum ipsius iis canonicatibus, qui tenuiores sunt, augeri possint, usque ad summam, et reditum, qui sufficiat; ita ut amplius locus esse non possit petitæ absolutioni a debito celebrationis Missæ capitularis pro benefactoribus ad formam Const. Benedictinæ, *Cum semper oblatas.* : *Ead. causa*, 9 *julii* 1785, § 1.

quinquennium, et additum, ut scriberetur Episcopo juxta mentem [428]: *Novarien., Missæ convent.*, 7 *aug.* 1779.

105. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Gregorii Majoris ob imminutos eorum reditus reductionem applicationis Missæ conventualis ad dies tantum dominicos, aliosque festos de præcepto impetrarunt; onus vero quotidie dictam Missam canendi superfuit; hinc quum fructus decrevissent, dispensatio ab onere canendi Missas ex præscripto rubricæ generalis ab eis fuit petita, sed haud obtenta: *Spoletana, Dispensationis*, 19 *febr.* 1780.

106. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Stephani terræ Cotiniolæ, archipresbyter nempe, canonici antiqui, et novæ erectionis Zarabinæ una cum mansionariis tenentur vicissim omnes ad Missam conventualem celebrandam, addendo S. C. ad mentem [429]; etsi unum fundatorem, cujus suffragio sacrum faciebant, perspectum haberent: *Faventina, Missæ convent.*, 3 *junii* 1780, *dub.* 1.

107. Ac eleemosyna est desumenda ex massa communi Zarabina ad ratam eleemosynæ manualis: *Ibid.*, *dub.* 2.

108. Postmodum reductionem dicti oneris Missæ conventualis ad dies festos de præcepto tantum capitulum præfatum impetravit: *Ead.*, 10 *febr.* 1781.

109. Canonici ecclesiæ S. Mariæ Mortis in collegiatam nuper erectæ urbis Æsinæ ignorantes Benedicti XIV, Pont. Max., encyclicam [430] Missam conventualem, prætermissa applicatione pro benefactoribus, celebrarunt. Hodie animadvertunt illud applicationis onus ferre non posse; simul efflagitant absolutionem, et reductionem applicationis ejusdem; S. C. annuit ultro quoad præteritum facto verbo cum Sanctissimo, sed negativum quoad reductionem dedit responsum: *Æsina, Missæ convent.*, 5 *aug.* 1780.

110. Quum parochialis, et matrix ecclesia S. Andreæ terræ Vallerani in collegiatam erecta fuisset prævia dotatione a piis fundatoribus assignata, durante eorum fundatorum vita capitulum, et canonici exorant, ut ab applicatione Missæ conventualis pro benefactoribus in feriis Adventus, et Quadragesimæ eximantur. S. C. protelando decretum voluit, ut Episcopo scriberetur, qui referat, quantum quisque ex tribus fundatoribus tradendum post uniuscujusque fundatoribus mortem assignaverit: *Civitatis Castellanæ, Missæ convent.*, 5 *aug.* 1780.

111. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Materillæ, qui Missam conventualem singulis diebus festivis canunt, et non applicant, ad ejus applicationem ad tramites decreti in sacra Visitatione emanati adstricti sunt: *Nullius, Ferentilli, Visitat. sacr. Liminum*, 28 *april.* 1781, *dub.* 1.

112. Necnon teneri tam archipresbyterum, et canonicos alternis omnes ad rationem Concilii [431]: *Ibid.*, *dub.* 2.

113. In Cerbariæ loco jurisdictioni abbatiæ Sublacensi subjecto adest parochialis ecclesia S. Mariæ dicata in qua reperitur parochus titulo archipresbyteri, et quatuor capellani, canonicorum nomine vulgo nuncupatis. Hi ex pietatis, et devotionis impulsu singulis diebus dominicis, aliisque festis sacrum conventuale, ac vesperas conficiebant. Card. Canale commendatarius abbas præcepit in visitatione eos applicare Missam conventualem pro benefactoribus in genere teneri. Mandata exhauserunt, sed supplicant hodie, ut decernatur, num decretum hoc sit validum? et nequaquam validum esse S. C. definivit: *Nullius, Sublacen.*, 7 *julii* 1681, *dub.* 1.

114. Prætendebant ulterius, ut Missæ hactenus præter obligationem celebratæ, compensandæ cum Missis essent in posterum a capellanis celebrandis, sed non impetrarunt: *Ibid.*, *dub.* 2.

115. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis considerata eorum præbendarum paupertate reductionem applicationis Missæ conventualis in solis diebus festivis de præcepto obtinuisse ab Episcopo Ciani vigore apostolicæ auctoritatis, de qua nullum extat documentum, putarunt. Modo vero in ancipiti cura versantur, et eamdem reductionem implorant; sed S. C. scribendum Episcopo juxta mentem [432] censuit: *Ilcinen., Missæ convent.*, 28 *julii* 1781. Deinde gratiam impertivit: 14 *sept.* 1782.

116. Sacerdos Joan. Baptista Falzon Melitensis fundavit celebrationem Missæ conventualis cum cantu faciendam qualibet die, exceptis dominicis, aliisque festis de præcepto in ecclesia collegiata S. Pauli Apostoli civitatis Vallettæ. Canonici hanc dispositionem acceptare, nisi sub reservatione reductionem petendi, abnuerunt, eo quod jam decretum auctoritate S. C. per totam insulam exierat, cujus vigore ad tres tarenos crevit eleemosyna manualis. Sed canonici tamen Missam conventualem propria auctoritate peragerunt cum eleemosyna tarenorum trium, et granorum insuper decem. Inhi-

[428] « Nempe ut cogat tres canonicos, qui regunt ecclesias filiales suburbicarias ad satisfaciendum diebus festis qui in eorum hebdomadam incidunt per viceparochos, alios sacerdotes oneri Missæ pro populo in prædictis ecclesiis filialibus »: *Ead. causa*, 7 *aug.* 1779.

[429] Vide not. 228, verb. *Archipresbyter*, § 6.

[430] Vide not. 48, verb. *Absolutio*, § 1.

[431] Vide not. 101, verb. *Absolutio*, § 1.

[432] Nempe ut referat de annua quantitate uniuscujusque præbendæ, earum oneribus, et illarum qualitate: *Ead. causa*, 28 *julii* 1781.

buit hanc superfluitatem curia episcopalis, mandavitque celebrationem Missarum conventualium cum sola eleemosyna tarenorum trium faciendam esse. A S. C. super precibus a capitulo pro eorum taxa, et de expensis factis pro ejus indemnitate quoad præteritum tempus, rescriptum exiit *lectum*. Nunc ad quæsitum, an sit huic decisioni adhærendum, dictum fuit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem [433]: *Melevitana*, 16 *junii* 1781, *dub*. 1. Quum ad iteratum examen causa rediisset, responsum definitum prodiit, prævio recessu a decisis pro absolutione facto verbo cum Sanctissimo: 22 *decem. ejusd. anni*.

117. Deinde postquam S. C. docta fuerit de reditibus bonorum pro implemento attributorum, et Episcopo, ut supra, scriptum fuerit, reductionem S. C. indulsit juxta votum Episcopi [434]: *Ibid*., *dub*. 2.

118. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ dicatæ Sanctissimæ Visitationi B. M. V. Casalis Garbii Missæ conventualis reductionem ad dies tantum festos de præcepto, concurrente nimia redituum tenuitate postularunt. Sed S. C. jussit, ut scriberetur Episcopo, qui referat super statu, et quantitate multiplici, transmissa dispositione fundatoris ipsius: *Melevitana*, *Missæ conventualis*, 15 *sept*. 1781. Et inde locum esse reductioni ad dies festos de præcepto ad decennium decrevit: 11 *maii* 1782.

119. Ecclesia parochialis S.Leonardi Arcis Gurgæ auctoritate ordinaria erecta fuit in collegiatam, et impositum fuit onus in diebus festivis Missæ conventualis. Deinde alter Episcopus petita declaratione, an esset collegiata illa ecclesia, onus quotidianum ejusdem Missæ præcepit; ob id canonici modo petunt, an teneantur quotidie perpetrare, et applicare dictum sacrum, et quatenus affirmative, an concedatur reductio. S. C. teneri ad Missam conventualem juxta votum Episcopi [435] respondit: *Terracinen*, *et Setina*, *Servitii chori*, *et Missæ convent*., 23 *novem*. 1782, *dub*. 1 et 2.

120. Collegiata ecclesia S. Nicolai castri Diani quindecim numerans canonicos, tenues præbendarum, massæque reditus habens poposcit, quomodo esset locus reductioni applicationis Missæ conventualis; et pro reductione ad dies festos de præcepto tantum responsum fuit: *Albinganen*., *Reduct*., *Missæ convent*., 8 *febr*. 1783.

121. In ecclesia collegiata oppidi Podybonitii nunquam fuit pro benefactoribus in genere Missa conventualis applicata. Illa benefactorem præter unum Gagliam fundatorem habet neminem. Gravantur tamen canonici applicatione Missæ in ejusdem favorem statutis diebus cujusdam hebdomadæ, reditusque exiguos percipiunt; ideo S. C. ad illam applicandam hosce canonicos neutiquam teneri respondit: *Collen*., *Applicat*., *Missæ convent*., 15 *martii* 1783.

122. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Castri Novi civitatis Recineti constat ex præposito, ac novem participantibus, qui nullam habent præbendam, sed distributionibus quotidianis, quæ ad 18 vix ascendunt scutorum summam, fruuntur, necnon et choro toto anni tempore interveniendi onere sunt gravati, idcirco Missam conventualem pro benefactoribus ad solos dies festos postulant reduci, et responsum juxta eorum votum tulere, ut nempe ad solos dies dominicos, et festos de præcepto reduceretur: *Recineten*., *Reduct*. *Missæ convent*., 24 *januar*. 1784.

123. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in Cœlum Assumptæ terræ Arcis Siccæ, quod juxta primariam erectionem ex archipresbytero, et quatuor tantum canonicis constituebatur, et quod ex aliis postea quatuor canonicis supranumerariis vocatis compositum fuit, Missam conventualem, ejusque applicationem pro benefactoribus in genere omittebat, et huic officio satisfacere opinabatur per celebrationem Missæ cum cantu in ecclesiis, ubi festivitates peragebantur, quamvis has Missas applicarent pro peculiaribus benefactoribus, qui legata reliquerant. Hinc Episcopus præcepit Missam cum cantu, et pro benefactoribus applicari. Sed capitulum modo quærens declarari, an teneatur quotidie Missam conventualem pro benefactoribus applicare? teneri responsum tulit: *Terracinen*., *Servitii chori*, *et Missæ convent*., 11 *decem*. 1784, *dub*. 1.

124. Et quum postulaverint reductionem, eam impetrarunt juxta votum Episcopi [436]: *Ibid*., *dub*. 2.

[433] « Et mens est, ut Episcopus referat, an ultra Missam conventualem, legatam a Joan. Baptista Falson, celebrent canonici diebus ferialis Missam conventualem de jure præscriptam. » *Ead. causa*, 16 *junii* 1781.

[434] Qui affirmat dictos canonicos a S. C. Concilii ob tenuitatem eorum præbendarum reductionem Missæ conventualis de jure præscriptæ ad dies dumtaxat dominicos, et festivos obtinuisse: *Ead. causa*, 22 *decem*. 1781, § 2.

[435] Quod ita expressum est: « Censerem oratores inspecta præsertim tenuitate redituum obligandos fore ad servandas constitutiones, ut supra editas a prædecessore Palombella inserviendi choro diebus festis, aliisque ibi expressis, adjuncto tamen onere applicationis Missæ cum cantu pro benefactoribus non tantum dominicis, sed etiam aliis de præcepto festis diebus. » *Ead. causa*, 14 *sept*. 1782, § 9.

[436] Qui ait: « Arbitrarer, eosdem (canonicos) considerata redituum tenuitate ad servitium chori, et applicationem Missæ cum cantu pro benefactoribus, singulis tantum diebus dominicis, aliisque de præcepto festivis obligandos esse »: *Ead. causa*, 11 *decem*. 1784, § 6.

125. Canonici una cum archipresbytero ecclesiæ collegiatæ S Erasmi oppidi Bassiani, qui nunquam sueverunt Missam conventualem celebrare, nec hoc onus ipsis impositum fuit in fundatione, tenentur etiam cum archipresbytero ad dictæ Missæ applicationem juxta votum Episcopi [437]: *Selina, Chori, et Missæ convent.*, 21 *januar.* 1787, *dub.* 1.

126. Capitulum S. Mariæ de Populo urbis Pontremoli, jubente Episcopo tam ob paucitatem canonicorum, quam ob redituum tenuitatem, et augmentum hodiernæ manualis eleemosynæ, exemptionem ab applicatione Missæ conventualis poposcit; sed S. C. responsum tulit, esse indulgendam exemptionem ab applicatione Missæ conventualis, diebus tamen festis de præcepto exceptis: *Lunen. Sarzanen.*, *Reduct. Missæ convent.*, 8 *julii* 1786.

127. Canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi Belvederii unam tantum semper soliti erant canere festis diebus Missam conventualem, et absque cantu in ferialibus celebrare, quamvis juxta rubricam plures quandoque Missæ conventuales celebrari debuissent. Lateranensis visitator hanc agendi irregularitatem improbavit, decrevitque tot a canonicis celebrari oportere, quot celebrandas rubrica docet; hinc canonici quæsiverunt, an una tantum Missa conventualis satisfecere possint aliarum obligationi, quibus ex rubrica tenentur? et impetrarunt favorabile responsum juxta votum [438] Card. archipresbyteri: *Senogallien.*, *Missæ convent.*, 2 *decem.* 1786, *dub.* 1.

128. Et exorantibus iisdem canonicis, ut eis concederetur eamdem Missam sine cantu explere; responsum fuit, canendam esse juxta modum ab Card. archipresbytero appositum [439]: *Ibid.*, *dub.* 2. Inde canonici petunt dispensationem a cantu diebus ferialibus, quousque duo redintegrentur canonicatus ad ecclesiam instaurandam suspensi, et horum studiis, et voluntati Card. archipresbyter obsequutus est, ideo recedendum S. C. putavit a decisis juxta votum prælaudati Cardinalis [440]: 5 *april.* 1788.

129. Quærentibus ulterius, an cum Missis votivis, seu pro defunctis implere possint onus Missæ conventualis? negativam responsionem habuerunt: *Ibid.*, *dub.* 3.

130. Quum constaret de collegialitate ecclesiæ parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Capraroîæ, ab canonicis ejusdem ecclesiæ et celebranda, ac applicanda Missa conventualis pro benefactoribus in genere quoad omnes alternis vicibus: *Civitatis Castellanæ*, *Missæ convent.*, 16 *dec.* 1786, *dub.* 2.

131. Disceptatum jam fuit antea dubium in S. C. inter priorem, et canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi Tolentini, an, quomodo, et quibus diebus in ecclesia eadem celebrari debeat Missa cum cantu? prodiit rescriptum, esse celebrandam juxta decretum Visitationis anni 1727. Quæstionem renovant modo canonici ob non factam in decreto inservientium ministrorum mentionem; qua de causa prior precatur, ut confirmetur cantus dictarum Missarum, sed cum ministris, et præsertim, ut orator curam non habeat de ministris, aliisque, quibus indigeat Missarum solemnium celebratio. S. C. nullo edito decreto, scribi mandavit Episcopo juxta mentem [441]: *Tolentina, Missæ convent.*, 24 *maii* 1788, *dub.* 1 et 2.

132. Deficiente penitus decimandi jure, quo capitulum cathedralis ecclesiæ fruebatur, quotidianæ etiam defecerunt distributiones, ipsæque imminutæ sunt canonicales præbendæ. Dispensationem propterea postularunt canonici ab applicatione Missæ conventualis pro benefactoribus, et obtinuerunt ad dies festos de præcepto tantum: *Laquedonien.*, 20 *sept.* 1788.

[437] Ait Episcopus: « Arbitrarer, eosdem perpensa tenuitate redituum, ad servitium chori cum persolutione tamen integri divini officii, et cum applicatione Missæ cum cantu pro benefactoribus per vices diebus tantum dominicis, et festis de præcepto præter consuetos, ut supra, constringendos fore: *Ead. causa*, 10 *decem.* 1785, § 9.

[438] Censuit Card. archipresbyter basilicæ Lateranensis, dispensationem pluries celebrandi Missas diebus a rubrica præscriptis ad decennium concedi posse: eo tamen excepto casu, quo uno die præter conventualem ab alias Missas tenerentur provenientes a piarum personarum legatis, ex quibus aliqua emolumenta perciperent. *Ead. causa*, 2 *decem.* 1786, § 4.

[439] Putavit idem archipresbyter quoad cantum in celebranda Missa facile dispensari ab illo posse, dummodo non videretur opportunius consilium, si canonicus, vel alter capituli sacerdos pro Missæ conventualis satisfactione Missam caneret diacono, et subdiacono non assistentibus.... E contra vero Missas conventuales in diebus festis, et illas, quæ ex legatis proveniunt benefactorum, qui assistentiam diaconi, et subdiaconi optasse præsumuntur, ab his duobus, una cum celebrante solemniter esse canendas. *Ead. causa*, 2 *decem.* 1786, § 4.

[440] Qui credidit, ex defectu organi, incommodisque ex præsenti materiali statu ecclesiæ in calculo habitis justas adesse causas dispensandi canonicos in cantu Missæ conventualis, in feriis tantum, usque dum ecclesia redintegrata sit ad plenum numerum decem canonicorum. *Ead. causa*, 19 *januar.* 1788, § 2.

[441] Mens est, ut referat, quot sint canonici in ecclesia S. Jacobi, quæ præbendæ sacerdotales, et quæ canonicales, quot sint reditus prioris, et singulorum canonicorum, et qualis annuus fructus ex distributionibus quotidianis, qui annuatim a singulis percipiuntur, et pariter referat de consuetudine enunciata in visitatione 1663, et an recenti tempore Missæ in diebus saltem solemnioribus cantatæ fuerint cum assistentia ministrorum, et quinam illi fuerint, an canonici, vel alii ministri exteri, et cujus sumptibus. *Ead. causa*, 24 *maii* 1788.

133. Tres oppidi Flaviani parochias in unam redegit Episcopus, transtulitque ad ecclesiam S. Blasii, mutato in alterum S. Stephani titulo. Duo in ea præter archipresbyterum sunt canonici, qui pro populo celebrant vicissim, alteramque diebus festis cum vesperis canunt. Desunt collegialitatis signa. Hodiernus Episcopus duos canonicis præscripsit menses, ut quoad præteritum, et quoad futurum Missæ conventualis celebrationi consulerent; sed termino elapso onus hoc eis indixit. Desuper S. C. audita respondit canonicos ad illam Missam minime teneri : *Nepesina, Missæ convent.*, 16 *maii* 1789, *dub.* 1.

134. Ad reparandam cathedralem ecclesiam terræmotu concussam canonici consecuti sunt Missæ conventualis ad dies dominicos reductionem, quæ fuit ad aliud decennium prorogata, inde ad quinquennium. Termino elapso anno 1786 usque ad annum 1787 errore ducti prædictum onus omiserunt. Modo autem legatorum reductionem implorant ob æs alienum contractum, et S. C. eis ad decennium Missæ conventualis reductionem non autem legatorum concessit : *Fabrianen*, 19 *decem.* 1789, *dub.* 1.

135. Postquam erecta in collegiatam fuerat ecclesia parochialis S. Andreæ Saviliani præter servitium chori applicare diebus festivis Missam pro populo, confessionesque excipere, necnon Missam conventualem diebus tantum festis celebrare consueverunt. Edita inde fuit encyclica Benedicti XIV, Pont. Max.; hinc a capitulo quotidiana Missæ conventualis applicatio decreta fuit. Plerique capitulares id ægre tulerunt, et sacrum hujusmodi dissimulandum putarunt. Modo unanimiter exorant S. C. pro reductione ad dies festos; quam obtinent : *Taurinen.*, *Missæ convent.*, 31 *julii* 1790.

136. Præter Missam conventualem pro benefactoribus in genere, alteram ex propiis constitutionibus celebrare tenetur cathedralis capitulum, ubi ex rubrica occurrit, sed cautum non est de hujus secundæ applicatione; hinc capitulum ab immemorabili tempore applicari pro benefactoribus in specie solitum fuit, et S. C. copiam sui consilii fecit, esse applicandam secundam Missam juxta consuetudinem decidens : *Santradrien.*, 3 *martii* 1792.

137. Obligationis Missæ conventualis ad dies tantum festos, impositæ collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Majoris Bononiæ ab Archiepiscopo Lambertino per decretum Visitationis anni 1732, denegatur confirmatio, spectata posteriori ejusdem Lambertini postea Bened. XIV encyclica *Cum semper oblatas* [442]. Nam pleræque præbendæ scut. 200, et 100 excedunt, minores attingunt summam scut. 69, 80, 92, una tantum scut. 49, 60 : *Bononien.*, *Missæ convent.*, 15 *decem.* 1792, inde pro eadem capitulum, et canonici gratia redeunt, et S. C. prævio recessu a decisis ad dies festos de præcepto reducendam esse applicationem censuit; nam quidam de canonicis, nonnisi diebus festis assistere choro adacti erant : 18 *martii* 1797.

138. Favente Episcopo reductio Missæ conventualis ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum conceditur capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Matthæi oppidi Burgi ob tenues canonicorum præbendas, ex quibus quisque scut. 12, 67, annua tantum percipit : *Civitatis Ducali*, 26 *sept.* 1795.

139. Episcopus occasione visitationis SS. Liminum defectum in celebratione Missæ conventualis in ecclesia cathedrali exposuit, in qua aut omissa fuit applicatio pro benefactoribus in genere, aut celebrata pro populo, vel pro utroque applicata; hinc supplicavit capitulum pro reductione Missæ conventualis causa modicorum redituum, et S. C. mandavit Missam conventualem ab omnibus vicissim esse celebrandam, et quoad applicationem pro benefactoribus in genere diebus festis tantum non omissa celebratione, et applicatione pro fundatoribus in specie per alium juxta leges fundationis : *Bugnaten.*, *Missæ convent.*, *et pro Populo*, 28 *maii* 1796, *dub.* 1.

140. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Joann. de Olubra quotidiano servitio chori, licet tenuem habeat reditum, gravatur, et etiam celebratione, et applicatione Missæ conventualis; supplicat ideo S. C. pro reductione ad dies festos quoad applicationem tantum, et obtinet juxta votum Episcopi [443] : *Placentina.*, *Missæ convent.*, 30 *julii* 1796.

§ VI.

Capitulum ecclesiasticum quoad munia, et officiales.

1. De canonico pœnitentiario disputato generali dubio; an ipse onus habeat assumendi administra-

[442] 19 aug. 1744 *Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163, in qua § 2, cautum est, Missam conventualem in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis quotidie celebrandam, et pro benefactoribus applicandam esse; et § 19 disponitur, quod ratione tenuitatis præbendarum canonicalium ad festos dies tantummodo reduci potest.

[443] Qui ait : « Censeo benigne concedendam oratoribus postulatam reductionem applicationis Missæ conventualis pro benefactoribus ecclesiæ ad dies festos de præcepto tantum, retento tamen quotidiano ejusdem Missæ cantu, prout actum huc usque est; atque reductarum Missarum stipendia in choralium distributionum augmentum convertenda » : *Ead. causa*, 30 *julii* 1796.

tionem, seu œconomiam bonorum, et rerum capitularium, ut ceteri canonici, et an etiam officium punctatoris in choro? negativum responsum datum fuit : *Dubia pœnitentiarii*, 3 *octob.* 1671.

2 Quæsito per Episcopum, an capitulum ecclesiæ cathedralis teneatur se abstinere ab eligendis canonicis pœnitentiario, vel theologali in officio capituli secretarii, archivi custodis, aliorumve similium? non teneri S. C. decidit : *Vicen., Visitat. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 1.

3. Ac etiam idem capitulum tenetur se abstinere ab eligendo canonico hebdomadario curato ejusdem ecclesiæ in officia capituli secretarii, archivi custodis, aliorumve similium : *Ibid., dub.* 2.

4. Munus æditui, et præcentoris antiquitus ipsimet canonici ecclesiæ collegiatæ Insulanæ obibant. Sed abhinc centum circiter annis præter beneficiatos, nonnulli capellani admissi fuerunt. Hi vero plura excitarunt postulata, et in S. C. hæc proposita fuerunt dubia : An ad æditiuum, et præcentorem ecclesiæ collegiatæ et prædictæ pertineat jus habendi vocem in capitulo, et administrandi in ea anniversariorum bona, necnon in choro, et altari cum canonicis officiandi?

5. An ad eosdem divinis intervenientes cum canonicis pertineat jus in vino, tritico, et pecunia de fructibus capitularis massæ pares præbendas, ac quotidianas distributiones percipiendi? rescriptum prodiit : Nihil in omnibus, *in Cavallicen.*, 9 *april.* 1701, *dub.* 1 et 2.

6. Punctatores quolibet anno sunt a capitulo ecclesiæ cathedralis eligendi ; minime vero hoc munus ab archidiacono, aut ab aliis est exercendum : *Conversana, Punctaturar.*, 4 *decem.* 1706, *dub.* 1.

17. Quum nonnulli ex canonicis ecclesiæ cathedralis Manlianæ electionem peractam camerarii capitularis in favorem archipresbyteri nullam esse autumassent, quod perspectis capitularibus constitutionibus incompatibile simul officium camerarii cum archipresbyteri dignitate judicandum est, propterea S. C. requisita, expletam electionem validam esse decrevit : *Sabinen., Electionis*, 30 *sept.* 1713, *dub.* 1.

8. Dubio exhibito, an procurator capituli ecclesiæ cathedralis a servitio chori ex causa sui officii per quinque menses juxta mandata in statutis ipsius ecclesiæ abesse valeat? tantum recedere posse pro tempore necessario pro officio suo explendo rescribitur ; *Acerrarum*, 23 *aug.* 1727, *dub.* 25.

9. Præcentor, et primicerius ecclesiæ cathedralis sunt cogendi, ut accedant ad chorum non per mediam horam ante divini officii initium sub pœna unius tareni, sed adstricti sunt, ut accedant, antequam chorus inchoetur : *Salernitana, Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 7.

10. Electionemque punctatoris capituli ejusdem ecclesiæ factam per Archiepiscopum præter alium a capitulo electum sustineri mandat S. C. ; et addidit, scribendum Archiepiscopo, ut omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni sacr. Concilii Tridentini [444] : *Ibid., dub.* 16.

11. Punctationem in officiis, quibus præcentor non assistit, per præsentem digniorem collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ Avenionensis fieri debere S. C. decernit : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 19.

12. An officium punctatoris generalis capituli ecclesiæ cathedralis debeat semper exerceri a presbyteris participantibus, vel mansionariis, seu a canonicis; seu vicissim a prima dignitate usque ad ultimum presbyterum? ad hoc dubium rescribitur affirmative ad primam partem, in reliquis negative : *Bisuntina*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 1.

13. Idem minime servandum est quoad alia omnia capituli officia ; ita ut presbyteri participantes, seu mansionarii ad illa exercenda, sicuti canonici eligi possint, ac debeant : *Ibid., dub.* 2.

14. Capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ nuncupatæ *la Greca* in oppido Putignani erectæ licet quotannis eligere *expunctatores*, seu *appunctatores*, dummodo sint de gremio capituli : *Nullius, Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 7.

15. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis in procuratorem capituli eligere licet unum ex dictis canonicis; non autem tenentur eligere unum ex presbyteris participantibus : *Juvenacen., Decretorum*, 30 *maii* 1743, *dub.* 2.

16. Idem autem capituli procurator legitime electus non potest nuncupari prior, quamvis sic antea denominari consueverat : *Ibid., dub.* 3.

17. Electionem vero punctatoris, sive administratoris dictorum spoliorum ad Episcopum cum scientia, et consilio capituli spectare statuitur : *Ibid., dub.* 7.

18. Pluribus ad præcidendas quæstiones inter archidiaconum, et canonicum pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis exortis dubiis super officialium capituli electionibus, oraculum S. C. fuit postulatum. Hæc edixit, ut in his electionibus, quæ in congregatione generali diebus 27 et 28, junii quotannis per schedulas faciendæ sunt, scutatores schedularum ex urnis, ubi nomina vocalium sunt inscripta, eligendi jus non ad capitulum, et clerum pro ejus arbitrio spectat : *Tarentina, Præeminentiarum*, 1 *aug.* 1750, *dub.* 1.

19. Sanxit inde, ut urgente necessitate infra annum unum, vel plures eligendi officiales, sive

[444] Vide not. 165, 166, verb. *Absolutio*, § 1.

rerum capitularium deputatos, aut aliquem in locum officialium infra annum decedentium subrogandi, nominatio unius, vel plurium non ad archidiaconum privative, sed ad capitulum pro ut de jure pertineat : *Ibid.*, *dub.* 2.

20. Determinavit autem, ut in præfatis officialium electionibus non sunt necessario adhibendi scrutatores instar electionum, quæ fiunt in congregatione generali, sed id relinquendum arbitrio capituli est : *Ibid.*, *dub.* 3.

21. Statuit denique, ut pro excipiendis suffragiis in omnibus capitularibus congregationibus urna non sit per archidiaconum ad sedes singulorum vocalium circumducenda, neque per eumdem in sua sede manentem sit retinenda; sed quod collocetur in medio aulæ capitularis, et ut per scrutatores numeratio fiat : *Ibid.*, *dub.* 4.

22. Quum demum actum fuisset, an et a quibus dirigi, et demandari debeant ea, quæ urgente necessitate, non facile possint a dicto capitulo Tarentino expediri, sive ad actus ecclesiasticos, sive ad œconomiam, sive tandem ad commune commodum, vel decentiam spectent? S. C. rescripsit, spectare ad suos respective officiales a capitulo destinatos, in reliquis ad Archiepiscopum recurrant : *Ibid.*, *dub.* 8.

23. Et ad rogatum, an officium punctatoris perpetuo conferendum sit alicui ex vicariis, seu beneficiatis ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Tungrensis, seu liberum sit decano, et capitulo ad idem officium quamcumque benevisam personam assumere? S. C. censuit eligendum esse clericum de choro arbitrio capituli. Nam a capitulo electus fuerat laicus quidam, ac conjugatus, et statutum Tungrense eligi unum clericum de choro mandat : *Leodien.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 10, confirmata 30 *aug.* 1777, *dub.* 1.

24 Capitulum ecclesiæ cathedralis optabat tempore divinorum officiorum, ut capitulare Missas ob populi commoditatem, et ob temporis angustiam celebrarent. Sed non obtinuit. Optabat vero Episcopus, ut præfectus seligeretur chori, qui oblata occasione, et populi commodo veniam canonicis quibusdam daret vacandi a choro ad celebrandas Missas. Quæsitum hinc fuit, num præfecti hujus electioni esset locus? et responsum prodiit, satis esse provisum in synodo diocesana : *Comen.*, *Celebrat. Missarum*, 23 *novem.* 1771, *dub.* 3.

25. Officia capitularia collegiatæ ecclesiæ, ac parochialis S. Michaelis Archangeli civitatis Firmi annuatim sunt mutanda, seu renovenda in peculiari congregatione capitulari quolibet anno ad id specialiter habenda ad formam decreti visitationis diei 11 maii 1781 : *Firmana*, 8 *junii* 1782, *dub.* 8, confirmata juxta modum [445] : 6 *sept.* 1783, *dub.* 2.

26. Officiales minores ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Martiani eligendos esse capitulariter ad formam decreti lati a Card. Senogalliensi Episcopo anno 1784, eorumque stipendium sumendum esse ex sacrarii dote præscribitur : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 11.

27. Ac inter eos dividenda esse per capitulum incerta, quæ præstari solent a defunctorum hæredibus, aliisque, judicatur : *Ibid.*, *dub.* 12.

28. Canonicos ecclesiæ cathedralis filios familias, seu legitimis exceptionibus obnoxios munia, deputationes, et officia cujuscumque generis, et speciei ad ecclesiam prædictam, seu ad ejus sacrarium spectantia absque idonea cautione ab Episcopo approbanda, si fuerint a capitulo electi, exercere posse; non quoad reditus fabricæ, cujus œconomus cautionem ab Episcopo confirmandam præstare debet, conclusum fuit : *Asculanen.*, 12 *julii* 1788, *dub.* 9. confirmata 7 *febr.* 1789.

29. Ecclesia parochialis S. Bartholomæi oppidi Murrivallium in collegiatam erecta constat ex canonicis, mansionariis, et clericis choralibus, etsi competere mansionariis, et clericis jus interveniendi, et votum reddendi in capitulis, dum agitur de administratione bonorum, vel erogatione pecuniarum ad massam communem spectantium fuerit decisum; tamen jus eligendi, et removendi officiales privative ad capitulum sine interventu mansionariorum, et clericorum choralium spectare S. C. sententiam tulit : *Firmana*, *Vocis in capitulo*, 17 *junii* 1797, *dub.* 3.

§ VII.

Capitulum ecclesiasticum quoad onera in genere.

1. Capitula cathedralis ecclesiæ, ac collegiatarum tenentur observare consuetudinem sive decretum de celebratione Missarum [446], tum pro acceptione onerum perpetuorum Missarum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium : *Vicen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 15 *apr.* 1690, *dub.* 3.

2. Ad dubium, an capitulum ecclesiæ parochia-

[445] Et modus est, ut electio officialium fiat per secreta suffragia, exclusis ab exercitio officiorum præbendatis; et officia camerarii, et revisorum computorum tantum in uno, eodemque canonico non cumulentur : *Ead. causa*, 6 *sept.* 1783, *dub.* 2.

[446] Relatum in Const. *Nuper* 23 decem. 1697, § 7, ubi præcipitur pecunias, et bona mobilia relicta pro Missis perpetuis investiri in bonis immobilibus frugiferis cum expressa, et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; necnon sine superioris licentia nemo § 8, jubetur, ut superiores caute concedant facultatem pro suscipiendis Missis perpetuis.

lis S. Mariæ in Sylvis terræ Serræ Capriolæ teneatur instar supplicationis cum cruce, et superpelliceis accedere ad januas ejusdem terræ ad recipiendum Episcopum sub umbrella in actu ineundi visitationem? respondit non esse solemniter a capitulo recipiendum ad januas castri, sed tantum ad fores ecclesiæ, indutum habitu episcopali : *Loterinen.*, 23 *mart.* 1797, *dub.* 2. Deinde censuit servandum esse pontificale et cæremoniale [447] : 12 *apr.* 1698.

3. Capitulum ecclesiæ cathedralis tenetur reddere rationem Episcopo de hæreditate, et de bonis archidiaconi Pejoan., qui reliquit sua bona in favorem fabricæ ejus ecclesiæ : *Gerunden.*, *Commutat. volunt.*, 3 *martii* 1703, *dub.* 3, confirmata juxta modum [448] : 7 *julii* 1731.

4. Necnon idem capitulum tenetur referre rationem Episcopo de eleemosyna vestiarii relicta ab Episcopo Guillelmo de Cabanelles, et distribuenda annuatim in favorem pauperum ; et quoad aliorum legatorum administrationes, providebitur in casibus particularibus S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

5. Capitulum ecclesiæ cathedralis tenetur in actu visitationis reddere rationem administrationum, quæ eidem capitulo ecclesiæ prædictæ incumbunt : *Urgellen.*, *Visitationis*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 4.

6. Et dubio; an teneatur capitulum deferre libros administrationum ad palatium episcopale ad hoc, ut Episcopus rationes suscipere valeat? S. C. dedit responsum affirmativum ad formam resolutionis in causa Hispalensi [449] : *Ibid.*, *dub.* 6.

7. Ex massa, quæ de aggregatione nuncupatur, et ex Missarum, tum votivarum, tum fundatarum eleemosynis, funeribus, mortuariis, anniversariis, aliisque obventionibus constat, capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis operario, qui ex illis institutione officii sui præest fabricæ, suam ratam partem coæqualem aliis canonicis tradere tenentur : *Cavallicen.*, 6 *febr.* 1706, *dub.* 1.

8. Capitulum ecclesiæ cathedralis rationem presbyteris participantibus referre haud devinciri, sed Episcopo cum deputatorum eligendorum a presbyteris communeriæ præsentia, communicatis computis, quatenus per ipsos petantur, esse reddendam, S. C. existimavit : *Squillacen.*, *Missæ convent.*, *et communeriæ*, 24 *sept.* 1712, *dub.* 3, confirmata 11 *martii* 1713, *dub* 1.

9. Capitulum et canonici una cum archipresbytero ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ loci Insulæ tenentur reparare ecclesiam prædictam, et de præsenti tectum, pavimentum, ac baptisterium ; necnon eorum domus archipresbyteralem, et canonicales, et S. C. addidit juxta modum [450] : *Comen.*, *Servitii chori et expensarum*, 3 *dec.* 1712, *dub.* 4. Deinde S. C. decretum confirmavit, et addidit, esse concedendam remissoriam etiam quoad prætensam tenuitatem redituum : 1 *april.* 1713.

10. Inde quæsitis, an teneantur sumptibus suis manutenere lampadem accensam toto anno ante augustissimum Sacramentum.

11. Et an supradicti teneantur consuetam expositionem augustissimi Sacramenti singulis diebus Adventus, et Quadragesimæ, ac solemnioribus primæ classis, pro benedicendo populo, facere eorum sumptibus? rescriptum dedit, ut solitum servaretur : *Ibid.*, *dub.* 7 et 8, confirmata *ibid.*, et concessit remissoria non retardata interim exequutione decretorum.

12. Item devincti sunt propriis expensis peragere supplicationem sanctissimi Corporis Christi prima die ejusdem solemnitatis : *Ibid.*, *dub.* 9, confirmata *ibid.*

13. Et dicti canonici tenentur impendere julios quatuor illis persolutos a societate Sanctissimi Sacramenti occasione officiorum menstrualium defunctorum ab anno 1685 in emptione novorum paramentorum, de consensu ejusdem societatis : *Ibid.*, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

14. Quæ paramenta facienda sint in præsenti ob dictam causam; committitur id Episcopi arbitrio : *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata *ibid.*

15. Capitulum ecclesiæ in collegiatam noviter erectæ S. Mariæ de Populo oppidi Pontremoli tenetur supplicationem habere quotannis in vigilia Ascensionis Domini Nostri, et visitare ecclesiam SS. Hippolyti, ac Cassiani ratione piæ consuetudinis tantum : *Lunen. Sarzanen.*, *Præeminentiarum*, 9 *junii* 1725, *dub.* 4. Ac instante præposito dictæ collegiatæ causa reproducta confirmatur declaratio quoad præpositum tantum tanquam parochum : 18 *maii* 1726, confirmata 1 *jun.* 1737.

16. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis tenentur certiorem facere Episcopum, si hic fruitur præbenda canonicali, de convocatione capituli circa

[447] Vide not. 23, pag. 25.

[448] Nempe, ut Episcopus deputet administratores extra capitulum, qui bona administrent, et vestiarum impleant, et de administratione, ac adimplemento quotannis rationem reddant Episcopo, qui etiam de exequutione certioret S. C. addendo ad mentem, scilicet, ut bonificentur capitulo scuta mille in redditione rationis : *Ead. causa*, 22 *novem.* 1732, § 3.

[449] Vide not. 17, tom. 1, verb. *Abbas* § 4.

[450] S. C. respondit ad VI affirmative quoad reparationem domorum archipresbyteri, et canonicorum, censuitque concedendam esse remissoriam super prætensa consuetudine, ad quos spectet onus reparandi ecclesiam non retardata tamen ejusdem reparatione facienda per canonicos, quos Episcopus cogat juris remediis, salvo tamen jure repetendi. Lib. 62, *Decret.* pag. 445.

res negotia ejusdem capituli concernentes : *Acerrarum*, 23 *aug*. 1727, *dub*. 1.

17. Et est certior faciendus per canonicum secretarium, vel alium canonicum sub pœna tamen nullitatis actus in casu contraventionis : *Ibid*., *dub*. 2.

18. Idem capitulum, et canonici non adstricti sunt quolibet mense celebrare anniversarium pro benefactoribus, sed servanda est consuetudo : *Ibid*., *dub*. 11.

19. Sed ipsum cogendum est ad exhibenda omnia instrumenta, et jura, quæ respiciunt reditus, præeminentias, et jura dignitatis thesaurariæ, et canonicatus sub pœnis pecuniariis, et in quantitate arbitrio nuntii, et in subsidium suspensionis in divinis : *Ibid*., *dub*. 4.

20. Capitulum, canonici, et beneficiati collegiatæ ecclesiæ Apiri diœcesis Camerinensis non tenentur solvere mediam annatam in favorem fabricæ ecclesiæ. Nam reditus eorum in distributionibus consistunt, et fabricæ, et ecclesiæ aliunde prospectum est; ac inde S. C., ut Episcopus fieri investimentum curet, jubet : *Camerinen. et Anognina*, *Mediæ annatæ*, 2 *febr*. 1733, *dub*. 1.

21. Necnon capitulum, canonici, et beneficiati ecclesiæ cathedralis Anagninæ onus non habent solvendi eamdem mediam annatam. Nam isti quoque reditus in solis distributionibus habent, et in ingressu in favorem sacrarii quamdam summam tradunt : *Ibid*., *dub*. 2.

22. Capitula ecclesiarum Matheranensis, et Acheruntinæ tenentur restituere capitulo ecclesiæ Acerrarum bona descripta, et contenta in inventario facto ab Episcopo Positano, 30 aug. 1723. Nam ecclesiam Acerrrarum rexit, et sub eadem die 30 aug. 1723 translatus fuit ad ecclesiam Matheranensem, et Acheruntinam, et controversa bona ex fructibus Acerrarum ecclesiæ Episcopo obvenerunt : *Acerrarum*, *seu Matheranen. et Acheruntina*, *Spolior*, 15 *januar*. 1733.

23. Capitulum collegiatæ, et parochialis ecclesiæ oppidi Terlitii in festivitate Purificationis B. M. V. tenetur propriis sumptibus distribuere candelas clero, et populo, veluti Episcopi edictum sub pœna censurarum præcepit : *Juvenacen*., 22 *sept*. 1736, *dub*. 1, confirmata et additum *ad mentem* : 9 *febr*. 1737.

24. Et idem capitulum tradere cereum tam archipresbytero, quam Episcopo, dummodo sit præsens, tenetur : *Ibid*., *dub*. 2, confirmata *ibid*.

25. Capitulum collegiatæ ecclesiæ terræ Cisternini non tenetur ad congruam præstandam archipresbytero curato, qui una cum emolumentis ratione dignitatis capituli sufficientes reditus habet : *Monopolitana*, *Congruæ*, 28 *sept*. 1737, *dub*. 3.

26. Capitulum, et canonici cum præposito collegiatæ ecclesiæ et parochialis S. Fidelis tenentur intervenire in solemniter celebrandis festivitatibus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ejusque Decollationis, ac S. Joannis Evangelistæ in ecclesia S. Joannis in Atrio societatis, etiam invitis sodalibus : *Comen*., *Administrat*., *et jur*. *paroch*., 27 *julii* 1737, *dub*. 3.

27. Capitulum, et canonici S. Mariæ de Stella ecclesiæ cathedralis Urbis Veteris Episcopo ejusdem civitatis supellectiles, et paramenta sacra necessaria pro celebratione Missæ non tantum in suis domesticis capellis, sed etiam pro aliis ecclesiasticis functionibus ibidem explendis subministrare tenentur : *Urbevetana*, 9 *febr*. 1737, *dub*. 1.

28. Et idem capitulum, et canonici non debent suppeditare Episcopo supellectiles, et paramenta sacra extra civitatem Urbis Veteris, occasione sacræ visitationis, aliarumque ecclesiasticarum functionum, quæ per suam diœcesim sunt conficiendæ : *Ibid*., *dub*. 2.

29. Et debentur suppellectiles, sacraque paramenta qualitatis gradui episcopali decentia : *Ibid*., *dub*. 3.

30. Capitulum ecclesiæ cathedralis non constringitur ad reparationem, et expurgationem quatuor sepulcrorum existentium in ecclesia S. Mariæ de Vicario, sive S. Rochi urbis Tusculi, et quæ inserviunt laicis adultis; sed ad communitatem hoc onus spectat; quum antiquitus ipsa ecclesia cathedralis, et parochialis erat : *Asculana*, *Reparat*. *ecclesiæ*, 11 *januar*. 1738, *dub*. 3, confirmata 1 *martii ejusd*. *anni*.

31. At idem capitulum ad reparationem, et expurgationem aliorum duorum sepulcrorum, quæ pariter in dicta ecclesia existunt, ac inserviunt pro pueris, et sacerdotibus, non communitas tenetur : *Ibid*., *dub*. 4, et inde recessit S. C. a decisis quoad sepulcrum sacerdotum, quo vero ad tumulum puerorum spectare ad communitatem censuit : *Ibid*.

32. Et capitulum una cum archipresbytero, non communitas devincitur ad refectionem, ac manutentionem sacrarum supellectilium, ac utensilium sacrarii dictæ ecclesiæ S. Mariæ : *Ibid*., *dub*. 5. Deinde prævio a decisis recessu ad communitatem spectare decidit : *Ibid*.

33. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis Bisacciarum, quæ a Leone X, Pont. Max., unita alteri cathedrali S. Angeli Lombardorum fuit, Episcopo penes mox dictam ecclesiam residenti singulis annis in festivitate Nativitatis Domini Nostri tradere strenam in summa ducatorum decem haud tenentur : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub*. 1.

34. Sed ab ipso capitulo Episcopo cathedraticum debetur : *Ibid*., *dub*. 2.

35. Idem capitulum apparitori curiæ episcopalis ad urbem accedenti, et ad loca diœcesis Bisacciarum pro negotiis ejusdem curiæ ad solvendas expensas, seu, ut vulgo dicitur, *il Pedatico* adstrictum est : *Ibid., dub.* 3.

36. Et dubiis, an capitulum prædictum ecclesiam visitanti procurationem solvere teneatur, tam pro illo, quam pro convisitatoribus, aliisque ministris, ac famulis parare habitationem?

37. An Episcopus ad restitutionem tam victualium, quam pecuniarum exactarum in visitatione anni 1736 adstrictus sit? dedit S. C. responsum : Dilata, et proponatur una cum dubio, an Episcopus teneatur aliqua parte anni in urbe Bisacciarum residere? *Ibid,, dub.* 4 et 5.

38. Ac idem capitulum dare Episcopo decimas pro medietate juxta solitum, non autem in quarta parte tenetur : *Ibid., dub:* 8.

39. Item capitulum præfatum in festivitate Purificationis B. M. V. cereum Episcopo absenti largiri tenetur : *Ibid., dub.* 9.

40. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis tenentur canonico parocho Missam parochialem celebranti eleemosynam pro illius applicatione præstare : *Hortana*, 29 *aug.* 1744, *dub.* 3. Inde censuit recedendum a decisis : 19 *dec. ejusd. anni,* confirmata 13 *febr.* 1745.

41. Nicolaus Marrubius bona sua congregationi presbyterorum, quæ in ecclesia matre S. Mariæ oppidi Carbii erecta est, oneribus injunctis reliquit. Collegiata ab ecclesia SS. Conceptionis ad dictam ecclesiam translata, Episcopus satis voluntati Marrubii prospectum censuit ; et præbendam ex illius fructibus erigi theologalem jussit. Imparibus vero repertis fructibus huic præbendæ, canonici, qui in jura suppressæ congregationis successerunt, sibi delatam hæreditatem declarari obtinuerunt. Sed quum Episcopus perpendisset, ut hæreditas illa capitulo cum onere Missarum deferatur, hoc canonicis non placuit; proposito huic dubio; S. C. resolvit per translationem ejusdem collegiatæ ad ecclesiam S. Mariæ non esse satisfactum voluntati Marrubii, sed contemplatione illius hæreditatis eis celebrationem trium lectarum hebdomadalium Missarum alternis vicibus cum anniversario in die obitus præscribendam : *Narnien.,* 8 *maii* 1745, *dub.* 2.

42. Capitulum cathedralis ecclesiæ tenetur tribus anni vicibus per modum supplicationis ire, juxtaque solitum brachium S. Viti comitari ab ecclesia cathedrali ad abbatialem ejusdem S. Viti, formaque recipi debet decenti a Card. præfecto statuenda : *Polymnianen., Juris quæst.. et process.* 30 *april.* 1746, *dub.* 10 et 11.

43. Capitulum, et canonici ecclesiæ Scrophiani ad formam constitutionis synodalis una cum parocho in favorem præpositi contribuere ad expensas procurationis non obstante in contrarium consuetudine tenentur : *Pientina, Procurat.*, 20 *nov.* 1756.

44. Capitulum ecclesiæ cathedralis cogi debet ad restituendas in favorem canonici Ignatii Antonii Cervatti distributiones quotidianas penes ipsum depositas, usque ad initium litis super eisdem distributionibus agitatæ. Nam obtinuerat a S. C. indultum vacandi a choro perspectis mandato procuræ capituli, et testimonio procuratoris curialis super litis pendentia ; etiamsi capitulares obtenderent necessariam non fuisse ejus præsentiam in prosequutione litis post assequutum canonicatum, ac Romæ suorum negotiorum causa permansisse : *Adjacen., Distributionum,* 21 *aug.* 1762.

45. Capitula, et canonici collegiatarum ecclesiarum S. Mariæ Majoris, et S. Jacobi civitatis Baruli, qui etsi nullam possideant præbendam, sed solum distributiones percipiant; tamen ad taxam pro seminario ad formam instructionis Benedicti XIII, Pont. Max., [451] tenentur : *Tranen., Taxæ,* 14 *maii* 1763, *dub.* 2.

46. Capitulum collegiatæ ecclesiæ civitatis Cortia pariter habens fructus in solis distributionibus ad prædictam taxam juxta citatam formam una cum clero seculari, et regulari [452], tenetur : *Ibid., dub.* 5.

47. Deinde decisum fuit capitulum cathedralis ecclesiæ teneri ad taxam prædictam deducto, quod impendit clerus in contributione ducat. 600 : *Ead. causa,* 14 *januar.* 1769, *dub.* 2.

48. Capitulum ecclesiæ collegiatæ SS. Faustini, et Jovitæ non tenetur redintegrare capellanum hodiernum fundationis Sernutii Ciccolini de præteritis emolumentis, quia eidem capellano, etiamsi ille habeat onus residentiæ, ac chori, non competit jus interveniendi cum capitulo functionibus funeribus, ac comitatibus cadaverum, ac de emolumentis participandi : *Viterbien.,Capellaniæ,* 30 *maii* 1767, *dub.* 8.

[451] Nam edita super taxa seminarii Const. Bened. XIII *Creditæ Nobis*, 9 maii 1725, rel. *in Append. Concil. Rom.* num. 27, ad ejusdem tramites sequuta est instructio cum epistola encyclica die 26 martii 1726 : jussu ejusdem Pontificis transmissa ad Episcopos Italiæ, insularumque adjacentium, rel. *in Biblioth. Ferrari* verb. *Semin.* num. 181. Hæc Instructio sub. § 2, num. 7, habet, quod « Se tutta l'entrata consiste nelle distribuzioni non si devono questi canonici astringere al pagamento a proporzione di tutta l'entrata, ma di due delle tre parti della medesima, facendo in questo caso le dette due parti la figura di prebenda, e la terza parte delle distribuzioni secondo la vera intelligenza delle risoluzioni della sagra Congregazione del Concilio. »

[452] Vide not. 451.

49. Capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis Setiæ, Episcopo, dummodo is in cathedrali, vel in capella episcopali pontificalia celebret, et ordines conferat, supellectilia, et alia sacra ornamenta præbere teneri S. C. decrevit, addendo ad mentem [453]: *Terracinen.*, *et Setina*, 14 *decem.* 1771, *dub.* 3, confirmata 9 *maii* 1772.

50. Et quæsito, an idem capitulum, et canonici supellectilia, aliaque ornamenta etiam pro ecclesiæ, et cathedræ episcopalis ornatu, necnon candelas cereas pro ara maxima, dum Episcopus pontificalia exercet, subministrare teneantur? S. C. respondit, quoad supellectilia, et ornamenta cathedræ Episcopalis, ut in tertio, quoad ornatum ecclesiæ affirmative, quatenus adsit, et juxta solitum; in reliquis affirmative: *Ibid.*, *dub.* 4.

51. Idem capitulum, et canonici in solemnioribus diebus, quibus pontificales functiones habentur, levare debent Episcopum ad formam *Cæremoniale Episcoporum* [454], e palatio episcopali, cum vestibus, quibus in choro utuntur, eumque ad cathedralem ecclesiam, et respective in regressu ad dictum palatium comitari: *Ibid.*, *dub.* 6.

52. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ Sanctæ Mariæ del Piano oppidi Montellæ tenentur ad impensam necessariam pro custodienda sanctissima Eucharistia in ecclesiis parochialibus sibi unitis; etiamsi contraria vigeat consuetudo cum animarum præjudicio, et capitulum unionem fuisse extinctivam, et unam ecclesiam parochialem mansisse contenderet: *Nuscana*, 14 *april.* 1764, *dub.* 1, confirmata 24 *novem. ibid.*

53. Et idem capitulum ad integram earumdem ecclesiarum manutentionem adstrictum esse declaratur: *Ibid.*, *dub.* 2.

54. Quum reditus capituli ecclesiæ cathedralis cunctis oneribus implendis impares sint, fuit petita reductio capellarum canonicalium, quæ in diversis ecclesiis cum interventu omnium canonicorum, et cleri peraguntur.

55. Indeque quæsitum fuit, an, et quomodo sit providendum quoad Missas lectas, anniversaria, et capellas canonicales, de quibus fundationum, et redituum derivatio ignoratur? S. C. affirmativum hisce dubiis responsum præbuit juxta votum Card. de Zelada [455], dempta tamen Episcopo facultate reducendi Missas: *Conversa, Reduct. oner.* 27 *junii* 1778, *dub.* 4 et 5.

56. Joannes Baptista, ipsiusque consobrina Matthias Rauli hæredem capitulum, et canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Angeli, quæ erigi in civitate Anagni debebat, instituerunt. Matthias vero superstes evasit; dispositionem quoad onus quotidianum celebrationis trium Missarum ad unam tantum moderavit. Et quum in erectione prædictæ collegiatæ impositum fuerit præter Missam conventualem trium etiam Missarum onus, canonici gravatos esse arbitrantur, precesque fuderunt, sed S. C. distulit responsionem, ut exhibeatur testamentum Joannis Baptistæ, et Matthiæ Rauli, necnon firmetur status utriusque hæreditatis, et doceatur de reditibus, et oneribus capituli: *Anagnina*, 10 *febr.* 1781. Et inde precibus annuit juxta modum [456]: 15 *sept. ejusd. anni.*

57. Capitulum, et canonici parochialis ecclesiæ S. Michaelis Firmi pro rata parte suæ congruæ contribuere tenentur pro utensilium parochialium expensis; nec prior, et subprior curam habentes animarum ad illas expensas coacti sunt: *Firmana*, 6 *sept.* 1783, *dub.* 3.

58. Alatrinus Episcopus sacra Apostolorum Limina visitans exposuit, canonicos cathedralis alternatim inserviendi privilegio gaudere, et quæsivit, num hi tenerentur adesse omnes in cathedrali ecclesia, quuum Episcopus ordinationem statutis a jure temporibus ibi habeat, alternis vicibus privilegio serviendi non obstante? Annuit S. C., et mandavit dari decretum *in Giennen.*, *Celebrat. ordinum* [457]: *Alatrina*, 20 *aug.* 1785, *dub.* 1.

59. Inde arbitrio ejusdem Episcopi pœna pecuniaria tantum coercere renuentes S. C. commendavit: *Ibid.*, *dub.* 2.

§ VIII.

Capitulum ecclesiasticum quoad præcedentiam.

1. Dum S. C. archipresbyterum una cum capitulo S. Mariæ Paganicæ voluit transferre ad aliam intra civitatem Aquilæ constructam ecclesiam, censuit in veteri ecclesia ab extra nuncupata erectionem faciendam perpetuæ vicariæ cum cura animarum. Novo vero vicario concessum fuit, ut in actibus publicis incedere possit stola ornatus, atque uti parochus canonicis, aliisque ipsius ecclesiæ ministris præferri. Jura modo interrupta sibi vindicare

[453] Ut scilicet Episcopus provideat sacrarium ecclesiæ præscriptum in litteris apostolicis: *Ead. causa*, 9 *maii* 1772, § 1.

[454] Vide not. 30, pag. 27.

[455] Vide not. 127, tom. 1, verb. *Anniversaria*.

[456] « Nempe unam tantum Missam lectam esse quotidie celebrandam pro anima fundatorum, præter Missam conventualem. » *Ead. causa*, 15 *sept.* 1781.

[457] 2 aug. 1727, in qua decisum fuit, Episcopum explendo sacram functionem ordinationis generalis, et Missam conventualem pontificaliter celebrando eadem occasione debere assistentiam omnium de choro habere. Vide verb. *Episcopus* § XV, num. 20.

cupiens vicarius hodiernus, congruum proponi curavit dubium, et decretum obtinuit, ut supplicationibus funerum, et rogationum, aliisque, quæ fiunt in terra paganica possit ipse præcedere, et deferre stolam; non vero tam canonicis, et capellanis ab extra, quam archipresbytero, canonicis, et capellanis ab intra ut singulis, dum sunt præsentes, excluso eodem vicario, hoc licere possit: *Aquilana, Præeminent.* 11 *sept.* 1728, *dub.* 2, et causa iterum proposita servari votum Card. Bellugæ S. C. mandavit: 22 *sept.* 1731, *dub.* 1.

2. Quod votum etiam servandum est ad dubium, an tam archipresbytero, canonicis, et capellanis ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ de Paganica ab intra, uti universis, et uti singulis, quam capellanis ecclesiæ S. Mariæ ab extra competat præcedentia in choro quoad vicarium curatum, qui in dicta ecclesia ab extra constitutus est? *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Occasione synodi ab Archiepiscopo Ravennate celebratæ controversia facta fuit inter archipresbyterum, aliosque canonicos ecclesiæ S. Nicolai oppidi Argentæ, et canonicos ecclesiæ B. Mariæ Portus Majoris, qui in solemni supplicatione, quæ pro synodi inchoatione fieri mos est, de præcedentia certarunt. Verum huic postremæ collegiatæ præcedentiam deberi S. C. definivit: *Ravennaten.*, *Præcedentiæ*, 9 *sept.* 1730. Sed e scriniis archivi archiepiscopalis novis documentis eductis, quibus suam vetustissimam collegialitatem capitulum Argentanum probavit, nullumque insuper præcedentiæ capituli Portus Majoris reperiri monumentum, et S. C. sustulit sententiam, et capitulo S. Nicolai Argentæ præcedentiam tribuit: 22 *martii* 1749.

4. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis Terracinæ competit præcedentia in functionibus peragendis cum capitulo cathedralium Privernensis, et Setinæ. Nam antiquiorem illam esse probatur: *Terracinen.*, *Setina, et Privernen.*, 1 *martii* 1766, *dub.* 1.

5. Et eidem capitulo Terracinensi competit jus privativum sedendi ad thronum Episcopi tam a dextris, quam a sinistris in quibuscumque functionibus episcopalibus concurrente simul capitulo Setino, et Privernensi; et hunc honorem semper dicti capituli canonici habuerunt; ideoque non competit jus præfatum capitulo illius ecclesiæ, in qua episcopales functiones, aut per orbem, vel alternatim celebrantur: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Præterea idem jus privativum, ac eadem præcedentia competit super archidiaconum, ac præpositum dignitates Setinas: *Ibid.*, *dub.* 3.

7. In congregationibus casuum post primum locum assignatum capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis a dextris eminentissimi Episcopi, debetur capitulo, et canonicis collegiatæ Sanctissimi Salvatoris primus locus a sinistris ejusdem Episcopi, quod in aliis functionibus post capitulum cathedralis ceteros de choro præcedit: *Fulginaten.*, *Præeminent.*, 14 *decem.* 1782.

§ IX.

Capitulum ecclesiasticum sede episcopali vacante.

1. Capitulum potest ad libitum vicarium alias per se ipsum electum, seu confirmatum juxta dispositionem Concilii Trid. cap. 16, sess. 24 [458] amovere, dum intra octo dies alium constitutit, alioquin ad antiquiorem Episcopo ex suffraganeis metropolitanæ ecclesiæ Panormitanæ devolvi jus deputandi vicarium *Panormitana*, *anni circiter* 1575, *dub.* 1.

2. Nec posse extantibus, vel non extantibus do-

[458] *De Reform.* decernentem « Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum, et proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item officialem seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et, si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana et propinquior Episcopus in exempta œconomum, et vicarium idoneos possit constituere. » Quoad vicarium capitularem præcesserat celeberrimus canon concilii Lugdunensis II, quo cavetur, et vetatur, ne quis ad ecclesiam electus ipsius administrationem, aut regimen ante confirmationem, sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium, pro parte, vel in toto, gerere, vel recipere, vel illi se immiscere præsumat. Huic adstipulantur decretalis Bonifacii VIII, *Injunctæ* in Extrav. inserta, et Constitutiones Summorum Pontificum Alexandri V, Julii II, Clementis VII, Julii III, quæ canonem illum confirmant; quibus dispositionibus Concilium Tridentinum cit. cap. non derogavit, sed supponit ea; quia in dicto capite duo manifeste apparent, nempe officialibus semel constitutis, non ad capitulum amplius, sed apud ipsos exercitium ecclesiastici regiminis residere; et officialem ipsum capitularem personam ab Episcopo promovendo plane distinctam esse oportere. Quam canonicam dispositionem novissime Summus Pontifex Pius VII, in suis litteris apostolicis in forma brevium directis Card. Episcopo Montis Falisci, et vicario capitulari ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ editis diebus 5 novem., et 4 decem. 1810 confirmavit.

ctoribus in capitulo eligere in vicarium, nisi vel œconomum ex dicto cap. 16, sess. 24, [459], vel illos officiales, quos etiam vivente Archiepiscopo capitulum valeret deputare: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Censuit insuper S. C. necessario eligendos esse doctores, vel licentiatos, si in capitulo adsint, alias sufficere, quod unus eligatur, qui sit, quantum fieri poterit, idoneus: *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Et substitutio facienda propter absentiam vicarii, vel aliorum officialium spectat ad vicarium: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Et capitulum potest facta remotione vicarii, vel aliorum officialium per se ipsum eosdem vicarios, et officiales ad reddendam rationem suæ administrationis cogere, eosque pro culpa punire, non expectato novo Prælato; non tamen impediri futurum Archiepiscopum, quin ex dicto decreto Concilii cap. 16, ab eisdem exigat rationem eorum actionum, quas sede vacante fecerint, et eos punire; etiamsi a capitulo fuerint absoluti: *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Ad dubium propositum, an capitulum possit alium vicarium ad visitandam diœcesim eligere? S. C. rescripsit, capitulum non posse eligere visitatorem ad visitandam diœcesim absque vicario: *Messanen.*, *anni* 1581, *dub.* 1.

7. Ad dubium, an sede vacante capitulum possit unire beneficia vacantia isto medio tempore ad seminarium? non posse respondit S. C. in *Salernitana, julii* 1589, *dub.* 7.

8. Et quæsito, an si dicta beneficia unita etiam sede vacante possessore caruissent, possit capitulum dicto seminario incorporare, et pro rata parte levare dictum capitulum, et clerum? posse resolvitur: *Ibid.*, *dub.* 8.

9. Jus esse capitulo sede episcopali vacante revocare ad libitum vicarium a se constitutum, dum tamen intra octo dies alium constituat, resolvitur: *Taurinen.*, 2 *julii* 1592, *dub.* 1.

10. Debere eum uti sua jurisdictione, ceterum quoad visitandi facultatem Trid. Concil. hac in re nihil novi juris induxisse, sed reliquisse in illis terris, in quibus id erat ante Concilium, firmatur: *Ibid.*, *dub.* 2.

11. In sessionibus, et aliis actibus honorandum, et præferendum esse, quemadmodum vicarius Episcopi honorandus, et præferendus est, existimatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Secundum ea, quæ proponuntur censuit S.C. sede episcopali vacante capitulum post lapsum annum a die ultimæ visitationis per Episcopum factæ posse clericum provinciæ de Guipuezcoll tempore triennii non expectato visitare: *Pampilonen.*, 3 *febr.* 1629.

13. Capitulum sede vacante tunc posse visitare diœcesim, quando lapsus est annus a postrema Antistitis prædefuncti visitatione, nec de proximo ecclesia est de pastore providenda. In ipsa vero visitatione circa famulatum, equitatum, et alia, formam Conc. Trid. in cap. 3. sess. 24, *de Ref.* [460] esse præcise observandam: *Limana*, 10 *martii* 1629, *dub.* 1.

14. Censuit S. C. capitulum post lapsum annum a die ultimæ visitationis per Episcopum factæ, non spectato triennio, posse sede episcopali vacante, loca, quæ Episcopus vivens visitare posset: *Pampilonen.* 13 *april* 1630.

15. Exorto inter capitulum, et vicarium capitularem dissidio; an ex sacro Concilio electio in concursibus ecclesiarum parochialium vacantium spectaret ad ipsum capitulum, seu ad dictum vicarium? S. C. respondit electionem in concursibus ecclesiarum parochialium vacantium spectare ad capitulum ob reservationem sibi factam in deputatione vicarii capitularis: *Bellunen.*, 18 *novem.* 1651.

16. Vacante ecclesia suffraganea, capitulo carente, illius administrationem, et vicarii deputationem ad Metropolitanum spectare statutum fuit: *Dubium administrationis ecclesiarum.* 28 *aug.* 1683, *dub.* 1. Et adducta consuetudine, ac constitutione provincialis concilii in favorem suffraganei antiquioris tamen confirmatur decretum: 14 *april.* 1685.

17. Et casu, quo metropolitana ecclesia careat pastore, ad capitulum ejusdem ecclesiæ metropolitanæ, non ad antiquiorem suffraganeum Episcopum spectare fuit judicatum: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

18. Propositis dubiis ab Archiepiscopo Mexicano: An provisores, vicariique generales a capitulis, sede vacante, deputati valeant dispensare in gradibus prohibitis ad matrimonia contrahenda? et quatenus negative,

19 Quomodo consulendum matrimoniis jam contractis cum hujusmodi dispensationibus?

20. An dicti provisores, et vicarii generales a capitulis, sede vacante, deputati valeant concedere dispensationem super defectu natalium ad ordines suscipiendos?

21. An iisdem valeant dispensare irretitos eodem

[459] Vide not. 458.

[460] Ubi inter cetera legitur: «Monentur prædicti omnes, et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere.

defectu natalium ad obtinenda beneficia curata? S. C. rescripsit, ut Archiepiscopus procedat prout de jure, et scribatur nuntio apostolico, ut moneat captitulum, ejusque vicarios, ne tempore sedis vacantis sese immisceant in ordinibus, ac dispensationibus hujusmodi: 30 *aug.* 1704, *dub.* 1, 2, 3, et 4. Postmodum negativum ad primum dedit responsum; secundi resolutionem protelavit; ad tertium annuit quoad minores ordines tantum; negativam ad quartum præbuit responsionem: *Mexicana*, *Visitat. sac. Liminum,* 28 *januar.* 1708.

22. Sede archiepiscopali vacante capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis oraculum S.C. postularunt super hisce dubiis, an capitulum, sede vacante, revocare possit licentias audiendi confessiones ab Archiepiscopo defuncto regularibus sine limitatione temporis concessas?

23. An possit ipsos regulares novo examini subjicere?

24. An revocare possit licentias prædictas ab Archiepiscopo defuncto ad beneplacitum concessas?

25. An revocare possit licentias prædictas, seu expiratas declarare ab Archiepiscopo defuncto regularibus concessas cum limitatione temporis, finito tempore, sede vacante?

26. An regulares cogere possit, ut coram capitulo, sive vicario capitulari exhibeant facultates, quas habent ad confessiones audiendas, ut ab eodem recognosci valeant an sint veræ, necne?

27. An capitulum coercere possit per censuras regulares contumaces in eventu, quo contra ipsos procedere possit in casibus prædictis? Ad singula S. C. respondit, audiendos regulares in omnibus: *Ulissiponen*, *Dubiorum*, 12 *maii* 1714, *dub.* 1, 2, 3, 4, 5 et 6.

28. Capitulo metropolitano facultas competit recipiendi recusationes vicarii capitularis sede vacante per diœcesanos Turritanos propositas, seu proponendas, et quoque respective deputandi arbitros ut admittantur, seu rejiciantur causæ earumdem recusationum: *Turritana*, 16 *decem.* 1724, *dub.* 2, confirmata 13 *januar.* 1725.

29. Et præfato capitulo ecclesiæ metropolitanæ licitum fuit recipere suspiciones, seu recusationes ejusdem vicarii coram ipso propositas per P. Antonium Murgiam rectorem ecclesiæ parochialis de Osilo: *Ibid.*, *dub.* 3. Inde vero recessit a decisis: *Ibid.*

30 Margarita Leite de Figueredo capellam, sive ædiculam B. Joannæ principissæ Portucalliæ fundavit, propriisque bonis dotavit. Sepulcrum sibi uti patronæ, et successoribus suis ibi retinere fuit concessum. Quæritur modo, num esset concedenda exemptio hujus patronalis capellæ, Portucallensi sede episcopali vacante a jurisdictione capituli, cum subjectione immediate sanctæ Sedi Apostolicæ, ejusque nuntio pro tempore in regno Portucalliæ degenti? sed id quæritur incassum: *Portucallen.*, 11 *januar.* 1727, *dub.* 7.

31. Omnis jurisdictio in casu absentiæ archidiaconi a civitate, vel diœcesi, sede vacante, vices Episcopi gerentis capitulo cathedralis adjudicatur a S. C., non ejusdem archidiaconi coadjutori: *Gerunden.*, *Jurisdict.*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 5, confirmata, 28 *martii* 1733.

32. Ecclesia collegiata S. Mariæ *della Rotonda* oppidi Lucronii insignitatis indultum a Benedicto XIII, Pont. Max., Episcopo annuente, et S. C. votum dante obtinuit. Hinc capitulum ejusdem non posse, nec debere visitationi, sede Episcopali vacante, subjici capituli Calaguritani, aut ejus vicarii capitularis jactavit. Sed capitulum cathedralis ad S. C. confugit, et oris aperitionem adversus insignitatis breve tanquam obreptitie impetratum primum inutiliter habere tentavit; assequutum est tamen declarari visitandi jus ecclesiam S. Mariæ prædictam ejusque dignitates, canonicos, et presbyteros sibi competere: *Calaguritana*, *Juris visitandi*, 30 *sept.* 1730, *dub.* 2.

33. Consuetudinem in sua diœcesi jam introductam esse exponit Guadalaxarensis Episcopus; nempe statim ac morte fungitur Episcopus, capitulum edictum edit, et ad totam diœcesim mittit, quo licentias prædicandi, et confessiones audiendi ab Episcopo prædefuncto concessas revocat, et simul titulos capellanorum ab eodem tributos, interim ac capellani proprietarii ad sacrum presbyteratus ordinem non promoventur, etsi pro tempore voluntatis suæ. Quumque hoc sacrorum canonum dispositioni ne quid, sede vacante, innovetur, prohibenti adversari diceret Episcopus; postulat declarari an sit hæc consuetudo toleranda; et an, et quomodo sit providendum? responsum exiit: Dilata ad mentem: *Guadalaxaren.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 5 *martii* 1735, *dub.* 1 et 2.

34. Capitulum ecclesiæ cathedralis non potest sede vacante post electum vicarium in spiritualibus, et temporalibus deputare alium toties quoties sibi placuerit ad aliquid faciendum in exercitio jurisdictionis translatæ, ipsam jurisdictionem reassumendo: *Elven.*, *Jurisdict.*, 1 *decem.* 1736, *dub* 1.

35. Nec potest idem capitulum per seipsum dare subditis litteras testimoniales, vel reverendas ad ordines suscipiendos, sed dari per vicarium generalem capitularem debent: *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Nequit item capitulum in deputatione vicarii capitularis dare jurisdictionem limitatam, nec in hoc casu attendi consuetudo regni Lusitaniæ valet: *Ibid.*, *dub.* 3.

37. Pariter minime potest capitulum præbere

subditis testimonia de vita, et moribus per seipsum, sed dari a vicario capitulari illa debent: *Ibid.*, *dub.* 5.

38. Nequit insuper idem capitulum vicario capitulari jubere, ut hujusmodi testimonia tradat, sed ab arbitrio ipsius vicarii capitularis pendere debet: *Ibid.*, *dub.* 6.

39. Denique capituli arbitrii concursus parochialium non est; sed arbitrium vicarii capitularis ad formam juris intervenire, neque in præsentia capituli concursus fieri, neque attendi regni consuetudo debet: *Ibid.*, *dub.* 7.

40. Capitulum tempore sedis vacantis suspendere nequit, nisi in casibus, in quibus procedi potest auctoritate ordinaria, a celebratione, concionibus, et confessionibus usque habendis regulares approbatos ab Episcopis prædefunctis: *Insularum Canariæ, Jurisdict.*, 31 *julii* 1694, *dub.* 2, confirmata 13 *novem. ejusd. anni*, *dub.* 1.

Reliqua. Vide *Vicarius capitularis*, § III.

§ X.

Capitulum ecclesiasticum quoad servitium chori.

1. S. C. non probavit modum servitii, quod huc usque dignitates, canonici, et capellani ecclesiæ cathedralis præstare consueverunt, verum ex quadam æquitate censuit Episcopum connivere posse: *Viterbien.*, 15 *martii* 1631, *dub.* 1.

2. Dubio disceptato, an tempore, quo divina officia celebrantur in choro, vel anniversarium, vel cantantur horæ, si canonici, seu alii præbendati Missam celebrent, habeantur pro præsentibus ad effectum lucrandi emolumenta, et distributiones ratione horæ, et anniversarii? rescriptum fuit, canonicos, seu alios præbendatos prædicto tempore Missas planas celebrantes, non lucrari distributiones quotidianas, nec emolumenta, nisi illa hora ad celebrandum Missas ab eo, ad quem petinet, compulsi, aut jussi fuerint: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 12.

3. Censuit S. C. petitam facultatem recitandi matutinum post completorium præcedentis diei esse concedendam arbitrio tamen Episcopi, et dummodo lapsa sit saltem tertia hora post meridiem: *Mutinen.*, 12 *novem.* 1644.

4. Decanus, et canonici collegiatæ S. Michaelis in Foro Lucano supplicarunt pro alternativa sex mensium exemptione a choro instar cathedralis, et duarum collegiatarum urbis, et ad evitandum quodlibet ecclesiæ detrimentum obtulerunt cum propriis distributionibus augere alios octo capellanos; S. C. commisit Card. Episcopo, ut veris existentibus narratis, et accedente consensu illorum de Lillis assertis patronis, ac postquam compererit ex octo capellanarum erectione noviter facienda, et eisdem inservientium sacerdotum augmento, majus ecclesiæ servitium, et cleri, et populi commoditatem fore cessuram, petitam facultatem alternatim per sex menses in posterum choro, et divinis officiis ejusdem collegiatæ inserviendi, dummodo vere intersint, pro suo arbitrio, et prudentia oratoribus impertiatur: *Lucana*, 25 *sept.* 1694, confirmata 15 *januar.* 1695.

5. Supplicantibus decano, et canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis in foro pro exemptione sex mensium alternatim a choro instar cathedralis, aliarumque collegiatarum, et alios octo capellanos augendi ex propriis distributionibus deferentibus, S. C. annuit: *Lucana*, 15 *januar.* 1695.

6. Dubio, an taxa punctaturarum facta ab Episcopo capitulo ecclesiæ cathedralis ad rationem obolorum trium pro qualibet die sit servanda, seu moderanda, et in qua summa? tribuit S. C. responsum, servandam esse pro nunc taxam Episcopi, et interim firmandum statum singularum præbendarum, et videndum super breve Pauli II, Pont. Max.: *Civitatis Castellanæ*, *Punctaturarum*, 25 *junii* 1697.

7. In causa, in qua agebatur de canonicis, qui inserviebant diebus dominicis, et aliis festis solemnioribus, et ceteris diebus inserviebant per vices, licet die 29 *nov.* 1698, *dub.* 1, reprobatum fuerit hujusmodi servitium; spectata nihilominus præbendarum tenuitate, quæ erant in duc. 50 annuis, quoad canonicatus, et in duc. 100 quoad dignitates, S. C. servitium per mediarias toto anni tempore ex gratia indulsit, id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, matutino, et omnibus horis interesse valeant, ita tamen, ut diebus dominicis, et festis de præcepto, tempore Adventus et Quadragesimæ, ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. Christi, ac sanctissimi Corporis Christi ultra medietatem capitularium, qui non erunt de servitio, Missæ, et vesperi inservire teneantur: *Catacen.*, *Servitii chori*, 5 *sept.* 1699.

8. Ob aeris intemperiem tolerari potest, ut matutinum non ab ortu solis, sed per horam integram post solis ortum incipiat; quemadmodum respondit S. C. in favorem capituli collegiatæ ecclesiæ civitatis Foggiæ: *Trojana*, 14 *febr.* et 14 *nov.* 1699.

9. In cathedrali Arianensi viginti aderant canonici, sex hebdomadarii, qui supplicarunt S. C., ut alternatim inservire possint, et Episcopus de aeris nimia rigiditate, de habitualibus infirmitatibus, quibus nonnulli canonici afficiuntur, perhibet testimonium; hinc S. C. hoc illis largita est cum clausula sequenti; ita tamen, ut capitulares omnes tempore

Adventus, et Quadragesimæ, omnibus diebus festis, et solemnioribus Nativitatis, et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, et Sanctissimi Corporis Christi, et per totam octavam ejusdem, et aliis temporibus Episcopo benevisis interesse, et jugiter inservire teneantur : *Arianen.*, 12 *dec.* 1699.

10. Postquam de mandato S. C. jusserat Episcopus, omnes tum canonicos, tum beneficiatos ecclesiæ cathedralis omnibus horis canonicis interesse debere, ac insuper partem tertiam fructuum in distributiones converti ; capitulum provocavit ab hoc decreto, prætendentibus canonicis eos teneri solum matutinis horis, et, ut vocant, magnæ Missæ, ac vesperis diebus festivis interesse. Deinde convenerunt canonici cum benficiatis assignanda tenuissimam distributionem pro matutino, et laudibus, et aliis parvulis horis, ut absque gravi jactura abesse possint. Hanc vero transactionem, S. C. requisita, adversari decretis sacri Concilii [461], et propterea non esse servandam definiit, et ut Episcopus provideat ad formam sacri Concilii [462] : *Cavallicen.*, *Residentiæ, et distributionum*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 1.

11. Dubio exhibito, an decretum, seu statutum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ urbis Altamuræ anno 1604, factum, et confirmatum a Joanne Baptista Masseo vicario apostolico, et delegato a S. C. de inserviendo alternis vicibus sit exequendum? petitur a viciniori melior informatio juxta instructionem : *Nullius, Altamuræ, Residentiæ*, 5 *maii* 1703.

12. Funditus per terræmotum anni 1688 eversa ecclesia cathedrali, universitas in ampliorem formam, et meliorem e fundamentis iterum ædificavit, inde obtinuit a S. C., ut canonici denuo officia divina in eadem ecclesia persolverent. Sed quum plura, quæ ad necessitatem, et ornatum occlesiæ pertinent, perfici deberent, præsertim tectum cooperire, ac fenestras vitreis specularibus muniri, ubi divina officia celebrantur ; hinc postulatum fuit, an canonici ecclesiæ cathedralis teneantur redire, et quotidie officiare in eadem, et quatenus affirmative ; an, et quomodo sint cogendi? responsum ad primum prodiit affirmativum, ad secundum, ut cogantur ad formam Concilii [463], et Ordinarius certiorem de exequutione S. C. faciat : *Aliphana*, *Residentiæ*, 24 *januar.* 1703, *dub.* 1 et 2.

13. Publico edicto Episcopus sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ servari mandavit decretum anni 1702 a S. C. Rituum editum, quo sancitur, ut soli canonici cathedralis ecclesiæ versiculos, et responsoria ad legile recitaturi descendere teneantur, et eodem edicto, ut dignitates, et canonici bini bini accedant ad chorum. Interrogata S. C. de validitate hujusmodi edictorum, protelata fuit definitio, suspensis interim pœnis suspensionis ipso facto incurrendæ usque ad exitum causæ : *Sarnen.*, 16 *maii* 1705, *dub.* 1. Deinde respondit, ut deletis pœnis suspensionis, et interdicti, reformentur edicta juxta modum [464] : 27 *junii ejusd. anni.*

14. Per edictum valvis sacrarii ecclesiæ cathedralis affixum vicarius generalis prohibuit, ne tempore divinorum officiorum, aut Missæ conventualis dignitates, et canonici a choro Missas celebraturi discedant sub pœna duplicis punctaturæ, et a divinis suspensionis. De hujusce edicti validitate consulta S. C., validum non esse, sed reformandum juxta modum [465] declaravit : *Ortonen.*, 27 *febr.* 1706.

15. Capitulum, et canonici collegiatæ, et parochialis ecclesiæ Sanctissimæ Annuntiatæ *Vallatæ* nuncupatæ oppidi Pedemontis, qui ab immemorabili non habuerunt quotidianam officiaturam, præter unam in hebdomada majori, octava sanctissimi Corporis Christi, in singulis diebus festivis, et Episcopus in visitatione eos teneri ad quotidianum servitium declaraverat, ad illud non adstrictos esse pro nunc decrevit S. C. [466] Nam consuetudinem, redituum tenuitatem, ac parvum sex canonicorum numerum, quorum duobus animarum cura incumbit, canonici exposuerant : *Aliphana*, *Servitii chori*, 12 *febr.* 1707.

16. Episcopus Aliphanus semel, iterumque in visitatione decrevit, ut canonici collegiatæ ecclesiæ S. Crucis terræ Pedemontis quotidie in eadem ecclesia divina officia persolvere teneantur, ac ad il-

[461] Vide not. 101, verb. *Canonici* § 3.

[462] Vide not. ut supra.

[463] Vide not. 217, verb *Canonici* § 11.

[464] Nempe, primo quoad descensum canonicorum ad legile apponendam esse pœnam punctaturæ. Secundo, canonicos in solemnioribus tantum diebus teneri accedere binos binos per medium ecclesiæ ad chorum. Tertio, decendum esse onus deferendi cingulum supra vestem talarem. Quarto reformandam esse præscriptam latitudinem coronæ. Lib. 55, *Decret.* pag. 233.

[465] Videlicet, ut tempore divinorum officiorum nullus discedat a choro ad Missam celebrandam, nisi vocatus fuerit a sacrario, et licentiam obtinuerit a præfecto chori sub pœna amissionis distributionis pro illa hora ; et quatenus aliquis sit contumax, mulctetur pro prima vice pœna dupli ; crescente vero pertinacia, aliis pœnis pecuniariis arbitrio Ordinarii, non tamen suspensionis : Relat. *in Salernitana*, *Edictorum*, 27 sept. 1732, § 16.

[466] « Quæ resolutio non fundatur in prætensa consuetudine, quia ejus probatio non fuit judicice facta, sed solummodo in tenuitate redituum ; qui cum augeri possint, ideo fuit dictum *pro nunc.* » Ita Card. Petra *Comment. ad Const. VII*, *Innoc. IV*, sect. 2, num. 31, tom. 3. pag. 42.

lud servitium chori devincti sunt ex pia dispositione Jacobi de Abbraccia, qui eam collegiatam hæredem instituit. E contra canonici causa redituum exiguitatis servitii reductionem obtinuisse usque ab anno 1702, nec fundationem, nec consuetudinem eis repugnare autumant. Re in S. C. deducta, eos non teneri quotidie officiare, sed servari reductionem ab Episcopo factam anno 1772 auctoritate S. C. ejusdem decretum est : *Aliphana*, *Servitii chori*, 17 *dec.* 1707.

17. Exhibita hæc fuerunt dubia ; an tabella horaria ab Episcopo præscripta sit servanda a canonicis ecclesiæ Suessanæ ; seu sit servanda antiqua horaria dictæ ecclesiæ? et rescriptum fuit, ut Card. Sperellus novam conficiat tabellam ex integro : *Suessana*, *Tabellæ horariæ*, *et servitii chori*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 1.

18. An in eadem ecclesia sint recitandi psalmi graduales, pœnitentiales, officium B. M. V., ac defunctorum in diebus designatis a rubricis breviarii? et respondit S. C., ad formam bullæ B. Pii V [467] : *Ibid.*, *dub.* 2.

19. An vesperæ, ac hora tertia cantari debeant etiam in diebus ferialibus, et non festivis de præcepto? servari decretum S. C. Rituum [468] mandatur : *Ibid.*, *dub.* 5.

20. Volens Episcopus consulere servitio chori ecclesiæ suæ cathedralis in visitatione anni 1705 decretum edidit sub pœna unius ducati pauperibus applicandi, ut omnes canonici servire tenerentur cunctis diebus dominicis, et festis de præcepto, totoque Adventus, Quadragesimæ, et octavæ Corporis Christi tempore, aliisque vero diebus, saltem pars eorum dimidia. Huic decreto canonici obloquuti sunt, ob prætensam consuetudinem sese esse gravatos putantes. Sed S. C. servari decretum Episcopi mandavit, confirmavitque ; postmodum vero recessit a decisis, et servari decretum S. C. Episcoporum, et Regularium *diei* 26 *sept.* 1596 [469], et quoad pœnam servari solitum ecclesiæ judicavit : *Castellanelen.*, *Servitii chori*, 16 *martii* 1709.

21. Posteaquam a S. C. fuerat definitum canonicos ecclesiæ cathedralis teneri quotidie officiare in eadem ecclesia, dicti canonici facultatem deserviendi per mediariam nempe ex duodecim sex pro qualibet hebdomada petierunt. Pars enim major habet domicilium in oppido Pedemontis ad tertium ab urbe lapidem. S. C. autem instantiam rejecit, et inde ea repetita, in eadem sententia mansit : *Aliphana*, *Servitii chori*, 27 *april.* 1709.

22. Capitulum, et canonici omnes collegiatæ S. Euphemiæ loci Insulæ tenentur singulis dominicis, et festivis diebus horas canonicas canere in eadem ecclesia, quamvis stationes in aliis ecclesiis dictæ Plebis contingant : *Comen.*, *Servitii chori*, *et expensarum*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1. Causa inde reproducta, capitulo instante, suspensa definitio fuit, et interim non retardetur exequutio omnimoda decretorum S. C. : 9 *april.* 1712. Et demum confirmatæ fuerunt conciliares resolutiones : 6 *aug.* *ejusd. anni.*

23. Et ad id cogendi juris remediis sunt : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

24. Prædictum capitulum, ac canonici tenentur quoque singulis diebus Quadragesimæ, et Adventus etiam interesse omnibus horis canonicis sub pœnis a jure indictis : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

25. Exploratum quum fuisset a capitulo colle-

[467] Const. *Quod a nobis*, 9 julii 1568 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 22) in qua § 9, S. Pius V, Pont. Max., interpretatione declarans ea, quæ in rubricis continentur circa officium B. Virginis, defunctorum, psalmos pœnitentiales, et graduales, sanxit, onus ejusmodi non immutari pro illis, qui breviario recenter ipsius jussu in novam formam redacto nequaquam uterentur. Reliquos autem, qui novum breviarium sibi deligerent, si choro interesse deberent, vehementer hortatur, ne memorata officia, et psalmos prætermitterent iis diebus, qui a rubricis indicantur ; atque hoc consilium, et institutum sequentibus varias indulgentias impertivit ; eos vero, qui id omitterent, peccati periculo liberos, et immunes asseruit nisi forte officium B. Virginis veteri consuetudine recitari in aliqua ecclesia consueverit. Ceterum rubricæ in choro recitandum officium parvum B. Virginis præscribunt illis diebus, quibus feriale officium, vel ritus simplicis jubetur, non tamen in pervigilio Natalis Domini, neque in feriis majoris hebdomadæ, neque sabbato, si officium S. Mariæ in sabbato contingat. Officium defunctorum esse in choro persolvendum singulis secundis feriis Adventus Domini, et Quadragesimæ ; nisi tunc officium novem lectionum proponatur, aut feriæ majoris hebdomadæ celebrentur. Insuper idem officium prima die cujuscumque mensis indicitur, nisi officium novem lectionum id impediat ; tunc enim in aliam minime impeditam illud transfertur. Psalmi graduales feria quarta, pœnitentiales feria sexta tempore Quadragesimæ, quoties officium de feria contigerit, sunt recitandi : S. C. Rituum, 2 sept. 1741, sic expresse declaravit : « persolventes divinum officium extra chorum non tenentur ad psalmos graduales, nec pœnitentiales, nec ad officium parvum B. M. V. defunctorum ; quæ quidem officia, et psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro. » Vide Bened. XIV. *Instit. Eccl. CVII* § 1, num. 8, seqq. tom. 11, pag. 747.

[468] Haud in libris decretorum S. C. Rituum inveniri potuit decretum pro solutione exhibiti dubii ; attamen resolutum ab eadem S. C. habetur *in Eginatensi*, 24 *novem.* 1602, hisce verbis, » canonicos ex decentia debent alta voce cantare in choro, et Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. »

[469] Frustra commentaria authentica S. C. Episcopor. et Reg. pervestigata fuerunt pro hujus dubii declaratione ; sed videndum est decretum *in Catacen.* § præsenti, num. 7.

giatæ S. Euphemiæ loci Insulæ; an in posterum punctaturæ juxta decretum visitationis Episcopi anni 1707 sit moderandus, vel quomodo? rescriptum prodiit affirmativum: 14 *nov.* 1711, *dub.* 2, confirmata 6 *aug.* 1712.

26 Postulante Episcopo Triventino, an in ecclesia sua cathedrali sint recitandi psalmi graduales, pœnitentiales, ac officium defunctorum in diebus præscriptis a rubricis breviarii? S. C. ut dentur decreta [470] præcepit: *Triventina*, *Visitat., sacr. Liminum*, 18 *julii* 1711.

27. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ Otriculi consueverat, uti enunciatur in actibus visitationis Episcopi Castelli, choro festivis tantum diebus interesse, in hisque horis diurnis. S. C. vero dictum capitulum inservire ad formam Concilii [471] coegit; subinde ipso reclamante, discussa causa servitium chori arbitrio Episcopi fuit commendatum, qui servitii modum exhibuit. Sed nonnulli canonici consulere S. C. exoptarunt; an servitium ecclesiæ prædictæ sit moderandum ad formam Concilii [472], vel juxta modum ab Episcopo Castello præscriptum? vel quomodo? et responsum ad mentem [473] tulerunt: *Narnien., Servitii, et punctatur.*, 14 *april.* 1714, *dub.* 1.

28. Insuper decidit S. C. archipresbyterum, ac canonicos ejusdem ecclesiæ tam antiquæ, quam modernæ fundationis absentes a chori servitio, punctaturarum solutioni pro summa ab Episcopo Picarello taxata, obnoxios esse: *Ibid., dub.* 2.

29. Et illas punctaturas intervenientibus applicandas esse voluit: *Ibid., dub.* 3.

30. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis injuncta obligatione Missam conventualem applicandi quum antea dumtaxat celebrarent, in posterum perseverare in recitatione nocturni mortuorum, et in celebratione Missæ cum cantu cum applicatione prima die cujuslibet mensis non impedita pro benefactoribus, tenentur: *Ferrarien.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 4.

31. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis num debeant observare horarium ab Episcopo præscriptum pro recitandis horis canonicis, et sacris functionibus absolvendis? S. C. requisita ad mentem [474] rescripsit: *Sancti Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 1.

32. Ac debent dato assueto signo per sonitum tintinnabuli pro recitatione officii expectare accessus Episcopi juxta modum insinuatum ab Episcopo Besidiæ in sua relatione: *Ibid., dub.* 5.

33. Deinde dicto capitulo, et canonicis injungitur onus cantus Gregoriani in recitandis horis canonicis juxta modum pariter insinuatum ab Episcopo: *Ibid., dub.* 6.

34. Et ab eodem capitulo, et canonicis servitium chori per hebdomadam est præstandum: *Ibid., dub.* 7.

35. Quoad capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis prodiit hæc resolutio, absentes a civitate, et ab ejus suburbiis non posse sese invicem substituere in chori servitio: *Fulginaten.*, 31 *maii* 1721.

36. Capitulum ecclesiæ cathedralis continuum habet chori interventum, excluso etiam beneficio mensium conciliarium, supplicarunt propterea, ut eis concederetur alternatim inserviendi facultas, ut nempe una dignitas, sex canonici, et duodecim hebdomadarii choro adessent, et altera hebdomada altera dignitas alii sex canonici, et iidem duodecim hebdomadarii eidem choro interessent, et sic per vices. Exemplum exhibuerunt cathedralis Arianensis, et ad formam hujus resolutionis [475] canonici gratiam assequti sunt: *Isernien.*, 26 *junii* 1721.

[470] Giraldi *Exposit. Jur. Pontif.* part. 1, pag. 436, ait: « Cum vero præter recitationem horarum canonicarum præscribatur a rubricis choro addictis etiam recitatio certis diebus officii B. Virginis, defunctorum, psalmorum pœnitentialium, ac gradualium, certum est, ad eam non teneri extra chorum, ut ex decreto S. Rituum Congr. 2 sept. 1741 *in Aquen.* (rel. inter decret. S. Rit. Congr. Romæ 1768 apud Carolum Barbiellini edita num. 1113). Imo nec in choro sub peccati periculo, excepto officio parvo B. Virginis, ubi dici consuevit, ut ex Constitut. S. Pii V, mox transcribenda, in qua, ubi non est consuetudo ad hoc recitandum cogi non possunt, ut declaravit Cong. Episcop. et regul. 18 martii 1587 per hæc verba *Canonicos deberi hortari ad recitandum in choro officium B. Virginis, non autem cogi, ubi non est solitum*, neque addendum est dictum decretum, prout mendose refertur a Crispino in *Visitat. pastor.* part. 2, § 20 (num. 30), cum solo verbo cogi, cum ibi legatur tantum, *hortari*, non cogi, qui error in causa fuit quibusdam Episcopis litis instituendæ contra canonicos, in qua propterea succubuerunt, ut videre est in folio Congr. Conc. in causa Montis Alti, 28 sept. 1754. » Pariter in causa Firmana dubio an canonici cogi possint ad recitationem in choro statutis diebus officii Beatæ Mariæ Virginis, et defunctorum psalmorum quæque pœnitentialium, atque gradualium juxta rubricæ breviarii romani, constitutiones synodales, et consuetudinem firmanæ diœcesis? S. Rituum Congr. decrevit die 11 junii 1756 *non esse cogendos*: rel. *inter Decret auth.* cit. num. 1510. Vid. not. 467.

[471] Vide not. 108, verb. *Beneficiatus* § 9.

[472] Vide not. ut supra 108.

[473] Et mens est, ut Episcopus conniveat, quod servetur decretum Episcopi Castelli, nec non hortandos tantum esse canonicos quoad dies Sanctissimæ Conceptionis, et S. Joannis Baptistæ: *Ead. causa*, 14 *april.* 1714, *dub.* 1.

[474] Mens fuit, ut Episcopus in sua ecclesia cathedrali servari curet horarium ecclesiæ Bisianensis. *Regist. lit.* lib. 25, *die* 13 *april.* 1720.

[475] Vide num. 9, præsenti §.

37. In capitulo ecclesiæ cathedralis constante tribus dignitatibus, et canonicis, octo ex his pro tertia quaque hebdomada choro intersunt exceptis diebus dominicis, et festis, in quibus omnes Missæ, et vesperis assistunt, et servitium diebus feriatis minus solemni ritu absolvunt. Consuetudinem hanc reprobans Episcopus publicavit edictum, quo omnes canonicos adstrinxit ad interveniendum quotidie choro, et præesse omnibus horis canonicis, et Missæ. Allegavit capitulum modicam redituum perceptionem 36 ducatorum pro tanto onere, et moderari decretum illud postulavit; sed moderandum quippe quoad turnariæ divisionis deletionem, et in reliquis sustineri, resolutum fuit : *Anglonen., et Tursien.*, 2 *octob.* 1725.

38 Venerabilis Dei servus Cardinalis Bellarminus in constitutionibus quas edidit pro regimine novæ cathedralis, quæque subinde fuerunt auctoritate apostolica confirmatæ decrevit, ut matutinum officium in posterum diceretur mane circa vel non diu post solis ortum. Quum autem ecclesia illa sita esset in cacumine montis, et tempore brumali, valetudinis tuendæ causa canonici se a choro abstinuerunt, hinc supplicarunt, ut eis facultas indulgeretur illas de sero recitandi, et obtinuerunt, ut a die immediate sequenti post festum Ephiphaniæ usque ad diem Cinerum exclusive de sero horas matutinas, et laudes recitare valerent. Rediit modo ad novum examen causa canonico Francisco Xaverio Ægidii instante, et confirmatum fuit decretum : *Montis Politiani*, 26 *novem.* 1725, *dub.* 1.

39 Capitulum, et omnes canonici cathedralis ecclesiæ Sanctæ Severinæ vigore donationis expletæ ab Archiepiscopo Berlingerio, et si teneatur quotidie interve...re servitio ecclesiæ, quum post donationem ob gratum animum quotidie inserviissent, tamen est indulgendum ei, ut possit alternatim, facta divisione per vices, et hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimæ, Rogationum, aliisque Vigiliis, et omnibus diebus festivis : *Sanctæ Severinæ*, 13 *julii* 1725.

40. Capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis Episcopus potest cogere occasione functionis ordinationum in altari majori ecclesiæ cathedralis explendæ, ut præveniant, vel posthabeant horam consuetam pro horis canonicis, et Missa conventuali, dummodo spatium unius horæ, præter consuetas horas non excedant : *Giennen.*, *Celebrationis ordinum*, 2 *aug.* 1727, *dub.* 3 et 8.

41. Postulatum fuit; an sustineatur edictum Episcopi modum accedendi ad chorum præscribens causa horas cononicas recitandi a capitulo, et canonicis suæ ecclesiæ cathedralis, sitque observandum, sive consuetudo, ac idem edictum moderandum? et rescriptum est, esse in diebus solemnioribus edicto obtemperandum : *Acerrarum*, 23 *aug.* 1727, *dub.* 9.

42. Deinde ad dubium, an dicti canonici præter horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V., et psalmos pœnitentiales, gradualesque, seu consuetudo servanda? servandam esse consuetudinem S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 12.

43. Nec non censuit, præcepitque S. C., ut capitulum præfatæ ecclesiæ quotidie inserviat : *Ibid.*, *dub.* 13.

44. Quam tabellam horariam ab Episcopo Pompeio Sarnelli confectam per viginti annos, eo vivente capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis servare noluissent, Episcopus successor ad observantiam tuendam nonnullis refragantibus canonicis ingressum ecclesiæ interdixit. Disputari hinc in S. C. curavit, num tabella horaria per Episcopum Sarnellium facta sit servanda, et quatenus negative, quomodonam sit providendum? S. C. remisit resolutionem ad Card. Zondadarium pro confectione novæ tabellæ : *Vigilien.*, *Interdicti*, 16 *decem.* 1730, *dub.* 1 et 2.

45. Horas canonicas a capitulo ecclesiæ Salernitanæ cum cantu ad formam Concilii [476] esse persolvendas S.C. placitum esse definire : *Salernitana*, *Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 13.

46. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis concessum fuit ex gratia, ut considerata redituum tenuitate, qui in solis distributionibus consistunt, per mediarias ad formam rescripti *in causa Catacen.*, *Servitii chori*, 5 *sept.* 1699 [477] inservire valeant : *Castrimaris*, *Servitii chori*, 30 *julii* 1735. Quum autem experientia docuisset, ut magis chori servitium negligeretur, quod divisio distributionum per mediariam tenuis evasit, ideoque magis spernitur, instante capitulo S. C. recessit a decisis, voluitque ad chori servitium illos teneri juxta votum Episcopi [478], addito etiam tempore Adventus : 17 *junii* 1752.

47. Capitulum, et canonici metropolitanæ ecclesiæ omnibus diebus festivis, et dominicis debent interesse divinis officiis, ac Missæ conventuali; nec illis capitularibus licet prædictis diebus per quartariam inservire, præsentia nempe unius dignitatis,

[476] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.* Vide not. 202, verb. *Canonici* § 10.

[477] Vide num. 6, præsenti §.

[478] Quo Episcopus postulabat, ut injungeret servitium chori in diebus dominicis, et festivis de præcepto, ac toto tempore Quadragesimæ per mediariam; in diebus solemnioribus omnes in corpore, et in reliquis diebus ferialibus per tertiariam : *Ead. causa*, 17 *julii* 1752, § 2.

quinque canonicorum, et sex presbyterorum participantium, de qua mos est contra synodales constitutiones: *Rossanen., Servitii chori, et distribut. quotidianar.*, 1 *martii* 1738, *dub.* 1, confirmata 24 *maii ejusd. anni.*

48. Imo tenentur omnes dictis diebus dominicis, et festis choro, et ecclesiæ interesse, donec augmento distributionum, quod postulant cum unione beneficiorum simplicium, locus factus fuerit: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

49. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis, qui ita reduci chori, et ecclesiæ servitium, et in posterum etiam diebus festis, ac tempore tam Adventus, quam Quadragesimæ possint tertiariam indistincte servari a dignitatibus, et canonicis propter redituum exiguitatem, petierunt, fuit gratia denegata a S. C., quæ servandas resolutiones dierum 30 *januar. et* 17 *april.* 1728 [479] putavit: *Civitatis Castelli, Servitii chori*, 14 *junii* 1738.

50. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Majoris Baruli gratiam inserviendi dictæ ecclesiæ alternatim, et per hebdomadam cum solitis clausulis obtinuit. Expositum enim fuerat capitulum 40 inservientibus capitularibus constare, et ecclesiam obnoxiam eis tempore hyemali, et æstivo esse: *Tranen.*, *Indulti*, 22 *novem.* 1733.

51. Capitulo, et canonicis una cum mansionariis ecclesiæ cathedralis concessa fuit gratia, ut a mense novembris usque ad Quadragesimam tantum cum solitis restrictionibus possint assistere choro per vices, et alternis hebdomadis. Attulerunt enim medicorum testimonia de gravibus morbis, quos canonici præsertim patiuntur ratione servitii præstiti ecclesiæ navis infimæ, ac profundæ, et tantum tecto coopertæ: *Aprutina, Servitii chori*, 10 *januar.* 1739.

52. Capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis oppidi Marcianisii erectæ ægreferens onus assidui servitii, quod eidem ecclesiæ præstare impellebantur; petiit a S. C. indultum inserviendi choro, et ecclesiæ alternis hebdomadis, illudque impetraturum confidunt, tum quia, cum sexdecim sint canonici, ecclesia debito servitio destituta non manet; tum etiam quia aeris inclementia non levi est valetudini eorumdem canonicorum detrimento; tum denique quia annui reditus cujusque præbendæ sex ducatos, dempto primicerio, non excedunt. Sed minime esse gratiam concedendam alternatim dictæ ecclesiæ inserviendi, sed saltem trium mensium vacationem esse donandam S. C. censuit: *Capuan.*, *Indulti*, 3 *sept.* 1740.

53. Obscurum est, an capitulum, canonici, et capitulares ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ nuncupatæ *la Greca*, dum choro, aliisque functionibus ecclesiasticis assistere debent, teneantur personaliter assistere, seu liceat eis servitium per alium præstare? servari mandatur decreta in Alatrina, Callien., Leyrien., et Ferentina [480]: *Nullius Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 8.

54. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis, quæ ab urbe fere duobus millibus passuum, ac in sylvis, via aspera, et invia posita est, petentibus indultum inserviendi per hebdomadam, sive alternativum choro; et ecclesiæ aucto etiam inservientium numero, S. C. id concessit cum solitis clausulis: *Sarnen.*, 6 *junii* 1750.

55. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis interesse divinis officiis in choro quotidie, non au-

[479] Particularis Congregatio Bened. XIII, ex rescripto deputata post plurimorum dubiorum definitionem die 30 januar. 1728 statuit, chori officiaturam esse in posterum servandam modo sequenti, ut, firmo scilicet remanente quotidiano servitio, quoad capellanos clericos, canonici, et dignitates ex gratia ad inserviendum choro, sive officiandum admittantur per tertiariam, ita ut una hebdomada quinque canonici, et una ex dignitatibus choro assistant, et intersint integræ celebrationi divinorum officiorum, alia hebdomada hoc ipsum præstetur a quinque aliis canonicis, et altera ex dignitatibus, et tertia hebdomada hæc eadem adimpleantur a quinque canonicis, et loco dignitatis, canonico decano, exceptis tamen diebus Dominicis, et festis de præcepto totius anni, et diebus omnibus Adventus, Quadragesimæ, octavis Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi, quibus omnibus, et singulis diebus teneantur omnes canonici, et dignitates choro interesse, ac divinorum officiorum celebrationi assistere sub pœna in casu contraventionis, tam quoad capellanos, et clericos quotidiano servitio adstrictos, quam quoad canonicos, et dignitates obligatos ad inserviendum per tertiariam, vel sine beneficio tertiariæ certis quibusdam diebus supra expositis multæ, sive punctaturæ jam statutæ a 60 me. Episcopo Bonello in sua constitutione quoad eos, qui in choro intersunt.

Post hæc idem capitulum S. C. adiit postulans declarari, ut dignitates, et canonici, qui non essent, ut vocant de tertiaria, tenerentur Missæ solemni, ac vesperis tantum interesse illis diebus, quibus juxta enunciatam resolutionem Congr. particularis obstricti sunt omnes chori, ecclesiæque servitio incumbere, obtinuitque sub die 17 april ejusd. anni 1728 inspecta etiam supplicatione Episcopi sibi concedi, ut diebus, quibus omnes juxta dictum decretum tenentur assistere, et inservire, integra officiatura expleatur ab his, qui sunt de tertiaria, et alii non teneantur assistere, nisi Missæ conventuali, et vesperis, sequentibus tamen diebus exceptis, nempe Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, feria quarta, quinta, sexta, et sabbato majoris hebdomadæ dominica paschalis Resurrectionis, festo SS. Apostolorum Petri, et Pauli, solemnitate Dedicationis ecclesiæ ipsius cathedralis, festo S. Laurentii antiquioris ejusdem patroni, festo S. Floridi titularis ecclesiæ cathedralis, et civitatis patroni, quibus tam qui sunt de tertiaria, quam alii integre inservire teneantur: *Ead. causa*, 10 *maii* 1730, § 1, et seqq.

[480] Vide not. 32, verb. *Abbas* § 7.

tem diebus tantum festivis, et de præcepto, tenentur; pingues enim habent illi reditus: *Recineten.*, *Servitii chori*, 17 *sept.* 1757, *dub.* 1, confirmata 2 *sept.* 1758.

56. Necnon omnes ad solvendas fallentias pro tempore præterito a die motæ litis pro tertia parte redituum adacti sunt: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

57. Dum Benedictus XIV, Pont. Max., sedem archiepiscopalem Bononiæ teneret, onus canonicorum insignis collegiatæ S. Petronii levare in animo habuit, et a S. C. inserviendi per medietatem potestatem retulit, quia antea tantum vacationem 40 dierum per annum canonici potiebantur. Pontifex creatus, et memor tenuitatis præbendarum redituum has ad summam 80 scutorum auxit. Vita hoc Pontifice functo, canonici reputarunt servitium chori per medietatem esse detrimento, quum et propter infirmos, senio confectos, et legitima alia causa absentes, pauci sæpe choro interessent et exorarunt pro commutatione indulti medietatis, in aliud annuarum vacationum sexaginta dierum pro libito cujusque canonici, cum perceptione distributionum eisdem correspondentium; et meruerunt illud obtinere: *Bononien.*, *Commutat. indulti quoad servitium chori*, 12 *maii* 1759.

58. Capitulum ecclesiæ cathedralis, quod dignitatibus sex, duodeviginti canonicis, trigintaque sex participantibus constat, laborioso chori servitio adstrictis ter in die obeundo, postulavit ut indultum vacandi a chori servitio per hebdomadas alternatim sibi tribueretur. Et S. C. precibus capituli juxta Episcopi votum adhæsit [481]: *Melphicten.*, *Indulti*, 21 *junii* 1760.

59. Collegiatæ ecclesiæ B. M. V. oppidi Messerani capitularibus quotidiani servitii chori ob redituum inopiam, reductionem petentibus. S. C. restitit: *Vercellen.*, *Reductionis*, 28 *junii* 1770, *dub.* 2.

60. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis indultum reportarunt alternatim choro inserviendi, ita ut remaneant, nisi tres menses, quibus absint a servitio chori; sed demptis diebus festis anniversariis, dies 50 vacationis habent; modo supplicant, ut spectata tenuitate redituum, et ecclesiæ insalubri situatione interveniendi per tertiarias tam choro quam anniversariis, Missisque cum cantu gratia tribuatur. Annuit S. C. et dari decretum in Tarraconen [482]. *Bituntina*, *Servitii chori*, 24 *novem.* 1770, *dub.* 1, confirmata cum gratiæ amplitione quoad anniversaria: 25 *febr.* 1771.

61. Quum declaratum fuisset a S. C. *die* 21 *junii* 1610. Canonicos ecclesiæ cathedralis vacationibus uti non posse diebus dominicis, et festis totius anni nec diebus Adventus, Quadragesimæ, octavarum Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi, et nunquam a servitio eodem tempore ultra tertiam partem abesse posse. Capitulo inde dictæ ecclesiæ indultum inserviendi choro, *per mediariam* petente, mandatur servari narratum decretum, et ut Episcopus exequutioni incumbat: *Interamnen.*, 23 *febr.* 1771, *dub.* 1.

62. Necnon postulantibus præfinitionem horæ 21 pro decantandis vesperis in eadem ecclesia, quum hora 20 gravis esset; id relinquitur arbitrio Episcopi: *Ibid.*, *dub.* 3.

63. Nec capitulares prædictæ ecclesiæ possunt voluntarie a choro discedere tempore divinorum officiorum nempe vel ad Missam celebrandam, vel confessiones audiendas, excepto pœnitentiario: *Ibid.*, *dub.* 3.

64 Et contravenientes punctari ad formam decreti 1644 [483] debent: *Ibid.*, *dub* 4.

65. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis Setiæ quoad interventum quotidianum tenentur in illa hora, illoque numero interesse choro, et officium divinum, horasque canonicas canere ad normam edicti Episcopi pro recta chori disciplina emanati, salva vacatione ad formam Concilii [484]: *Terracinen.*, *et Setina*, 14 *decem.* 1771, *dub.* 1.

66. Et contravenientes præter consuetas punctaturas, quatenus non sufficiant, ut in officio contineantur, sunt cogendi aliis juris remediis ad formam Concilii [485]: *Ibid.*, *dub.* 2.

67. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Exuperantii, quæ rigidiori aeris inclementiæ, ventorum impetui, ac imbrium copiæ subjicitur, præsertim locus presbyterii, ubi tribus qualibet die vicibus ad laudes persolvendas capitulares intersunt

[481] Qui ita concludit: Ut EE. VV. dignentur benigne concedere, egomet etiam atque etiam supplex exoro, ea tamen S. C. auctoritati adjecta lege, et conditione, ut nova disciplina choralis instar Fulginei supra descripta adamussim jugiter perpetuis futuris temporibus observetur; ac si ab ea substantialiter recedatur, Episcopo pro tempore existenti libera sit facultas apostolicum dictæ alternativæ indultum suspendendi, et revocandi, omnes capitulares ad integrum quotidianum perpetuum servitium præstandum more antiquo coercendi, et obligandi: *Ead. causa*, 7 *junii* 1760, § 3.

[482] Vide verb. *Beneficiatus* § IX, num. 6.

[483] Nam a mense novem. 1664 Episcopus tunc temporis Interamnensis, in tabella, quam ipse edidit, a punctatoribus observanda, et in volumine capitularium constitutionum relata, mandavit, ut qui non finitis horis discederet, tanquam absens haberetur: *Ead. causa*, 26 *januar.* 1771, § 10

[484] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.* Vide not. 162, verb. *Canonici* § VI.

[485] Vide not. 217, verb. *Canonici* § XI.

ex male fornice compactus eis obnoxius est, facultatem bis tantum qualibet die toto tempore anni in choro conveniendi, exceptis tamen diebus festis, aliisque ecclesiæ solemnitatibus postularunt. S. C. autem arbitrio Episcopi, qui eis favebat, rem commendavit: *Cingulana, Servitii chori*, 14 *martii* 1772, *dub.* 1.

68. Pariter idem capitulum, et canonici efflagitarunt facultatem divina persolvendi officia in capella S. Mariæ Angelorum a die 2 novem. usque ad sabbatum ante dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus festis, aliisque solemnitatibus, et pariter arbitrio Episcopi a S. C. concessio mandatur: *Ibid.*, *dub.* 2.

69. Capitulum, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai terræ S. Ægisti, considerata imparium oneribus redituum diminutione reductionem chori servitii obtinuerunt, postmodum negligentiores evaserunt etiam in diminuto servitio; modo postulant S. C. sibi confirmari præsentem servitii statum, quum sibimetipsi conferret. Concessum id fuit juxta votum Card. abbatis commendatarii [486]: *Nullius Sancti Ægisti, 4 april.* 1778.

70. Capitulo canonicis nempe, et dignitatibus ecclesiæ cathedralis, quod onere interveniendi choro per tres quaiibet die vices gravatur, facultas donata fuit pro mensibus decembris, januarii, februarii, et martii tantum recitandi de mane post solis ortum matutinum cum ceteris horis canonicis, nulla interposita interruptione, et deinde post prandium vesperas cum completorio persolvendi, exceptis diebus festis de præcepto: *Auximana, et Cingulana, Servitii chori*, 21 *novem.* 1778.

71. Capitulum, et canonicos collegiatæ ecclesiæ B. M. in cœlum Assumptæ terræ Anguillariæ, qui tantum choro diebus festis de præcepto cum celebratione Missæ conventualis incumbebant, Card. Pamphilius, visitator apostolicus omnibus diebus teneri sancivit. Huic decreto licet capitulo refragante, tamen S. C. juxta idem decidit: *Sutrina*, *Officiaturæ*, 27 *novem.* 1779. Inde vero inspecta tenuitate redituum præbendarum reductionem servitii chori indulsit S. C. pro omnibus canonicis ad dicendum officium tam matutinum, quam vespertinum ad omnes dies festos de præcepto, Adventus, et Quadragesimæ cum tota octava Paschatis, atque etiam ad totas octavas festivitatis sanctissimi Corporis Christi, et festi Assumptionis B. M V. salvis aliis functionibus juxta elenchum exhibitum: 23 *febr.* 1782, *dub.* 1 et 2.

72. Capituli, canonicorumque præbendæ ecclesiæ Sancti Stephani terræ Modiliani annuis scutis 16 nonnullæ, aliæ scutis 13 ob. 70 constant. Exoptant capitulum, et canonici idcirco indultum ad dies festos servitium reducendi, et non assecuti sunt, reportarunt autem suspensionem Missarum, quibus gravabantur, ad triennium, ac vacationes trium mensium firmo remanente quotidiano chori servitio cum Missa conventuali etiam cum completorio tempore Quadragesimæ, et cum applicatione Missæ conventualis omnibus diebus festis pro benefactoribus in genere, et jussum fuit Episcopo uti interim facultatibus sibi tributis in cap. 15, sess. 24 Concilii Tridentini [487]: *Faventina, Reduct. servitii chori, et Missar.*, 15 *januar* 1780. Triennio transacto S. C. gratiam prorogationis indulti præcedentis ad annum concessit, et ut scribatur Episcopo ad mentem [488]: 7 *febr.* 1784.

73. Erectam in collegiatam ecclesia S. Mariæ Majoris terræ Juliani anno 1737 capitulo, et canonicis chori onus quotidianum, ipsis inconsultis, qui vi litterarum apostolicarum erant vocandi, injunctum fuit. Biduum post præsente Episcopo capitulariter latum fuit decretum, quo servitium chori ad dies tantum festos de præcepto, necnon ad dies Adventus, Quadragesimæ, et ad nonnullas octavas privilegiatas redactum fuit. De hac reductione anceps Episcopus, canonicos quotidianum servitium præstandi coegit, donec a S C. declarata fuerit validitas decreti. Sed illud ratum non habuit: *Ferentina, Servitii chori*, 15 *januar.* 1780, *dub.* 1.

74. At reductio indulta fuit iisdem quoad chori servitium juxta votum Episcopi [489]: *Ibid.*, *dab.* 2.

75. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis,

[486] Qui existimat, oratorum precibus annuendum esse, quia quoad Missas cantatas reductione anni 1725 usi non sunt, tum quia eis grave esset recedere ab observantia ex eadem reductione male intellecta proficiscente, ita ut prosequantur ipsi agere, quod adhuc egerunt; declarando tamen, ut canonici oratores saltem duos dies festos S. Stephani protomartyris, et S Joannis Evangelistæ cum integro officio celebrarent; item officium festi Circumcisionis D. N. J. C. haberent, ac demum officium cum Missa celebrarent feria 6 majoris hebdomadæ: *Ead. causa*, 14 *martii* 1778, § 9.

[487] Vide not. 59, tom. 1, verb. *Beneficia eccles.*, § 14.

[488] Et mens est, ut idem Episcopus referat, qua de causa duo vacent canonicatus, et an iidem uniri possint reliquis, et in eo casu quantum aliis accrescat: *Ead. causa*, 7 *febr.* 1784.

[489] In voto est, ut perpensa proventuum exiguitate minui possit chori servitium • moderando decretum mei antecessoris diei 16 febr. 1737 hac adhibita ratione, ut canonici ipsi sub graviori, qua nunc est puncturarum pœna, (ut ita extimulentur ad promptiorem chori sequelam) teneantur in perpetuum omnes, excepto nemine, ad ecclesiæ servitium integro adventus Domini tempore, et Quadragesimæ, omnibus dominicis, et festis de præcepto diebus, aliisque solemnioribus anni, a primis vesperis usque ad secundas cum obligatione recitandi in choro, omnes horas canonicas, tam majores, quam minores, omnibus octavis privilegiatis, aliisque diebus in tabella a

qui a quotidiano chori servitio ad hodierna usque tempora non aliqua impellente lege, sed ex necessitate sese nunquam exemerunt, vacationem trium mensium obtinuerunt. Modo quum adaucti fuerint, petunt inservire alternatim, quod S. C. juxta votum Episcopi [490] revocato indulto præcedenti concessit: *Civitatis Castellanæ*, 12 *maii* 1781.

76. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Firmi servare debent decretum tempore visitationis ab Archiepiscopo Agostini emanatum, ne in superiori quodam cubiculo saltem diebus festis, ac æstivis mensibus horæ canonicæ persolverentur, sed in choro ecclesiæ exteriori omnino recitari debeant: *Firmana*, 8 *junii* 1782, *dub.* 5, confirmata 6 *sept.* 1783, *dub.* 2.

77. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis postulantibus, quomodo debeant inservire etiam tempore Adventus, et Quadragesimæ, S. C. respondit, *juxta solitum, attentis circumstantiis in casu concurrentibus*. Nam ex diuturna consuetudine inservierunt per hebdomadas haud excepto tempore Adventus, et completorium tempore Quadragesimæ pro diebus ferialibus, et qui non antecedunt festum de præcepto, ob loci asperitatem, ubi cathedralis sita est: *Ferentina, Servitii chori*, 3 *aug.* 1781.

78. Ecclesia S. Leonardi terræ Arcis Gurgæ auctoritate ordinaria ab Episcopo Palombella in collegiatam erecta, idem Episcopus servitium chori omnibus festis de præcepto, quibusdamque aliis diebus capitularibus injunxit. Alter vero Episcopus quæsivit antea declarari an esset collegiata? et onus quotidie inserviendi imposuit. Delata ad S. C. causa, definitum fuit canonicos ad servitium chori juxta votum Episcopi [491] teneri: *Terracinen., et Setina, Servitii chori, et Missæ convent.*, 23 *novem.* 1782, *dub.* 1.

79. Capitulares SS. Paulini, et Donati, quibus vigore cujusdam unionis servitium chori instar ecclesiæ collegiatæ SS. Joan., et Reparatæ constitutum, commonuerunt, se licet gravatos onere servitii chori æque, et illos alterius collegiatæ, non tamen pari redituum compendio gaudere; hinc petierunt aliquam reductionem præsertim diebus festis, et dominicis, in quibus semper omnes inservire tenentur; S. C. vero nulla exposita resolutione ad mentem [492] rescripsit: *Lucana, Servitii chori*, 10 *januar.* 1784.

80. Quum a tempore, cujus initii memoria non extat, capitulares ecclesiæ cathedralis inservire consuevissent alternis hebdomadis, et hoc servitium præstassent toto tempore Adventus, ad completorium in Quadragesima, et in octava Corporis Christi; reliquo vero Quadragesimæ tempore, et omnibus diebus festis de præcepto, aliisque ex consuetudine præfinitis choro interesse tenebantur. Morem hunc absonum ab ecclesiastica disciplina censuit hodiernus Episcopus, et jussit, ut tempore Quadragesimæ omnes ad completorium interesse deberent, in Adventu, octava Corporis Christi, omnes quotidie similiter inservirent, statuta pœna juliorum trium contra negligentes. Desuper S. C. requisita capitulum dictæ ecclesiæ debere inservire etiam tempore Adventus, et Quadragesimæ, et in octava Corporis Christi, aliisque octavis privilegiatis juxta decretum in causa Ferentina diei 3 aug. 1782, [493] sancivit: *Alatrina, Servitii chori*, 24 *april* 1784, confirmata 9 *julii* 1785.

81. Canonici una cum archipresbytero ecclesiæ collegiatæ S. Erasmi oppidi Bassiani, qui nunquam sueverunt quolibet die choro interesse, nec hoc ipsis onus in erectione fuit impositum, tenentur, ac cogi debent ad servitium chori juxta Episcopi [494] votum: *Setina, Chori, et Missæ convent.*, 21 *januar.* 1786, *dub.* 1.

82. Capitula, et canonici collegiatarum ecclesiarum terræ Stronconii S. Michaelis Archangeli, et S. Nicolai divinum officium persolvunt solemnioribus dumtaxat festis, et reliquis festis Missam cum cantu, et vesperas una cum completorio. Episcopus in visitatione edixit, ut diebus festis, temporibusque Quadragesimæ, et Adventus intersint ad integrum persolvendum officium. Canonici adversus hoc decretum expostularunt in S. C., tum quia ecclesiæ non sunt vere collegiatæ, tum quia ex immemora-

meo antecessore data descriptis, ac præterea, ut in eadem tabella præscribitur, præsentes esse arctentur omnes in Missis, et sacris functionibus, quæ in dicta tabella adnotatæ habentur. Adjungere eis insuper in compensationem diminuti servitii obligationem iis diebus, quibus ad sequelam chori obstricti erunt, recitandi in choro ex rubricarum præscripto saltem officium defunctorum, psalmos graduales, et pœnitentiales. » *Ead. causa*, 27 *novem.* 1779, § 5.

[490] Qui opinatus fuit exaudiri posse oratores, quum eodem indulto gauderet etiam altera cathedralis Hortana, et una quæque ex collegiatis ecclesiis, quæ intra fines extant illius pastoralis jurisdictionis, quippe ejusmodi medio segniores sanctuarii ministri sive majori commodo illecti, sive formidine pœnæ inevitabilis punctaturæ diligentiores in eorum servitio officii poterant, necnon plurium conscientiarum securitati, ac insimul debito ecclesiæ decori, majorique Dei gloriæ facile consulebatur. *Ead. causa*, 7 *april.* 1781.

[491] Vide not. 435, verb. *Capitulum ecclesiasticum* § 5.

[492] Et mens est, ut scribatur Archiepiscopo, qui proponat alia media ad sublevandum onus capituli reservato tamen semper servitio omnium canonicorum in diebus festis: *Ead. causa*, 10 *januar.* 1784.

[493] Vide num. 77, præsenti §.

[494] Vide not. 457, verb. *Capitulum ecclesiasticum* § 5.

bili consuetudine ita inservierunt, tum denique ob canonicorum parvum numerum. S. C. autem nulla data definitione scribi Episcopo juxta mentem [495] præcepit: *Narnien., Servitii chori*, 3 *martii* 1787. Inde decreta præfata sustineri demptis diebus ferialibus tempore Adventus, et Quadragesimæ declaravit: 19 *januar* 1788, *dub.* 1.

83. Inde reductionem servitii haud esse illis concedendam existimavit: *Ibid.*, *dub.* 2.

84. Quum posita esset Abulæ civitas frigidiori Hispaniæ loco, canonici ecclesiæ cathedralis petunt primo, ut recitare eis liceat matutinum, laudes post completorium præcedentis diei a dominica prima Quadragesimæ ad festum Sanctorum, et ad vespertinum Salutationis Angelicæ sonum reliquo anni tempore, exceptis primis diebus Paschatum Resurrectionis, et Pentecostis; secundo, ut nona quæ nonnullis anni tempestatibus post meridiem cani solet, canenda in posterum sit post sextam de mane; et tertio, ut vesperæ, et completorium ad justam cum matutino servandam proportionem tertia incipiat pomeridiana hora a prima Quadragesimæ dominica ad octavam Corporis Domini, et hora tertia cum dimidio ab ea octava ad festum S. Michaelis 29 sept., S. C. preces eorum audivit, annuitque juxta votum Episcopi [496]: *Abulen.*, *Servitii chori*, 23 *januar.* 1790.

85. In castro Clementino, ubi collegiata archipresbytero, canonicis sex, binisque præbendatis constat, plurimi diebus festis ad sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ suscipienda a proximis oppidis conveniunt; hac de causa canonici, ut omnibus præsto sint, facultatem implorant matutinum vespertina præcedentium dierum hora recitandi ab ineunte novembri ad totum cujusque anni aprilem, quo tempore major est frequentia. Sed S. C. hujusmodi preces rejecit: *Firmana*, *Servitii chori*, 10 *julii* 1790.

86. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ in cœlum assumptæ terræ Arcis Siccæ, quod juxta primariam erectionem ex archipresbytero, et quatuor canonicis supranumerariis vocatis compositum fuit, officium divinum in choro psallendi tantum dominicis diebus, et festis de præcepto consuevit, quærit declarari, an teneatur quotidie officium in choro recitare? et teneri responsum tulit: *Terracinen.*, *Servitii chori, et Missæ convent.*, 11 *decem.* 1784, *dub.* 1.

87. Ac inde considerata maxima redituum tenuitate reductionem impetravit juxta votum Episcopi [497]: *Ibid.*, *dub.* 2.

88. Capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Juliani oppidi Santillana denegatur dispensatio a recitatione officii Mariani in choro, ad quam tenentur capitulares ex Constitutione S. Pii V [498], et ex constitutionibus capitularibus, necnon ab interventu secundæ Missæ cum cantu de rubrica, quam ex immemorabili abusu (per decretum Episcopi in sacra visitatione sublato) legebat tantum absque illorum præsentia capellanus nuncupatus *de Harran* in feriis Quadragesimæ, et aliis vigiliis: *Santandrien.*, *Servitii chori*, 20 *april* 1793.

89. Capitulo Segoviensi permittitur cantus nonæ, vesperarum, et completorii hora pomeridiana tertia, et dimidia a die 3 maii ad totam cujusque anni diem 14 sept., quum præ nimio regionis calore gravis incommodi esset canonicis eas horas juxta consuetudinem hora pomeridiana secunda, et dimidia canere: *Segovien.*, 8 *febr.* 1794.

90. Capitulo insignis collegiatæ S. Joannis Baptistæ sub titulo Baptisterii Parmæ, cui ad restituendum servitium chori auctæ sunt distributiones ex donatione Alexandri Piazza, denegatur indultum recitandi matutinum post vesperas, et completorium præcedentis diei, quod ob frigiditatem ecclesiæ hiberno tempore capitulum postulabat: *Parmen.*, 31 *maii* 1794.

§ XI.

Capitulum ecclesiasticum quoad statuta, actus capitulares, ac capitularium numerum.

1. Quum canonici cathedralium, et collegiatarum, suum statutum habere dicerent apostolica auctoritate firmatum vacandi per centum dies, et

[495] Et mens est, ut Episcopus certioret S. C. de qualitate collegiatæ utriusque ecclesiæ, et de reditibus singulorum canonicatuum: *Ead. causa*, 3 *martii* 1787.

[496] Ait Episcopus: « Che in questa chiesa non avvi alcuna costituzione pontificia circa l'ora, in cui possa dirsi il matutino, e ne pure statuto, o determinazione capitolare anteriore all'indicata del cambiamento. Per recitarlo alla mezzà notte non vi era altra regola, se non che la costumanza. Non v'intervenivano pero altri, fuori de capellani, e ministri, e questi in maniera molto sconcia. Dalla variazione dell'ora, non solo non ne risultera alcun scandalo nel popolo, che anzi rimarra edificato per l'interessenza dei capitolari, vedendo di præsente, che non si discaricano dell'adempimento di una parte si parte si principale dell'officio divino, cioe matutino, e laudi, appoggiandolo a capellani, ed altri ministri. » Hinc « L'esponente considerando il tutto con vera brama di cogliere nel punto, non scorge altro mezzo per ottenere l'interessenza de capitolari al matutino, e laudi, ed accio si dicano col dovuto decoro, se non se quello, che si cantino alle ore profisse nella supplica. » *Ead. causa*, 23 *januar.* 1790, § 2, et seq.

[497] Vide not. 436, verb. *Capitulum ecclesiasticum* § 5.

[498] Vide not 467.

fructus omnes, et distributiones percipiendi, ac postulassent declarationem non comprehendi in lege Concilii; respondit S. C., comprehendi, nisi quatenus legitime probaretur ejusmodi statuta fuisse confirmata a Sede Apostolica; talia enim non sustulisse Concilium sess. 24 cap. 12. [499]: *Elborensi seculi decimi sexti.*

2. Censuit S. C. hujusmodi statutum nullum plane, atque irritum esse, et barbæ tonsuram in id tempus rejici debere, quo divina officia in ecclesia non recitantur: *Burgen.*, 27 *april* 1624.

3. Exponit Episcopus occasione visitationis sacr. Liminum, omnia capitula diœcesis esse sine præfixo numero, unde augeri contingit ad excessum, ita ut omnes capitulares indecenter ob tenues reditus vitam ducere cogantur; hac de re poscitur, an expediens sit in sacr. visitatione cuilibet ecclesiæ juxta qualitatem loci, et quantitatem fructuum certum capitularium statuere numerum; et S. C. rescripsit, ut audiatur capitulum: *Acheruntina, et Matheran, Visitat. sacr. Liminum,* 3 *martii* 1668 *dub.* 1.

4. Postulatum fuit, an, et quomodo canonicorum ecclesiæ cathedralis indemnitati, et capituli communi bono sit providendum? quum capellani seu beneficiati, qui ex consuetudine vocem in capitulo habent, in numero superent canonicos, ac dignitates, ad quos primario spectet administratio, et dispositio in capitulo, et in resolutionibus capitularibus illi his prævaleant? ut oratores supplicent Sanctissimo S.C. rescripsit: *Montis Pelusii* [500], *Juris votandi,* 6 *junii* 1682.

5. Ad evitanda jurgia, contentiones, et inimicitias, quæ inter canonicos cathedralis ecclesiæ oriuntur ex publica suffragiorum traditione in resolutionibus capitularibus supplicatur S. C., quæ censuit expedire, ut præfatæ capitulares resolutiones per vota secreta fiant: *Milevitana*, 23 *nov.* 1697.

6. Resolutionem factam in capitulo ecclesiæ cathedralis congregato sub die 21 julii proxime præteriti, absente primicerio, aliisque canonicis ad effectum deputandi duos canonicos pro prosequutione cujusdam litis capituli cum facultate exigendi a sindico totam summam ab eis exposcendam, absque eo quod ullo unquam tempore ad rationis redditionem tenerentur; S. C. validam esse rejecta conditione absolutionis a redditione rationis judicium interposuit: *Lauretana, Convocationis capituli,* 6 *febr.* 1700, *dub.* 2.

7. Decreta per canonicos ecclesiæ collegiatæ, ac matricis S. Georgii terræ Modicæ inter quæ sunt locationes jurium, et redituum parochialium, necnon fructuum, capitulariter facta sine consensu præpositi sustineri decisum est: *Syracusana, Præposituræ,* 15 *junii* 1709, *dub.* 1.

8. Editis ab archipresbytero, et canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Paganica urbis Aquilæ, tam anno 1715 quam anno 1718 nonnullis constitutionibus, iisdem approbatis a vicario apostolico, beneficiati, qui ab iisdem novis constitutionibus se gravatos esse asserebant, sed et per compromissum ad Episcopum recursum habuerunt. Novæ exinde lites circa laudum exortæ sunt; ideo propositis dubiis, non præfatæ constitutiones observandæ, et exequendæ sint, et an, et quæ ex constitutionibus factis per Episcopum sub diebus, 7 sept., et 10 octob. sustineantur? responsum fuit: Dilata, et Card. Ptolomæus dignetur rem perpendere auditis partibus, et Sacr. Congregationem instructam reddere, et cum facultate capiendi quamcumque provisionem: *Aquilana*, 18 *april.* 1722, *dub.* 1 et 2.

9. Dubiis disputatis, an actus descriptus in cancellaria episcopali die 30 aug. 1721 de ordine vicarii capitularis, in quo supponitur decanum petiisse ab eo licentiam capitulum convocandi, subsistat, vel sit abrogandus, et delendus?

10. Et an sustineatur inhibitio transmissa decano, et canonicis die 13 april. 1722, de mandato vicarii capitularis sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ? S. C. respondit, ad mentem [501]: *Milevitana, Jurisdictionis,* 18 *sept.* 1723, *dub.* 6 et 7.

11. Item actus discriptus in cancellaria episcopali die 7 octob. 1722 de ordine Episcopi, in quo supponitur, decanum petiisse a vicario capitulari licentiam sub conditione, non subsistat, ideoque est rescindendus: *Ibid.*, *dub.* 8.

12. Vacante in ecclesia collegiata S. Crucis cantoratu, capitulum antequam procederet ad electionem, decrevit, ut quisque electus foret, quingentos florenos Brabantiæ pro ecclesiæ fabrica numeraret. Hæc pecunia summa subrogata quippe fuit

[499] Vide not. 102, verb. *Canonici* § 3.

[500] « Quia vere habuit (S. C.) petitionem pro rationabili, sed cum derogatio vel privilegii, vel legitimæ consuetudinis soli principi sit reservata, ideo ita rescripsit. » Card. Petra *Comment. ad Const. I. D. Leon. M.* sect. 2, num. 16, tom. 1, pag. 33, et num. 17, subjungitur « Concurrente tamen dicta consuetudine, vel privilegio quoad beneficiatos, seu capellanos, intelliguntur ii, qui obtinent beneficia, seu capellanias in titulum, promiscue, beneficiati, seu capellani dicti. Card. de Luca *de Can.* disc. 19, num. 3, Garc. *de Benefic.* part. 1, cap. 20, num 95, et declaravit Sac. Congreg. Concilii 5 junii 1588, *in Asten., Statutorum: Ad primum affirmative; nempe capellanos habere vocem in capitulo, quatenus capellaniæ, seu beneficia conferantur in titulum, et non possint libere dimitti.* Semper salva clara lege privilegii, vel alterius juris videtur limitanda regula. »

[501] Et mens est, ut deleantur: *Ead causa,* 18 *sept.* 1723, *dub.* 7.

in locum prandii, quod ex veteri more parari assueverat; inde hoc ipsum decretum a capitulo occasione vacationis decanatus emanavit. De hoc onere querelam habuere cantor, et decanus; audito itaque S. C. oraculo, definitum fuit, capitulares has resolutiones haud validas esse : *Leodien.*, *Capitulationum*, 30 *sept.* 1730, *dub.* 1.

13. Hodiernus Episcopus Scepusiensis labefactatam in cathedrali sua ecclesia chori disciplinam restituere curans, nonnulla statuta ex facultate, ut asserit, a S. C. consistoriali tributa condidit, quibus provisum fuit, ut per canonicos habenda sit ratio divini officii, ut nisi per apostolicum indultum aliter inductum sit, etiam feriatis diebus choro intersint canonici, qui contrariam antiquam allegant consuetudinem, quam abusum, et corruptelam vocat Episcopus. Quum hæc statuta Episcopi consentanea viderentur aliis ecclesiis cathedralibus, in quibus horæ canonicæ, et Missa conventualis distribuuntur, et hic agitur de canonicis abunde provisis; hinc S. C. desuper quæsita, censuit nova Episcopi statuta esse approbanda juxta modum explicandum in secundo dubio [502] : *Scepusien.*, *Servitii chori*, 1796, *dub.* 1.

§ XII.

Capitulum ecclesiasticum quoad vacationes.

1. Declaravit S. C. non requiri licentiam Episcopi, quando dignitates, canonici, aut portionarii abesse volunt tempore ipsis a Concilio Tridentino permisso; non tamen omnes simul recedere posse, ne ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul potest abire, reliqui arbitrio Episcopi, et capituli. De aliis autem, qui non sunt beneficiati, et inserviunt in ecclesia, Concilium nihil disposuit, sed generaliter servandum quod Concilium mandat circa regimen debitum in divinis officiis sess. 24, cap. 12 in fin. [503] : *Abulen.*, *anni circiter*, 1582, *dub.* 5.

2. S. C. benigne indulsit, ut capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis per mensem a servitio ecclesiæ singulis annis se removere possent, ita tamen, ut omnes intersint in diebus dominicis, ac festis totius anni, ac in diebus omnibus Adventus, Quadragesimæ, octavæ Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corpus Domini, et nunquam a servitio præter tertiam partem eodem tempore absint : *Montis Regalis*, 28 *novem.* 1649.

3. Capitulum collegiatæ ecclesiæ SS. Firmi, et Rustici oppidi Caravaggi se nulla intercedente vacatione perpetuum chori servitium præstare narravit, exhibuitque dubium : An prædictum capitulum teneatur perpetuum ecclesiæ suæ servitium absque ulla vacatione præstare? teneri S. C. respondit : *Cremonen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 1.

4. Et ad dubium, an saltem subsint rationabiles causæ indulgendi, ut quotannis trimestri vacatione gaudeat? rescribitur subesse inspecta relatione Ordinarii rationabilem causam indulgendi, ut si Sanctissimo, domino nostro, placeat singuli canonici quotannis a servitio chori per duos menses amissis distributionibus quotidianis vacare possint : ita tamen, ut hujusmodi vacatione is tantum numerus canonicorum eodem tempore fruatur, quem Ordinarius habito respectu ad necessitatem servitii ejusdem chori pro suo arbitrio, et conscientia præscribet : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Capitulum collegiatæ ecclesiæ oppidi de Tamarite supplicavit pro indulto absentiæ per menses, et bis proposita instantia, bis etiam rejecta fuit : *Ilerden.*, *Servitii chori*, 15 *novem* 1698, 28 *nov.* 1699.

6. Ex antiquissima consuetudine Episcopus ecclesiarum Giennensis, et Beacensis invicem unitarum potitur facultate transferendi, et permutandi canonicos unius cathedralis ad aliam ad sui libitum. Id occasio quæstioni præbuit, num canonici translati durante tempore vacationum a statutis ecclesiæ præscripto, redire possent ad civitatem Giennii etiam non obtenta ipsius Episcopi venia? S. C. censuit statuta ecclesiæ circa vacationes non esse observanda, sed dispositionem Sac. Concilii, cap. 12, sess. 24 *de Reform.* [504] : *Giennen. seu Beacen.*, *Vacationum*, 16 *januar.* 1700, *dub.* 1.

7. Et durante tempore vacationum licere capitularibus abesse cum solitis clausulis a loco residentiæ etiam absque Episcopi licentia : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Postmodum vero plura decreta edidit Episcopus ob uberiorem resolutionis præfatæ exequutionem. Rediit idcirco causa hoc dubio : An standum, vel recedendum a decisis? et rescriptum fuit in decisis : 26 *januar.* 1704, *dub.* 1.

9. Et altero dubio, an decreta facta ab Episcopo

[502] Vide not. 146, verb. *Canonici*, § 4.

[503] « Cetera, quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendis, seu modulandi ratione de certa lege in choro conveniendi, et permanendi, simulque de omnibus ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, et si quæ hujusmodi, synodus provincialis, pro cujusque provinciæ utilitate, et moribus, certam cuique formulam præscribet. Interea vero Episcopus non minus, quam cum duobus canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur in iis, quæ expedire videbuntur poterit providere. »

[504] Vide not. 162, verb. *Canonici* § 6.

valida sint? ad Card. præfectum resolutio committitur juxta mentem [505] : *Ibid*., *dub*. 2.

10. Insuper decretum fuit esse attendendam declarationem Episcopi super absentia a supplicationibus dominicalibus in ea tantum parte, in qua absentia affectata excluditur : *Ead. caus.*, 9 *aug. ejusd. anni, dub* 1, confirmata 20 *sept. ejusd. anni*.

11. Causas omnes expressas in statuto super accessu ad ecclesiam esse sufficientes, dummodo remaneat pro servitio chori numerus canonicorum, et præbendatorum præscribendus a Card. præfecto : *Ibid*., *dub*. 2, confirmata *ibid*.

12. Ac hospites in una ecclesia eidem inserviendo non satisfacere obligationi inserviendi ecclesiæ sibi assignatæ : *Ibid*., *dub*. 3, confirmata *ibid*. et 14 *martii* 1705.

13. Horam denique servitii faciendam esse in ecclesia assignata, præterquam in casu e morbo recreationis, minime vero ad effectum gaudendi diebus levaminis : *Ibid*., *dub*. 7, confirmata *bis ibid*.; sed additum fuit *Tempore vacationum*, *et absentiæ pro servitio ecclesiæ*.

14. Ex veteri statuto in ecclesia cathedrali dignitatibus, canonicis, et præbendatis satisfiebat de vacationibus 40 dierum, quæ postea ad 80 dies ampliatæ fuerunt. Episcopus vero tolerandum hoc minime esse propter divini cultus detrimentum censuit, specialique decreto eas abrogavit. Sed ad capitularium querelas sedandas annuit, ut a S. C. indultum vacationum 100 dierum annuatim postularetur, S. C. vero eos non audivit, et servari dispositionem sacri Concilii [506] voluit : *Leyrien*., 20 *sept*. 1704. Inde gratiam ad tres menses tantum sublatis quibuscumque aliis vacationibus impertivit : 24 *januar*. 1705.

15. Antiquitus capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis uno tantum mense vacationis gaudebant, et pro sui libito etiam tempore Adventus, et Quadragesimæ vacare consuevisse asserunt; deinde alium mensem eis S. C. concessit, vacationem diebus Adventus, et Quadragesimæ vetans. Demum ano 1686 die 28 januarii ab eadem S. C. tertius mensis fuit additus. Nuper quæsierunt, an sit standum, vel recedendum a decisis? et declaratione non edita, petita fuit melior informatio super quantitate, et qualitate servitii : *Asculana*, 5 *junii* 1706, *dub*. 1. Postea respondit in decisis quoad concessionem tertii mensis vacationis : 15 *januar*. 1707.

16. Ac archidiacono, et canonicis ejusdem ecclesiæ non licet vacare a choro, et servitio ecclesiæ temporibus Adventus, Quadragesimæ, in dominici aliisque diebus festis, quæ in cathedrali præfata non dicuntur solemnes, ac in octavis privilegiatis : *Ibid*., *dub*. 2.

17. Orbisque faciendus est per duas ex tribus partibus : *Ibid*., *dub*. 3.

18. Capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Euphemiæ loci Insulæ vacatione trium mensium gaudere nequeunt : *Comen*., *Servitii chori*, 14 *nov*. 1711, *dub*. 1, confirmata 6 *aug*. 1712.

19. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis, qui continuum servitium habent, redituum tenuitatem, ærisque intemperiem patiuntur, vacationes a choro ad duos menses ad formam Farfen. 13 nov. 1655 [507] obtinuerunt : *Atrien*., 19 *decem*. 1722.

20. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis absentia trium mensium, qui a sac. Concilio Tridentino [508] conceduntur, tempore Adventus, et Quadragesimæ frui nequeunt; ita ut Episcopi decretum validum est sub pœna suspensionis, deletis verbis *ipso facto* : *Acerrarum*, 23 *aug*. 1727, *dub*. 19.

21. Pariter etiam idem capitulum, et canonici non possunt præter tertiam partem frui simul dicta absentia trium mensium : ita ut alterum Episcopi decretum firmum est sub pœna suspensionis, deletis verbis *ipso facto* : *Ibid*., *dub*. 20.

22. Quæsitum quum esset, an vacationes intra annum debeant esse æquales tam canonicis, quam beneficiatis collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ Avenionis? responsum exiit, ut solitum servetur : *Avenionen*., 19 *sept*. 1733, *dub*. 15.

23. Decretum capituli ecclesiæ cathedralis, quo dignitatibus, et canonicis, qui quotidie interesse divinis officiis tenentur, vacatio per tres menses conceditur cum conditionibus in eo præscriptis validum non est; etiamsi in ea ecclesia mos invaluerit fruendi decem diebus per trimestrem, quin absentes fructus, ut vocant, *di massa grossa* amitterent : *Sipontina*, *Servitii ecclesiæ*, 6 *feb*. 1734.

24. Proposito dubio, an capitulo, et canonicis insignis collegiatæ S. Pauli civitatis Vallettæ competat annua vacatio trium mensium juxta dispositionem sacri Concilii Tridentini sess. 24, cap. 12 *de Reform*. [509], vel saltem ex gratia sit concedenda? rescribitur, esse concedendam vacationem ex gratia facto verbo cum Sanctissimo. Nam exposita fuerunt inopia redituum, ac gravia onera, quibus canonici subjiciuntur : *Milevitana*, *Vacationum*, 10 *martii* 1742.

25. Capitulum ecclesiæ cathedralis ob inclemen-

[505] Et mens est, ut fiat distinctio dubiorum : *Ead. causa*, 26 *januar*. 1704.

[506] Vide not. 162, verb. *Canonici*, § 6.

[507] Vide verb. *Canonici*, § XI, num. 12.

[508] Vide not. 162, verb. *Canonici*, § 6.

[509] Vide not. 162, ut supra.

tiam, et insalubritatem aeris civitatis, et pro tuenda valetudine statutum condidit, auctoritate apostolica confirmatum, quo donabatur canonicis per quatuor menses continuis, vel interpolatis vicibus facultas absentandi, et nihilominus præbendarum fructus, et distributiones quotidianas lucrari. Omnibus par conditio fuit, sed non omnes uti beneficio valebant. Ex viginti enim canonicis novem dumtaxat quolibet anno recedere poterant. Ad sedenda igitur jurgia novum condere statutum capitulo placuit, ut simul sex possent abesse. Confirmationem novi statuti petierunt, et nil sunt canonici assequuti. Redeunt nunc idem expostulantes; ita ut standum, vel recedendum sit a decisis, et omnis conatus incassum recidit : *Urgellen.*, *Statuti*, 8 *martii* 1760.

26. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis, qui unum supra vicenarium numerum excedunt, postularunt a S. C. indultum vacationis alternis hebdomadis, spondentes assignandi augmentum ducatorum trium cuilibet ex sex capellaniis in cathedrali eadem existentibus, imo alias sex fundandi cum onere divina officia persolvendi. Hisce precibus rescriptum prodiit, ut facta erectione sex capellaniarum permittendæ sint vacationes ad tres menses; ita tamen, ut canonici iis frui nequeant tempore Adventus, et Quadragesimæ, aliisque diebus excipi solitis : et duæ ex tribus partibus choro semper intersint : *Vigilien.*, *Servitii chori*, 18 *maii* 1743. Deinde decretum prædictum confirmatum fuit, et additum ; facta tamen prius erectione aliarum quatuor capellaniarum ad formam decreti 18 maii 1746. Denique quum indultum concessum nondum habuisset effectum, quod tribus erectis capellaniis, aliarum trium erectio omissa fuit, sub prætextu massæ capitularis insufficientiæ; idcirco canonici efflagitant, ut loco trium erigendarum capellaniarum sibi facultas concedatur augendi stipendium tribus ex aliis capellaniis existentibus in cathedrali, qui chori servitio valeant mancipare. S. C. precibus adhæsit facta per Episcopum formali subjectione trium capellaniarum quotidiano servitio chori cum onere punctaturarum accedente capituli consensu : 20 *sept.* 1760.

27. Canonici collegiatæ ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis terræ Sinalongæ quotidiano, et nunquam interrupto ecclesiæ servitio impendentes, supplicarunt pro indulto vacationum trium mensium, tum propter continuum, et laboriosum chori servitium, tum etiam spectata redituum paucitate. Episcopus oratoribus itaque annuendum censebat, dummodo nullum detrimentum ecclesia patiatur. S. C. annuendum quoque juxta Episcopi votum cum solitis clausulis existimavit : *Pientina*, *Vacationis choralis*, 29 *novem.* 1777.

28. Capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis, qui jam antea indultum vacationis trium mensium obtinuerant, modo S. C. facultatem ob numerum adauctum inserviendi invicem prævia præcedentis indulti revocatione concessit : *Civitatis Castellanæ*, 12 *maii* 1781.

29. Quum capituli ecclesiæ cathedralis clerus superior, qui dignitatibus, et canonicis constat, reportasset, ut tempore vacationis, cujus jure totum capitulum gaudet, per duos menses ex lege statuaria non amittant distributiones quotidianas; hinc etiam id postulavit clerus inferior, in quo numerantur parochi, capellani, levitæ, ac mansionarii, necnon æditui, et clerici ecclesiæ inservientes. S. C. censuit indulgendum ad dies 40 capellanis, ad 30 mansionariis, levitis, ac parochis firma remanente parochiali residentia. Inde vero dubium exortum est super clausula *salvis etiam distributionibus* in favorem mansionariorum, et levitarum apposita, an intelligenda sit etiam pro capellanis, et parochis? et utique esse intelligenda resolvit : *Viglevanen.*, 23 *febr.* 1783.

30. Capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis, qui constat dignitatibus, canonicis, mansionariis, ac capellanis, gaudet mensibus quatuor æstivis vacatione dierum 60. At anno 1618 coercitum fuit vacationis tempus a S. C. ad dies 40 cum facultate tamen fruendi quovis anni tempore, festis diebus, et Quadragesimæ exceptis. Deinde ab eadem S. C. tempus fuit prorogatum ad dies 60 ea lege, ut non omnes simul uterentur. Modo autem supplicant pro concessione trium mensium, ac duorum mansionariis inspecta redituum tenuitate. S. C. autem suspensa resolutione rescripsit ad mentem [510] : *Ariminen.*, *Servitii chori*, 24 *julii* 1781.

31. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Castri Novi urbis Recineti nullis fruitur vacationibus a choro; etiamsi continuum habeat servitium, distributionum modicitatem, ac ecclesiæ distantiam, quæ extra civitatem sita est; ideo canonici, qui sunt altaristæ, quorum reditus in solis distributionibus consistunt, cum præposito implorant conciliares vacationes, et assequuti sunt ad tres menses cum conditionibus *in Auximana* 12 *julii* 1631 [511] in-

[510] Et mens est, ut scribatur Episcopo qui exquirat votum capituli legitime congregati per secreta suffragia, et referat de qualitate servitii, de reditibus canonicatuum, et mansionariarum, ducto calculo per decennium, computatis præbenda, distributionibus quotidianis, aliisque omnibus obventionibus, et insuper referat, quo titulo, quove jure fructus assignati pro fabrica ecclesiæ, sacris utensilibus sibi addicent capitulares : *Ead. causa*, 24 *julii* 1784.

[511] Vide verb. *Canonici*, § XI, num. 10.

junctis, et assignata pro his tribus tertia parte consuetarum distributionum tantum : *Recineten.*, *Servitii chori*, 8 *julii* 1786.

32. Inter statuta capituli ecclesiæ cathedralis anno 1539 collecta cautum erat, ut præpositus, et canonici possint, et valeant pro eorum negotiis parandis se absentare sine aliqua annotatione facienda per tres menses, dummodo non sint continui, exceptis diebus Quadragesimæ, et solemnioribus. Diminuto canonicorum numero convenerunt postea, ut tres tantum canonici abesse possent. Adaucto exinde canonicorum ob beneficia simplicia in canonicatus erecta numero, antiquam trium mensium vacationem restituendi capitulum expostulavit, et obtinuit : *Albintimilien*, *Vacationum*, 16 *junii* 1787, *dub.* 1.

33. Capitulum ecclesiæ collegiatæ Pultoviensis oppidi, cui absentia trium mensium vetita fuit in ecclesiæ collegiatæ erectione ante Concilium Tridentinum peracta, modo pro indulto absentandi per tres menses ad formam dicti Concilii tum ob diurnum servitium, et reditus exiguos, cum ob noxium Pultoviæ aerem postulavit. Et S. C. annuit juxta votum nuntii apostolici [512] : *Plocen.*, *Servitii chori*, 19 *febr.* 1791.

34. Vacationes dierum sexaginta, quibus jampridem fruebantur capitulares ecclesiæ cathedralis, auxit Gregorius XIII, Pont. Max., ad septuaginta, dummodo ultra tertiam simul partem non abessent. Secundam nuper postularunt illarum vacationum ampliationem, ad tres menses nempe cum perceptione redituum, qui in distributionibus omnes consistunt, et cum indulgentia, ut qui in uno vacare non possent anno, vacationes duplicare valerent in sequenti. S. C. vero quoad ampliationem affirmative juxta votum Ordinarii [513] servata forma Constit. Gregorii XIII, Pont. Max., in reliquis negative rescripsit : *Oriolen.*, 14 *januar.* 1792.

35. Choralium vacationum ampliatio ad tres menses denegatur capitulo, et canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Brixichellæ, qui oblatam assistentiam nonnullis divinis officiis ac functionibus ecclesiæ, veluti in remunerationem præstare tenentur ex bulla erectionis collegiatæ, etiamsi indiligenter faciant; et additur a S. C., ut servari mandetur solitas vacationes dierum 36 : *Faventina*, *Vacationum*, 14 *dec.* 1793.

46. Capitularibus collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai civitatis de Alicante, insalubri sunt cœlo, vacationum juxta Episcopi votum extensio a bimestri ad trimestre conceditur : *Oriolen.*, 6 *dec.* 1794.

Capo salvo. Vide *Contractus*, § II.

CAPSA.

1. Postulatum est, an societas S. Mariæ Coronatæ, seu suffragium Bononiæ aggregata archiconfraternitati Suffragii de Urbe retinere possit capsulam in ecclesia pro eleemosynis? S. C. respondit dari decretum in *Lunen.*, *Sarzanen.*, 19 *aug.* 1690 et 13 *januar.* 1691, dub. 6 [514] : *Bononien.*, *Jur. paroch.*, 17 *nov.* 1691, *dub.* 6.

2. Contendentibus patribus reformatis de Observantia S. Francisci adversari puritati eorum regulæ retentionem cujusdam capsulæ positæ ad recipiendas eleemosyna pro Missis in ecclesiis B. M. V. Assumptæ Montis Varalli, visitator apostolicus demandavit eam in vestibulo extra ecclesiam collocari, et non acquiescentibus illis, Episcopus censuit amovendam, et eleemosynas per syndicum apostolicum recipiendas. Nihilominus patres rem detulerunt ad S. C., quæ sub die 27 junii 1699 confirmavit edictum Episcopi, cui syndicus singulis quadrimestribus reddere rationem tenetur : *Novarien.*, *Eleemos.*, 20 *martii* 1700.

3. S. C. declaravit religiosos Minores Observantes regulæ S. Francisci non posse servare capsulas pro Missis celebrandis : *Ordinis Min. Observ.*, *Capsularum*, 7 *julii* 1708.

4. Jam S. C. antea statuerat Episcopo competere jus visitandi loca pia salva auctoritate curiæ legationis administrationes œconomicas exercentis. Quum inde Episcopus prædictus decrevit in monasterio S. Caroli capsam depositi muniendam tribus clavibus, quarum unam confalonierius communita-

[512] Qui tres proponit conditiones « ut omnes interesse divinis officiis debeant diebus dominicis per omne tempus Adventus, Quadragesimæ, octavæ Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, necnon S. Ecclesiæ titularis ; » secundo « ut nunquam plures canonici, quam in tertia parte eodem tempore abesse, et frui vacatione possint ; » ac tertio « quilibet canonicus, quo primam possessionem aggreditur, continuum integro primo anno præstare servitium debeat, ut gratiam vacationum quodammodo mereatur. » *Ead. causa*, 19 *febr.* 1791, § 5.

[513] Qui capitulo favet, ob maximum calorem Oriolensis civitatis, reditusque post indultum Gregorianum ob pensiones, et subsidia imminutos : *Ead. causa*, 14 *januar.* 1792.

[514] Vide verb. *Eleemosynæ*, etc., num. 6.

tis haberet, alteram vicarius foraneus, tertiam prior sodalitii Sanctissimi Sacramenti, ac in capsa pecunias ad quatuor loca, et pia opera spectantes deponi jussit; hinc legationis jurisdictio læsa reputata fuit, et re in S. C. delata; hæc decidit decretum Episcopi sustineri juxta modum [515] : *Fanen.*, *Jurisdict.*, 11 *aug.* 1759. Deinde confirmat decretum juxta mentem [516] : 22 *martii* 1760.

CARCERATIO.

1. Quæsito, an canonici, et clerici diœcesis Valvensis delinquentes debeant ibidem in carcerem compelli, et non transportari ad carceres diœcesis Sulmonæ? respondit S. C., canonicos et clericos diœcesis Valvensis delinquentes ibidem in carcerem contrudi, non autem trahi ad carceres Sulmonæ debuisse : *Valven.*, 3 *sept.* 1650. *dub.* 3.

2. Spectata interposita appellatione ad curiam metropolitanam Aquileiensem valide non potuit Episcopus sacerdotem Antonium Gattum ob prætensum spretum irregularitatis carcere fatigare; sed idem Episcopus tenetur ad expensas, interesse, damnaque passa occasione præmissa : *Comen.*, *Irregular. et gravam.*, 9 *sept.* 1702, *dub.* 2, confirm. 1 *martii* 1704.

3. Occasione cujusdam rixæ inter sacerdotem Vincentium Stagnarium, et Joannem Dentorem in diœcesi Brugnatensi sequutæ Episcopus ad processus confectionem devenit; deinde ad sententiam condemnatoriam pro solutione alicujus summæ pecuniarum; sed interposita appellatione a sacerdote Vincentio ad Archiepiscopum metropolitanum, ac postea ad S. C. dictus Episcopus interim per epistolam senatum Januæ, ubi sacerdos morabatur, requisivit, ut in carcerem dictus sacerdos compingatur, prout factum est. Conquestus est proinde metropolitanus ob suam jurisdictionem, ac ecclesiasticam immunitatem violatam spectata in carcerem inclusione, ac brachii secularis petitione. Id fecisse ait Episcopus ad majora mala removenda, quæ ex familiis rixosis timebat. Requisita S. C. non valuisse Episcopum Brugnatensem dictum sacerdotem inconsulto Archiepiscopo Januæ vinculis frænare decidit : *Januen.*, *Jurisdict.*, 18 *novem.* 1702, *dub.* 1.

4. Carceribus curiæ episcopalis detento Francisco Antonio Florentino parocho oppidi Altii, causa nonnullorum luxuriæ criminum, et inchoato processu eadem curia suasit, ut ille suam ecclesiam cum aliqua capellania permutaret, et processus prosequutionem deseruit. Permutatio facta fuit, quam invalidam S. C. agnovit; hinc petito ad parochiam regressu, S. C. voluit, ut Florentinus ad carcerem redeat, et œconomus apponatur : *Novarien.*, *Permut. parochiæ*, 6 *oct.* 1703, *dub.* 2.

5. Episcopus, qui sollicitus exequutionis decreti applicationis Missarum subscriptionem cujusdam folii declarativi applicationis Missæ conventualis canonicis cathedralis ecclesiæ præceperat, archidiaconum ejusdem ecclesiæ subscribere idem folium renuentem non potuit in carcerem detrudi : *Civitatis Plebis*, 17 *maii* 1704, *dub.* 2.

6. In carcerem inclusio sacerdotis Dominici Antonii Vozza ob prætensa delicta non fuit valida, nec sustinetur, et additur ad mentem. Nam pro carcere urbem, ejusque districtum habuerat. In ejusdem favorem de bona fama, deque moribus honestis vicarius generalis Metropolitani Hydruntini perhibet testimonium : *Ugentina*, *Sequest.*, 8 *aug.* 1716, *dub.* 3.

7. Sub nomine pœna correctionis intelligi carcerationem dummodo sit ad breve tempus S. C. decrevit : *Pacen.*, *seu Nullius*, *Jurisdict.*, 15 *jan.* 1720, *dub.* 4.

8. Conjectio in carcerem abbatis collegiatæ ecclesiæ de Zafra anni 1716, ac processus confecti, et decreta respective facta a Petro Leonio visitatore deputato ab Episcopo in visitatione anni 1721 non sunt valida; sed sunt acta circumscribenda. Nam contra illum procedere non ei licebat : *Pacen.*, *Juris visitandi de Zafra*, 29 *januar.* 1729, *dub.* 3.

9. Episcopus Capritanus suffraganeus ex causis sibi notis, et informata conscientia quosdam sacerdotes suspendit. Appellationem hi ad Metropolitanum interposuerunt, qui eos absolvit, et absolutionem non Episcopo, sed cuidam parocho commisit. Episcopus prædictus honori suo consulens eosdem vinculis, et custodia coerceri jussit. Hos catenis vinctos recte carceribus mancipatos fuisse omnibus remotis attentatis S. C. super hac re consulta arbitrata est : *Capritana*, 16 *decem.* 1730, *dub.* 4.

10. Ac proinde præfatæ metropolitanæ curiæ eosdem sacerdotes postea a carceribus liberare non licuisse firmatur, additumque attentatum fuisse eos a vinculis vindicasse : *Ibid.*, *dub.* 5.

11. Stupator Dominicus Antonius Falconierius a

[515] Vide not. 88, tom. 1, verb. *Administratio*, § 2.

[516] Vide not. 89. ibid.

curia Lyciensi condemnatus fuit in uxorem mulierem ducere, vel illam dotare. Sed quum mulier sponsalia inter eos fuisse contenderet, ad curiam metropolitanam appellavit, quæ omnino virum contrahere matrimonium debere, aliter in carcerem detineri definivit Dominicus e contra stuprum negat, negatque sponsalia; consulta S. C. detinendum esse interim in carcerem, et ad mentem, quia ad contrahendum matrimonium tenetur, rescripsit: *Lycien.*, *Sponsalium*, 12 *martii* 1729. Deinde, ut Falconierius reluctans in carceribus retineatur, voluit: 4 *januar.* 1730. Demum idem omnia constanter inficians, matrimonium se facturum negavit, et S. C. ut solvat dotem, et post hanc solutionem e carcere dimittatur præcepit: 17 *novem.* 1731.

Cardinalium congregationes. Vide *Congregatio* §§ II, III, IV, V, VI et VII.

Castitatis votum. Vide *Sacramentum ordinis*, § XII.

castitatis votum quoad dispensationem. V. *Dispensatio*, § XIV.

Casus reservati. Vide *Confessarius* § III.

Casuum conscientiæ congregatio. Vide *Congregatio*, § I.

Catechismus. Vide *Doctrina christiana*.

Cathedralis ecclesia. V. *Ecclesia cathedralis*.

Cathedraticum. Vide *Episcopus*, § III.

CAUSA JUDICIALIS QUOAD COGNITIONEM.

1. S. C. respondit ad Episcopum Cremonensem his verbis: Episcopum in cognoscendis causis criminalibus adversus personas collegiatæ istius ecclesiæ S. Agathæ debere procedere cum consilio, et assensu duorum canonicorum, quos capitulum ipsius collegiatæ anni cujuslibet initio elegerit ex dispositione Concilii Tridentini sess. 25 [517], cap. 6: *Cremonen. anno circiter* 1575, *dub.* I.

2. Quoad causas præcedentiæ S. C. censuit pro definitione S. C. Rituum [518] adeundum esse: *Aquilana*, 5 *febr.* 1604, *dub.* 5.

3. Respondit S. C. decretum [519] Concil. Trid. sustulisse quæcumque ordinaria, et Sedis Apostolicæ privilegia, notionem causarum criminalium, et matrimonialium inferioribus Episcopi tribuentia, ac propterea eis non obstantibus ejusdem causas post Concil. esse ab Episcopis dumtaxat cognoscendas: *Theatina*, 12 *januar.* 1613, *dub.* 1.

[517] Vide not. 379, verb. *Canonici* § 6.

[518] In Const. *Immensæ æterni* Sixti V, 22 januar. 1587 (*Bull.* tom. 4, part. 4, pag. 392) § *Congreg. quinta* legitur: « Controversias de præcedentia in processionibus; aut alibi, cæterasque in hujusmodi sacris ritibus, et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant. » Hinc vigore S. C. facultatis in sua institutione tributæ, causas de præcedentia hæc debet cognoscere. Etiamsi hæ quæstiones etiam in Congr. Episc. et Regul. ac Concilii quandoque agitantur; ut observat Van-Espen *Jus. Eccl. Univ.* part. 1, tit. 22, *de Congr. Card.* cap. 7, num. 4, et seqq. qui ait: « Præter quæstiones, quæ ritus cæremoniasque concernunt, quæque primario ad hanc Congr. spectant, plures aliæ etiam quæstiones ad ipsam referri solent, ut v. g. præcedentiam, aliarumque præeminentiarum in processionibus, aliisque publicis functionibus; aut etiam super jure funerandi, vel celebrandi officium funebre, aliisque quæ divinum officium turbare possent; quæque pertinent, ut rite, et recto ordine omnia in ecclesia peragantur. Hæ tamen quæstiones, præsertim si inter regulares incidant, non raro ad Congregationem super negotiis Episcoporum et Regularium mittuntur, atque ab ea deciduntur; adeo ut privativa singularis cognitio hujus Congregationis Rituum, (quemadmodum monet de Luca in *Relat. Cur. Rom.* disc. 18, num. 24) versetur in præscribendis ritibus in divinis officiis, ac etiam super canonizatione sanctorum. »

[519] Sess. 24, cap. 20, *de Reform.*, ubi ita legitur: « Ad hæc causæ matrimoniales, et criminales non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquantur. » Harum autem matrimonialium controversiarum, de quibus institui solent judicia, triplex est genus. Aliæ enim vim ipsam icti fœderis, ac firmitatem attingunt; et hæ cum respiciant naturam intimam sacramenti, tantum in ecclesiastico foro tractandæ sunt. Aliæ pertinent ad vim sponsalium, atque ad jus instituendi divortii quoad torum, ac mutuam habitationem; et hæ similiter ecclesiastico judicio noscendæ, definiendæque sunt ex cap. 10, *de Spons.* cap. 3, *de Divort.* Nam respectum habent ad sacramentum matrimonii, quoniam ad illud contrahendum sponsalibus obligantur, ac per divortium jura utrique conjugi matrimonio quæsita relaxantur. Aliæ denique sunt causæ, quæ aliquam quidem habent cum matrimonio affinitatem, sed directe spectant res mere politicas, ac temporales. Hujusmodi sunt causæ de dote, de donatione propter nuptias, de hæreditaria successione, alimentis, ceteris generis ejusdem; et hæ quidem seculari judici committendæ sunt. Consule Bellarmin. l. unic. *de Matrim.* c. 32, pag. 687, t. 3, opp. ed. Venet. 1721. Verum si qua interim, dum hæc in laicali foro expenduntur, oriatur controversia de jure connubii, puta de impedimento dirimente, inchoato judicio supersedendum est, cunctaque ecclesiastico judici adscribenda sunt. At ecclesiasticus judex ipse etiam cognoscit causas de hæreditaria successione, de dote, de similibus, si qua de his rebus incidat disputatio, cum de vi matrimonii, aut jure ad divortium quæritur.

4. Ac sublato privilegio nihil obstare Episcopo, quominus ejusmodi causarum criminalium, et matrimonialium cognitionem sibi suo jure vindicet. Sed immemorabilem consuetudinem de his judiciis exercendis, quam inferiores Episcopo habuerant, ipsius Concilii decreto, nequaquam esse sublatam. Ceterum donec fuerit probata, et de ea constiterit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ æquipolleat tribus, eo quod transitum fecerit in rem judicatam, Episcopum solum, non autem alios inferiores debere hujusmodi causas cognoscere, firmatur : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Mature discusso negotio, ac juribus utriusque partis auditis, censuit S. C. cognitionem causarum matrimonialium, et criminalium non ad abbatem de Luculo, utque si extra Aquilanam ecclesiam profiteatur, sed ad Episcopum Aquilanum tantum pertinere, neque vero Rotam in hac specie quidquam adversus Episcopum statuisse [520]: *Aquilana*, 4 *maii* 1613.

6. Agendum est cum Sanctissimo domino nostro, qui ad distrahendas lites, quæ quotidie oriuntur super existentia status secularis, vel regularis ecclesiæ Niciensis dignetur statum ipsum regularem ad secularem reducere : *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 1.

7. In causis de præcedentia Episcopus potest procedere ad exequutionem decreti Concilii Trid. sess. 25, *de Regul.* cap. 13 [521], et declarationis S. C. [522], inhibitionibus A. C. non obstantibus : *Spoletana*, 23 *junii* 1629.

8. Quoad causas mensæ episcopalis in Rota vertentes injungitur auditoribus Rotæ celerem expeditionem judicii, et oratori providetur spectata redituum episcopatus tenuitate de advocatis, et procuratore, qui gratis inserviant : *Bobien.*, 16 *martii* 1630, *dub.* 5.

9. Circa differentias supra quatuor parochos nuntio, ut provideat, prout fuerit juris : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 9.

10. Declaravit S. C. quoad causas visitationis, correctionis, et primæ instantiæ, in quibus exponitur Archiepiscopum Tarraconensem Metropolitanum de facto se intromittere, injungendum ipsimet nuntio, et quoties querelæ Episcoporum suffraganeorum circa hæc ei fuerint præsentatæ, dispositionem sacr. Concil., et decretorum tempore Clementis VIII, Pont. Max., a S. C. Episcoporum editorum, et *apud Quaranta in sua* Summa *in verbo* Archiepiscopi *auctoritas* [523] registratorum omnino observare mandet. Quod si Archiepiscopus putet exstare consuetudinem illius curiæ magis favora-

[520] De hac re ita loquitur Card. Petra *Comment. ad Const. IV Calisti III*, sect. 2, num. 47, seqq. tom. 5, pag. 59. « Quoad causas criminales, ex dispositione Concilii Tridentini fuit quoque adempta facultas eas cognoscendi in sess. 24, cap. 20, quibuscumque prælatis inferioribus, solisque Episcopis reservata, non obstantibus privilegiis, indultis, concordiis, quæ suos tantum auctores teneant, ac aliis consuetudinibus quibuscumque, quam clausulam in fine dicti cap. 20, quod omnia ibi contenta, expresse appositam fuisse, indicavit Concilium, ut supra notavi : ac procedunt in his causis criminalibus dicta, quoad causas matrimoniales ; fuisse nempe sublatam præscriptionem quadragenariam cum titulo colorato : nam etsi ante Concilium potuisset hæc jurisdictio præscribi cit. cap. *Auditis de præscript.*, ubi Fagnan, et canonistæ, ac idem Fagnan. in cap. *Accedentibus*, num. 56, *de Excess. Prælat.* Tamen post Concilium dicitur sublata quæcumque consuetudo, et sic prælati inferiores primæ, et secundæ speciei nequeunt tueri consuetudine quadragenaria prædicta, ac declaravit S. C. Concilii pluries...... *et in Aquilana Abbatiæ de Luculi* supra cit. 4 maii 1613, eod. tom. 109, pag. 35, etsi ille haberet jurisdictionem quasi episcopalem in loco, tamen quia non habebat territorium separatum a diœcesi Aquilæ, censuit S. C. *non posse cognoscere causas criminales* ; idem etiam expresserat sect. 1, num. 14, pag. 49. »

[521] Ibi : « Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam seculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella, et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat. » Hoc decretum declaratum est a S. Pio V, Const. *Divina*, 27 aug. 1568 (*Bull. Rom.* tom 4, part. 3, pag. 31), quoad fratres prædicatores, decernente, eis ubique competere præcedentiam ante quoscumque ordines mendicantes, etiam in privatis actibus. Quam præcedentiam postea Clem. VIII, Const. *Inter cætera* 25 sept. 1592 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 1, pag. 395), iisdem concessit etiam ante alios quoscumque ordines regulares (exceptis canonicis, et clericis secularibus, ac antiquis ordinibus monasticis) circa controversias præcedentiæ inter ordines mendicantium, et inter confraternitates laicorum in processionibus, attendenda est declaratio Gregorii XIII, Const. *Exposcit*, 15 julii 1583 (*Bull. Rom* tom. 4, part. 4, pag 38.) Ex Const. Bened. XIII, *Pastoralis officii*, 14 febr. 1726, (*Bull. Rom.* tom. 12, pag. 71.) Fratres Minores de Observantia ubique, et in omnibus gaudent præcedentia supra omnes reformatos. Ex altera ejusd. Pontificis Const. *Militantis ecclesiæ*, 25 junii 1728, *Bull. Rom.* tom. ibid. pag. 250), in qua ad instantiam præpositi canonicæ omnium sanctorum Olmutii in Moravia confirmatur Const. S. Pii V, super præcedentia canonicorum regularium Congr. Lateranensis ordinis S. Augustini in processionibus, et aliis actibus publicis, et privatis, hi, ubi eos interesse contigerit, statim ipsum clerum secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt ; dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate sequi debent.

[522] Die enim 14 febr. 1594, censuit S. C. Concilii Episcopum ex cap. 13, sess. 25, *de Regul.*, controversias super præcedentia in supplicationibus, et aliis similibus ortas inter personas ecclesiasticas tam seculares, quam regulares, componere.

[523] Concilium Trid. cap. 20, sess. 24, *de Reform.*,

bilem, jura sua in S. C. deducere posse : *Ibid.*, *dub.* 14.

11. Circa auditorem principis Monaci, qui in eodem oppido causas matrimoniales, et alias ad ecclesiarum tribunal pertinentes judicium facere præsumit, expressis casibus particularibus S. C., quod opus fuit, decernet : *Nicien.*, *ad Visit. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 10.

12. Concessa a S. C. gratia novæ erectionis ecclesiæ S. Jacobi in insignem collegiatam ex integro, ei concessit indultum jurisdictionis privative quoad causas civiles in prima instantia, et quoad criminales pro levibus excessibus in choro, in ecclesia, et in functionibus ecclesiasticis commissis, in quibus procedendum sit extrajudicialiter, et privative in pœna levi, absente Episcopo, et eo præsente cumulative, et cum illius prælatione : *Antuerpien.*, *Erect. collegiatæ*, 28 *julii* 1702.

13. Causæ cognitio, ob quam juste quis a choro recedit ad effectum removendi punctationes spectare ad capitulum ecclesiæ cathedralis, non ad ejusdem capituli archidiaconos, vel ad alios : *Conversana*, *Punct.*, 4 *decem.* 1706, *dub.* 2.

14. Cognitio causæ excessus commissi a Georgio Cugurra, qui manus violentas injecit in sacerdotem Petrum Michaelem Satam, spectat ad Episcopum Algarensem, licet idem Cugurra appellationem interposuerit adhuc causa non absoluta ad curiam metropolitanam Turritanam, quæ decretum, ut a curia Algarensi copia processuum, ac instructiones haberentur, edidit : *Turritana*, *seu Algaren.*, *Jurisdict.*, 26 *febr.* 1707.

15. Dubio proposito, an Episcopus Maceratensis, et Tolentini procedere valeat in prima instantia in causis Tolentini incolarum, et diœcesis ejusdem, dum residet in urbe, et diœcesi Maceratensi, instante communitate Tolentina, autumante id in præjudicium vicarii Tolentini jurisdictionis vergere, et in gravamen litigantium ? S. C. rescripsit, ut detur decretum in *Hortana*, 8 junii 1624 [584], dub. 5 : *Tolentina*, *Recursus*, 5 *sept.* 1711, *dub.* 1.

16. Quum Archiepiscopus Bracharensis S. C. postulasset, ut causas, aliaque justitiæ rescripta solis judicibus synodalibus, et non aliis deinceps Sancta Sedes committere pro gratia dignetur, ut obviarent, ut inquit, perturbationibus, ac justitiæ rectæ administrationi consulerent ; responsum tulit : Nihil innovandum : *Bracharen.*, *Dubiorum*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 2.

17. Causa in judicium deducta super validitate matrimonii inter regium principem Constantinum Subjecki, filium gloriosissimi Joannis III, Poloniæ

apertissime decernit : « Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium a die motæ litis, terminentur : alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes, adire ; qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari curent ; nec antea illis committantur, nec avocentur ; neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur ; eorumque commissio, aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ ; vel quas ex urgenti, rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis Suæ, manu propria subscribendum, committere, aut avocare. » Paulo post : « Legati quoque, etiam de Latere, nuntii, gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatum vigore non solum Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare præsumant. » Ea verba *Causas omnes* procul dubio civiles universas, de matrimoniis, de criminibus, ac de beneficiis agentes complectuntur. In reliquis autem verbis, *Ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes*, non modo causæ reapse ecclesiasticæ, nempe de matrimoniis, aliisque hujusmodi, sed etiam civiles, aut criminosæ continentur, quæ in personam, vel rem clericorum statuuntur, uti expendit Bened. XIV. *Inst. Eccl.* *XL*, num. 2. tom. 11, pag. 268. Tridentinam sanctionem ampliavit, declaravitque Gregor. XIII, Const. *ad Romani*, 10 julii 1574 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 279), excipiente etiam causarum cognitionem super exequutione litterarum apostolicarum de capienda possessione beneficiorum. In eo quod statuitur, dictas causas terminandas esse saltem intra biennium, ampliatum est a Clem. VIII, Const. *Litium*, 9 febr. 1593 (*Bull. Rom.* tom. 5, part 1, pag. 453), decernente ad celeriorem earumdem expeditionem in omnibus ecclesiastici status tribunalibus attendendas esse tantum in processu nullitatis jurisdictionis, aut mandati (quod prius statuerat Pius IV, pro judicibus almæ Urbis, Const. *Cum ab ipso*, 31 junii 1562 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 129). In eo tandem, quod præscribitur modum appellationis interponendæ, et in quibus causis admitti possit, ampliatum, declaratumque est a Bened. XIV, Const. *ad Militantis*, 30 martii 1742 *Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 60), et specialim quoad causas cognoscendas in prima instantia ab Ordinariis. Decreta autem S. C. Episcoporum de mandato Clementis Papæ VIII, lata anno 1600 circa appellationes, et inhibitiones relata sunt num. 13, in *Append. Conc. Romani* celebrati sub Bened. XIII, an. 1725. Quibus accedunt decreta Urbani VIII, circa eamdem materiam appellationum, et inhibitionum, necnon additiones, et declarationes laudati Benedicti XIII.

[584] In qua S. C. respondit ad dubium propositum : Episcopum in una ex dictis civitatibus existentem posse per seipsum cognoscere causas alterius civitatis, vel diœcesis adhibito notario sibi beneviso tam in processibus conficiendis, quam in actis visitationum conscribendis, sed debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et æqua ex causa fiat, et in arduis tantum, et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur : Vide verb. *Episcopus*, § VI, num. 6.

regis, et comitissam Josepham de Wessel initi, quæsitum fuit a S. C. Rotale votum, ac inde actum fuit de concessione remissoriæ ad instantiam principis, et sac. Rotæ auditorium concedendam non esse declaravit; positiones vero admittendas esse, sed clausas, et edito voto, illud exequendum esse S. C. decrevit: *Leopolien.*, *Matrimonii*, 10 *junii* 1724.

18. Episcopus ad plurimas vitandas tum populi offensiones, tum litigantium incommoda exoravit, ut causarum cognitiones commissariis apostolicis amplius non dirigerentur, nec commissiones assumi possent ab apostolicis commissariis in subdelegatas, sed ut in posterum causæ non committantur, nisi vel judicibus synodalibus electis in aliqua synodo diœcesana, vel provinciali, vel saltem personis ab Ordinario examinatis, et approbatis tanquam idoneis ad hæc munera exercenda, et posito dubio, quomodonam esset providendum? S. C. respondit, ad Card. præfectum cum Card. [525] prodatario: *Portallegren.*, 17 *novem.* 1725.

19. Dum in S. C. declaratio postulatur quoad pium mulierum institutum Heidelbergæ tertii ordinis S. Dominici, quem vocant de Pœnitentia, validitatis erectionis monasterii, seu collegii, ac votorum, quæ emittunt coram superiore cœnobii Dominicanæ familiæ, licet in privata domo degant, disceptatio pendebat coram A. C. circa exequutionem, et observantiam privilegiorum dictæ familiæ; S. C. rescripsit: Dilata, et ad D. secretarium cum auditore Sanctissimi pro unione causarum: *Wormatien.*, *Erect. monast. vel collegii*, 1 *sept.* 1731, *dub.* 1 et 2.

20. Excepta causarum criminalium, matrimonialium, ac quæ animarum curam respiciunt cognitione, causarum civilium judicium cumulative cum Episcopo ad abbatem commendatarium monasterii Saxivivi intra limites diœcesis Fulginatensis existentis spectare S. C. declaravit: *Fulginaten.*, *Jurisdict.*, 1 *martii* 1738, *dub.* 4, confirmata 27 *sept. ejusd. anni.*

21. Causa de redditione rationis pretii nonnullorum bonorum, quæ ab exequutoribus, ære alieno ad piam hæreditatem sacerdotis Benedicti Antonii Fioretti liberandam, vendita fuerunt, ad Ordinarii judicium remittitur: *Æsina*, 18 *decem.* 1762, *dub.* 2, confirmata 25 *junii* 1763.

22. Causæ, quoad thori separationem a Josepho de Guzman postulatam ob matrimonium cum Anna Ponze de Leon contractum, quam eo tempore fuisse dementem vir probare nitebatur, notio prout de jure coram Ordinario examinanda permittitur: *Corduben.*, *Nullit. matrim.*, 26 *martii* 1763, *dub.* 2.

23. Cognitio causæ, quæ in hoc dubio versatur, an sit cogenda mulier Virginia Alberti ad obsequia matrimonialia; seu sit locus separationi thori? examinanda Ordinario, coram quo partes utantur jure suo, commendatur. Mulier enim ob viri probrosa convicia, ac ob sævitiam in illam insontem adhibitam, ab eodem secessit: *Balneoregien.*, *Obseq. matrimon.*, 26 *martii* 1763.

24. De judicio petitæ redintegrationis in favorem capellaniæ cujusdam, cujus onerum minus rite reductio obtenta, et ab administratoribus, et exequutoribus non rite vendita nonnulla bona fuerant, necnon fructuum restitutionis, ac damnorum refectionis S. C. uti jure suo partes coram suis judicibus respondit: *Faventina*, *Reduct. miss.*, *seu redintegrat.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 2.

25. Causæ dilatio concessa fuit mulieri succumbenti, dum judicium agitabatur super matrimonii dissolutione; nam huic mulieri beneficium novæ audientiæ fuerat impertitum: *Asten.*, *Matrimonii*, 18 *maii* 1776.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § IV.

CAUSA QUOAD APPELLATIONEM. V. *Appellatio.*

CAUSA CAPITULI V. *Episcopus*, § IV.

CAUSA PIA. Vide *Legatum pium.*

CAUSÆ MATRIMONIALES. Vide *Matrimonium.*

CAUTIO. Vide *Administrator*, § I.

CELEBRATIO ANNIVESARII. Vide *Anniversarium*, § I et III.

CELEBRATIO MISSÆ CONVENTUALIS. V. *Archidiaconus*, § V; *Archipresbyter*, § VI; *Beneficiati*, § III; *Canonici*, § IV; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV; *Presbyter*, § IX.

CELEBRATIO MISSÆ PAROCHIALIS. V. *Archipresbyter*, § VI; *Capellanus curatus*, § III; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Parochus*, § V; *Præpositus*, § IV; *Vicarius curatus*, § V.

CELEBRATIO MISSARUM. Vide *Capellanus* §§ I, II, III, V et VIII. *Missa* § III, IV, V et VI.

CENSURÆ SEU PŒNÆ ECCLESIASTICÆ IN GENERE. V. *Pœnæ ecclesiasticæ seu censuræ in genere.*

[525] « Rescripsit, a D. Card. præfecto serio agendum esse cum Card. prodatario, ut a suis administris adamussim servari mandaret Tridentini sanctionem. Sed si Episcopi nomina judicum, in synodo deputatorum, Sedi Apostolicæ non manifestant, sibi imputare debent, quod commissiones ad minus peritos quandoque dirigantur: officiales enim Sanctæ Sedis divinare non possunt, quinam in hac, aut illa diœcesi idonei sint ad apostolicas commissiones rite subeundas, ac propterea apostolicas litteras ad eos dirigunt, quas audiunt, aliquo specioso titulo condecoratos, quamvis non ignorent, sub specioso tituli cortice homines aliquando latere satis rudes, et crassos. » Bened. XIV, *de Synod. diœces.* lib. 4, cap. 5, num. 6, tom. 12, pag. 134, edit. Rom. 1748.

Censuræ seu pœnæ ecclesiasticæ in genere quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § vii; *Episcopus*, § xvii.

Censuræ seu pœnæ ecclesiasticæ in genere quoad jus ferendi. V. *Episcopus*, § xi.

Censura excommunicationis. Vide *Excommunicationis censura*.

Censura interdicti. Vide *Interdicti censura*.

Censura suspensionis. Vide *Suspensionis censura*.

CENSUS.

§ I.

Census quoad constitutionem, impositionem, extinctionem, validitatem, et nullitatem.

1. Quum administratores ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, ne legata pecunia scut. 1300 eidem ecclesiæ cum onere Missarum otiosa remaneret, quod bona stabilia non reperiuntur, supplicarent, ut possint censum emere ad rationem quatuor pro centenario ab aliquo pio loco, et S. C. facultatem petitam impertivit : *Neopolitana*, 3 *aug*. 1658.

2. Canonici ecclesiæ cathedralis, quibus fundus præbendarum evictus fuit, et pecuniam otiosam retinent, exorant pro facultate investiendi in censibus, et S. C. annuit, ita tamen, ut census fiant dum personis idoneis, et adhibitis necessariis cautelis, et cum renovatione fideijussorum : *Tarentina*, 8 *aug*. 1671.

3. Fratres Minores S. Francisci de observantia ab Elisabeth Sfortia *a beneficio di detto Convento* censum in sorte ducat. 80 emerunt, et successive fructibus elapsis adjudicari quoddam olivetum contra fratres de Moretti s obligatos obtinuerunt. Conclamarunt hi incapaces esse illos patres possidendi causa puritatis eorum regulæ; et querelis ad S. C. delatis, ad dubium, an census, de quo agitur, impositus ab Elisabeth, et Francisco Sfortia in favorem patrum Minorum observantium S. Francisci terræ novæ sustineatur? respondit non [526] sustineri : *Oppiden*., *Census*, 7 *decem*. 1709, confirmata 3 *octob*. 1716.

4. Prior, Spatres et ervitæ sub titulo permutationis acquisierunt annuum censum scut. quinque in sorte scut. 100 impositum super quatuordecim tornaturis cujusdam prædii ad Franciscum Maserium spectantis. Illum postea iidem patres vendiderunt cum Episcopi beneplacito ; minime S. C. certiore facta, dum de ecclesiæ utilitate agebatur; ob id eadem S. C. interrogata de alienationis validitate, eam validam esse censuit : *Forolivien*., *Alienat. census*, 25 *januar*. 1716 Deinde quum constitutiones ordinis prohiberent, ne ullus prior immobilia vendere possit, nisi de licentia prioris generalis, causa ad examen fuit revocata, et rescriptum prodiit : Dilata, et audiatur prior : 2 *maii ejusd. anni*. Demum recessit a decisis, declaravitque alienationis nullitatem : 4 *julii ejusd. anni*.

5. Ad capellam S. Caroli erectam in ecclesia B. M. V. del Tufo extra terram Canini pertinebant gemini census unus in sorte scut. 700, alter in sorte scut. 100 ad rationem octo pro quolibet centenario, et anno. Ut hoc grave nimis fœnus averteretur, alii minus tuti, et quoad fructus, et quoad sortem constituti sunt census in locum priorum; sed assignationem hanc minime validam esse S. C. respondit : *Aquipendien*, 4 *julii* 1722, *dub*. 1.

6. Neque propterea gratiæ revalidationi locum esse debere eadem S. C. censuit : *Ibid*., *dub*. 2.

7. Causa controversiarum, quæ inter duo capitula S. Mariæ, et S. Hilarii, et S. Jacobi terræ Luci vigebant, Clemens XII, Pont. Max., in collegiatam S. Mariæ erexit, et in erectionis constitutione adjecit; *quod capitulum*, *et canonici pro expensis ratione erectionis in secularem, et insignem collegiatam faciendis ære alieno se obstringere debebit, cum hoc etiam quod tam præpositus, quam canonici, et mansionarii pro tempore recipiendi in actu eorum receptionis, et deinde annuatim pro rata parte ad extinctionem debiti contracti contribuere teneantur*. Census contractus proinde fuit in sorte scut. 800. Ac insuper capitulum postulavit alterum contrahere in sorte scut. 1200 primum redimendo, ac necessarias expensas implere. Deinde utrasque

[526] « Quia census etsi fuisset valide creatus ad formam certarum personarum, tamen venditio census ab illis facta dictis fratribus, nulla fuit merito declarata ; dicerem tamen, quod si fuerit a fratribus data pecunia contrahenti, resoluto contractu, debet pecunia restitui syndico fratrum, quia ea est permissa pro usu fratrum, cum annullatio contractus debeat esse pro utraque parte et licet in dicto casu *Oppiden*. id non fuerit demandatum, quia dubium id non complectebatur, et rursus, quia fratres ex tali contractu nullo, usuras per plures annos receperant, qui potuerant sortem extenuare. » Card. Petra *Comment. ad Const. III Joannis XXII*, num. 54, seqq. tom. 4, pag. 15.

collegiatas univit Summus Pontifex in templo S. Jacobi nomine SS. Petronii et Prosperi; et dubitatum fuit de validitate census scut. 800 a capitulo S. Mariæ contracti absque beneplacito apostolico, et an in Constitutione Clementis XII, Sum. Pont., comprehensum erat, et quatenus negative, an locus sit sanatoriæ, necnon, num impositores teneantur de proprio ad redemptionem eorumdem censuum? responsum fuit: Dilata, et ad mentem [527]: *Imolen.*, *Plurium.*, 19 *sept.* 1744, *dub.* 1, 2 et 3.

8. Ac impositionem census scutorum millium gestam a canonicis olim S. Mariæ prævio rescripto S. C. Episcoporum, et Regularium esse legitimam factam deciditur: *Ibid.*, *dub.* 4.

9. Et ad dubium, an autem dicti canonici teneantur etiam de proprio dictum censum redimere, et respective deponere ratas partes, quæ juxta legem præscriptam in beneplacito poni singulis annis debuisset? respondit S. C.: Dilata, et ad mentem [528]: *Ibid.*, *dub.* 5.

10. Impositionemque primi census scut. 1500 confectam a canonicis olim S. Jacobi esse legitime factam decernitur: *Ibid.*, *dub.* 6.

11. Eosdemque canonicos teneri similiter de proprio dictum redimere, et respective deponere ratas partes elapsas post quinquennium, quas non exuerunt juxta præscriptum modum in bulla erectionis dictæ collegiatæ S. Jacobi, statuitur: *Ibid.*, *dub.* 8.

12. Quum postulatum esset, an hæreditas Dominici Guillelmini oppidi Balnariæ cathedralis ecclesiæ curatis cum onere dotandi puellas pauperiores relicta, sit liberanda ob onere annuæ præstationis scut. 70 monetæ erga hospitale projectorum Viterbii, et a censu Viglioni in sorte scut. 1000 debito eidem hospitali mediante assignatione sortium, vel alio modo magis proficuo? responsum fuit ad dominum secretarium ad mentem: *Viterbien.*, *Dotium*, 11 *april.* 1761, *dub.* 11.

13. Mandaverat Fanensis Episcopus, ut communitas villæ Belloculorum jurepatronatus ecclesiæ S. Sebastiani, et capellæ *Gioventu* privaretur, quatenus infra terminum trium mensium non impetrasset absolutionem a censuris, et emendaverit damna illata per incisionem arborum factam anno 1743, et per inopinatum investimentum pecuniarum dictæ capellaniæ in censu empto sine interventu capellani, ac a debitoribus obæratis constituto super fundo obnoxio anteriori hypothecæ alterius census. Reclamavit hinc communitas, curavitque decerni, demandatam hanc census, illiusque fructuum recuperationem, et restitutionem pretii lignorum, et arborum cæsarum, non sustineri, verum imperatum est, ut Episcopus procederet prout de jure servatis servandis: *Fanen.*, *Exequut. decret. sacræ Visitat.*, 22 *novem.* 1760, *dub.* 9, confirmata 28 *febr.* 1761.

14. Ex immemorabili consuetudine quisque potest in provincia Tarraconensi quædam sub nomine personatus erigere, et dotare beneficia ea lege ut sibi, et duobus ejus immediate successoribus liceat eadem beneficia extinguere, et bona illis addicta in aliud pium opus impendere. Hunc morem servare voluit sacerdos Pontius Martii, qui personale beneficium fundaverat, sed censuit differre ad tempus alterius pii operis exequutionem, ut census in beneficio assignatus deleretur. Debitor census, et fideijussor aiunt simulatam fuisse pecuniæ traditionem, et sic de nullitate, et de fructuum restitutione egerunt coram S. C.; verum hæc respondit, ut uterentur jure suo coram Ordinario, et ut recurrerent post exitum causæ: *Gerunden.*, *Census*, 14 *maii* 1768, *dub.* 1.

15. Quæsitum postea fuit, num redemptioni dicti census ad formam testamenti Pontii Martii esset locus? præfatum relatum est responsum: *Ibid.*, *dub.* 2.

16. Hæreditas Petri Mariæ Constantini sodalitio Suffragii Arimini, ad hoc ut nonnulla opera pia expleret relicta, ære nunc reperitur alieno implicata in scut. 1825. Sodalitium censum imponere desiderat, et una implorat indultum suspendendi omnia legata quousque debitum non fuerit extinctum. Hac enim via credit et censum extinguere, conservare hæreditatem, et satis oneri facere. Animadvertendum, quod S. C. jam antea concesserat suspensionem Missarum capellaniis inhærentium pro expensis, quas in lite pro recuperando prædio sodalitium subierat. Hodie quæritur, quomodonam foret providendum? responsum prodiit: Ad D. secretarium cum Episcopo juxta mentem [529]: *Ariminen.*, *Suspens. oner.*, 13 *martii* 1784.

16. Elegans extat in civitate Castelli, quam antiquum Tifernum fuisse nonnulli credunt, ecclesia cathedralis S. Floridi, Bramantis opus. Factum recenter est, ut ea multis absidis altiorisque tholi cre-

[527] Et mens est, ut fiat coram secretario probatio versionis pecuniarum. *Ead. causa*, 19 *sept.* 1744.

[528] Et mens est, ut fiat liquidatio expensarum, et divisionis coram Episcopo. *Ead. causa*, 19 *sept* 1744.

[529] Mens est, ut Episcopus solvere faciat debitum confraternitatis suffragii tradendo censum scut. 800 familiæ Martinelli, alia scut. 100 ex pecuniis crediti provenientibus ex venditione prædii; aliud debitum scut. 300 cum familia Malvaria dissolvere jubeat ad formam initæ conventionis: quoad creditum vero confraternitatis cum familia Malvaria Episcopus pro sua justitia, et conscientia perpendat, et liquidet summam, detractis summis, quas societas percipit vigore indulti S. C.: *Regist. lit.* lib. 34, *die* 13 *martii* 1784.

verit ornamentis, et picturis. Sed nonnihil ad perficiendum hoc opus restat, quod in tribus millibus æstimatum est scutis. Capitulum non habens in ære, tenuique provisum reditu, totidem censuali fœnore accipiendum coactis comitiis deliberavit. Opinatur Episcopus capitulum intra 15 annorum curriculum census expungere valere, quia ex hæreditatibus Gabrielli, ac Lumacchini, qui pro ecclesiæ cathedralis indigentiis statuerant, reliquum exigit. Quæsito hinc quomodo nam sit beneplacitum apostolicum indulgendum? esse indulgendum juxta votum Episcopi [530], et juxta mentem a secretario explicandam [531] respondetur : *Civitatis Castelli*, 18 *junii* 1785.

18. Locum esse S. C. decernit impositioni census pro instaurandis tribus domibus capellaniæ nuncupatæ *Mariotti*, quæ ruinam minantur, deposita tamen quotannis summa ab Episcopo taxanda pro ejusdem census extinctione : *Recineten.*, 10 *sept.* 1785, *dub.* 3.

19. Œconomus beneficii fundationis Bartholomæi Vitelleschi postulat, ut pro summa scut. 200 debiti beneficii imponere censum liceat, ex pensionibus instauratæ domus remittendum ; et S. C. annuit pro impositione census votum Card. Episcopi [532] : *Cornetana, Suspens. oneris Miss.* 20 *sept.* 1788, *dub.* 1.

20. Canonici ecclesiæ cathedralis ad instaurandam potissimam capituli domum terræmotu concussam applicationem redituum hæreditatis Thomæ Ugolini jam antea obtinuerant ; se quum graviora comperta fuissent vitia domus prædictæ, iterum facultatem petierunt, et impetrarunt imponendi census scut. 600. Modo, ut cuius artifices dimittant, alteram efflagitant potestatem creandi super bonis eorum mensæ censum in sorte scut. 700. Satisfecit S. C. eorum desiderio in summa citata juxta votum Epicopi [533] : *Forolivien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 1.

21. Et quoad solutionem fructuum, sortisque extinctionem insuper S. C. deponenda singulis annis scut. 40 de superextantibus hæreditatis Ugolini, et 20 ex pensionibus domus reparatæ, censuit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 19 *junii* 1790.

22. Ad reparandam ecclesiam parochialem ruralem B. M. Virginis, et S. Blasii de Cento copia data est creandi censum pro nunc scut. 200 super bonis parœciæ, solutis per parochum fructibus, ac deposita per eumdem annua summa scut. 20 in extinctionem sortis : *Bononien.*, 12 *maii* 1792, *dub.* 2.

23. Petiit Episcopus in exequendis declarationibus S. C. quoad reditus, et onera capituli ecclesiæ cathedralis, licentiam alienandi census piarum fundationum, ut pretium in emptionibus fundorum data opportunitate erogetur, vel ad aptiorem normam investietur juxta exigentiam novæ administrationis ; et S. C. rescripsit juxta votum Card. relatoris [534] : *Ecclesien., Oner. et distribut.* 16 *aug.* 1794, *dub.* 4.

[530] Quod hisce verbis fuit expressum : « Miglior provedimento non puo suggerirsi, che quello, di obligare il mio capitulo, durante il prossimo triennio, in cui deve attualmente sborzare scut. 100 per il finale pagamento dell' altare di marmo gia fatto, a depositare ogni anno scut. 100 delli avvanzi dell'eredita Gabrielli, e scùt. 50, dell' eredita Lumachini, delli quali esso capitolo e libero amministratore ; scorso poi questo triennio aggiungere alli scut. 150 li altri scut. 100, e doppo il triennio per l'estinzione del censo depositare annuelmente scut. 250 venendo cosi ad estinguere totalmente il censo in meno di quindici anni. » *Ead. causa*, 7 *maii* 1785, § 2.

[531] Mens fuit, ut vel imponantur census non majores 600, vel obtinetur per capitulum a creditore offerente scut. 3000 facultas extinguendi in ratis partibus haud minoribus scut. 300, et imposita per Episcopum eidem capitulo lege statim, ac in deposito aderint scut. 300 ea eroganda in extinctionem, aut medietatis parvorum censuum, de quibus supra, aut pro rata parte in extinctionem partialem majoris census pariter ut supra : *Ead. causa*, 18 *junii* 1785.

[532] Qui ait : « Ex reditibus beneficii solo biennio, quod superest ad explendam administrationem, non potest tantum colligi, quantum pro nova domus ædificatione impendere necessarium fuit. Confugiendum igitur est ad æs alienum per impositionem census in summa scut. 200, quod dimittetur pensionibus e domo locata percipiendis. Quamvis autem æs alienum in præsentiarum conflandum sit ad artificum operas ex parte satisfaciendas ; tamen depositum pensionis fieri nequit sequentibus duobus annis ; quippe hæ cum ceteris reditibus ad artifices ipsos integre solidandos addictæ sunt. Nec æquum est, administrationem in longius tempus protrahere propter inopiam beneficiati, quæ commiseratione digna est. » *Ead. causa*, 20 *sept.* 1788, § 3.

[533] Inquit Episcopus : « Capitulum, et canonici humillime postulant, ut S. C. benigne annuat supersederi per annos decem in satisfactione nonnullorum legatorum, celebratis tamen anniversariis, quorum reditus, et onera hic adnecto. His compositis, summam scut. 200 in quolibet anno in promptu esset, quorum pars in fructuum solutionem, et pars in sortis extinctionem cedere deberet in quantitate præfinienda. Hæc sola via, hoc unicum est remedium, quo tam gravi necessitati occurri possit, nec aliter ab ære alieno contracto oratores levari possunt præ redituum tenuitate, quæ tanta est, ut demandata annuæ summæ depositio in duobus elapsis annis minime absoluta fuerit. Accedit in omnibus canonicorum concensus ; et nullus alius adest, qui interesse habeat in legatorum prædictorum satisfactione. Unde mea est sententia, ut sacer iste senatus petitioni oratorum annuere possit. » *Ead. causa*, 16 *maii* 1789, § 3.

[534] Qui primum laudat capituli studium census in fundos stabiles, et frugiferos convertendi, inde monuit ; quod jure antiquo opus erat synodali examine, et assensu, ut fieret alienatio, et concludit : « Grave igitur esse non

§ II.

Census quoad fructus.

1. Leopardus Leopardi in favorem societatis Sanctissimi Sacramenti duos census in sorte scut. 370 imposuit ad rationem quinque pro centenario. Hippolytus Leopardi filius ab dicti sodalitii officialibus obtinuit reductionem fructuum horum censuum ad rationem quatuor pro centenario absque beneplacito apostolico ; ideo supplicat, ut reductionem hanc validam declarare lubeat, eamque tam pro præterito, quam pro futuro confirmare, et revalidare. Sed neutrum S. C. pro tunc resolvere existimavit, bis causam distulit, voluitque, ut instrumentum reductionis exhibeatur : *Senogallien.*, *Censuum*, 29 *januar.* 1718, *dub.* 1 et 2.

2. Fratres de Moriconis super nonnullis suis bonis annuum censum imposuerunt in sorte scut. 1332. 50 ad rationem scut. 4 cum dimidio pro quolibet centenario, et anno, illumque vendiderunt societati SS. Triphoni, Respicii, et Nimphæ, et pro faciliori fructuum exactione, fructus nonnullorum locorum montium juxta morem, obligarunt. Prædicti fratres institerunt pro fructuum reductione, et concessa ea fuit ad quatuor tantum, et deinde ad scuta tria cum dimidio. At quum sine beneplacito apostolico factæ essent eæ reductiones, moderni officiales excitarunt litem, S. C. oraculum audierunt, quæ illas sustineri dixit, præstita tamen fidejussione ad formam resolutionis congregationis fratrum de anno 1685 : *Romana, Census*, 11 *martii* 1720.

3. Soror Laura Maria Vinciguerra assumpsit habitum sororum Tertiariarum S. Mariæ Servorum civitatis Bononiæ. Sororum collegio ante professionem soluta fuit consueta dos libr. 1000, quæ a collegio ipso datæ fuerunt candidatæ Lauræ matri, quæ super bonis extradotalibus censum imposuit, vendiditque collegio pretio annuarum libr. 60, fructibus in favorem sororis Lauræ, quamdiu in vivis erit, et una cum sorte post ejus obitum collegio reservatis. Desinit soror Laura, et hæredem fecit matrem census debitricem. Collegium hinc sororum cum ea egit de fructibus elapsis, et non solutis. Augustina hæres de labe simoniaca anceps fuit. Interrogata S. C. non adesse simoniam primum resolvit, deinde monasterium agere posse pro fructibus census elapsis, et non solutis suam mentem aperuit : *Bononien.*, 14 *april.* 1725, confirmata 17 *nov. ejusd. anni.*

4. Quum S. C. mandasset, 29 *aug.* 1789, *per sum. prec.* reparationem ecclesiæ cathedralis faciendam esse pro nunc, et per modum provisionis sumptibus mensæ episcopalis etiam per creationem et impositionem censuum, reservato jure contra quem, seu quos in posterum de jure; Episcopus creavit duos census in sorte scut. 600 sub usura trium pro quolibet centenario. *Die* 18 *dec.* 1790, damnavit S. C. Episcopum Aluffium ad sumptus reparationis ad formam peritiæ termini, nempe ad solutionem scut. 578,30; ob id hodie quæritur, an, a quo tempore, et in qua summa debeantur fructus censuum? negative in omnibus responsum fuit : *Belneoregien.*, *Eccles. cathed. quoad fructus censuum*, 21 *julii* 1792, confirmata 16 *martii* 1793.

Cera. Vide *Candela, etc.*

Cerei paschalis benedictio. Vide *Benedictiones, etc.*

Cessio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § x; *Bona ecclesiastica*, § ii; *Juspatronatus*, § vi.

Chirographum. Vide *Breve.*

Charitativum subsidium. Vide *Episcopus*, § xxvi.

Chori absentia. Vide *Archipresbyter*, § xi; *Beneficiati*, § vi; *Canonici*, § viii; *Capitulum ecclesiasticum*, § xii; *Dignitates ecclesiasticæ*, § vi; *Mansionarius*, § vi; *Præpositus*, § vi; *Presbyteri*, § viii.

Chori absentia quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § i.

Chori servitium. Vide *Archipresbyter*, § xi; *Beneficiati*, § viii; *Canonici*, § x; *Capitulum ecclesiasticum*, § x; *Dignitates ecclesiasticæ*, § vi; *Mansionarius*, § v; *Præpositus*, § iv; *Presbyteri*, § ix.

Chori stallum. Vide *Archidiaconus*, § vi; *Canonici*, § vii; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iii; *Mansionarius*, § ii.

Chrisma. Vide *Sacramentum confirmationis.*

Christiana doctrina. V. *Doctrina Christiana.*

Cinerum benedictio. Vide *Benedictiones, etc.*

Circumscriptio. Vide *Acta*, § ii.

Clandestina matrimonia. Vide *Matrimonium*, § xxvii.

debet ecclesiensi capitulo ad Apostolicæ Sedis auctoritatem confugere, cum census alienare opus ei fuerit.» *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, in rel. 2, § 5.

CLAVIS.

1. Parochus S. Joannis de Vico jus non habet retinendi clavem capsulæ eleemosynarum existentis in ecclesia S. Mariæ de Populo, quæ intra ejusdem parœciæ limites jacet : *Forolivien.*, *Jur. paroch.*, 18 *nov* 1681, *dub.* 2.

2. Capitulo, seu ejus decano non licet servare claves pulpiti cathedralis ecclesiæ quum concionator deputatus ab Episcopo ei litteras patentiales non exhibeat, ad quam exhibitionem non tenetur : *Urgellen.*, *Juris concionandi*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 3.

3. Renuente, aut impedito decano ecclesiæ cathedralis recipere unam ex tribus clavibus archivi sede vacante cum iisdem facultatibus cantor, et hoc etiam abnuente, aut impedito canonicus antiquior ejusdem ecclesiæ est subrogandus : *Astoricen.*, *Archivi*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 2.

4. Claves ecclesiæ, seu publici oratorii existentis intra limites parœciæ S. Mariæ loci Rezzonici Larii lacus una cum mobilibus, paramentis, aliisque utensilibus permanere non penes curatum dictæ ecclesiæ parochialis; et in illius potestate, vel personæ ab illo deputatæ, sed penes capellanum a patronis eligendum debent : *Comen.*, *Jur. paroch.*, 21 *aug.* 1706, *dub.* 9.

5. Claves archivi capitularis ecclesiæ collegiatæ SS. Gervasii, et Protasii oppidi domus Ossulæ servari haud penes archipresbyterum, sed penes canonicos a capitulo deputatos possunt : *Novarien.*, *Præeminent.*, 14 *april.* 1714, *dub.* 4.

6. Retentio clavis oratorii publici S. Joannis Baptistæ in terra Mastennæ de jurepatronatus fratrum de Trincanis ad capellanum pro tempore, minime vero ad parochum ecclesiæ Rezzonici spectat : *Comen.*, *Jur. paroch.*, 9 *junii* 1714, *dub.* 3.

7. In quadam diruta capella B. M. nuncupata *de la Brune*, quæ in territorio oppidi Massani posita est, et in usum profanum redacta, vulgata fuit opinio, et fama recentis miraculi cujusdam imaginis B. M. V. lapideæ, quæ supererat. Hac de causa parochus, intra cujus parœciæ limites extat imago, et consules dicti loci unanimiter ad illius capellæ reparationem devenerunt. Inde quæsitum fuit, an, et ad quem spectet clavis prædictæ capellæ retentio? et definitio protelatur, ut scribatur Episcopo juxta instructionem[535] : *Carpentoracten.*, *Oblat.*, *et præeminent.*, 15 *maii* 1717, *dub.* 2.

8. Sicuti S. C. putavit administrationem oblationum, et eleemosynarum, quæ in oratorio societatis Orationis, et Mortis loci Prædarii percipiuntur, exercere haud valere parochum ecclesiæ S. Petri; ita nec capsulæ pro illis custodiendis clavem habere decrevit : *Novarien.*, *Aggregationis*, 24 *sept.* 1718, *dub.* 7, confirmatur et additur, nisi aliter a Card. Episcopo demandetur : 13 *januar.* 1720.

9. Quoad retentionem clavis parvæ fenestræ monialium civitatis Januæ, quæ Ordinario, et regularibus sunt subjectæ, a qua fenestra a monialibus Eucharistia sumitur, quomodo se gerere debeat superiorissa monasterii? servandum esse decretum S. C. Episcoporum, et Regularium diei 15 sept. 1617[536] S. C. respondit : *Januen.*, 14 *april.* 1725, *dub.* 2.

10. De clavis archivi retentione quum exortæ fuissent controversiæ inter abbatem parochum ecclesiæ S. Donati terræ ejusdem nominis, cui unita fuit ecclesia collegiata, et archipresbyteralis S. Mariæ dictæ terræ ex una, et inter archipresbyterum ejusdem ecclesiæ ex altera partibus, S. C. asservari solitum mandat : *Sorana*, *Jur. paroch.*, 5 *maii* 1731, *dub.* 9, confirmata 1 *decem.* *ejusd. anni.*

11. Ad præpositum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Pedonis, penes quem cura actualis animarum residet, et ad ejus coadjutorem, seu substitutum spectare custodiam clavis sacri ciborii deciditur; sed duplicem clavem esse retinendam, et non privative quoad canonicum æditiuum, subjungitur : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 12.

12. Censuit S. C. jus non esse sodalibus societatis ecclesiæ S. Joan. Baptistæ in Atrio penes se privative fontis baptismalis ejusdem ecclesiæ clavem habere : *Comen.*, *Administrat.*, *et jur. paroch.*, 27 *julii* 1737, *dub.* 9.

13. Clavis archivi capitularis ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis S. Viti custodienda una est a canonico camerario, altera diversa ab archipresbytero prima dignitate, penes quem cura animarum

[535] Vide not. 85, verb. *Administratio*, § 2.

[536] In quo resolutum fuit, ut duæ adsint januæ hujus parvæ fenestræ (nempe per quam recipitur sacramentum Eucharistiæ), una interior, et alia exterior, et quod clavis januæ interioris semper retineatur ab abbatissa, seu priorissa, et clavis januæ exterioris a confessario, et ut parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiæ, vel dandi habitum, seu velum alicui novitiæ, aut consecrationem alicui personæ in clausuram degenti : *Ead. causa*, 5 *febr.* 1725, § 4.

actualis residet; ita ut unus aperire sine altero minime valeat: *Senogallien.*, *Jur. paroch.*, *et præeminent.*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 12.

14. Quæsitum fuit in S. C., an claves baptisterii, sacri tabernaculi, et olei sancti debeat servare archipresbyter ecclesiæ collegiatæ, et parochialis Terræ Novæ, sive æditûus ejusdem ecclesiæ, et capituli? S. C. rescripsit, claves baptisterii, et olei sancti penes archipresbyterum, claves vero sacri tabernaculi penes utrumque esse conservandas: *Baren.*, 28 *aug.* 1756, *dub.* 11, confirmata 3 *dec.* 1757.

15. Consulta S. C., an, et ad quem, vel quos spectet jus custodiendi claves sacrarii, et archivi ecclesiæ parochialis S. Mariæ in cœlum assumptæ villæ de Limiana, cui inserviunt rector, et quatuor beneficiati? responsum est ad rectorem spectare: *Urgellen.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 3.

16. Præter tres claves, tum archivi, tum capsæ oblationum ab ædilibus ecclesiæ Kempensis custodiendas, parochum, ad quem cura pertinet rerum ecclesiæ, alteram clavem retinere posse decernitur: *Colonien.*, 14 *febr.* 1767, *dub.* 17.

17. De administratione rerum communium ecclesiæ collegiatæ, et receptitiæ terræ Galatonæ prætendunt portionarii, claves capsæ communis, et archivi ponendas esse singulas apud singulum ordinem capitularium; sed S. C. servari solitum voluit: *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 18.

18. Quum eleemosynæ manuales Missarum a piis benefactoribus datæ reponendæ essent in capsula; hinc una ejusdem clavis conservanda est a priore conventus S. Mariæ Pietatis ordinis Prædicatorum oppidi Viqueriæ ad formam capituli 7. Instrumenti diei 2 decem. 1577; etsi societas Sanctissimi Nominis Jesu inibi erecta adsit: *Derthonen.*, *Visitationis*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 19.

19. Occasione solemnis relationis in Sanctorum numerum divi Peregrini Latiosi civis Foroliviensis contractum æs alienum fuit. Ad illud dissolvendum dissidia orta sunt inter communitatem Foroliviensem, ac religiosos servorum B. M. V., in quorum ecclesia exuviæ sancti asservantur. Ad dirimendas quæstiones Summus Pontifex congregationem particularem deputavit, et communitas facultatem vendendi nonnulla loca montium obtinuit, ad nomina expedienda sub lege redintegrationis ex redditibus patrimonii causæ; postea vocavit in judicium patres Servitas, ac manuteneri petiit in possessione conservandi, ac ornandi capellam divi Peregrini in eorum ecclesia existentem, ac custodiendi claves urnæ, in qua ejusdem sacrum Corpus servatur, et alia hujusmodi; quæ omnia a Summo Pontifice fuerunt S. C. delegata, quæ inter alia decernit, claves aperientes ribaltas exterius claudentes urnam, in qua sacrum divi Peregrini Latiosi Corpus tuetur in ecclesia PP. Servorum B. M. V. Forolivii, non esse conservandas ab iisdem patribus, sed jus retinendi alteram ex illis communitati competere: *Forolivien.*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 1. Inde S. C. recessit a decisis: 21 *januar.* 1786, *dub.* 1, confirmata 28 *julii* 1787.

20. Ac clavem capsulæ eleemosynarum in honorem dicti Sancti colligendarum, et in pariete ejusdem capellæ existentis esse ab administratoribus asservandam constituit: *Ibid.*, *dub.* 11, confirmata 7 *maii* 1785.

Claustra, claustrales. V. *Monasterium*, *Moniales*, *Regulares*, *Regularium monasterium.*

Clausula *perinde valere.* V. *Sanatoria*, etc.

CLAUSULÆ IN SPECIE.

1. Clausula *pro suo arbitrio* [537], *et conscientia* S. C. utitur dum dubii; an in casu de quo agitur debeat sanctissimum Eucharistiæ sacramentum extra oppidum Castellani in ecclesia S. Mariæ, ut vocant *del Forno*, asservari cum deputatione capellani? ad Ordinarium remittit definitionem: *Cajetana*, 24 *maii* 1659.

2. Necnon apponitur clausula *salvo jure paro-*

[537] Barbosa *Tractat. var.* claus. 11 et 24, docet clausulam *arbitrio suo* importare arbitrium boni viri, quod est intelligendum, quod faceret ita, ac vellet fieri in rebus suis; item clausulam *conscientiæ tuæ*, qua aliquando solet Sum. Pont. Episcopus, aliisque rescribere, operari, ut arbitrio boni viri negotium remissum censeatur, et per hanc clausulam videtur remissus rigor juris civilis. Et Rota clausula *arbitrio tuo* clausulæ *conscientiæ tuæ* æquipollere firmat, decis. 426, num. 9, part. 5, tom. 2, rec. necnon ambo efficere, ut nulla prævia citatione, nec judicii ordine, sed tantum extrajudicialibus eruditus informationibus agi possit, sed necessitatem procedendi judicialiter, et consequenter admittendi appellationes ad judicia consequentes minime auferre; decis. cit. num. 10, et decis. 156, num. 10, part. 18, tom. 1, rec. Et Mattheuc. *Offic. Cur. Eccles.* cap. 10, § 2, num. 50, pag. 65, de hac clausula tradit, ut non impedit subdelegationem, quia hæc potius importat monitionem, quam electionem personalem. »

chialis ecclesiæ [538], si idem Ordinarius annuendum oratorum precibus putet : *Ibid*

3. Episcopum non servasse fines testamenti Caroli Reliquii in erectione capellaniæ ab ipso fundatæ. Nam amovibilis ex fundatione esse debebat illa capellania, et Episcopus in erectione addidit clausulam *ex rationabili causa* [539], qua coercuit liberam facultatem capellanum amovendi ; hinc S. C. consulta non potuisse hoc facere declaravit : *Pennen.*, *Capellæ*, 26 *novem.* 1672, *dub.* 1.

4. Exoptans Borromæus Accursius in parte propriæ domus positæ in oppido Montis Milonis ecclesiam ædificare, dotemque ei assignare, supplicavit pro hac facultate, et S. C. annuit illam construendi nempe ecclesiam cum assignatione congruæ dotis, *salvis juribus parochialibus pro arbitrio, et conscientia Episcopi* [540] : *Maceraten.*, 10 *maii* 1687.

5. In quodam suo prædio, quod ab ecclesia parochiali iter unius milliarii cum dimidio abest, in Villa Franca sito, Cæsar Maria Baretta civis e fundamento extruxit oratorium publicum ; inde petiit facultatem Missam in eodem celebrandi, et S. C. ei concessit cum clausula, *sine præjudicio jurium parochialium* [541] : *Forolivien.*, *Erect. ecclesiæ*, 16 *januar.* 1694.

6. Dubio an liceat parocho S. Nicolai villæ Belfortis prohibere celebrationem Missarum diebus festis in ecclesia S. Mariæ ejusdem villæ ? negativum dedit S. C. responsum, addendo clausulam, *salvis juribus parochialibus* [541]. Nam suum præjudicium parochus ostenderat : *Fulginaten.*, *Oratorii*, 7 *julii* 1696.

7. Quum Franciscus Marras ecclesiæ metropolitanæ canonicus a Sede Apostolica ob archipresbyteri dementiam coadjutoriam ejusdem una cum canonicatu obtinuisset ; hinc duplex in capitulo suffragium ferre, duplicatasque percipere distributiones prætendit ; et assequutus est cum clausula, *ad formam apostolicarum Constitutionum* [543] : *Arboren.*, 24 *april.* 1700.

8 Postquam die 20 maii 1699 S. C. rejecit preces Franciscæ de Pattis, quibus consequi derogationem voluntatis consanguinei testatoris Card. Justiniani. et commutationem dotium scut. 1200 cumuli obtenti pro nuptiis temporalibus optabat ; eadem S. C. inde recessit a decisis, et gratiam ei concessit cum clausula, *dummodo non transeat in exemplum* [544] : *Romana*, *Subsid. dotal.* 14 *aug.* 1700.

9. Dum S. C. re perpensa, patres Societatis Jesu posse induere constitutos in mortis articulo eorum habitu religioso ad effectum tumulandi in ipsorum ecclesia, ac percipiendi funerum emolumenta, decernit, addidit clausulam, *sine tamen præjudicio jurium parochialium* [545] : *Calaguritana*, *Funerum*, 18 *junii* 1701, *dub.* 2, confirmata 27 *maii* 1702.

10. Clausula *citra approbationem conservatorii* [546] apponitur in definitione quarumdam quæstionum, quæ respiciunt Oblatas conservatorii Sanctissimæ Conceptionis Casalis Pentæ terræ S. Severini, an possint in earum ecclesia omnia jura parochialia exercere per proprium parochum S. Mariæ, intra cujus limites degunt, sive per illarum capellanum ? *Salernitana*, *Jur. paroch.* 19 *aug.* 1702.

[538] Monacell. *Formul. Eccl. Adnot. ad form. I*, tit. 13, num. 81, part. 2, pag. 216, ostendit, quod per clausulam *salvo jure ecclesiæ parochialis* inferre præjudicium parochis S. Congr. minime voluit ; sed omnia eorum jura expresse præservare per dictam clausulam in gratia, seu privilegio contentam, « per quam omnia firma, et præservata remanent, non tantum ea, quæ mere jura parochialia sunt, sed cetera, quæ ad officium parochi pertinere, et spectare jam supra plene probatum fuit, prout in terminis alterius brevis Clem. Papæ VIII, eamdem præservationem, et clausulam habentis firmavit Rot. *cor. Concin.* decis. 1469, num. 3, 6 et 7, *et cor. Buratt.* decis. 193, num. 1, ubi add., et dictus Sixtus non auxerit privilegium, sed tantum innovaverit cum clausula sine præjudicio parochialis ecclesiæ, jura, et prærogativæ parochorum etiam in minimis præservata dicuntur, ut in puncto respondit Rota *cor. Cerr.* decis. 566, num. 24.

[539] Hæc clausula legem fundationis latius patentem temperat.

[540] Vide not. 537, 538.

[541] Barbosa, part. 1, cap. 11, num. 1, seq. de hac clausula ita loquitur : « In celebrandis Missis parochi ea omnia observare, et evitare debent, quæ a sacro Concil. Trid. in decreto, ea de re edito sess. 22, Ordinariis locorum præscripta sunt, nec ab aliis debet Episcopus permittere, ut celebretur in oratoriis intra parochiam existentibus, nisi cum clausula, *salvo jure, et sine præjudicio ecclesiæ parochialis*, ut per Piasec. *in praxi Episc.* p. 3, cap. 3, num. 21, et ex sequenti declaratione S. C. Concilii manifestum est. *Licentia celebrandi Missam in oratorio, vel ecclesia, de novo fabricata dari non debet*, nisi, *cum, salvo jure, et sine præjudicio ecclesiæ parochialis*. Quod quidem præjudicium quomodo intelligendum sit, ead. S. C. declaravit, his verbis : « Hoc tamen præjudicium intelligitur in his, quæ spectant ad sacr[illegible] administrationem, et ad alia, quæ sunt ipsi parochiæ de jure debita, in aliis vero non. »

[542] Vide not. 538.

[543] Vide not. 210, verb. *Archipresbyter*, § 1.

[544] Suam S. C. ostendit voluntatem, quam specialissimam gratiam elargita est, a qua exemplum trahi nequit.

[545] Vide not. 538.

[546] « Quæ clausula semper apponitur, dum aliquam quoad conservatoria determinat, cum ea approbare, neque tacite, neque expresse voluerit. » Card. Petra *Comment. ad Const. I, Urbani IV*, sect. unic. num. 22, tom. 3, pag. 165.

11. S. C. annuit pro erectione canonicatus fundati a Cæcilia Angela de Vaglientibus arbitrio sui hæredis in ecclesia collegiata terræ Luniani ipso hærede instante, cum reservatione jurispatronatus pro se, suisque hæredibus etiam extraneis per eum nominandis clausula tamen adhibita, *cum conditionibus sacris Canonibus, et Concilio Tridentino non contrariis* [547] : *Amerina., Erect. Canon.*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1.

12. Clausula supradicta *citra approbationem conservatorii* [548] adhibetur a S. C. instante parocho S. Januarii ad Ulmum pro declaratione neutiquam in ecclesia conservatorii SS. Philippi et Jacobi in regione Nidi consulum artis sericæ asservari posse sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et oleum sacrum infirmorum : *Neapolitana, Conservatorii*, 28 *julii* 1708, *dub.* 1.

13. Dubio in S. C. proposito, an, et ad quem spectat facultas etiam per modum provisionis impertiendi concionatoribus licentiam prædicandi in ecclesia oppidi de Sulmona, donec, et quousque fuerit terminata lis in Rota inter abbatem monasterii S. Spiritus de Sulmona ordinis Cœlestinorum, et Episcopum Sulmonensem, et Valvensem quoad spiritualem jurisdictionem? respondetur, *per modum provisionis, et sine præjudicio jurium* [549] *partium* abbatem exercere nomine S. C. : *Sulmonen., seu Valven., Jurisdict.*, 11 *martii* 1713, *dub.* 2.

14. Agitato in S. C. dubio, an sodales societatis Mortis, et orationis Casalis Majoris celebrantes festum Nativitatis B. M. V. in eorum oratorio teneantur invitare præpositum S. Leonardi, intra cujus parœciæ limites oratorium jacet, ad illud celebrandum? et quatenus affirmative;

15. An dictus præpositus teneatur per se ipsum in eodem festo Missam solemnem peragere, at quatenus impeditus teneatur capellanum dicti oratorii deputare, vel valeat alium sacerdotem sibi benevisum constituere? rescribitur, ut interim invitent sodales præpositum ad celebrationem festi, eoque renuente vel impedito, sacerdotem sibi benevisum eligant, ac clausula utitur *per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium* [550]: *Cremonen.*, 31 *julii* 1717, *dub.* 1 et 2.

16. S. C. indulsit erectionem in collegiatam ecclesiæ S. Georgii cum postulato canonicorum, et dignitatum numero, et tributo illis usu rocchetti, et mozzettæ, sed quoad facultatem condendi statuta addidit clausulam, *quatenus juri canonico, et sacro Concilio Tridentino non adversentur* [551] : *Syracusana, Erect. collegiatæ*, 24 *febr.* 1720.

17. Fundatrici Margaritæ Leite de Figueredo sepulcrum in capella suis expensis constructa, et dotata, B. Joann. principissæ Portugalliæ dicata pro se, suisque successoribus concedendum esse cum clausula, *salvis juribus parochialibus* [552] S. C. decrevit : *Portucallen.*, 11 *januar.* 1727, *dub.* 6.

18. Constructa ecclesia S. Mariæ Liberationis ex piorum eleemosynis in terra Scanni, inibi erecta fuit laicorum societas, ad cujus instantiam S. C. decrevit cadavera, qui eligunt sepulturam, posse in eadem ecclesia tumulari absque parochi venia, sed *salvis parochialibus juribus* [553] : *Valven. seu Sulmonen.*, 10 *maii* 1727, *dub.* 2.

19. Ad rectorem, et ad capellanos ecclesiæ cathedralis privative quoad capitulum jus spectat peragendi functiones ecclesiasticas occasione tumulationis cadaverum, et in die festo S. Margaritæ in

[547] Quamquam licitum sit fundatoribus eas ad adjicere de consensu Ordinarii in limine fundationis beneficiorum conditiones jure etiam contrarias ob benignitatem sacrorum Canonum, qui ne retrahant fundatores, sed ut potius alliciant ad erogandum proprias pecunias, et bona in hujusmodi operibus piis, permittunt voluntariam relaxationem rigoris juris, ut communiter tradunt Pitoni discept. 25, num. 9, part. 1, p. 206, Card. de Luca *de Jurep.* disc. 20, num. 15, tamen in hoc casu facultas reservationis jurispatronatus restricta expresse est ad illas conditiones, quæ sacris Canonibus, et sacro concilio Tridentino non sint contrariæ ; ideoque si aliqua conditio, quæ sacris Canonibus, et Concilio adversetur, apponetur, defectus potestatis clarus remanet, qui reservationem vitietur. De hac clausula Fagnanus in *Comment. in quinque libr. Decret. de Constit. in C. Canonum statuta* num. 23, lib. 1, pag. 16, ait : « Unde etiam in confirmationibus privilegiorum, et statutorum, quæ hodie a Sede Apostolica conceduntur in forma communi, consuevit apponi hanc clausulam, *dummodo tamen sacris Canonibus, Tridentini Concilii decretis, et Constitutionibus apostolicis non sint contraria.* Canonibus, id est, redactis in Corpus juris ; Constitutionibus apostolicis, id est, extravagantibus in corpore juris non insertis : non enim sunt audiendi, qui dixerunt illa verba, *sacris Canonibus*, esse intelligenda, de Canonibus Concilii Tridentini, ut probavi in c. *Tuorum*, n. 26, infra *de Privil.* » Diversimode sentit Reiffenstuel *Jus. canon. univ.* tom. 4, lib. 5, tit. 33, *de Privil.* num. 113, pag. 290, edit. Venet. 1735, qui illam clausulam intelligendam esse tantum de sacris Canonibus Concilii Tridentini asserit.

[548] Vide not. 546.

[549] Clausula *per modum provisionis* vim habet, ut actus factus usquequo duraverit lis, non præjudicet ; et alterius vigore jus utriusque præservat. Marta *de Claus.* claus. 138, num. 1, Barbosa *Tract. Varii*, claus. 157, num. 7, *Rota*, decis. 87, num. 2, part. 12, decis. 287, num. 8, part. 14, et decis. 171, num. 9, part. 19, tom. 19, tom. 1, recen.

[550] Vide not. ut sup.

[551] Vide not. 547.

[552] Vide not. 538.

[553] Vide not. ut sup.

ecclesia ejusdem sanctæ nuncupata de Suffragio, *salvis juribus parochialibus* [554]. Ita definivit S. C. in *Ortonen.*, 29 *januar.* 1735.

20. Quum Archiepiscopus synodum diœcesanam convocasset in civitate Matheræ pro diœcesi etiam Acheruntina, quæ illius diœcesi æque principaliter unita est, et hanc convocationem impugnante clero Acheruntino, S. C. dilata respondit, non retardato pro hac vice interventu cleri Acheruntini synodo jam indicta in civitate Matheræ *sine præjudicio jurium ambarum partium* [555]: *Matheranen. et Acheruntina, Synodi*, 24 *martii* 1756, *dub.* 1 et 2.

21. Defunctorum cadavera humari possunt in ecclesia, seu oratorio sodalitii sanctissimi Suffragii *salvis juribus parochialibus* [556], invitis ipsis parochis, quatenus aliquis in eodem oratorio sepulcrum elegerit: *Firmana, Jur. paroch.*, 2 *jun.* 1735, *dub.* 5.

22. Juxta decretum Archiepiscopi Neapolitani cadavera decedentium sine sepulturæ electione intra fines designatos ecclesiæ Beatæ Mariæ Gratiarum unus ex ecclesiis Granciarum, *salvis omnibus juribus parochialibus* in ecclesia matrice et parochiali ad sepulturam danda esse S. C. declaravit: *Neapolitana, Decret.*, 29 *febr.* 1744, *dub.* 4, 2 *junii* 1755, *dub.* 5 [557].

23. Decretum S. C. benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et ovorum explere, mulieres ad purificationem post partum recipere in oratorio B. M. V. ab ejus capellano minime licere, addidit clausulam, *in casu de quo agitur* [558]. Sermo erat de oratorio, quod publicum jam eadem S. C. declaraverat, sed ejusdem ædificandi a Card. abbate Nonantulæ concessa fuerat facultas ad commodum nobilis familiæ Bevilacqua, salvis tamen juribus parochialibus ecclesiæ S. Jacobi, intra cujus limites parœciæ oratorium fuit constructum: *Nullius seu Nonantulana, Jur. paroch.*, 27 *junii* 1744, *dub.* 5, confirmata 8 *maii* 1745.

24. Quum in favorem hospitalis sacerdotum infirmorum sub cura existentis congregationis sacerdotum ecclesiæ parochialis S. Petri Regiæ villæ Matriti administrandi sacramenta pœnitentiæ, sanctissimæ Eucharistiæ per Viaticum, oleum sanctum conservandi, illudque administrandi facultas tributa esset; sub quo indulto comprehenduntur ministri, seu inservientes, et familia degentes intra septa dicti hospitalis et ecclesiæ; tamen pro administratione sacramentum Eucharistiæ ad præceptum paschale explendum indultum restrictum fuit ad sacerdotes tantum infirmos cum clausula *de licentia parochi* [559]: *Toletana, Jur. paroch.*, 20 *novem.* 1745, *dub.* 2, 3 et 4. Deinde S. C. ademit dictam clausulam: 28 *maii* 1746, confirmata 27 *aug. ejusd. anni.*

24. Postmodum quoad facultates celebrandi divina officia in hebdomada majori, benedicendi candelas, cineres, et olivarum ramos, aliasque festivitates, prædicationes, mortuorum officia peragenda, prout in ecclesiis aliorum hospitalium exemptorum fiunt, S. C. remisit rem Ordinario, ut provideat pro sui prudentia, hac vero clausula adhibita, *salvis juribus parochialibus* [560]: *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

26. Donata fuit capellano curato ecclesiæ S. Bernardi loci Delii, quæ distat ab ecclesia parochiali S. Laurentii duobus fere millibus passuum, potestas sepeliendi cadavera, et administrandi sacramenta baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis, *salvis juribus parochialibus* [561], et exceptis matrimoniis, et implemento præcepti paschalis: *Albinganen.*, *Curæ animarum, et funct.*, 9 *sept.* 1752, *dub.* 1.

27. Cum clausula *salvis juribus parochialibus* [562]

[554] Vide not. ut sup.

[555] Quia legitime tunc non probaverat clerus Acheruntinus soli, et suæ ecclesiæ consuetudinem favorabilem, addidit S. C. clausulam hanc, ne interim synodi coactio, non sine utriusque diœcesis detrimento protraheretur, ut perpendit Bened. XIV, *de Synod. diœc.* lib. 1, cap. 5, num. 4, pag. 14, edit. Rom. 1755, in fol.

[556] Vide not. 538.

[557] Vide not. ut sup.

[558] Hæc clausula *in casu de quo agitur* non alligari pro aliis causis, et locis, in quibus ipsæ circumstantiæ non concurrunt, ut recte tradit eruditissimus Pitonius, part. 4, discept. 109, num. 8, sic expresse dicens: *Ut in puncto advertit Monacell. in* Formul. For. Eccl. part. 2, *in epist. ad lectorem ibi.* Quoties enim S. C. judicat, suum decretum adaptari non posse, nec debere, nisi casui proposito, solet rescribere, *negative, seu affirmative in casu*, etc. Hæc, inquam, sunt illa decreto, quæ allegari non possunt, ad decisionem causarum, nisi concurrant ipsæ circumstantiæ, referebantur in casu particulari proposito, nam decisio casus tunc pendet a qualitate circumstantiarum, in quibus emanavit, de Luca *in annot. ad Concil.* disc. 1, num. 11, Pignatell. Consult. 1, num. 18, tom. 1, et ego scripsi *Discept. Eccl.* 50 num. 19, et dixit Rosa in Romana pensionis 15 martii 1694, § *Non potest* coram Card. Priolo. » Ita dicendum est de cunctis causis, aut dubiis, in quarum definitionibus expressa hæc clausula fuit.

[559] Quum enunciatæ functiones sint parochiales, S. C. indultum peragendi concessit *de licentia parochi*; cui de jure spectant. Hujus licentiæ petitio dominium, et facultatem concedendi supponit, Rota decis. 44, num. 9, part. 18, tom. 1, recen. Et concessio nihil aliud est, quam collatio libertatis tributæ ei, qui eam non habet ex ipso, sive jure proprio; et solum conceditur in actibus prohibitis, et actum præcedere debet.

[560] Vide not. 538.

[561] Vide not. ut sup.

[562] Vide not. ut sup.

S. C. excepit preces Baronis Francisci Lotharii de Mairofen, et sua antiqua privata oratoria arbitrio Archiepiscopi publica declaravit. Hæc enim jam pro publicis habebantur, et sine conscientiæ scrupulo audiendo sacrum incolæ explere præceptum Ecclesiæ putabant : *Moguntina, Indulti, 12 julii* 1755.

28. Preces administratorum hospitalis S. Marthæ urbis Barchinonis pro continua in illius ecclesia sanctissimæ Eucharistiæ sacramenti retentione remittuntur arbitrio Episcopi pro tempore cum clausula, *salvis juribus parochialibus* [563] : *Barchinonen*,, 7 *febr*. 1756.

29. Clausula *per modum provisionis*, *et sine præjudicio jurium partium* [564] S. C. utitur occasione quæstionis de sacris parandis supellectilibus in ecclesiis incolarum montium Pyrenæorum abbatiæ S. Victorini ordinis S. Benedicti unitis, in qua abbatem necessaria pro celebratione Missarum, et administratione sacramentorum præstare cogit, eodem tempore, quo a nuntio apostolico informationem, et votum postulat : *Barbastren.*, 9 *julii* 1758, *dub.* 1 et 2.

30. Quum S. C. juberet cogendos esse sodales Sanctissimi Nominis Jesu, quorum societas in ecclesia hospitalis S. Rochi oppidi Vigueriæ fuit erecta, hospitalitatem peregrinorum in observantiam revocare, et cetera ad formam conventionis adimplere, adhibet clausulam *juris remediis tantum* [565] : *Derthonen.*, *Visitat.*, 26 *januar*. 1760, *dub*. 9.

31. Dum S. C. sodalitio Mortis castri Montis Joveni concedit facultatem libere prosequendi instaurationem ecclesiæ B. M. de Quercu, ubi sese transtulit eadem societas, et juxta illam construere mansiones pro ejus, et capellani decenti commodo necessarias, apponitur clausula, *salvis juribus parochialibus* [566] : *Civitatis plebis*, 22 *martii* 1760, *dub*. 2.

32. Quum ab ipso fundatore efflagitata fuisset translatio beneficii ad oratorium in agro situm, et intra parochiæ fines oppidi Martignanæ, in qua ecclesia illud erigi post ejus obitum idem fundator mandaverat; S. C. translationem concessit, *sine præjudicio tamen jurium parochialium* [567] : *Cremonen.*, *Translat. beneficii*, 3 *julii* 1762.

33. Sumptu proprio Fratres de Fabiis incolæ loci Calamelli publicum oratorium erexerunt, ut ruricolis, advenisque hyberno præsertim tempore ad sacrum audiendum diebus festis, Tarugo flumine inter ipsos, et parochiam ducentum ultra mille passus distantem labente consuleretur. Exorant hactenus Episcopum, ut benediceretur, sed incassum. Contra leges Synodi, et ad refugium improborum extructum esse Episcopus ait. Rationibus hinc inde deductis, et a S. C. perpensis, concedendam esse facultatem benedicendi oratorium salvis tamen juribus parochialibus [568], et apposito lapide statutum est : *Forosempronien.*, *Benedict. orator.*, 24 *sept.* 1763.

34. Quum denegasset S. C. novæ parochiæ erectionem in oratorio S. Josephi, ac renuentem parochum Alpisplanæ coegisset vicarium curatum retinendi in dicto oratorio, inde facultatem capellano expensis populi vici superioris audiendi in dicto oratorio sacramentales confessiones, servandi sacram Eucharistiam, oleum sanctum, necnon administrandi; Missam etiam diebus solemnioribus celebrandi, *salvis quibuscumque juribus parochialibus* [569] : *Derthonen.*, *Jurisdict.*, 11 *januar*. 1766, *dub*. 2.

35. Prævia apostolica dispensatione ab irregularitate ordinum sacrorum assumptio denegatur per rescriptum *non expedire* [570] Lucensi medico Josepho Benvenuti annorum 70, licet ejus uxor ann. 64 perpetuum emittere votum castitatis polliceatur, cohabitando tamen cum viro sub eodem tecto : *Lucana*, 18 *julii* 1795, *dub*. 1.

Clausura. Vide *Monasterium monialium*, § I; *Regularium monasterium*, § I.

[563] Vide not. ut sup.

[564] Vide not. 550.

[565] Hæc clausula extraordinarium remedium excludit, et utendum tantum S. C. præcepit contra sodales remediis præscriptis a jure. In casu allato haud facti circumstantiæ urgent, pro quibus relicto remedio ordinario, adhibendum sit extraordinarium; quamdiu ergo suppedit remedium juris, non est recurrendum ad remedium facti. Excommunicatio est remedium juris; ergo, quando potest esse locus remedio ordinario, non est confugiendum ad extraordinarium : Bart. in l. 3, in *Princ. de nov. oper. nunc.*

[566] Vide not. 557, 558.

[567] Vide not. ut sup.

[568] Vide not. ut sup.

[569] Vide not. ut sup.

[570] Gravis oratoris ætas causa fuit hujus clausulæ, quia rescripta, seu brevia dispensationis hujusmodi non consuevit Sedes Apostolica indulgere « nisi prius audito Episcopo, cui ea cura mandatur, ut distincte referat casus omnes adversione dignos, eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat, quonam consilio orator ad ordines sacros promoveri exposcat. » Bened. XIV, ita loquitur *in Synod. diœces.* lib. 13, cap. 10, num. 4, tom. 1, edit. Venet. 1775, pag. 145.

CLERICATUS QUOAD FUNDATIONEM ET ERECTIONEM.

Clericatus, quem comes Guidus Ubaldus Paciotti erigi præcepit in ecclesia cathedrali, sequuta substitutione ab eo ordinata, erectioni locum esse censuit S. C. ad formam ejus testamenti, et dotem esse solvendam in pecunia numerata ad effectum investiendi in tot locis montium Cameralium non vacabilium libere juxta legem fundationis, et, ut Archiepiscopus exequutioni incumbat, voluit. Nam excipiebat capitulum bona in dotem tradenda pluribus hypothecis obnoxia esse: *Urbinaten.*, *Erect. canonicatus*, 6 *junii* 1750.

CLERICI, SEU PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD CENSURAS. Vide *Censura, Censuræ*.

CLERICI, SEU PERSONÆ ECCLESIASTICÆ DIŒCESIS ALIENÆ. Vide *Sacramentum ordinis*, § II.

CLERICI.

§ I.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ quoad exemptionem vel subjectionem Ordinario.

1. Postulatum quum esset in S. C., an clerici, sive civitatis, sive diœcesis Aquilanæ possidentes quodcumque beneficium non residentiale cujuscumque reditus in ecclesiis terræ Pizzuli, et S. Vittorini ad archipresbyterum S. Blasii de Amiterno spectantibus, cui qualitatem *nullius* minime S. C. adjudicavit, sint immediata subjecti dicto archipresbytero, tam in civilibus, quam in criminalibus; etiamsi delicta fuerint patrata in civitate, sive in quacumque diœcesis Aquilanæ parte? retulit responsum, ut videatur particulariter [571]: *Nullius seu Aquilana*, *Jurisdict.*, 4 *maii* 1726, *dub.* 22.

2. Clerici, vel sacerdotes, qui sunt capellani, beneficiati, omnes vero capituli sacrosanctæ basilicæ Lateranensis urbis diplomatæ muniti commorantes in diœcesi Caputaquensi non sunt jurisdictione Ordinarii exempti: *Caputaquen.*, *Jurisdict.*, 17 *dec.* 1735.

CLERICI, SEU PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD IRREGULARITATEM. Vide *Irregularitas*.

§ II.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ quoad onera.

1. S. C. respondit, eos dumtaxat clericos, qui in ordinatione alicujus ecclesiæ servitio adscripti sunt, ab Ordinario posse compelli, ut in ea præscriptas ab ipso functiones obeant, illosque locum eodem Ordinario inconsulto deserere non debere sub pœna interdictionis exercitii sacrorum juxta cap. 16, sess. 23 [572]; ceterum alios quoscumque clericos invitos adigi non posse ad ullas functiones

[571] Mos, et institutum est S. C. casus particulares definiendi.

[572] *De Reform.*, in quo sancitur: « Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis ecclesiis; S. Synodus vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; nec in certis vagetur sedibus. Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. » Primæ hujus decreti parti, in quo præcipitur, neminem ordinari debere, quem Episcopus suæ ecclesiæ utilem, et necessarium judicaverit, accessit declaratio S. C. Concilii confirmata a Gregorio XIII, contenta in responso dato sub die 21 april. 1668, ad Archiepiscopum Remensem prout legitur, lib. 16, lit. *Visit. sacr. Lim.*, pag. 401, quæ decrevit a judicio Episcopi, quando aliquis utilem, aut necessarium suæ ecclesiæ non esse putat, nullam dari appellationem, nisi ad Sedem Apostolicam quæ Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut causam recusationis ab Ordinario prius requirat, inde provideat. Secundæ ejusdem decreti Trid. dispositionem declaravit Innoc. XIII, § 2. Const. *Apostolici ministerii*, 23 *martii* 1723 (*Bull. Rom.* tom. II, part. 2, pag. 258), pro restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum emanata, quam postea Benedictus XIII. Const. *In supremo militantis ecclesiæ*, 23 sept. 1724 (*Bull. Rom*, *cit. loc.*, pag. 350) nedum confirmavit; sed etiam ab omnibus per orbem Episcopis pro norma haberi voluit. Hanc eamdem adscriptionem, et servitium a clericis, etiam non beneficiatis ecclesiis, quibus adscripti fuerunt, prestandum idem Benedictus postea etiam præcepit in Concilio Rom. ab eo celebrato anno 1725, Tit. 6, cap. 2, *de Ætat et qualit. præficien.* Difficultates autem, quæ occurrere possent Episcopis pro exequutione hujusmodi adscriptionis explanantur a Bened. XIV, *de Synod. diœc.* lib. 7, cap. 69, num. 5, tom. 12, pag. 561.

in cathedrali, vel in alia ecclesia agendas: *Anconitana*, 14 *febr*. 1609.

2. S. C. respondit ab Episcopo non potuisse clericos nulla, vel tantum simplicia beneficia obtinentes etiam diœcesanæ synodi auctoritate compelli, ut dominicis, et aliis diebus festis ad ecclesiam cathedralem accederent, et Missis majoribus, ac aliis divinis officiis interessent, sed si aliquis adesset servitio dictæ cathedralis in ordine adscriptus, qui locum inconsulto Episcopo desereret, ei interdicendum tantummodo erit sacrorum exercitium juxta cap. 16, sess. 23, *de Reform.* [573]: *Amerina*, 15 *januar*. 1639.

3. S. C. censuit clericos non beneficiatos, nec officium obtinentes cogi non posse ad supplicationes accedere: *Ferentina*, 12 *novem*. 1639, *dub*. 1.

4. Ac clericos beneficiatos impelli posse a suo tantum Ordinario diœcesano: *Ibid., dub*. 2.

5. Et Episcopum non potuisse clericis per edictum sub pœnis præcipere, ut aliquibus diebus festis in ecclesia cathedrali officiis divinis intersint, sed monitionibus, exhortationibus, et similibus: *Ibid., dub*. 3.

6. Dubio, an clerici sane sacerdotes, qui sacris ordinibus initiati cathedralis ecclesiæ servitio se adscripserunt, et manciparunt, adstringi, et obligari possint interesse omnibus functionibus, quibus idem Episcopus adsistit? responsum dedit S. C. quoad clericos in minoribus, et ecclesiæ adscriptos Episcopus cogat pœnis in cap. 16, sess. 23, *de Reform.* [574] præscriptis. Ceteros non esse cogendos nisi stipendium ab ecclesia percipiant: *Maceraten., Visit. sacr. Liminum*, 26 *april*. 1664, *dub*. 12.

7. Clerici ad assistendum Eqiscopo pontificalia agenti nequaquam tenentur; et nisi officium, aut beneficium ecclesiasticum possideant ad publicas supplicationes adigi nequeunt: *Nicien., ad Visitat. sacr. Liminum*, 6 *aug*. 1677, *dub*. 5.

8. Simplices clerici, quamvis beneficiati, sed nullum ab ecclesia cathedrali recipientes emolumentum eidem inservire in divinis, publicis supplicationibus intervenire, et Episcopo pontificaliter celebranti assistere tenentur sub pœna quatuor ducatorum ab eodem Episcopo indicta, quam moderandam esse præscribitur: *Suessana, Servitii*, 14 *januar*. 1736, *dub*. 1.

9. Clerici simplices, et sacerdotes villarum Aspeluncæ, et Collis, in quibus propria, et distincta adest parochia, populus, et parochus haud tenentur intervenire supplicationibus, quæ in terra Arquatæ diebus festivitatis Corporis Christi, S. Marci, et Rogationum ducuntur: *Asculana, Process*. 3 *febr*. 1753, *dub*. 3.

CLERICI, SEU PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD ORDINATIONEM SACRAM. V. *Sacramentum ordinis*.

CLERICI, SEU PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD PERCUSSOREM, ET OFFENDENTEM. Vide *Irregularitas*, § III.

§ III.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ quoad privilegia fori [575]*, canonis, ac beneficii cap. Odoardus* [576].

1. Clericus non beneficiatus in minoribus constitutus, qui servitio ecclesiæ adscriptus habitum clericalem, et tonsuram deferre solitus est, si noctu, vel inter diu, cum armis absque habitu clericali deprehensus fuerit eo ipso privilegio fori carere non debet, immo eo gaudere posse, stante decreto Concilii cap. 6, sess. 23, [577]: *Cremonen., junii* 1586, *dub*. 4.

[573] Vide not. 572.

[574] Vide not. 572.

[575] Urbanus VII. Const. *Cum. sicut.* 20 januar. 1624 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. §, pag. 184) confirmavit decretum S. C. Concilii, quo ad dubium, an clericus in minoribus constitutus actu serviens ecclesiæ cum habitu, et tonsura in ministerio sacristiæ, vel simplici capellaniæ servitio, seu pro juvene chori ex nominatione decani, et capituli gaudere debeat privilegio fori juxta disposita a Concil. Trid. in cap. 6, sess. 23, pro quocumque, etiam atrociori delicto, cujus punitio ad judicem ecclesiasticum pertinet, non obstante, quod hujusmodi nominatio, seu deputatio servitii ecclesiæ facta non sit ab Episcopo, sed a capitulo? Inhærens declarationibus alias editis, respondit, clericum, qui habitum, et tonsuram defert clericalem, et alicui ecclesiæ inservit, licet non præcesserit mandatum Episcopi, debere tamen gaudere fori ecclesiastici privilegio.

[576] 3 tit. *De solut*. ibi: « Odoardus clericus proposuit, quod cum P. clericus, et D. laicus, et quidam alii ipsum coram officiali archidiaconi Remen. super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit, et infra. Mandamus, quatenus si constiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte, non possit solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxatis: recepta prius ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat. » Anno 1698 die 12 april. *in Causa Romana capituli Odoardus* S. C. ad dubium: An eminentissimus vicarius in vim suarum facultatum admittere possit oratorem carceratum, ceterosque alios debitores in forma cameræ obligatos ad beneficium, cap. *Odoardus* absque spectali commissione SS. domini nostri respondit *affirmative* ex lib. *Decret*. 40, fol. 171.

[577] *De Reform*. ubi legitur: « Is etiam (tonsuratus nempe, vel minorista) fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, et tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad ma-

2. Clericus in minoribus constitutus, cui uti clerico reservata est annua pensio super fructibus beneficii ecclesiaștici, ut commodius se sustentare valeat, gaudere non posse privilegio fori, quum habitum clericalem, et tonsuram non deferat, nec ecclesiæ inserviat ex Concil. cap. 6, sess. 23 [578]: *Ibid.*, *dub.* 5.

3. Et ad dubium, an contra eum, qui declaratus fuit incidisse in pœnam excommunicationis, si post hujusmodi declarationem eidem indictam non resipuerit elapso anno tanquam de hæresi suspectum inquiri, et procedi possit juxta decretum Conc. cap. 5, sess. 25 [579], vel necessario præcedere debeant aliquæ aliæ monitiones, ad hoc ut contra obsurdescentem per annum in excommunicatione, uti suspectum de hæresi procedi vellet? respondit S. C., non opus esse monitionibus, ut resipiscat, sed elapso anno citari posse tanquam suspectum de hæresi, ut accedat responsurus de fide: *Ibid.*, *dub.* 6.

4. Visum est S. C. decretum Concilii cap. 6, sess. 23, [580] non ademisse clericis non habentibus qualitates ibi requisitas, nisi privilegium fori, cetera vero privilegia remansisse in dispositione juris communis: *Turritana*, 8 *junii* 1619, *dub.* 2.

5. Angelus Joachinius clericus primæ tonsuræ nullum possidens beneficium ecclesiasticum, nec addictus servitio alicujus ecclesiæ de mandato sui Episcopi cum habitu tamen, et tonsura incedens beneficia *cap. Odoardus*, una cum beneficio *deducto ne egeat* [581] gaudet: *Romana, Capituli* ODOARDUS, 7 *julii* 1703

6. Quum Ignatius Celsus primam tonsuram cum falsis dimissoriis suscepisset, a S. C. Episcoporum et regularium non gaudere eumdem fori privilegio nec a vectigalibus exemptione fuit declaratum. Inde quidam gubernator loci Montis Alti in eum violentas manus injecit, excommunicatus idcirco fuit denunciatus. Sed idem primum consulere S. C. curavit hoc dubio; an gaudeat Ignatius canonis privilegio? et gaudere rescribitur: *Consentina*, 16 *maii* 1705.

§ IV.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ non residentes, et ecclesiæ non inservientes.

1. Cuicumque Larinensis diœceseos ecclesiastico juxta decretum synodi ab illius Episcopo anno 1728 celebratæ etiam in minoribus constituto, prohiberi potest discessus a diœcesi absque Episcopi licentia sub pœna ducat. 6: *Larinen.*, *Decret. synodal.* 30 *aug.* 1732, *dub.* 3.

jores ordines suscipiendos versetur. » Circa hoc decretum plura exorta fuerunt dubia, primo, an clericus non deferens habitum, et tonsuram, eo ipso, etiam nulla præcedente monitione, remaneat spoliatus fori previlegio? S. C. Concilii nullam requiri monitionem, ut illud amittat decrevit *in Mediolanem.* 11 aug. 1595 (lib. 8, *Decret.* fol. 141.

Secundo, an eo potiatur si habitum a se gestari solitum ad breve tantum tempus deponat? ead. S. C. Concilii die 1 decem. 1612, *in Nullius* (lib. 11, *Decret* fol. 123.) potiri definiit. Et si beneficiatus sit nequaquam incidisse in pœnam privationis a Sixti V Constitutione impositam. Quemadmodum declaravit etiam Innoc. XIII. Const. *Apostolici Ministerii* 23 maii 1723 (*Bull. Rom.* tom. II. part. 2 pag. 258.) super ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum, quam Bened. XIII, confirmavit Const. *In supremo* 23 sept. 1724 (*Bull. Rom.* cit. loc. p. 330.

Tertio, an præter amissionem dicti privilegii intelligatur privatus, etiam privilegio canonis, et beneficio capituli Odoardus? S. C. Concilii censuit non intelligi privatos privilegio canonis *in Aquen.* febr. 1599, (lib. 5 *Decret.* fol. 257.) Et *in Nullius* 15 sept. 1595, (lib. 8 *Decret.* fol. 149.) licet ille fori privilegio *cap. Odoardus* sancitur.

Quarto, an amittat, si clericatui omnino renunciaverit animo v. g. contrahendi matrimonium, vel dando nomen militiæ; et postea mutato consilio habitum clericalem reassumat? gaudere putavit ead. S.C. Concilii *in Neapolitana* junii 1587, (lib. 4 *Decret.* 4 fol. 276.) et *in Meliten. fori* 7 maii 1672, (lib. 27 *Decret.* fol. 379.)

Quinto, an, si inserviat alteri ecclesiæ, quam ei, cui ex mandato Episcopi fuit adscriptus, gaudeat eodem privilegio fori? gaudere censuit ad. S. C. Concilii *in Senogallien.* 25 januar. 1603 (lib. 10 *Decret.* fol. 54.) Vid. Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 5, cap. 12, num 1, et seq. tom. 12, pag. 206, et lib. 7, cap. 69, num. 3, pag. 560, qui *Inst. eccles.* 71, per tot, tom. 11, pag. 451, de vestibus clericorum verba facit.

[578] Vide not. 577.

[579] Vide not. 577

[580] Vide not. 517.

[581] Quod dicitur etiam beneficium competentiæ, et quibusdam vigore juris civilis prodest personis, quæ convenire in quantum facere possunt, debent, deducto ne egeant, uti evincitur ex l. *Sunt qui* seqq. cf. *de Re judic.* De hoc beneficio ait Donnellus *Comment. ad tit. ff. de Re judic.* num. 14, tom. 11, pag. 266, edit. Lucæ 1767. » At beneficium id esse constat, omnibus quibus datum est, » humanitatis causa tributum, atque ita, ut personæ beneficium sit, non causæ l. *Quia tale*, D. *Sol. matr.* » *exceptiones*, 7, D. *de except.* Quare id ita accipi neces» se est, ut quibus id tribuitur, his non solidum, quod » habent, extorquendum sit, sed quod ad victum sufficiat, » relinquendum. » Idem hoc beneficium jure canonico in cap. *Odoardus* 3, *de solut.* concessum est clericis, qui clericalibus induti vestibus incedunt, ac tonsuram gerunt. Sicut tradit Devoti *Inst. canon.* tom. 3, tit. 14, § 22, pag. 171, edit. rom. 1802. Hinc causa dignitatis personæ deducitur prius, quantum illi ad victum sufficiat, et si quis quid habet deducto eo, ne egeat, cedere debeat favore creditorum, ne propter mendicitatem, inopiam alimentorum convertatur in contumeliam ordinis ecclesiastici, ad turpia lucra, ad quæ paupertas cogit.

2. Decretum Episcopi Segnensis, in quo inhibebat, ne clerici abirent a diœcesi sine ejusdem Episcopi venia in scriptis habenda sub pœna suspensionis sustineri quidem debere decernitur ; sed non licet eidem sine justa causa clerico discessum denegare : *Segnen.*, *Decret.*, 22 *novem.* 1749, *dub.* 1.

3. Sacerdos Ignatius Torretti adscriptus servitio parochialis ecclesiæ Alviani, pro necessitate ejusdem ecclesiæ ad sacros ordines titulo capellaniæ in ecclesia S. Ignatii urbis obtentæ, et a S. C. sibi perpetuatæ promotus fuit. Hunc non potuisse contra Episcopi præceptum, quo cautum est, ne ille sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ migraret, ab eadem ecclesia proficisci, et in urbe permanere S. C. edixit : *Amerina,* 8 *maii* 1756, *dub.* 1, confirmata 17 *julii ejusd. anni.*

4. Ac inde proposito dubio, an, et in quas ipse pœnas conciliares ecclesiam parochialem contra expressam Episcopi vocem deserendo inciderit? responsum est, ut consuleret conscientiæ suæ : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

§ V.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ, quoad vestem et habitum clericalem.

1. Circa clericos, qui monentur ad incedendum in habitu, et tonsura servanda est dispositio Concilii cap. 6, sess. 23 [582], et declarationes S. C. alias editas [583] : *Nicien.*, *ad Visit. sacr. Liminum,* 6 *aug.* 1677, *dub.* 4.

2. Dubium ; an edictum, seu præceptum Episcopi habitum talarem deferendi sustineatur? committitur a S. C. secretario ad mentem [584] resolutio : *Hortana*, *Delat. habit. talar.*, 8 *julii* 1690.

3. Præcepit S. C. esse servandum decretum præfatum *in Hortana,* 8 *julii* 1690 [585] : *Ostunen.*, *Synodi,* 6 *julii* 1697, *dub.* 7.

4. In publico edito sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ interdixit Episcopus, ne quisquam sacerdos in tota civitate, et diœcesi celebrare sine veste talari cingulo exteriori circum latera præcincta, et sine clericali coma presumeret ; altaria interdicta, si secus fieret, subjiciendo. Quæsitum hinc fuit, in quanam parte hoc edictum validum esset? et S. C. respondit, ut delectis pœnis suspensionis, et interdicti edictum reformetur juxta modum [586] : *Sarnen.*, 27 *junii* 1705, *dub.* 2.

5. Prolato edicto ab Episcopo occasione visitationis anni 1707 demandante omnibus ecclesiasticis habitus talaris delationem, tam in ingressu, quam in egressu ab ecclesia, ac in exercitio ordinum, aliisque sacris functionibus, injuncta pœna suspensionis ipso facto a divinis incurrenda adversus in sacris ordinibus promotos, et denegationis sacrorum ordinum adversus clericos, in dubio fuit, num hocce edictum validum sit? et esse validum moderatis pœnis arbitrio Card. præfecti [587] S. C. resolvit : *Ruben.*, *Habitus talaris,* 18 *aug.* 1708.

6. Marcellus Gadaleta clericus beneficiatus præter diœcesis morem comam sibi adscitam imposuit, et Episcopus ad sartam, tectamque cleri sui disciplinam servandam publicavit edictum, in quo tam clericis beneficiatis, quam aliis constitutis in sacris ordinibus prædictæ comæ delationem assignato duorum mensium termino inhibuit sub pœna excommunicationis ; et quoad clericos primæ tonsuræ, et minorum ordinum id ipsum decrevit sub pœnis tamen arbitrariis. Edicto minime obtemperante Marcello, Episcopus ab ejus capite comam fictitiam detrahere fecit. Provocavit Marcellus, et dubium proponere curavit, utrum sustinendum sit Episcopi edictum? et sustineri responsum tulit : *Melphicten.*, 8 *aug.* 1722, *dub.* 1. [588].

7. Tulit etiam responsum tolerandam haud esse in casu, de quo agitur, comæ adscitæ gestationem : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Clerum Bisacciarum, et S. Angeli qui ab Episcopo in suo vulgato edicto ad gestandam talarem vestem quotidie, et ante et post meridiem, necnon et in omnibus humanæ vitæ functionibus adactus fuit sub pœna quinque ducatorum pro unaquaque contraventionis vice solvendorum, et piis usibus applicandorum, eumdem habitum deferre debere ex decreto S. Congr., moderata tamen pœna

[582] Vide not. 577.

[583] Vide not. 577.

[584] Quæ fuit sic explicata, sustineri edictum, sacerdos teneri semper incedere in habitu talari, et clericos maxime in functionibus ecclesiasticis, et quoad pœnas, Episcopus moderate procedat : *Ead. causa,* 8 *julii* 1690.

[585] Vide § præs., num. 2.

[586] Vide not. 594.

[587] Qui in hunc modum declaravit : « Nos ad mentem ejusdem S. C. nobis expressam declaramus a supradicto edicto Episcopi delendas esse contra inobedientes, videlicet quoad sacerdotes pœnam suspensionis ipso facto incurrendæ, quoad clericos pœnam, quod non possint promoveri ad sacros ordines, nec admitti ad beneficia quamvis de jurepatronatus, et quoad sacristas pœnam suspensionis, et respective quoad clericos pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ, et loco prædictarum pœnarum mulctandos esse in quinque libris ceræ albæ laboratæ, et in subsidium suspensionis, et interdicti ferendæ sententiæ respective. » Rel. *in Caus. Bisacciarum,* 1 martii 1758, § 3.

[588] Advocatus Dominicus Ursaya in hac causa in favorem Episcopi edidit defensionem in *Discept. Eccles.* 20, tom. 4, part. 1, *per tot.*

in uno ducato tantum citra approbationem limitationis : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 10.

9. Episcopus Spoletinus sancivit, ut omnis suæ diœceseos sacerdos, aut clericus sacris ordinibus insignitus non brevi veste aut absque manicis, et superiori parte, sed talarem in divinis officiis, sacris functionibus, et in celebratione Missarum deinceps uteretur. Ex tota diœcesi, quæ paruit, ecclesiastici comitatus Fursiæ, Cassiæ, et vallis Narci reclamarunt, rationem allegantes, quod in illa regione montuosæ viæ sunt difficiliores, et asperiores, quam in planitie. Secundum ea quæ definienda proponebantur, statutum est, edictum illud Episcopi, quoad parochos, et presbyteros castrorum, et vallis Narci validum est; et ad Card. præfectum ad mentem : *Spoletana*, 28 *januar.* 1764.

§ VI.

Clerici, seu personæ ecclesiasticæ, quoad vitam, et honestatem.

1. Occasione visitationis sacr. Liminum Archiepiscopus Cranganorensis ex Indiis Orientalibus exposuit, ut in christianitate provinciæ Serræ Malabarum plerique reperiuntur sacerdotes fœdissima libidine, aliisque flagitiis usque ad vulnera, et cædes ita coinquinati, ut atrociorum criminum reos se faciant, et coerceri pœnis spiritualibus, et corporalibus, quum essent nobilissimæ personæ, nequeunt; hinc quomodo providendum postulavit, S.C rem commendavit Congregationi S. Officii [589] : *Cranganoren., Visitat. sacr. Liminum.* 9 *junii* 1708.

2. Quum accusatus fuisset Petrus Dominicus Federici parochus castri Serræ Ungarinæ de adulterio, et stupro, et de diuturna plurium annorum inhonesta consuetudine : ille supplicavit Episcopum, ut admitteretur ad aliquam compositionem. Imposuit hic nonnullas conditiones, quas solemni stipulatione, juramento, et camerali obligatione munita omnes acceptavit reus, de aliquibus satisfecit; verum inhibitionem appellationis coram AC. in criminalibus expedivit. Propositis dubiis in S. C, an, et quomodo sit exequenda obligatio sacerdotis Petri Dominici Frederici?

3. An, et ad quas pœnas dictus sacerdos sit condemnandus?

4. An idem sacerdos sit irregularis? Ad hæc dubia rescribit, ut constituat se, et providebitur, et interim Episcopus sequestro omnes parœciæ fructus ponat: *Fanen., Parochialis*, 11 *decem.* 1717, *dub.* 1, 2 et 3.

5. Cum in maximo ære alieno esset clericus Michael Græco in curia laicali Neapolitana bonorum cessionem effecit, quæ sicut infamiæ nisi de jure, saltem de facto notam inurit, ita eidem obstare, quin ad sacros ordines mortua uxore promoveretur, declaravit S. C., adeoque non esse promovendum rescribit : *Atrien.*, 23 *junii* 1725.

6. Archiepiscopus Calaritanus ad tollendos abusus clericorum conjugatorum, qui in dedecus ordinis clericalis, et in pertubationem jurisdictionis ecclesiasticæ facinora committunt, vilesque artes exercent, postulat, ut sibi indicetur, quod sit statuendum pro illis evellendis; et S. C. voluit, ut utatur juris remediis, et signater statutis in cap. 6 sess. 23 *de Reform.* [590], et aliis indicatis in constitutione 16. *impressa post synodum Romanam* [591]. § 1, 2, 4 et 6. : *Calaritana*, 21 *febr.* 1728 *dub.* 2.

[589] Vide not. 710.

[590] Ubi legitur : « In clericis vero conjugatis servetur Const. Bonifacii VIII, quæ incipit, *Clerici, qui cum unicis*: modo hi clerici alicujus ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem ecclesiæ serviant, ve ministrent, et clericali habitu, et tonsura utantur; nemini, quoad hoc, privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. » Ceterum de jure communi fuit dubitatum, ut Gallermart ad hoc caput refert, an clericus deferens habitum, vel tonsuram, vel simul utrumque propter delicta privetur privilegio clericali? et affert distinctionem ; si est in sacris, retinet privilegium, sed punitur, et id ex cap. *Præterea, de Apostatis* arguitur, si est minoribus ordinibus, et deliquit, non privatur privilegio fori, nisi post trinam monitionem, cap. *in Audentia, de Sent. in Excomm.* c. ult *de Vita, et honest. cler.*; et nisi se immisceat enormitas, puta quod si seditiosus quo casu ipso facto privatur privilegio.

[591] Hæc Const. edita a Bened. XIII, die 23 sept. 1724 (*Bull. Rom.* tom. II, part. 2, pag 350 et in *Append. Concil. Rom.* anni 1725, num. 16) incipit *in Supremo militantis*, qua confirmantur, et innovantur litteræ ab Innocentio XIII, emanatæ *die* 13 *maii* 1723 super ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum. In § enim primo cautum est, pro tutiori conciliaris sanctionis, exequutione « ab omnibus regnorum Hispaniarum hujusmodi Archiepiscopis, non alii ad primam tonsuram in posterum admittantur, quam quibus ecclesiasticum aliquod beneficium statim conferendum sit; aut quos constiterit litterarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad ordines, tum minores, tum etiam deinde majores suscipiendos versari videantur ; vel demum quos viderint expedire alicujus ecclesiæ servitio, vel ministerio deputari. »

Et § 2 : « Et tam in his, qui ad primam tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita, nimirum, ut nullus ordinetur qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis ecclesiis, quique illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi reipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modo reperiantur, vel clericali tonsura jam initiati, vel ad ordines sive minores, sive majores jam promoti, qui nulli certæ ecclesiæ, vel loco pio adscripti fuerint; Episcopi adscriptionem hujusmodi, vel a seipsis, vel a prædecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minus quoad

7. Sancivit S. C. prohibitionem ab Episcopo factam de non incedendo noctis tempore sine lumine sustinere, sed post secundam noctis horam : *Salernitana*, *Edictor.*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 4.

8. Archiepiscopus præcepit sacerdoti Bartholomæo Tassi collegiatæ ecclesiæ S. Frediani canonico ob non laudabile vitæ suæ institutum, ne is quavis ex causa ad ædes sororum Anguellium accederet, neque cum eis in quovis alio loco simul staret, sub pœna scutorum 50 locis piis applicandorum. Nuntiaturæ apostolicæ auditor præceptum hoc sua sententia revocavit; ideo fuit quæsitum, num sustineatur præceptum Archiepiscopi, seu sententia nuntiaturæ prædictæ? S. C. non esse locum revocationi præcepti, nisi arbitrio Archiepiscopi stabilivit: *Florentina*, 17 *junii* 1747.

10. Sacerdos Franciscus Vasoli duas ordinatim rexit parochias, licet tenax non fuerit in eleemosynis distribuendis, tamen ex superextante utriusque parochiæ reditu, ex Missarum eleemosynis, ex ludimagistri stipendio, fructibusque patrimonialibus societates iniit bonum, aliorumque animalium, necnon cambia activa, et lucrum reportavit scut. 1000. S. C. hac super re consulta, de illicita negotiatione constare resolvit: *Apuana*, 20 *febr.* 1796, *dub.* 1.

11. Ac inde restitutionem in scut. 360 erogandis in Christi pauperes utriusque administratæ parœciæ faciendam decrevit: *Ibid.*, *dub.* 2.

Clericorum bona. Vide *Bona ecclesiastica.*

Clericorum patrimonium, Vide *Patrimonium clericorum.*

CLERUS.

§ I

Clerus quoad convocationem.

1. Cleri Burgi S. Domini convocatio ad contribuendum indigentiis extraordinariis laicorum non a capitulo de licentia Episcopi, sed ab ipsomet Episcopo facienda est: *Burgi, Sancti Domini, Convocat. capituli*, 18 *april* 1711, *dub.* 1.

2. Ipsius cleri coadunationem in loco Episcopo beneviso fieri debere S. C. statuit: *Ibid., dub.* 2.

3. Capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai in civitate Alone vulgo *Alicante* cum quatuor curatis hebdomadariis controversiam habuit, num sustineretur Episcopi decretum, quo mandabatur, ut admissio residentis supranumerarii, aut dotalis fieret cum interventu curatorum, et cleri, et ut casu alicujus quæstionis inter capitulum, et clerum, iste separatim se congregare posset in loco, ubi fuerit ei permissum ab Episcopo, sive ab ejus vicario foraneo, qui ejusdem congregationibus intersit, et præsideat? S. C. resolvit, ut quoad primam partem

omnes in majoribus ordinibus etiam presbyteratus, constitutos, quam quod eos, qui vel sola prima tonsura, vel minoribus ordinibus initiati, beneficium tamen ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut præfertur, vel sola prima tonsura insignitis, vel in minoribus ordinibus constitutis, sed beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos ecclesiis suis utiles, vel necessarios esse judicaverint. »

Insuper § 4 disponitur, ut nullum admittant Episcopi ad sacros ordines, nisi ob scientiam, aliasque qualitates vere dignum per diligentiam inquisitionem compererint.

Denique § 6 decernitur: « Quod, si qui sunt clerici, aut prima tonsura, aut ordinibus minoribus initiati, nullumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui neglectis Concilii Tridentini decretis, habitum clericalem, ac tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certæ ecclesiæ, aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in seminario ecclesiastico vel in aliqua schola, aut Universitate de licentia sui Ordinarii non versentur; Episcopi, nulla etiam præmissa monitione, eos privilegio fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certæ ecclesiæ antea factam deleri jubeant. Sique ii meliorem vitæ rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad sacros ordines sperari nequeat; iidem Episcopi, servata forma a sacris Canonibus tradita, ad privationem aliorum clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur clerici capellanias, vel beneficia, cujuscumque etiam tenuis reditus, obtinentes, quorum improba vita, aliis offensionem præbens, destruat potius, quam ædificet, vel concubinarii, aut fœneratores, vel ebrietati, ludisve alearum dediti, vel satores rixarum vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel clericalem habitum, tonsuramque non deferentes, vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum et vectigalium, a laicis non exemptis solvendorum, temere abutentes, vel qui demum similia, aut majora crimina patrantes, numero magis, quam merito ad ecclesiam pertinere ausi fuerint; Episcopi, præmissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de jure servandis, contra ipsos, ad pœnas a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, et a sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem beneficiorum, capellaniarum, et ecclesiasticorum officiorum, in omnibus illis casibus, in quibus prædicta privatio a sacris Canonibus imposita est; humanis quibuscumque rationibus posthabitis, procedant, memores, seipsos neglectæ subditorum emendationis condignos, Deo vindice, pœnas persoluturos. »

servaretur statutum; quo vero ad secundam negative prout jacet, sed posse privatim tantum congregari: *Orioleu.*, *Decret.*, 23 *januar.* 1734, *dub.* 5.

§ II.

Clerus quoad jura, et potestatem.

1. Quum provisus fuisset de ecclesia parochiali terræ Castilionis Xaverius de Laurentiis alienigena, clerus ejusdem terræ ad distributiones, et emolumenta, quæ ex consuetudinibus, et ex statutis ecclesiæ debentur tantum civibus originariis, admittere renuit; propterea dubiis productis, an clerus ecclesiæ parochialis terræ Castilionis sit manutenendus in possessione gaudendi privative, quoad omnes exteros etiam parochos, emolumentis, et distributionibus in eadem ecclesia percipi solitis? et quatenus affirmative,

2. An hodiernus parochus dictæ terræ exterus teneatur restituere distributiones, et emolumenta usque adhuc percepta? respondit S. C. dilata, et extrahantur jura formaliter: *Consentina, Participat.*, 15 *junii* 1709, *dub.* 1 et 2.

3. Clerus universus civitatis, et diœcesis Pampilonensis supplicavit pro facultate assumendi, et eligendi virum in dignitate ecclesiastica constitutum in suum judicem conservatorem, qui de injuriis aliisque causis, etiamsi hæ judicialem requirerent indaginem, cognoscere posset. Hæc instantia rejecta a S. C. jam antea fuerat, deinde licet petitio super observantia tantum trium apostolicarum Constitutionum moderata fuerit, tamen S. C. eam non admisit: *Pampilonen.*, *Indulti*, 28 *aug.* 1723.

4. Duo urbis Riveliæ cleri separatis ecclesiis S. Mariæ, et S. Nicolai addicti plura ad eorum componenda dissidia dubia proposuerunt. Inter cetera fuit illud, an clero S. Mariæ fas est habere proprium concionatorem tempore quadragesimali in propria ecclesia, seu adhibendus sit unus, idemque concionator distinctis diebus in utraque ecclesia? et ad hoc responsum fuit affirmative de licentia Episcopi, dummodo stipendium solvatur ab ecclesia S. Mariæ: *Policastren.*, *Præminent.*, *et jur. paroch.* 22 *januar.* 1746, *dub.* 12, confirmata 28 *maii ejusd. anni.*

5. Clero una cum archipresbytero præfatæ ecclesiæ S. Mariæ sub pœnis arbitrio Episcopi remissis propriam ecclesiam *matricem*, *majorem*, ac *collegiatam insignem* denominare prohibendum esse S. C. constabilivit: *Ibid.*, *dub.* 14, confirmata, et addidit salvis juribus ecclesiæ S. Mariæ quoad prætensas ecclesias filiales tantum, prout de jure: *Ibid.*

6. Duæ in diœcesi sunt ejusdem nominis terræ, uno tantum milliario dissitæ: una superior, inferior altera ecclesiam habent ambæ parochialem. Respectivi rectores contenderunt de matricitate, aliisque prærogativis; et vicit neuter. Resolutum postremo fuit, ut clero ecclesiæ S. Margaritæ liceat habere suum proprium cantorem, seu præfectum chori, non vero cantor S. Nicolai terræ inferioris utrumque chorum regere debeat: *Cassanen.*, *Matricit.*, *et præeminent.*, 3 *april.* 1756, *dub.* 6.

7. Ecclesia parochialis S. Laurentii castri Butrii de consensu communitatis patronæ concessa fuit fratribus ordinis Servorum B. M. V. ipsius castri; sed hoc fecit controversiam, quam S. C. tollit. Decrevit enim in publicis functionibus, et supplicationibus tam ordinariis, quam extraordinariis, fieri solitis, vel in posterum obeundis in dicta ecclesia parochiali etiam de mandato, vel licentia Card Archiepiscopi, præterquam in functionibus, ac supplicationibus faciendis ex instituto regulari posse presbyteros, et clericos seculares, qui alteri ecclesiæ adscripti non sunt, intervenire indutos consuetis vestibus, etiamsi invitati a parocho, aliisque religiosis conventus dicti ordinis non fuerint: *Bonon.*, 3 *julii* 1762, *dub.* 11, confirmata 23 *april.* 1763.

8. Ac dicto clero seculari competere præcedentiam, ac digniorem locum intra eumdem ordinem definivit: *Ibid.*, *dub.* 12, confirmata *ibid.*

9. Insuper dicto clero seculari competere jus præfatum interveniendi in functionibus, et publicis supplicationibus fieri solitis, in ecclesiis societatum ejusdem castri, dummodo tamen sint a sodalitiis vocati, statuit: *Ibid.*, *dub.* 13, confirmata *ibid.*

10. Quo casu etiam deberi dictis presbyteris, et clericis secularibus præcedentiam non præfatis regularibus, uti in dubio 12 decidit: *Ibid.*, *dub.* 14, confirmata *ibid.*

11. Non autem presbyteris, clericisque secularibus licere se induere superpelliceo, aliisque congruis indumentis in ecclesiis, ad quas accedunt, tam pro funeribus, quam pro functionibus, ac supplicationibus, sed teneri in sacrario ecclesiarum ipsarum, præcipit: *Ibid.*, *dub.* 15, confirmata *ibid.*

12. Clero, et presbyteris ecclesiæ parochialis S. Mariæ de Castello urbis Castrivillarum licet in ecclesia filiali S. Mariæ Gratiarum sita in districtu parœciæ S. Juliani dictæ civitatis ad libitum explere omnes, et singulas sacras functiones, præter eas diei 2 julii et 2 augusti absque venia, sive consensu parochi S. Juliani, exceptis functionibus parochialibus: *Cassanen.*, 11 *julii* 1767, *dub.* 1.

13. Ac licet dicti cleri presbyteris ad confessiones approbatis eas excipere in præfata ecclesia, etiam invito parocho S. Juliani: *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Ac jus non habent dictus clerus, et presbyteri in dominicis, et festis diebus in antedicta ec-

clesia S. Mariæ Gratiarum ad libitum in quacumque hora eis benevisa Missas celebrare sive lectas sive cum cantu ; jussitque S. C., ut Episcopus provideat, ut Missa parochialis diebus festivis celebretur hora opportuna, et in eadem Missa fiat sermo post Evangelium : *Ibid., dub.* 3.

15. Insuper fas non est eidem clero, et presbyteris sine dicta licentia parochi S. Juliani de facultate tamen Episcopi habere in eadem ecclesia S. Mariæ Gratiarum expositionem 40 horarum cum benedictione super populum : *Ibid., dub.* 4.

16. Dictusque clerus potest retinere in eadem ecclesia S. Mariæ Gratiarum tabernaculum jam extructum, remoto tamen ostiolo, nec est locus illius demolitioni : *Ibid., dub.* 5.

17. Ac pariter præfatis clero, et presbyteris jus est faciendi officium funebre super cadaveribus sepeliendis in eadem ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quando agitur de cadavere tumulando illius, qui non erat subjectus parocho S. Juliani ; nec ad parochum S. Juliani spectabat : *Ibid., dub.* 6.

17. Denique licitum est respectivis cleris tam in ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quam in ecclesia S. Josephi filialis ecclesiæ parochialis S. Juliani, ac in ambitu parœciæ S. Mariæ de Castello sita novendialem in septem festivitatibus B. M. V. celebrare actionem arbitrio tamen, et prudentia Episcopi : *Ibid., dub.* 7.

§ IV.

Clerus quoad onera.

1. Quæsito ab Episcopi, an ipse jure delegato posset compellere clerum abbatiæ Ferentilli, ut accederet ad synodum, ita respondit S. C., præsupposito dictam abbatiam, et loca, de quibus agitur, esse intra fines diœcesis Spoletanæ, Episcopum Spoletanum posse impellere ad veniendum ad suam synodum : *Spoletana, anni* 1583.

2. Clerus unius civitatis non solum tenetur sacrum oleum accipere ab Episcopo, illud in alia civitate conficiente, verum etiam impelli potest eidem Episcopo in ejusdem ministerio assistere ad sacrorum Canonum præscriptum : *Civitatis Castellanæ, et Hortanæ*, 8 *junii* 1624, *dub.* 3.

3. Et potest Episcopus punire : *Ibid., dub.* 4.

4. Dubium, an clerus terræ Serræ Capriolæ teneatur instar supplicationis cum cruce, et superpelliceis accedere ad januas ejusdem terræ ad recipiendum Episcopum sub baldachino in actu ineundi visitationem? resolvit S. C. non esse solemniter a clero recipiendum ad januas castri, sed tantum ad fores ecclesiæ indutum tamen habitu episcopali : *Larinen.*, 23 *martii* 1697, *dub.* 2. Deinde S. C. censuit servandum esse pontificale [411], et cæremoniale : 12 *april.* 1698.

5. Clerus ecclesiæ S. Jacobi nationis Hispanorum Neapolis tenetur accedere ad supplicationem Sanctissimi Corporis Christi. Nam ille sub umbra suorum privilegiorum id agere renuebat : *Neapolit.*, 3 *aug.* 1709, *dub.* 1 [593].

6. Clerum ecclesiæ S. Petri terræ Vasti Episcopo in actu visitationis obedientiam non in ecclesia S. Petri, ubi semper eam præstitisse asseverabat, sed in ecclesia S. Mariæ Majoris ejusdem terræ, in qua Archiepiscopus sua auctoritate eos accivit, deferre, S. C. præcepit : *Theatina*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 1 et 2. Ad examen iterum causa producta postulatum etiam fuit, num præfata resolutio intelligeretur quoad primum solemnem ingressum tantum Archiepiscopi in terra Vasti, seu etiam quoad omnes alias visitationes ab eodem faciendas responsum prodiit Archiepiscopum posse incipere solemnem visitationem a quacumque ecclesia sibi benevisa ibique obedientiam exigere ab universo clero : 10 *april.* 1717.

7. Et occasione aliarum cunctarum visitationum ab eodem clero S. Petri Archiepiscopo in præfata S. Petri ecclesia : non in alia ecclesia ab ipso Archiepiscopo benevisa obedientiam præstandam sancitur : *Ibid., dub.* 2.

8. Clerus ecclesiæ parochialis S. Georgii terræ Urbisaliæ una cum præposito tenetur in hebdomada majori, et in nocte Nativitatis, non autem in aliis festivitatibus, interesse functionibus in plebania ecclesia parochiali S. Laurentii dictæ terræ : *Maceraten., Jur. paroch.*, 17 *junii* 1719, *dub.* 4.

9. Clerus oppidi Caggiani omni studio nititur, ut S. C. fidem habeat Nicolaum Leporem archipresbyterum ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris ex duc. annuis 40 reditus cujusdam beneficii dictæ ecclesiæ uniti, et ab eo possessi se alere commode posse, quo posito petit, ut eum ab onere eidem ex decimis tumulos sexdecim frumenti, et octo hordei tradendi absolvatur ; quia cedere eosdem Episcopo visitanti nomine procurationis exoptat. Sed archipresbytero contradicente S. C. resolvit dictam contributionem non deberi archipresbytero pro ejus præbenda, sed pro expensis visitationis Episcopi, et ejus æquitatus ad formam sententiæ anni 1574 : *Satrianen., Jur. paroch.*, 17 *nov.* 1736, *dub.* 2.

10. Sed non accedente Episcopo ad visitandum tenetur clerus ad præfatam contributionem frumenti, hordeique in favorem archipresbyteri : *Ibid., dub.* 3.

[411] Vide not. 23, verb. *Canonicatus.*

[593] Vide verb. *Suspensio*, num. 17.

11. Insuper in futurum, nolente clero dictam contributionem amplius præstare eidem archipresbytero, non licere S. C. putavit clero præfato expensas visitationis per se ipsum subministrare : *Ibid.*, *dub.* 4.

12. Clerus oppidi Mormanni non tenetur solvere strenam ducatorum sex Episcopo, et carolenorum viginti vicario generali singulis annis : *Cassanen.*, 15 *dec.* 1736, *dub.* 10.

13. Necnon adstrictus est ad solutionem cathedratici Episcopo in summa juliorum viginti collective in omnibus : *Ibid.*, *dub.* 11 et 12.

14. Dictus clerus solvere contributionem seminario tenetur : *Ibid.*, *dub.* 15, confirmata 30 *martii* 1737.

15. Clerum Bisacciarum, et S. Angeli, qui ab Episcopo in suo vulgato edicto ad gestandam vestem talarem quotidie, et ante, et post meridiem, necnon et in omnibus humanæ vitæ functionibus adactus fuit sub pœna quinque ducatorum pro unaquaque contraventionis vice solvendorum, et piis usibus applicandorum ; eumdem habitum deferre debere, rescriptum fuit, moderata tamen pœna in uno ducato tantum citra approbationem limitationis : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 10.

16. Clerus parochialis ecclesiæ S. Mariæ Majoris Marathcæ inferioris non eximitur a S. C. ab onere præstandi 50 frumenti modios Episcopo Cassanensi ex cumulo decimarum, quas ipse in medietate unius modii tritici a singulis familiis sub parœcia degentibus colligit : *Cassanen.*, *Quartæ decimar.*, 27 sept. 1738, confirmata 4 *julii* 1739, *dub.* 1.

17. Clerus cathedralis ecclesiæ tenetur tribus anni vicibus per modum supplicationis ire, juxtaque solitum brachium S. Viti comitari ab ecclesia cathedrali ad abbatialem ejusdem S. Viti, formaque recipi debet decenti per Card. præfectum præscribenda : *Polymnianen.*, *Juris quæst. et process.*, 30 *april.* 1746, *dub.* 10 et 11.

18. Clerum S. Mariæ urbis Riveliæ in festo S. Nicolai etiam non vocatum ad ejus ecclesiam juxta solitum accedere, et assistere primis vesperis, et Missæ solemni teneri ; necnon clerum S. Nicolai ea occasione singulis de clero S. Mariæ solitas candelas distribuendi quoque onus habere S. C. firmavit : *Policastren.*, *Præeminent.*, *et jur. paroch.*, 22 *januar.* 1746, *dub.* 7, confirmata 28 *maii ejusd. anni.*

19. Clerum vero S. Nicolai, dummodo invitetur, ad ecclesiam S. Mariæ accedere, ibique secundis vesperis dominicæ, et Missæ solemni feriæ secundæ Pentecostes, ac etiam primis vesperis, et Missæ solemni Assumptionis B. M. V. assistere teneri, S. C. sententia fuit : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

26. Clerum S. Mariæ, nec in vigilia Nativitatis Domini, nec in sabbato majoris hebdomadæ, archipresbytero S. Nicolai candelas longitudinis palmorum septem ceræ usualis, bina bucellata panis, unamque gallinam tradere teneri determinavit S. C. : *Ead.* 28 *maii ejusd. anni*, *dub.* 9.

21. Clerus oppidi S. Victoris tenetur licentiam ab archipresbytero ipsius oppidi tam pro celebratione Missarum in ejus ecclesia explenda, quam pro sonitu tintinnabulorum petere. Nam rector est ecclesiæ : *Cæsenaten*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 3.

22. Clerus unius ecclesiæ cathedralis cogi valide potest ad interveniendum synodo in altera ecclesia celebrandæ, si synodus indicatur pro utraque diœcesi, et cleri utriusque covocentur : *Viterbien.*, *seu Tuscanen.*, 11 *januar.* 1753, *dub.* 2.

Coactio in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § xxii.

Coactio in ordinibus. Vide *Sacramentum ordinis*, § xi.

Coactio in professione religiosa. Vide *Professio religiosa*, § vii.

Coactio in sponsalibus. Vide *Sponsalia*, § ii.

Coadjutor. Vide *Archidiaconus*, § i; *Archipresbyter*, § i; *Beneficiatus*, *etc.*; *Canonicus*, § i; *Parochus*, § ii; *Præpositus*, § i.

Coadjutores. Vide *Parochus*, § ii.

Coadjutus. Vide *Beneficiatus*, *etc.*; *Canonicus*, § i; *Præpositus*, § i.

Coadunatio cleri. Vide *Clerus*, § i.

Cœna Domini. Vide *Bulla*, § ii.

Coeundi impotentia. Vide *Matrimonium*, § xv.

Cognatio carnalis spiritualis, et legalis. Vide *Matrimonium*, § x.

Cognatio carnalis spiritualis, et legalis quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § x.

Cognitio causarum. Vide *Causa judicialis*, *Episcopus*, § iv.

Cohabitatio triennalis. Vide *Matrimonium*, § xv.

Collaticius. Vide *Contractus*, § iii.

Collatio baptismi. Vide *Baptismi sacramentum*, § i.

Collatio beneficiorum, ac dignitatum. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § ii; *Canonicatus*, § i; *Episcopus*, § x.

Collatio confirmationis. Vide *Sacramentum confirmationis.*

Collatio ecclesiæ parochialis. Vide *Ecclesia parochialis*, § ii; *Vicaria perpetua*, § ii.

Collatio ordinum. Vide *Abbas*, § ii; *Archiepiscopus*, *seu metropolitanus*, § ii; *Episcopus*, § v; *Sacramentum ordinis*, § vi.

COLLECTÆ.

Custos ærarii publici prætendit, ut loca pia civitatis solvant integre pro rata portione, quæ ad ea pertinent, de oneribus cameralibus, et postea exigant, quod illis a civitate debetur; hinc re in S. C. delata committitur D. secretario, ut ad Sanctissimum referat, S. C. sententiam esse, ut si Sanctissimo placuerit Episcopi precibus circa ejus mensæ indemnitatem indulgeatur, et agendum cum D. quæstore : *Maceraten.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 42.

COLLECTIO. Vide *Eleemosyna*.

COLLECTOR APOSTOLICUS. Vide *Subcollector apostolicus*.

COLLECTORES ELEEMOSYNARUM. Vide *Eleemosynæ*, § I.

COLLEGIATA ECCLESIA. Vide *Ecclesia collegiata*.

COLLEGIUM.

§ I.

Collegium quoad ædificationem, ac fundationem.

1. Innocentia de Comitibus universalem hæredem instituit congregationem PP. Scholarum piarum cum onere fundandi ex fructibus hæreditatis in suo palatio, et domibus contiguis civitatis collegium, ecclesiam, et religionis institutum. Ei substituit congregationem Somascham. In codicillis autem, ut ludum docendi post terminum quatuor annorum a die obitus aperirent, patribus imposuit, collegitque, post sexdecim annos omnibus satisfacturum; exploratum ob id non est, quæ temporis prorogatio concedenda sit clericis regularibus ad perfectionem ædificii ecclesiæ, atque collegii supradicti? responsum est, Episcopo pro meliori informatione super statu fabricæ, et redituum cum facultatibus S. C. non retardata omnino intra bimestre aperitione scholarum, ac retentione sex religiosorum ad formam codicilli facto verbo cum Sanctissimo : *Alatrina*, *Fundat. collegii*, 11 *junii* 1729.

2. Nicolaus Simoncellius post uxoris suæ obitum duos canonicatus erigi mandavit. In codicillis alterum consimilem erigi jussit canonicatum. At quum ære alieno premeretur hæreditas, Episcopus necessariam habendam prorogationem existimavit, et petiit interim voluntatis commutationem, ut nimirum collegii potius, quam canonicatuum fieret erectio, sed commutationem postulatam non impetravit : *Cingulana*, *Commutat. volunt.*, 9 *sept.* 1752.

§ III.

Collegium quoad alumnos.

1. Præsul Joannes Andreas Castellani oppidi Carcararum universalem hæredem instituit almam domum Lauretanam nationis Picenæ de urbe, ut decem alumni ejusdem oppidi, vel aliorum finitimorum in religione, bonisque artibus instituerentur. Sed anno 1672 deputati congregationis dictæ almæ domus Clem. X, Pont. Max., exposuerunt, adolescentes teneræ præsertim ætatis in collegio Piceno minus apte educari, e converso eidem juventuti expedire, si adolescentes pro discenda forensi utriusque juris, vel medicinæ praxi Romam accedant, atque in dictum collegium recipiantur, postquam doctoris laurea fuerint insigniti. Pontifex annuit, et breve apostolicum edidit. Adversus hoc breve communitas oppidi supradicti obloquuta est; et in S. C. res fuit disceptata, quæ censuit breve præfatum non esse exequendum quoad alumnos nominandos a patre rectore Scholarum piarum Carcararum : *Romana seu Alten.*, *Commutat. volunt.*, 20 *april.* 1697, *dub.* 1.

2. Deinde dubio proposito; an gratia petita sanationis, seu alterius similis brevis concessionis supplicantibus omnibus interesse habentibus, et sola loci Carcararum communitate refragante, possit a Sanctissimo concedi? S. C. rescripsit, referendum Sanctissimo, non expedire : *Ibid.*, *dub.* 2. Sanctitas sua sententiam S. C. approbavit : *die* 22 *maii ejusd. anni*. Inde contendens rector sæpedicti collegii alumnos Carcarenses in eo ultra quinquennium non commorandos; contra vero P. rector Scholarum piarum oppidi Carcararum nullum fuisse a testatore tempus statutum asserit; hinc posito dubio : an, et quomodo sit intelligenda resolutio capta sub die 28 april 1697, et præsertim circa tempus, quo alumni Carcarenses sint detinendi in collegio Piceno? responsum est, tempus quoad alumnos prædictos

non esse circumscribendum ad quinquennium : *Ead. caus.*, 28 *sept.* 1757.

3. Post hæc Card. protector proponi curavit hæc dubia, an facultas præscribendi concursum, vel alium modum electionis alumnorum Carcarensium a donante concessa Card. Pallotta per hæc verba, *per mezzo di concorso, o in altro modo, che sara giudicato, præscritto a dichiarato dal sig. Card. Pallotta* censeatur personalis in eodem Card. Pallotta tantum, vel potius competat etiam Card. protectoribus successoribus, ita ut non præscripto modo a dicto Card. Pallotta, valeat præscribi a Card. successoribus, et quatenus negative,

4. An præscribi valeant regulæ, de quibus in folio ad partes, vel potius sint reformandæ, et in qua parte, et quomodo? S. C. rescripsit ad primum facultatem præscribendi concursum, vel alium modum electionis Carcarenses non competere D. Card. protectoribus. Ad secundum negative quoad alumnos Carcarenses : *Ead. caus.*, 28 *sept.* 1697, *dub* 1 et 2.

5. Tripartita quæstio inter Jacobum Zachæum, Franciscum Parentium, et Josephum Brunum in S. C. agitata est. Singuli enim respective petebant admissionem alumnorum ad duo loca vacantia *Dozzinæ Lauretanæ* ab equite Laureto Victori Spoletano erectæ, et collegio Piceno urbis incorporatæ, vigore nominationis, quam cujusdam magistratus Spoletanus fecerat. Controversiam vero S. C. solvit, esse admittendos Brunum, et Zachæum, qui priores tempore nominati fuerunt : *Romana, seu Spoletana, Dozzinæ*, 17 *nov.* 1708, confirmata 23 *febr.* 1709.

6. Quum a veritate absonum esset, ut testator Joannes Carolus Lassi munus ponendi manu tantum, atque extrahendi ab urna alumnorum nomina Episcopis Narnensibus commiserit ; disputata hæc fuerunt dubia ; an electio, seu nominatio alumnorum, qui in urna sunt collocandi, ac extrahendi ad formam testamenti Joannis Caroli prædicti ad Episcopum, seu ad descendentes Aurelii Vitutii pertineant?

7. Qui actus spectent ad Episcopum , et respective ad descendentes prædictos? S. C. rescripsit ad descendentes spectare significationem vacationum, receptionum qualitatem, et delectum cunctorum habentium merita, ut eorum nomina in urnam injiciantur; ad Episcopum vero spectare immissionem nominum in urnam, eorum sortitionem, ac potestatem tantum explorandi, ut, qui in urnam deponendi sunt, qualitatibus a testatore præscriptis præditi sint : *Romana, seu Narnien.*, 24 *april.* 1714, *dub.* 1 et 2.

8. Ex testamento Card. Matthæi mandatur, ut in collegio ab ipso instituto in Urbe recipi debeant duo alumni de abbatia Nonantulæ. Hujus dispositionis causa S. C. consulta, non admittendos in præfato collegio duos alumnos ex terra tantum Nonantulæ, sed ex dicta terra, et quocumque alio loco de territorio abbatiæ Nonantulæ subjecto suam mentem aperuit : *Romana, seu Nonantulana*, 11 *sept.* 1717.

9. Quum rector collegii Scholarum Piarum oppidi Castri Novi, cui pro collegii erectione, et alumnorum manutentione delata fuit hæreditas Josephi Perilli, exposuisset bona hæreditaria gravium, et frequentium litigiorum sumptibus fuisse obnoxia, quarum causa nec alumnos, nec etiam plures quam sex religiosos ad hæc usque tempora nutricari potuisse, S. C. decrevit ex hactenus deductis non constare de sufficientia redituum; ita ut patres Scholarum Piarum manutenere alumnos teneantur : *Nullius Farfen., Alumnorum*, 18 *maii* 1743.

10. Cooptandus est clericus Angelus Ceva in collegium Nicetæ Lassi qualitatibus a fundatore præscriptis pollens, uti solus e castro collis Valentiæ, ac idoneus ad studia prosequenda, contradicente marchione Sacripanti, ad cujus familiam juvenum electio spectat. Nam testator non nobiles vocavit; et Ceva familia Tudertinæ civitati adscripta est : *Romana seu Tudertina*, 17 *junii* 1769.

Collegium parochorum. Vide *Parochorum collegium.*

Collegium presbyterorum. Vide *Communitas presbyterorum.*

§ III.

Collegium quoad translationem, et subrogationem.

1. Collegii Preykiani Warmiæ, quod Joannes Preyk univit collegio Norbertino, patroni postularunt olim ipsius collegii translationem ad aliud urbanum, et inde quieverunt. Exurgit iterum petitio de translatione, quia collegium Norbertinum stat in extremis fere finibus Urbis, et alumni studiorum causa collegium Romanum, vel archigymnasium celebrare debent. Sed præsides dicti collegii translationi refragantur, nullamque probant esse causam transferendi et translatio voluntati fundatoris adversatur; ideo S. C. commutationi haud esse locum dixit: *Romana, seu Warmien., Commutat. volunt.*, 7 *aug.* 1756.

2. Gundisalvus *de Campo* solemni contractu inter vivos ex suis bonis collegium societatis Jesu constituendum jussit pro vicenario numero juvenum, necnon pro religiosis ejusdem societatis, vel theologiam repetentibus, vel tertiæ probationis annum agentibus. Ædificium hoc munificientia Card. de Solis Archiepiscopi completum est. Sed moderator ejusdem societatis provinciæ Bæticæ supplicavit, ut vice, et loco religiosorum theologiam repetentium,

et tertiam probationem agentium, possit in dicto collegio substituere totidem religiosos missionarios; et factus est sui voti compos, firma tamen in reliquis dispositione : *Hispalen.*, 1 *febr.* 1766.

Comitatus tempore visitationis. Vide *Episcopus*, § xxix.

Commenda. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § ii.

Commendatarius. Vide *Abbas*.

Commendator. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § iv.

Commissio attentatorum. Vide *Attentata*.

Communio paschalis. V. *Præceptum paschale*.

COMMUNITAS ECCLESIASTICA SEU PRESBYTERORUM.

1. In de diœcesi Gerundæ duo sunt oppida S. Mariæ de Areniis de Mar, et alterum S. Martini de Munt parum a primo distans, sed ambo unicum habent parochum in secundo residentem, et primum vicarii amovibilis sustinet onus, qui negligenter munus suum ita gerit, ut a pluribus etiam adultis fidei rudimenta ignorantur. Beneficiati dictæ ecclesiæ S. Mariæ hisce malis occurrere cupientes pro erectione communitatis ecclesiasticæ, quæ una cum rectore administrationi sacramentorum, introitum ecclesiæ, horis canonicis, pueris erudiendis vacat, instituerunt. At S. C. eos non audivit, sed mandavit, ut Episcopus prout de jure provideat : *Gerunden.*, *Erect.*, *communit.*, 19 *febr.* 1701.

2. Supplicarunt presbyteri residentes ecclesiæ parochialis S. Mariæ Virginis urbis Mataronæ pro erectione communitatis in eadem ecclesia ad remedium adhibendum malæ administrationi, quam rector pro tempore de illa, ejusque bonis exercebat, ac dubium proposuerunt, an sit hujusmodi erectio in communitatem concedenda? sed negativum retulerunt responsum. Episcopus enim hanc erectionem nimis præjudicialem rectoris prærogativæ futuram aiebat : *Barchionen.*, *Erect. communit.*, 1 *april.* 1702, *dub.* 1.

3. Communitas presbyterorum in ecclesia parochiali S. Eulaliæ loci de Berga erecta non valet absque Episcopi facultate acceptare legata, aliasque pia relicta sub perpetuo onere Missarum, anniversariorum, et similium; licet in ejus favorem antiquissimam depromat consuetudinem : *Celsonen.*, 22 *julii* 1741, *dub.* 1.

4. Ampliatur: prædicta communitas haud pariter valet absque Ordinarii venia investimenta pecuniarum provenientium ex retrovenditione censuum in aliis similibus censibus, et investimentis peragere : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Collegium, quod in ecclesia extat parochiæ villæ *de Reus*, pluribus constat presbyteris, qui unum corpus conflant, et quotidie in choro adsunt; hinc in duo tantum menses vacationis a choro tribuantur, postulant. Annuit S. C. pro quatuor capitularibus alternatim, et pro duobus mensibus tantum, et cum solitis clausulis [594] : *Tarraconen.*, 18 *febr.* 1764. Presbyteris inde clausulæ non placuerunt; idcirco optarunt, ut vel eæ moderentur, vel numerus capitularium absentiam augeatur; et S. C. clausulas haud moderavit, sed numerum ad sex capitulares tantum auxit : 23 *martii* 1765, *dub.* 1.

COMMUNITAS.

§ I.

Communitas laicalis quoad jura, ac potestatem.

Communitatem castri Gandulphi non posse gerere, et administrare alia bona, quæ a principio possidebat capella S. Sebastiani præter hæreditaria Antonii Mariani, statutum est: *Albanen.*, *Deputat. eremitæ, et administ.*, 10 *maii* 1692, *dub.* 3, confirmata, 21 *junii ejusd. anni.*

§ II.

Communitas laicalis quoad onera.

1. Communitas oppidi Cryptarum ad mare tradere consuetam eleemosynam concionatori nominando ab Episcopo tempore Adventus, et Quadragesimæ pondus habet : *Rapina*, *Deput. concionat.*, 21 *maii* 1707, *dub.* 2.

2. Communitas oppidi Massæ tenetur submini-

[594] Vide not. iii, verb. *Beneficiatus jubilatus*

strare scuta decem Dominico Antonio Biaginio ecclesiæ S. Felicis dicti oppidi archipresbytero pro expensis victualium factis, et respective faciendis ab eodem pro tempore visitationis pastoralis Episcopi. Nam ipse Episcopus indemnitati illius consulens ob summam erogatam scut. 20 præcepit, ut a communitate decem, et quinque a locis piis visitatis solverentur : *Tudertina, Procurat.*, 30 *julii* 1735, *dub.* 1.

3. Capitulo ecclesiæ cathedralis non incumbit onus reparationis, et expurgationis quatuor sepulcrorum existentium in ecclesia S. Mariæ de Vivario, sive S. Rocchi urbis Tusculi, et quæ inserviunt laicis adultis; sed ad communitatem hoc onus spectat; quum antiquitus ipsa ecclesia cathedralis, et parochialis fuisset : *Tusculana, Reparat. ecclesiæ*, 11 *januar.* 1738, *dub.* 3, confirmata 1 *martii ejusd. anni.*

4. At idem capitulum ad reparationem, et purgationem aliorum duorum sepulcrorum pariter in dicta ecclesia existentium, ac inservientium pro pueris, et sacerdotibus, non communitas tenetur : *Ibid.*, *dub.* 4, et inde recessit S. C. a decisis quoad tumulum sacerdotum, quo vero ad conditorium puerorum spectare ad communitatem censuit : *Ibid.*

5. Neque communitas ad refectionem, ac manutentionem sacrarum supellectilium, ac utensilium in sacrario dictæ ecclesiæ S. Mariæ; sed capitulum una cum archipresbytero devincta est : *Ibid.*, *dub.* 5. Postmodum prævio a decisis recessu ad communitatem spectare decidit : *Ibid.*

6. Bona spectantia ad parochialem ecclesiam Arcis Porenæ, ejusque rectorem minime colenda sunt a communitate, sive hominibus dicti loci, sed eorum culturam parochus exercere debet : *Spoletana, Congruæ*, 23 *novem.* 1765, *dub.* 1.

7. Communitas hominum S. Ceciliæ ad Vasionensem pertinens diœcesim in ditione Vessedenti, seu comitatu Venaisino, utpote laica, ad contributionem expensarum visitationis Episcopi minime adstricta est : *Vasionen.*, *Procurat.*, 30 *aug.* 1766.

Commutatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § viii; *Canonicatus*, § ii; *Capellania*, § vii; *Legatum pium*, § v; *Subsidium dotale*, § iii.

Compatibilitas. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § vi.

COMPENSATIO.

1. Quum deputati archihospistalis Consolationis de Urbe instarent pro compensatione Missarum in præteritum præter debitum celebratarum cum Missis deinceps peragendis, dubium prolatum fuit, an locus sit petitæ compensationi? negativum responsum exiit. In causa hac constabat de Missarum applicatione anticipate celebratarum ad tramites voluntatis pii fundatoris : *Romana, Missar.*, 5 *martii* 1689.

2. Canonici loci Cerbariæ Missam conventualem dominicis, festisque diebus celebrabant; et Card. abbas commendatarius præcepit in visitatione eam applicare pro benefactoribus, et illi paruerunt, sed postea declarata a S. C. nullitate decreti, quæsierunt, ut Missæ hactenus præter obligationem celebratæ, compensandæ cum Missis essent in posterum a capellanis celebrandis; sed non impetrarunt : *Nullius Sublacen*, 7 *julii* 1781, *dub.* 2.

3. Ut parochialem ecclesiam S. Salvatoris oppidi Belmontis repararet, ejus parochus Franciscus Urbani censum super parœciæ bonis imposuit, cum pacto censuales solvendi fructus, et scuta decem annua in sortis extinctionem deponendi. Defuncto parocho fratrem Latinum hæredem ad restituendum depositum in scut. 37, 50 damnavit Archiepiscopus. Prætendit ille parochum nonnihil de suo occasione instaurationis ecclesiæ impendisse, et compensationi propterea dari oportere locum. Archiepiscopus illam excludebat, quia si de suo quid impendisset, uti parochus erogasset, quia legaliter de rationis redditione non constabat; et quia quum ille per quinque annos jam superfuisset, se redintegrasse conjectura facienda erat. Proposita itaque decidenda quæstione, S. C. compensationem denegavit : *Firmana, Compensat.*, 21 *april.* 1787.

4. Sacerdos Rescia possessor beneficii institut a sacerdote Stephano Josepho Chiodi in ecclesia parochiali Gamalerii mercedem laborum, quos tot annorum spatio in recta bonorum administratione, et in ædificatione capellæ impendit, quod pro executione illius testatoris voluntatis opus fuit, precatur. Hanc autem compensationem S. C. admittere abnuit : *Alexandrina*, 18 *aug.* 1787, *dub.* 1.

5. Censuit S. C. locus esse compensationi, dum Missæ præter obligationem per errorem a collegio capellanorum beneficiatorum ecclesiæ celebratæ ex legato sacerdotis Bernardini Zecchini rependuntur juxta votum Archiepiscopi cum Missis currentibus : *Ferrarien.*, *Missarum*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

6. Clericus Paulus Bondi nominatus ad capellaniam fundationis Alexandri Ziani, quum non constaret, nihil ante possessionem bonorum capellaniæ

pro Missis tunc celebratis consequutum fuisse; et verisimile est, et bona, et reditus pinguis capellaniæ a die nominationis per actas lites vindicasse, hinc non esse locum pro compensatione Missarum quoad præteritum, sancivit S. C. *in Sutrina*, *Capellaniæ*, 18 *april*. 1795, *dub*. 4.

7. Fundata domo in urbe Firmi *presbyterorum*, qui dicuntur *Missionis* a Card. Cincio Archiepiscopo, universa illorum congregatio sese obligavit recipere omnes convictores ad majores præsertim ordines promovendos; ita tamen ut congrua quisque solveret pensionem pro eorum convictu. Hæc obligatio impleta fuit accipiendo ob. 20 in singulos dies pro brevi exercitiorum spiritualium convictu, et pro longiori ordinandorum convictu scut. 5 menstrua. Modo ad eorum preces S. C. auxit pensionem convictus ad menstrua scut. 6 cum dimidio præter linteamina, et lecti tegumenta, et ob. 15 pro arenis; hinc etiam petunt pro expensis, quæ supra pensionem retroactis annis factæ fuerunt, compensationem, sed negativum tulerunt responsum : *Firmana*, *Convictus*, 18 *martii* 1797, *dub*. 2.

Compulsoriales litteræ. Vide *Litteræ S. Congr. Concilii etc.*

Concathedralis ecclesia. V. *Episcopus*, § vi.

Concessio. Vide *Applicatio*, § i; *Contractus*, § v; *Ecclesia in genere*, § iii; *Emphyteusis*, § ii; *Juspatronatus*, § ii.

Concessio litterarum dimissorialium, ac testimonialium. Vide *Abbas*, § v; *Episcopus*, § v.

Concilii tridentini interpretum Congregatio. Vide *Congregatio*, § vi.

CONCILIUM TRIDENTINUM QUOAD EJUS PROMULGATIONEM.

Censuit S. C. promulgationem decreti cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrim.* [595] præsumendam, ubi ibidem decretum hoc fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum : *Colonien.*, *Matrimonii*, 26 *sept.* 1602, *dub.* 2.

CONCIO.

§ I.

Concio seu prædicatio, et quibus concionandi facultas competat.

1. Quæritur, utrum vigore sess. 24. cap 4. *de Reform.* [596] Ordinarii prohibentes regularibus, ne in ecclesiis suorum ordinum ad populum loquantur, teneantur causas, quibus monentur, dicere, aut justificare, et respondetur non teneri : *Mediolanen.*, *junii* 1587, *dub*. 6.

2. Episcopus potest concionari in ecclesiis regularium, etiam ipsis regularibus contradicentibus in actu visitationis ecclesiæ habentis curam animarum : *Bobien.*, 16 *martii* 1630, *dub*. 2.

[595] Ubi præscribitur : « Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat. » Hac de re erudite disserit Benedictus XIV. *Inst. Eccles. XXXIII et LXXXVIII*, tom. i, pag. 215 et 589.

[596] Nullus autem (ait Synodus) sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. » Huic decreto accessit Const. *Superna*, tom. ii. kal. junii 1670 Clementis X, ubi habetur : « Et licentiam prædicandi semel iisdem (nempe regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. » Sed subjungit « non posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent. » Et videtur esse juxta mentem dictæ Constitutionis Episcopos non teneri significare regularibus causam, ob quam contradicat regularibus ne prædicent, dum § 5, statuitur, Episcopum non teneri significare regularibus causam ob quam confessarios a se simpliciter approbatos ad confessiones secularium, ab iisdem audiendis suspendat, ibi : « Nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. » Et ante Concilium Tridentinum jam præceperat Leo X, Const. *Supernæ majestatis* 14 cal. jun. 1516 (*Bull. Rom.*, tom. i, pag. 579), ne quisquam ad prædicationis munus admittatur, quin prius examinet, et approbetur. Nam ipse subjungit : « Neque quidquam aliud prædicet, nisi evangelicam veritatem, e sacram Scripturam juxta declarationem, et interpretationem doctorum, quos vel usus diuturnus, vel Ecclesia approbavit. »

3. Episcopum animadvertendum, ut conciones, vernacula, et materna lingua habeantur, adhibito consilio ejusdem nuntii, ita S. C. in *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 13.

4. Ad dubium, an vicario ecclesiæ, seu oratorii S. Mariæ Angelorum loci de Panzano liceat concionari per se vel per alium in eadem ecclesia? S. C. respondit negative, nisi de licentia Ordinarii: *Nullius, seu Nonantulana, Jur. paroch.*, 13 *januar.* 1685, *dub.* 1.

5. Quoad dubium, an jus sit regularibus in propriis ecclesiis extra tempus Adventus, et Quadragesimæ concionem habere absque benedictione Ordinarii? respondit S. C. non licere: *Vercellen.*, 12 *martii* 1643, *dub.* 10.

6. Ac regulares obloquentes de Ordinario in sermonibus, quos habent in oratoriis, vel in propriis ecclesiis, possunt ab eodem Ordinario puniri: *Ibid.*, *dub.* 1.

7. Non obstante transactione de habenda concione alternis vicibus in ecclesiis PP. Min. Conv. terræ Corinalti, PP. ordinis S. Augustini, et in ecclesia parochiali S. Petri dictæ terræ confecta; modo, quum ecclesia illa parochialis in collegiatam esset erecta, exorat capitulum haberi in posterum prædicationem in propria ecclesia; et S. C. rescripsit, verbum Dei esse prædicandum in ecclesia collegiata a concionatore a communitate eligendo, servato tamen solito ordine: *Senogallien., Jur. concion.*, 27 *januar.* 1703.

8 Episcopus Milevitanus in synodo constitutionem edidit: *Dum prædicatur, nullus sacerdos Missam celebret, aut confessiones excipiat, nec ullus clericus, aut alius ecclesiasticus in sacristia se contineat, sed ut laicis sint exemplo, cunctis in choro, aut alio ecclesiæ opportuniori loco, canonici habitu clericali ceteri superpelliceo, et bireto induti verbum Dei attente, ac devote audiant.* S. C. consulta constitutionis hujus impugnatæ defendit validitatem, et quoad non intervenientes tempore Adventus, et Quadragesimæ in concionibus, sub pœnis a S. C. alias præscriptis [597]: *Milevitana, Synodi*, 9 *april.* 1707.

9. Quum P. Riccius e societate Jesus in concione habita pro certo affirmasse diceretur, unumquemque christifidelem sub lethalis criminis reatu teneri diebus dominicis, aliisque festis audire verbum Dei, ad adstruendam propositionem sæpius verba Concilii Tridentini adducens. Hæc sententia nonnullorum aures offendit, qui oraculum S. C. implorarunt, hoc dubio, an præfata dispositio conciliaris sit obligatoria de consilio, vel de præcepto? et an, et sub qua culpa teneantur fideles audire conciones? S. C. duxit [598] non respondendum: *Neapolitana, Dubium auditionis concionis*, 4 *junii* 1707.

10. Quum S. C. definiisset majori solemnitate exteriori, ac pompa festum S. Josephi esse celebrandum in ecclesia nuper extructa, ac dicata dicto Sancto, quam in antiquiori ecclesia parochiali S Michaelis per jactum lapidis contigua terræ Lutiorum, ubi imago S. Josephi adest. Definiit inde S. C. concionatorem quadragesimalem debere dicta die festivitatis prædicare non in dicta ecclesia nuper ædificata, sed in prædicta ecclesia parochiali: *Bisinanien.*, *Festivitatis*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 2. [599].

11. Ob nonnullas ortas controversias inter communitates Ussutii, et Spurani, et societatem Sanctissimi Sacramenti plebis Insulæ ex una, et archipresbyterum, canonicosque collegiatæ ecclesiæ Insulæ ex alia partibus, quæsitum est, qua hora concio diebus Quadragesimæ haberi in ecclesia collegiata prædicta debeat? id S. C. arbitrio Episcopi remisit: *Comen.*, *Missæ paroch.*, *et convent.*, 11 *maii* 1720, *dub.* 6.

12. Sedari non potuit quæstio agitata inter patres Augustinianos excalceatos oppidi Fratingensis, et parochum ejusdem oppidi, nisi hoc dubio: an liceat dictis patribus concionari in sua ecclesia horis ante meridianis? et S. C. definitionem arbitrio Episcopi commendavit: *Olomucen.*, *Jur. concion.*, 14 *martii* 1735.

[597] « Nempe punctaturæ ex dictis, et aliis resolutionibus apud Monacel. in *Formul.* tom. 1, tit. 2, form. 4, num. 3, et Episc., Chrispin. *Visit. Pastoral.* part. 2, § 10, num. 40, et novissime in Congregatione particulari in causa *Casalen.*, de qua memini supra ad Const. *I*, Urbani IX, sect. unic. num. 16, inter plura dubia, et resolutiones a Sanctissimo per breve confirmatas, fuerunt infra scripta XVIII: *An canonici valeant celebrare Missas privatas in cathedrali tempore, quo Episcopus celebrat solemniter, vel concionatur? XIX. An canonici legitime non impediti, teneantur intervenire concionibus Quadragesimæ, et Adventus.* Die 11 martii 1708, censuit: Ad XVIII, *tempore celebrationis servandum esse statutum ecclesiæ, tempore vero concionis negative.* Ad XIX, *teneri sub pœna punctaturæ coæqualis, quæ imponitur pro Missa.* » Card. Petra *Comment. ad Const. I, Nicolai III*, num. 17, seqq. tom. 3, pag. 250.

[598] « Ego ex superius adductis consulebam respondendum esse, teneri ad formam Concilii, non autem cogi, sed hortari; et quoad forum internum unumquemque consulere debere conscientiæ suæ, cum id dependeat ex diversis facti circumstantiis. Nihilominus eadem Sac. Congr. satius tunc duxit ad præfatum dubium non respondere. » Card. Petra *Comment. ad Const. I, Nicolai III*, num. 14, tom. 3, pag. 258.

[599] Advocatus Dominicus Ursaya in hac causa pro hominibus terræ Lutiorum certavit, cujus jura habemus *Discept. Eccl. XXII*, tom. 2, part. 1, per tot, et causam in primo, non vero in secundo dubio obtinuit.

13. Concionandi licentia in ecclesia exteriori S. Angeli ad Nidum Neapolis, quæ exemptionis privilegia exhibet, ad archiepiscopum, non ad rectorem spectat: *Neapolitana* [600], 21 *jul.* 1741, *dub.* 5.

14. Missionariis, aliisque extraordinariis concionatoribus, quos identidem in ecclesia parochiali terræ Cremonili a patribus Carmelitis retenta, Episcopus pro tempore mittit, et prout salus animarum exigit, non possunt obstaculum objicere dicti Carmelitæ, quominus in ecclesia parochiali conciones, aliasque necessarias functiones, sibi demandatas certiore facto patre priore urbanitatis officio expleant: *Aquen., Concionat.*, 13 *sept.* 1749, *dub.* 2.

15. Id in controversia est, an sit servanda consuetudo ecclesiæ archipresbyteralis S. Andreæ, et S. Joannis castri Granaroli, quæ unicum retinet concionatorem in Quadragesima, ut in die festivitatis S. Josephi, quæ in eadem ecclesia archipresbyterali celebratur, inibi fiat concio exclusive ad aliam Granaroli, ne populi concursus tollatur, rescriptum prodiit, posse divini verbi præconem agere in utraque ecclesia horis ab Episcopo designandis: *Faventina, Jur. paroch., et præeminent.*, 18 *sept.* 1756, *dub.* 2.

§ II.

Concio seu oratio panegyrica.

1. Definitionem dubii, an in die festo divi Peregrini Latiosi, cujus corpus servatur in ecclesia patrum Servorum B. M. V., qui celebratur die 1 maii, recitanda sit oratio panegyrica? S. C. arbitrio Episcopi remisit: *Forolivien.*, 11 *septemb.* 1784, *dub.* 5.

2. Inde quoad diem, tempus, horam, qua pronuncianda sit eadem oratio, requisita S. C. pariter rem Episcopi arbitrio commendavit: *Ibid., dub.* 8.

CONCIONATOR.

§ I.

Concionator quoad approbationem.

1. Si concionatores regulares ab universitate ex vetusta consuetudine nominati, atque in ecclesiis suorum ordinum sint prædicaturi, utique sufficere, ut ab Episcopo benedictionem petant. Quod si sacras conciones habituri sint in aliis ecclesiis, debere ab Episcopo etiam obtinere potestatem, quia in eorum conciones poterit, si ita ei visum fuerit expedire, etiam per examen illorum scientiam scrutari: *Vigilien.*, 7 *junii* 1601.

2. Dubium, an liceat Episcopo ex causa sibi benevisa benedictionem concionandi in propria ecclesia dandam regularibus professionem fidei emittere nolentibus illam denegare? licere Episcopo ex causa sibi benevisa benedictionem concionem habendi regularibus etiam in propria ecclesia concedere ad tempus limitatum, et absolute concessam revocare, et professionem fidei ab eisdem exigere, si ita expedire judicavit, S. C. diluit: *Vercellen.*, 21 *martii* 1643, *dub.* 9.

3. Contenditur, an Archiepiscopus possit regulares concionem gerere volentes tam in ecclesiis suorum ordinum, quam in aliis ecclesiis examinare? respondit S. C. Archiepiscopum non posse regulares concionari volentes in ecclesiis, quæ sunt suorum ordinum examinare, secus vero verba populo facere volentes in ecclesiis, quæ non sunt suorum ordinum: *Senonen.*, 28 *febr.* 1654, *dub.* 4.

4. Et an regulares contradicente Archiepiscopo possint in ecclesiis suorum ordinum etiam petita ab eis benedictione concionari? rescribitur posse regulares contradicente Archiepiscopo etiam in eorum ecclesiis concionem habere, non posse Episcopum tamen contradicere, nec debere, nisi ex rationabili causa, et personis tantum singularibus non autem generatim alicui religioni, præsertim si eis licentia ad populum dicendi fuerit concessa; *Ibid., dub.* 5.

5. Atque utrum Archiepiscopum ex causis occultis non concernentibus concionem possit eisdem

[600] Cui decreto S. C. accessit Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 152), Bened. XIV, qua declaratur, quæ, et qualis conveniat exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione hospitali S. Angeli *a Nido* nuncupati ejusdem ecclesiæ et personis. Et § 17, sic habet: « Eidem tamen sacristæ, seu rectori de benignitate apostolica concedimus, ut per se, vel per alium exercitia spiritualia semel in anno, sed clausis januis intra ecclesiam, sive oratorium hospitalis, iis dumtaxat, qui exemptione, ut supra gaudere debent libere, et licite præbere possit, cum scientia tamen, et intelligentia nuntii apostolici Neapoli residentis: alio vero quovis tempore, casu, et occasione nolumus omnino, quod intra ecclesiam, oratorium, aut hospitale prædictum sive publice, sive privatim conciones habeantur, aut quod non exempti ad prædicta exercitia spiritualia ullo unquam tempore admittantur, non obtenta prius, et qualibet vice licentia in scriptis ab Archiepiscopo. »

regularibus prohibitionem facere? Archiepiscopum posse non tamen ex causis nullomodo concernentibus concionem S. C. visum fuit: *Ibid.*, *dub.* 6.

6. Quum ad complures unitas ecclesias congregationi canonicorum regularium Lateranensium occasione, qua ex proprio ordine sacri oratores tempore Adventus, vel Quadragesimæ deficiunt, electionem S. C. ad regulares adjudicasset, approbationem et benedictionem ad Ordinarium spectare censuit: *Dubium*, *Elect. prædicat.*, 16 *decem.* 1673.

7. Disceptatio facta est inter abbatem generalem celeberrimi monasterii Sancti Spiritus de Sulmona ordinis Cœlestinorum, ac Episcopum Sulmonensem, et Valvensem, et propositum est dubium an, et ad quem spectet jus etiam per modum provisionis impertiendi concionatoribus facultatem verba populo faciendi in ecclesia dicti oppidi, donec, et quousque fuerit terminata lis in Rota? et abbatem exercere nomine S. C. per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium respondit: *Sulmonen. seu Valven.*, *Jurisdict.*, 11 *martii* 1713, *dub.* 2.

8. Prædicatores diversi ordinis deputati ab abbate S. Paterniani canonicorum regularium Fani in ecclesiis abbatiæ subjectis licentiam, atque approbationem debent ab Episcopo petere: *Fanen.*, *Paroch.*, *novem.* 1716, *dub.* 4.

9. Concionator, qui ab abbate commendatario monasterii, seu parochialis ecclesiæ S. Eutitii nominatur, ut in eadem ecclesia regulari concionem habeat, præter benedictionem tenetur recipere ab Episcopo Spoletano litteras deputationis, in quibus fiat mentio nominationis, seu præsentationis abbatis: *Spoletana*, *Concionat.*, 13 *april* 1737, *dub.* 1, confirmata 28 *januar.* 1741.

10. Concionatores ordinis Eremitarum S. Augustini, qui alternatim eliguntur a communitate in castro S. Angeli in Pontano, ut per vices in aliqua ex tribus ecclesiis ejusdem oppidi videlicet parochiali Sanctissimi Salvatoris, S. Francisci Minorum conventualium, et S. Nicolai ordinis eremitarum S. Augustini tempore Adventus, et Quadragesimæ verbum Dei administrent, præter benedictionem tenentur in casu, de quo agitur, petere approbationem ab Archiepiscopo. Nam ordine habendæ conciones novissime in ecclesia Eremitarum: *Firmana*, *Concionat.*, 21 *april* 1742, *dub.* 1, confirmata 11 *aug. ejusd. anni.*

11. Concionatores etiam nominati a communitate oppidi Saceratæ tam tempore Adventus, quam Quadragesimæ recipere approbationem, et litteras diplomatis ab Episcopo pro concionandis tenentur: *Feretrana*, *Concionat.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 1

12. Ac in hujusmodi litteris diplomatis mentio nominationis facienda est: *Ibid.*, *dub.* 2.

CONCIONATOR QUOAD BENEDICTIONEM. Vide *Benedictio*, § II.

§ II.

Concionator quoad eleemosynam, et quæstuam.

1. Sententia exquisita, an in casu, ut in proxima præterita Quadragesima, fuerit devolutum in favorem Archiepiscopi jus deputandi concionatorem in ecclesia cathedrali, divini verbi præconi ab Archiepiscopo deputato debeatur eleemosyna ex solitis attributionibus destinatis pro præsenti anno? rescribitur eleemosynam ex attributionibus communitatis præsentis anni deberi concionatori deputato: *Urbinaten.*, *Concionat.*, 7 *junii* 1698, *dub.* 2.

2. Pater abbas de Angelis ordinis Cœlestinorum electus in concionatorem ecclesiæ collegiatæ Foggiæ pro tempore quadragesimali expressit, se non posse accedere ad munus explendum, hinc regimen illius civitatis subrogavit P. Antonium societatis Jesu, cui denegavit Episcopus consuetam benedictionem, ac patrem Bonaventuram Cenamo ex Min. conv. S. Francisci nominavit. Consulta S. C. super eleemosyna concionatori tribuenda in casu, de quo agitur, communitatem eleemosynam præstare teneri: *Trojana*, *Eleemos.*, *concionat.*, 14 *aug.* 1700, *dub.* 1.

3. Quamvis vi antiquissimæ, et immemorabilis consuetudinis communitatis civitatis Æsii elegerit quadragesimalem concionatorem, cui usitatam eleemosynam scut. 40 de suo solvit, Episcopus petiit declarari de jure electionis; et dum spectare ad Episcopum resolvit; solvi tamen ab eo eleemosynam statuit: *Æsina*, *Juris nomin. concionat.*, 30 *sept.* 1702.

4. Universitas oppidi Marcellinariæ, quæ non est manutenenda in possessione nominandi sacrum oratorem pro tempore Quadragesimæ in ecclesia parochiali dicti oppidi, haud cogenda ad eleemosynam contribuendam: *Neocastren.*, *Juris nomin. concionat.*, 6 *octob.* 1703, *dub.* 2. Inde recedendo a decisis censuit S. C. dictam universitatem teneri ad concionatori eleemosynam elargiendam: 23 *januar.* 1706, confirmata 31 *julii ejusd. anni*, *dub.* 2.

5. Licet adjudicatum fuerit a S. C. jus nominandi evangelicum concionatorem tempore quadragesimali in pago *Carlopoli* nuncupato ad Episcopum, tamen inde sancivit ad communitatem onus solvendi debitam eleemosynam eidem concionatori spectare: *Catacen.*, *Jur.*, *nomin.*, *concionat.*, 24 *januar.* 1705, *dub.* 2, confirmata 2 *maii ejusd. anni.*

6. Ad Episcopum, cui spectat electio, non spectat suppeditatio eleemosynæ concionatori loci castri Plani. Nam illa fuit a communitate semper tradita : *Æsina, Elect. concionat.*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 2.

7. Terræmotu quassato oppido Feroleti plerique ejus incolæ novam coloniam cum ecclesia S. Thomæ Aquinatis, quam coloniam *Culturam* nuncuparunt, erexerunt. Plerique vero in dicto oppido una cum ecclesia Matrice manserunt. Inde Episcopus ecclesiam S. Thomæ in parochialem erexit sine matricis præjudicio. Quæstio agitata fuit de eleemosyna concionatori quadragesimali contribuenda, et judicium S. C., incolas culturæ, qui solvunt eleemosynam proprio concionatori tempore quadragesimali, præstare concionatori oppidi Faroleti non teneri : *Neocastren.*, *Concionat.*, 13 *januar.* 1714, *dub.* 1.

8. Ac concionator dicti loci culturæ in eodem loco valet quæstuare : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Etiamsi ad priorem ecclesiæ cathedralis nominatio, vel præsentatio concionatoris in loco castri S. Marcelli spectet, non ad communitatem dicti loci; tamen communitas eidem subministrare juxta solitum eleemosynam tenetur, quum prior se ab onere hoc esse exemptum vigore consuetudinis putaret : *Æsina*, *Juris eligendi concionat.*, 16 *martii* 1720, *dub.* 2.

§ III.

Concionator quoad nominationem, electionem, ac præsentationem.

1. S. C. auditis partibus censuit, si monachi in parochiali ecclesia eorum monasterio unita per regularem sui ordinis concionari voluerint, illius deputationem non ad Episcopum, sed ad priorem pertinere; at concionatorem sive secularem, sive regularem alterius ordinis ab Episcopo tantum esse deputandum : *Cremonem.*, 10 *novem.* 1619.

2. Censuit S. C. quoad electionem concionatoris, quum capitulum cathedralis ecclesiæ illi de proprio stipendium tribueret, nihil videtur decernendum ipso capitulo inaudito : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 2.

3. Quum ex Constitutione Innocentii X, Pont. Max., tres parochiales ecclesiæ in villis nuncupatis *de Lagoscello,* et *Cogomaro* Ferrariensis diœcesis existentes, et antea per monachos Olivetanos possessæ ad vicarias curatas perpetuas cum omnimoda animarum cura, et sacramentorum administratione redactæ fuissent, Card. Caraffa Episcopus ad evitandas controversias cum dictis patribus, et ut animarum cura, et sacramentorum administratio laudabiliter per idoneos vicarios posset exerceri, præter cetera dubium exhibuit; an electio concionatorum in eisdem ecclesiis parochialibus spectet ad Card. Episcopum; an potius ad eosdem monachos? responsum fuit, quatenus vicarius per se noluerit concionem habere, oratoris sacri deputationem spectare ad monachos, dummodo regularem ejusdem ordinis deputent : *Ferrarien.*, *Eccles. curat.*, 23 *febr.* 1657, *dub.* 2.

4. Stante dispositione Concil. Trid. sess. 24, cap. 4, *de Reform.* [601] ut concionator destinetur ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare tenentur, vel solent, vel saltem, ut concionatorem nominet, qui ei præbet eleemosynam, et alimenta juxta declarationes S. C. pluries editas, an servanda sit consuetudo, qua duobus annis nominet sacrum oratorem communitas Urbini, Archiepiscopus præstet alimenta, et societas solvat eleemosynam; tertio vero anno, quo eligit Archiepiscopus, ipse solus concionatori alimenta, et eleemosynam præbeat sine ullo subsidio societatum? censuit S. C. servandam esse consuetudinem, nisi Archiepiscopus velit sibi vindicare jus eligendi ad præscriptum declarationum alias editarum : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 7.

5. Quæritur, an possit Episcopus non admittere alium concionatorem, præter electum ab eo in cathedrali, qui populo exiguo sufficit, et maxime cum de præterito alius præter illum admissus non fuerit, nisi ad Episcopi arbitrium? respondit S. C., ut Episcopus melius circa consuetudinem informet, et oretenus illi insinuetur, ut interim servet solitum : *Maceraten.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 26 *apr.* 1664, *dub.* 40.

6. Congregatio canonicorum regularium Lateranensium habet complures ecclesias unitas, et præsertim monialium, in quibus pro Adventu, et Quadragesima solet constituere divini verbi præconem sub consueta Episcopi benedictione, et quia sæpe accidit, ut e proprio ordine concionatores promptos non habeat, proinde procurator generalis ad præcavendas dissentiones cum Ordinariis supplex instat decerni, an eligere concionatorem alterius ordinis in ecclesiis regularium exemptorum spectet ad Episcopum, vel superiorem regularem dictæ ecclesiæ? rescripsit, electionem pertinere ad regulares, approbationem vero, et benedictionem ad Ordinarium : *Dubium, Elect. prædicat.*, 16 *decem.* 1673.

7. Ad instantiam Episcopi Sutrini hæ a S. C.

[601] Vide not. 596.

emanarunt declarationes nempe communitates in litteris patentibus uti verbis *N.N. in concionatorem nominamus, et præsentamus*, tenentur, non obstantibus concordia, et respective consuetudine etiam immemorabili, juxta quas dictæ communitates prætendunt, verbis uti *eligimus, et deputamus* : *Sutrina, Concionat.*, 8 *maii* 1683, *dub* 1.

8. Dictasque litteras patentes a communitatibus concionatori tradendas in cancellaria episcopali ad publicum documentum nominationis per easdem factæ, servandas esse deciditur : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Insuper concionatoribus per communitates nominatis, et præsentatis debere, et gratis tradere proprias litteras patentes in eisdem exprimendo, ut dicti concionatores fuerint a communitatibus nominati, et præsentati statuitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

10. Dubiis expensis, an pro proxima præterita Quadragesima fuerit devolutum in favorem Archiepiscopi jus deputandi concionatores in ecclesia cathedrali, et quatenus negative, quæsitum de eleemosyna fuit, et rescribitur, eleemosynam ex assignatione communitatis præsentis anni deberi concionatori a S. C. deputato : *Urbinaten.*, *Concionat.*, 7 *junii* 1698, *dub.* 1.

11. Communitatemque in futurum teneri præsentare in cancellaria archiepiscopali nominationem concionatoris tempore præscripto a constitutionibus synodalibus, resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Etiamsi vigore antiquissimæ, et immemorabilis consuetudinis communitas civitatis Æsii elegerit quadragesimalem concionatorem, cui solitam eleemosynam scut. 40 de suo solvit, ad Episcopi petitionem apud S. C. disceptatum fuit, ad quem spectet jus nominandi concionatorem prædictum? electionem spectare ad Episcopum, soluta tamen ab eo eleemosyna, decrevit : *Æsina*, *Juris nomin. concionat.*, 30 *sept.* 1702.

13. Universitas oppidi Marcellinariæ non est manutenenda in possessione nominandi verbi Dei præconem pro tempore Quadragesimæ in parochiali ecclesia ejusdem oppidi; licet ab immemorabili, ut asserit, nominavit, præstavitque eleemosynam : *Neocastren.*, *Juris nomin. concionat.*, 6 *oct.* 1703, *dub.* 1, confirmata 31 *julii* 1705.

14. In duobus pagis nuncupatis *Cicala*, et *Carlopoli* destinari consuevit unum concionatorem, qui alternatim prædicare solebat. Quum modo incolæ in utroque excrevissent; populus pagi *Carlopoli* separatim assumendi concionatorem consilium iniit, et Episcopum rogavit, ut eum eligeret. Inde Episcopus jus semper eligendi arrogavit, et S. C. instante communitate ei prædictum jus tempore quadragesimali concionatorem nominandi vindicavit : *Catacen.*, *Juris nomin. concionat.*, 24 *jan.* 1705, *dub.* 1, confirmata 2 *maii ejusd. anni*.

15. Episcopum litteras patentes concionatori a communitate oppidi Cryptarum ad Mare singulis Quadragesimæ, et adventus Annis nominando tradendas in cancellaria episcopali retinere, et eidem alias gratis expedire, necnon verba *eligimus*, et *deputamus* apponere posse sancivit S. C., addendo dari decreta in Sutrina, 8 maii 1688 [874] : *Ripana*, *Deputat. concionat.*, 21 *maii* 1707, *dub.* 1.

16. Electio concionatoris in loco castri Plani ad Episcopum spectat, minime vero ejusdem nominatio vel præsentatio ad communitatem pertinere statuitur; etiamsi eadem communitas conquesta sit ab antiquissimo tempore nominare, seu præsentare consuevisse, et multo ab hinc tempore Episcopum modernum, jus eligendi sibi usurpasse : *Æsina*, *Elect. concionat.*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 1.

17. Nominatio, seu præsentatio concionatoris in loco castri Sancti Marcelli spectat ad priorem ecclesiæ cathedralis, non autem ad communitatem dicti loci : *Æsina*, *Juris eligendi concionat.*, 16 *martii* 1720, *dub.* 1.

18. In terra Matilicæ [875] concio quadragesimali tempore vicissim habetur in ecclesia collegiata, in ecclesiis patrum S. Augustini, et patrum Minorum de observantia, et quando concionatur in prima, ut plurimum munus Cappuccino, in aliis confertur regularibus respectivis. Anno 1722 munus ad populum dicendi erat deferendum ad religiosum de Observantia, sed ob desiderium audiendi Mancini clericum secularem convenerunt ecclesiæ, ut iste dicto anno divini verbi præconem ageret in collegiata, et anno 1723 concio haberetur in ecclesia Min. observ., et anno 1724 in ecclesia Augustiniana, quod ita exequutioni mandatum fuit. Anno postea 1725 orta quæstione, an explenda concio sit a Cappuccino in ecclesia collegiata, vel a patre min. observantiæ in sua ecclesia? S. C. in favorem ordinis Cappuccinorum sancivit : *Camerinen.*, 13 *januar.* 1725, *dub.* 1.

19. Jus nominandi concionatorem quadragesimalem in ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis fratrum Prædicatorum ex ipso ordine spectare S. C. censuit ad communitatem Conchæ, non autem ad Episcopum : *Theanen.*, 19 *junii* 1728, *dub.* 1, confirmata 30 *april.* 1729.

20. Ac nominationem dicti concionatoris exhibere dictam communitatem Episcopo per duos menses ante initium Quadragesimæ S. C. declaravit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

[874] Vide § præsent., num. 7.

[875] Const. *Sæpefactum*, 8 idus julii 1785, a Pont. Max., Pio VI, in civitatem erecta.

21. Causa controversiæ factæ super electione concionatoris, qui quotannis in festo B. M. V. de Mercede concionem habebat, Archiepiscopus Calaritanus pronunciavit, ut beneficiati capituli primatialis una cum nobilibus canonicis admitti deberent ad suffragia ferenda pro dicti concionatoris electione. Ab hac sententia reclamarunt tam canonici, quam decanus, et vix ad aures S. C. querela pervenit, decrevit ipsos una cum beneficiatis promiscue admitti debere ad eligendum concionatorem, ac propterea electionem anno 1734 ab omnibus gestam validam esse, et firmam pariter esse Metropolitani sententiam : *Calaritana, Elect. concionat.*, 23 *aug.* 1738.

22. Conquerens Episcopus Aquilanus præsidem communitatis terræ Pizzuli post obtentam decisionem S. C. diei 17 julii 1605[604] pro manutentione in quasi possessione nominandi concionatorem, in litteris diplomatis uti verbis *eligimus*, et *deputamus*. Quare eadem S. C. statuit dictam communitatem in suis litteris diplomatis nominationis concionatoris adhibere verba *NN. nominamus, proponimus*, vel *præsentamus*, non obstante prætensa quasi possessione, et consuetudine etiam immemorabili verba apponendi, *eligimus*, et *deputamus* : *Aquilana, Concionat.*, 20 *dec.* 1738, *dub.* 1.

23. Et ab eadem communitate litteræ diplomatis concionatori tradendæ remanere in cancellaria episcopali Aquilæ pro documento ipsius mominationis debent : *Ibid.*, *dub.* 2.

24. Necnon eisdem concionatoribus a dicta communitate nominatis, ac præsentatis Episcopus tradere suas litteras diplomatis approbationis, et electionis debet in eisdem exprimendo ut ipsi sacri oratores ab eadem communitate nominati fuerint : *Ibid.*, *dub.* 3.

25. Ac litteræ prædictæ diplomatis nominationis exhiberi in cancellaria episcopali per totummensem novembris debent; et quatenus concionator non sit habilis, eadem communitas nominare alium per totum mensem decembris adstricta est, alios pro illa vice jus deputandi concionatorem libere ad Episcopum devolvatur : *Ibid.*, *dub.* 4.

26. Diuturno usu, de quo nulla extat memoria, servatum fuit, ut in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli terræ Caprarolæ conciones verbi Dei haberentur in orbem a patribus Minoribus observantibus, Carmelitis excalceatis, et Cappuccinis, quorum in eadem terra adsunt monasteria. Communitas, quæ stipendium solvit sacris oratoribus, consuetudinem immutavit, sibique liberum esse putavit quemlibet ad hoc gerendum munus eligendi. Sacra quæ bono populorum regimini præest, Congregatio pro communitate rescripsit; sed re ad S. C. delata decisum fuit jus deputandi concionatorem haud libere spectare ad communitatem, sed ipsam teneri alternatim eligere patres Minores observantes, Carmelitas excalceatos, et Cappuccinos : *Civitatis Castellæ, Juris concionat.*, 19 *junii* 1751.

27. Quum elegisset communitas urbis Prænestis duos religiosos congregationis Doctrinæ Christianæ pro concionibus habendis tempore Adventus, et Quadragesimæ, obstiterunt patres Carmelitæ, qui in ea urbe degunt certantes ex immemorabili consuetudine ad ipsos spectare jus passivæ electionis tertio quolibet anno per vices cum Minoribus reformatis, et Cappuccinis ibidem pariter commorantibus, et S. C. alternis eligere teneri ex eis communitatem sancivit : *Prænestina*, *Juris concion.*, 14 *maii* 1763.

28. In civitate Tiferni mos quadragesimalem concionatorem eligendi per vices ex certis religiosis ordinibus, nempe Minorum conventualium, et observantium, Augustianorum, servitarum Dominicanorum, quibus etiam adjuncti postea fuerunt Cappuccini, societatis Jesu alumni, et Carmelitæ discalceatorum, ex magistratus consulto per Episcopos approbato; Episcopus Tifernas hodiernus ordinem, circulumque variavit. Contra variationem hanc Carmelitæ, et Cappuccini posthabiti reclamarunt, dicentes Episcopum eligendi jus quidem habere, sed intra tamen certos licet amplissimos ordines se continere debere. Verum sacro senatui placuit sancire, Episcopum in electione alternatim facienda servare debere ordinem, salva facultate ei variandi intra eumdem orbem : *Civitatis Castelli*, 17 *dec.* 1763.

[604] Ursaya in hac causa scripsit pro hominibus Pizzuli, qui *Discept. XX*, tom. 2, part. 2, num. 68 et 69, ita loquitur : « Die 17 julii 1695, proposito dubio in sacr. Congr. Concilii : *An, et ad quem spectet jus eligendi concionatorem in terra Pizzuli pro tempore quadragesimali*, responsum fuit ; *manutenendam esse communitatem in quasi possessione nominandi concionatorem*. Reproposito vero dubio die 2 junii 1696, dictum fuit *in decisis*, cum addito, *ut causa amplius non proponeretur*. Circa diversitatem illam inter dubium, loquens *de electione*, et inter rescriptum Sac. Congr. loquens *de præsentatione* concionatoris, nota hic quod *constituere*, *eligere*, et *deputare* prædicatorem solus Episcopus potest : alii vero jus habentes in hac parte, eo quia eis eleemosynam solvunt, vel ex immemorabili tale jus habeant, uti debent in litteris patentibus verbis, *nominamus*, et *præsentamus*, ut satis innuere videtur sac. Congr. in hac causa, et clarius id determinavit in *Sutrina*, 8 maii 1687, et in *Urbinaten*, 7 junii 1698, et 10 januar. 1699. Quod procedit etiam respectu generalium religionum, quando tamen non pro religione in eorum ecclesiis, sed pro commoditate universitatis, quæ eleemosynam solvit, in ecclesia regulari concio habenda est, ut resolvit S. C. E. in *Alatrina*, 3 julii, *Ponente Card. de Judice.* »

29. Petente communitate, an, et cui competat jus eligendi oratorem pro concione panegyrica in die festo divi Peregrini Latiosi, cujus corpus asservatur in ecclesia PP. Servorum B. M. V., habenda, quo præmio, et ex quibus bonis, seu reditibus sit illud persolvendum? retulit responsum, jus eligendi oratorem competere administratoribus, et præmium oratoris taxandum esse ab Episcopo solvendum ex reditibus capellæ : *Forolivien*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 6, confirmata 7 *maii* 1785 et 21 *januar.* 1786, *dub.* 2.

30. Et ab eadem communitate deputandus non est pro eodem effectu ceteris paribus religiosus ordinis Servorum B. M. V. *Ibid.*, *dub.* 7. Deinde recessit a decisis, et affirmative S. C. respondit : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

31. Quum Carpenei communitas in pervetusta esset quasi possessione præsentandi quadragesimalem concionatorem, cui congruum subministrat stipendium. Anno 1789 Feretrano præsentavit Episcopo regularem sacerdotem Carolum Antonium Manfredi min. conventualem, qui muneri post aliquot menses renunciavit, nominavitque communitas P. Angelum Gaspari ; at devolutum sibi autumans jus deputandi concionatorem Episcopus admittere illum noluit, et S. C. consulta decernit non devolvi ad Episcopum nominationem, sed locum esse novæ præsentationi : *Feretrana*, *Juris præsent. concion.*, 21 *aug.* 1790.

§ IV.

Concionator quoad onera.

1. Concionator deputatus ab Episcopo ad prædicandum in ecclesia cathedrali, aliisque ecclesiis in ejus ambitu existentibus exhibere litteras diplomatis capitulo non tenetur : *Urgellen*, *Juris concion.*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 1.

2. Concionator quadragesimalis ex ordine sancti Dominici eligendus a communitate Conchæ in ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis PP. dicti ordinis a suis superioribus regularibus approbatus, ab Episcopo Theanensi veniam, et litteras diplomatis reportare tenetur : *Theanen.*, 19 *junii* 1728, *dub.* 3, confirmata 30 *april.* 1729.

3. Ac idem orator sacer concionem habere in ecclesia collegiata parochiali, et in ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis sui ordinis juxta solitum tenetur : *Ibid.*, *dub* 4, confirmata *ibid.*

4. Et ad dubium, an idem præco divini verbi saltem in aliquibus diebus Quadragesimæ concionari etiam in aliis ecclesiis ejusdem loci teneatur? respondit S. C., ut in *dub.* 4 : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

5. Concionatores ordinis Eremitarum S. Augustini alternatim a communitate in castro S. Angeli in Pontano pro tribus ecclesiis oppidi eliguntur ; qui vigore decreti S. C. indigent præter benedictionem etiam approbatione ; inde S. C. mandavit eosdem teneri se præsentare coram vicario Foraneo locali, et docere tam de dicta approbatione, quam de benedictione : *Firmana*, *Concionat.*, 21 *april.* 1742, *dub.* 2, confirmata 11 *aug. ejusd. anni.*

6. Ordinis Carmelitarum concionator deputatus, ac approbatus a suo P. provinciali, ut verbum Dei populo diceretur in ecclesia parochiali a patribus dicti ordinis retenta, ac in terra Cremolini existenti, pondus non habet subjiciendi novo examini Episcopi, sed benedictionem ab eo tantum petendi : *Aquen.*, *Concionat.*, 13 *sept.* 1749, *dub.* 1.

CONCORDIA Vide *Transactio*.

CONCURRENTES. Vide *Concursus*.

CONCURSUS.

§ I.

Concursus ad beneficia, et parochias [605] *quoad admissionem.*

1. Ad vacantem parochialem ecclesia oppidi Carentini instituerunt nonnulli rejiciendum esse Jacobum Philippum Bugattum tanquam adhærentem antecessori parœcia privato, consocium criminis illius, pravisque moribus instructum. Sed habito concursu magis dignus Bugattus fuit renunciatus. Sed reliqui contra illum excipierunt tanquam infamia notatum. Et S. C. constare de illius infamia

[605] De concursu, et examine pro parochialium ecclesiarum collatione in Concil. Trid. sess. 24, cap. 18, *de Reform.*, nulla certa, ac pecularis forma, seu methodus servanda proponitur, quæ hodie statuta legitur tam in litteris encyclicis Clementis XI, ac locorum Ordinariis expedita 10 januar. 1721, insertas in seq., quam in Const. Bened. XIV, *Cum illud*, 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 98), in qua de appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis forma etiam traditur. Summa hujus Const. refert Giraldi *Exposit. Jur. Pont.* part. 2, pag. 1020. De examinatoribus synodalibus loquitur Bened. XIV, *de Synod. Diœces.* lib. 4, cap. 7 et 8, pag. 142, seqq.

decidit : *Mediolanen., seu Alexandrina, Concursus,* 28 *novem.* 1693, *dub.* 1. Inde censuit, quoad assertam infamiam adeat judices suos : 13 *febr.* 1694.

2. Ad concursum denunciatum pro vacante ecclesia parochiali SS. Apostolorum Petri, et Pauli oppidi S. Quirici duo tantum sacerdotes Gerardus Durante, et Joannes Manzone comparuerunt, qui cunctis suffragiis fuerunt reprobati, et haud idonei ad curam animarum reperti ; statim in quæstione fuit, an sit novus indicendus concursus, vel provisio parochiæ devoluta ad Sanctam Sedem termino quatuor mensium absoluto ; et rem arbitrio Card. prodatario remisit S. C., ac inde resolvit, non esse repellendos a novo concursu, quatenus is habeatur, prædictos sacerdotes, salvis exceptionibus, etc. ; neque supplicationem jam in favorem Durantis a Sanctissimo signatam relaxandam, ac exequendam esse : *Anglonen., Concursus,* 1 *junii* 1737, *dub.* 3.

3. Haud admittendum ad concursum ecclesiæ parochialis nuncupatæ S. Mariæ *La Fossa* sacerdotem Nicolaum Bartholomæum deciditur. Nam fuit a curia de homicidio in loco vacantis ecclesiæ patrato anno 1734 inquisitus ; proindeque ei præcipitur, ut Archiepiscopus mandet, ut sacerdos præfatus se abstineat a Missæ celebratione, donec docuerit de obtenta dispensatione super irregularitate : *Capuana, Concursus,* 21 *nov.* 1739, *dub.* 2.

4. Ad concursum indictum occasione electionis canonici pœnitentiarii ecclesiæ metropolitanæ S. C. putavit tantum canonicos prædictæ ecclesiæ, non omnem de clero seculari admittendos. Nam capitulum invito animo præelectionem mansionarii pro illa canonicali præbenda, quam in concursu obtinuit, tulit : *Beneventana.,* 22 *maii* 1784, *dub.* 2. Inde censuit recedendum a decisis, et non excipiendos solos canonicos, sed omnem de clero resolvit : 21 *aug. ejusd. anni.*

§ II.

Concursus ad beneficia, ac parochias quando appellatio, aut interposita appellatione præelectio, provisio, impetratio, et possessio sustinetur, vel non.

1. Quum in concursu ad parochialem ecclesiam S. Silvestri vacantem indicto ab omnibus fuisset comprobatus Jacobus Marchinus familiaris Episcopi, ac Episcopus illum magis idoneum judicasset ; ab aliis concurrentibus irrationabilitas judicii fuit in medium prolata ; et S. C. de ea non constare resolvit : *Tudertina, Concursus,* 20 *febr.* 1677, *dub.* 2.

2. Ad concursum occasione vacantis ecclesiæ parochialis oppidi Carentini rejiciendum nonnulli putarunt Jacobum Philippum Bugattum tanquam adhærentem antecessori parœcia privato, consocium illius criminis, malisque moribus instructum. Sed in eodem concursu renunciatus magis dignus ille fuit. Bartholomæus Salius excepit contra illum uti publica infamia notatum. Re a S. C. perpensa, decretum est præeligendum esse Salium et parochiam eidem per judicium attribuendam, ac conferendam esse : *Mediolanen., seu Alexandrina, Concursus,* 13 *febr.* 1694.

3. Vacante parochiali ecclesia S. Andreæ castri Laureti Episcopus Fabri concursum per edictum a vicario apostolico, qui a Romano Pontifice ob ætatem Episcopi ingravescentem electus fuit, indixit. Concursus absolutus fuit coram dicto vicario. Ex approbatis Coppa uti magis dignum vicarius apostolicus, Episcopus alium præelegit. At appellatione ad S. C. interposita, definitum est, hanc electionem, ejusque provisionem vicarii apostolici non Episcopi sustineri : *Forosempronien., Præelect. ad paroch.,* 16 *novem.* 1709.

4. Præelectionem factam ab Episcopo in favorem Francisci canonici inspecta ejusdem majori ætate, ac diuturno œconomatus exercitio validam esse, non autem præeligendum Sebastianum Mariam, S. C. deliberavit, etiamsi secundus majora suffragia in concursu peracto pro vacante ecclesia parochiali archipresbyteratus S. Nicolai terræ Montis Fortis reportasset : *Abellinen., Concursus,* 28 *febr.* 1711, *dub.* 2.

5. Ad concursum vacantis ecclesiæ parochialis S. Angeli urbis Monopolis ex æmulis examinatores synodales commendarunt Vitum Antonium scientia, ætate, moribusque, Simonem Farelli idoneum quoad ætatem, ac scientiam, non quoad mores renunciarunt ; idcirco Episcopus laudatum Vitum præelegit ; secundus reclamavit, contenditque edictum nulliter expeditum fuisse absque præfixione diei. et examen longe post decennium expletum, irritamque formam fuisse concursus. S. C. autem quum validitatem concursus defendisset, non constare de mala præelectione decidit : *Monopolitana, Concursus,* 13 *maii* 1713, *dub.* 2.

6. Renunciato ab examinatoribus synodalibus in concursu ad parochialem ecclesiam S. Leonis oppidi Saraceni magis idoneo Scipione Perone, Episcopus magis dignum illum dixit ; idcirco per litteras apostolicas parochiam assequutus est. Appellavit Innocentius Basilius testimonia de ejus vita, et moribus exhibens. Scipio e contra docet jam parochum, ac in aliis examinibus approbatum fuisse. Appellatio a S. C. rejecta fuit ; ac denegatum novum examen : *Cassanen., Archipresbyt.* 3 *octob.* 1716.

7. Indicto concursu occasione vacationis parochialis ecclesiæ S. Nicolai terræ Salvi ab Episcopo præelectus fuit sacerdos Guarinus, et sacerdos Joannes Felix Lecci appellationem intertulit ab Episcopi judicio irrationabili, contendens, tum quia ab examinatoribus fuisse eum approbatum, tum quia suas qualitates, ac dotes id exposcere. Ei favit S. C. quæ constare de irrationabili judicio Ordinarii, ita ut ecclesia S. Nicolai adjudicanda sit Joan. Felici Lecci, putavit : *Uxentina*, *Parochialis*, 11 *maii* 1720. Sed eadem S. C. recessit a decisis : 7 *sept*. *ejusd. anni*.

8 Quum Episcopus opinatus esset magis idoneum illum desumi ex necessariis qualitatibus pro cura animarum exercenda, ad vacantem parochialem SS. Nazarii et Celsi, sacerdotem Cascionum licet secundo loco in concursu approbatum magis idoneum declaravit. Sacerdos Marualdus proinde, qui in scientia habilior fuit renunciatus, ab S. C. se convertit pro prætenso irrationabili judicio Episcopi ; et quamquam requisita, quæ scientia et ceteris alium antecellebant, exhiberet, tamen non constare de irrationabili judicio Episcopi ad tramites Episcopi instructionis resolvitur : *Albiganen.*, *Concursus*, 18 *sept*. 1725.

9. Prævio concursu ad ecclesiam parochialem S. Vitalis Mirteti peracto examinatores omnes tres concurrentes approbarunt, et ex his ab Episcopo parochialis collata fuit Dominico Boldrino. Appellavit Antonius Ceccoperius, disceptavitque se propositis in examine casibus recte respondisse, e contra sufficienter a Dominico Boldrino, ac suas ulterius qualitates præponderare maximopere æmuli dotibus. S. C. autem non constare de mala relatione, ac de irrationabili Episcopi judicio sententia fuit : *Lunen. Sarsanen*, *Parochialis*, 2 *decem*. 1724.

10. Parochiali ecclesia S. Petri terræ Arquatæ a possessore derelicta concursus promulgatus fuit. Ferdinandus Eupititius, Claudius Antonius Bucciarellus æqualiter fuerunt approbati. Episcopus implorato Sancti Spiritus lumine nomina prædictorum in calice posuit, declarans, ut ab ipso præelectus enuntiaretur, cujus nominis schedula a calice remotior exiisset. Sors favit Bucciarello, et litteræ in ejusdem favorem fuerunt expeditæ nulla de ratione adhibita facta mentione extractionis schedularum per sortes absque præjudicio litis pendentiæ, et jurium colliligantium fuerunt expeditæ. Ferdinandus appellavit, præelectionem per sortes non sustineri defendit. S. C. sententia fuit, esse parochialem Bucciarello adjudicandam : *Asculana*, 17 *januar*. 1728.

11. Dignitates, et canonicatus ecclesiæ Tricariensis, quorum possessores continue in loco statuto animarum curam gerunt, prævio concursu conferri sueverunt Contigit vacatio cantoratus, secunda est dignitas, et duo inter ceteros fuere ad examen concurrentes, Nicolaus nempe Minichella, et Dominicus Antonius Nardandrea. Examinatores primum approbationis locum Dominico tribuerunt, cui cantoratum Episcopus adjudicavit. Doluit alter se vinci a competitore, cui ex ecclesiasticæ disciplinæ legibus se præferendum arbitrabatur ; ideoque appellationis ope sibi ipsi consuluit ad normam Pianæ Constitutionis. S. C. instantiam rejecit, decernens non constare de mala relatione examinatorum, deque Episcopi judicio irrationabili ; etiamsi Minichella se decoratum laurea doctorali fuisse in romano archigymnasio, canonicatum cum animarum cura possedisse, officium advocati pauperum, vicarii capitularis, ac provicarii generalis munus sustinuisse narraret : *Tricarien.*, *Concursus*, 2 *junii* 1731.

12. Habito coram examinatoribus qui vulgo synodales putabantur, de vacante parochiali ecclesia S. Mariæ de Canas concursu, fuit approbatus Joseph Alemeyda, et a Sede Apostolica provisionis hic obtinuit litteras. Parochialem eamdem impetravit postea Emmanuel de Azevedo de Lacerda, ex quo Joseph examinatores minime fuisse synodales non expresserit. Certavit de suo jure tam provisus, quam impetrans coram S. C., quæ non impetrationem, sed provisionem esse validam definivit : *Visen.*, *Parochialis*, 18 *april* 1733.

13. In apertum relato concursu ad vacantem parochialem ecclesiam S. Cassiani in eo plures, inter quos Petrus Uguccinus, et Antonius Prævidus fuerunt comprobati. Archiepiscopus autem præferendum putavit Prævidum, cui beneficium contulit. Æquum in hoc minime fuisse judicium Archiepiscopi contendit Uguccinus, exponitque se ætatis esse 40 annorum, 17 sacerdotii, conciones peregisse quadragesimales, et in quatuor concursibus idoneum fuisse repertum, subjunxitque Prævidum clericum tantum tunc esse, statimque ordines sacros suscepisse, et olim matrimonii viculis diu obstrictum habere filium, et quatuor superstites filias. S. C., etsi Uguccinum claudum ambulare ab Archiepiscopo audierit, tamen constare de irrationabili judicio ejusdem ; necnon Uguccino parochialem ecclesiam deberi definivit : *Urbinaten.*, *Concursus*, 18 *april* 1733, *dub*. 1 et 2.

14. Vulgato concursu ad vacantem parochialem ecclesiam S. Blasii oppidi Saludecii, Cæsar Fabri parochus ecclesiæ S. Martini in Riparupta ab omnibus quinque examinatoribus fuit approbatus, et Matthæus Baldi suffragia quatuor habuit. Hunc tamen præferendum opinatus est Episcopus. Cæsar Fabri esse irrationabile Episcopi judicium autumat, ac interponit appellationem, suasque exponit quali-

tates, majorem nempe ætatem, munera expleta, ac lauream in utroque jure adeptam. Sed S. C. hasce querelas rejecit: *Ariminen.*, *Concursus*, 7 *maii* 1735.

15. Quum Episcopus Æsinus sacerdoti Marino Moricono, qui in concursu ad vacantem parochialem ecclesiam S. Silvestri Montis Roberti erat una voce ab omnibus quinque examinatoribus laudatus, præferendum judicasset Hieronymum Nori, in quem trium dumtaxat examinatorum suffragia confluxerant; idem Marinus appellationem adversus Episcopi judicium interjecit, quia ipse erat diœcesanus, ætatis annorum 49, ac in tribus aliis concursibus idoneus munus parochi obeundi renunciatus. His requisitis carente Hieronymo constare de irrationabili judicio Episcopi, et adjudicandam esse Moricono ecclesiam S. C. sententia fuit: *Æsina, Concursus*, 12 *maii* 1736, *dub.* 1 et 2.

16. Sacerdotes Gerardus Durante, et Joannes Manzone soli concurrentes ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem, ac parochialem SS. Apostolorum Petri et Pauli oppidi S. Quirici fuerunt, sed cunctis suffragiis reprobati, et haud idonei reperti ad curam animarum, appellationem interposuerunt ad Sanctam Sedem ab asserta irrationabili relatione examinatorum, et quia ecclesia non provisa intra terminum quatuor mensium erat devoluta; hinc dubio proposito, an sit indicendus novus concursus coram Ordinario, seu provisio sit facienda a Sancta Sede juxta Constitutionem Pianam [606] ? rem remisit S. C. arbitrio Card. prodatarii. Inde resolvit non esse repellendos a novo concursu, quatenus is habeatur, prædictos sacerdotes, salvis exemptionibus etc., neque esse supplicationem jam in favorem durantis a Sanctissimo signatam relaxandam, ac exequendam: *Anglonen.*, *Concursus*, 1 *junii* 1737, *dub.* 3.

17. Pervulgato concursu ad parochialem ecclesiam S. Stephani loci nuncupati *di Robione* possessore vacuam cunctis suffragiis fuit ad animarum curam approbatus sacerdos Joseph Audoli; sed quia provicarius capitularis aliis conditionibus inspectis præferendum judicavit Josephum Blanchi, qui minus multa suffragia examinatorum retulerat, Joseph Andoli injecit appellationem adversus pro vicarii capitularis judicium, contendens primum eum obtinuisse locum ob majorem scientiam, antiquioris esse sacerdotii, et vices parochi loci Bogli ægrotantis, ac curati in parochiali ecclesia controversa munus egisse. At S. C. non constare de irrationabili judicio Episcopi sancivit. Nam licet Andoli illi scientiis præstaret, non antecellebat tamen morum probitate, quum adesset quædam fama, ac rumor eumdem ex inhonesta consuetudine filiam procreasse: *Nicien.*, *Concursus*, 27 *julii* 1737.

18. Vacante parochiali ecclesia castri Marcitelli, habitoque deinde concursu, duo ex quinque fuerunt ad animarum curam probati, Antonius nempe de Bonis jam œconomus deputatus, cui omnes examinatores suffragati sunt, et Constantinus Petruccius, qui ex tribus a binis fuit examinatoribus renunciatus idoneus. Examinatorum relationi inhærens Antistes Antonium de Bonis ceteris omnibus præferendum esse judicavit, eique parochialem ecclesiam contulit. Restitit Mazzocchius ab uno tantum examinatore probatus, deque irrationabilitate redarguebat Episcopum; sed omnis illius conatio cessit in vacuum: *Reatina, Parochialis*, 3 *sept.* 1740, *dub.* 1.

19. Sequuta vacatione archipresbyteralis ecclesiæ castri Serani abbatiæ Sublacensis per liberam resignationem a Blasio Menni possessore factam, fuit concursus prædicatus. Ex tribus concurrentibus sacerdos Amadei fuit improbatus, approbatique diaconi Petrus Proprii, et Dominicus Perelli, sed Petrus approbatus *cum magis* fuit. Abbas commendatarius ecclesiam Dominico contulit. Conquestus est hinc Petrus, et S. C. invocavit, quæ non constare de irrationabili judicio Card. abbatis commendatarii decrevit, remisitque rem ad Card. Præfectum, juxta mentem: *Nullius*, *seu Sublac.*, *Concursus*, 22 *julii* 1741.

20. Occasione vacationis ecclesiæ parochialis S. Andreæ in Plascarano civitatis Viterbii ex duobus approbatis in concursu parochialem istam Episcopus clerico Antonio Colaina contulit; obstitit huic electioni alter approbatus sacerdos Placidus Secoli, ap-

[606] Incipien. *In Conferendis*, 18 martii 1567 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 362), ubi § 7, statuitur, ut si Episcopus minus habilem elegerit, magis idonei rejecti possint a mala hac electione ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus sit, vel exemptus, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad eamdem S. Sedem appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appelationis judice, ejusque examinatoribus provocare. Verum cum ex hac appellationis forma plura subsequerentur absurda, enumerata a Bened. XIV, lib. 4, cap. 8, num. 8, tom. 12, pag. 152, decretum est a Clemente XI, per encyclicas litteras ad locorum Ordinarios expeditas, 10 januar. 1721, insertas in Const. Bened. XIV, *Cum illud*, 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 98), ut salvo concessæ a S. Pio appellationis remedio, examina concurrentium, tam quoad consuetam Evangelii expositionem, quam quoad resolutionem moralium quæstionum eisdem propositarum, non amplius fiant oretenus, ut prius, sed scripto proprio eorumdem charactere exarentur, ipsorumque authentica documenta super meritis, et qualitatibus inter acta concursus serventur, ad effectum ea omnia in casu interpositæ appellationis ad superiorem judicem transmittendi; qui, eis inspectis, decernere possit, an recte appellatum fuerit, et an rationabiliter, aut secus ab Episcopo judicatum, absque eo, quod provisus ecclesiam interim relinquere cogatur.

pellavitque, quum Colaina nondum 24 annos explevisset. Hanc electionem defendere Episcopus curat, sed non sustineri S. C. rescribere placuit: *Viterbien.*, *Concursus*, 11 *aug.* 1742, *dub.* 1.

21. Quum in concursu ad ecclesiam parochialem urbis Lacus Liberi confecto Xaverius Turturella prælatus fuisset, rejecto uti parum idoneo Gallotto Gallotio, hic de mala relatione quoad doctrinam examinatores redarguit, licet vincatur ætate, aliisque meritis, quibus ornatur Xaverius, qui populo, ac clero civitatis gratior est. Hac super re S. C. quæsita allatas exceptiones rejecit: *Policastren.*, *Parochialis*, 28 *maii* 1746, *dub.* 3.

22. Nemine ad concursum archipresbyteratus ecclesiæ Montis Milonis accedente sacerdos Bellezza collationem post octo menses a Sede Apostolica impetravit. Probandum se obtulit examinatoribus Episcopi, qui gravi supercilio illum examinatum repudiarunt. Appellavit statim, et interim tanquam vacantem a Dataria parochiam sacerdos Cicoria impetravit; sed ab examinatoribus homo fuit nullis litteris judicatus. Provocavit etiam hic ad S. C., apud quam sacerdos Bellezza postulavit, ut examinis acta ad urbis examinatores remitterentur. Examinatores urbis censuerunt juste reprobatum Cicoria, inique vero Bellezzana. Tertius repente apparuit æmulator sacerdos Victorinus Villari, qui testimonialibus et ipse ab Episcopo litteris habitis a Dataria silentio præterita lite archipresbyteratum obtinuit, et Episcopus in possessionem spreta Bellezza contestata denunciatione misit. Postulatur modo definiri, cujusnam litteræ sint exequendæ? et responsum fuit in favorem sacerdotis Bellezza esse exequendas: *Minerbien.*, *Archipresbyt.*, 10 *decem.* 1046, confirmata 14 *januar.* 1747.

23. Ex tribus sacerdotibus ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem, et parochialem Bollitæ concurrentibus, sacerdos dignior Franciscus Bianco fuit una voce renunciatus, et ab Episcopo propterea approbatus. At examinatis electi meritis, et muneribus, quæ ille honeste sustinuit, nihil valuit apud S. C. de injusta rejectione, et de irrationabili examinatorum, et Episcopi judicio conquestio æmuli Caroli Vaccari adversarium cum examinatoribus consanguinitati, et amicitiæ insimulantis: *Anglonen.*, *Parochialis*, 12 *martii* 1746.

24. A possessore destituta præpositura ecclesiæ S. Mariæ Montis Philoptrani denunciato concursu omnes examinatores in favorem Josephi Dominici convenerunt. Quum autem collatio ad Sedem Apostolicam spectaret, (vacaverat enim mense reservato), placuit Episcopo Girardellium, cui in examine quatuor suffragia ex quinque tradita fuerunt, præeligere, qui litteras Apostolicas obtinuit, nactusque est possessionem. Ægre hoc tulit Dominici, et a judicio Episcopi appellavit, ita et alii competitores. S. C. interrogata decretum prodiit in favorem possessoris: *Auximana*, *Concursus*, 12 *aug* 1747, *dub.* 1 et 2, confirmata 2 *decem. ejusd anni.*

25. Probati fuerunt ambo concurrentes ad ecclesiam parochialem oppidi S. Victoris cunctis suffragiis in moribus, in scientia tantum Petrus Guelfi, quem Episcopus prælegit; et altero Pompeio Maccagnini non contradicente collationem obtinuit, ac in possessione fuit. Post decendium Pompeius appellavit, quia non valuit antea adversæ valetudinis causa, ac protestatus fuit. Sed S. C., et de mala examinatorum relatione, ac irrationabili judicio Episcopi minime constare decidit: *Burgi Sancti Domini*, *Parochialis*, 20 *decem.* 1749.

26. Concursum indixit Episcopus vacante archipresbyterali ecclesia terræ Casalis Novi, et deficientibus examinatoribus synodalibus alios elegit, approbatusque fuit in ipso concursu primum Dominicus Calfapietra, inde Joseph Antonius Piromalli, et alii, nonnullis reprobatis, inter quos Leonardus Piromalli archipresbyter Feruleti. Ecclesia prædicta adjudicata est Josepho Antonio. Leonardus appellavit a toto processu irrationabilem relationem examinatorum reputans, et appellatio in devolutivo admissa fuit. Ipse enim demonstrat malam relationem ex propriis meritis, et virtute doctrinaque super ceteris probata a theologis urbis. S. C. constare de mala relatione, et non esse Josepho adjudicandam ecclesiam censuit: *Mileten.*, *Concursus*, 21 *julii* 1753, *dub.* 2 et 3.

27. Appellavit Octavius Gianninius a mala relatione examinatorum, ac a judicio irrationabili Episcopi; quia minus dignum præelegit spreto digniore in concursu indicto pro vacante ecclesia parochiali S. Mariæ *del Vingone*, quæ abbatiæ titulo decoratur. Nam hic una cum Andrea Rampaccio in scientia ab examinatoribus, qui neminem plene suffragati sunt, approbati fuerant. Uterque optime Concilii caput explicuit, uterque in moribus comprobatus est, sed in Evangelii expositione, et in prudentia vicit apud examinatores Rampaccius, victus fuit Gianninius. Hinc appellans utitur testibus in concursu reprobatis, ut suspicionem injiciat de instructione data Rampaccio, quum in cubiculo ingressi essent Episcopus, et vicarius generalis. At S. C. eum haud audivit, et haud ecclesiam eidem per judicium attribuit: *Civitatis Castelli*, *Parochialis*, 25 *jan.* 1745, *dub.* 2 et 3.

28. Episcopus Bisianensis recta quidem methodo præelegit, et digniorem judicavit Januarium Capalbo cunctis suffragiis ab examinatoribus approbatum, ad obtinendam parochialem ecclesiam S. Mariæ Assumptæ terræ Acris suæ diœceseos; nec proinde de suo irrationabili judicio constare rescriptum fuit.

Nam asserebatur a provocante Josepho Luzzio examinatores nullam de ætate, prudentia, moribusque disquisitionem habuisse : *Bisinianen.*, *Parochialis*, 1 *maii* 1756.

29. Denunciato concursu ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem Torrecusii duo præ ceteris ei nomen dederunt sacerdotes Antonius nempe Faenza exterus, et œconomus dictæ ecclesiæ, et Franciscus de Ambrosio civis, ætatate gravior, a clero, et universitate postulatus; sed renunciatus fuit dignior Faenza, improbatus alter. Improbatio hæc concitavit totam communitatem. Disputat syndicus universitatis parochiam Faenzæ non esse adjudicandam, quia ille cuncti populi ob ejus gesta, mores, et crimina movit offensionem; ac alterius merita enarrat. S. C. disputationem absolvit, judicans non constare de irrationabili præelectione Archiepiscopi, et esse adjudicandam ecclesiam Faenzæ. Nam Archiepiscopus præeligere reprobatum non poterat; nec laicis provocare a præelectione Episcoporum fas est : *Beneventana*, *Parochialis*, 20 *aug.* 1757, *dub.* 2.

30. In concursu ad vacantem ecclesiam abbatialem, et parochialem terræ Mottæ peracto ex approbatis Episcopus omnibus, ut par erat, perpensis Rocchum Santangeli diœcesanum juris peritum, sacrorum Canonum lectorem, pluribusque qualitatibus præditum uti digniorem elegit. Obloquuti sunt sacerdotes Sacco, et Notarianna, qui minus multa suffragia in concursu obtinuerant, ac appellarunt ab Episcopi judicio, quod rationabile esse respondit S. C. : *Marturanen.*, *Parochialis*, 22 *januar.* 1757, *dub.* 2, confirmata 12 *martii ejusd. anni.*

31. Ex quatuor ad parochialem ecclesiam S. Laurentii terræ Formelli concurrentibus, in eo periculo subdiaconus Antonius Ciaverrinius annos natus 22 approbatus fuit. Episcopus absens eum parochum declaravit, dummodo ætatis veniam a Sede Apostolica reportaret. Appellationem illico interposuerunt sacerdos Paolangeli, et sacerdos Piordi, examinatoresque de mala postularunt relatione. Verum de hac minime constare, nec de irrationabili judicio Episcopi S. C. respondit : *Nepesina*, 20 *aug.* 1757, *dub.* 2 et 3.

32. Episcopus Suessanus ad vacantem ecclesiam parochialem S. Luciæ Casalis Cellularum concursum in vulgus edidit. Expleto examine, Leo de Martino, et Paschalis Matano fuerunt probati, sed quoad scientiam majora tulit suffragia Matano. Episcopus Leonem præelegit. Appellavit Matano. Episcopus suam electionem defendit, etsi asserat Leonem antea fuisse accusatum de nonnullis levitatibus, ob quas non admitti amplius in concursibus statuerat; attamen transactis sex annis novo decreto fuit admissus, et approbatus in concursibus. Matano dicit se doctiorem esse, ac præstantiorem Leone, propria numerans merita. S. C. constare affirmavit de mala relatione examinatorum, ac præelectione, seu irrationabili Episcopi judicio, et fieri jussit novum concursum coram Metropolitano : *Suessana*, *Parochialis*, 12 *febr.* 1757.

33. Nullus declaratus fuit a S. C. concursus confectus ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem S. Georgi terræ Chienti ob non servatam formam a S. C. præscriptam. Ab hoc enim appellavit Liborius Saxo ex mala examinatorum relatione, quia ex eorum verbis constat eos electum Petra idoneum renunciasse, et de scientia tantum non vero de ceteris qualitatibus pro aliis suffragia tulisse, ideoque deveniendum est ad novum concursum coram Metropolitano : *Larinen.*, *Concursus*, 2 *sept.* 1758, *dub.* 2 et 3.

34. Vacante parochiali ecclesia S. Silvestri Tuderti, indictoque concursu ab Episcopo, sacerdos Baldaccius tulit 20 suffragia, Fabrius 22, et omnes approbati fuerunt. Episcopus tamen præelegit Baldaccium a parochiæ incolis quæsitum. Appellavit Erminius Fabrius; et S. C. non constare de irrationabili judicio Episcopi decrevit. Nam Baldaccius Fabrio præstat ætate, sacerdotio, muneribus, officiisque; et si Fabrius 22 tulit suffragia, id probat dumtaxat Fabrium doctrina, et scientia antecellere : *Tudertina*, *Parochialis*, 2 *sept.* 1758.

35. Egit Episcopus concursum ad vacantem ecclesiam parochialem SS. Petri et Pauli civitatis Monopolis, et ex probatis ab examinatoribus elegit Franciscum Paulum Zaccharia. De hoc conquestus Dominicus Manfredi, provocavit a judicio Episcopi, quod sacerdotem Zacchariam minus dignum præelegerat, et quod ille jam erat parochus, licet in examine minus multa suffragia tulerit. Sed ei minime esse adjudicandam parochialem ecclesiam, nec de irrationabili judicio Episcopi constare S. C. sancivit : *Monopolitana*, *Concursus*, 28 *april.* 1759, *dub.* 2.

36. Quum Joannes Octavius de Sanctis sacerdos in concursu ad præbendam theologalem ecclesia cathedralis habito improbatus fuisset, protinus ille appellationem a mala examinatorum relatione interposuit. Hic in medio proferebat examinatores tantum concurrentium scientiam Episcopo retulisse, minime eorum peritiam, nec notulam requisitorum expendissse, neque de his rationem habuisse; quod formæ traditæ a Bened. XIV in Constitutione *Cum illud*, adversatur. Sed sui conatus non valuerunt, quia S. C. non constare de mala examinatorum relatione nec irrationabili Episcopi judicio visum est: *Pinnen.*, *Theologalis*, 20 *sept.* 1760.

37. Post elapsum decem dierum terminum, quem in edicto emanato diei 4 martii statuerat Archiepiscopus, ut concursus ad ecclesiam paro-

chialem terræ Arielli vacantem fieret, novum fuit edictum emanatum die 15 ejusdem mensis, quo terminus ad alios decem dies tunc proximos concursus protrahebatur. Duo comparuerunt ad concursum Franciscus Xaverius Tosi, et Angelus Andreassi, et neutrum curia archiepiscopalis ad eumdem admisit, quia primus exterus erat, et alter transacto termino adfuerat. Appellavit sacerdos Andreassi, et Archiepiscopus Ubaldum Renzetti commendavit, qui parochialem obtinuit sub narrativa, quod fuisset ab examinatoribus synodalibus, nempe in concursibus peractis approbatus; sed in ejus favorem minime supplicationem esse relaxandam S. C. dixit: *Lancianen.*, *Archipresbyt.*, 19 *sept.* 1761, *dub.* 1.

38. Ad concursum habitum ecclesia parochiali terræ S. Dominicæ tres descenderunt æmuli. Ex his probatus fuit examinatoribus prosynodalibus Franciscus Grisolia, quem Episcopus præelegit, ac magis idoneum declaravit. Angelus Lampoglia comprobatus quoad scientiam, quoad mores vero improbatus, appellationem interposuit, objecitque Francisco, quod medicam artem clericis interdictam dudum exercuerit, ac actu exercet. Discusso proinde dubio in S. C., resolutum fuit non constare tum de irrationabili judicio Episcopi, tum de mala relatione examinatorum : *Cassanen.*, *Parochialis*, 21 *novem.* 1761, confirmata 13 *martii* 1762.

39. Ad parochialem ecclesiam ruris Valanidi Rheginensis diœcesis possessore vacuam fuit concursus denunciatus. Examinatores unanimi suffragio omnes quatuor concurrentes reprobarunt ; etsi Hyacinthus Capparella bene se gesserit supra omnes. Denuo vicarius capitularis concursum indixit, et comparuit Paschalis Barilla ætatis 29, quo tempore licet appellationem interposuit Hyacinthus, tamen examen peractum fuit et Paschalis mediocriter se gessit, et fuit approbatus. S. C. tamen ad querelas Hyacinthi Capparella reprobati decrevit constare de irrationabili judicio vicarii capitularis quoad eumdem reprobatum in primo concursu, quum ipse congruam haberet ætatem, sufficienti experientia esset prædictum juxta exhibita documenta : *Rhegien.*, *Parochialis,* 12 *decem.* 1761, *dub.* 1.

40. Necnon in favorem ipsius signandam esse supplicationem, non autem novum concursum celebrandum S. C. mandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

41. Episcopus ad ecclesiam parochialem S. Leonardi Casalis Panzæ concursum indicavit. Duo competitores Agnellus, et Archangelus Politi loci indigenæ confecto examine ambo fuerunt probati ; sed revera Agnellus Politi aliquantulum melius se gessit, sicuti examinatores dixerunt, ut sibi viam munire possit ad parochiam assequendam, et prævia Episcopi commendatione parochiam obtinuit. Archangelus de mala relatione examinatorum, deque judicio Episcopi questus est, contendens se esse digniorem, ac idoneum pro animarum cura. Sed querelæ in irritum abierunt : *Isclana*, *Parochialis*, 21 *aug.* 1762.

42. Quum examinatores tam Antonium Pompa, quam Dominicum Jordani ad curatam ecclesiam S. Pauli Apostoli in villa Turricella approbassent quoad scientiam æqualiter, quoad vero requisita magis, et primum locum dedissent Antonio Pompa et speciatim ob postulationem tum cleri, tum universitatis ejusdem villæ, Episcopus Aprutinus eorum judicium sequutus est. Dominicus Jordani pastorem de irrationabili judicio redarguit ; at nihil ei profuit querimonia : *Aprutina*, *Parochialis*, 23 *junii* 1764, *dub.* 1.

43. Dominicus Nicolaus Passarini de irrationabili Archiepiscopi judicio querelam habuit, quod in concursu acto ad ecclesiam parochialem castri Orticini non ipsum, sed Cajetanum Moretti præelegerit, et S. C. invocavit ; cui narrat se tribus ab hinc annis adscriptum esse inter portionarios curatos ecclesiæ parochialis S. Luciæ terræ Porculæ, et in novem concursibus fuisse approbatum, prælationem ei debere causa majoris numeri suffragiorum ; Morettum indignum reputandum quia a munere confessarii monialium Montis Floræ abdicatus fuit ; et quum exhibiti duo testes fuissent, qui ab eodem Moretto audivisse affirmant, ut ea occasione dono dederat familiaribus Archiepiscopi scut. 20, qui erat jampridem apoplexia correptus. S. C. stetit pro irrationabili Episcopi judicio, et parochiam Dominico Passarini adjudicavit : *Firmana*, *Parochialis,* 21 *aug.* 1762. Postea complura documenta ad elidendas sibi objectas exceptiones astu, et odio conquisitas adduxit Moretti, et S. C. recessit a decisis : 22 *januar.* 1763, confirmata 25 *junii ejusd. anni.*

44. In concursu peracto ad ecclesiam parochialem terræ Cerveteris ab Episcopo præelectus fuit Carolus Salvuccius secundo loco approbatus, appellavitque Dominicus Calabresi ratione ætatis, et antiquior sacerdotii primo loco probatus. Hic suas prærogativas exponit, ac nulla ratione potuisse Salvuccium alienæ diœcesis presbyterum secundo loco approbatum præferri arbitratur, præsertim concurrente in favorem ipsius populi acclamatione, aliaque hujusmodi. S. C. super dubio, an constet de irrationabili judicio Episcopi, ita ut sit adjudicanda parochia Dominico Calabresi? negative in omnibus, et ad Card. præfectum ad mentem respondit : *Portuen.*, *Parochialis*, 30 *julii* 1763.

45. Ad concursum pro ecclesia parochiali S. Philippi de Argilione in oppido Zebbug Episcopus ex quinque admissis selegit, atque instituit Felicem

Borgh. Displicuit judicium competitori Josepho Agio, qui ad S. C. appellavit, quod male examinatores retulerint et male Episcopus judicaverit. Nam, inquit Borgh, licet duo ex examinatoribus de qualitatibus eum mediocriter approbaverint; immerito et injustissime se posthabitum fuisse, quia comprobationem de omnibus, et ab omnibus una voce commeruit, ac præcipue de cura animarum, quam 15 annorum spatio exercuerat. S. C. petitioni appellantis assensa est: *Milevitana*, *Parochialis*, 2 *junii* 1764, *dub.* 2. Inde recedendum a decisis censuit: 15 *sept. ejusd. anni.*

46. Philippus Gatti in concursu indicto pro præbenda theologali Urbaniensi reprobatus fuit, et electus Petrus Aloysius Bajardus. Primus provocavit a judicio Episcopi, necnon appellavit a relatione examinatorum. Nam hic objicit esse in concursu spectandas præter scientiam ceteras qualitates ac magna sua enumerat merita, plura in æmulum Bajardum filium fratris Episcopi sibi non comparando dicit. S. C. consulta constare de mala relatione examinatorum, et denunciari novum concursum coram Metropolitano deliberavit: *Urbanien.*, *Præbendæ theolog.*, 23 *junii* 1764, *dub.* 1 et 2.

47. Vacante ecclesia paroehiali B. M. in cœlum Assumptæ *Castricælli* nuncupata, cui subjacet oppidum etiam Palatioli, et Collis, ex quatuor ab examinatoribus approbati duo tantum Secundinus Grossi e Palatiolo, et Thomas Basi e Roccasicca fuerunt. Episcopus elegit Thomam Basi, ex hoc excitatæ magnæ fuerunt turbæ a fautoribus Secundini, tum ob qualitatem hominis exteri, tum ob odium universi populi, et communitas ipsa causam adjuvit adversus Basium non suum municipem, ac rationes oppositionis explicavit. S. C. ad dubium, an constet de irrationabili Episcopi judicio? protelavit responsionem, et ad mentem addidit: *Aquinaten.*, *Parochialis*, 19 *januar.* 1765. Deinde stetit in negativa sententia: 2 *martii ejusd. anni.* Iterum petente dimisse populo acri adversario pro nova causæ discussione S. C. in decisis respondit: 18 *maii ejusd. anni.*

48. Carolus Antonius Calistri e Firminiano ad ecclesiam S. Venerandæ parochialem suæ patriæ de electo Antonio Maria Mauro Feretrano querimoniam facit. Dicit male examinatores retulisse, irrationabile judicium fuisse Archiepiscopi, exponitque, suas qualitates, ac testimonium in sui favorem, desideriumque totius populi. At S. C. hujusmodi rationes ex conjectura pendentes non audivit: *Urbinaten.*, *Parochialis*, 28 *sept.* 1766, *dub.* 1 et 2.

49. In apertum relato concursu ad vacantem dignitatem archidiaconatus cathedralis ecclesiæ juxta legem fundationis idoneus renunciatus fuit in primo gradu canonicus Speranza, in secundo Dominicus Perillius, et in tertio Salvator Tullio. Primus vigore litterarum apostolicarum possessionem adeptus est; verum Tullius acriter questus est de irrationabili Episcopi judicio. Nam illi duas alias horas fuisse donatas ad responsiones absolvendas, et ante scrutinium non potuisse corrigere easdem, ac denique nullum fuisse ad scrutinium vocatum assserit. S. C. tamen non constare de irrationabili judicio Episcopo resolvit: *Verulana*, *Archidiaconatus*, 16 *sept.* 1769, *dub.* 1, confirmata 10 *febr.* 1770.

50. Vacante ecclesia presbyterali S. Mariæ in cœlum Assumptæ oppidi Bictonii, Episcopus concursum indixit. Examinatores omnes concurrentes pari suffragio renunciarunt idoneos. Episcopus sacerdotem Carolum Bassi præelegit, qui tam litteras apostolicas, quam possessionem nactus est. Ceteri concurrentes ab Episcopo posthabiti queruntur, et pastorem insimulant irrationabilitatis labe; sed S. C. integrum Episcopi judicium, ac rectam examinatorum relationem fuisse patefecit: *Assisien.*, *Parochialis*, 18 *dec.* 1773.

51. Anno 1774 possessore privata parochiali ecclesia, seu prioratu S. Joannis Baptistæ terræ Marsciani Episcopus concursum de more edixit. Tres venerunt ad concursum, sacerdos Petrus Hieronymus Censi patricius Perusinus canonicus cathedralis an. 28, sacerdos Ugulinius Corradini an. 36, rector ecclesiæ parochialis castri Cerqueti, et sacerdos Felix Calindri vicarius curatus ecclesiæ S. Crucis Portæ S. Petri an. 39. Omnes quoad scientiam reperti fuerunt pares ab examinatoribus synodalibus. Episcopus Cenci uti digniorem præelegit. Id acerbe tulit Calindrius, appellationemque interposuit, et Corradinus etiam se præbuit in contradictorem. Fundamentum conquestionis fuit, quod in præelecto Censi nil aliud præter nobilitatem suæ prosapiæ concurrit S. C. autem a querelis electum abduxit. Nam Censius acceptissimus toto populo erat, et alter male se gesserat in confessarii monialium munere obeundo: *Perusina*, *Prioratus*, 27 *april.* 1776, *dub.* 1.

52. Concursu ad vacantem parochialem ecclesiam S. Savini lacus Trasimeni ab Episcopo nunciato, prosynodales examinatores absoluto examine duos approbarunt sacerdotes jam ecclesiarum rectores. In primo vero loco Laurentium Allegri, in secundo autem Vincentium Turrini, quoad scientiam; quoad merita pariter ambo laudati fuerunt, primum tamen locum obtinuit Turrinus, secundum Allegrius. Utriusque meritis ab Episcopo circumspectis, sacerdotem Vincentium Turrinium præelegit, in possessionemque misit. Irrationabilem alter hoc in judicio Episcopum fuisse contendit, sed ab hac macula Episcopum S. C. vindicavit: *Perusina*, *Parochialis*, 28 *julii* 1781,

53. Parochia SS. Petri, et Pauli oppidi Frontini vacua, concursum Episcopus promulgavit. Ex quatuor concurrentibus clericus Petrus Serlilvestri fuit laudatus, reliqui reprobati fuerunt. Sed quum ille ecclesiam assequi non potuisset propter ætatem, novus concursus indictus fuit, in quo præter duos ex reprobatis comparuit sacerdos Vincentius Benvenuti, qui idoneus ad illam parochiam assequendam inventus haud fuit. Expostulavit hic, et a mala examinatorum relatione appellavit, etiamsi postea Episcopus ex mandato S. C. alium concursum peregerit, in quo sacerdos Ravogli electus fuit. S. C. hac super re quæsita prælecto parochiam adjudicavit, et querimoniis Benvenuti nihil profecit : *Feretrana*, *Parochialis*, 8 *febr*. 1783, *dub*. 1 et 2.

54. Ad implendum vacantis parochialis ecclesiæ S. Michaelis oppidi Trebiani munus duos examinatores comprobarunt presbyteros, sed disparibus suffragiis. Sacerdos enim Daniel Frateschi octo reportavit, sacerdoti vero Bartholomæo Ratto quinque tantum suffragati sunt. Hunc tamen præelegit Episcopus, qui eum esse idoneum ad regendam ecclesiam confessus est, et docuit : ac propterea de rationabili Episcopi judicio a S. C. dubitatum non fuit : *Lunen.-Sarzanen.*, *Parochialis*, 5 *april*. 1783, confirmata 21 *junii ejusd. anni*.

55. Significato ad parochialem ecclesiam S. Michaelis Archangeli Maceratæ Feltriæ concursu, unus sacerdos Petrus Rossini, parochus S. Theodori ejusdem oppidi, fecit sui periculum coram tribus synodalibus examinatoribus, ac per suffragia sex (tria enim singuli ex instituto suffragia tulere) reprobatus fuit. Ab hoc judicio provocavit ad S. C., alio inde de ejusdem S. C. mandato concursu convocato, electus fuit sacerdos Joannes Baptista Dominici, oppidi Petracutæ archipresbyter. Quæsita S. C. non constare de irrationabili judicio Episcopi definiit : *Feretrana*, *Concursus*, 28 *nov*. 1789.

56. Judicium Episcopi non fuisse irrationale declaratur in præelectione sacerdotis Antonii Barbanti ad parochialem ecclesiam S. Mariæ Montis Lauri per tria suffragia in concursu laudato, ad exclusionem Angeli Ridolfi, parochi Montis Siccardi, per totidem suffragia approbati, sed primus ampliora habebat requisita : *Pisauren.*, *Parochialis*, 21 *julii* 1792.

57. In concursu ad vacantem parochialem S. Luciæ civitatis Auximi improbatus fuit sacerdos Antonius Pierucci, cum ex suffragiis 51 habuerit tantum 24 favorabilia. Hinc ab edito judicio Episcopi provocavit ad S. C., quæ cognita causa denegatæ approbationis ex casibus moralibus propositis, et Pierucci responsionibus ; non constare de irrationabili Episcopi judicio declaravit : *Auximana*, *Parochiæ*, 6 *maii* 1797, *dub*. 1.

§ III.

Concursus ad beneficia, ac parochias quoad convocationem, et formam servandam.

1. Concursus fieri debet cum examinatoribus synodalibus diœcesis civitatum Castellanæ, vel Hortanæ, in urbe, in qua posita est parochialis vacans, non tamen Episcopus commorans in una ex dictis civitatibus tenetur se personaliter transferre ad alteram civitatem, et diœcesim, sed possunt dicti concursus in civitate, et diœcesi fieri, in qua moratur, adhibitis tamen examinatoribus urbis, et diœcesis, in qua ecclesia parochialis sita est : *Civitatis Castellanæ*, 24 *sept*. 1639.

2. Card. abbas commendatarius Nonantulæ, qui est legatus a latere in statu Urbini, occasione legationis prædictæ in præsentiarum in urbe Pisauri residet, cupitque inibi concursum indicere, et habere ad unam ex parochialibus jam pridem vacantibus, super quarum pertinentia veteres exarserunt controversiæ cum Episcopis Eugubinis. Exorat ille S. C. pro facultate habendi dictum concursum coram examinatoribus synodalibus urbis Pisauri, et responsum prodiit, ut expectet novus Episcopus Eugubinus : *Nonantulana*, *Concursus*, 15 *januar*. 1707. Denuo causa producta rescribitur ut audiatur Episcopus : 7 *maii ejusd. anni*, demum esse annuendum pro concursu in civitate Urbini cum examinatoribus synodalibus ejusdem urbis nomine S. C. sine præjudicio jurium, si quæ competunt Episcopo Eugubino ratione proximitatis in similibus casibus censuit S. C. : 3 *martii* 1708.

3. Nota omnibus fuit mens S. C. quoad modum explendi concursus, quum annuente Clem. XI, Pont. Max., scripta epistola circularis ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos super ejusdem S. C. decreta, nempe : in concursibus, qui in posterum fient occasione vacationis ecclesiarum parochialium jubendum est per modum instructionis, ut eadem omnino quæsita omnibus concurrentibus proponantur, et quod unusquisque ex concurrentibus intra congruum tempus assignandum debeat in scriptis satisfacere de quæsitis propositis ; et ulterius est præcipiendum, ut unusquisque ex concurrentibus sermonem scribat super textu Evangelii omnibus æmulis assignando : *Dubia concursuum*, 16 *nov*. 1720, *dub*. 1.

4. In concursu ecclesiarum parochialium debet intervenire ad formam juris arbitrium vicarii capituli et non capituli : *Elven.*, *Jurisdictionis*, 1 *dec*. 1736, *dub*. 7.

5. Decreverat jam antea S. C. non constare de unione subjectiva ecclesiæ parochialis S. Mariæ de Vallega in favorem capituli Portucallensis, adeoque,

quum vacans existeret præfata ecclesia, procedendum esse ad ulteriora in convocatione concursus edixit, nec relaxandam esse supplicationem, tum Henrici Sequeira de Vasconcellis a capitulo præsentati, tum Joannis de Moneida Laureiro, qui pariter apostolicas litteras expediri curaverat : *Portucallen.*, *Parochialis*, 30 *martii* 1737, *dub.* 2.

6. Sequuta vacatione die 3 julii archipresbyteralis, et parochialis ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Pauli in oppido S.Quirici, Episcopus, ne æstivus calor, aerisque intemperies presbyteros diœcesanos Neapoli studiorum causa degentes a præfatæ ecclesiæ concursu, et examine, cui subjici optabat, deterreret, illum indicere distulit usque ad diem 14 octobris. Duo presbyteri tantum comparuerunt, Gerardus Durante, et Joannes Manzone, qui ambo fuerunt reprobati cunctis suffragiis ; ob id validitas concursus in obscuro latebat, quæ S. C. sic aperuit, constare de legitima convocatione concursus tempore habili, et respective de legitima reprobatione utriusque concurrentis : *Anglonen.*, *Concursus*, 1 *junii* 1737, *dub.* 1.

7. Inde quæsito, an sit indicendus novus concursus coram Ordinario, seu provisio sit facienda a Sancta Sede juxta Constitutionem Pianam [607] ? rem remisit S. C. arbitrio Card. prodatarii : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Jus indicendi concursum, et præeligendi digniorem in vacationibus nonnullarum ecclesiarum parochialium ad monasterium Saxivivi spectantium, et intra fines Fulginatensis diœceseos existentium privative spectat ad Episcopum, non obstante laudo contrario ab Antonio Francisco de Valentibus sacræ Rotæ auditore judice compromissario edito, quod minime exequendum esse S. C. decrevit : *Fulginaten.*, *Jurisdict.*, 1 *martii* 1738, *dub.* 1 et 2, confirmata 27 *sept. ejusd. anni.*

9. Ob vacantem ecclesiam parochialem nuncupatam S. Mariæ *la Fossa*, ut concursus habeatur infra 20 dies, edictum Episcopus edidit ; sed quum ex viginti examinatoribus, septem tantum superessent, a S. C. potestatem deputandi alios octo extra synodum obtinuit, quod in illos nonnulli presbyteri sui periculum facere optantes suspicionem commovebant ; terminum exinde præfixum prorogavit. Prodiit in scenam sacerdos Nicolaus Bartholomæus prorogationem ab Episcopo fieri nequivisse obtendens, collationemque juxta Constitutionem S. Pii V, Pont. Max. incipien. *In Conferendis* [608] devolutam ad Sanctam Sedem fuisse. At S. C. prolationem edicti a curia archiepiscopali factam, ut habeatur concursus, validam agnovis ; ita ut sit procedendum ad ulteriora pro illius convocatione : *Capuana*, *Concursus*, 21 *nov.* 1739, *dub.* 1.

10. Dum inquiritur, quisnam manutenendus sit in jure convocandi concursum occasione providendi ecclesias parochiales commendarum oppidorum Melicucca, et Drusii nuncupatorum, et Hierosolymitanæ religioni subjectorum, Episcopusne Miletensis, intra cujus diœceseos fines illa sita sunt, an vero commendatarii, quibus illa subsunt in temporalibus ? responsum prodiit, Episcopum, qui consueverat, esse manutenendum : *Mileten.*, *Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 16, confirmata 23 *nov. ejusd. anni.*

11. Periculum ingenii in concursu indicto ad vacantem ecclesiam parochialem S. Luciæ Casalis Cellularum factum est, in quo Leo de Martino, et Paschalis Matano fuerunt approbati, sed quoad scientiam majora Matano suffragia tulit. Episcopus tamen Leonem præelegit. Appellavit Matano ; et Episcopus eum fuisse accusatum antea de nonnullis levitatibus asserit ; S. C. autem faciendum novum concursum coram Metropolitano censuit : *Suessana*, *Parochialis*, 12 *febr.* 1757.

12. Invalido declarato concursu ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem S. Georgii terræ Chieuti peracto ob non servatam formam a S. C. præscriptam ; novum convocari concursum coram Metropolitano præcepit S. C. : *Larinen.*, *Concursus*, 2 *sept.* 1758, *dub.* 2 et 3.

13. In concurso evulgato pro præbenda theologali Urbaniensi Philippus Gatti reprobatus, et electus Petrus Aloysius Bajardus fuit. Primus provocavit a judicio Episcopi, necnon a mala examinatorum relatione appellavit. Nam hic affirmat esse in concursu spectandas præter scientiam alias qualitates, ac sua interim enumerat merita. S.C. consulta de hac causa indici novum concursum coram Metropolitano deliberavit : *Urbanien.*, *Præbendæ theologalis*, 23 *junii* 1764, *dub.* 1 et 2.

14. Post elapsum decem dierum terminum, quem in edicto emanato diei 4 martii statuerat archiepiscopus, ut concursus fieret ad ecclesiam parochialem terræ Arielli vacantem, novum fuit palam factum edictum die 15 ejusd. mensis, quo terminus in

[607] Vide not. 606.

[608] Die 18 martii 1567 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 362). In hac Constitutione § 5, circa tempus decem dierum Episcopo, et patronis præfixum ad nominandum idoneos clericos prohibetur iisdem, ne illud audeat, vel præsumat ultra alios decem dies prorogare. In eo autem, quod Tridentinum præcipit, ut si prædictum examen factum fuerit, non servata forma ab eo præscripta, concursus, et collatio nulla sit, ut declarat circa finem cap. 18, sess 24, ampliatum est a prædicta Piana Const. decernente, præter dictam collationis nullitatem hanc devolutam esse ad Sedem Apostolicam, seu ad eos, quibus jus competit parochiam conferendi.

alios decem dies tunc proximos remittitur. Quum tamen duo Franciscus Xaverius Tosi, et Angelus Andreassi apparuissent, neutrum curia archiepiscopalis ad concursum excepit, quia primus exterus erat, alter transacto termino comparuerat. Appellavit sacerdos Andreassi, et Archiepiscopus commendavit Ubaldum Renzetti, qui parochialem obtinuit, sub narrativa, quod fuisset ab examinatoribus synodalibus, nempe in concursu bis indicto comparente approbatus; sed in ejus favorem minime esse supplicationem relaxandam S. C. sancivit, locumque esse novæ convocationi concursus coram Episcopo viciniori censuit : *Lancianen.*, *Archipresbyt.*, 19 *sept.* 1761, *dub.* 2.

15. Vacante archipresbyteratu ecclesiæ cathedralis S. Jacobi urbis Tuscaniæ, cui actualis animarum cura incumbit, vicarius apostolicus deputatus per obitum Jacobi Oddi jus sibi esse censuit ineundi concursum in civitate Viterbii, et coram synodalibus examinatoribus per eamdem urbem electis. Capitulum ecclesiæ cathedralis unitæ Tuscanensi jura suæ ecclesiæ lædi putans, conquestus est apud S. C. Censuit hæc concursum convocandum esse pro collatione archipresbyteratus coram vicario apostolico et in loco quem malit, destinando. Nam æque sunt, et principaliter unitæ illæ cathedrales ecclesiæ, de quo ambigi nequit : *Tuscanen.*, *Concursus*, 16 *martii* 1771, *dub.* 1.

16. In electione canonici pœnitentiarii ecclesiæ metropolitanæ Beneventi S. C. mandavit convocationem concursus post emanatam Constitutionem *Pastoralis officii* [609] : *Beneventana*, 22 *maii* 1784, *dub.* 1, confirmata 21 *aug.* *ejusd. anni.*

§ IV.

Concursus ad beneficia, ac parochias quoad interpositionem appellationis.

1. Annuente Clem. XI, Pont. Max., scripta fuit epistola circularis ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, ut ipsis nota esset S. C. mens quoad circumstantias concursus explendi, et pro majori declaratione decrevit, ut ab adversa examinatorum relatione, vel ab irrationabili Episcopi judicio appellationem interponere volentibus, præfigendus est terminus decem dierum ad appellandum : *Dubia concursuum*, 16 *novem.* 1720, *dub* 2.

2. Appellationem autem, qui a contraria examinatorum relatione, vel ab irrationabili judicio Episcopi interposuit, in eo quod ad scientiam ante novi examinis concessionem attinet, docere debet de gravamine ex actibus concursus, vel ex copia authentica ad formam juris cum illis comparata : *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Et ante appellationis admissionem is, qui appellationem ab irrationabili Episcopi judicio interponit, non ex capite scientiæ, sed aliarum qualitatum tenetur de gravamine docere, aut ex aliis docere, aut ex actibus primi concursus, aut ex aliis documentis saltem extrajudicialibus ab ipso exhibendis : *Ibid.*, *dub.* 4.

§ V.

Concursus ad beneficia, ac parochias quoad provocationem [610] ad novum examen coram judice appellationis.

1. Appellans a mala electione examinatorum, vel irrationabili judicio Episcopi, potest electus provocare ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferat documentum, ullamve probationem. Ita fuit resolutum a S. C. : *Pistorien.*, 12 *junii* 1603.

2. Postquam S. C. ponderaverat, Pianam Constitutionem [611] permittere appellanti, ut provocet ad novum examen ; et posteaquam decreverat, ut quando constet de Episcopi eligentis irrationabili judicio, parochialis magis idoneo conferatur, subdit, loquendo de dicta Constitutione : satis manifeste requirit novum examen ad hujusmodi irrationabile judicium agnoscendum, ita ut non sit necesse de illo constare, antequam decernatur examen, sed absque eo quod de tali judicio irrationabili constet, illud decernendum, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis judicii : *Ibid.*

3. Postpositum provocare posse prælectum ad novum examen coram judice appellationis, et antequam per alia documenta doceat de irrationabili

[609] Bened. XIII rel. in Append. Concil. Rom., celebrati anno 1725, num. 2, ubi § 6, habetur : « Postremo quæcumque hactenus de præbenda theologali, et sacræ Scripturæ lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo), quoad institutionem canonici pœnitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia : et præter illa, quæ a nobis superius disposita sunt, ea insuper, quæ Tridentina Synodus cap. 8, sess. 24, *de Reform.*, de hujus ministri qualitate, ætate, ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, præcipimus, et mandamus. »

[610] Bened. XIV, Const. *Cum illud*, 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 98), præbuit normam, statuitque rationem de appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis.

[611] Vide not. 606.

judicio Episcopi decretum fuit; atque ita S. C. Constitutionem Pii V [612] intellexit: *Montis Regalis*, 2 *aug.* 1607. *dub.* 4.

4. Petrus Guccius a judicio Feretrani Episcopi appellavit, et S. C. decrevit, ut hic in urbe novum examem inter æmulos fieret; ita tamen, ut quando Petrum Megliorinum, qui tanquam magis idoneum Episcopus prætulerat, septem annis animarum curam exercuit, quæ conditio non accedit ejus adversario, habeatur ratio hujus conditionis; adeo ut nisi Guccius quoad scientiam longe præstantior sit Megliorino, judicium Episcopi pro Megliorino nullo pacto rescindi debeat: *Feretrana*, 26 *maii* 1612.

5. Commissum fuit examen Episcopo viciniori, causa provocationis, sed propter timorem pestis tunc grassantis in civitate Melphis. Deinde ex duobus approbatis præferendum esse Petrum Mazzuccam de Fovea oriundum ad ecclesiam parochialem terræ Barilis vacantem, licet alter nobilis sit originarius ejusdem terræ Barilis, decrevit: *Melphien.*, *Concursus*, 21 *junii* 1692.

6. In concursu habito occasione collationis parochialis ecclesiæ Sancti Spiritus suburbii Celsæ in urbe Ænariæ sacerdos Thomas Morgioni ad S. C. pro provocatione ad novum examen in curia faciendum appellavit, quod de majori probitate, et experientia præter doctrinam habenda ratio sit in collatione parochialium; et locum esse novo examini S. C. sancivit, addendo ad mentem [613]: *Isclana*, *Parochialis*, 23 *julii* 1718, *dub.* 2. Deinde disputato dubio, an sit locus exhibitioni requisitorum utriusque collitigantis? et negativum datum fuit responsum, eoquod Cajetanus Boncore in concursu præelectus noluit se examini in urbe subjicere, ac pariter mandatum est novum concursum instituendum esse pro adjudicatione parochialis ecclesiæ coram Card. Archiepiscopo Capuano, et subjunctum [614] ad mentem: 1 *april.* 1719, *dub.* 1 et 2.

7. Denunciato concursu ad parochialem ecclesiam sive prioratum S. Angeli terræ Saxoferati possessore vacuum, ab Episcopo præelectus fuit Paris de Vimercatis. sacerdos Marcus de Evangelistis aplationem interposuit ad S. C. pro novi examinis concessione, aut pro definitione quoad Episcopi judicii irrationabilitatem; sed S. C. resolutionem distulit, et ad mentem [615] rescripsit; *Nucerina*, *Parochialis*, 11 *maii* 1720. Iterum ad mentem [616] dixit: 16 *novem. ejusd. anni.* Denique quum appellasset, non ex capite doctrinæ, sed aliarum dotium, quibus se, et non præelectum præditum esse contenderet, quin de gravamine doceretur, S. C. non esse concedendum novum examen, nec de irrationabili judicio Episcopi constare sanxit: 2 *octob.* 1721.

8. Joseph de Candia unus ex æmulis ad capellaniam curatam, seu vicariam vacantem non approbatus appellavit, necnon ad novum examen provocavit. Hic excepit, quod ex sex examinatoribus tres absque necessitate electi erant a S. C. necnon suspecti, et tres alii in synodo constituti, qui pro conficiendo concursu sat esse poterant. Decretum vero a S. C. protelatum fuit, et dictum ad mentem: *Cassanen.*, *Concursus*, 11 *maii* 1720, *dub.* 2 et 3.

9. In concursu habito ad parochialem, et receptitiam ecclesiam S. Mariæ Græcorum terræ Pollæ duo obierunt competitores Nicolaus de Donato, coadjutor defuncti parochi, ac postea œconomus, alter Bernardus Tramontani. Examinatores retulerunt Nicolaum dignum esse scientia, ætate, gradibus, filiatione, et cleri, populique acclamatione ad ecclesiam vacantem impetrandam; Bernardum dignum scientia, nulla de ceteris dotibus ejus facta mentione, Episcopus Nicolaum parochum nominavit. Bernardus provocavit ab Episcopi judicio; quum ipse in animarum cura exercenda solertia, prudentia, moribusque fuisse præditum pluribus documentis probaret; S. C. autem ad novum examen devenire judicavit: *Caputaquen.*, *Concursus*, 10 *junii* 1741, *dub.* 1 et 2.

10. Ad ecclesiam parochialem S. Crucis in urbe Perusiæ subjective unita monasterio S. Petri congregationis Olivetanæ, quod Eugubii situm est, a possessore desertam, abbas clericum Franciscum Delicati præsentavit, cui in duobus concursibus suffragati sunt examinatores synodales, sed instituto examine a tribus examinatoribus fuit reprobatus.

[612] Quæ incipit *In conferendis*, 18 martii 1567 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 362), et § 7, decernit, ut gravati appellent, « et constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo conferatur. »

[613] Et mens fuit, ut exquireretur an concursus in terminis appellationis fuisset unquam in partibus delegatus. Rel. *in Discur. secret. circa appel. in provis. paroch.* § 9.

[614] Quod Episcopus transmittat concursum noviter habendum coram E. S., prout fit in parochialibus S. Sedi reservatis, et quando concursus earumdem ad Datariam transmittuntur. » *Regist.* lit. lib. 25, die 1 april. 1719.

[615] Et mens fuit, ut exquireretur, an adesset modus coercendi frivolas appellationes, quæ a non approbatis in concursu interponuntur, vel a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, necnon in congruas provocationes ad novum examen, quibus juxta præsentem praxim locus est; etiamsi appellans non doceat de ullo gravamine. Et hac de causa secretarius discursum exaravit. Rel. in causa *Dubia concursuum*, 1 octob. 1720.

[616] Et mens est, ut transmitterentur acta originalis concursus: *Ead. causa*, 2 *octob.* 1721.

Appellavit idem ad S. C. in examinatores suspicionem conjiciens, ac petiit, an constet de mala relatione examinatorum, et quatenus negative, an esset locus novo examini? et decretum est, esse locum novo examini in urbe : *Perusina, Parochialis*, 26 *junii* 1756, *dub*. 1 et 2, confirmata 17 *julii ejusd. anni*.

11. Sacerdos Franciscus Alfonsi præsentatus ad vacantem parochialem ecclesiam castri Ripæ Berardæ a communitate patronata fuit ad examen admissus, et ab uno probatus a duabus examinatoribus reprobatus. Provocavit hic ad S. C.; Episcopus oratorem minus idoneum sibi videri quoad scientiam, et quoad mores retulit. Postulavit orator, aut adjudicandam sibi esse ecclesiam vacantem ex mala examinatorum relatione, aut saltem subjiciendum esse novo examini in urbe perficiendo, et negativum ad utrumque retulit responsum : *Asculana, Parochialis*, 30 *julii* 1763. *dub*. 1 et 2. Reproducta causa protelata est resolutio, et ad Card. Præfectum ad mentem rescriptam : 15 *decem*. 1764, et demum in decisis ad utrumque dictum fuit : 2 *martii* 1765.

§ VI.

Concursus ad beneficia, ac parochias quoad sanationem.

1. Convalidatus fuit concursus peractus ad ecclesiam parochialem cum omnibus inde sequutis : *Camerinen*., 17 *febr*. 1624.

2. Declaravit S. C. concursus non præstito juramento ab examinatoribus synodalibus ad præscriptum cap. 18, sess. 24 *de Reform*.,[617] fuisse nulla : sed ex gratia esse convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo : *Bisinianen*., 2 *decem*. 1628. Et Sanctissimus dictos concursus benigne convalidavit : 5 *ejusd*.

3. Concursus ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem S. Nicolai terræ Arielli duplici sessione confectus, et cum nonnullis examinatoribus non synodalibus invalidus fuit declaratus. Modo sanatur per litteras novæ provisionis a Summo Pontifice relatas; ideoque frustra novum examen coram alio Episcopo agendum est : *Lancianen*., *Concursus*, 6 *febr*. 1706, *dub*. 2.

4. Quum concursus indictus ad ecclesiam parochialem civitatis Lacus Liberi vitio laborare putaretur; quia defecerat numerus trium examinatorum, et præter duos ab Episcopo loco synodalium electos, facultate ei data a S. C., adfuit vicarius generalis, qui in ultima synodo inter examinatores synodales sub solo appellativo nomine dignitatis vicariatus, fuit constitutus; S. C. examinata validitate concursus sanationem ad cautelam impertivit, et addidit ad mentem[618] : *Policastren, Parochialis*, 18 *sept*. 1745, *dub*. 1, confirmata 28 *maii* 1746.

5. Uurgente sacerdote Bonfilio Gervasi neglectam fuisse in concursu confecto ad ecclesiæ cathedralis canonicatum pœnitentiarum Benedicti XIII Constitutionem *Pastoralis officii*[619], et prætermissum juramentum in encyclica S. C.[620] præscriptum; S. C. consulendum Sanctissimum pro sanatione concursus mandavit: *Ripana*, 12 *julii* 1788.

§ VII.

Concursus ad beneficia, et parochias quoad validitatem, vel nullitatem.

1. S. C. respondit, si eo anno, quo concursus instituitur, non sit celebrata synodus diœcesana,

[617] Vide not. 620.

[618] « Concursum convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, vicarium generalem non posse deinceps synodalis examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputaretur. » Bened. XIV, *de Synod. diœces*. lib. 4, cap. 7, num. 5, tom. 12, pag. 142.

[619] Rel. *in Append. Concil. Rom.* num. 2, quæ de collatione præbendæ pœnitentiariæ idem disponit, quæ de theologali præbenda habetur, § 2, ut « per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subjicere voluerint, coram Episcopo, et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, etc., et illi, qui in ejusmodi concursu probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, præbenda conferatur. »

[620] Die 10 januar 1721, expedita rel. in Const. Bened. XIV, 14 decem. 1742, *Cum illud* (*Bull. ejusd. Pont*. tom. 1, pag. 98), ubi § 7, confirmavit ea, quæ decreta fuerant a Concil. Trid. sess. 24, cap. 18, in quo habetur : « Sint vero hi examinatores, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares etiam ex ordine mendicantium aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter manus executuros. » Qua de re Ferrari *Bibliot. canon*. verb. *Concursus*, art. 2, num. 40, seqq. tom. 2, pag. 172, ait : « Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente examinatores non dicuntur legitimi, et concursus factus coram eis, ante præstitum juramentum est nullus : *Sac. Congr. Concil. in una Bisignanen*., *sub die* 2 *decem*. 1628 (lib. 13, *Decret*. fol. 571,) ubi censuit, ***concursus factos non præstito juramento ab examinatoribus synodalibus, fuisse nullos, sed ex gratia convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo, qui confirmavit, et convalidavit;*** ut refert. Barbos. *de Offic. et potest. parochi*, loc. cit. num. 78, et in *Collectan. decis. apostol*. verb. *Concursus*, num. 18, et tenent communiter doctores. Sufficit tamen, ad validitatem concursus, quod hoc juramentum sit semel præstitum; sive in synodo, sive extra synodum. »

valere concursum habitum coram examinatoribus in ultima synodo diœcesana deputatis, dummodo saltem sex supersint : *Montis Regalis*, 2 *aug*. 1607, *dub*. 1.

2. Deinde resolvit debuisse quidem eligi examinatores, qui sint magistri, sive doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico. Ceterum etiamsi his qualitatibus careant, concursum esse propterea nullum sancitur : *Ibid.*, *dub*. 2.

3. Et examinatores referre debent idoneos quoad omnes qualitates, prout requirit Concilium, aliter nullus est concursus : *Ibid.*, *dub*. 5.

4. Declaravit S. C. concursus non præstito juramento ab examinatoribus synodalibus ad præscriptum cap. 18. sess. 24 *de Reform.* [621], confectos fuisse nullos, sed ex gratia esse convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo : *Bisinianen.*, 2 *decem*. 1628. Et Sanctissimus dictos concursus benigne convalidavit, et confirmavit : 5 *ejusd.*

5. Censuit S. C. concursum, in quo examinatores synodales adhibiti non præstiterunt juramentum ad præscriptum sacr. Concilii Trid. cap. 18. sess. 24 *de Reform.* [622], esse invalidum : *Ilcinien.*, 9 *april*. 1629.

6. In disquisitionem venit, an omissio examinis Antonii Gnal, qui infra terminum in edicto præfixum comparuerat, et descriptus, et protestatus fuerat, velle se examini subjicere, sit contra formam substantialem dispositionis a sacr. Concil. Trid. præscripta, ita ut concursus ex hoc capite vitietur? Censuit S. C. supradictam omissionem examinis esse contra formam substantialem a sacr. Concil. Trid. cap. 18, sess. 24, *de Reform.* [623] statutam, ac propterea concursum ex hoc capite esse nullum : *Terraconen.*, *Parochialis*, 12 *maii* 1635.

7. Alias S. C. respondit, si eo anno, quo concursus instituitur non sit celebrata synodus, valere concursum habitum coram examinatoribus in ultima synodo diœcesana deputatis, dummodo saltem sex supersint : *Hydruntina*, 19 *julii* 1638, *dub*. 3.

8. Concursus non fuit nullus, ex quo vicarius generalis, qui concursum indixerat, assumpsit partes examinatoris, occasione concursus ad vacantem ecclesiam parochialem S. Silvestri peracti : *Tudertina*, *Concursus*, 20 *febr*. 1677, *dub*. 1.

9. Concursus confectus ad binas portiones curatas archipresbyteratus oppidi Marcellinariæ dismembrati, ac divisi ab Episcopo causa populi celebritatis invalidus, nullusque reputatur cum omnibus inde sequutis. Nam dismembratio firma non erat : *Neocastren.*, *Dismembrat.*, *et concursus*, 15 *decem*. 1703, *dub*. 2, confirmata 16 *febr*. 1704.

10. Ad vacantem ecclesiam parochialem terræ Cagiani ex tribus sacerdotibus Fabricio Isolda, Donato Angelo Altilio, et Joanne Jacobo Passarello peracto examine a sex examinatoribus noviter electis vigore facultatis a S. C. reportatæ, provisus remansit Fabricius Isolda, et ei opponente Solimena concursus nullitatem, illum esse validum S. C. decernit : *Satrianen.*, *Concursus*, 28 *junii* 1704.

11. Indicto concursu ad vacantem ecclesiam archipresbyteralem S. Nicolai terræ Arielli examen completum duplici sessione fuit. Nam duo æmuli longe commorantes accedere causa ingentis pluviæ non potuerant. Dignior renunciatus Nicolaus de Virgilio ab Archiepiscopo fuit institutus. Recursum vero habuit Laurentius Cappellettus pro infrigendo concursu, duplici sessione confecta, et quia inter examinatores aliqui non synodales adstitissent ; et S. C. petitioni non concessit : *Lancianen.*, *Concursus*, 6 *febr*. 1706, *dub*. 1.

12. Gesto concursu ad ecclesiam parochialem S. Sylvestri loci Cermignani abnuit Episcopus proferre præelectionis judicium, quod examinatores ante examen haud ad sancta Dei Evangelia juraverint, ac suffragia non palam inter se, sed secreto protulerint ; ac inter unum concurrentem, ac nonnullos examinatores labes simoniaca intercesserit ; proindeque res ad disquisitionem S. C. vocavit, quæ constare de nullitate censuit, addiditque ad mentem ; ita ut locus sit ad novum concursum agendum : *Pennen.*, *Concursus*, 23 *junii* 1708.

13. Ad ecclesiam parochialem S. Petri castri Musciani per obitum ultimi possessoris vacantem Episcopus concursum indixit. Ex decem competitoribus cunctis suffragiis approbati Alexander Bossius, et Jacobus Sabbatinus extiterunt. Horum Episcopus Bossium præelegit, alter provocavit arguens concursum de nullitate, quod æmuli in tot mansionibus separatis locati fuerunt. At S. C. dicti concursus validitatem protexit : *Æsina*, *Concursus*, 1 *decem*. 1708.

14. Parochialis ecclesia SS. Cosmæ, et Damiani loci nuncupati *Sartenis* caruit pastore, hinc concursu patefacto, Augustinus Fozanus canonicus ecclesiæ cathedralis suspectum unum ex examinatoribus synodalibus una cum notario allegavit. Idcirco examen illis relictis fuit absolutus, et quilibet ex concurrentibus suffragia favorabilia retulit ; sed Episcopus canonicum Josephum Caccionum magis

[621] Vide not. 620.

[622] Vide not. 620.

[623] In quo statuitur, omnes, qui sunt ad ecclesias parochiales promovendi, ad examen teneri, etiamsi exigui sint parochiæ reditus.

dignum judicavit. Forzanus obstitit, et ad S. C. arbitrium confugit. Hæc non esse locum novo concursui, neque esse Caccionum molestandum, addendo ad mentem firmavit : *Adjacen.*, *Concursus*, *anni* 1710.

15. Vacante ecclesia archipresbyterali S. Nicolai terræ Montis Fortis concursus indictus est Intra terminum præfixum solus comparuit sacerdos Sebastianus Maria, et terminus fuit prorogatus, aliique sacerdotes admissi fuerunt, et peractum fuit examen absente canonico Francisco concurrente, qui fidem suæ infirmitatis exhibuit. Hinc examen renovatum fuit, prius semotim, et secreto examinatus fuit Franciscus, ac postea reliqui competitores. Ambigua fuit postmodum validitas concursus, et S. C. validitatem patrocinata est, licet examinatores in favorem canonici Francisci steterint : *Abellinen.*, 28 *feb.* 1711, *dub.* 1.

16. Ad concursum vacantis ecclesiæ parochialis S. Angeli civitatis Monopolis ex æmulis examinatores synodales Vitum Antonium scientia, ætate, moribusque, Simonem Fanelli idoneum quoad ætatem, scientiamque, non quoad mores renuntiarunt; idcirco Episcopus laudatum Vitum præelegit, secundus reclamavit, contenditque edictum nulliter absque diei præfixione fuisse expeditum, et examen longe post decem diei expletum, ac irritam formam fuisse concursus. S. C. eo fuit consilio, ut validum illum putavit : *Monopolitana*, *Concursus*, 13 *maii* 1713 *dub.* 1.

17. In concursu habito occasione collationis parochialis ecclesiæ Sancti Spiritus suburbii Celsæ in civitate Ænariæ sacerdos Thomas Morgioni refutatus fuit. Hic interposuit appellationem, et causa devoluta fuit ad S. C. In dubium revocata fuit validitas concursus, quia examen factum fuit a solo vicario, quum Episcopus absens esset, et non ab examinatoribus synodalibus; et quia concursui interfuerunt tres sacerdotes, qui minime synodales examinatores erant. S. C. vero validitatem defendit : *Isclana*, *Parochialis*, 23 *julii* 1718, *dub.* 1.

18. Vacante capellania curata, seu vicaria perpetua, indictus fuit concursus ; et habitus fuit coram vicario generali, qui erat etiam examinator synodalis, et coram sex aliis examinatoribus, quorum tres in synodo electi fuerant, aliique tres munus ex S. C. facultate exercebant. Ex quatuor competitoribus Blasius Peretta, Joan. Baptista Sifandi tanquam habiliores fuerunt, et magis idonei quoad scientiam denuntiati. Episcopus Sifandi præelegit. Joseph de Candia unus ex æmulis id facile non sustinuit, et recursum apud S. C. habuit, quæ receptis actis, constare de validitate concursus declaravit ; licet Joseph exciperet appellationem ab interventu illorum examinatorum, qui non in synodo, sed cum facultate S. C. electi fuerunt, interposuisse ; tum quia concursus coram tantum tribus synodalibus examinatoribus faciendus erat : *Cassanen*, *Concursus*, 16 *decem.* 1719, *dub.* 1, confirmata 2 *maii* 1720.

19. Occasione vacationnis archipresbyteratus collegiatæ terræ Martinæ, qui annexam animarum curam habet, cujus tanquam primæ dignitatis collatio ad Datariam pertinet, indicto concursu, Januarius Ratticus non fuit ab Ordinario admissus, et hac de causa appellavit ad Sedem Apostolicam re integra. Confecto tamen concursu approbatus Isidorus Chirullus fuit, sese opposuit Januarius, qui injuste fuisse a concursu repulsum ait, quum asserta diffamatio concubinatus cum quadam fœmina haud comprobaretur. Qæstionem S. C. solvit, validitatem tuens concursus : *Tarentina, Archipresbyteratus,* 7 *decem.* 1720, *dub.* 1.

20. Possessore vacua canonicalis præbenda in terra Magdaloni, Episcopus in præbendam theologalem erigi voluit, indixitque proinde concursum. Hoc absoluto sacerdotes Dominicus Pisante preelectus fuit. At sacerdos Antonius de Amato appellavit, et de nullitate concursus contendit, tum quia ex quatuor examinatoribus unus erat synodalis, tum quia de illis magis idoneis retulerint, quod ad solum Episcopum pertinet, tum demum quia forma præscripta servata haud fuerit. S. C. omnem controversiam Card. Præfecto juxta mentem commendavit : *Consernata, Concursus*, 14 *januar.* 1730, *dub.* 2.

21. In consursu ab Ordinario denunciato, ac absoluto pro parochiali ecclesia, ac collegiata S. Mariæ Collis terræ Peschi Constantii, quum solus adfuisset sacerdos Thomas de Amata, idoneus fuit ab examinatoribus judicatus. Reclamarunt sacerdotes Franciscus Grillius, Joseph Falconius, et Nicolaus Mosca, qui ob aeris intemperiem ad concursum accedere nequissent, ac postularunt ad aliud differri tempus concursum, sed S. C. concursum, et respective comprobationem Thomæ prædicti sustineri nec esse ad novum concursum deveniendum declaravit : *Nullius, seu Montis Cassini, Concursus,* 7 *maii* 1735, confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

22. Possessore destituta archipresbyterali, et parochiali ecclesia urbis Alcami, Episcopus consuetis affixis edictis cuncursum indixit. Examinatores sex ex æmulis ad animarum curam renunciarunt idoneos. Summus Pontifex Innocentius XII selegit Erasmum Cremona, eique de more per litteras apostolicas collata est prædicta archipresbyteralis ecclesia; verum presbyter Leo Francia, ei palmam præripere cupiens, temere sermone jactavit minime in concursu fuisse formam Concilii Tridentini servatam. Sed Episcopo nec veritatis larvam illum præ

se tulisse dicente, et concursum, et collationem parochialis Erasmo factam sustineri S. C. definivit : *Mazzarien, Concursus*, 12 *sept*. 1739.

23. Evulgato concursu ad parochialem S. Michaelis in loco Montis Barcarii, et habito examine sacerdos Joan. Baptista Chiotti cunctis suffragiis ad illam fuit idoneus præ ceteris laudatus. At vicarius capitularis, quum eumdem Joannem Baptistam responsiones ad sex casus in eo concursu propositos hausisse ex resolutionibus ibidem datis a Matthæo Hyacintho Chirio alteri ex competoribus putasset, novum indixit concursum. In hoc sacerdos Gregorius Augustinus Battaglia primus inter idoneos renunciari obtinuit. Chiotti proinde ad S. C. devenit. Statutum hinc fuit judicium emanatum ab examinatoribus synodalibus in primo concursu esse attendendum ; ita ut non esset locus secundo concursui indicto a vicario capitulari. *Salutiarum, Parochialis*, 14 *martii* 1739.

24. Denunciatus ab Episcopo fuit concursus ad vacantem parochialem ecclesiam, sive archipresbyteratum oppidi Borelli, atque ex iis, qui ad examen convenerant, sacerdos Nicolaus de Auro veluti ceteris dignior ab Episcopo renunciatus per apostolicas litteras parochialem illam obtinuit, eamque administrat. Expostulationem fecit sacerdos Liberator de Elisio, quia nulla omnino fuerit causa, cur a concursu arceretur; nomen illius per invidiam criminibus maculaverunt, quæ refellunt plura, quæ profert illibatæ suæ existimationis, et probitatis argumenta. Quæsita S. C. non constare de nullitate resolvit. Episcopus enim eum non causa odii privati, sed causa inquisitionum notatum in curia rejecisse nudavit: *Triventina, Concursus*, 30 *martii* 1743, *dub*. 1.

25. Indictus fuit concursus ad ecclesiam parochialem civitatis Lacus Liberi, in quo fuit prælatus Xaverius Turturella, rejecto uti parum idoneo Gallotto Gallotio. Putat hic vitio concursum laborare, quia defecerat numerus trium examinatorum, quum præter duos electos ab Episcopo loco synodalium facultate ei data a S. C., adfuisset vicarius generalis, qui in ultima synodo deputatus fuit inter examinatores synodales sub solo appellativo nomine dignitatis vicariatus; idcirco validitas concursus fuit excussa, et S. C. sanationem ad cautelam impertivit[624], et addidit mentem : *Policastren., Parochialis*, 18 *sept*. 1745, *dub*. 1, confirmata 28 *maii* 1746.

26. Concursum indicavit Episcopus ad vacantem archipresbyteralem ecclesiam terræ Casalis Novi, et deficientibus examinatoribus synodalibus alios elegit. Concurrentibus præfixit terminum trium horarum, soli Joseph Antonius Piromalli parochus terræ Radicenæ, et Dominicus Calfapietra longius tempus episcopali indulgentia aliis adversantibus obtinuerunt. Inter approbatos primas tulit Dominicus, postea Joseph, cui Episcopus ecclesiam adjudicavit. Alteram vacantem ecclesiam terræ Radicenæ Dominico contulit. Insurrexit Leonardus Piromalli nullitatem concursus affirmans, quia unus electus examinator minime erat doctor, aut licentiatus, ac illis longius concessum fuerat tempus. Sed S. C. pro validitate stetit : *Mileten., Concursus*, 21 *julii* 1753, *dub*. 1.

27. A possessore deserta in mense Apostolicæ Sedi reservato parochiali ecclesia S. Mariæ *del Vingone*, Episcopus concursum indixit. Omnes competitores in uno conclavi fuerunt oppillati, nullo eis tempore statuto. Cancellarius fame urgente moræ omnis impatiens egressus, ut cibum sumeret, et paulo post reversus est. Decem jam horis elapsis vicarius generalis introivit, tempus jam esse, ut sese expedirent, nuntians. Famulus quoque Episcopi transiit per conclave, ut aliquid in interiori cubiculo curaret. Re absoluta Episcopus, datis litteris testimonialibus, magis dignum Rampaccium, qui ecclesiam habuit, judicavit. Appellavit Gianninius nullitatem concursus disceptans, quod contra sacr. Concilii formam confirmatam in epistola encyclica Pontificis[625] expletus fuerat. Sed validitatem ejusdem S. C. vindicavit : *Civitatis Castelli, Parochialis*, 25 *januar*. 1755, *dub*. 1.

28. Tres concurrentes obeunt concursum palam factum pro decanatu ecclesiæ cathedralis capituli, nempe, Russomandus, et Realis, ac nullus unus fuit reprobatus ; primum tamen tenuit locum Realis, ac acta ab Episcopo transmissa fuerunt ad Card. prodatarium. Ab examinatoribus urbis perpensis omnibus in doctrina superare Realem, in ceteris requisitis Russomandum agnoverunt; ob id inter eos facta est disceptatio, quæ ad S. C. delata, neutri fuit decanatus adjudicatus sed novus concursus indictus : *Bovinen., Decanatus*, 26 *april*. 1755.

[624] Vide not. 618.

[625] Clem. XI prævia confirmatione nomine S. C. Concilii scripta ac ad locorum Ordinarios, 10 januar. 1721, expedita rel. in Const. *Cum illud*, Bened. XIV, 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 98), ubi § 7, num. 3 et 4, legitur : « Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quæstionibus respondeant, conciunculam componant. »

« Quartum, ut eo concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quisquam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint. »

29. Indicto ab Episcopo Murano concursu ad vacantem parochialem ecclesiam terræ Raponis, unus descendit Xaverius Pinto, aliis sacerdotibus a Michaele ejus patre deterritis. Concursum propterea prorogavit Episcopus, et ad Sanctam Sedem, cui devolutum erat jus, obtinuit, ut novus indiceretur concursus. Tres venere sacerdotes, venit Xaverius ille minitantis Michaelis filius, venit Joannes Lazzarinus, et venit ultima termini die Xaverius Pinto, qui electus, probatusque fuit. Contradixit ei homini vitæ integro, et præceptoris jam munere in seminario functo Xaverius reprobatus, sed frustra, quia in illius favorem fuere litteræ apostolicæ expeditæ; idcirco causa agitata, de concursus nullitate minime constare, et litteras jam expeditas sustineri S. C. definiit : *Murana*, *Parochialis*, 12 *julii* 1755, confirmata 23 *aug. ejusd. anni.*

30. Post absolutum concursum in Dataria apostolica in favorem Rocchi Santangeli signata fuit supplicatio provisionis abbatialis, ac parochialis ecclesiæ Terræ Motæ possessore destitutæ. Sacerdotes Sacco, et Notarianna, qui minus multa suffragia retulerant, sese opposuerunt. Probant hi concursus nullitatem, quod electi in synodo examinatores non fuerunt. Verum S. C. haud de nullitate constare decidit : *Muturanen.*, *Parochialis*, 22 *januar.* 1757, *dub.* 1, confirmata 12 *martii ejusd. anni.*

31. Possessore orbata archipresbyterali ecclesia Torrecusii duo præ ceteris in concursu nomen dederunt, sacerdos Antonius Faenza exterus œconomus in eadem ecclesia, et Franciscus de Ambrosio civis ætate gravior. Cunctis expletis Antonius dignior renunciatus, alter improbatus fuit. Hæc rejectio universitatem commovit ob civicam qualitatem spretam, quæ de nullitate concursum redarguit; et disputato dubio in S. C., concursus validitas fuit definita : ***Beneventana***, ***Parochialis***, 20 ***aug.*** 1757, ***dub.*** 1.

32. Denunciato concursu ad vacantem ecclesiam parochialem SS. Petri, et Pauli urbis Monopolis inter approbatos Franciscum Paulum Zaccariam Episcopus elegit. Sacerdos Dominicus Manfredi validitatem concursus impugnavit, quod examinatores implicite, et generaliter de qualitatibus competitorum retulerant, quod satis non est, sed aliquas designare prærogativas oportet. Sed decreto S. C. finita controversia, et validitas concursus statuta est : ***Monopolitana***, ***Concursus***, 28 ***april.*** 1759, ***dub.*** 1.

33. In concursu habito ad ecclesiam parochialem S. Nicolai Latinorum terræ Pollæ, quæ in curia vacaverat, ex competitoribus tres approbati fuerunt quoad mores, reprobati quoad doctrinam, quartus Januarius Auria inter omnes quoad scientiam prævaluit, et quoad mores examinatores suffragium favorabile proferre non ausi sunt. Nihilominus acta concursus transmisit Episcopus, sed novum fieri concursum mandatum fuit pro majori Summi Pontificis instructione. In hoc solus Nicolaus Melloso comparuit, qui fuit comprobatus quoad scientiam, et quoad mores. Obicem tamen posuit Januarius innixus concursus nullitate reportata bulla impetrationis, in qua non quidem narratum fuit eum in primo concursu non fuisse approbatum quoad mores, ac inde admissionem ad alterum denegare ei non poterat. Cancellarius ex defectu approbationis quoad mores in primo concursu, quia de delictis enunciatis in illo jam 27 anni effluxerint. S. C. vero in favorem Nicolai litteras apostolicas esse exequendas mandavit : *Caputaquen.*, *Parochialis*, 27 *aug.* 1765.

34. Ad concursum pro ecclesia parochiali S. Philippi de Argilione oppidi Zebbug effectum Episcopus ex quinque admissis selegit Felicem Borgh, ac eum instituit. Injucundum fuit judicium competitori Josepho Agius, qui ad S. C. appellavit validitatem concursus infirmans, quia examinatores synodales non erant, nec Episcopus exhibuerat, nec habuerat consuetam facultatem S. C. alios deputandi ad annum. Concursus non unico tempore est expletus, sed permiserunt discedere, ut sero redirent competitores; examinatores de uno ex concurrentibus judicium non dederunt; textus insuper non idem omnibus datus. Requisita S.C. primum pro nullitate stetit : *Milevitana*, *Parochialis*, 2 *junii* 1764, ***dub.*** 1. Inde a decisis recessit. Nam præcipua, quæ erant nullitatis capita ex novis monumentis suam mutarunt naturam : 15 *sept. ejusd. anni.*

35. Sequuta vacatione præposituralis, et parochialis ecclesia castri Spinetuli per liberam resignationem illius in manibus Summi Pontificis sponte factam a Francisco Antonio Feriozzi indictus fuit concursus. Nonnulli admissi non fuerunt, et examen habitum fuit spreta contestata denunciatione super concursus nullitate in actis emissa ab Emidio Michelessi rejecto. Electus autem fuit Angelus Trojani, ob id fuerunt litteræ apostolicæ impetratæ sub prætextu nullitatis concursus, ex quo in albo competitorum descriptus haud Michelessi fuit, quia absque testimonialibus Episcopi, fide baptismatis, aliisque comparuit. Rem inde definiit S. C. neutram videlicet esse supplicationem signandam, et iterum concursum indicendum : *Asculanæ*, *Parochialis*, 22 *decem.* 1781.

36. Divulgato concursu ad vacantem archipresbyteralem ecclesiam S. Georgii terræ Chieuti duo sacerdotes Franciscus Peta, et Liborius Saxo ad illum venerunt, eos laudarunt examinatores synodales quoad scientiam, *quo vero ad genus, ætatem, vitam, moresque remittimus*, aiunt, *nos informationi per curiam episcopalem captæ, ac prudentiæ*

et cognitioni Episcopi, qui ecclesiam Francisco Peta contulit. Liborius appellavit, et nullum concursum declarari conatus est ob non servatam formam a S. C., et Summis Pontificibus præscriptam, quum subscriptiones cancellarii, examinatorum, et Episcopi deessent; et S. C. illius sententiæ adhæsit nullum concursum nuntians : *Larinen.*, *Concursus*, 2 *sept.* 1758, *dub.* 1.

37. In lucem prolato ad canonicatum pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis concursu, examen factum est, et unus sacerdos Paschalis Goberti episcopalis seminarii rector approbatus fuit. Ægre id tulit sacerdos Bonfilius Gervasi, et una cum reprobato sacerdote Joan. Theodori nullum proclamavit concursum, injustam Goberti electionem, et novum efflagitavit examen. Sed de validitate concursus constare S. C. definivit: *Ripana*, 17 *januar.* 1788. At urgente Gervasi, neglectam fuisse Benedicti XIII Const. *Pastoralis officii* [626], quia examinatores extra synodum tres erant deputati absque facultate S. C., et omissum juramentum in encyclica S. C. præscriptum, S. C. respondit consulendum Sanctissimum esse pro sanatione concursus : 12 *julii ejusd. anni.*

Reliqua quoad concursus. Vide *Ecclesia parochialis*, § II.

CONDITIO. V. *Matrimonium*, § II.

CONDONATIO. V. *Absolutio*, §§ I, II et III; *Fructus*, § I.

CONDUCTIO. V. *Bona ecclesiastica*, § VIII.

CONFESSARIUS.

§ I.

Confessarius quoad approbationem [628].

1. Regularem ab Episcopo ad audiendas confessiones absolute, et simpliciter, si idoneus inventus fuerit, non autem ad tempus approbari debere; atque semel ab eo ad id munus prævio examine comprobatum, non posse ab eodem iterum examinari nisi nova causa supraveniente, sancitur : *Nullius, januar.* 1598, *dub.* 3.

2. Ita S. C. rescripsit, confessarios etiam extraordinarios monialium, etiam regularibus subjectarum, post Constitutionem Gregorii XV, Pont. Max., hac de re editam [629], nulla tenus posse earum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbentur, non obstante quacumque contraria consuetudine : *Caturcen.*, 2 *julii* 1650, *dub.* 2.

3. Sanctimonialium confessarii tum ordinarii, tum extraordinarii examen, et approbationem, quamvis moniales ipsæ exemptorum regimini subjiciantur, ad Episcopum spectare declaratur : *Suession.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 13.

4. Quoad dubium, an vigore bullæ Urbani VIII, Pont. Max., *Cum sicut accepimus*, Romæ 12 sept.

[626] Vide not. 619.

[627] Vide not. 620.

[628] Clem. VIII, Const. *Ad Romanum*, 26 octob. 1596 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 2, pag. 136) confirmavit decretum S. C. Concilii, quoad dubium : An provisus de parochiali ecclesia per concursum censendus approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa diœcesi, in qua ipsam parochialem obtinet, tum eorum, qui habent privilegia eligendi idoneum confessorem, tum etiam illorum, qui non habent hujusmodi privilegium, sed parochorum consensum ? respondit, censeri dumtaxat in ea civitate, vel oppido ubi sita est parochialis, non autem passim per totam diœcesim. Bened. XIV, *Inst. Eccles. LXXXVI*, tom. 11, pag. 552, seqq. doctissime pertractat de iis, quæ spectant ad facultatem confessionum excipiendarum ; quod juxta sacros Canones nemini liceat absque approbatione Ordinarii fidelium confessiones excipere ; nulli sacerdoti, cæteroquin idoneo tribuatur potestas audiendi in aliqua diœcesi confessiones, nisi prius publicum subierit examen ; quomodo a sacris Canonibus hujusmodi consuetudo sancita sit ; et hæc facultas nulli concedatur, nisi ad præfinitum tempus, sive regularis, sive secularis sit ; denique quod penes Episcopum sunt iterum examinandi illi presbyteri, qui acceptam facultatem sibi prorogari cupiunt.

[629] Quæ incipit *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), et ampliavit sanctionem Tridentinam sess. 23, cap. 15, *de Reform.*, statuens, § 5 : Regulares ne audire quidem posse confessiones monialium iisdem subjectarum sine approbatione, posse vero Episcopos confessarios sic deputatos toties quoties opus fuerit, amovere, si eorum superiores moniti detrectaverint, vel negligentes fuerint in illis removendis. Imo approbati in confessario ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbati pro alio, nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione, toties quoties, earumdem monialium confessiones ex declaratione Clem. X. Const. *Superna.*, 21 junii 1670 (*Bull. Rom.* tom. 7, pag. 30), § 4. Et a Gregoriana Const. observatione neque eximuntur confessarii, tam ordinarii, quam extraordinarii monialium, Cardinalibus protectoribus subjectarum, qui intelliguntur in eadem comprehensi, ut declaravit Alexander VII, per organum S. Visitationis Apostolicæ die 29 sept. 1660.

1628 [630] editæ teneantur omnes regulares cujuscumque ordinis, seu instituti pro obtinenda ab Episcopo potestate secularium utriusque sexus sacramentales confessiones audiendi, et a peccatis absolvendi se personaliter coram Episcopo, aut Ordinario præsentare; aut sufficiat, si a suis superioribus de habilitate,et sufficientia scriptum transmittant testimonium, maxime mendicantes, et nudi pedes, qui in hyeme difficilem habent transitum; et hoc quidem judicio, et arbitrio solius Ordinarii? Censuit S. C. etiam mendicantes teneri pro arbitrio Episcopi: *Olomucen.*, *Jurisdict.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 15.

5. Sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una diœcesi vocati a parochis alterius diœcesis non valent in ista audire confessiones quorumlibet absque Episcopi approbatione: *Posnanien.*, *Dubium audit. confess.* 3 *decem.* 1707, *dub.* 2.

6. Contenditur inter abbatem generalem celeberrimi monasterii Sancti Spiritus de Sulmona ordinis Cœlestinorum, ac Episcopum Sulmonensem, et Valvensem super jurisdictione spirituali in oppido Pratularum; et dubium proponitur, an, et ad quem spectet facultas etiam per modum provisionis approbandi tam sacerdotes seculares, quam regulares ad audiendas confessiones sacramentales laicorum, et ecclesiasticorum secularium in dicto oppido, donec, et quousque lis in Rota [631]? S. C. abbatem exercere dictam facultatem posse nomine S. C. per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium dijudicavit: *Sulmonen.*, *seu Valven.*, *Jurisdict.*, 11 *martii*, *dub.* 1.

7. Quum abbas Lubensis ordinis Cisterciensis sibi arrogaret immemorabili fretus consuetudine jus approbandi confessarios pro sanctimonialibus monasterii Trebinicensis suo ordini subjectis in diœcesi Uratislaviensi existentis, Episcopus S. C. invocavit, quæ cum Rotæ voto in favorem Episcopi prolato [632], approbationem confessariorum pro monialibus ad Episcopum pertinere consultum sanxit: *Uratislavien.*, 30 *januar.* 1723.

8. Confessarii pro ecclesia, et hospitali S. Angeli ad nidum Neapolis comprobandi sunt ab Archiepiscopo non ab æditúo, sive rectore; etsi privilegium hic exemptionis exhibeat: *Neapolitana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 4, [633].

9. In disquisitionem positum est, an confessarii electi, seu deputata ab abbate Einfildelli ordinis S. Benedicti congregationis Helveticæ ad confessiones audiendas monialium monasteriorum Vaharæ, Augiæ, et S. Lazzari, quæ sunt sibi subjecta, indigeant speciali approbatione Ordinarii Constantiensis, ita ut sit exequendum decretum editum a S. C. *die* 13 *junii* 1744? responsum prodiit ad mentem [634]: *Constantien.*, *Juris approb. confess.*, 6 *aug.* 1746, [635].

10. Pro exercendo confessarii munere erga moniales monasterii S. Sebastiani civitatis Arimini, et

[630] Qua Sum. Pontifex abrogavit quodcumque privilegium quibusvis ordinibus regularibus hactenus concessum audiendi secularium confessiones sine prævio Ordinarii examine, et approbatione, nominatim etiam eos regulares recensens, qui nisi expresse nominati fuerint, non intelliguntur comprehensi; idque ad eum finem, ne ab eadem Constitutione immunes se jactarent: *Bull. Rom.* tom. 6, part. 1, pag. 142.

[631] Hinc lite absoluta, vigore decis. *in Valven. et Sulmonen, Jurisdictionis super manutentione*, 2 julii 1714, cor. *Falconerio*, sacrum tribunal concessit manutentionem Episcopo Valvensi, et Sulmonensi in exercitio suæ universalis jurisdictionis in tota ejus diœcesi, et præcipue in controverso oppido Pratularum, quod fuit confirmatum altera decis. 20 decem. ejusd. anni, ibi: « Item namque incontrovertibile visum est illud generale juris principium ex eo desumptum, quod constito de situatione dicti oppidi Pratularum intra limites diœcesis Valvensis, semper Episcopus ex sola juris assistentia etiam non docto de actibus possessoriis, et jurisdictionalibus veniat manutenendus in exercitio suæ universalis jurisdictionis, donec inferior prælatus probaverit territorium separatum cum qualitate vere nullius, sive per privilegium apostolicum, sive per immemorabilem canonizatam in contradictorio judicio per tres sententias conformes. »

[632] Nam, ut votum sacri tribunalis Rotæ extrahendum non sine matura discussione, ut par est, prodiret, concessa fuit ab eodem sacro tribunali nova audientia abbat Lubensi, et dubio proposito: « An sit standum, vel recedendum a decisis, » fundamentis undique perpensis editarum decisionum dierum 3 febr. 1719, cor. *Ansaldo*, 17 junii 1720, coram *Lanceta*, et 10 decem. 1721, cor. eod. responsum est in decisis die 11 maii 1722, cor. eod. tom. 6, decis. 1319. Declaratum hinc fuit jus approbandi confessarios pro audiendis confessionibus monialium monasterii Trebinicensis spectare ad Episcopum Wratislaviensem, non vero ad abbatem Lubensem, excluso privilegio, et juribus prætensæ immemorabilis, in quibus idem abbas principaliter insistebat.

[633] Hanc resolutionem sequutus est Bened. XIV Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 152), dum in ea declaratur dicti in ea declaratur dicti hospitalis, ecclesiæ, personarumque exemptio; et § 14, cautum est, quod rector, aliique sacerdotes audire confessiones possunt, nisi prævia Archiepiscopi approbatione.

[634] S. C. respondit *Affirmative*, factaque relatione Sanctitas Sua approbavit excepto tamen monasterii S. Lazari: Lib. 96, *Decret.* pag. 322.

[635] Const. *Emanavit*, 27 novem 1676 (*Bull. Rom.* tom. 8, pag. 9), ab Innocentio XI, confirmatur decretum S. C Concilii diei 10 octob. dicti anni 1676, in causa *Sublacen. Jurisdictionis*, quo decernitur ad abbatem commendatarium pertinere approbare monachos pro audiendis confessionibus secularium in ecclesiis monasteriorum S. Scholasticæ, et S. Specus abbatiæ Sublacen., ordinis S. Benedicti nullius diœcesis provinciæ Romanæ.

canonicis regularibus subjecti, non sufficit quempiam idoneum a superioribus regularibus deputari, et ab eodem Episcopo semel per annum approbari; verum requiritur omnino, ut Episcopus pro qualibet vice infra annum occurrente illum probet: *Ariminen.*, 27 *januar.* 1748, *dub.* 14.

11. Confessarii regulares approbati ab Episcopo ad audiendas confessiones fidelium utriusque sexus nequeunt sine speciali confirmatione Episcopi in confessarios monialium exemptarum a superioribus regularibus destinari: *Omolucen.*, *Jurisdict.*, 7 *junii* 1755, *dub.* 11, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

12. Nec iidem confessarii regulares saltem pro audiendis confessionibus unius monasterii monialium exemptarum, pro una vice approbati, censeri debent approbati semper, et pro omnibus monialium monasteriis: *Ibid.*, *dub.* 12, confirmata *ibid.*

13. Et pro obtinenda dicta comprobatione, seu facultate confessiones sive secularium, sive monialium audiendas, tenentur se personaliter coram Episcopo præsentare; non autem sufficit a superioribus de sufficientia, ac de capacitate testimonium transmitti: *Ibid.*, *dub.* 13, confirmata *ibid.*

§ II.

Confessarius quoad electionem, ac nominationem.

1. Sanctissimus Dominus noster ex sententia S. C. Concilii declaravit, cap. 10, sess. 25, *de Regul.* [636] ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere monialibus confessarium regularem alterius ordinis, vel secularem: *Regien.*, *anni* 1573.

2. Utrum Episcopus possit confessarium extraordinarium cujusuis religionis offerre sanctimonialibus divæ Claræ, qui sunt sub cura Fratrum de observantia? a S. C. rescribitur posse offerre sacerdotem etiam alterius religionis in confessorem extraordinarium monialibus ex cap. 10, sess. 25 *de Regul.* [637]: *Avenion.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 22.

3. Ad dubium, an moniales S. Claræ habere possint confessarium extraordinarium ab Episcopo diœcesano refragantibus superioribus regularibus, quibus dictæ moniales subjiciuntur? S.C. respondit habere posse confessarium extraordinarium ab Episcopo diœcesano in casu negligentiæ superiorum regularium: *Caturcen.*, 2 *julii* 1650, *dub.* 1.

4. Spiritualem animarum medicum nempe confessarium ab ipso Episcopo debitis requisitis præditum esse deputandum, illumque non posse a monialibus recusari, imo eas ad talem confessarium admittendum cogi posse, sive potius suaviter, et prudenter induci, resolvitur: *Nicien.*, *ad Visitat. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 3.

5. Canonicis regularibus Lateranensibus monasterii S. Martini urbis Arimini in illorum comitiis, aut capitulis deputare licet alium viceconfessiarum ad annum, vel ad aliud certum tempus pro administrando pœnitentiæ sacramento monialibus monasterii S. Sebastiani ejusdem urbis, quatenus ordinarius confessarius vel infirmatur, vel abest, vel alia justa causa impeditur, et destinare licet cum approbatione Episcopi, ac eo certiore facto in casu impedimenti, et cum ejusdem licentia: *Ariminen.*, 27 *januar* 1748, *dub.* 11 et 12.

6. Idem viceconfessarius a predicti mona-

[636] Ubi habetur: « Attendant.... præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, et aliis superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. » Hoc decretum declaravit, et ampliavit Bened. XIV Const. *Pastoralis*, 5 aug. 1748 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 2, pag. 215), quoad hunc confessarium extraordinarium monialium. In eadem prohibetur confessario ordinario monialium, ac etiam cujuscumque piæ domus, durante confessario extraordinario, qui deputari debet, audire confessionem cujusque monialis, sive superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, aut alterius cujuscumque personæ intra monasterium, aut piam domum commorantis, juxta disposita a Clem. XI, in suo edicto diei 12 decem. 1708, quam Benedictus confirmat. Inde præcipit, ut extraordinarius non deputetur pro singulis monialibus peculiariter, sed pro tota communitate; ut hic teneatur audire confessiones earumdem omnium, quæ eidem confiteri velint. Si autem nolint, debent omnes una cum quibuscumque aliis in monasterio degentibus coram ipso se sistere, si non ad confessionem peragendam, saltem ad salutaria monita extra eam ab ipso recipienda; ut dicti extraordinarii electio pertineat ad Ordinarium loci pro monialibus ei immediate subjectis; pro monialibus vero regularibus subjectis, ad superiorem regularem: prævia tamen pro utroque approbatione Episcopi, seu Ordinarii localis.

Ut si superior regularis negligat talem deputationem facere, Ordinarius eam supplere debeat, et major pœnitentiarius, negligente dicto Ordinario.

Ut extraordinarius denegari nequeat monialibus peculiaribus, in casu gravis infirmitatis, etiam post alteram, aut tertiam deputationem, ut supra factam universo monasterio. Et si superior regularis pro monialibus sibi subjectis id denegaverit, deputari poterit ab Ordinario loci.

Ut item denegari nequeat in casu, quo monialis aliqua firmiter recuset ordinario confessario confiteri. In casu vero, quod ob spiritualem dumtaxat consolationem, et profectum extraordinarium optet, suadet Pontifex, ut tam Ordinarius, quam superior regularis facile se exhibeant in hujusmodi concessione.

Ut pro monialibus regularibus subjectis deputari possit extraordinarius tam a clero seculari, quam ex altero ordine regulari: imo etiam deputari debeat saltem semel in anno; quem si superior regularis deputare detrectaverit, deputari possit ab Ordinario.

[637] Vide not. 636.

sterii abbate, aut ad eorumdem canonicorum regularium capitulis in confessarium extraordinarium dictarum monialium ad formam sac. Concilii Tridentini, sess. 25 cap. 10 *de Regul* [638] : deputari nequit : *Ibid.*, *dub.* 13.

7. Episcopum ex sacerdotibus participantibus ecclesiæ S. Nicolai terræ Laureæ eligere debere aliquos in numero sibi beneviso pro audiendis confessionibus sacramentalibus in adjutorium archipresbyteri S. C. judicio decrevit: *Policastren.*, *Procurat.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 6.

8. Posito dubio, an superior, seu commissarius monasterii sancti monialium Ordinis carmelitici, Putignani oppidi, per patrem generalem ordinis ad triennium eligi solitus, postea per idem tempus in confessarium ordinarium monialium nominari, vel saltem pater generalis valeat alium nominare in confessarium ordinarium? negativum datur responsum ad primam partem, affirmativum ad secundam: *Conversana*, *Jurisdict.*, 8 *maii* 1751, *dub.* 4.

§ III.

Confessarius quoad jura, ac potestatem absolvendi.

1. S. C. dijudicavit non licere fratribus ordinis Prædicatorum, et aliis ab Ordinario approbatis vigore privilegiorum sibi tributorum, ac facultatum societatis Rosarii B. V. sodales se confitentes ab omnibus casibus, quos Episcopus sibi expresse reservaverit, nulla ab eodem Episcopo habita licentia absolvere : *Neritonen.*, *anni* 1574, *dub.* 1.

2. Quum juxta Const. pontificiam [639] fœminæ, quæ abortioni causam dederunt, ad Romanam Curiam pro obtinenda absolutione accedere onus habeant, quod onus haud explere possunt mulieres regni Poloniæ, quæ simile crimen in se admiserunt, propter eorum ultimam inopiam, ac locorum distantiam, exoratur, ut Ordinarii locorum, vel idonei confessarii per eos deputati mulieres hujusmodi a tali delicto absolvere possint. S. C. benigne concessit facultatem absolvendi non solum fœminas, sed etiam viros, cum eo tamen, ut ab idoneis confessariis ad id speciatim ab Ordinario deputatis absolvantur, serioque moneantur ut etiam atque etiam caveant, ne relabantur, iterum siquidem relapsis absolutionem minime concessum iri : *Gnesnen.*, *febr.* 1590, *dub.* 2.

3. Omnes fere nobiles prædicti regni jurisdictioni, ac libertati ecclesiasticæ, decimas usurpantes, impedimentum afferunt, et alias hujusmodi incommoditates pariunt; ob id supplicatur, ut si ab incepto desistant, possint ab idoneis, et approbatis confessoribus absolvi. Placuit Sanctitati Suæ ex sententia S. C. id indulgere, dum tamen ante omnia hujusmodi usurpatores jurisdictionem, et bona usurpata dimittant : *Ibid.*, *dub.* 6.

4. Et quoniam plurimi hactenus per ignorantiam a casibus præmissis absolverunt, imploratur, ut a confessoribus per Ordinarios deputandis ab excommunicatione, et aliis santentiis, censuris et pœnis, in quas propterea illi incurrerunt, absolvi, iidemque confessores cum illis super irregularitate per eos contracta dispensare valeant? Sanctitas Sua abnuit : *Ibid.*, *dub.* 7.

5. Censuit S. C. sacerdotes ab Ordinario ad audiendas confessiones per diœcesim confirmatos posse omnino diœcesanorum confessiones excipere absque ulla parochorum licentia, eosque, qui sic confessi fuerint, nisi aliud obstiterit, esse legitime absolutos: *Aretina*, 26 *octob.* 1613.

6. Consultum edidit S. C. Fr. Paulum ordinis S. Augustini ab Ordinario approbatum ad confessiones auscultandas in ecclesiis conventuum sui ordinis, in aliis vero parochorum facultate, potuisse in ecclesiis regularibus alterius ordinis ejusdem diœceseos de superiorum regularium consensu confessiones excipere, non modo inconsultis, sed invitis etiam, ac reluctantibus parochis sive pœnitentium, sive intra quorum parochiæ fines eædem ecclesiæ regulares existunt. Ac proinde, nisi aliud obstiterit, validas omnino esse confessiones, quas, ut proponitur, idem Fr. Paulus audivit in ecclesia Cappuccinorum ejusdem oppidi, ipsi Archiepiscopo contradicente : *Aretina*, 24 *martii* 1614.

7. A casibus, quos Episcopus sibi reservavit, neminem absolvere posse præter ipsum Episcopum, aut Sedem Apostolicam, aut alium, qui ab eodem Episcopo, aut ab Apostolica Sede talem absolvendi potestatem fuerit consecutus, sententiam dixit S. C. in *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 5.

8. Dubitationi obnoxium est, an confessarius regularis ordinis S. Francisci strictioris observantiæ

[638] Vide not. 636.

[639] Sixti V incipien. *Effrænatam*, 29 octob. 1588 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 1, pag. 25), contra procurantes, consulentes, ét quomodocumque concurrentes ad abortum, nedum fœtus animati, sed etiam inanimati, editam. Hanc vero rigidissimam Const. moderavit Gregorius Const. *Sedes Apostolica*, 31 maii 1591 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 1, pag. 275), in duobus, quantum scilicet ad absolutionem ab excommunicatione, quæ per Sixtum reservabatur Sum. Pontifici, et nunc per Gregorium potest absolvi ab Episcopo, et a quolibet confessario per ipsum specialiter deputato; et quantum ad pœnas procurantium abortum fœtus adhuc inanimati, has reduxit Gregorius ad terminos juris communis.

possit cum socio permanere de die, et de nocte in hospitio contiguo monasterio monialium S. Claræ exempto a jurisdictione Ordinarii ad effectum audiendi confessiones monialium, stante quod monasterium eorumdem regularium distet ab urbe, ubi est monialium monasterium; et an confessarius idem possit etiam noctu retinere claves ecclesiæ dicti monasterii; ita ut ad libitum etiam per noctem in ea ingredi possit? judicium remittit S. C. ad S. C. Episcop. et Regul. [640]: *Urbinaten., Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 14.

9. Ad dubium, an, et quibus modis, confessarius regularis monialium sit coercendus, si contraveniat in præjudicium jurium parochialium? juris remediis S. C. respondit: *Lauden., Jur. paroch.*, 14 *april.* 1685, *dub.* 4.

10. Occasione universalis jubilæi nuper indulti pro imploranda divina ope adversus Turcas, tres sacerdotes cappuccini in Patavina diœcesi absque approbatione, et licentia Card. Episcopi confessiones sacramentales complurium secularium publice exceperunt, et quamvis moniti fuissent a parocho de eorum inhabilitate, attamen ab inceptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet Card. Episcopo ad docendum de eorum sibi arrogata facultate absolvendi, responderunt, ut in opinione probabili quorumdam auctorum regularium, primus eorum uti guardianus, et prælatus regularis, secundus uti approbatus in aliena diœcesi, et tertius uti approbatus ab ipso Card. Episcopo in alio loco diœcesis ad annum, licet elapsum, potuerunt licite et valide tempore jubilæi dictas confessiones absque nova Ordinarii approbatione excipere. Card. autem Episcopus animadvertit, huic prætensioni resistere tum Constitutiones Sum. Pont. Urbani VIII [641], Innocentii X [642], Alex. VII [643] et Clem. X [644], tum

[640] Anno sequenti Alexander VII, in sua Const. *Felici*, 10 octob. 1664, § 6 et 7 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 6, pag. 34), sancivit: « Insuper districte præcipimus memoratis superioribus regularibus ut infra terminum duorum mensium a publicatione præsentis Const. computandorum, revocent ad claustra confessores, eorumque socios, concionatores, et alios quoscumque regulares apud monasteria sanctimonialium, vel assidue, vel ad tempus, quocumque titulo pernoctare solitos; neve permittant eosdem, seu alios regulares, intra, seu prope septa monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari: quin etiam infra eumdem terminum quascumque cellas, mansiones, seu cubicula prope monasteria prædicta, ad usum memoratorum regularium existentia, si clausuræ monasteriorum earumdem monialium contiguæ sint eidem clausuræ includi, vel dirui omnino faciant; si vero sint extra septa, vendi, pretiumque in monasterii utilitatem converti; nec imposterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum superiores regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, illa adimplere, et omnino exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio » et § 7: « Verumtamen si monasterium sanctimonialium sit extra mœnia urbis, vel oppidi, et monasterium regularium virorum, quibus moniales sunt subjectæ, sit intra dicta mœnia, vel e converso, habeantur, vel conducantur, si commode fieri possint, mansiones ad usum confessoris, quæ non sint conjunctæ, seu contiguæ ipsi monasterio monialium, sed ab eo penitus disjunctæ non solum per parietes, sed etiam per tecta; sin autem utrumque monasterium sit intra mœnia, et unum ab altero Episcopi judicio, multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra distinctæ, et separatæ a monasterio monialium, distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, et approbanda; ita tamen, ut in mansionibus confessoris, sive intra, sive extra mœnia constitutis, excepto ipso confessore cum suo socio, alii regulares, etiamsi superiores sint, minime pernoctent. »

Et antea S. C. Episc. *in Tropien.* 10 novem. 1649 decreverat, regularem monialium confessarium degere cum socio in suo conventu; et *in Fulginaten.* 11 decem. 1647 apud. Nicol. *in Floscul.* verb. *OEconomus*, n. 13, et Pittoni decis. *ad Confess.* n. 897.

[641] Const. *Cum sicut accepimus*, 12 sept. 1628 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 1, pag. 142), cujus vigore omnia revocantur privilegia regularium, ut sacramentales confessiones audire valerent; etiamsi ab Episcopo diœcesano examinati, et approbati non fuissent; de qua Const. loquitur Fagnanus in cap. *Sane de offic., et potest. jud. Deleg.* num. 22, tom. 1, pag. 523. Hanc Const. idem Summus Pontifex explicavit altera Const. *Accepimus*, 3 kal. febr. 1639, relata a Guerra in *Epist. Bull.* tom. 3, pag. 19, quæ in magno Bullario edit. Rom. Mainardi desideratur.

[642] Const. *Cum sicut*, 18 martii 1645 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 3, pag. 26), ubi tribuitur facultas Episcopo Oxomensi inhibendi regularibus, ne absque sua licentia confessiones audiant. Et postea Const. *Cum sicut*, 14 maii 1653 (*Bulll. Rom.* cit. loc. pag. 244), idem Pontifex confirmavit decretum S. C. Concilii ad dubium 9, expressum, quod regulares etiam societatis Jesu in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.

[643] Inter damnatas propositiones illa 36 hisce verbis concepta: « Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. » 18 martii 1665, quæ extat in *Bull. Rom.* tom. 6, part. 6, pag. 110.

[644] Const. *Superna*, 21 junii 1670 (*Bull. Rom.* tom. 7, pag. 30), qui § 4, decrevit: « Ad hæc religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati. » Cui accessit Const. *Emanavit nuper*, 6 sept. 1698. Innoc. XII (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 488), qua confirmatur decretum S. Congr. Episcop. et Regul. in causa *Lusitana* pro executione Const. prædictæ *Superna*, quam servandam esse omnino, non obstante bulla *Cruciatæ*, quæ in hac materia nihil novi induxit,

etiam responsa S. C. super dubiis ad bullam Gregorii XV [645], tum denique expressam mentem Summi Pontificis, qui in bulla prædicti jubilæi requisivit confessarios ab Ordinariis locorum approbatos, unde anxius est, an licite? et an valide dicti cappuccini secularium confessiones exceperint? S.C. dubium aperuit, decernens ad primum illicite, ad secundum invalide, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt, attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de validitate confessionis dubitaverint, eosdem teneri confessionem reiterare.

11. Quo vero ad cappuccinos Card. Ordinarius conficiat processum circa administrationem sacramenti pœnitentiæ, quam ipsi exercuerunt, non obstante contraria dispositione S.C. Trid., et Constitutionum apostolicarum [646], et transmittat: *Patav.*, *Facult. absolv.* 11 *decem.* 1683, *dub.* 1 et 2.

12. Confessarii nimiam sibi auctoritatem arrogant in vim bullæ *Cruciatæ*, posse (aiunt) absolvere pro foro externo reos publicos, vel ad forum contentiosum deductos a censuris, et pœnis a jure, vel ab homine latis parti læsæ præstita satisfactione, vel parte concordata, prævia exhibitione fidei confessarii de absolutione data; hinc quæritur, an absolutio hujusmodi prodesse valeat in foro externo? *negative* respondetur: *Vicen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 5.

13. Curati unius diœcesis acciti a parochis alie-

neque quoad pœnitentes, neque quoad confessarios, decernitur. Et altera Const. *Cum sicut*, 19 april. 1700 (*Bull. Rom.* cit. loc. pag. 337), opinionem quorumdam sacerdotum regularium, vel secularium non probatorum ab Ordinariis, se posse audire confessiones vigore bullæ *Cruciatæ* damnat, ac declarat facultatem eligendi confessarium ab Ordinario approbatum in bulla *Cruciatæ* concessa. Immo Bened. XIV, Const. *Apostolica*, 5 aug. 1744 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 159), neque cujuslibet indulti generalis, vel particularis, jubilæi, etiam bullæ *Cruciatæ* vigore sacerdotem non approbatum posse eligi in confessarium sancivit; et quidem sub pœna nullitatis confessionis, et absolutionis, ut patet ex claris seqq. verbis: « Ideoque (num. 6), confessiones, et absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas, et respective auditas, seu impertitas irritas fore, et invalidas declaramus; et contrariam quamcumque opinionem, ejusque praxim deinceps prohibemus, ac reprobamus tanquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti nostræ, quam, ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam, per præsentes clarius exposuimus, penitus adversantem. »

[645] Incipien. *Inscrutabili Dei Providentia*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), cui accesserunt declarationes S. Congregationis Concilii emanatæ occasione dubiorum, quæ super dicta Constitutione facta fuerunt, ab ipso Pontifice Gregorio, ac inde ab Urbano VIII approbatæ, quæ in calce Const. referuntur.

[646] Nam sess. 23, cap. 15, *de Reform.* decernit, nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat. Huic sanctioni juri communi penitus conformi (qua innovata est decretalis Bonifacii VIII rel. in cap. 2. *Super cathedram, de Sepultur. in Extrav. commun.*, ac correcta decretalis Innoc. III, rel. in cap. 12. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et remission.*, vi cujus poterat parochus delegare facultatem audiendi suorum parœciæ incolarum confessiones alieno sacerdoti) accessit primum Const. S. Pii V, *Romani Pontificis*, 6 aug. 1571 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 177), qua ab eodem revocata Const. *Etsi mendicantium*, 16 aug. 1567 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2 pag. 373), quam in favorem fratrum et monialium ordinum mendicantium ediderat quoad exemptionem ab examine, et approbatione confessariorum ab Ordinariis faciendam, declaratum est, regulares cujuscumque ordinis, etiam mendicantes, lectores, aut in Theologia graduati non possint secularium confessiones audire, nisi fuerint ab Ordinariis prævio examine approbati.

Urbanus VIII deinde Const. *Cum sicut accepimus* 12 sept. 1629 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 1, pag. 142) abrogavit quodcumque privilegium quibusvis ordinibus regularibus hactenus concessum audiendi secularium confessiones sine prævio Ordinarii examine, et approbatione, nominatim etiam eos regulares recensens, qui nisi expresse nominati fuerint, non intelliguntur comprehensi.

Eadem Tridentina sanctio ampliata est etiam a Gregorio XV Const. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), statuente, regulares, ne audire quidem posse confessiones monialium iisdem subjectarum sine dicta approbatione. Imo approbati in confessores ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbati pro alio, nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione, toties quoties, earumdem monialium confessiones ex declaratione Clem. X. Const. *Superna*, 21 junii 1670 (*Bull. Rom.* tom. 7, p. 30). Qua de causa Pius VI, Pont. Max., Const. *Auctorem Fidei*, 28 aug. 1794, *proposit. XXXVII*, doctrinam synodi Pistoriensis anni 1786, tit. *de Pœnit.* § 10, num. 6, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem diœcesum, et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat, super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali*, propterea quod, *aliter confusio induceretur*, et perturbatio: quatenus post institutas diœceses, et parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur, super subditos*: sic intellectam tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; reprobat uti *falsam, temerariam, perniciosam, Tridentino contrariam, et injuriosam, erroneam.*

Et Clem. XI, Pont. Max., decreto 8 aug. 1704, adimit S. C. Episc. et Regul. facultatem indulgendi fratribus cappuccinis ordinis S. Francisci, ut personarum secularium confessiones audire possint, nisi id eidem S. C. in casibus particularibus a Sum. Pont. pro tempore existente specialiter permittantur: Vid. *Bull. ejusd. Pont.* pag. 535.

næ diœceseos possunt in ista audire confessiones suorum subditorum non alienorum absque Episcopi licentia : *Posnanien.*, *Dubium audit. confess.*, 3 *decem.* 1707, *dub.* 1.

14. Confessarius conservatorii SS. Philippi, et Jacobi in regione Nidi consulum artis sericæ, num valeat omnia sacramenta monialibus administrare privative quoad parochum? S. C. exhiberi breve mandavit. Nam deputati prædicti conservatorii breve Sixti V, Pont. Max., hujusmodi facultatem concedens in medium proferebant: *Neapolitana, Conservat.*, 28 *julii* 1708, *dub.* 2.

15. Monachos ordinis Cassinensium a casibus in bulla *Cœnæ Domini*, a sex aliis in decreto Clementis VIII, Pont. Max.[647], contentis, et a casibus ab ipsis Ordinariis reservatis absolvere exteros ad eorum ecclesiam accedentes vigore indulti Sixti V confirmati a Clem. VIII, non posse firmatur : *Andrien.*, *Edict.*, 29 *novem.* 1710, *dub.* 4, confirmata ad formam bullæ Clem. X, Pont. Max. [648] : *Superna*, 24 *januar.* 1711, *dub.* 1.

16. Ac sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una diœcesi vocati a parochis alterius diœcesis non valent in ista audire confessiones quorumlibet absque Episcopi approbatione : *Ibid.*, *dub.* 2.

17. Quando autem agatur de magno concursu populi, ac magna distantia adeundi pro approbatione ad Episcopum diœcesanum in casibus prædictis remittitur arbitrio, et prudentiæ Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 3. Hæc S. C. decernit ad rogatum Episcopi suffraganei, et administratoris ecclesiæ Posnaniensis.

18. Archiepiscopus, ac elector Coloniæ S. C. exoravit pro declaratione quorumdam dubiorum, quod regulares habere se facultatem absolvendi a casibus ab ipso reservatis edicto 26 maii 1715 prætendunt; idcirco S. C. decrevit confessarios regulares non posse seculares extra mortis periculum absolvere a casibus Ordinario reservatis : *Colonien.*, 16 *novem.* 1720, *dub.* 1 [649].

19. Ad confessarios monialium exemptarum, et Prælatis regularium subjectarum posse easdem etiam extra mortis periculum absolvere a casibus Ordinario reservatis, præterquam quoad casus, quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare ad jurisdictionem delegatam spectante resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

20. Et supposito edicto supra relato confessarium regularem extra mortis periculum absolvere non valere secularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi statuitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

21. Atque posito pariter eodem edicto confessarium regularem monalium exemptarum absolvere posse monialium complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, quatenus non sit violata clausura, deliberatur : *Ibid.* [650], *dub.* 4.

22. Ad postulatum Episcopi Viterbiensis S. C. definiit, posse patres Cappuccinos capellanos triremium Pontificis Romani sine confirmatione Ordinarii Viterbiensis, et cum sola approbatione urbis vicarii excipere confessiones remigum, et aliorum in triremibus, quam in Portu, et receptaculo vulgo *Darcena*, et in hospitio in *Darcena* existente, sed non posse eosdem PP. Cappuccinos excipere eorumdem confessiones in urbe Centumcellarum absque approbatione Ordinarii Viterbiensis : *Viterbien.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 18 *april.* 1722.

23. Regulares confessarii monialium, quæ iisdem sunt subjectæ, habitare nequeunt in mansionibus sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis, et quæ sunt contigua monasteriis, et habent

[647] Viginti sunt casus reservati in Bulla die *Cœnæ Domini* legi solita, relati a Bened. XIV. Const. *Pastoralis*, 30 martii 1741. *Bull. ejusd.* tom. 1, num. 15. Sex autem casus reservati in decreto *Sanctissimus* Clementis VIII, 25 maii 1593, relato a Guerra in *Epist. Bull.* tom. 4, pag. 10.

[648] Vide not. seq. 649.

[649] Ex Concil. Trid. sess. 14, *de Sacram. pœnit.* cap. 7, et can. *II.* Inquit autem ipsa Synodus cit. cap. 7, quod « nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt. » Quæ verba cum pateant amplissime, ac nullum sacerdotem excipiant, omnibus fere scriptoribus juris canonici argumento sunt, quod, urgente necessitate, absolvere possit quivis sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus, degradatus, hæreticus, modo absit publica offensio, et periculum subversionis. Graviter, et copiose in hoc argumenti genere versatur Carolus Blaschus, diss. 2, *de Pœniten.* Verum extra mortis periculum, nemo sine Episcopi venia absolvere quemquam potest a casibus reservatis Sedi Apostolicæ facultatem obtinuerit. *Et habentes*, inquit Clem. X, Const. *Superna* 10, § 7, p. 32, tom. 7, *Bull. Rom.* ult. edit. *facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere.*

[650] Verum quoad duas ultimas resolutiones hodie attendi debet novissima dispositio Bened. XIV, in sua Constitutione quæ incipit *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745 (*Bull.* tom. 16, pag. 279) qua confirmavit ac explicavit aliam suam Const. incip. *Sacramentum pœnitentiæ*, cal. junii 1741. Qua de causa hodie confessarii quicumque, sive seculares, sive regulares nequeunt absolvere suos complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius confessarii, aliter audentes illos absolvere incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, et tales confessiones sunt invalidæ, irritæ, ac nullius valoris.

januam, quæ juxta prohitionem [651] Alexandri VII, Pont. Max , clauditur : *Ulissiponen.*, *Occidentalis,* 17 *sept.* 1722, *dub.* 1.

24. Dubio exhibito, an confessarii, sive ordinarius, sive extraordinarius, ingredi possint monasterium absque ulla limitatione servatis servandis, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quæ pro sua devotione confiteri cupiat? respondit S. C. ut uniantur decreta [652] : *Mazarien.* 10 *maii* 1727, *dub.* 3 Inde S. C. dicto dubio responsum servatis servandis affirmativum præbuit : 5 *julii ejusd. anni.*

25. Disquiritur qui, vel quæ personæ, comitari debeant confessarium monialium monasteriorum SS. Mariæ, et Aureliani, et S. Mariæ Theodotæ, quæ abbati ordinis S. Benedicti sunt subjecta, in casibus administrandi sacramenta monialibus infirmis, et commendandi animas?

26. Et petitum ulterius quum fuisset, an exceptis dictis casibus administrationis sacramentorum, et commendationis animarum possit dictus confessarius ingredi intra septa præfatorum monasteriorum? responsum exiit, servandam esse omnino in omnibus Constitutionem Alexandri VII, Sum. Pont., incipientem *Felici* [653] : *Papien.* 16 *martii* 1743, *dub.* 7 et 8.

27. Judicium interposuit S. C. esse in potestate Episcopi in approbatione regularium confessariorum limitare eorumdem facultates non solum, quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca in quibus confessiones audire debent : *Olomucen.*, *Jurisdict.*, 7 *junii* 1755. *dub.* 4, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

28. Sacerdotes seculares, vel regulares alienæ diœcesis etiam proprio Ordinario probati audire possunt confessiones personarum secularium de licentia P. prioris, seu abbatis monasterii S. Honuphri nuncupati *di Massa diruta* nullius diœcesis : *Caputaquen. Jurisdict.*, 11 *decem.* 1756, 13 *martii* 1762.

Confessio sacramentalis. Vide *Sacramentum pœnitentiæ.*

Confirmatio. V. *Abbatissa*, § II ; *Administrator*, § I ; *Alienatio*, § II ; *Applicatio*, § II ; *Contractus*, § VI.

Confirmationis sacramentum. Vide *Sacramentum confirmationis.*

Confraternitas laicorum. Vide *Sodalitium.*

CONGREGATIO CASUUM CONSCIENTIÆ.

§ I.

Congregatio Casuum conscientiæ.

1. Ad dubium, an sub edicto, quod omnes confessarii seculares teneantur interesse disputationi casuum conscientiæ, bis in mense fieri solitæ, sub pœna suspensionis ab exercitio confessionis per mensem, possint comprehendi etiam confessarii regulares, et an canonicos, aliosque sacerdotes sub alia mitiori pœna compellere liceat ad interveniendum dictæ disputationi stante quod paucissimi sint parochi, et confessarii seculares, qui in dicto edicto comprehendantur? respondit S. C. canonicos, aliosque sacerdotes non confessores, necnon confessarios regulares non posse compelli, ut ad conferentias casuum conscientiæ accedant, confessarios vero seculares posse : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum,* 10 *martii* 1663, *dub.* 10.

2. Episcopus exponit in urbe Forosempronii duo adesse regularium cœnobia, unum scilicet Minorum conventualium S. Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum religiosorum numerum inibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex decreto Innocentii X, Sum. Pont., incipien. *Ut in parvis* [654] : et licet dicti re-

[651] Vide not. 640.

[652] Hæc ad calcem folii diei 5 julii 1727 in eadem causa secretarius S. C. adnotavit : *Thesaur. resolut.* tom. 4.

[653] 10 octob. 1664 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 6, pag. 51.) quæ § 5, decernit : « Ad hæc confessor sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii nisi ad sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatæ vitæ, et maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre, et ab ipso videri semper possit ».

[654] Die 10 febr. 1654 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 3, pag. 270) quo decretum Concilii Trid. sess. 7, cap. 8, sess. 21, cap. 8, *de Reform.* mandans Episcopis, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, ut singulis annis visitent monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, extenditur ad omnes regulares, quorum conventus nunquam suppressi, fundati fuerum intra Italiam, et insulas adjacentes ante decretum Urbani VIII, *Cum sæpe* (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 335), nempe ante diem 21 junii 1625, hos, personasque tam regulares, quam seculares in ipsis degentes subjiciendo visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, si ibi actu non alantur saltem

ligiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis secularium confessiones, eodem Ordinario annuente, excipiunt, ad Congregationem casuum conscientiæ, quæ singulis mensibus habetur, cuique confessarii omnes intersunt, accedere renuunt; quocirca petiit declarari, an prædictos confessarios regulares cogere possit ad interveniendum præfatæ Congregationi casuum conscientiæ? S. C. negativum dedit responsum: *Foro-Sempronii*, 12 *maii* 1685.

3. Dubio proposito, an Episcopus possit impellere canonicos, et confessarios, ceterosque presbyteros cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accedant ad Congregationen casuum conscientiæ? rescriptum fuit, posse compellere omnes sacerdotes seculares confessarios; etiamsi sint canonici; ceteros vero non posse adigere, sed hortari: *Civitatis Plebis Conferentiæ casuum*, 15 *maii* 1692, *dub.* 2.

4. Quum actum fuisset de synodali decreto, quo cautum erat, ut Congregationibus conscientiæ casuum interessent sacerdotes cujuscumque conditionis, curati, œconomi, confessarii, clericique omnes in sacris constituti sub pœna juliorum trium locis piis applicanda, ac reclamationibus dignitatibus, et ecclesiæ cathedralis canonicis examinatum fuisset, an cogi ii possent? S. C. respondit dandum esse decretum in *Civitatis Plebis* causa [655]: *Ariminen.*, *Conferent. casuum conscien.*, 18 *julii* 1699.

5. Omnes ecclesiasticos esse cogendos ad interveniendum Congregationi, et discutionibus ad forum conscientiæ spectantibus, juxta decretum Synodi ab Episcopo Larinensi anno 1728 coactæ, præterquam clericos, nondum sacris initiatos S. C. declaravit: *Larinen.*, *Decretorum synodalium*, 30 *aug.* 1732, *dub.* 1, quum antea dixerit ad mentem, 9 *febr. ejusd. anni.*

6. Episcopum Aquipendii, in cujus diœcesi viget laudabilis mos habendi conferentias, sive congregationes pro disceptandis casibus conscientiæ, cui interveniunt parochi, et sacerdotes, quibus fidelium sacramentales confessiones commissæ sunt, regularibus, qui pauci in conventibus existunt, injungere nequire, ut intersint dictis congregationibus casuum conscientiæ, et dari decretum *in Forosempronien*, 12 *maii* 1685 [656], rescriptum est: *Aquipendii, Visitat. sacr. Liminum*, 12 *martii* 1718.

7. Felix de Soda presbyter Insulanus tanquam unicus syndicus apostolicus PP. Minor. observ. S. Francisci esse exemptum ab Ordinarii jurisdictione prætendit; et exhibito dubio, an is potuerit cogi ad interveniendum congregationi casuum conscientiæ, etiam sub pœna? rescribitur, ut darentur decreta [657]: *Insulana, Exempt.*, 29 *martii* 1710, *dub* 3.

8. Occasione controversiarum, quæ exarserunt inter capitulum parochialis ecclesiæ S. Nicolai in collegiatam erectæ, et beneficiatos curatos hebdomadarios deputatos, Episcopus mandavit, ut in collationibus habendis de moralibus quæstionibus, si præsideat regens, proximum ab eo locum occupet curatus, reliquæ vero sedes sint communes, tam canonicis quam ecclesiasticis indiscriminatim. Sed S. C. consulta minime hoc decretum validum esse statuit: *Oriolen.*, *Decret.*, 23 *januar.* 1734, *dub* 9.

§ II.

Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et regularium præposita [658].

1. De controversiis quoad mulieres tertiarias, earumque privilegia natis servandum esse decre-

sex religiosi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor sint sacerdotes maturæ ætatis (40 nempe annorum completorum) sicut et conventus erectos post dictam diem, in quibus degunt religiosi minori numero, quam duodecim. « At quod » (ait Ferrari *Biblioth.* verb. *Conventus*, art. 2, in addit. num. 7, tom. 2, pag. 231,) « concernit conventus fundatos post toties memorata decreta, eosque præsertim, qui a principio non habuerunt duodecim religiosos, tuto affirmari haud potest, subesse ipsos delegatæ Episcopi jurisdictioni: idque quia minime in iis dictum fuit, quod subjecti ipsi sint Episcopo uti delegato Apostolicæ Sedis, sed postquam jussum fuit, ut non fundentur conventus, nisi reditus habeant sufficientes sustentationi duodecim Religiosorum, subditum fuit: *Alioqui monasteria, et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur* ».

655 Vide num. 3, præsenti §.

656 Vide num. 2, præsenti §.

657 Vide num. 5, et 4 præsenti §.

658 Inter Congregationes pontificias celebriores jure optime reputatur *S. Congregatio S. R. E. Card. negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præposita*, tum ob multitudinem, tum ob gravitatem causarum, quæ in hac Congreg. ferme quotidie occurrunt, quam proinde Card. de Luca disc. 16, *Relat. Rom. cur.* tom. 15, part. 2, num. 23 dicere « occupatissimam, atque in negotiorum multitudine omnium majorem ob faciles recursus, querelas, et contentiones » non veretur. Hujus Congreg. auctor fuit Sixtus V. Const. *Immensa*, 22 januar. 1588, §§ *Congreg. undecima, et duodecima* (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 397, seq.) ubi binas Congreg. instituit tum super consultationibus Episcoporum, et aliorum Prælatorum, in qua monet Episcopos §. 1, Summus Pontifex hisce verbis: « Quare, ut Apostolica Sede, a qua tanquam a matre honorem, et jurisdictionem

tum S. C. Episcop. et regul. [659] desuper editum: S. C declaravit: *Stagnen.* 7 *dec.* 1620, *dub* 2.

2. Necnon prædictam S. Congregationem in hujusmodi dubiis adeundam esse [660]: S. C. censuit: *Ibid.*, *dub.* 7.

3. Arbitrio S. C. Episcop. et regular. [661]: examen committitur quoad societates, hospitalia, aliaque pia loca, quæ dotes debitas pro collocandis nuptui puellas non solvunt, nec alias obligationes perfuncti sunt. *Civitatis Castellanæ*, 26 *aug.* 1628, *dub.* 4.

acceperunt sibi, cum opus erit, auxilium, præsidiumque paratum esse, intelligant, ut greges suos tanto fructuosius pascant, quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum, et aliorum Prælatorum consultationibus audiendis. » tum super consultationibus regularium declarando: « Nec sane minus de regularium ordinibus solliciti sumus, qui Ecclesiæ Dei magnum adjumentum, atque ornamentum omni tempore præstiterunt, immo vero summopere cupientes, eorum salutaria studia, progressusque ad pietatem promovere, qui e fluctibus sæculi in portum regularis vitæ confugerunt, ob eam causam, ut remotis impedimentis, et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi religionis jugo, et suorum institutorum observantia quiete vivant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant. »

Cum ergo duplex hæc Congreg. in unum redacta sit, recte inquit idem Card. de Luca in ***Relat. rom. cur.*** disc. 16. cit. num. 3, quod hæc Congreg. duo peragat negotiorum genera, scilicet Episcoporum, et regularium, « quæ propterea (ait idem) quoad negotia curialia fori ecclesiastici, quæ non concernunt fidem, sed ad christianæ reipublicæ regimen spirituale pertineant videtur, ***omnium major***, ideoque ***majorem*** habere solet numerum Cardinalium ob majorem negotiorum multiplicitatem. » Hinc duo sunt genera rerum, causarumque, quæ ad hanc Congreg. pertinent, et exhibet ipsa cit. Constitutio: hæc Congregatio petitiones audit Episcoporum, Prælatorum quorumcumque etiam inferiorum, controversias, quæstiones, ecclesiarum causas, earumque dignitatis, jurisdictionis, exemptionis, immunitatis, jurium, privilegiorum, et laudabilium consuetudinum cognoscit, ex officio componit: item capitula, aut dignitates obtinentes, aliasque personas, et universitates examinat, ac amicabiliter desuper transigit. Deinde quoad regulares quoscumque etiam moniales, omnibus controversiis, dubitationibus, et consultationibus satisfacit; causas, quæ oriri inter ipsos religiosos cujuscumque ordinis superiores solent, definit, atque terminat; sed Congregatio audit, et decidit causas vertentes inter ordines prædictos, sive in universum, sive ratione particularium locorum, dummodo formam judiciariam non requirant: dare potest licentiam ad parem, vel ad arctiorem religionem transeundi. Causas ejectorum, apostatarum, et degentium extra monasteria, vel vagantium cognoscit, eosque coercendi habet potestatem. Curat exequutionem decretorum Visitationis apostolicæ, et Constitutionum Romanorum Pontificum circa regulares editarum. Excipiuntur tamen causæ quæ directe fidei quæstiones concernunt, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini exigunt. In reliquis enim licet adsit Congregatio Concilii, attamen de nonnullis quæ pertinent ad exequutionem, vel observantiam ejusdem Concilii, ejusque decretorum cognoscit; sicut etiam agit de controversiis, super præcedentiis, aliisque ecclesiasticis, præeminentiis, inter clericos sæculares et regulares, et etiam super nonnullis, quæ prætendunt laici in functionibus ecclesiasticis, et in his cumulativam habet cum S. Cong. Rituum.

Forma judiciorum hujus Congreg. non est solemnis, sed simplex, et summaria; sola inspecta rei veritate, et admissis probationibus necessariis. Stylus autem est, quod lecto libello exhibito, mittitur epistola familiaris subscripta a Card. præfecto, et secretario nomine S. C. ad Episcopum, vel alium superiorem cum copia porrecti a gravato libelli, ut de re proposita S. C. informet. Accepta informatione, si ea non discrepet in facto ab iis, quæ narravit gravatus, proponitur negotium in Congr., eoque discusso fertur sententia, pro cujus exequutione dantur pariter litteræ familiares ad Episcopum, vel superiorem directæ. In causis regulares concernentibus, si una pars reluctetur, non immiscet se Congreg., sed eas ad Ordinarios eorum judices remittit, excepto regulari gravato a suo superiore regulari, quem audire debet sacra Congreg. In controversia vero contentiosa, quæ processum, et telam judiciariam exigit, deputatur aliquis Card., qui ***Ponens*** dicitur: hic causa ponderata breviter, et clare in Congreg. proponit, ut, quod æquitati, ac justitiæ consonum est, statui possit.

Vocatur hæc Congreg. ***Cardinalitia***, quia ex meris Cardinalibus constituitur, excepto secretario, qui est præsul. Celebratur Congregatio semel in hebdomada singulis diebus veneris, nisi dies sit impedita. Olim celebrari solebat in palatio Card. senioris, modo in palatio apostolico, ubi pro tempore Pontifex moratur.

[659] 20 decem. 1616, quo cautum est § 2, ut privilegia tertii ordinis gaudent illæ mulieres, qui virginalem seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, et sub habitu vitam traduxerint. Hinc Ferraris in *Biblioth. Canon.* ubi refert dictum S. C. Episc. et regul. decretum verb. *Tertiariæ*, num. 3, tom. 7, pag. 192, ait num. 5: « Item ex suprapositis clare patet, quod solæ illæ tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis, et exemptione, quæ virginalem, seu cœlibem aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis aut suorum consanguineorum, vel affinium facto tamen prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cœlibem, aut castitatem vidualem sub habitu, et regula proprii ordinis. » Quoad primas explorata res est, privilegiis tertii ordinis minime frui etiam illas, quæ votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparint, et clausuram sancte, religioseque custodiant. Quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore Const. Leonis X, quarum altera incipit ***Dum intra***, 19 decem. 1516 (*Bull. Rom.* tom. 3, part. 3, pag. 447), altera incipit ***Nuper***, 1 martii 1518 *Bull. Rom.* ibid. pag. 449), ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a S. Pio V Const. ***Circa Pastoralis officii***, 29 maii 1566 (*Bull. Rom.* tom. 4, pag. 3, pag. 292), in qua districtius cautum est, ne tertiaria, quæ vota solemnia non emittunt, et clausuræ lege obstrictæ non sunt, usquam collegialiter vivere liceat; quod etiam a Gregor. XIII plane confirmatum est Const. ***Deo sacris virginibus***, 30 decem. 1572 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 244).

[660] Hæc enim S. Congregatio est competens tribunal quoad causas, quæ mulieres tertiarias respiciunt.

[661] Hæc enim habet facultatem adigendi loca pia, ut justa reddant.

4. Circa monalium numerum, earum vitam communem, dotiumque tenuitatem tractatio commendatur arbitrio S. Congr. negotiis Episcop. et regular. præpositæ [662]: *Eugubina*, 12 *novem.* 1633, *dub.* 2.

5. S. C. injunxit Card. Ginnetto præfecto S. Congr. Episcop. et regular. præsenti, ne in dicta Congregatione in futurum expediatur facultates alienationum, hypothecarum, locationum, aliorumque contentorum in decreto de rebus regularium non alienandis: quia hæc facultas privative ad S. C. Concilii spectat: *Regularium*, 9 *Novem.* 1647.

6. Definitio dubii, an confessarius regularis ordinis S. Francisci strictioris observantiæ possit cum socio permanere de die et de nocte in hospitio contiguo monasterio monialium S. Claræ exempto a jurisdictione Ordinarii ad effectum audiendi confessiones monialium stante quod monasterium eorumdem regularium distet a civitate, ubi est monialium monasterium; et an confessarius idem possit etiam noctu retinere claves ecclesiæ dicti monasterii; ita ut ad libitum etiam per noctem possit in ea ingredi? arbitrio S. Congr. Episcop. et regular. [663] mandatur: *Urbinaten., Visitat. sacr. Liminum,* 10 *martii* 1663, *dub.* 14.

7. Etiam alterius dubii declaratio, an in præscribendo monasteriis numero monialium juxta facultates cujuscumque monasterii sint computandæ omnes moniales existentes in monasteriis de tempore præfixionis numeri, et donec supersint moniales, quæ impleant præfixum numerum, non possint recipi aliæ moniales cum dote ordinaria sed cum dote supernumeraria? ad S. Congr. Episcop. et regular. [664] remittitur: *Ibid.*, *dub.* 10.

8. Quæsitum quum esset ab Episcopo Maceratæ quomodo curæ temporali, ac spirituali monasteriorum monialium suæ diœcesis providere possit? S.C. respondit hanc petitionem remittendam esse ad S. Congr. Episcop. et regul. [665]: *Maceraten.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 26 *april.* 1664, *dub.* 1, 2, 3, et 4.

9. Idem Episcopus etiam proponit, ut declaretur, an canonici ii, in quibus ordo contigerit, si absint, non solum punctentur, sed mulctentur præ aliis diebus, in quibus nisi accedant sola punctatione notantur? S. C. injunxit secretario, ut oretenus insinuet Episcopo, ut declarationem alias editam a Congreg. Episcop. et regular. [666] exquirat: *Ibid.*, *dub.* 9.

10. Decretum a S. Congr. Episcop. et regular. de canonicis Lateranensibus diei 18 martii 1671 [667] emanatum servandum est etiam quoad canonicos regulares, qui vulgo *Scopettini* nuncupantur, ita ut dicti canonici non possunt admitti ad exercendam curam animarum in parochiali ecclesia de eorum jurepatronatus absque dispensatione apostolica: *Florentina*, 18 *julii* 1676.

11. Propositio dubio, an parochis secularibus debeatur præcedentia in choro regulari in Missis, et officiis mortuorum, vel occasione aliarum functionum in ecclesiis dictorum regularium? S. C. respondit quoad mortuaria dari decreta S. Congr. Episcop. et regular., necnon a S. Congr. Rituum edita tenoris seq. [668]: *Insularum Canariæ Jurisdict.*, 13 *novem.* 1694, *dub.* 2.

[662] Huic Congreg. curæ est hujusmodi negotiis prospicere.

[663] Habitatio confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta, seu contigua monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed etiam per tecta; S. C. Episc. *in Arimin.* 22 jan. 1576, 19 aug. 1578, 2 jan. 1579 et 22 jan. 1593, et in aliis, et S. C. Concilii in *Ulixbon. Occid.* 10 sept. 1722 decrevit, quod confessarii monialium non possint habitare in atriis monasteriorum muro circumvallatis contiguis monasteriis, et habentibus portam, quæ clauditur.

[664] Nam hæc S. C. jam antea decreverat pro monialibus supranumerariis solvi dotem duplicatam, *in Novarien*, 20 sept. 1594 et *in Volaterrana*, 22 aug. 1605.

[665] Monialium regimen, quod præsentem custodiam postulat, totum est permissum Episcopis, vel ut Ordinariis, Sedis Apostolicæ delegatis, si monasteria exempta sunt, et Sedi Apostolicæ immédiate subjecta, nisi vel a certis capitulis, vel ab aliis regularibus gubernentur. Verum in his quoque monasteriis Episcopo una cum regulari superiore quovis anno reddenda est gestæ administrationis ratio.

[666] Expresse S. C. Concilii in causa *Jadren* vulgo *Zara*, 17 sept. 1610, decrevit « non inservientes ecclesiæ, nec divinis interessentes præter amissionem distributionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per mulctas pecuniarias, atque alio juris remedio compelli. »

[667] Vide not. 240, verb. *Canonicus* § 7.

[668] Nempe: Catanzano al Vescovo. Se nella citta di Taverna diœcesi di VS. non c e consuetudine chiara, e da tutti equalmente ricevuta, che audando i preti alle chiesa de regolari in occasione di accompagnare i defonti tengano i preti il primo luogo, cantino il primo verso o habbino simili prerogative, facci VS., che in cio si osservi lo stile di Roma, quale e, che quando li preti vanno alle chiese de regolari in simile occasione lasciano a regolari il carico di cantare l'offizio funerale, e li cedon anche il primo luogo, sebene volendo i preti possono dimorare nelle loro chiese, et assistere all'esequie del defonto. Pertanto s'informi VS. della consuetudine udite le parti, e poi referisca, o essequisca con prontezza la mente di questi Illmi Sig. e Nro Sig. la feliciti: Roma 8, Magg. 1595. *Sulmonen.* Fratres conventuales S. Francisci loci Populei Sulmonen. diœcesis conquesti sunt de archipresbytero loci prohibente ipsos vocatos ad funus associare cadaver cum eorum propria cruce, psalmosque decantare solitos canere. Item quod dictus archipresbyter velit officium facere super cadaveribus, quæ sepeliuntur in ecclesia

12. Ad S. Congr. Episcop. et regular. remittitur definitio dubii; an præposito ecclesiæ cathedralis habens cumulativum cum Episcopo, potestatem scilicet punienti capitulares in causis gravioribus, liceat exercere munus vicarii generalis, ad quod Episcopus assumpsit? *Anagnina*, 17 *april.* 1706, *dub.* 2.

13. Ad restituendam regularem observantiam collapsam in monasterio S. Androchii ordinis S. Benedicti illius moniales coadjutricem Mariæ de la Beaume abbatissæ Dionysiam de Pernes monialem 50 annorum cum futura successione, etiam invita dicta Maria ætatis annorum 80 reservata pensione librar. 600 Turonensium, deputari efflagitarunt. Sed S. C. ut expectetur exitus causæ in S. Congr. Episcop. et regular. [669] mandavit: *Enduen.*, *Coadjutoriæ*, 21 *aug.* 1706.

14. Dubio, an competat Episcopo Rubensi jus exigendi, seu percipiendi quartam portionem punctaturarum, quæ fiunt in anno in ecclesia cathedrali? et quatenus affirmative,

15. An eadem portio debeatur dicto Episcopo proportione punctaturarum, quæ fiunt, vel in quantitate certa? deferuntur ad S. Congr. Episcop. et regul. [670]: *Ruben.*, *Punctat.*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 3 et 4.

16. Volens Episcopus Castaniæ consulere servitio chori ecclesiæ suæ cathedralis in visitatione anni 1705 decretum edidit sub pœna unius ducati pauperibus applicandi, ut omnes canonici servire tenerentur omnibus diebus dominicis, et festis de præcepto totoque Adventus, Quadragesimæ, et octavæ Corporis Christi tempore, aliisque vero diebus, saltem pars eorum dimidia. Ab hoc decreto canonici reclamarunt ob prætensam consuetudinem sese esse gravatos putantes. Sed S. C. servari decretum Episcopi mandavit, confirmavitque; postmodum vero recessit a decisis, et servari decretum S. C. Episcop. et Regular. diei 26. sept. 1596 [671], et quoad pœnam servari solitum ecclesiæ judicavit: *Castellaneten.*, *Servitii chori*, 16 *maii*, 1709.

17. Postulavit abbas monasterii in Waldsasuen, ordinis Cisterciensium, an ipsi sit liberum collapsam prioralem domum in urbe Tursenreut a fundamentis pro uberiori animarum beneficio extruere? S. C. rem definiendam ad S. Congr. Episcop. et regular. [672] remisit: *Ratisbonen.*, *Juris deput. vicar.*, 28 *julii* 1713, *dub.* 3.

18. Voluit S. C., ut litis agitatæ in S. Congr. Episcop. et regular. exitus expectaretur, antequam quæstio definiatur, an possint, scilicet, presbyteri participantes ecclesiæ collegiatæ, et acceptitiæ parochialis S. Mariæ Collis terræ Peschi Constantii exigere pro jure sepulturæ, quando in aliena ecclesia incolarum parœciæ cadavera tumulantur? *Nullius, seu Montis Cassini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 14.

19. Disceptationem dubii, an aliquid exigi possit ab Episcopo in causam, et pro labore redditionis rationum, seu librorum recognitionis, quoad reditus, ac bona ecclesiæ S. Nicolai, et S. Stephani, et congregationis presbyterorum, quæ capitulum vocatur? ad S. Congr. Episcop. et regul. [673] remisit S. C. *Piscien.*, 21 *julii* 1755, *dub* 2.

20. Decretum S. Congr. Episcop. et regul. 8 april. 1672 [674] servari mandavit S. C. quoad Episcopum, qui quartam funebrem ab ecclesiis tu-

propria ipsorum regularium, supplicantes provideri. Et S. C. quoad associationem cadaverum, quando vocantur ad funus cum decantatione psalmorum respondit. Non posse regulares impediri, dummodo incedant sine cruce, quia in funeribus unica tantum crux est deferenda, et illa debet esse illius ecclesiæ, ad quam funus defertur. Quo vero ad officium fieri debere per regulares, in quorum ecclesiis cadavera tumulari debent, et ita servari mandavit die 18 aug. 1620, *Rel.* lib 41, *Decret.* fol. 565. Ceterum præcedentia semper debetur clero seculari super regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis: ex cap. *Alio* 6 caus. 16, quæst. 1, cum similibus, et ex S. Cong. Rituum in *Firmana*, *Terræ sanctæ Victoriæ*, 31 martii 1618. Hoc tamen procedit, quando uterque intervenit tamquam personæ de ordine, et hierarchia ecclesiastica in genere, inter se coæquales, secus autem ubi parochus, et clerus regularis intervenit tanquam repræsentans ecclesiam superiorem, nempe cathedralem, aut matricem hoc enim in casu decrevit S. C. Rituum 27 febr. 1725, dub. 2, parochum nempe regularem ecclesiæ matricis præcedere debere seculari in functionibus ecclesiasticis. Hanc rem diserte expendit Franciscus Maria Pitonius discep. 57, num. 14 et seqq.

669 Vide not. 46, verb. *Abbatiosa*, § 2.

670 Episcopus jure decretalium habet portionem canonicam, scilicet quartam partem earum, quæ ecclesiæ, aut alio pio relinquuntur, cap. 14, *de Testam.* Sed hodie fere ubique hæc portio consuetudine sublata est, cum non amplius Episcopi gravi premantur inopia; cujus gratia initio ea concessa fuit. Si qua tamen regio est, in qua portio canonica adhuc obtinet, non eam pendunt pia legata, quæ pro anniversario, pro ecclesiæ fabrica, cæterisque similibus relicta sunt ex cap. 20, *de Testam.*

671 Vide not. 469, verb. *Concursus*, § 3.

672 Ad quam spectat jura regularium examinare.

673 Examen in hoc dubio est instituendum quo jure Episcopus aliquid præter synodaticum, sive cathedraticum procurationem, quartum funerum, decimationem, et cetera exigere potest.

674 Quo idem jus Episcopo tributum fuit, quod jam ille habebat vigore immemorabilis observantiæ, ac laudi seu concordiæ inter capitulum ecclesiarum cathedralis et collegiatæ S. Nicolai initæ, cui accedit res judicata, uti constat ex decreto a S. C. Episcop. et regular. cit. anno 1672 emanato.

mulantibus percipiendi jus habere asserit : *Andrien.*, 19 *sept.* 1767, *dub.* 11.

21. Rescriptum S. C. die 19 februar. 1791 impetratum a sacerdote Philippo Adami patrono cujusdam beneficii simplicis in ecclesia parochiali S. Georgii Portus Firmi fundati pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim ad tertiam generationem, non esse exequendum deliberavit S. C. ob silentio prætermissam S. Congr. Episcop. et regul. repulsam super eodem negotio, juxta notissimum Innocentii decretum [675]; et liberum esse rectori beneficii utendi jure suo in eadem S. Congr. Episcop. et regular. præventa : *Firmana, Emphyteusis,* 21 *julii* 1792.

§ III.

Congregatio super immunitate ecclesiastica, et controversiis jurisdictionalibus [676].

1. Postulatum quoad Balivum sine Episcopi confirmatione jurisdictionem exercentem S. Congr. super controversiis jurisdictionalibus arbitrio committitur : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 5.

2. Pro tuenda immunitate ecclesiastica valde conculcata petiit, ac obtinuit Episcopus Maceratæ declarari, non posse directe, neque indirecte ecclesiasticos impedire, quominus vendant, et extrahant; non autem ex statu ecclesiæ, neque mari, frumenta, aliosque suos proventus.

3. Neque posse exactores camerales exequutiones reales, et personales facere in ecclesiasticos absque Episcopi facultate, et licentia.

4. Inde postulat idem Episcopus, ut a temporali superiorum, sub gubernatorum satellitum capitaneo detur una vice pro cunctis licentia, ut requisitus de brachio seculari suum præbeat officium absque alia licentiæ petitione; et sine causæ significatione ab Ordinario facienda. Petitio remittitur definienda ad S. Congr. super controversiis jurisdictionalibus : *Maceraten., Visitat. sacr. Liminum,* 26 *april.* 1664, *dub.* 14, 15, 16 et 17.

5. De depositionibus degentium in xenodochiis quæ a seculari judicio requiruntur, habendis, recurrendum esse ad S. Congr. Immunitatis pro licentia censuit S. C. : *Nicien., ad Visitat. sacr. Liminum,* 6 *aug.* 1677, *dub.* 11.

[675] Incipien. *Ut occurratur,* 4 junii 1692 renovatum a Clemente, Pont. Max., XIII, die 15 april. 1768. Vide de hac re introductionem hujus operis § VII.

[676] Hic non loquimur de immunitate ecclesiastica, quæ dividitur in localem realem, et personalem : 1. quæ convenit ecclesiis, aliisque locis piis, seu religiosis : 2. rebus ecclesiasticis, id est bonis ad ecclesias, vel personas ecclesiasticas pertinentibus : 3. personis ecclesiasticis. Nam immunitas realis et personalis ex variis sacris Canonibus, et a Concilio Trid. sess. 25, cap. 10, *de Reform.*, expresse asseritur Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam esse; quia ea colligitur ex pluribus sacræ Scripturæ locis. Localis vero immunitas solum competit ecclesiis, aliisque piis locis de jure humano, tum civili tum canonico ; et hinc rem diserte perpendit Cl. P. Franciscus Xaverius Zech in luculenta *de Jure asyli ecclesiastici* dissertatione Ingolstadii edita an. 1781, et ab Antonio Schmidt recusa tom. 5, *Thesauri jur. Eccl.* pag. 284, qua cap. 118, leges imperatorum circa jus asyli ecclesiastici a Constantino Magno percenset ad Manuelem Comnenum : his deinde subjungit leges latas a regibus Francorum, a veteribus Germanis, Anglis, Visigothis in Hispania, et Gothis in Italia : et cap. 4, ecclesiasticas de asylo leges operose indicat, illustratque a seculo ecclesiæ IV ad XVIII. Sed hic sermo erit tantum de erectione S. Congr. super Immunitate ecclesiastica, et controversiis jurisdictionalibus præposita. Hanc instituit Urbanus VIII, Pont. Max., incertum an vivæ vocis oraculo, an per litteras in forma brevis, an per decretum consistoriale : an demum per constitutionem aliquam, quæ in Bullario non comprehendatur. Occasio hujus institutionis fuit multiplicitas controversiarum, et gravissimarum, quæ quotidie cum personis secularibus oriebantur, et diversitas circumstantiarum singulorum casuum, dubiorum, de quibus non facile certum ferri potest judicium.

Munus ergo hujus Congregationis proprium, præcipuum est protegere, et defendere jurisditionem, et immunitatem ecclesiasticam, tam personalem, quam localem, et realem, ne hæc violetur, aut illa usurpetur a magistratibus, vel communitatibus secularibus, neve a vectigalium, aliorumque onerum localium exactoribus gravetur. In his vero juribus, ac immunitatibus tuendis, ut refert Card. de Luca disc. 17, *Rel. Rom. Cur.* et disc. 3, num. 1. *Miscell. Eccl.* negotium illius consistit.

Congregationem hanc Cardinales, et Prælati plerumque ex Rotæ, ac Cameræ auditoribus, quorum quatuor videntur stabiles, constituunt. Bis in mense feria tertia celebratur hæc in palatio pontificio. Præsidet illi Cardinalis præfectus, qui sigillum asservat. Omnia, ut in aliis Congregationibus, gratis hic expediuntur, et proceditur in forma extrajudiciali sine processibus.

Cognoscit vero hæc Congregatio de causis jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticæ privative ; ideoque per ejus decreta a Summis Pontificibus comprobata, inhibitum est Metropolitanis, ac nuntiis apostolicis, aliisque judicibus appellationes, vel recursus ab Ordinariis locorum recipere, et inhibitiones concedere, vel impedimenta præstare. De Luca *cit. Relat. Rom. Cur.* disc. 17.

Plurimas Summi Pontifices ad tuendam, conservandamque immunitatem ecclesiasticam, et in controversiis jurisdictionalibus constitutiones ediderunt, quas summarie Guerra in *Epitome Bull. Rom.* tom. 3, pag. 69, seqq., recenset. Plura super hac Congregatione videri potest in cit. Card. de Luca disc. 19, num. 14 et 15, in Schmier *Jus canon. uni.* lib. 1, tract. 5, cap. 2, sect. 4, pag. 527, edit. Salisburg. 1716, et Plettenberg in *Notit. Congreg.* cap. 20, num. 2, Petrus Andreas Ricci autem edidit *Synopsim complectentem decreta, et resolutiones S. Congr. Immunitatis super controversiis jurisdictionalibus in-8, Taurini* 1719.

Congregatio presbyterorum secularium. Vide *Communitas ecclesiastica seu presbyterorum.*

§ IV.

Congregatio de Propaganda fide [677].

Misnensis episcopatus ab hæreticis occupatus fuit, illiusque administratio, et ecclesiastica jurisdictio in catholicos, qui in utraque Lusatia super erant, capitulo Budissimo, qui vice episcopum elegit, tributa fuit. Sed abbas monasterii Neo-Cellellensis episcopalia jura, et simul parochialia sibi vindicavit, et ea in detrimentum ecclesiæ Misnensis hactenus exercet. Hinc ille conquestus fuit contra abbatem apud nuntios apostolicos, inde proposita fuerunt dubia nonnulla in S. C., quæ definienda ad S. Congr. de Propaganda fide [678] commisit S. C.: *Misnen*, *Jurisdict.*, 16 *januar.* 1745.

§ V.

Congregatio sacrorum Rituum [679].

1. Adeundam esse S. Congr. Rituum [680] quoad causas præcedentiæ S. C. censuit: *Aquilana*, 5 *feb.* 1604, *dub.* 5.

2. Episcopus Bobiensis consuluit S. C., et præ-

[677] Pro universalis ecclesiæ regimine præter Consistorium institutæ sunt nonnullæ Congregationes Cardinalium, quæ ignotæ fuerunt antiquis scriptoribus, utpote postea ab eodem Cardinalium collegio erectæ: quod declarat Card. Paleotus *de Sacri Consistorii consul.* part. 5, quæst. 40, qui ait: « Congregationes Cardinalium, quas Summi Pontifices, et præsertim Sixtus V, ad causarum difficultates ipsius auctoritate cognoscendas, et definiendas instituerunt, esse tanquam filias Consistorii, ab eo veluti fonte promanantes. Et quemadmodum sol non solum ipse lucet, verum etiam stellis lumen impertitur, quo et cœlum ornant, et illuminant orbem universum; sic Summum Pontificem, non suis decretis modo ecclesiam per seipsum docere, et moderari, verum etiam ita Cardinales sua tum auctoritate fulcire, tum potestate augere, ut sociatis laboribus facile omnes difficultatum nodos dissolvant. » Et primum ex monumentis ecclesiasticis colligitur, ex sacro senatu duas instituisse S. Pium V, 10 kal. aug. Congregationes, unam de reducendis hæreticis (de qua vide not. 703); alteram, in qua de convertendis gentilibus ageretur; quod observat Jacobus Laderchius Baronii, Raynaldique Annalium ecclesiasticorum continuator (tom. 23, eod. an. pag. 157), qui refert epistolas a Pontifice scriptas, et pag. 159, subjungit: « Uti autem appareat, cumberet; sic sciendum, hæc prima fuisse Congregationis illius, quæ postea *de Propaganda fide* dicta est, initia litteras hujusmodi a Pontifice scriptas fuisse, post decretam, quam diximus, Cardinalium Congregationem, quæ curandis rebus, ad fidei propagationem spectantibus, inet maximo totius christianæ reipublicæ bono sub Gregorio XV, Urbano VIII, et aliis Pontificibus amplificata, et aucta. » Hæc *Congregatio de Propaganda fide* officium habet investigandi vias, et modos, quibus vera fides catholica in omnibus mundi partibus propagari, et conservari possit, eaque omnia, quæ ad hunc finem conducere possint, curandi, et si quæ res controversæ inter missionarios occurant, eas relatis ad Summum Pontificem rebus gravioribus, summarie et de pleno decidendi, et expediendi. Ideoque amplam, et liberam habet disponendi de missionibus omnibus ad prædicandum Evangelium institutis, missionarios dirigendi, et per regiones distribuendi, ministros illis necessarios constituendi, et disponendi facultatem.

[678] Ad quam S. C. decisio spectabat.

[679] Hæc sunt verba Sixti V, Pont. Max., in Const. *Immensæ æterni*, 22 januar. 1587 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 392), occasione institutionis hujus Congregationis: « Jam vero (ait Pontifex), cum sacri ritus, et cæremoniæ, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex apostolica traditione, et disciplina utitur, in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione magnam christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationes sustollant, et devotionis eam igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiæ pietatem, et divinum cultum sacris ritibus, et cæremoniis conservandis, instaurandisque magis augere.

« Quinque itidem Cardinales diligimus, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, orbisque ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in Missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, cæremoniæ si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, et cæremoniis, in primis pontificale, rituale, cæremoniale prout opus fuerit, reforment, et emendent, officia divina de sanctis patronis examinent, et nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte, et ex patrum traditione fiant, et ut reges, et principes, eorumque oratores, aliæque personæ, etiam ecclesiasticæ ad Urbem, Curiamque romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate, ac benignitate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem suscipiant, seduloque provideant. Controversias de præcedentia in processionibus, ut alibi, ceterasque in hujusmodi sacris ritibus, et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant. »

Hanc Congregationem componunt Cardinales, prælati, et doctores. Distinguitur in generalem et ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum Cardinalibus quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congr. consultoribus, atque in ea agitur de servorum Dei virtutibus, martyrio, aut miraculis recognoscendis, et approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis secretario, cum protonotario apostolico, et promotore Fidei, atque in hac, præter cetera, agitur etiam de revisione operum conscriptorum a servis Dei, quorum beatificatio promovetur. De hac sacra Congregatione videre juvat celebre opus Benedicti XIV, *de Canonizatione Sanctorum* pro uberiori cognitione.

[680] Vide not. 518, verb. *Causa judicialis.*

sertim quoad celebrationem Missarum pontificalium ipsius, et erectionem baldachini in regularium ecclesiis; et petitio ad S. Congr. Rituum [681] pro celeri resolutione remissa fuit: *Bobien.*, 16 *martii* 1630.

3. Quantum attinet ad magistratum civitatis, qui Episcopum ad ecclesiastica munia comitari recusat, controversia arbitrio S. Congr. Rituum [682] committitur: *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 7.

4. Definitio dubii, an magister cæremoniarum capituli teneatur assistere Episcopo extra cathedralem ecclesiam, seu diœcesi? ad S. Congr. Rituum delata est [683]: ***Murana, Assistentiæ,*** 28 *januar.* 1673, *dub.* 2.

5. Pro vicarii præcedentia quoad capitulum, et primo honore ei exhibendo in thurificationibus, ac palmarum distributionibus habenda esse decreta S. Congr. Rituum [684] S. C. declaravit: *Nicien.*, *ad Visitat sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677 *dub.* 7.

6. Et ad eamdem Congr. sacr. rituum [685] deferendum est id quod retulit Episcopus de consulibus civitatis, qui in quibus sacra lipsana gestantur, pileati incedunt, S. C. putavit: *Ibid.*, *dub.* 8.

7. Ad dubium exhibitum, an coadjutori, absen-

[681] Jam decisum fuerat in S. Congr. Episcop. et regul. die 10 junii 1603, quod regulares tenentur in propriis ecclesiis volenti Episcopo pontificales functiones exercere, baldachinum erigere; et hoc expresso mandato Clementis VIII, et pœnis, et censuris ad id, vel saltem ne impediant, quin Episcopus ipse illud attollere faciat, compelli possunt, ut apparet ex verbis decreti, quod est tenoris sequentis: « Decet Episcopis pro eo, quo in ecclesia Dei excellunt dignitatis gradu in quocumque suarum diœcesum loco quoties eos ibi pontificalia exercere, aut in pontificalibus adesse, et assistere contingit eam, quæ par est, reverentiam, et honorem decoro cultu, et ornatu exhibere. Quare non sine animi dolore auditum est nonnullos regulares vano quarumdam immunitatum, et privilegiorum prætextu, Episcopis in eorum ecclesiis in pontificalibus interessentibus, non modo renuisse in eis supra locum episcopalis solii baldachinum erigere, verum id etiam jussu ipsorummet Episcoporum curantes, prohibere, et arcere ausos fuisse; atque ideo sacra Congregatio sanctæ R. E. Card. negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regul. præposita facto verbo cum Sanctissimo domino nostro papa Clem. VIII, ac de Sanctitatis Suæ speciali, et expresso mandato, hoc præsenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, statuit, decernit, et mandat, ut de cetero Episcopi, ubi tam ex consuetudine, et privilegio, quam ex sacrorum Canonum constitutionibus, et pontificalis romani præscripto, aut alio jure pontificalia exercere, aut pontificalibus paramentis cum mitra vel etiam sola cappa induti in quibusvis regularium, tam mendicantium monachorum, etiam Cassinensium, clericorum, presbyterorum, et cujusvis alterius ordinis, et religionis, militiæ, societatis, aut congregationis ecclesiis interesse possunt: ipsi regulares quoties opus fuerit, teneantur ibi, et debeant in loco ad solium Episcopi constituendum opportuno, et congruo, baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud asportari, et in quacumque eorumdem regularium, aut alia quantumvis exempta ecclesia, ut supra episcopale solium, seu pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere, et stare, quemadmodum in propriis, et cathedralibus eorum ecclesiis stare, et sedere solent, eo tamen dumtaxat tempore, quo pontificales hujusmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipse, cui in pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui vero regularium huic declarationi, statuto, decreto, et mandato inobedientes, et contumaces fuerint sciant, se ab eisdem Episcopis ad id per censuras, et pœnas ecclesiasticas, hujus decreti virtute cogi, et compelli posse, aliisque pœnis tam spiritualibus, tam temporalibus arbitrio Summi Pontificis romani subjacere, et obnoxios fore non obstantibus quibuscumque etc. *Romæ*, 10 *junii* 1603. » Vide Ferraris in sua *Bibliotheca canon.* Verb. *Baldachinum*, num. 6.

[682] Magistratus civitatis cogi potest solitum obsequium Episcopo accedenti ad ecclesiam præstare, ut juxta solitum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, et tempore Adventus, et Quadragesimæ, ita decrevit S. C. Rituum *in Narnien.*, 16 junii 1605, *et in Civitatis Castelli*, 29 novem. 1618.

[683] S. C. Rituum decrevit in una ***Monopolitana***, 17 julii 1734, magistrum cæremoniarum non censeri debere electum privative, etiam quoad omnes functiones episcopales, et assistentias præstari solitas Episcopo tam intra, quam extra ecclesiam cathedralem. Et etiam resolvit in eadem causa, licitum esse Episcopo eligere alium magistrum cæremoniarum pro omnibus functionibus ab ipso peragendis, et aliis ipso præsente explendis, tam intra, quam extra ecclesiam cathedralem.

[684] S. Congr. Rituum *in Pennen*, 12 april. 1603 et *in Lauretana*, 6 sept. ejusd. anni resolvit, vicarium generalem præcedere debere omnes dignitates, et canonicos, dummodo non sint ornati sacris paramentis, et dummodo vicarius non sit ex numero dignitatum, et canonicorum ejusdem ecclesiæ, et velit tanquam dignitas, vel canonicus in choro assistere, distributiones quotidianas lucrandi gratia; quia tunc sedere debet in stallo, seu loco suæ dignitatis, vel canonicatus. Sed in ***Cæremoniali Episcoporum*** lib. 1, cap. 13, num. 13 et cap. 31, num. 15, habetur hæc exceptio generalis: « Vicario generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum ecclesiarum. » Eadem S. C. *in Lauretana, et Nolana*, 13 *martii* 1602 *et* 7 *aug.* 1628, resolvit præcedentiam semper dandam esse super dignitates, et canonicos vicario generali, tam præsente, quam absente Episcopo. *In Savonen.* 26 decem. 1628 decrevit, vicarium generalem in publicis processionibus absente, vel præsente Episcopo, debere ultimo loco incedere inter canonicos, seu dignitates, dummodo non adsit consuetudo in contrarium. Item *in Meliten.*, 2 decem. 1684, vicario generali deberi primum, et digniorem locum, ac præcedentiam super primam, et alias omnes dignitates, et canonicos ecclesiæ cathedralis, tam in choro, quam in processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis. *In Pernambuc.*, 4 sept. 1745 decrevit S. C. R., cum nullus pro vicario generali Episcopi determinatus sit locus, sed illum diversum obtineat juxta diversam consuetudinem ecclesiarum; idcirco scribendum Episcopo, ut de suæ respondeat ecclesiæ praxi.

[685] Nullum decretum in libris Archivi S. Congreg. Rituum inventum est, cujus vigore causa definita fuerit.

te canonico coadjuto, indistincte competat exercitium omnium functionum sui coadjuti; licet canonici in ordine succedentes prætenderent eos ad se, et non ad coadjutores canonicorum pertinere? dari S. C. censuit decreta S. Congr. Rituum edita in *Patavina*, et *Neritonen.* [686]: *Casalen.*, *Confirmat. statuti*, 28 *januar.* 1696, *dub.* 2. Tamen canonicis non acquiescentibus, quia decreta prædicta loquuntur de coadjutore dignitatis archidiaconalis, et archipresbyteralis, et casus hic est de coadjutore simplicis canonici, supplicatur S. C. vindicare, vel alio quovis modo decernere, an, et quæ decreta sint danda? respondit S. C. coadjutorem teneri facere omnes functiones, quas facere potest suus coadjutus, sedere tamen debere in ultimo loco sui ordinis: 15 *april. ejusd. anni*.

8. Quæsitum quum esset, an parochis secularibus debeatur præcedentia in choro regulari in Missis et officiis mortuorum, vel alia functione in ecclesiis dictorum regularium? dari censuit S. C. quoad mortuaria decreta S. Congr. Episcop. et regular. necnon a S. Congr. Rituum edita [687] tenoris seq.: *Insularum Canariæ*, *Jurisdict.*, 13 *novem.* 1694, *dub.* 2.

9. Definitio hujus dubii, an parocho, et canonicis ecclesiæ cathedralis liceat occasione funerum ingredi ecclesiam patrum societatis Jesu cum stola, et cruce? S. Congr. Rituum [688] commendatur: *Tusculana*, *Funerum*, 16 *junii* 1703.

10. Juxta decretum S. Congr. Rituum ad solum præpositum ecclesiæ S. Petri terræ Vasti privative spectat omnia jura mere parochialia in ecclesia S. Mariæ de Pinna, quæ intra illius parœciæ limites sita est, exercere S. C. putavit: *Theatina*, 15 *nov.* 1701, *dub.* 3.

11. S. C. juxta vicarii capitularis relationem parochialem ecclesiam S. Jacobi de Curte, seu de Castello in loco S. Margaritæ nuncupato in archipresbyteralem erigi permisit. Archipresbyter autem, et parochiæ incolæ ecclesiæ S. Margaritæ sese monitos non fuisse, et relationem vicarii esse valde suspectam ostendentes, obtinuerunt, ut prævio recessu a decisis, res tota S. Congr. Rituum [689] committeretur: *Januen.*, *Indulti*, 6 *febr.* 1706.

12. Efflagitatum quum esset, num canonici ecclesiæ cathedralis stante contraria consuetudine non interveniendi nec in Adventu, nec in Quadragesima Missæ de Sancto occurrenti, eo quod Missæ votivæ quotidie assistant cum litaniis de B. M. V., teneantur non solum interesse dictæ votivæ Missæ, et de feria, sed etiam Sancti occurrentis, vel sit toleranda consuetudo? rem S. C. ad S. Congr. Rituum definiendam remisit [690]: *Pisauren.*, *Visit. sacr. Liminum*, 27 *febr.* 1706.

13. Dubia, an in ecclesia seu publico oratorio nuncupato Trium Magorum existenti intra limites parochiæ S. Mariæ loci Bezzonici de jurepatronatus familiæ Tricanæ valeat dictæ ecclesiæ rector benedicere, et distribuere candelas, cineres, et palmas?

14. An imbi possit facere benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similia?

15. Num omnes quoque functiones hebdomadæ sanctæ?

16. Et utrum dictæ parochiæ rectori competat celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, et aliarum per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis in dicta ecclesia?

17. An itidem expositio Quadraginta Horarum, et reliquiarum, et sacrarum imaginum, et benedictio, quæ cum eis fit super populo?

18. An etiam omnes, et singulas supplicationes per annum? pro definitione remittuntur ad S. C. Rituum [691]: *Comen.*, *Jur. paroch.* 21 *aug.* 1706, *dub.* 3 usque ad 8.

19. Quoad dubii explanationem, an vesperæ et horæ tertiæ cantari debeant etiam in diebus ferialibus, et non festis de præcepto? servari decretum

---

[686] Vide not. 225, verb. *Canonicus*, § 1.

[687] Vide not. 668.

[688] Vide not. 99, verb. *Canonici*, § 2.

[689] Ad quam Congr. examen spectat de juribus alterius ecclesiæ, quæ novæ ecclesiæ archipresbyteralis erectioni adversatur.

[690] Vide not. 190, verb. *Canonici*, § 10.

[691] Inter decreta sacræ Congreg. Rituum emanata die 10 decem. 1705, et confirmata a Clemente XI, 12 jan. 1704, Const. *ad Debitum*, habemus dubia sequentia.

« An benedictiones, et distributiones candelarum, cinerum, et palmarum, sint de juribus mere parochialibus? et responsum fuit: *Negative*.

An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium, sint de juribus mere parochialibus? et responsum fuit: *Negative*, *sed benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a parocho*.

An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de juribus mere parochialibus? et responsum fuit: *Negative, prout jacet*.

An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, sit de dictis juribus parochialibus? Et responsum fuit: *Negative, prout jacet, sed spectare ad parochum*.

An expositio Quadraginta Horarum, et benedictio, quæ cum eis fit super populum, sit de dictis juribus parochialibus? et responsum fuit: *Negative*.

An expositio, quæ fit cum reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictio, quæ cum eis fit super populum, sit de dictis juribus parochialibus? et responsum fuit: *Negative et quoad benedictiones cum reliquiis, et imaginibus serventur decreta*. »

S. Congr. Rituum [692] mandavit S. C. : *Suessana, Tabellæ horariæ et Servitii chori*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 5.

20. Postulatum, an canonici collegiatæ ecclesiæ S. Antonii civitatis Placentiæ tempore divinorum officiorum in choro teneantur ab eorum stallis descendere, et una cum aliis beneficiatis dictæ ecclesiæ canere ad dictum lectorile? pro responsione ad S. Congr. Rituum [693] committitur : *Placentina, Officii chori, et Missæ convent.*, 29 *martii* 1710, *dub.* 1.

21. Commendata fuerunt arbitrio S. Congr. Rituum [694] sequentia dubia ; an pertineat ad capitulum basilicæ S. Antonini Placentiæ canere Missam, benedicere populum cum sanctissimo Sacramento, officium facere mortuorum, et alias functiones cum stola, pluviali, et aspersione aquæ lustralis in celebratione officii mortuorum, vel trigesimi in ecclesia S. Mariæ de Curtina, cujus cura parochialis unita fuit dictæ basilicæ, et in beneficium simplex reducta illa ecclesia ; vel ad capellanum piorum operariorum Doctrinæ christianæ, cujus societati in ecclesia S. Mariæ prædicta erecta fuit?

22. An societati prædictæ erectæ in eadem ecclesia S. Mariæ liceat celebrare vel celebrare curare per ejus capellanum omnes functiones non parochiales independenter a parocho ecclesiæ collegiatæ S. Antonini? *Placentina, Funct. ecclesiast.*, 14 *martii* 1711, *dub.* 1 et 2.

23. Capellaniarum possessores, quas priores, et sodales ecclesiæ S. Mariæ de Vineis planis oppidi Arpini commissa erectione arbitrio, et prudentiæ Episcopi fundarunt, contendunt excessisse, tum quoad numerum, tum quoad onera imposita, et apud S. C. questi sunt, et hac in occasione S. eadem C. decrevit præter servitium chori diebus festis in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli, onus inserviendi per dictos capellanos diebus festis, et in omnibus Missis paratis pro diacono, et subdiacono non sustineri, sed servari decreta [695] S. C. Rituum mandavit : *Sorana, Capellan.*, 30 *sept.* 1713, *dub.* 3.

24. Ad C. Congr. Rituum [696] remittitur sequentis dubii decisio, an liceat abbati monasterii Stambsensis ordinis Cisterciensis non solum sacram supellectilem benedicere, in qua unctio sacra non adhibetur, sed etiam altaria, et alia vasa sacra, quæ sacro Chrismate delibuntur, consecrare, idque non tantum ad usum monasterii, sed etiam ad usum aliarum ecclesiarum? *Bixinen.*, 12 *decem.* 1733, *dub.* 9.

25. Sequentia dubia S. C. commisit pro decisione ad S. Congr. Rituum [697], videlicet, an laudibus et vesperis, quæ solemniter per canonicos, vel dignitates ecclesiæ metropolitanæ celebrantur,

692 Vide not. 468, v. *Capitulum ecclesiasticum* § 1.
693 Vide not. 200, verb. *Canonici* § 10.
694 Vide not 364, v. *Beneficium restitutionis* § 2.
695 Vide not. 529, verb. *Capellanus* § 4.
696 Vide not. 23, verb. *Abbas* § 4
697 Hæc habentur in libris S. C. : Controversiarum inter capitulum ecclesiæ metropolitanæ ex una, et hebdomadarios ejusdem ecclesiæ partibus ex altera ortis controversiis, illisque ad S. Rituum Congr. delatis, eminentisimus et reverendissimus D. Card. Belluga infra scripta dubia inter partes concordata, declaranda proposuit :

1. An laudibus, et vesperis, quæ solemniter celebrantur per canonicos vel dignitates assistere possint cum pluvialibus hebdomadarii presbyteri, vel potius novi mansionarii diaconi, et quatenus affirmative quoad hebdomadarios presbyteros.

2. An prædicta assistentia præstanda sit canonicis, et dignitatibus celebrantibus extra cathedralem solemniter Missam, vesperas, et laudes, mercede soluta.

3. An celebrante Archiepiscopo assistere teneantur in throno cum pluvialibus duo ex duodecim hebdomadariis presbyteris cum duobus mansionariis diaconis, vel potius quatuor ex octo mansionariis diaconis.

4. An hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter hebdomadarios, et legile nudum dissentiente capitulo.

5. An hebdomadarius faciens officium presbyteri assistentis sit thurificandus ante canonicos.

6. An celebrante Archiepiscopo teneantur canonici deferre crucem, et in die Epiphaniæ annuntiare populo festa mobilia, vel potius utrumque teneantur hebdomadarii arbitrio Archiepiscopi.

7. An celebrante canonico, teneatur alter ex canonicis psalmos intonare tam in choro, quam in processionibus, vel potius intonare teneantur hebdomadarii.

8. An in functionibus, in quibus canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi canonici canere in choro ex proprio stallo una cum hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos hebdomadarios, et mansionarios.

9. An translato ad diem non impeditam festo, in quo celebrare canonicus teneatur, adhuc canonicus celebrare debeat in die translationis, vel potius onus celebrandi in hebdomadarios possit refundi, mercede soluta.

Et S. eadem Congr., visis juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit :

Ad 1, *servetur decretum Archiepiscopi.* Ad 2, *affirmative, canonicis capitulariter accedentibus.* Ad 3, *hebdomadarios non teneri.* Ad 4, *affirmative.* Ad 5, *negative.* Ad 6, *affirmative quoad primam partem, deposita mitra*; sed canonicis metropolitanæ instantibus, fuit concessa nova audientia ; quoad secundam *servetur solitum* ; nempe *quod canonici teneantur annuntiare festa mobilia.* Ad 7, *quoad primam partem negative, et quoad secundam affirmative.* Ad 8, *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.* Ad 9, *canonicos non teneri, nisi dies translationum habeantur pro festivis in metropolitana.* Et ita decrevit, et servari mandavit : die 3 aug. 1737.

assistere debeant cum pluvialibus hebdomadarii isti presbyteri, vel potius novi mansionarii diaconi? *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 18, confirmata 28 *april.* 1736.

26. An eadem assistentia præstanda sit canonicis, et dignitatibus celebrantibus extra cathedralem solemniter Missam, vesperas, et laudes, mercede soluta? *Ibid.*, *dub.* 19.

27. Non celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in trono cum pluvialibus duo ex duodecim hebdomadariis presbyteris cum duobus mansionariis diaconis, vel potius quatuor ex octo mansionariis diaconis? *Ibid.*, *dub.* 20.

28. An hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter hebdomadarios, et legile nudum dissentiente capitulo? *Ibid*, *dub.* 21.

29. Num hebdomadarius faciens officium presbyteri assistentis sit thurificandus ante canonicos: *Ibid.*, *dub.* 22.

30. Utrum celebrante Archiepiscopo, teneantur canonici deferre crucem, et in die Epiphaniæ annunciare populo festa mobilia, vel potius utrumque teneantur facere hebdomodarii arbitrio Archiepiscopi *Ibid.*, *dub.* 23.

31. An celebrante canonico, teneatur alter ex canonicis psalmos cantu præire tam in choro, quam in supplicationibus; vel potius teneantur canticum incinere hebdomadarii? *Ibid.*, *dub.* 24.

32 Num in functionibus, in quibus canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi canonici canere in choro ex proprio stallo una cum hebdomadariis in cantu Gregoriano; vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos hebdomadarios et mansionarios? *Ibid.*, *dub.* 25.

33. An denique translato ad diem non impeditam festo, in quo celebrare canonicus tenebatur, adhuc teneatur canonicus in die translationis celebrare, non autem onus celebrandi in hebdomadarios refundi, mercede soluta? *Ibid.*, *dub.* 27.

34. Dum quærunt hebdomadarii noviter erecti in ecclesia cathedrali, num vigore indulti ab Episcopo concessi deferendi superpelliceum, et almutiam laneam cum villis ejusdem coloris, possint prælatis uti insignibus? judicium mandatur S. Congr. Rituum: *Castrimaris*, 7 *julii* 1736, *dub.* 3.

35. Alexandro Zerbio protopapa, id est primo presbytero oppidi S. C. die 17 novem. 1725 declaravit ei non competere usum mozzettæ; licere tamen eidem deferre habitum notarii non participantis in diebus et functionibus juxta decreta S. Congr. Rituum; inde confirmavit resolutionem quoad usum mozzettæ: *Oppiden.*, 23 *sept.* 1747, *dub.* 1.

36. Ut recurratur ad S. Congr. Rituum [698] respondit S. C. dum consulitur, an regulares monasterii divi Hieronymi congregationis Olivetanæ de Quarto possint puerperas benedicere et ejusdem monasterii abbates extra monasterium pontificalia exercere, in supplicationibus sodalitii Mortis et Orationis quod in eorum ecclesia erectum est, extra monasterium mitram, et baculum pastoralem deferre, tintinnabula, sacram supellectilem, altaria etiam pro usu aliarum ecclesiarum, etiam secularium benedicere? *Januen.*, *Jur. paroch.*, 13 *julii dub.* 4.

37. Ad formam resolutionis S. Congr. Rituum anni 1703, dubii 1 et 2 [699], societas Sanctissimi Sacramenti terræ Bondeni habere debet dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis: *Ferrarien.*, *Confrater.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 1.

39. Distinguendæ sunt functiones parochiales a non parochialibus juxta decreta generalia sacræ Congr. Rituum anni 1703 [700]. Ita declaravit S. C. *in Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 7.

38. Festivitas in honorem divi Peregrini Latiosi cujus corpus in ecclesia patrum servorum B. M. V. Forolivii asservatur, die 1 maii quotannis habenda, in eadem ecclesia quoad functiones ecclesiasticas celebrari debet servata forma decretorum S. Congr. Rituum, et constitutionum synodalium: *Forolivien.*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 2.

698 Vide not. 27, verb. *Abbas* § 1.

699 Die 10 decem. a Summo Pontifice approbata 12 januar. 1704, ubi ad dubia 1 et 2, an confraternitates laicorum legitime erectæ in ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis, non parochialibus? An dictæ confraternitates erectæ in capellis, vel oratoriis, tum publicis, tum privatis, annexis parochialibus ecclesiis, et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones? ad utrumque respondetur *affirmative*, salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione confraternitatum, forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus immemorabilibus, vel saltem centenariis.

700 S. Cong. Rituum anno 1703, die 10 decem., *Urbis et Orbis* approbante Clem. XI, die 12 januar 1704, Const. *Ad debitum* resolvit esse de juribus mere parochialibus benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, nec benedictiones mulierum post partum (licet hæc facienda sit a parocho), fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium, functiones cunctas hebdomadæ sanctæ. Celebrationem Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, nec esse de juribus parochialibus pulsationem campanarum in sabbato sancto, nec celebrationem Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, nec expositionem Quadraginta Horarum, et benedictionem, quæ fit super populum, et expositionem, quæ fit cum reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictionem, quæ cum eis fit super populum.

§ VI.

Congregatio sacri Concilii Tridentini interpretum.

1. Quum dubitatum fuisset, an legatus a Latere in mensibus Ordinariorum in omnibus beneficiis possit concurrere cum Ordinario? præsupposito facultates legati prædicti esse restrictas ad fines Concilii;

2. Et etiam posito, quod collatio aliquorum beneficiorum vigore statutorum, aut privilegiorum a Sede Apostolica confirmatorum spectet pleno jure ad capitulum, dubitatur, utrum vigore alternativæ legatus solus possit conferre in mensibus suis? S.C. respondit non esse Congregationis : *Avenion.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 1, 2 et 3.

3. Taxa, quæ institui pro seminarii sufficienti conservatione ab Episcopo una cum deputatis debet, non publicanda, sed antea ad S. C. Concilii mittenda est : *Anconitana, febr.* 1587.

4. S. C. Concilii licentia opus est, ut possint puellæ majores 25 annis in monasterio educationis degere : *Triventina, febr.* 1588, *dub.* 3.

5. Rescripsit S. C. compellendos parochos esse ut resideant in domibus ecclesiæ si quas habent; secus in domo propinquiori intra limites parochiæ ; prætextu autem inimicitiarum minime excusandos esse, nisi obtinuerint litteras a S.C., quæ ubi petitæ fuerint, dabuntur juxta formulam consuetam : *Faventina, decemb.* 1589, *dub.* 1.

6. Præcipitur Episcopo Audomarensi, ut supersedeat in exigendo taxam pro seminario Duacensi a monasterio S. Bertini, donec S. C. Concilii certiorem reddiderit de juribus, quibus id posse facere intendat ; quum monasterium immune a dicto onere se putaret, quia post Concilium Tridentinum seminarium erexerat : *Audomaren.*, 30 *martii* 1594.

7. Casu, quo Episcopus irrationabiliter deneget licentiam absentandi presbyteris, et clericis servitio alicujus ecclesiæ adscriptis, recurrendum est ad S. C. Concilii, cujus erit juxta casuum contingentiam providere : *Terracinen.*, 19 *febr.* 1628, *dub.* 4.

8. Non obstantibus inhibitionibus tribunalis A C, Episcopus potest procedere ad exequutionem decreti S. Concilii sess. 25, cap. 13, *de Regul.* et declarationis S. Congr. Concilii [701] : *Spoletana*, 23 *junii* 1629.

9. Arbitrata est S. C. confirmationem petitam nequaquam esse concedendam, nisi aliter Sanctissimo domino nostro fuerit visum, et peregrinare volentes posse recurrere ad S. C., quæ juxta stylum non denegabit licentiam, visitantibus vero sacra Limina Apostolorum alias S.C. censuit distributiones quotidianas deberi : *Ulyssiponen.*, 20 *dec.* 1631.

10. Quoad visitationem hospitalium aliorum locorum piorum, necnon rationem administrationis exigendam Episcopus se conformare debet cum responsis, et declarationibus S. C. Concilii ; quum essent manu Card. præfecti, et secretarii signatæ, et sigillo munitæ, licet typis non impressæ, quæ omnino servandæ sunt : *Neapolitana*, 7 *febr.* 1637, *dub.* 1. [702].

11. S. C. non consuevisse revidere, et approbare nisi synodos provinciales ex Constitutione Sixti V [703] : *Strongolen.*, 17 *junii* 1645, *dub.* 4.

12. S. C. injunxit Card. Ginnetto præfecto S. Cong. Episcop. et regular. præsenti, ne in dicta Congregatione in futurum expediantur facultates alienationum, hypothecarum, locationum, et aliorum contentorum in decreto de rebus regularium non alienandis ; quum hæc facultas privative spectaret ad S. C. Concilii : *Regularium*, 9 *nov.* 1647

13. Canonici quum non possent etiam justa de causa in multa distributionis faciendæ Archiepiscopum recusare ; eis tamen competit recursus ad S. Concilii . *Calaritana*, 20 *dec.* 1653, *dub.* 4.

14. Decretum S. C. Concilii de celebratione Missarum capitula ecclesiæ cathedralis, et collegiatarum ecclesiarum, necnon communitates tenentur observare tam pro acceptione onerum perpetuorum Missarum, tam in investimentis faciendis illarum pecuniarum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium : *Vicen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 3.

15. Quum prætenderent regulares in vim privilegiorum suorum posse alienationes, et concessiones facere in emphytheusim, S. C. id vetuit ab eis fieri posse absque ipsius S. C. Concilii expressa licentia;

[701] Vide not. 619.

[702] « S. C. Concilii Tridentini die 2 aug. 1631 de speciali S. D. Urbani VIII, jussu mandat, et præcipit hujusmodi declarationibus, tam impressis, quam imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in judicio, vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Card. præfecti, et secretarii ejusd. Congr. pro tempore existentium, munitæ fuerint.» Eo vel maxime quod Urbanus VIII, censetur voluisse solum percutere decreta illa, de quorum veritate subesset probabilis ratio dubitandi, vel ex quo afferentur solummodo manuscripta, vel apud non probatos auctores impressa. Nostris temporibus hæc regula locum non habet, cum ead. S. C. suas edit declarationes, quæ in *Thesauro resolutionum S. C. Concilii* continentur, et authenticæ sunt.

[703] Vide Introd. operis.

et hoc decretum confirmavit Pont. Max., Urbanus VIII, die 7 sept. 1624 [705]; et iterum confirmatur *in Romana, Declarationis*, 1 *decem*. 1991.

16. Rescriptum S. Concilii diei 19 febr 1791 a sacerdote Philippo Adami patroni cujusdam beneficii simplicis in ecclesia parochiali S. Georgii Portus Firmi fundati obtentum pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim ad tertiam generationem non esse exequendum rescribitur ob silentio prætermissam S. C. Episcop. et repulsam super eodem negotio, juxta notissimum Innocentii XII, Pont. Max., decretum (vide Introd. oper. pag. 51); et liberum esse rectori beneficii utendi jure suo in eadem S. C. Episcop. et Regul. præventa: *Firmana, Emphyteusis*, 21 *julii* 1792.

§ VII.

Congregatio universalis Inquisitionis, quæ Sancti Officii vulgo dicitur [705].

1. Episcopus sciscitatus est de matrimoniis inter catholicos, et hæreticos contrahendis, et S. C.

[704] Lib. 12, *Decret*. fol. 185, et *in Ferrarien.*, 11 julii 1625, legitur: « Decreto Sanctissimi domini nostri de rebus regularium non alienandis non derogarunt Const. Bonifacianæ, nec Paulinæ. »

[705] Ad custodiendum, inviolatumque servandum depositum fidei quamquam semper fuere ex jure divino, et ecclesiastico, traditione, praxi, et consuetudine fidei Inquisitores, tamen speciales cum plena auctoritate procedendi contra hæreticos Innocentius III, constituit ante exitum seculi XII, hoc est anno 1198, quo tempore Raynerium, et Guidonem in Narbonensem provinciam ad retundendos hæreticos legatos misisse constat ex ejus *Epist*. 122 et 123, lib. 2, tom. 2, edit. Baluzii, pag. 420. Quam autem ob causam hujusmodi homines cum delegata auctoritate in regiones mitteret Sedes Apostolica, ut socii accederent Episcopis, qui ordinaria auctoritate potiebantur. ostendunt Innocentii III litteræ ad Cistercienses apud Manriquensium *Annal. Cisterciens*. tom. 3, pag 420, et seq.; quibus quidem consonant historiarum monumenta. Quantum boni attulerit, et mali averterit institutio quæsitorum fidei, compertum omnibus est. Nam eorum cura, et diligentia factum est, ut sensim post annum 1500 decreverit in Italia cum primis sectarum pestilentia, neque ulla amplius aut vetusta hæresis apud Italos radices egerit, ut observat Muratorius *Antiquit. Italic*. diss. 69. Deinde Summi Pontifices maximo contra hæresim zelo animati Inquisitorum numerum auxerunt, magistratus, ac principes contra hæreticos inflammarunt, quod patet ex eorum quam plurimis Constitutionibus relatis a Guerra *in Epist. Bull. Rom*. tom. 1, pag. 175, seq. Hinc Inquisitionis universalis tribunali formato, hoc occasionem præbuit, ut S. Congr. S. Officii institueretur. Primus ergo fuit Paulus III, qui Const. *Licet ab initio*, 21 julii 1542 (*Bull. Rom*. tom. 4, part. 1, pag. 211), sex Cardinales generalium Inquisitorum hæreticæ pravitatis cum amplissima auctoritate in toto orbe catholico deputavit; et præesse voluit hanc Congregationem ceteris tribunalibus ea de re institutis, ad eamque ardua quæque referri, ut ita singula membrorum suo unitatis centro copulentur. Pius IV, postea additis duobus Cardinalibus motu proprio *Cum Nos* declaravit, quod major pars Cardinalium sanctissimæ Inquisitionis decernit a tota Congregatione valide statutum censetur; quod confirmavit S. Pius V, motu proprio *Fel. rec. Bull. Rom*., tom. 4, part 2, pag. 327). Tandem Sixtus V, in sua Const *Immensa*, 22 januar. 1588, § *Congreg. prima* (*Bull. Rom*., tom. 4, part. 4, pag. 393) amplissimis terminis Congregationem prædictam confirmavit, Inquisitoribus amplissimam auctoritatem tribuendo, inquirendi (nempe citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis, tam hæresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus, et quæcumque alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus, non solum in urbe, et statu temporali, nobis, et huic Sanctæ Sedi subjecto, sed etiam universo terrarum orbe, ubi christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et alios inferiores, ac Inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint, quorum, ac aliorum prædictorum series his nostris litteris ad verbum expressa censeatur, confirmamus.

Præter Cardinales, qui hanc Congregationem constituunt, ad illam pertinent alii Ordinarii, et inferiores officiales, qui hoc Inquisitionis tribunal regunt, et administrant in actuali jurisdictionis exercitio, ac processuum formatione, reorumque examine; inter quos est *Commissarius Sancti Officii*, qui assumitur ex ordine S. Dominici, et gerit vices judicis ordinarii. Hinc in consiliarium, seu assessorem habet Prælatum, vel clericum secularem, qui dicitur *Assessor S. Officii*, item alii ministri, v. g. fiscalis, et notarius. Deinde ad hanc Congreg. spectant theologi, et Canonum peritissimi, qui *Consultores S. Officii* dicuntur ex diversis religionibus pro Papæ beneplacito assumptis. Interveniunt etiam huic Congreg. generalis ordinis S. Dominici, et magister sacri Palatii, necnon alter professor ordinis Min. conventualium, qui nuncupatur *Consultor S. Officii*, qui præ ceteris consultoribus munus exercet Hi consultores cum P. commissario, assessore, fiscali, et notario S. Officii conveniunt singulis feriis secundis in palatio S. Officii prope basilicam Vaticanam, et examinant ea, quæ ad proximam Congreg. præparatoriam pertinent, quæ habetur die mercurii qualibet hebdomada in conventu S. Mariæ supra Minervam, ubi conveniunt Cardinales, et assessor aliique, et consultorum. Votum, seu consilium in Congregatione præparatoria, quæ vocatur *Consulta*, elicita expenditur. Quæ autem in hac Congreg. decreta, aut resoluta sunt, eodem die per assessorem referuntur ad Sanctissimum. Notandum enim est, quod subinde examen librorum, aut propositionum committitur quibusdam theologis, qui examine facto, referant Congreg., an aliquam, et qualem censuram libri, aut propositiones mereantur, qui *Qualificatores* a qualificatione censuræ dici solent, nec unquam Congr. intersunt, nisi cum relationem negotii ipsis commissi sunt facturi Feria V, habetur alia Congreg. eorumdem Cardinalium, idque coram Sanctissimo in palatio apostolico; hæcque videtur proprie esse Congregatio Inquisitionis de qua in cit Const. Sixti V, legitur « cui ob summam rei gravitatem Romanus Pontifex præsidere solet. »

Ad hanc Congreg. pertinent omnes causæ fidei, censura, approbatio, prohibitio librorum, licet id etiam ad Congr.

remisit examen ad S. C. S. Officii [706] : *Vasionen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 25 *aug.* 1637, *dub.* 1.

2. Ad S. C. Sancti Officii [707] committuntur preces Episcopi Canariæ, qui postulavit facultatem pro tribus provincialibus ordinum regularium S. Dominici, S. Francisci, et S. Augustini, necnon ejusdem vicario generali sacramentum confirmationis administrandi : *Canarien.*, 30 *maii* 1676, *dub.* 2.

3 Exorta controversia inter Episcopum, et abbatem monasterii S. Mariæ de Balneo ordinis Camaldulensis, tam super jurisdictionne quasi episcopali in castro, et territorio S. Mariæ, quam super jure conferendi ecclesias in eodem territorio existentes. Primum fuit composita quæstio cum laudo, deinde in S. C. Episcop. et Regul., ac in S. Congr. Concilii agitata. At occasione postremæ visitationis Episcopus nova excitavit jurgia, et dubio proposito, an licitum sit abbati S. Mariæ de Balneo, ejusque vicario dare fides super statu libero nubentium prævio examine testium in ejus cancellaria? instantia ad S. C. Sancti Officii remittitur [708]: *Burgi*, *S. Sepulchri Jurisdict.*, 20 *sept.* 1698, *dub.* 1.

4. Ad graduatam præbendam theologalem vacantem ecclesiæ cathedralis Joannes de Ooms archipresbyter convocato capitulo, non expectatis graduatis eligere debentibus solus Lambertum Baerts plebanum Mechliniensem elegisse dicitur. Episcopus irritam esse illam electionem causa electi incapacitatis, cujus nomen est crimine aliquo, ac de prava doctrina maculatum, putans S. C. consuluit, quæ S. C. Sancti Officii [709] disquisitionem commendavit: *Gandaven.*, *Præbendæ theol.*, 5 *sept.* 1705.

5. Ad querelas Episcopi Comensis super prætenso usu excessivo facultatum, quas fertur exercere in sua diœcesi commissarius Nuntiaturæ Lucernæ, inter alia quæsitum fuit, an nuntius apo-

subsidiarium *Indicis*, hodie pertinere dignoscatur ; item licentia legendi libros hæreticos, et quod magis est, hodie ad hanc Congreg spectant concessiones facultatum Episcopis dari solitarum, quas singulis quinquenniis renovare debent ; licentiæ vescendi carnibus singulis diebus prohibitis, dispensationes in omnibus gradibus tam affinitatis quam consanguinitatis primum tangentibus. Modus introducendi causas in hoc tribunali est diversus secundum causarum diversitatem Si causa est fidei, introducitur per viam accusationis, et denunciationis, quod fit per Episcopos, Inquisitores, vel quoscumque alios, vel per ipsam rei confessionem : si reus fateatur, causa finita est, et hinc injuncta aliqua salutari pœnitentia a tribunali dimittitur, et absolvitur : si adsit accusator, tunc officiales S. Officii curant, ut compiletur processus probationum; agnita accusatione tanquam legitima proceditur ad inclusionem in carcerem accusati, et datis defensoribus, nisi reus accusationem purget, quod raro contingere solet, ad pœnam condemnatur. Scripsit super hoc tribunali, ejusque praxi Card. Albitius *de Inconstantia in fide* tractatum, Thomas Bene *de Officio S. Inquisitionis circa hæresim* vol 2, in fol., Cæsar Carena *Tractatus de Officio sanctissimæ Inquisitionis* in fol., Joan. Pasqualoni, et P. Elisæus Mesini italice *Sacro Arsenale, ovvero Pratica del S. Officio*, et recenter P. Pane Magister S. Palatii Apostolici *della Punizione degli Eretici, e del Tribunale della sacra Inquisitione lettere apologetiche* in 8. tom. 2, Roma 1795.

[706] De hujusmodi matrimoniis Benedictus XIV, in instructione S. C. Concilii die 4 novem. 1741, emanata (*Bull. ejusd. Pont.* tom 1, pag. 88), primum connubia quæ a catholicis cum hæreticis contrahuntur, damnavit, et Episcopos, vicarios apostolicos, parochos, et missionarios monuit, « ut catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. » Inde subjungit : « At, si forte aliquod hujus generis matrimonium, Trid. forma non servata, ibidem contractum jam sit (nempe in locis, ubi haud publicatum, et acceptatum sit Concilium Tridentinum), aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas Sua, matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse. »

[707] Minister extraordinarius confirmationis potest esse etiam simplex sacerdos ex speciali commissione, et delegatione Summi Pontificis, cap. *Pervenit* 1, dist. 95, ubi refertur sanctum Gregorium papam hanc facultatem concessisse presbyteris Sardiniæ propter defectum Episcoporum, ibi : « Ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus. » Et hoc expresse indicat Eugenius IV, in concilio Florentino de unione Armenorum, ubi ita loquitur : « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc sacramentum confirmationis administrasse. » Et talem facultatem (narrat Ferrarius *Bibliotheca*, verb. *Confirmatio*, § 5), concesserunt etiam alii Summi Pontifices variis religiosis, ut Innocentius IV patribus Prædicatoribus, Joannes XXI et Leo X fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriguez in suo Bullario regul. in bulla Leonis X, Gregorius XIII patribus societatis Jesu, ut testatur Suarez, Innocentius XIII patri guardiano sancti Sepulchri ordinis Minor. de observantia, Const. *Cum ad infrascriptum*, et Const. *Demandatam* § 14, et alii aliis in terris infidelium remotissimis a Sede Apostolica, ubi Episcoporum catholicorum copia non adest. Talis facultas autem non concedi solet nisi ex urgentissimis causis, ut indicant verba citata concilii Florentini, Benedictus XIV *de Synod. diœc.* lib. 7, cap. 7, copioso disserit de hac delegatione Summi Pontificis, et quærit, num Episcopus sacerdoti concedere possit confirmandi facultatem ; sed cum Sedes Apostolica, quæ arctare potest Episcoporum jurisdictionem, sibi uni hanc facultatem reservaverit, irrita est confirmatio, quæ per solam Episcopi delegationem a presbytero collata est. Verum chrismatis benedictio adnumerata semper fuit inter propria episcopalis ordinis munera; et ideo confirmandi privilegium a Sede Apostolica presbyteris concessum adjunctam legem habere solet modo ipsi chrismate utantur ab Episcopo consecrato.

[708] Vide not. 16, verb. *Abbas*, § IV.

[709] Vide not. 76, verb. *Canonicatus*, § VII.

stolicus possit concedere licentiam retinendi, ac legendi libros hæreticorum, seu alios quomodolibet prohibitos? S. C. Sancti Officii pro difinitione: *Comen.*, *Jurisdict.*, 26 *febr.* 1707, *dub.* 6.

6. Ad S. C. Sancti Officii [710] remittuntur postulata bina Archiepiscopi Cranganoreæ ex Indiis Orientalibus, tum quoad illos, qui presbyteros, et inde in Episcopos ordinantur ab Episcopis schismaticis simul, et ab hæreticis nestorianis, si indigeant nova ordinatione; tum quoad illos sacerdotes ex nobilissimis familiis fœdissima libidine, aliisque flagitiis coinquinatos, quomodo provideatur? *Cranganoren.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 9 *junii* 1708.

Congregationes sodalium. V. *Sodalitium*, § II.

Congrua. V. *Archipresbyter*, § II; *Œconomus curatus*, § I; *Parochus*, § III; *Præpositus*, § II; *Vicarius curatus*, § I.

Conjugalis usus. V. *Matrimonium*, § XXVII.

Conjugatorum conversio. V. *Matrimonium*, § V.

Consecratio. V. *Oratorium*, § III.

Consanguinitas. V. *Matrimonium*, § X.

Conscientiæ casuum congregatio. V. *Congregatio*, § I.

Conscientiæ matrimonia. V. *Matrimonium*, § XXXII.

Consecutio. V. *Beneficia ecclesiastica*, § I; *Legatum pium*, § XV.

Consensus. V. *Matrimonium*, § III; *Professio religiosa*, § VII; *Sponsalia*, § II.

Conservatio. V. *Sacramentum Eucharistiæ*, § II.

Conservator judex. V. *Moniales*, § I; *Regulares*, § II; *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § V.

CONSERVATORIUM.

1. Mandat S. C., ut Episcopus curet, ut conservatorium, ubi virgines cum mulieribus conveniunt ad formalem clausuram sub certa regulari disciplina ex præscrpto Const. Pii V. redigatur: *Adjacen.*, 8 *febr.* 1659.

2. *Citra approbationem conservatorii* sanctissimæ Conceptionis sub instituto S. Claræ Casalis Pentæ terræ S. Severini omnia jura parochialia in ecclesiam, et in oblatas, aliasque mulieres degentes in eodem conservatorio sunt exercenda a proprio parocho S. Mariæ Capitis, intra cujus limites degunt, non ab illarum capellano: *Salernitana, Jur. paroch.*, 19 *aug.* 1702, *dub.* 1.

3. Ac eædem oblatæ puellæ non possunt in earum ecclesia absque facultate S. C. asservare Sanctissimum Sacramentum, et sacrum Oleum infirmorum: *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Item in dicta ecclesia non valet earum capellanus, nisi cum venia Episcopi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum publice adorandum exponere: *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Ac prædictæ oblatæ, et mulieres morientes sine electione sepulcri sunt tumulandæ in ecclesia parochiali; et quatenus sepulcrum eligant in earum ecclesia parocho emolumenta funerum debentur: *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Et ad dubium, an dictus capellanus intra annum possit celebrare solemnitates, quæ ad parochum spectant? respondetur, ut exprimantur solemnitates particulares: *Ibid.*, *dub.* 6.

7. Benedictionem candelarum in die Purificationis, Cinerum, et Palmarum ad capellanum prædictum spectare deciditur: *Ibid.*, *dub.* 6.

8. Denunciationes insuper pro oblatis supradictis, aliisque mulieribus exeuntibus a dicto conservatorio ad effectum nubendi in ipsa ecclesia parochiali pro tempore habitationis sunt publicandæ: *Ibid.*, *dub.* 7.

9. Prædictumque conservatorium denique decimam parocho solvere debet: *Ibid.*, *dub.* 8.

10. Quoad dubium, an sex puellæ nominatæ a patribus S. Philippi Nerii debeant tam in ingressu,

[710] Die 2 augusti 1708, coram Sanctissimo fuit propositum infrascriptum dubium exhibitum ab Archiepiscopo Cranganorensi, nempe, an illi, qui ordinantur in presbyteros, et postea in Episcopos ab Episcopis schismaticis simul, et hæreticis nestorianis, ut sunt omnes schismatici provinciæ Serræ Malabarum, aut etiam illi, qui ordinantur a Jacobitis, qualis erat Joannes Mafflram, a quo ordinatus et consecratus est modernus intrusus Eusantius schismaticorum Serræ Episcopus, utrum tales presbyteri habendi sint pro veris presbyteris, et tales Episcopi pro veris Episcopis, et consequenter utrum relinquenda sit praxis dicti archiepiscopatus Cranganorensis, quæ habet, ut non censeant pro talibus; unde dum aliquis ex sacerdotibus schismaticis reducitur ad gremium S. Matris Ecclesiæ, solet de novo ordinari, uti recenter fuit Episcopus metropolitanus Angelus Franciscus a S. Theresia, dum ageret vicarius apostolicus in illa archidiœcesi. Sanctissimus, auditis votis EE., decrevit, consecratos, et ordinatos a veris Episcopis, etiam schismaticis, et hæreticis non esse iterum consecrandos, et ordinandos, et habendos esse pro veris Episcopis, et presbyteris; egere tamen dispensatione super irregularitate pro exercitio suorum ordinum; quatenus vero adsit rationabile dubium, an consecrati, et ordinati sint veri Episcopi, consecratos, et ordinatos ab illis iterum sub conditione consecrandos, et ordinandos.

quam in progressu provideri in conservatorio orphanorum etiam de dormitione, vestibus, aliisque necessariis utensilibus a pia domo orphanorum, quam Victoria Bagliona hæredem instituit, ut puellæ parentibus orbatæ a dictis patribus eligendis rebus omnibus necessariis muniantur, ac pia domus hoc exequi ex insufficientia redituum detrectaverat? S. C. instantibus patribus jussit, ut firmetur status ab hæredibus bonorum hæreditatis Victoriæ Baglionæ citatis interesse habentibus præfixo termino, et interim ut solitum servatur: *Fanen.*, *Pior. oner.*, 18 *maii* 1715.

11. In relatione ecclesiæ suæ status Episcopus significavit, massæ adesse quamdam domum vocatam *il Conservatorio delle Beghine*. In hac mulieres cœlibem ducunt vitam cum habitu tertii ordinis S. Francisci, simplicia emittunt vota, clausuramque minime servant, habent confessarium; et paulo ante pater provincialis Min. observ. in confessarium eis P. Julium Ajulam assignavit, qui ad se spectare omnino dare puellis habitum contendit. Postulat proinde Episcopus de jurisdictione ejusdem conservatorii declarare, et S. C. illud esse jurisdictioni omnimodæ Episcopi subjectum *citra tamen illius approbationem* decernit: *Lunen. Sarzanen.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 30 *januar.* 1723.

Consorores. V. *Sodalitium*, § iv.

Constitutio. V. *Census*, § i.

Constitutiones apostolicæ. V. *Bulla apostolica.*

Constitutiones capitulares. V. *Capitulum ecclesiasticum*, § xi.

Constitutiones regularium. V. *Professio religiosa*, § V.

Constitutiones societatis. V. *Sodalitium*, § iii.

Constitutiones synodales. V. *Synodus*, § ii.

Constructio. V. *Ecclesia in genere*, § i; *Ecclesia collegiata*, § i; *Ecclesia parochialis*, § i; *Oratorium*, § iv; *Sepultura* § i.

CONSUETUDO.

§ I.

Consuetudo quando abrogata dicatur, vel non.

1. Abrogata est consuetudo etiam immemorabilis non residendi in cathedralibus, et collegiatis insignibus, quam comprehendi sub verbis *cujuslibet consuetudinis* sess. 24. cap. 12. [711] S. C. decidit: *Vercellen.*, *anni* 1577, *dub.* 1.

2. Non item de omnibus collegiatis etiam non insignibus intelligitur, nisi istæ non insignes collegiatæ aut essent rurales, aut in quibus nunquam antea ultra hominum memoriam solitum esse residere, aut quæ adeo tenuis reditus essent, aut canonici aliunde non habentes, unde vivere valeant, aliter non possent: *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Viget consuetudo in aliquibus capitulis cathedralium, quod in admissione ad possessionem ab Episcopis singulis canonicis aureus unus solvatur, et a canonicis quarta pars. Quæritur, utrum dicta consuetudo sit irrita declaranda? et rescribitur consuetudinem ejusmodi esse sublatam per Concilium cap. 14 sess. 24. [712]; et per Constit. S. Pii V, Pont. Max., [713]; ideoque non esse tolerandam: *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 20.

4. Insuper putavit ead. S. C. consuetudinem, qua canonici primi anni fructus non percipiunt, sed accrescunt præbendis antiquorum canonicorum, esse a Concilio sublatam, ac per Constit. S. Pii V, Pont. Max. [714], nec esse tolerandam: *Ibid.*, *dub.* 21.

5. Declaravit S. C. consuetudinem cathedralis ecclesiæ, secundum quam canonici in ordine subdiaconatus constituti tertiam, constituti in ordine diaconatus dimidiam et presbyteri integram portionem percipiunt, validam esse, nec sublatam decreto Concilii cap. 14, sess. 24. [715]; proindeque Episcopus eam, si in ecclesia ligitime hactenus observata sit, etiam in posterum observari curet: *Marsicanu*, 5 *april.* 1591.

6. Quamdiu prælatus inferior legitime non probaverit se omninodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad Archiepiscopum dumtaxat spectat de causis absentiæ parochorum congnoscere, illisque abscedendi facultatem impertiri, atque in ipsorum locum vicarios sufficere, prævio examine approbandos; sacerdotes item sive seculares, sive regulares approbare ad confessiones personarum secularium concedere, sacramentum chrismatis ministrare, et causas matrimoniales, et criminales ad forum ecclesiasticum spectantes cognoscere; tamen si inferior

[711] Ubi loquitur de residentia, et addit non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudine ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse.

[712] Vide not. 158, verb. *Canonici* § 6.

[713] Vide not. cit. 158.

[714] Vide not. cit. 158.

[715] Vide not. cit. 158.

ex immemorabili consuetudine prædictas causas cognoscere solitum fuerit, hujusmodi consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam. Ceterum donec illam confirmaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in vim judicatam transierit: *Theatina*, 26 *sept*. 1615, *dub*. 4.

7. Quum Clemens X, Pont. Max. [716], omnem adversam, licet immemorabilem consuetudinem abrogasset; abbas Lubensis ordinis Cisterciensis eadem fretus non valuit sibi vindicare jus approbandi confessarios regulares a suis præfectis pro audiendis monialium monasterii Trebinicensis suo ordini subjecti confessionibus allectos, quod Episcopo competere, prævio voto Rotæ, decisum a S. C. fuerat: *Uratislavien.*, 30 *januar*. 1723.

§ II.

Consuetudo quando, vel quæ auctoritas, et potentia habeatur, vel non.

1. Non licet præbendatis viguore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres menses abesse: *Calaguritana, an*. 1581.

2. Quæritur, an consuetudo uno eodemque die quatuor minores ordines, et subdiaconatum suscipiendi excuset, quominus sic promoti non incurrant irregularitatem? et respondetur, supposita consuetudine posse Episcopum uno eodemque die ad quatuor minores ordines quempiam promoveri: *Cæsaraugustana, anni* 1583, *dub*. 3.

3. Insuper ad dubium, an consuetudo, quod minores ordines suscipiunt die veneris, qui postea die sequenti ad ordinem subdiaconatus promoventur, excuset? rescribitur, licere Archiepiscopo, si dies veneris sit dies festus, et necessitas, aut ecclesiæ utilitas judicio Archiepiscopi id postulat juxta decretum Concilii sess. 23, cap. 2 [717], non tamen in publicis ordinationibus, sed privatе, et paucis prædictos quatuor ordines conferre: *Ibid.*, *dub*. 4.

4. Dubitatum fuit, quid de anniversariis quoad canonicum theologalem censendum sit maxime stante consuetudine, qua vel ægroti, vel negotia capituli curantes habeantur pro præsentibus? non gaudere distributionibus, quæ dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant in diebus lectionum, in quibus lector habetur pro præsenti S. C. declaravit: *Avenionen.*, 25 *octob*. 1586, *dub*. 17.

5. Posita etiam alia consuetudine, quod canonici non recipiant fructus primo anno, utrum prædicta consuetudo valeat in præjudicium illius, qui præbendam theologalem habet? si consuetudo valet quoad alios canonicos, valere etiam quoad theologum S. C. deliberavit: *Ibid.*, *dub*. 18.

6. Et quid si canonici pariter præbendam, quam *Grossam* vocant, lucrentur distributiones modo saltem Missæ, et vesperis intersunt? respondetur, si quæratur de validitate consuetudinis, valere; ceterum aliis etiam horis ex corpore præbendarum assignandas suas distributiones, an lector reputari debeat præsens ad effectum lucrandi tales distributiones, respondetur negative, præterquam in diebus, in quibus legit: *Ibid.*, *dub*. 19.

7. Episcopo Rubensi S. C. rescripsit, ut caveat, ne distributiones dentur, nisi actu inservientibus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: *Ruben.*, 3 *april*. 1593.

8. Vicarius Episcopi, etiam Episcopo præsente capitularibus præcedere debet; nisi in illa ecclesia consuetudo contrarium induxerit: *Vigilien.*, 7 *junii* 1601.

9. Nullam consuetudo vim habet, ut vicarius Episcopi pro exequutione dispensationis matrimonialis, et pro decretis circa celebrationem matrimonii quidquam percipere possit: *Arianen.*, 28 *april*. 1635, *dub*. 5.

10. Episcopum suffragante consuetudine præsertim immemorabili regulares compellere posse etiam ultra medium milliare ab urbe distantes, ut intersint supplicationibus, nec ab eis discedant, nisi absolutis, et in eis obediant magistro cæremoniarum S. C. definivit: *Stronglen.*, 17 *junii* 1645, *dub*. 1.

11. Item posita consuetudine præsertim immemorabili potest Episcopus procedere etiam censuris ecclesiasticis contra prætendentes illum expoliare jure eligendi prædicatorem in Quadragesima, et in aliis temporibus, et universitatem ad solitæ eleemosynæ solutionem etiam eisdem censuris ecclesiasticis cogere: *Ibid.*, *dub*. 2.

[716] Quæ incipit *Superna*, 21 junii 1670 (*Bull. Rom.* tom. 7, pag. 30).

[717] *De Reform.*, ubi cautum est: « Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.... Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradùs minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. » Nulla interveniente necessitate aut utilitate Ecclesiæ non tenentur Episcopi interstitia remittere, etiamsi agatur de illis, qui obtinuerunt a Sede Apostolica breve, seu privilegium accipiendi ordines extra tempora, cum ex declaratione Innoc. XII, qua confirmavit decretum Congregationis particularis super concessione indultorum suscipiendi ordines extra tempora, ut in ipsius Const. *Sanctissimus Dominus*, 14 decem. 1693 (*Bull. Rom.* tom 9, pag. 340), non cogantur iidem Episcopi ad ordines quemquam assumere extra præscripta tempora, sed ipsorum arbitrio relinquitur, si id cum utilitate conjunctum arbitrentur. De hac re vid. Bened. XIV *Inst. Eccl. LVIII*, tom. 11, pag. 391.

12. Vicarius capitularis, seu illius notarius pro litteris dimissorialibus, seu testimonialibus nihil potest recipere ratione sigilli, non obstante immemorabili observantia: *Elnen.*, 28 *martii* 1648, *dub.* 4.

13. Dubio, an pater possit sepulchrum eligere filio impuberi in loco, ubi hic mos non est, imo habetur contraria synodalis constitutio? si legitime in consuetudinem loci id non venit, eligere non posse respondit S. C.: *Placentina,* 27 *novem.* 1649, *dub.* 1.

14. Regulares ad parochialem ecclesiam occasione comitatus cadaverum, quæ in eorum ecclesiis tumulantur, accedere teneri, nisi tenet legitime præscripta consuetudo in alia conveniendi ecclesia: *Ripana*, *Funerum*, 23 *febr.* 1658.

15. Statuta immemorabili consuetudine non potest jus admittendi ad participationem ecclesiæ Asculanæ competere nisi originariis; quoad exteros vero a dicto capitulo, sive congregatione ad dictam communicationem admitti non possint, nisi auctoritate apostolica: *Asculana, Participat.*, 18 *novem.* 1662, *dub.* 6.

16. Consuetudo etiam immemorabilis concedendi licentiam soli confessario in casibus necessariis pro ingressu in septa monialium S. Claræ exemptarum ab Archiepiscopi jurisdictione, et regularibus subjectarum non valuit; quum in casu præsenti, tam pro ingressu, quam pro alloquio utriusque facultatem conjunctam requiri decrevisset S. C.: *Urbinaten.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 10 *martii* 1663, *dub.* 16.

17. Nihil suffragatur consuetudo, et synodus provincialis, ut societates laicales possint ab Archiepiscopo per edictum ad interveniendum supplicationibus compelli: *Ibid.*, *dub.* 22.

18. Quæsitum est, an liceat parochis civitatis Papiæ vigore consuetudinis aut constitutionis synodalis exigere ab hæredibus defunctorum, quorum cadavera in ecclesiis regularium sepeliuntur duplicatam eleemosynam, quæ ceteroquin soleat exigi? non licere salvo tamen jure immemorabilis consuetudinis coram judice probandæ, respondetur: *Papien.*, 12 *decem.* 1665, *dub.* 1.

19. Inde postulatur, an a parochis prædictæ urbis possint vigore consuetudinis cogi hæredes defunctorum, ut si quando aliquos fratres exempli gratia duodecim vocant ad comitandum in funere cadaver defuncti, totidem omnino pares numero clericos seculares debeant vocare? non licere, salvo tamen jure immemorabilis consuetudinis coram judice probandæ constitutum est: *Ibid.*, *dub.* 2.

20. Non obstante immemorabili consuetudine societates laicorum etiam in ecclesiis regularium existentes impellendos esse ad reddendam rationem Ordinario juxta præscriptum, cap. 9, sess. 22. *de Reform.* [718]: *Acheruntina, et Matheranen.*, *Visitat. sacr. Liminum,* 3 *martii* 1668, *dub.* 5.

21. Ad dubium, an concurrente consuetudine immemorabili, vel privilegio possint eligi duo vicarii capitulares? S. C. respondit negative [719]: *Tirasonen.*, *Elect. vicarii capit.*, 13 *julii* 1669, *dub.* 3.

22. Et pariter negativum dedit responsum quæsito, an posita etiam facultate eligendi duos vicarios, possint isti exercere alternatim per menses casu, quo non habetur immemorabilis consuetudo, vel privilegium? *Ibid.*, *dub.* 4.

23. Vi prætensæ consuetudinis, existentibus in capitulo doctoribus, seu licentiatis in jure canonico in officialem, seu vicarium doctor in jure civili, aut theologia dumtaxat eligi non potest: *Majoricen.*, *Elect. vicarii capit.*, 13 *febr.* 1672, *dub.* 1.

24. Inde propositis dubiis, an existentibus in capitulo doctoribus sive licentiatis in jure canonico, quos major pars capituli putat haud habere qualitates requisitas ad gubernium ecclesiæ, possint eligi alii doctores graduati in aliis scientiis, periti tamen in jure canonico, posita consuetudine immemorabili ita eligendi per suffragia secreta, prævio juramento de eligendo magis idoneo?

25. Et an existentibus in capitulo doctoribus, seu licentiatis in jure canonico, nomine tenus possint eligi alii doctores, seu licentiati in aliis scientiis periti, et litterati, stante consuetudine ita eligendi? respondetur, esse formam a sacro Concilio [720] præscriptam servandam: *Ead. causa*, 18 *novem.* 1673, *dub.* 1 et 2.

26. Regulares Papiæ sub umbra consuetudinis, sibi arrogant in causis judicialem discussionem, et indaginem, et requirentibus conveniri non possunt, nisi coram judice conservatore privilegiorum, non coram Ordinario; hinc S. C. quoad prædictam consuetudinem audiri partes resolvit: *Papien.*, *Jurisdict.*, 30 *martii* 1680, *dub.* 2.

27. Decretum de celebratione Missarum capitula

[718] Vide not. 96, verb. *Administrator* § 5.

[719] Const. *Exponi nobis*, 8 aug. 1625 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 353), Urbani VIII, confirmatur decretum S. C. Concilii, quo declaratur, eligi non potuisse a capitulo duos vicarios ecclesiæ Liminæ, illius sede archiepiscopali vacante.

[720] Sess. 24, cap. 16, *de Reform.* ubi decernitur, ut capitulum sede vacante, « officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. »

cathedralis, et collegiatarum ecclesiarum, necnon communitates tenentur observare tam pro acceptione onerum perpetuorum Missarum, tam pro investimentis faciendis illarum pecuniarum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium: *Vicen., Visitat. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 3.

28. Nisi obstet contraria observantia, coadjutores in binis ecclesiis parochialibus S. Luciæ, et Sanctissimi Salvatoris, qui habent congruam, nequeunt lucrari emolumenta funerum, baptismorum, et matrimoniorum, quæ sunt jura parochialia et dari solita parocho: 16 *decem.* 1679, *dub.* 3, confirmatur *in Verulana, Servitii, seu paroch.*, 17 *junii* 1702.

29. Secundum immemorabilem consuetudinem sacerdotes parochialis ecclesiæ terræ Scorrani post absolutum servitium in minoribus ordinibus, necnon in subdiaconatu et diaconatu non tantum choro per annum gratis inservire, sed etiam Missas celebrare, antequam ad massæ partitionem admittantur, tenentur: *Hydruntina, Servitii,* 28 *novem.* 1705.

30. Consulta S. C., an sacerdotes onus habeant inserviendi ecclesiæ cathedrali omnibus diebus festivis? respondit posse cogi juxta consuetudinem, ac synodales constitutiones: *Die* 15 *novem.* 1670, confirmatur *in Bellicastren., Servitii*, 11 *aug.* 1706, *dub.* 1.

31. Juxta avitam consuetudinem victualia vicario ecclesiasticæ jurisdictionis status Estepensis dismembrati ab ordinibus militaribus S. Jacobi de Spata, Calatravæ et Alcantaræ occasione visitationis frugaliter pro medietate sunt præstanda: *Nullius, provinciæ Hispalen., Excessuum,* 11 *sept.* 1706, *dub.* 5.

32. Occasione funeris Alvarii de Luna regii gubernatoris civitatis Crotonis dubitatum fuit, an retineri possit serica culcitra, cum qua transfertur cadaver; seu sit locus restitutioni? responsum fuit, ad primam affirmative, ad secundam partem negative, salva tamen consuetudine legitime probanda: *Crotonen., Jur. funer.*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 5.

33. S. C. consulta, an manente consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram, et minores ordines die vespere feriæ sextæ ante diem sabbati Quatuor temporum? rescripsit affirmative quoad primam tonsuram; et quoad ceteros ordines minores consuetudinem immemorabilem posse tolerari, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali romano tit. [781] *de Minor. ordin.*: *Portallegren.*, 13 *april* 1720.

34. Ratione piæ consuetudinis tantum tenetur præpositus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Populo oppidi Pontremoli una cum capitulo instar supplicationis quotannis in vigilia Ascensionis Domini nostri ecclesiam SS. Hippolyti, et Cassiani adire, ac visitare: *Lunen. Sarzanen., Præemin.*, 9 *junii* 1725, *dub.* 4. confirmatur inde quoad præpositum tantum tanquam parochum: 18 *maii* 1726, et 1 *junii* 1737.

35. Contra immemorabilem consuetudinem, quæ archypresbyteri S. Blasii civitatis Aquilæ jurisdictioni favebat, judicatum est a S. C. intrare arbitrium pro aperitione oris adversus motum proprium Benedicti XII, Pont. Max., in favorem Episcopi Aquilani editum: *Aquilana, Jurisdict. super aperitione oris*, 5 *maii* 1731, *dub.* 1.

36. Non tantum consuetudo antiquissima in admissione presbyterorum ad portionem in ecclesiis diœcesis Larinensis, sed decretum quoque synodi spectandum est: *Larinen., Decret. synod.*, 30 *aug.* 1732, *dub.* 11.

37. Nisi consuetudo vim obtineret, sacerdotes, et clericos in sacris ordinibus constitutos etiam non participantes ecclesiæ parochialis, et receptitiæ oppidi Tricasii interesse eidem ecclesiæ diebus festis hortandos esse, sed non posse cogi, firmatum est: *Die* 18 *novem.* 1673. Deinde S. C. servandum decretum Episcopi anni 1726 [782] mandavit: *Alexanen., Servitii eccles.*, 24 *jan.* 1733, *dub.* 1.

38. Mulieres societatis utriusque sexus sanctissimi Nominis Jesu oppidi Viqueria consorores peregrinæ nuncupatæ non possunt ad formam decreti comitari cadavera sub speciali vexillo, quem comitatum permissum reputant ex universali consuetudine regionis, qua mulieres sodalitiis adscriptæ sub proprio vexillo funeribus interveniunt: *Derthonen.*, *Visitat.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 18.

[781] Part. 1, pag. 14, ubi sic habetur: « Quatuor minores ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus dominicis, et festivis duplicibus; sed in mane tantum. Ordinandi omnes ad quatuor minores ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera. »

[782] Cum decretum Episcopi loqueretur generatim de clericis, ac de pecuniaria multa prout asserebatur in duobus carolenis, mens fuit, ut si clerici, atque etiam constituti in ordinibus minoribus, subdiaconatu, et diaconatu neglexerint diebus festis Missæ, et vesperis in ecclesia parochiali cujus servitio adscripti fuerunt in ordinatione, vel de ejus mandato, et in qua suis fungi debent muneribus hi erunt paterna Episcopi correctione admonendi, denunciando etiam se nisi servitium ab Episcopo præscriptum obierint promovendos non fore ad majores ordines; si sæpius deliquerint ejus arbitrio etiam cum pecuniaria multa puniri debent arbitrio Episcopi: quoad sacerdotes ipsi quoque monitionibus increpandi ipsis significando, quod in admissione in numero participantium habebitur ratio de servitio antea præstito, crescente contumacia in ipsos aliquo modo animadvertere poterit Episcopus: *Regist. lit.* lib. 28, die 24 januar. 1733.

39. S. C. prorsus despexit consuetudinem ob quam vicarius generalis aliquid etiam modicum muneris, seu stipendii accipiat pro subscriptione, et sigillo, sive alia qualibet de causa, et titulo in exequutione dispensationis matrimonialis : *Dubia super exequut., dispens. matrim.*, 20 *januar.* 1787, *dub.* 1.

40. Etsi vi sexcentenariæ consuetudinis, et statuti ecclesiæ cathedralis Portionarii ejusdem ecclesiæ assiduo servitio chori premerentur, tamen conceduntur vacationes per duos menses, amissa tertia parte distributionum, in quibus eorum reditus potissimum consistunt: *Illerden., Absentiæ, et distribut.*, 3 *martii* 1792, *dub.* 1.

41. Piæ fundationes, et capellaniæ institutæ a nonnullis monialibus professis monasterii Matris Dei Vallisoleti, declarantur ob immemorabilem observantiam validæ, licet de legitima facultate ab initio non constet : *Vallisoletana*, 17 *august.* 1793, *dub.* 1.

42. Licet ex inveterato usu canonici *extra capitulares* nuncupati ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli Caprarolæ immunes sint a punctaturis, nihilominus esse locum deposito punctaturarum, dimissa tertia parte fructuum pro distributionibus constituendis S. C. firmavit: *Civitatis Castellanæ, Punctat.*, 16 *maii* 1795, *dub.* 1 et 2.

Consuetudo quoad decimas. V. *Decimæ*, etc.

Consuetudo quoad quartam funerum. Vide *Quarta funerum*.

§ III.

Consuetudo quando probari debeat.

1. Dari litteras remissoriales præcipitur ad probandam consuetudinem, dum proponitur dubium, an simplices sacerdotes non participantes nec habentes beneficium curatum teneantur saltem inservire in munere diaconi, et subdiaconi in Missis cum cantu? *Auximana, Servitii chori*, 26 *novem.* 1701, *dub.* 2.

2. Dubio, an sacerdotes simplices nullum habentes beneficium in cathedrali ecclesia, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum teneatur assistere servitio dictæ ecclesiæ singulis diebus de præcepto? rescribitur coadjuvandas probationes super consuetudine, et testes formaliter examinandos: *Trojana, Servitii*, 18 *febr.* 1702. *dub.* 1.

3. Dum quæritur, an occasione comitatus cadaverum ad ecclesiam S. Bernardini patrum minorum de Observantia liceat præposito collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Laurentii urbis Mortarii tam cum clero, quam sine ingredi ejusdem januam cum stola, pluviali, et cruce elevata? probationes super consuetudine postulantur: *Viglevanen., Funerum*, 18 *maii* 1743, *dub.* 3.

§ IV.

Consuetudo quando toleranda, vel ut rationalis servanda, vel ut corruptela improbanda.

1. Quum esset antiqua constitutio in ecclesia cathedrali, qua canonici qui infirmantur, durante eorum infirmitate percipiunt fructus tam præbendæ, quam quotidianarum distributionum; inde consuetudo introducta est, qua ipsi infirmi fructus tantum præbendæ consequantur, non autem quotidianas distributiones. Disquiritur in hoc casu, an constitutio vel consuetudo sit servanda? S. C. respondit consuetudinem, si est legitime præscripta, tollere constitutionem: *Tudertina, anni* 1573, *dub.* 2.

2. Venit etiam in consuetudinem, ut canonici missi a capitulo pro ecclesiæ, seu capituli servitio percipiant fructus præbendæ, atque distributiones quotidianas, an sit observanda? observandam esse, si canonici absint pro evidenti ecclesiæ utilitate, declaratur: *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Quoad Episcopi pontificalia statuit S. C. servandam esse consuetudinem cujusque ecclesiæ, de qua consuetudine nisi constet, servandum esse id quod præscribitur in pontificali [723], et non obstante quacumque consuetudine Episcopo in pontificalibus celebranti, teneri canonicos pro diacono, et subdiacono deservire: *Abulen.*, *anni circiter* 1582.

4. Viget consuetudo in aliquibus capitulis cathedralium, quod in admissione ad possesionem ab Episcopis singulis canonicis aureus unus solvatur, et a canonicis quarta pars. Quæritur utrum dicta consuetudo sit irrita declaranda, et rescribitur, consuetudinem hujusmodi esse sublatam per Concilium sess. 24, cap. 14. [724], et per Const. S. Pii V, Pont. Max. [725], ideo non esse tolerandam : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 20.

5. Insuper putavit eadem S. C. consuetudinem, qua canonici primi anni fructus non percipiunt, sed accrescunt præbendis antiquiorum canonicorum, esse a Concilio sublatam, ac per Const. S. Pii V, Pont. Max. [726], nec esse tolerandam: *Ibid.*, *dub.* 21.

6. Si ex consuetudine competit Archiepiscopo jus concedendi licentias accedendi ad colloquium cum monialibus, quæ regularibus subjectæ sunt,

[723] Vide not. 157, verb. *Canonici* § 6.
[724] Vide not. 158, *ibid.*
[725] Vide not. cit. 158.
[726] Vide not. cit. 158.

servandam esse hujusmodi consuetudinem, etiam privative quoad superiores regulares, S. C. mandavit: *Mediolanen.*, *junii* 1587, *dub.* 1.

7. Quæ sit S. C. sententia poscit Episcopus hoc dubio, an stante Const. Pii IV, Pont. Max., de fidei professione [787] toleranda sit consuetudo universitatis studii Urbini, qua rectores, cancellarius, et docentes nullam emittunt fidei professionem, scholastici vero, qui laurea ornari debeant, illam in manibus laici proferunt? S. C. respondit observandam esse dispositionem bullæ, et necesse non esse, ut superior sit persona ecclesiastica: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 1.

8. Consuetudo, qua singuli canonici retinent in proprium, et particularem usum omnino separatum a ceteris canonicis, et quibuscumque sacerdotibus calicem, et patenam, et alia paramenta sacerdotalia, quæ sunt propria sacrarii, in hoc casu non potest tolerari: *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Consuetudo, qua canonici punctis notantur, nisi assistant concionibus tempore Quadragesimæ; expediat eosdem punctis notare, si non assistant concionibus tempore Adventus, et infra annum, haud a S. C. defenditur: *Ibid.*, *dub*, 5.

10. Stante dispositione Concilii Trident. sess. 24, cap. 4, *de Reform.*, vi cujus prædicator deputatur ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare tenentur, vel solent, vel saltem, quod prædicatorem nominet, qui ei præbet eleemosynam, et alimenta juxta declarationes S. C. pluries editas; an sit servanda consuetudo, qua duobus annis nominat prædicatorem communitas Urbini, Archiepiscopus præstat alimenta, et societas solvit eleemosynam, tertio vero anno, quo elegit Archiepiscopus, ipse solus prædicatori alimenta, et eleemosynam solvit ullo subsidio societatis? S. C. censuit esse consuetudinem servandam, nisi Archiepiscopus velit sibi vindicare jus eligendi ad præscriptum declarationum alias editarum: *Ibid.*, *dub.* 7.

11. Consuetudo retinenda est circa modum, quo Episcopus a syndicis, et officialibus locorum, seu arcium tam in prima quam in successivis visitationibus veniat excipiendus: *Nicien.*, *ad Visitat. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 14.

12. Ad dubium, an sit introducta consuetudo, quæ servanda veniat faciendi portiones canonicales, seu præbendas variabiles in statibus de quibus agitur, cum optione portionum canonicis antiquioribus? S. C. censuit injungendum esse Episcopo, ut in actu visitationis firmet statum massæ communis, et distributionum ad formam Concilii, et postea S. C. certiorem faciat [788]: *Verulana*, *Punct.*, 10 *julii* 1694, *dub.* 1.

13. Consulta S. C. super consuetudine solvendi ad minus libras 12 pro cereis funereis, quæ accenduntur circa cadaver, et castrum doloris impugnata; decidit consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quæ deferuntur per viam, esse servandam: *Mantuana*, *Quartæ funer.*, 18 *julii* 1699.

14. S. C. ad dubium propositum, an et quæ emolumenta funerea debentur parochis ecclesiarum parochialium villæ de Bilbao occasione funeris Augustini de Ubyzabal expleti in ecclesia societatis Jesu? primum deberi quartam, deinde servari consuetudinem mandavit: *Calagurilana*, *Funerum*, 27 *maii* 1702, *dub.* 1.

15. Consuetudinem immemorabilem ecclesiæ receptitiæ S. Mariæ Majoris urbis Marutheæ, cujus vigore quisque sacerdos antequam admittatur ad participationem solvit unicuique ex illis participantibus carolenos decem, servandam esse sancitur: *Cassanen.*, 3 *decem.* 1718.

16. Consuetudinem, quæ stat in ecclesia metropolitana, non admittendi quemquam ad massæ partitionem, nisi prius eidem ecclesiæ spatio 14 annorum gratis inservierint, ac ultimis duobus annis tres aut quatuor in hebdomada Missas celebraverint, ab absentibus causa infirmitatis pœna punctaturæ soluta, servandam esse S. C. decrevit, præterquam ad servitium præstandum ab absentibus causa infirmitatis, et quoad onus celebrandi Missas gratis in ultimo biennio: *Matheranen.*, *Participat.*, 24 *sept.* 1735, *dub.* 1, confirmata 14 *decem.* 1737.

17. Consuetudo, quæ viget in ecclesia cathedrali intermittendi doctrinam christianam mense nempe octob., et mense decem. usque ad diem 13 januarii, aliisque diebus impeditis non est sustinenda. Etiam eo tempore homines aucupio, vindemiis, et rusticatione distenti nemo natus ad eam audiendam accedat: *Hortana*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 5, confirmata 29 *ejusd. mensis et anni.*

18. Atrium monasterii patrum Minorum conventualium Urbaniæ non esse extra clausuram; ita ut minime retinendam esse consuetudinem immemorabilem super illius libertate S. C. declaravit: *Urbanien.*, *Clausuræ*, 18 *april.* 1750.

19. Quum S. C. definivisset superioribus regularibus in spiritualibus, et temporalibus super monasteriis SS. Catharinæ martyris, et Senensis, necnon SS. Monicæ, et Rocchi, et signanter in

[787] Quæ incipit *Injunctum*, 13 novem. 1564 (*Bull. Rom.* tom 4, part. 2, pag. 204), qua confirmatur dispositio sacri Concilii Trid. sess. 24, cap. 12, verb. *Provisi*, et tradit formulam fidei professionis juramenti.

[788] Vide not. 101, verb. *Canonici* § 3.

procuranda recta administratione bonorum, ac redituum monialium dictorum monasteriorum sibi subjectorum jurisdictionem competere; subjungit in casibus particularibus consuetudinem minime servandam esse: *Ferrarien., Jurisdict.,* 28 *sept.* 1754, *dub.* 1.

20. In consultationem vocata S. C. quoad consuetudinem canonicorum ecclesiæ cathedralis, qua præter horas canonicas quoque in choro officium defunctorum, B. M. V., psalmos pœnitentiales, et graduales diebus in breviario designatis recitant; respondit consuetudinem illam esse tuendam: *Montis Alti*, 28 *sept.* 1754.

21. Approbatur vetus mos, et pristinus usus, cujus initii memoria non extat, ecclesiæ cathedralis, binas erigendi cruces in supplicationibus, quibus collegium parochorum intervenit, unam scilicet ante mansionarios, et seminarii alumnos, alteramque ante ipsos canonicos: *Faventina, Præeminent. et funct.*, 7 *junii* 1760, *dub.* 9.

22. Quæsitum fuit, an esset consuetudo toleranda, quod capitulares ecclesiæ cathedralis in ingressu solvant libras quadringentas, seu verius 424, ad augendam, et conservandam massam distributionum quotidianarum, ita ut, qui non solverit omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur? S. C. negativum dedit responsum juxta votum Card. relatoris [729]: *Ecclesien., Oner. et distribut.*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 2.

23. Clausuram patrum conventualium Ferentini comprehendere declaratur hortum, quem vocant *Frigidum*, intra septa cœnobii existentem, non obstante consuetudine super illius libertate; quam servandam non esse S. C. declaravit: *Ferentina, Visitat. sacr. Liminum*, 5 *april.* 1794, confirmata 20 *febr.* 1796.

24. Mos pristinus ecclesiæ collegiatæ divi Petri, quo capitulares absentes substituere possunt in chorale servitium, et sibi invicem permutare conciliares vacationes a S. C. toleratur juxta votum Episcopi [730]: *Spoletana, Servitii chori,* 28 *febr.* 1795, *dub.* 1.

25. Sed consuetudo pariter antiqua, qua canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium, improbatur: *Ibid.*, *dub.* 2.

26. Item consuetudo etiam vetus, qua capitulares absentes ad Missam in eadem ecclesia celebrandam tempore choralis officiaturæ lucrari possint distributiones quotidianas, improbatur juxta votum Episcopi et constitutiones episc. [731] Facchinetti: *Ibid.*, *dub.* 3.

27. Denique pariter non permittitur juxta votum Episcopi [732] consuetudo prisca, qua capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem ecclesia, quo tempore confessiones audiunt, pro præsentibus haberi debeant: *Ibid.*, *dub.* 4.

28. Immemorabilis consuetudo, qua promotor pro tempore devotionis sanctissimi Rosarii celebrat Missam lectam sub auroram feriæ V in Cœna Domini in ecclesia S. Dominici Bononiæ confirmatur: *Bononien.*, 14 *martii* 1795.

CONSULES CIVITATIS. V. *Magistratus*.

CONTINENTIA QUOAD DISPENSATIONEM. V. *Dispensatio,* § XIV.

CONTRACTUS IN GENERE QUOAD SANATIONEM. V. *Sanatio*.

CONTRACTUS.

§ I.

Contractus in genere quoad validitatem, et nullitatem.

1. PP. conventus S. Mariæ Gratiarum ordinis Min. conv. S. Francisci jus Josepho Campanæ elevandi ejus novam fabricam, necnon tigna immittendi, ac appodiandi super muris conventus concesserunt. At quum idem Joseph perficere vellet fabricam, patres de nullitate contractus ob defectum beneplaciti apostolici egerunt, perpensa fabricæ elevatione obnoxia aeris salubritati conventus. Re in S. C. deducta, decisum est, in contractu prædicto fuisse apostolicum beneplacitum necessarium: *Albanen.*, *Beneplaciti*, 21 *junii* 1698, *dub.* 1.

2. Nec illud modo esse permittendum censuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Conciliatis nuptiis inter Clementinam Bianchi sacerdotis Alexandri Gasparis Gregorii ex sorore neptem, et Josephum Marini, idem sacerdos die 12 januar. 1768, dotem auxit in aliis scutis 400 super bonis suo sacro patrimonio assignatis ea conditione, ut fructus non prius conjuges percipere possent quam post obitum sacerdotis constituentis, addita pro firmitate contractus clausula *Con-*

[729] Vide not. 413, verb. *Capitulum ecclesiasticum* § 4.
[730] Vide not. 388.
[731] Vide not 419, verb. *Capitulum ecclesiasticum* § 4.
[732] Vide not. 319, pag. *ibid.*

stituti, et *precarii*. Deinde idem sacerdos die 30 aprilis ejusd. anni in novum incrementum cessit aliam partem sui sacri patrimonii, his verbis adhibitis: *Che s'intenda transferito a favore di essa Clementina se non dopo sequita la morte di esso sig. D. Alessandro*. Hi contractus hodie impugnantur, quia gesti super patrimonio sacro, et absque Ordinarii auctoritate; et S.C. nullum instrumentum diei 12 januar. 1768 quoad Olivetum, tamen salvis juribus conjugibus Bianchi competentibus prout de jure; validum autem instrumentum diei 30 april. 1768 declaravit: *Tusculana*, 10 *maii* 1783.

§ II.

Contractus in specie id est vulgo a capo salvo.

1. Ingravescente pascuorum penuria in districtu civitatis Montis Pelusii invaluit quidam ovium, aliarumque pecudum contractus sub specie locationis cum cautione sortis, qui vulgo dicitur *a capo salvo*. Ob rumorem injustitiæ hujusce contractus S. C. consulta respondit die 13 junii 1611, ut recurrant in casibus particularibus. Hinc canonicus Joseph Accetta præ ceteris ex hujus specie contractus detrimentum experiri asserit, qui a locis nonnullis piis titulo locationis ad triennium receperat fructum gregis ovium, aliarumque pecudum pro annua responsione gran 15 pro quolibet capite earumdem pecudum, quod reddit (uti ait) carolenos decem annuatim. Dubio proinde discuso, an sit contractus usurarius? negativum dedit S. C. responsum, et quoad læsionem prætensam remisit ad judices suos: *Montis Pelusii, Præt. nullit. contractus*, 30 *april.* 1712 *dub.* 1.

2. Et ad dubium, an ille sit illicitus? rescriptum edidit affirmativum in casu, de quo agitur, uti de contractu presbyteri; *Ibid.*, *dub.* 2.

§ III.

Contractus in specie, id est vulgo collaticus.

Episcopus Amerinus in relatione status suæ ecclesiæ exposuit, in sua diœcesi frequenter fieri contractum vulgo nuncupatum *collaticum*, quo scilicet pro quolibet bove, seu juvenco terram arante, qui bubulco traditur, portio quædam annua frumenti domino bovis traditur, cum pacto, ut decedente bove naturaliter, damnum sit domino, et bubulco commune; si vero pereat culpa ejus, cui traditus est, is totum damnum subeat; ob id quæsivit, utrum hujusmodi contra actus essent liciti. Annuit S. C. et injuxit, dummodo pacta imposita in contractibus sint justa, et correspectiva ad formam sacr. Canonum [751]: *Amerina, Visitat. sacr. Liminum*, 16 *dec.* 1730.

§ IV.

Contractus in specie id est vulgo draghetto.

1. Sacerdos Paulus Antonius Tomassius parochus Acummoli in regno Neapolitano exposuit se multis abhinc annis binos invaluisse contractus, qui passim fiebant, et quos ipse non citra labem usuræ faciendos putabat. In primo contractu ab indigenis nuncupato *draghetto* titulo mutui dabantur ducati regni Neapolitani cum obligatione, ut mutuatarius intra duos menses tot alia restitueret scuta Romana. S. C. interrogata, num sic contrahere sibi liceret? et haudquaquam licere sancivit: *Asculana*, 16 *martii* 1726, *dub.* 1.

2. Secundum vero contractum quidam inibat hoc modo. Dabat frumentum, et dabat segetes ad rationem pretii, quo frumentum, et segetes venderentur tali alio determinato tempore, quo frumenti, et segetum pretium solet augeri; propterea idem quæsivit orator, num hic etiam contractus licitus

[751] Sixtus V, Pont. Max., Const. *Detestabilis*, 21 octob. 1586 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 265), omnes societates, quæ ineuntur sub pactis, et conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, de quibus a jure communi cautum est, rejicit, damnat, ac improbat, additis tamen majoribus pœnis; jubens, ut non certa summa statuatur quotannis danda, cum negotiorum incertus sit exitus, neque si forte pereat capitale, capitale debeat restitui integrum, modo qui accepit capitale, bona fide, æquitate, industria, et pro vicibus suis omnia egerit. Aliter facientes incurrant pœnas a sacris Canonibus in hujusmodi criminis reos statutas. De societate autem animalium juvat hic referre, quæ S. Carolus Borromæus in *Concil. I. Mediol. prov.* anno 1565, actor. part. 2, cap. *de Usuris* decrevit. Sunt autem hujusmodi: « In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus. Neve quidpiam certum præter sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo, aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus, qui locarit. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit. » De contractu *Collatico* fuse Clericat. *in Miscellan.* decis. 30, per tot. De Sixtina Const. vid Geraldi *Exposit. jur. pontif.* tom. 2, pag. 674.

sit? et responsum habuit, ut consuleret theologos in casibus particularibus: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Episcopus Asculanus primum contractum semper habuit pro usurario, ac proinde in constitutionibus synodalibus sub pœna excommunicationis damnavit; petitur modo, quomodonam esset providendum? responsum prodiit, ut procederet juxta synodales constitutiones: *Ibid.*, *dub.* 3.

Contractus emphyteuticus. V. *Emphyteusis.*

§ V.

Contractus emptionis, et venditionis quando ei locus sit, et beneplacitum apostolicum concedatur.

1. Ob evidentem Montis Misericordiæ utilitatem exoptantes officiales illius palatium hæreditarium marchionis Blanchi distrahere, supplices se exhibent, ac oblationes transmittunt. Annuit S. C. pro venditione in favorem Fiani pro ducatis 6810; ita tamen et unico contextu pecuniæ investiantur in bonis stabilibus ad formam testamenti, vel quatenus non reperiantur prompta investimenta, in sacra publica æde deponatur: *Neapolitana*, *Beneplaciti*, 18 *decem.* 1706.

2. Enixe flagitantibus gubernatoribus Montis Septem Misericordiæ operum Neapolis apostolicum beneplacitum, ut firmiter concludi posset alienatio juris prædii in oppido, ut aiunt, *del Pizzone*, ejusque adjacentium allodialium bonorum S. C. vero eorum rejecit preces: *Neapolitana*, *Beneplaciti*, 9 *april.* 1712. Iterum in decisis respondit; etsi evidens utilitas in favorem Montis appareat, quum in omnem eventum regressus ad bona, ac jura vendita adesset: 11 *martii* 1713.

3. Sfortia Porcellotus cæmentarius, quod abbas, et monachi S. Pancratii ordinis Vallisumbrosæ urbis Florentiæ ei pretium residuale fabricæ eorum monasterii debebant, sub hasta posuit quædam monasterii bona stabilia. Antequam eorum deliberationem Sfortia absolvisset, monachi eam præpedierunt, quod antea beneplacitum ille apostolicum non reportaverat, sed hoc indulsit S. C.; etiamsi monachi ipsi dictitarunt, exhaustos eos fuisse impensis sumptuosæ fabricæ, quam abbas de Forasassis nulla impellente necessitate adortus est: *Florentina*, *Beneplaciti*, 27 *aug.* 1712.

4. In alienationibus mobilium pretiosorum, quæ ecclesiæ fratrum ordinis S. Francisci provinciæ Cismontanæ relicta, et incorporata sunt, necessarium esse beneplacitum apostolicum, quo vero ad omnes alias res in posterum non posse syndicos, qui dicta vilissimo pretio vendebant, propinquosque, vel necessarios anteferebant, ad venditionem procedere, nisi prævia Edictorum affixione, et venditione majori oblatori, S. C. demandavit: *Ordinis S. Francisci.* 18 *martii* 1719.

5. Solum, quod ad seminarium Theatinum spectabat, et in quo ecclesia S. Angeli in oppido Fossacecæ constructa fuerat, et inde penitus diruta, una cum ejus ruderibus, et muris aliqua ex parte adhuc superextantibus fuit concessum absque beneplacito apostolico archipresbytero Josepho Andreæ Sisto, nullo persoluto pretio, sed cum pacto reædificandi dictam ecclesiam cum reservatione jurispatronatus laicalis. S. C. invalidam illam concessionem affirmavit, deinde censuit esse locum alienationi ad effectum vendendi pro pretio centum ducatorum regni, qui in bonis stabilibus in favorem seminarii investiantur: *Theatina*, *Alienat.*, 5. *martii* 1735, *dub.* 2, confirmat. et additum reservato jure Josepho Andreæ Sisto super prælatione: 10 *sept. ejusd. anni.*

6. Sylvam, de cujus ligno carbo coquitur, ad præposituram collegiatæ ecclesiæ Lilletti spectantem vendendi, seu locandi ad septennium facta fuit facultas præposito Padros; necnon concessum apostolicum beneplacitum juxta modum [734]; quamquam ejusdem præpositurae coadjutor Bernola adversaretur. Ex processu enim ab Episcopo Celsonensi confecto utilitas elucet, ac jus præpositi Padros vindicatur; *Celsonen.*, *seu Urgellen*, *Beneplaciti*, 18 *novem.* 1752.

7. Sorores Zitelliæ mandarunt, ut post earum obitum bona venderentur, et ex pretio ducati 500 capellæ B. Mariæ de Populo, quæ in ecclesia cathedrali est; ducat. 200 conventui Carmelitarum, ducat. vero 400 monasterio S. Annæ; reliqui in decus ecclesiæ S. Mariæ de Carmelo legarentur. Sororibus mortuis prior Carmelitarum sententiam a laica curia obtinuit, qua bona conventui adjudicabantur. Audita proinde fuit S. C., quæ esse bonorum venditioni locum non vero illorum applicationi in favorem conventus cum onere solvendi annuos fructus residui in beneficium ecclesiæ S. Mariæ de Carmelo declaravit: *Suessana*, 20 *novem.* 1756, *dub.* 1.

S. Petrus Calcioni facultas tribuit exequutori suo testamentario de suis omnibus bonis celebrationem curare Missarum, quod peractum fuit; sed quum adhuc invenditi essent nonnulli libri, exequutor prædictus quærit, habita fide de pretio, et cum dilatione emptori impertienda, et quomodo sit providendum? rescripsit S. C. arbitrio Episcopi cum facultatibus: *Fulginaten.*, 8 *aug.* 1772, *dub.* 2.

[734] Nempe cum solitis clausulis, ut sylva vigore hujusmodi facultatis non destruatur.

9. Facultatem alienandi duas domos pro dote duarum capellaniarum assignatas postularunt patres excalceati ordinis S. Augustini, qui pressi ære alieno pretium in illius solutionem impendere cupiebant, facta subrogatione aliorum bonorum, S. C. eis rescripsit pro gratia concessionis beneplaciti super venditione bonorum, de quibus agitur, facta subrogatione apothecerum donec completa fuerit redintegratio pretii dictarum domorum medio annuo deposito scut. 50 statim incipiendo[735], et ad mentem : *Maceraten.*, *Beneplaciti*, 26 *aug.* 1780.

10. Venditio domus spectantis ad canonicatum Giordani permissa fuit canonico Funaroli præbendæ possessori ; etiamsi obstaret dissensus canonici Spila alterius similis præbendæ ab eodem Giordani erectæ possessoris, et domus compatroni ; quod hæc fuit inter eos divisa, pacto tamen adjecto, ut in casu alienationis alterutrius ex patribus prædictis, alter ex canonicis nullum jus haberet, tum in alienatione, tum in investimento ; patroni quoque venditioni assentiebantur, et utilitas ecclesiæ maximi momenti quidem aderat, adeoque beneplacitum apostolicum esse concedendum rescriptum fuit: *Nullius*, *Sublacen.*, *Benepl.*, *apost.* 18 *august.* 1781. Inde causa reproducta confirmatur decretum cum obligatione conficiendi investimentum pretii scutorum nempe 850 in bonis liberis tutis, et frugiferis ad rationem scut. 4 pro quolibet anno, et centenario, vel quatenus pretium non solvatur cum obligatione solvendi per emptorem fructus compensativos ad rationem 4 pro quolibet centenario, et anno, et cum reservatione dominii usque ad solutionem integri pretii, et cum solitis clausulis : 13 *junii* 1782.

11. Obtinet sacerdos Nicolaus Forlani capellaniam quamdam, cujus titulo sacerdotio decoratur. Hæc habet domos, et prædia, quæ reparationibus indigent. Postulat Nicolaus duas alienandi domos facultatem, illarumque pretium utilius investiendi. Invenit oblatorem, qui pro domo æstimata scut. 580. offert scut. 575, ac 155 pro alia scut. 164 æstimata. Hi licet non solvunt pecuniam numeratam, verum usuras trientes quinquennio compensativas, et elapso quinquennio tot cedunt pro pretio census perpetuos, quatuor pro centenis reddentes. S. C. admisit alienationem prædictam, solutis interim fructibus ad rationem 4 pro centenario, et in fine quinquennii numerato integro pretio ad effectum investiendi cum solis clausulis salvis quibuscumque juribus unicuique quomodlibet competentibus : *Recineten.*, 10 *sept.* 1785, *dub.* 1.

12. Alienandi potestatem prædiola quædam inter se dissita, et ad beneficium simplex erectum in ecclesia suburbana S. Felicis martyris Camerini spectantia postulavit Perfectus Perfecti beneficiatus. Hic primum ad animum referebat pretium in uno, vel pluribus prædiis, deinde in cambiis, ac censibus cum locis piis, vel communitatibus status ecclesiastici investire. Verum S. C. petitam facultatem donavit prævia affixione edictorum in favorem majoris oblatoris jussitque, in pretium esse investiendum in bonis stabilibus, et in eorum defectu etiam in censibus cum locis piis, et communitatibus : *Camerinen.*, 24 *novem.* 1787, *dub.* I.

13. Vincentius Ventura capellaniæ a Cæsare Tibaldeschi cum hebdomadali onere Missarum fundatæ possessor rogavit, ut domum, in qua Maria Rosa Remondi usufructuaria Tibaldeschi hæres phtysi decessit, et quam ad locandam res difficilis est, ac reaptandam gravis vendere possit. Annuit petitioni, sed juxta votum Episcopi[736] : *Ascul.*, 21 *jun.* 1788, *dub.* I.

14. Possessor beneficii fundationis Bartholomæi Vitelleschi œconomus redituum postulat facultatem vendendi inutilem ejusdem beneficii domunculam, pro qua oblatio est tradita scut. 10 ultra æstimationem faciendam, cum promissione solvendi annuos fructus scut. 3, 50 pro centenario usque ad pretii integram solutionem. Hanc petitam facultatem indulsit S. C. juxta votum Episcopi[737] : *Cornetana*, *Suspens. oner. Missar.*, 20 *sept.* 1788, *dub.* 3.

15. Sebastianus Mancini e Saxoferrato in ecclesia patrum Prædicatorum Maceratæ duplicem capellaniam instituit, eisdem nonnullis censibus, nec-

[735] Mens fuit, ut Episcopus liquidaret reditus subrogandos oneri Missarum legati Compagnoni ; una enim ex prædictis domibus assignata fuerat pro dote capellaniæ Compagnoni, pro qua Missæ celebrandæ erant, juxta bonorum reditus : *Ead. causa*, 26 *aug.* 1780.

[736] Exposita comprobavit Asculanus Episcopus, retulitque, quod demandata edictorum affixione, unicus oblator comparuit, qui scuta sexcentum quinquaginta obtulit cum obligatione solvendi fructus compensativos ad rationem scut. 4 pro quolibet centenario, et anno, donec in bonis stabilibus pecuniæ investimentum reperiatur..... Hisce circumstantiis cum ex venditione domus cum onere solvendi fructus compensativos, isti in summa oblata scut. 650 annuatim summam constituant scut. 26, et e contra ex annua locatione domus scut. 18 retrahi tantum possint ex peritorum relatione, dubitari nequit de utilitate alienationis in casu, quo annui reditus investimenti in posterum faciendi correspondeant fructibus compensativis. Eoque magis, cum circa infectionem dictæ Rosæ vera sint exposita, qua de causa nullusque adhuc repertus est, qui illam conducere voluerit : *Ead. causa*, 7 *junii* 1788, § 2.

[737] Qui dubitandum non censet de alienatione domunculæ. Ea enim in statu, quo describitur, inutilis est ; nec restaurari potest sine magno sumptu, ad quem sustinendum impar est beneficium, nec, si vires suppeterent, obtineri posset proventus pro ratione pecuniæ impendendæ : *Ead. causa*, 20 *sept.* 1788, § 5.

non habitatione unius, vel alterius capellani cum adnexis domunculis, ac viridario assignatis. Antonii fratris testatoris Dominicus filius patronus utramque possidet capellaniam. Hic moratur apud patrem in oppido Saxoferrato ad quadragesimum a Macerata lapidem. Locavit propterea domum, et viridarium, sed parum ex locatione retrahit mercedis, ideo orat, ut facultas ei tribuatur vendendi domum una cum hortulo, et obtinuit : *Maceraten.*, 4 *april.* 1789, *dub.* 1.

16. Venditionis instrumentum super prædiis *il Palazzo, la Case, il Rio* ab episcopali mensa Faventina cum respectivis ædibus Colonicis in territorio Brixichellæ possessis, quæ reddunt annuatim scut. 340, 33, 6, stipulandum esse decernitur in favorem Silvestri Lega ad formam ejus oblationis, in qua extra terminum edicti titulo etiam vigesimæ ampliando oblationem Paschalis Cattari detulit scut. 12603 pro rata parte 8000 in censibus, reditus scut. 4, 50, et reliqua scut. 4603 in pecunia numerata infra biennium, solutis interim fructibus scut. 4, addendo S. C., et assignatis pro summa scut. 8000 tot censibus cum locis piis, seu communitatibus status ecclesiastici annui reditus 4, 50 salvo jure vigesimæ, et sextæ : *Faventina,Alienat. bonor.*, 18 *aug.* 1792.

17. Beneplacitum apostolicum denegatur a S. C. Josepho Leoni, qui minus recte deliberata fuerunt per exequutorem testamentarium nonnulla bona hæreditaria, quæ vendi ad pium opus complendum sacerdos Joan. Vitalis Genghi jusserat. Nam frustra desiderantur edicta, quæ præmitti asseritur, ac peritiæ, quoad assertam bonorum æstimationem : *Ariminen.,Vendit.*, 15 *sept.* 1792, *dub.* 1.

18. Ac venditionem faciendam esse juxta mentem testatoris, prævia affixione edictorum, ad quem effectum scribatur Episcopo juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 2. Hinc affixis edictis comparuerunt Petrus Dominicus Leoni fratris Josephi, et Petrus Julius Balducci primus pro scut.887, 17, alter scut. 886, 79, et S. C. stipulandum esse instrumentum venditionis in favorem Leoni salvo jure vigesimæ, et sextæ : 20 *april.* 1793.

§ VI.

Contractus emptionis, et venditionis quando convalidetur, confirmetur, vel prohibeatur.

1. A censibus constitutis septem millium francorum a religiosis secularis ecclesiæ collegiatæ S. Petri oppidi Romaricomontis, ut propiis indigentiis consulere valeant, modo sese liberare cupiunt. Decreverunt idcirco tres vendere ratas partes cujusdam feudi nuncupati *de Roville* ad mensam capitularem spectantis, et unitas officio secretarii capituli, et decretum exequutioni mandarunt cum reservatione beneplaciti apostolici adjecta obligatione infra terminum 40 annorum tot alia bona stabilia emendi. Requisita S. C. prævia absolutione a censuris alienationem convalidavit, confirmavitque : *Nullius Provinciæ, Treveren.*, 12 *januar.* 1704.

2. Horti ad præbendam prioris collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Archangeli spectantis venditio dissentiente capitulo, ac patronis ecclesiæ eam respuentibus, quamvis evidens ecclesiæ utilitas appareret, prohibita fuit : *Firm. Vendit. horti*, 12 *aug.* 1749.

3. De duabus domibus, quæ ex hæreditate comitissæ Camillæ Ferretti possidentur a canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Platea Anconæ, hæreditario tamen titulo ad communitatem pertinent, ab eaque administrantur cum reliquis bonis Ferretti ad formam testamenti, denegatur illarum venditio, nisi in casu evidentis utilitatis, et necessitatis verificandæ coram S. C. : *Anconitana*, *Vendit.,* 21 *april.* 1792.

§ VII.

Contractus emptionis, et venditionis quoad prælationem, et deliberationem.

1. Quæstio facta est in S. C., in qua patres conventus S. Antonii in Plaga Pausilippi tertii ordinis S.Francisci mediante publico instrumento sub reservatione beneplaciti apostolici vendiderunt Francisco Recupido prædium cum domo pro ducatis 1500, sed antequam exequutioni mandaretur beneplacitum desuper obtentum, admissa fuit nova oblatio in ducat. 1602. Unde disputato dubio, dictum fuit ad mentem Card. præfecti : *Neapolitana, Beneplaciti*, 17 *aug.* 1697, confirmata 28 *sept. ejusd. anni*, *dub.* 1.

2. Et etiam censuit S. C. esse locum prælationi majori oblatori; habita tamen ratione ad Recupidum primum emptorem, quatenus augere oblationem ad dictos ducatos 1602 voluisset : *Ibid.*, *dub.* 2. Inde, quum secundus oblator in majore summa liti cessisset, ead. S. C. mandavit Archiepiscopo, ut concederet, servatis servandis, beneplacitum [758] dicto primo emptori pro pretio tamen oblato a secundo oblatore in summa duc. 1602 : 23 *novem. ejusd. anni*.

3. In venditione domus, ac mobilium ad capitulum ecclesiæ cathedralis spectantium conceden-

[758] Scilicet, pro concessione prælationis majori oblatori habita tamen ratione ad Recupidum primum emptorem, quatenus voluisset augere oblationem ad dictos ducatos 1602. *Ead. causa*, 17 *aug.* 1697.

dum esse beneplacitum in favorem Tiburtii Mongalli, rejecta oblatione Bacconi, quamvis majori, quæ supervenit, postquam instrumentum cum primo stipulatum fuerat, ac idem oblationem suam revocaverat, S. C. interrogata placitum est constituere: *Realina*, 13 *april* 1726. Inde major supervenit oblatio Joannis Palmegiani, antequam possessio domus, et rerum mobilium Mongallio traderetur, necnon ante pretii solutionem, idcirco actus perfectus judicatus non fuit, quia beneplacitum exequutioni mandatum haud fuerat, idem beneplacitum concessum fuit in favorem Joannis sine præjudicio Tiburtii, quatenus hic pro eadem summa præferri exoptet: *Ibid.*, 28 *sept. ejusd. anni.*

4. Patres pii operarii S. Georgii Neapolis domunculam vendere deliberarunt, ut ex ejus pretio ecclesiam repararent. Emit illam Joan. Baptista canonicus Hodierna. Apocha subscripta fuit reservato beneplacito apostolico, quod contrahentes obtinuerunt. Affixis edictis de mandato curiæ archiepiscopalis ad ulteriora emptor prosequi non potuit, quia fratres de Maro possidentes amplum, et nobile palatium, non quidem conterminum hisce domunculis, sed intersecante via satis lata, præferri ceteris pro justo pretio impetrarunt. Et nemine citato, et absque ullo judicis decreto, facta est venditio, ac traditio in illorum favorem. Reclamavit statim canonicus Hodierna, et institit, ut sibi tanquam primo emptori, ac etiam uti vicino, prælationis jus in emptione debeatur. Verum S. C. ad Card. præfectum quæstionem remisit, qui ad affixionem edictorum procedat, et sequutis oblationibus certiorem faciet eamdem S. C.: *Neapolitana, Domus*, 13 *januar.* 1731.

5. Solum ad seminarium Theatinum spectans, in quo ecclesia S. Angeli in oppido Fossacecæ constructa fuerat, et inde penitus diruta, una cum suis ruderibus, et muris aliqua ex parte adhuc superextantibus, Petro de Cruce ab Archiepiscopo Fossacecæ Josepho Andræ Sisto, nullo persoluto pretio, sed cum pacto iterum ædificandi dictam ecclesiam cum reservatione jurispatronatus laicalis datum est. Invalidas has concessiones deputati seminarii esse intendunt, uti apostolico beneplacito destitutas; et S. C. ita censuit: *Theatina, Alienat.*, 5 *martii* 1735, *dub.* 1.

6. Deinde censuit esse locum alienationi ad effectum vendendi pro pretio centum ducatorum regni, qui in stabilibus in favorem seminarii investiantur: *dub.* 2. confirmat., et additum reservato jure Josepho Andreæ Sisto super prælatione: 10 *sept. ejusd. anni.*

7. In dubium venit, quænam oblatio apostolica auctoritate probanda esset, an illa facta ab Aloysio Arrighi, vel altera Petri Guasconi in licitatione quarumdam ædium, quæ Viterbii existunt, ad societatem sanctissimi Rosarii in ecclesia S. Mariæ supra Minervam erecta, spectantium; an tertio oblator Joan. Baptistæ Polidori, qui inde accessit, ac permutationem tot bonorum stabilium in urbe existentium exhibebat? S. C. censuit esse concedendum beneplacitum apostolicum in favorem Aloysi Arrighi pro scutis 810: *Romana, seu Viterbien., Concess. benepl. apost.*, 26 *januar.* 1743.

8. Bona hæreditaria Caroli Mariotti cathedrali ecclesiæ Cinguli relicta Missarum celebrationi obnoxia ejusdem ecclesiæ capitulum excipiendi anceps fuit, ideo pro illis hasta posita fuit, et inter oblatores, ac capitulum ipsum certatum de prælatione fuit. Capitulum petiit declarari, an jure hæreditario Caroli testatoris vellet præferri? et in favorem oblatoris Gallii decretum prodivit. Interim reportata a Cavallinio alterius oblatoris cessione jurium, idem capitulum ab illo decreto appellavit, et S. C. ei prælationem competere decidit, facta tamen obligatione per capitulum celebrandi Missas juxta numerum præscribendum ab Episcopo pro rata parte redituum respondentium sorti oblatæ a Gallio ad rationem trium scutorum pro centenario, et eleemosynæ perpetuæ absque spe reductionis ex causa in pejus mutationis bonorum: *Cingulana, Prælat.*, 29 *maii* 1745.

9. Alienandum erat prædium Petrara a Sanctissimi Sacramenti terræ S. Hippolyti sodalitio. Affixis itaque S. C. mandante edictis, scuta 167. 33 obtulit Augustinus Clementi. Oblationem hanc superavit Guido Ubaldus Ciani scuta 168. 10 exhibens. Sed oblatio hæc Ciani post lapsum ab edictis præstitutum tempus facta fuit. Pro Ciano supplicavit sodalitium, ac Cianus, ut in sui favorem respondetur, ne iniqua sodalitio inferatur conditio instat. Verum S. C. resolvit, instrumentum in favorem Augustini Clementi pro summa scutorum 168, et obolorum 10 esse stipulandum: *Forosempronien., Prælat.*, 25 *januar.* 1749.

10. Bona spectantia ad prælaturam Corradini, quum ex præcepto testatoris alienanda forent, ut ex pretio loca Montium acquirerentur in favorem hæreditatis prædictæ, inter oblatores altercatio facta est, cuinam ex ipsis deberentur dicta bona? ac quum fides de pretio habenda esset, S. C. rescripsit deliberationem in offerentium favorem faciendam non esse, sed renovanda esse edicta, et præcepit, ut Episcopo juxta instructionem [739] scri-

[739] Scriptum est Episcopo, ut deveniret ad novam edictorum affixionem, quæ alios quidem excitent oblatores, obligatoria tamen non sint, ut nullum inde alicui jus quæsitum censeatur, liberum Episcopo relinquentes, si velit,

batur: *Auximana, Vendit. bonor.*, 18 *aug.* 1764. Inde causa reproducta, ac auctis oblationibus, deliberationem arbitrio Episcopi S. C. commendavit: 2 *martii* 1765.

11. Obtenta facultate alienandi nonnulla terrarum frustula a Vincentio Manni abbate beneficiato abbatiæ S. Angeli in Camiliano, controversia inter oblatores de prælatione fuit; sed venditionem faciendam esse in favorem Medardi Bettanzi majoris oblatoris decrevit S. C.: *Nucerina, Vendit.*, 17 *junii* 1780.

12. Moniales S. Mariæ de Nive Placentiæ urbis pro plurimis earum bonis æstimatis scut. 16,300 hastam in foro posuerunt, et illa voci præconis subjecerunt. Oblationem meliorem fecit Paulus Murelli libr. 277,100 id est scut. 158,000. Ob id eadem bona in hujus favorem deliberata fuere die 17 decem. 1785. At die 28 ejusd. mensis, et anni Andreas Bersani obtulit scut. 16,100 quod die 9 januar. sequentis anni denunciatum fuit Murelli. Proinde nova auctio facta fuit, ac accepta fuit Bersani oblatio. Modo postulant moniales apostolicum beneplacitum. Contra autem Murelli protestatus est, suumque contractum jam fuisse perfectum asserens, ac proinde se contradictorem exhibuit. S. C. quippe censuit, stipulandum haud esse instrumentum venditionis ad formam deliberationis diei 17 decem. 1785: *Placentina, Deliberat. et prælat.* 9 *sept.* 1786, *dub.* 1.

13. Sed locus est prælationi in venditione eorumdem bonorum in favorem Pauli Murelli, datis infra duos menses idoneis fidejussionibus per Episcopum approbandis: *Ibid.*, *dub.* 2.

§ VIII.

Contractus emptionis, et venditionis quoad validitatem, et nullitatem.

1. Lucretia Bartolina vineam cum arundineto societati sanctissimi Rosarii in collegiata S. Barnabæ terræ Mareni erectæ, ut absque ullo apostolico beneplacito vendi possit, ac in aliis bonis stabilibus investiri nonnullarum Missarum onere adjecto legavit. Vendita vinea cum arundineto fuit. Sed vicarius generalis occasionne visitationis nullam alienationem pronunciavit, tanquam ecclesiæ præjudicialem. Pro validitate ejusdem institerunt coram S. C. soladitii officiales. Primum S. C. respondit, ut oratores doceant de reintegratione, ac implemento decretorum præfati vicarii. Deinde prævio recessu a decisis alienationem vineæ sustineri, et quoad emptionem Mansionum ad judices suos dixit: *Albanen.*, *Legati*, 3 *octob.* 1705.

2. Sacerdos Ludovicus Romazzotus ad sacros ordines promotus titulo capellaniæ, et cujusdam domus valoris scut. 300 reportata cessione frugiferi crediti in sorte scut. 409 in subrogatione sui patrimonii sacri, consensum præstitit venditioni dictæ domus absque Ordinarii licentia. Sed ad instantiam promotoris fiscalis nulla declarata hæc venditio fuit: *Fanen.*, *Patrimonii sacri*, *et Miss.*, 21 *aug.* 1717, *dub.* 1.

3. Venditio domus, et cauponæ, in quibus consistebant omnia bona cujusdam beneficii, irrita declarata fuit. Pretium namque vigore decti vicarii Rubensis apud tertium depositum fuerat contra legem a S. C. Episcoporum, et regularium præscriptam in suo decreto, quo alienandi facultas facta fuerat Carolo Martiano beneficiato, ut pretium idem unico contextu investire deberet; necnon etiam eadem bona minoris pretii vendita fuere, quamvis prævia accensione candalæ majori oblatori fuerit deliberata: *Ruben.*, *Nullitatis alienat.*, 28 *aug.* 1723, *dub.* 1.

4. Fundata domo Missionis in urbe Firmi a Joan. Baptista Ferro, presbyteri nonnulla emerunt prædia pretio scut. 3300., et summam tantummodo scut. 505 exsolverunt; et de reliqua convenerunt, ut summa 200 quotannis solveretur, et fructus interim ad rationem trium pro centenario compensativi darentur. Dominicus Costa domus prædictæ superior, qui contractum iniit absque apostolico beneplacito, pro revalidatione ejusdem nunc instat. Archiepiscopus ei favet. Proposito hinc dubio, S. C. præfatum emptionis contractum firmum habuit: *Firmana*, 27 *julii* 1726.

5. Venditionem bonorum in castro Vallis, quæ sunt in solo Lateranensi posita una cum duabus ecclesiis dirutis S. Catharinæ, et S. Antonii prævia facultate S. C., validam esse S. C. ead. dixit: *Spoletana, Capellæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 1. Verum reclamante communitate jurepatronatu venditarum ecclesiarum gaudente, quod illæ alienatæ absque capituli Lateranensis consensu fuerant, recessit a decisis: 17 *novem.* 1731, confirmata 12 *febr.* 1735.

6. Joan. Antonius Franchettus præpositus parochialis ecclesiæ S. Bartholomæi Urbini approbante Archiepiscopo, ac potestate tributa a S. C. duo parva prædia ad ecclesiam spectantia Julio, et Joanni Mariæ de Palma pretio scut. 85 vendidit. Postmodum litem excitavit Jacobus, et alii de Laurentiis asserentes eadem prædiola contractu præce-

eos etiam oblatores admittere, qui non integrum patrimonium, sed peculiaria corpora comparare velint; intra congruum tempus peractis tum edicta, tum ipsas oblationes ad S. C. transmittentes: *Ead. causa*, 9 *febr.* 1765, § 2.

denti viva voce prævendita fuisse sibi pretio convento scut. 75. Curia archiepiscopalis utramque venditionem irritam pronunciavit. S. C. tamen venditionem prædictam in favorem Julii, et Joan. Mariæ de Palma sustineri statuit *Urbinaten.*, 8 *maii* 1751, *dub.* 1, confirmata 24 *julii ejusd. anni*.

7. Alienationes ab administratoribus hospitalis ecclesiæ S. Mariæ Consolationis communitatis urbis Tuderti huc usque factæ sine apostolico beneplacito sustinentur; iis tamen, quæ subjacent oneribus Missarum, exceptis. Hospitale enim exemptionis privilegio, et jure distrahendi bona immobilia absque ullo sive Episcopi sive Apostolicæ Sedis beneplacito a Clem. VII, Pont. Max., concesso, gaudebat: *Tudertina, Jurisdict.*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 4.

8. Constat de validitate venditionis prædii *il Colle*, ac domus absque beneplacito apostolico confectæ; nam coacta fuit venditio, postquam illa bona præconi subjecta fuerant juxta decretum curiæ episcopalis ad instantiam creditoris operis pii sacerdotis Benedicti Antonii Fioretti Montis Carotti; etiamsi respiciebat aliud prædium nuncupatum *Fonte de Cisterna* minoris valoris. At a testatore data fuerat exequutoribus testamentariis facultas incumbendi conservationi, ac incremento bonorum, necnon libertas vendendi, ac alienandi absque pii operis damno, quam facultatem cessasse adimpleta voluntate æmuli certabant: *Æsina*, 18 *decem.* 1762, *dub.* 1, confirmata 27 *junii* 1763.

9. Exequutor voluntatis Petri Calcioni, qui animam suam de suis omnibus bonis scripsit hæredem, et celebrationem Missarum fieri mandavit; *in quelle chiese, e da quei sacerdoti, che pareranno all infra scritto esecutore testamentario;* bona magis offerenti vendidit pretio 900, ea conditione, ut enumeratis scutis quingentis, de reliquis scutis 400 celebrarentur in qualibet benevisa ecclesia spatio decennii tot Missæ quot eidem summæ responderent. At dubitans exequutor Moretti cathedralis ecclesiæ prior, ne quid minus recte egerit, quod voluntatis defuncti implementum postulat, ut, an de eo implemento constet, dijudicetur; et de eo constare, rescriptum fuit: *Fulginaten.*, 8 *aug.* 1772, *dub.* 1.

10. Quum Marcus Aurelius ex compatronis unus capellaniæ Peretti alienasset novem capellaniæ prædiola in favorem Seraphini Tocchi scutis 137, domumque pariter vendidisset; etsi laicalis capellania sit, tamen S. C. constare de nullitate alienationum, de quibus agitur, sancivit. Hæc enim attributa bona fuerant capellano sub conditione reversionis, si provisus evaderet, et revera parochialem adeptus est ecclesiam, quam autem retinuit decennio, et inde redintegrationem ad bona capellaniæ licet distracta, assecutus est: *Asculana, Capellan.*, 2 *decem.* 1786, *dub.* 2.

11. Sacerdos Joan. Bernardinus Morichi beneficiatus Lauretanæ basilicæ Joanni Ginamo vendidit jus exigendi annuos scut. 14, reditus cujusdam domus beneficialis pretio scut. 130 cum pacto redimendi semper, et quandocumque. Pœnitentia ductus querelam detulit nullitatis contractus, postulavitque restitutionem domus, et fructuum, quos ad totum annum 1787 præter solutum pretium Ginamus emptor perceperat; et ratæ in omnibus fuerunt preces: *Lauretana, Nullit. contractus*, 20 *aug.* 1788, confirmata 17 *januar.* 1789.

Contractus locationis, et conductionis. Vide *Bona ecclesiastica*, § viii.

§ IX.

Contractus mutui.

Archipresbyter terræ Zagaroli exposuit, quod in platea dictæ terræ sues venduntur obolis 17 pro qualibet decina, si solutio fiat in numerata pecunia; et quod aliqui mercatores divites eadem animalia dare sueverunt habita fide de pretio, ita ut si solutio fiat proximo paschatis Resurrectionis tempore ad rationem obolorum decem, et novem pro qualibet decina solvantur, sin vero ad mensem usque augusti differatur solutio, ad rationem obolorum viginti. Exposuit insuper, quod in eadem terra nonnulli divites pauperibus pecuniam mutuantur, ut animalia suilla emere possint, cum pacto tamen, ut restitutio pecuniæ fiat mense augusti, et mutuanti pro qualibet decina solvantur oboli quatuor præter summam, quæ data fuit mutuo. Quærit modo idem archipresbyter, num contractus hi permittendi sint? sed S. C. respondit, ad Card. Ordinarium, qui provideat, prout de jure: *Prænestina*, 6 *decem.* 1721 [740].

[740] Benedictus XIV, Const. *Prævenit*, 1 nov. 1745 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 579), ob quasdam non valde sanas sententias disseminatas per Italiam de usuris circa mutuum, advocavit plures graves theologos, qui suam sententiam dicerent; et hi communi consensu hæc statuerunt. »

1. Usuram esse peccati genus, quod in contractu mutui suam habet sedem, et est positum in eo, ut ex ipsomet mutuo, quod ex sua natura tantum, et non plus reddi expostulat, quantum receptum est; plus sibi reddi velit, quam est datum. Omne ergo hoc lucrum, quod sortem exsuperat, illicitum, et usurarium est.

2. Neque vero ad istam labem purgandam ullum subsidium accersiri poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius

Contractus permutationis. Vide *Bona ecclesiastica*, § ix.
Controversiæ jurisdictionales. Vide *Congregatio*, § iii.
Convalidatio. Vide *Contractus*, § vi; *Sanatio*, *Sodalitium*, § v.
Conventualis missa. V. *Archidiaconus*, § v; *Archipresbyter*, § vi; *Beneficiati*, § iii; *Canonici*, § iv; *Capitulum ecclesiasticum*, § v; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iv; *Mansionarius*, § v; *Præpositus*, § iv; *Presbyteri*, § ix.
Conventus. Vide *Regularium monasterium*.
Conversi. Vide *Regulares*.
Conversio conjugatorum. V. *Matrimonium*, § v.
Convictores. V. *Seminarium*, § i.
Convocatio. V. *Capitulum ecclesiasticum*, § i; *Clerus*, § i; *Concursus*, § iii; *Synodus*, § i.
Copula carnalis. Vide *Matrimonium*, § xxvii.
Corporis defectus. Vide *Irregularitas*, § ii.
Corruptela. V. *Consuetudo*, § iv. Criminis impedimentum. V. *Matrimonium*, § xi.
Cruciata. Vide *Bulla*, § iii.
Crux quoad elationem, et delationem. V. *Cadaver*, § iii; *Processio*.
Cultus disparitas. V. *Matrimonium*, § xii.
Cumulus. V. *Subsidium dotale*, § v.

CURA ANIMARUM.

1. Circa animarum curam Episcopus debet populorum in duas partes dividere, et unicuique sacrario partem assignare: *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 4.

2. Ad dubium, an quoad curam animarum, quæ a duobus curatis a capitulo electis absque vicariatus erectione, aut a canonicis iisdem ex ordine exercetur, necessariis solemnitatibus erigi debeat vicariatus ad idem curæ munus gerendum? S. C. respondit ab Episcopo curam animarum certæ præbendæ, vel dignitati uniendam, vel perpetuam instituendam vicariam esse: *Maceraten.*, *Visitat. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 10.

3. Quum S. C. ad instantiam PP. Congregationis clericorum minorum translationem curæ animarum collegiatæ, ac parochialis ecclesiæ S. Mariæ Majoris Neapolis ad capellam nuncupatam *dell' Estaurita* ecclesiæ prædictæ contiguam juxta modum, et formam per nuntium præscribendam etiam quoad sacrarium sub die 30 aug. 1698 concessisset; modo putavit non esse locum translationi ad eamdem capellam demandatæ dicta die 30 aug., nisi postquam ea fuerit dilatata ad amplitudinem duarum capellarum Sanctissimi Salvatoris, et S. Pontani juxta oblationem factam a patribus: *Neapolitana, Jur. paroch.*, 3 *april.* 1700.

4. Laudum vicarii generalis confirmatum per sententiam Card. Episcopi in ea parte, qua declarat curam animarum in ecclesia collegiata terræ Gradularum ad priorem, uti parochum pertinere, servandum est; quod idem in veteribus visitationum decretis statuitur: *Montis Falisci, Oner. paroch.*, 13 *martii* 1706, *dub.* 1.

6. Post adeptam possessionem archipresbyteratus ecclesiæ collegiatæ, et parochialis terræ Ferrandinæ sacerdos Eligius de Leonardis controversiam super animarum cura excitavit. Propositum proinde fuit dubium, an cura animarum prædictæ ecclesiæ sit penes capitulum ejusdem ecclesiæ, non solum habitu, sed etiam actu, vel sit penes archipresbyterum pro tempore dictæ ecclesiæ? S. C. ut coadjuventur probationes mandavit: *Archeruntina, seu Materanen.*, *Curæ animar.*, 15 *decem.* 1708, *dub.* 1. Deinde causa reproducta distulit definitio-

causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam summam sit relicturus otiosam, sed eam conferat ad suas fortunas amplificandas. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati et redditi æqualitate consistit, agere ille convincitur quivis, æqualitate illa postposita, plus aliquid vult, quam mutuum postulat.

3. Non negatur, interdum plures titulos concurrere posse, ob quos aliquid plus exigatur, neque negatur alias esse rationes impendendi pecunias absque mutuo, ut plus aliquando, quam a mutuo percipiatur.

4. Ergo in omnibus contractibus, si non servatur æqualitas, usura est, et propterea onus restituendi incumbit.

5. Nunquam demum justi tituli possunt esse, cum mutuo ut plus exigatur, quam æqualitas postulat.

Hanc responsionem Pontifex approbat; monetque Ordinarios, ut curent ostendere populo peccatum grave, quod committit, qui hujusmodi contractus facit; deinde ostendant errorem illorum, qui quamlibet sortem ex pecunia vitiosam ducunt; tum errorem aliorum, qui nullam usuram illicitam putant. Postea qui volunt pecuniam dare, exponant conditiones quibus volunt eam pecuniam dare, ut a foro externo comprobentur; denique reprimant sermones eorum ineptorum, qui quæstiones de usura appellant puras, putantque quæstiones de nomine. Nam magna differentia intercedit inter contractus ultra sortem, et hi contractus in nullo foro confirmantur, et contractus infra sortem, et in utroque foro confirmantur.

nem, ut Archiepiscopus conficiat processum super probationibus hinc inde quoad exercitum curæ, et transmittat, et provisiones archipresbyteratus exhibeant: 7 *decem*. 1709.

6. Curam animarum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris præposito ejusdem ecclesiæ incumbere S. C. resolvit: *Amalphitana*, *Oner. Miss.*, *et curæ animar*. 13 *april*. 1715, *dub*. 1.

7. In ecclesia collegiata S. Pauli urbis Veruli omnimodam animarum curam residere penes abbatem parochum non actualem tantum S. C. decrevit. Nam antea illa ecclesia dumtaxat erat parochialis: *Verulana*, 14 *martii* 1722, *dub*. 1.

8. Curam animarum tam habitualem, quam actualem in ecclesia parochiali S. Nicolai, cui unitæ fuerunt rurales ecclesiæ sine cura, quæ erant in territorio castri Aquavivæ olim Firmanæ diœcesis, et cujus unionem dissolvit Paulus III, Pont Max., conferendo dictas rurales ecclesias duobus presbyteris cum onere in perpetuum inserviendi eidem ecclesiæ S. Nicolai tanquam capellani, ac illius parochiæ incolarum animarum curam hujusmodi gerendi, ac exercendi, esse penes præpositum, et exercitium curæ esse penes eumdem, ac beneficiatos, resolutum fuit: *Ripana, Jur. paroch.*, 15 *decem.* 1725, *dub*. 1.

9. Factis inter parochum ecclesiæ S. Donati, et rectorem ecclesiæ S. Mariæ oppidi S. Donati nonnullis controversiis, disputatio super habituali animarum cura surrexit, posteaquam Episcopus illam ecclesiæ S. Mariæ per vicarium exercendam univit. Et a S. C. decisum fuit, ut posita unione ecclesiæ præfatæ S. Donati cum collegiata, et parochiali S. Mariæ cura habitualis penes dictam ecclesiam resideret: *Sorana, Jur. paroch.*, 7 *april.* 1731, *dub*. 1.

10. Curam omnem animarum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Gedonis non esse penes tantum præpositum, sed penes eumdem actualem, habitualem vero penes capitulum S. C. judicium fuit: *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub*. 1.

11. Cura animarum habitualis terræ Cisternini residet penes capitulum collegiatæ ecclesiæ, cura vero actualis penes archipresbyterum ejusdem ecclesiæ: *Monopolitana.*, *Congruæ*, 28 *sept.* 1737, *dub*. 1.

12. Disceptatur inter Josephum Carmignanum vicarium perpetuum basilicæ S. Mariæ trans-Tyberim, et Fredericum Scamardam coadjutorem perpetuum ejusdem basilicæ, qui promiscue exercent animarum curam, et æqualiter fuerunt curati reputati. Hæc quæstio occasionem præbuit S. C. decernendi curam actualem basilicæ prædictæ non residere penes solum vicarium perpetuum, sed promiscue, et cumulative penes coadjutorem perpetuum: *Romana*, *Jur. paroch.*, 29 *aug*. 1745, *dub*. 1.

13. Cura animarum Casalis Ricinischi partim degentium in territorio urbis Atinæ et partim in altero terræ Gallinarii quoad omnes familias non spectat privative ad ecclesiam collegiatam et parochialem dictæ urbis nec privative ad ecclesiam parochialem ejusdem terræ, sed privative parocho respective territorii, in quo familiæ domicilium habent, incumbit; etiamsi ab immemorabili tempore pertinebat ad canonicos collegiatæ, et parochialis ecclesiæ Atinæ, eorumque capellanos jus parochiale in incolas omnes Casalis Ricinischi, qua parte situm est in territorio Gallinarii, vel saltem in familias, quæ ex Atina decesserant, et jura civica illius urbis semper retinuerant: *Sorana, Jur. paroch.*, 17 *novem.* 1753, *dub*. 1 et 2, confirmata 20 *julii* 1754.

14. Cura habitualis ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Sancti Viti residet penes capitulum non totaliter, et privative, sed conjunctim cum actuali penes archipresbyterum. Hæc enim ecclesia parochialis erat, postea erecta fuit in collegiatam, institutis in ea archipresbyteratus dignitate sex canonicatibus, et duobus capellanis: *Senogallien.*, *Jur. paroch.*, *et præeminent.*, 17 *novem.* 1753, *dub*. 1.

15. Curam habitualem collegiatæ, ac parochialis ecclesiæ terræ Nojæ esse penes capitulum, actualem vero penes archipresbyterum S. C. decernit. Etiamsi archipresbyteri jura, et functiones omnes parochiales soli exercuerint, et si quid unquam, vel a canonicis, vel a primiceriis actum sit, actum fuit venia archipresbyteri: *Baren.*, 28 *aug*. 1756, *dub*. 1, confirmata 3 *decem*. 1757.

16. Jus non habere S. C. censuit priorem, et canonicos regulares S. Isidori Legionensis, exercendi curam animarum ecclesiæ parochialis S. Mariæ de Monte Sion in villa de Herrin per presbyterum secularem, aut alterius ordinis regularem ad eorum nutum amovibilem sine Ordinarii licentia, approbatione, et examine, licet apostolicæ litteræ Julii II, Sum. Pont., occasione unionis dictæ ecclesiæ, illis dictam facultatem tribuant, qua non obstante Episcopi suam jurisdictionem in prædicta ecclesia factitavere: *Palentina*, 9 *febr*. 1760.

17. Quoad ecclesiam S. Laurentii unicam parochialem castri Butrii cum tribus beneficiis in ea erectis, de consensu communitatis patronæ concessa fratribus ordinis Servorum B. M.V. vigore litterarum apostolicarum; quæsitum fuit, an cura habitualis ecclesiæ prædictæ penes solum priorem conventus ordinis supradicti resideat? seu penes omnes religiosos dicti conventus, vel penes totum capitulum provinciale provinciæ Romandiolæ dicti

ordinis? et responsum est, curam habitualem ad conventum spectare: *Bononien.*, 3 *julii* 1762, *dub.* 1, confirmata 23 *april.* 1763.

18. Et dubio, an, et cui competat jus deputandi religiosum sive religiosos pro curæ ejusdem ecclesiæ exercitio? et an, et a quo, seu quibus exercenda sit cura actualis dictæ ecclesiæ? servandas esse constitutiones ordinis, salva approbatione Card. Archiepiscopi responsum datur: *Ibid.*, *dub.* 2 et 3, confirmata *ibid.*

19. Primum firmatum fuit a S. C. Episcopum esse parochum ecclesiæ cathedralis solius in civitate, et territorio Andriæ parochialis, quoad omnes effectus, non vero capitulum ejusdem cathedralis: *Andrien.*, 23 *april.* 1763, *dub.* 1. Deinde prævio recessu a decisis censuit ead. S. C. curam animarum habitualem esse penes capitulum: 26 *nov. ejusd. anni*, confirmata 12 *maii* 1764.

20. Suppressis nonnullis parochialibus ecclesiis in collegiatam ecclesiam S. Mariæ *della Valle* terræ Montis S. Joannis erecta fuit, ac de archipresbyteratu provisus Aloysius Viola, eique assignatus fuit in canonicum curatum Bernardus Antonini, ejusque coadjutor Seraphinus de Rocchis. Dissidia deinde orta sunt super animarum curæ exercitio; postulatum est, penes quem resideat eadem cura tam actualis, quam habitualis? et S. C. quin responsionem præberet, dixit, ut litteræ apostolicæ reportentur, ac reformentur juxta votum Episcopi diei 12 aug. 1775: *Verulana, Jur. paroch., et præeminent.*, 18 *maii* 1776, *dub.* 1, confirmata 9 *aug.* 1777.

21. Censuit S. C. animarum habitualem curam ecclesiæ cathedralis, et parochialis ad capitulum ejusdem ecclesiæ spectare: nam licet idem capitulum vicarii perpetui, seu archipresbyteri nominatione haud gaudeat, ac emolumenta parochialia minime percipiat, nec sacra supellectilia suppetet; tamen praœciæ S. Constantii, alteriusque ecclesiæ parochialis S. Salvatoris unio capitulo facta exhibetur: *Urbevetana*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 1.

Reliqua vide *Abbas*, § III; *Canonici*, § I; *Capitulum ecclesiasticum*, § II.

Curia archiepiscopalis, metropolitana. Vide *Archiepiscopus*, etc.

Curia episcopalis. Vide *Episcopus*.

Curia inferiorum prælatorum. Vide *Abbas*, *Archipresbyter*.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

CAPITUM DECLARATIONUM SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII,

QUÆ IN HOC HUJUSCE EDITIONIS PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

A.

ABBAS, 49, — quoad benedictionem, *ibid.*, — quoad collationem minorum ordinum, *ibid.*, — commendatarius : Vide *Abbas*, — quoad curam animarum, 53, — quoad dignitatem, officium, potestatem et jurisdictionem, 54, — quoad facultatem concedendi litteras dimissoriales, et testimoniales, 63, — quoad fructus, et distributiones, 64, — quoad onera, 65, — quoad qualitatem *nullius*, seu territorium separatum, 66, — regularis. Vide *Abbas*, — quoad residentiam, et absentiam, 67.

ABBATIA exempta, seu nullius diœceseos, 68.

ABBATISSA seu priorissa in genere, 68, — quomodo eligatur, et confirmetur, 69.

ABOLITIO. Vide *Legatum pium*, § VI; *Missa*, § XIV; *Subsidium dotale*, § VIII.

ABROGATIO. Vide *Consuetudo*, § I.

ABSENTIA a choro. Vide *Archipresbyter*, § XI; *Beneficiati*, § VIII; *Canonici*, § X.; *Capitulum ecclesiasticum*, § X; *Dignitates ecclesiasticæ*, § VI,; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV; *Presbyteri*, § IX; — a choro *quoad dispensationem* : V. *Dispensatio*, § I, — a residentia : Vide *Abbas*, § VI; *Beneficiati*, § VI; *Canonici*, § VIII; *Clerici*, § IV; *Episcopus*, § XXI; *Parochus*, § X; *Præpositus*, § VI; *Presbyteri*, § VIII, — a residentia quoad dispensationem : V. *Dispensatio*, § II.

ABSOLUTIO, seu condonatio ab omissa celebratione vel applicatione Missæ conventualis, 71, — ab omissis piis legatis, 72, — ab omissis oneribus Missarum, 75, — ab excommunicatione, 81 — ab interdicto, 83 — a juramento, *ibid.*, — a pœnis ecclesiasticis, seu a censuris in genere, 84, — a pœnis ecclesiasticis, seu a censuris ad cautelam : V. *Absolutio*, §§ IV, V, VII et X; a pœnis temporalibus, 88, — sacramentalis : Vide *Confessarius*, § III; *Sacramentum pœnitentiæ*, — ab omisso servitio chori, *ibid.*, — a suspensione, *ibid.*

ABUSUS. V. *Consuetudo*, § IV.

AC tribunal. V. *Tribunal*, § I.

ACATHOLICUS parochus. V. *Matrimonium*, § XVIII.

ACCEPTIO. Vide *Donatio*, § I; *Legatum pium*, § I; — puellarum : Vide *Monasterium*, § V.

ACOLITATUS, acolytus. Vide *Sacramentum ordinis*.

ACQUISITIO. Vide *Juspatronatus*, § VI.

ACTA in genere, 93, — capitularia : Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XI; — concursus : Vide *Concursus*, — quoad validitatem, vel nullitatem, 94.

ACTIO JUDICIALIS, 95.

ADIMPLETUM. Vide *Legatum pium* § II.

ADJUDICATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII; *Capellania*, § VI.

ADJUNCTI. Vide *Episcopus*, § XXX.

ADMINISTRATIO in genere, 95, — eleemosynarum : Vide *Eleemosynæ*, § I, — hospitalium : Vide *Hospitale*, § II, — quoad pertinentiam et exercitium, 96, — sacrorum : Vide *Episcopus*, § V et XII; *Matrimonium*, *Parochus*, § I; *Præceptum paschale*, *Baptismi sacramentum*, § I; *Sacramentum Eucharitiæ*, § I; *Sacramenti Olei sancti*, *sacramentum Ordinis*, § I, usque ad IX; *Sacramentum Pœnitentiæ*, — seminarii : V. *Seminarium*, § II.

ADMINISTRATOR quoad approbationem et cautionem, 99, — quoad electionem, deputationem, et confirmationem, 100, — eleemosynarum : Vide *Eleemosynæ*, § I, — hospitalium : Vide *Hospitale*, § II, — quoad jura et potestatem, 102, — quoad onera in genere, 103, — quoad reddendas rationes, *ibid.*, — quoad remotionem et demissionem, 105, — quoad stipendium, *ibid.*

ADMISSIO. Vide *Concursus* § I; *Legatum pium*, §, VII; *Mansionaria*, § I; *Presbyteri*, § II; *Subsidium dotale*, § XV.

ADULTERATIO. Vide *Sacramentum ordinis*, § III.

ÆDIFICATIO. Vide *Collegium*, § I; *Ecclesia in genere*, § I; *Ecclesia cathedralis*, § I; *Ecclesia collegiata*, § I; *Ecclesia parochialis*, § I; *Oratorium*, § IV; *Sepultura*, § I.

ÆDILIS, 106.
ÆDIS, ÆDES, *ibid.*
ÆDITUUS, 106.
ÆQUATIO. Vide *Compensatio.*
ÆSTIMATIO. Vide *Bona ecclesiastica,* § I.
ÆTAS in genere, 107,— in beneficiis : Vide *Beneficia ecclesiastica,* § I, — in canonicatibus: Vide *Canonicatus,* § I, — in dignitatibus: Vide *Dignitates ecclesiasticæ,* § I, — quoad dispensationem : Vide *Dispensatio,* § III,—in matrimonio : Vide *Matrimonium,* § VIII, — in ordinibus : Vide *Sacramentum Ordinis,* § VII,— in professione religiosa : Vide *Professio religiosa,* § III, — in sponsalibus : Vide *Sponsalia,* § II, — ætatis defectus. Vide *Dispensatio,* § III.
AFFINITATIS impedimentum: Vide *Matrimonium,* § IX, — impedimentum quoad dispensationem. Vide *Dispensatio,* § X.
AFFRANCATIO. Vide *Emphyteusis,* § III.
AGGREGATIO. Vide *Presbyteri,* § II; *Sodalitium,* § I.
AGNITIO. Vide *Legatum pium,* § I.
ALIENATIO bonorum Ecclesiæ quoad facultatem ac beneplacitum apostolicum, 107,— quoad prohibitionem et confirmationem, 109, — quoad validitatem vel nullitatem, *ibid.,* — Ecclesiæ : Vide *Ecclesia in genere,* § II.
ALIMENTA quibus, et a quibus sint præstanda, et in qua summa, 109.— et sumptus litis: Vide *Matrimonium,* § I.
ALMUTIA, 111.
ALTARE, 112.
ALTARISTÆ, 114.
ALUMNI. Vide *Collegium,* § II, — *Seminarium,* § I.
AMISSIO. Vide *Hæreditas, Juspatronatus,* § I, — *Pensio ecclesiastica,* § I.
AMOVIBILIS parochus. Vide *Parochus,* § IX.
ANIMARUM cura. Vide *Canonici,* § I, — *Capitulum ecclesiasticum,* § II, *Cura animarum.*
ANIMI defectus. Vide *Irregularitas,* § I.
ANNATA. Vide *Media annata.*
ANNIVERSARIORUM reductio, 114, — a quibus, et quomodo celebrari debeat, 116, — quoad emolumenta, 119, — quoad locum celebrationis, *ibid.,*— quoad suspensionem, 120.
ANNUS probationis seu tirocinii. Vide *Professio religiosa,* § I.
ANTICIPATIO. Vide *Subsidium dotale,* § I.
ANTIPHONA a quibus præcinitur, 120.
ANTIQUÆ erectionis canonici.. Vide *Canonici,* § V.
ANTISTES. Vide *Episcopus.*
APERITIO ORIS, 121.
APOSTOLICA bulla. Vide *Bulla apostolica.*
APOSTOLICUM beneplacitum. Vide *Alienatio bonorum ecclesiæ,* § I; *Applicatio,* § II ; *Contractus,* § V; *Emphyteusis,* § II ; *Transactio,* § I, — beneplacitum; seu chirographus: Vide *Breve.*
APOSTOLICUS exequutor. Vide *Exequutor apostolicus,* — nuntius : Vide *Nuntius apostolicus,* — vicarius : Vide *Vicarius apostolicus,* — visitator : Vide *Episcopus,* § XXV; *Vicarius.* § III.
APPELLATIO in concursu parochialium : Vide *Concursus,* — devolutiva vel suspensiva, 126, — quando detur, et sustineatur, vel non, 129, — ad quem interponatur, et de judice appellationis, 130, — a mala Episcopi electione, et reprobatione examinatorum. Vide *Concursus,* § V.
APPLICATIO Missæ conventualis. Vide *Archidiaconus,* § V ; *Archipresbyter,* § VI ; *Beneficiati,* § III; *Canonici,* § IV ; *Capitulum ecclesiasticum,* § V ; *Dignitates ecclesiasticæ,* § IV ; *Mansionarius,* § V ; *Præpositus,* § IV ; *Presbyteri* § IX,— Missæ pro populo : Vide *Archipresbyter,* § VI ; *Capellanus curatus,* § III ; *Dignitates ecclesiasticæ,* § IV; *Parochus,* § V; *Præpositus,* § IV ; *Vicarius curatus,* § V, —Missarum. Vide *Capellanus,* § III, — *Missa,* § I, — seu unio quando, et quomodo concedi debeat, vel non, 132,— beneficiorum. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § XIII ; *Canonicatus,* § II; *Capellania,* § I, — quoad confirmationem, et beneplacitum apostolicum, 144, — quoad interpretationem et extensionem, 145, — legati pii : Vide *Legatum pium,* § III, — pensionis : Vide *Pensio ecclesiastica,* § I, — subsidii dotalis : Vide *Subsidium dotale,* § II, — temporaria quoad prorogationem, 146 ; quoad validitatem vel nullitatem 147.
APPROBATIO. Vide *Administrator,* § I, ; *Capellanus sodalitii,* § II ; *Concionator,* § I ; *Confessarius,* § I ; *Transactio,* § I.
AQUÆ benedictio. Vide *Benedictiones, etc.,*— lustralis aspersio. Vide *Cadaver,* § I.
ARBITRIUM. Vide *Aperitio oris.*
ARBORUM incisio 142.
ARCHICONFRATERNITAS. Vide *Sodalitium.*
ARCHIDIACONATUS dignitas ecclesiastica quoad erectionem, provisionem ac suspensionem, 144.
ARCHIDIACONUS quoad coadjutorem, 151, — quoad dignitatem, jurisdictionem, officium et potestatem *ibid.,* — quoad fructus et distributiones, 153, — quoad privationem, 155, — quoad residentiam, Missam conventualem, ac alia onera, *ibid.,*— quoad stallum in choro et vocem in capitulo.
ARCHIEPISCOPUS seu Metropolitanus quoad appellationem, visitationem, jurisdictionem et potestatem, 156, — quoad collationem sacrorum ordinum, 158.
ARCHIMANDRITA quoad jus convocandi synodum 158.
ARCHIPRESBYTER quoad coadjutorem, 159, — quoad ejus congruam, *ibid.,* — quoad dignitatem, jurisdictionem et potestatem, 161, — quoad fructus, distributiones, et emolumenta 163, — quoad funebria emolumenta, eorumque quartam : Vide *Emolumenta* § II ; *Quarta funerea,* — quoad jurisdictionem episcopalem cum territorio separato 165, — quoad Missam parochialem et conventualem, 168, — quoad officium, et onera, 170, — quoad præcedentiam, et vocem in capitulo, 172, — quod præeminentias, jura et functiones parochiales, 173, — quoad privationem et redintegrationem, 176, — quoad servitium chori et residentiam, 177. — archipresbyteralis ecclesia. Vide *Ecclesia archipresbyteralis.*— archispresbyteratus, dignitas ecclesiastica, 178.
ARCHIVUM, 179.
ARCHIVISTA, *ibid.*
ARS aromataria quoad exercitium medica.
ARTIUM universitas. Vide *Universitas artium.*
ASPERSIO aquæ lustralis. Vide *Benedictiones etc.,*— cadaverum : Vide *Cadaver,* § I.
ASSESSOR. Vide *Judex.*
ASSIGNATIO quibus, de quibus, et quomodo facienda sit, 182.
ASSOCIATIO. Vide *Cadaver,* § III ; *Sacramentum Eucharistiæ,* § III.
ATTENTATA quando, et quomodo dicantur commissa, et quando revocanda, et purganda sint, 185.
AUCTORITAS. Vide *Consuetudo,* § II.
AUDIENTIA, 192.

B.

BACCALAUREATUS. Vide *Doctor.*

BAJULIVATUS, bajulivus. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani* § I.

BAPTISMALES ecclesiæ. Vide *Ecclesia matrix.* — fons quoad benedictionem : Vide *Benedictiones etc.,*— fons quoad erectionem, et retentionem, 192.

BAPTISMI sacramentum quoad collationem, seu jus conferendi, 195, — quoad validitatem vel nullitatem, 169.

BASILICÆ Lateranensis urbis vicarius. Vide *Vicarius basilicæ Lateranensis urbis,* — S. Petri fabrica : Vide *Fabrica basilicæ S. Petri.*

BENEDICTIO abbatis. Vide *Abbas,* § I, — in articulo mortis, 198,—cadaverum : Vide *Cadaver* § I, — concionatoris, *ibid.,*— oratorii : Vide *Oratorium,* § II ; super populum, *ibid.*

BENEDICTIONES aquæ, campanarum,candelarum, cerei paschalis, cinerum, fontis baptismalis, ignis, ovorum, palmarum, puerperarum et sponsarum, 200.

BENEFICIA ECCLESIASTICA quoad capacitatem illa assequendi, seu retinendi 202, — quoad collationem, seu provisionem, et impetrationem, 203, — quoad concursum : Vide *Concursus,* — quoad dotem seu dotationem, 205, — quoad dismembrationem seu divisionem, ac distributionem, 206, — quoad erectionem, et fundationem, 208, — quoad incompatibilitatem, et compatibilitatem, seu pluralitatem, 212, — quoad indultum ea assequendi, vel retinendi : Vide *Dispensatio,* § IV, — quoad nominationem, præsentationem, adjudicationem et institutionem, 215, — quoad permutationem seu commutationem, 218 — quoad privationem, 219, — religionis Hierosolymitanæ : Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani,* § II, — quoad resignationem, cessionem et dimissionem, 220, — sacerdotalia, secularia, simplicia, residentialia, et manualia : Vide *Beneficia ecclesiastica,* § XI, — quoad statum, et qualitatem, 221, — quoad suppressionem et reductionem, 223, — quoad translationem et reportationem, 224, — quoad unionem, et applicationem, *ibid.*

BENEFICIATI quoad fructus, distributiones quotidianas, et emolumenta, 228, — quoad jura, et potestatem, 233, — quoad Missam conventualem, 235,— quoad onera in genere, 236, — quoad præcedentiam, et vocem in capitulo, 242, — quoad residentiam, et absentiam, 243, — quoad servitium chori, *ibid.,* — quoad vacationem, 247.

BENEFICIATUS JUBILATUS coadjutus, et coadjutor, 248.

BENEFICIUM cap. *Odoardus.* Vide *Clerici,* § III, — restitutionis in integrum quoad professionem religiosam, *ibid.*

BENEPLACITUM apostolicum. Vide *Alienatio bonorum Ecclesiæ,* § I ; *Applicatio,* § II ; *Contractus,* § V ; *Emphyteusis,* § II ; *Transactio,* § I.

BONA assignata, et renunciata quoad regressum, 281,— dotalia : Vide *Subsidium dotale,* — ecclesiastica quoad administrationem : Vide *Administratio, administrator, redditio rationum,* — quoad æstimationem, et valorem, 281, — quoad affrancationem : Vide *Emphyteusis,* § III, — quoad alienationem : Vide *Alienatio,* — quoad applicationem : Vide *Applicatio* ; — quoad assignationem, cessionem, dimissionem, et renunciationem, 282, — quoad caducitatem : Vide *Caducitas,* — quoad dismembrationem, divisionem, et distributionem, 284, — quoad dominium, *ibid.,* quoad donationem : Vide *Donatio,* — quoad emphyteusim : Vide *Emphyteusis,* — quoad emptionem, et venditionem : Vide *Contractus,* § V, seqq., — quoad erogationem : Vide *Bona ecclesiastica,* § VII, — quoad evictionem, 285, — quoad fructus, seu reditus : Vide *Fructus,* — quoad hypothecam, *ibid.* ; quoad investimentum, et multiplicum, 286, — quoad locationem, et conductionem, *ibid.,* — monasterii : Vide *Monasterium,* § II, — quoad permutationem, 287, — quoad redintegrationem : Vide *Redintegratio, restitutio,* — quoad reditus, seu fructus : Vide *Fructus,* — quoad refectionem et reparationem, 288,— regularium : V. *Regulares,* § VII, — quoad subemphyteusim, 289.

BREVE, chirographum apostolicum, 290, — quoad aperitionem oris. Vide *Aperitio oris.*

BREVIARIUM, seu officium divinum, 291.

BULLA apostolica, 292 ; — *Cœnæ Domini* die legi solita, *ibid.,* — Cruciatæ, 293.

C.

CADAVER quoad aspersionem seu benedictionem, 294,— quoad exhumationem, et restitutionem, *ibid.,* — quoad funus, quomodo, et a quibus associatur, 296, — quoad sepulturam, 303.

CADUCITAS, 308.

CÆREMONIÆ. Vide *Episcopus,* § XV.

CÆREMONIALE Episcoporum, 310, — cæremoniarum sacrarum magister. V. *Magister sacrarum cæremoniarum.*

CAMERALES. V. *Officiales.*

CAMERARIUS canonicus. V. *Canonicus,* § VIII.

CAMPANA. V. *Tintinnabulum,* — Campanarum benedictio : Vide *Benedictiones,* etc.

CANCELLARIUS, 313

CANCELLI. Vide *Monasterium,* § I.

CANDELA, candelæ, cera, 314.

CANDELARUM benedictio. V. *Benedictiones,* — distributio, et divisio, 316.

CANON. V. *Emphyteusis,* § I.

CANONICA electio. V. *Abbatissa,* § II ; *Canonicatus,* § I ; *Capellania,* § VI, — Portio. V. *Episcopus,* § XVI.

CANONICATUS quoad collationem, electionem, præsentationem, ac institutionem, 317, — quoad dismembrationem, suppressionem, unionem, applicationem, suspensionem, ac commutationem, 323, — quoad dotem, seu dotationem, 325, — quoad fundationem, et erectionem, 326, — quoad incompatibilitatem, privationem, et vacationem, 332, — quoad statum, et qualitatem, 336, — seu præbenda theologalis et pœnitentiaria quoad erectionem, — et collationem, *ibid.,* — seu præbenda theologalis, ac pœnitentiaria quoad congruam, 341.

CANONICI quoad curæ animarum exercitium, 342, — quoad dignitatem, jura, ac potestatem, 347, — quoad fructus, distributiones quotidianas, et emolumenta, 349, — quoad Missam conventualem, 370, — novæ, ac primæ erectionis, et fundationis, 373,— quoad onera in genere, 379, — quoad præcedentiam et stallum in choro, 387, — quoad residentiam, et absentiam, 388, — quoad sacros ordines, 392, — quoad servitium chori, 393, — quoad vacationes, 400, — quoad vocem in capitulo, 402.

CANONICUS coadjutus, et coadjutor, 403, — decanus, senior, et dignior, 406,—hebdomadarius, 408, — honorarius, et supranumerarius, 409, — Jubilatus, *ibid.,* — pœnitentiarius, 411, — regularis, 413, —

sacellanus, et camerarius, 416, — theologalis, 417, — thesaurarius, 422.
CANONIS privilegium. Vide *Clerici*, § III.
CANONISSA, 422.
CANONISTÆ officium, 423.
CANTOR, *ibid.*
CANTORATUS, dignitas ecclesiastica, 424, — officium, *ibid.*
CANTUS Gregorianus, 425.
CAPACITAS. V. *Beneficia ecclesiastica*, § I; *Capellania*, § V; *Legatum pium*, § XV; *Pensio ecclesiastica.*
CAPELLA, 426, — seu oratorium. V. *Oratorium.*
CAPELLANIA quoad applicationem, et unionem, 428, — quoad dismembrationem, suppressionem, et caducitatem, 429, — quoad dotem, seu dotationem, 430, — quoad fundationem, et erectionem, 436, — quoad incompatibilitatem, et capacitatem illam retinendi, 446, — quoad nominationem, præsentationem adjudicationem, electionem, et institutionem, 450, — quoad reductionem, commutationem, et dimissionem, 461, — quoad statum, et qualitatem, 463, — quoad titulum sacræ ordinationis, 468, — quoad translationem, et suspensionem, 470.
CAPELLANUS quoad eleemosynam Missarum 473, — quoad fructus, et emolumenta, 475, — quoad Missarum applicationem, 478, — quoad onera in genere, 481, — quoad onera Missarum in genere, 488, — quoad præcedentiam, jura, et potestatem, 494. — quoad remotionem, privationem, et redintegrationem, 497, — quoad residentiam, et quando celebrare debeat per seipsum, 498, — curatus quoad jura, potestatem, ac functiones parochiales, 502, — curatus quoad electionem, et deputationem, 505, — curatus quoad Missam pro populo, 506, — curatus quoad residentiam, et onera, 507, — curatus quoad remotionem, *ibid.*, — curatus quoad stipendium, et emolumenta, 508, — religionis Hierosolymitanæ : V. *Religio militaris*, § III, — sodalitii quoad jura, præcedentiam, et facultatem sacras functiones peragendi, 509, — sodalitii quoad electionem, et approbationem, 512, — sodalitii quoad onera, *ibid.*, — quoad stipendium, *ibid.*, — seu vicarius exercitus quoad jura, ac facultatem, 513.
CAPITULUM ecclesiasticum quoad convocationem, 514, — quoad curam animarum, 516, — quoad jurisdictionem, et potestatem, 519, — quoad massam fructuum, distributionum quotidianarum, et emolumenta, 524, — quoad Missam conventualem, 533, — quoad munia, et officiales, 543, — quoad onera in genere, 545, — quoad præcedentiam, 549, — sede episcopali vacante, 550, — quoad servitium chori, 553, — quoad statuta, actus capitulares, ac capitularium numerum, 562, — quoad vacationes, 564.
CAPO SALVO. Vide *Contractus*, § II.
CAPSA, 567.
CARCERATIO, 568.
CARDINALIUM congregationes. Vide *Congregatio*, § II, III, IV, V, VI et VII.
CASTITATIS votum V. *Sacramentum ordinis* § XII, — quoad dispensationem. V. *Dispensatio*, § XIV.
CASUS reservati. V. *Confessarius*, § III.
CATECHISMUS. Vide *Doctrina christiana.*
CATHEDRALIS ecclesia. V. *Ecclesia cathedralis.*
CATHEDRATICUM. V. *Episcopus*, § III.
CAUSA judicialis quoad cognitionem, 569, — quoad appellationem: V. *Appellatio*, — capituli : V. *Episcopus*, § IV, — pia : Vide *Legatum pium.*
CAUSÆ matrimoniales. Vide *Matrimonium.*
CAUTIO. V. *Administrator*, § I.
CELEBRATIO anniversarii. V. *Anniversarium* § I et III, — Missæ conventualis : V. *Archidiaconus*, § V; *Archipresbyter*, § VI; *Beneficiati*, § II; *Canonici* § IV; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Mansionarius*, § V; *Præpositus* § IV; *Presbyteri*, § IX, — Missæ parochialis. V. *Archipresbyter*, § VI; *Capellanus curatus*, § III; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Parochus*, § V; *Præpositus*, § IV; *Vicarius curatus*, § V, — Missarum : V. *Capellanus*, §§ I; II, III, V et VIII; *Missæ* § III; IV, V et VI.
CENSURÆ seu pœnæ ecclesiasticæ in genere. V. *Pœna ecclesiastica in genere* § II, — seu pœnæ ecclesiasticæ in genere quoad absolutionem : Vide *Absolutio* § VII; *Episcopus* § XVII, — seu pœnæ ecclesiasticæ in genere quoad jus ferendi : V. *Episcopus*, § XI, — excommunicationis : V. *Excommunicationis censura*, — suspensionis : V. *Suspensionis censura.*
CENSUS quoad constitutionem, impositionem, extinctionem, validitatem, et nullitatem, 573, — quoad fructus, 576.
CERA. V. *Candela etc.* — Cerei paschalis benedictio. V. *Benedictiones etc.*
CESSIO. V. *Beneficia ecclesiastica* § X; *Bona ecclesiastica*, § II; *Juspatronatus*, § VI.
CHIROGRAPHUM. V. *Breve.*
CHORI absentia. Vide *Archipresbyter*, § XI, *Beneficiati*, § VI; *Canonici*, § VIII; *Capitulum ecclesiasticum*, § XII; *Dignitates ecclesiasticæ*, § VI; *Mansionarius*, § VI; *Præpositus*, § VI, *Presbyteri*, § VIII, — absentia quoad dispensationem : V. *Dispensatio*, § I, — servitium : V. *Archipresbyter*, § XI; *Beneficiati*, § VIII; *Canonici*, § X; *Capitulum ecclesiasticum*, § X; *Dignitates ecclesiasticæ*, § VI; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV; *Presbyteri*, § IX, — stallum : V. *Archidiaconus*, § VI; *Canonici*, § VII; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Mansionarius*, § II.
CHRISMA. V. *Sacramentum Confirmationis.*
CINERUM benedictio. V. *Benedictiones*, etc.
CIRCUMSCRIPTIO. V. *Acta*, § II.
CLAVIS, 577.
CLAUSTRA, CLAUSTRALES. V. *Monasterium*, *Moniales*, *Regulares*, *Regularium monasterium*, — clausula *perinde ac valere :* V. *Sanatoria*, etc, — Clausulæ in specie 578, — Clausura : Vide *Monasterium monialium*, § I; *Regularium monasterium*, § I.
CLERICATUS quoad fundationem, et erectionem, 583.
CLERICI seu personæ ecclesiasticæ quoad censuras. Vide *Censuras*, *Censuræ*, — diœcesis alienæ : Vide *Sacramentum ordinis*, § II, — quoad exemptionem, vel subjectionem Ordinario, 583, — quoad irregularitatem : V. *Irregularitas*, — quoad onera, 583, — quoad ordinationem sacram : V. *Sacramentum ordinis*, — quoad percussorem, et offendentem : V. *Irregularitas*, § III, — quoad privilegia fori, canonis, ac beneficii cap. *Odoardus*, 584, — non residentes, et ecclesiæ non inservientes, 585, — quoad vestem, et habitum clericalem, 586, — quoad vitam, et honestatem, 587.
CLERICORUM bona. Vide *Bona ecclesiastica.* — patrimonium. Vide *Patrimonium clericorum.*
CLERUS quoad convocationem, 588, — quoad jura, et potestatem, 589, — quoad onera, 590.
COACTIO in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § XXII, — in ordinibus : V. *Sacramentum ordinis*, § XI, — in professione : Vide *Professio religiosa*, § VII, — in sponsalibus : Vide *Sponsalia*, § II.

COADJUTOR. V. *Archidiaconatus*, § I; *Archipresbyter*, § I; *Beneficiatus*, etc. *Canonicus*, § I; *Parochus*, § II; *Præpositus*, § I.

COADJUTORES. V. *Parochus*, § II.

COADJUTUS. V. *Beneficiatus*, etc. *Canonicus*, § I; *Præpositus*, § I.

COADUNATIO cleri. V. *Clerus*, § I.

COGNATIO carnalis, spiritualis, et legalis. Vide *Matrimonium*, § X, — carnalis, spiritualis, et legalis quoad dispensationem: V. *Dispensatio*, § X.

COGNITIO causarum. Vide *Causa judicialis*, *Episcopus* § IV.

COHABITATIO triennalis. Vide *Matrimonium*, § XV.

COLLATIO baptismi. V. *Baptismi Sacramentum*, § I, — beneficiorum, ac dignitatum. V. *Beneficia ecclesiastica*, § II; *Canonicatus*, § I; *Episcopus*, § X, — confirmationis. Vide *Sacramentum confirmationis*, — ecclesiæ parochialis. V. *Ecclesia parochialis*, § II; *Vicaria perpetua*, § I, — ordinum. Vide *Abbas*, § II; *Archiepiscopus, seu metropolitanus*, § II; *Episcopus*, § V; *Sacramentum ordinis*, § VI.

COLLECTÆ, 592.

COLLECTIO. V. *Eleemosynæ*,

COLLECTOR apostolicus. V. *Subcollector apostolicus*, — Eleemosynarum. V. *Eleemosynæ*, § I.

COLLEGIUM quoad ædificationem, ac fundationem, 592, — quoad alumnos, *ibid.*, — parochorum. V. *Parochorum collegium*, — presbyterorum. V. *Communitas presbyterorum*, — quoad translationem, et subrogationem, 593.

COMITATUS tempore visitationis. V. *Episcopus*, § XXIX.

COMMENDA. V. *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § II.

COMMENDATARIUS. V. *Abbas*.

COMMENDATOR. V. *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § IV.

COMMUNIO paschalis. V. *Præceptum paschale*.

COMMUNITAS ecclesiastica, seu presbyterorum, 594. — laicalis quoad jura, ac potestatem, 594, — laicalis quoad onera, 594.

COMMUTATIO. V. *Beneficia ecclesiastica*, § VIII; *Canonicatus*, § II; *Capellania*, § VII; *Legatum pium*, § V; *Subsidium dotale*, § III.

COMPATIBILITAS. V. *Beneficia ecclesiastica*, § VI.

COMPENSATIO, 595.

COMPULSORIALES litteræ. V. *Litteræ S. Congr. Concilii etc.*

CATHEDRALIS ecclesia. V. *Episcopus*, § VI.

CONCESSIO. V. *Applicatio* § I; *Contractus*, § V; *Ecclesia in genere*, § III: *Emphyteusis*, § II; *Juspatronatus*, § II, — litterarum dimissorialium, ac testimonialium. V. *Abbas* § V; *Episcopus*, § V.

CONCILIUM TRIDENTINUM quoad ejus promulgationem, 596.

CONCIO seu prædicatio, et quibus concionandi facultas competat, 596, — seu oratio panegyrica 598.

CONCIONATOR quoad approbationem, 598, quoad benedictionem. V. *Benedictio*, § II; quoad eleemosynam, et quæsturam, 599, — quoad nominationem, electionem, et præsentationem, 600, — quoad onera, 603.

CONCORDIA. V. *Transactio*.

CONCURSUS ad beneficia, ac parochias quoad admissionem, 603, — ad beneficia, ac parochias quando appellatio, aut interposita appellatione præelectio, provisio, impetratio, et possessio sustinetur vel non, 604, — ad beneficia, ac parochias quoad convocationem, et formam servandam, 611, — ad beneficia, ac parochias quoad interpositionem appellationis, 613, — ad beneficia, ac parochias quoad provocationem, ad novum examen coram judice appellationis, 613, — ad beneficia, ac parochias quoad sanationem, 615, — ad beneficia, ac parochias quoad validitatem, vel nullitatem, 615.

RELIQUA quoad concursus. V. *Ecclesia parochialis*, § II.

CONDONATIO. V. *Absolutio*, §§ I; II et III; *Fructus*, § I.

CONDUCTIO. V. *Bona ecclesiastica*, § VIII.

CONFESSARIUS quoad approbationem, 620, — quoad electionem, et nominationem, 622, — quoad jura, ac potestatem absolvendi, 623.

CONFESSIO sacramentalis. V. *Sacramentum Pænitentiæ*.

CONFIRMATIO. V. *Abbatissa*, § II; *Administrator*, § I; *Alienatio*, § II; *Applicatio*, § II; *Contractus*, § VI.

CONFRATERNITAS laicorum. Vide *Sodalitium*.

CONGREGATIO casuum conscientiæ, 628, — S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præposita, 628, — super immunitate ecclesiastica, et controversiis jurisdictionalibus, 632, — de propaganda fide, 633, — ecclesiastica seu presbyterorum secularium: V. *Communitas ecclesiastica*. — Sacrorum Rituum, 633. — sacri Concilii Tridentini interpretum, 638, — universalis Inquisitionis, quæ *Sancti Officii* vulgo dicitur, 639.

CONGREGATIONES sodalium. V. *Sodalitium*, § II.

CONGRUA. Vide *Archipresbyter*, § II; *Œconomus curatus*, § I; *Parochus*, § III; *Præpositus*, § II; *Vicarius curatus*, § I.

CONJUGALIS usus. Vide *Matrimonium*, § XXVII.

CONJUGATORUM conversio. Vide *Matrimonium*; § V.

CONSECRATIO. Vide *Oratorium*, § III.

CONSANGUINITAS. V. *Matrimonium*, § X.

CONSECUTIO. V. *Beneficia ecclesiastica*, § I; *Legatum pium*, § XV.

CONSENSUS. V. *Matrimonium*, § III; *Professio religiosa*, § VII; *Sponsalia*, § II.

CONSERVATIO. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § II.

CONSERVATOR JUDEX. V. *Moniales*, § I; *Regulares*, § II; *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § V.

CONSERVATORIUM puellarum, 641.

CONSORORES. Vide *Sodalitium*, § IV.

CONSTITUTIO. V. *Census*, § I, — Constitutiones apostolicæ: V. *Bulla apostolica*, — capitulares: V. *Capitulum ecclesiasticum*, § XI, — regularium: Vide *Professio religiosa*, § IV, — societatis: Vide *Sodalitium*, § III, — synodales: Vide *Synodus*, § II.

CONSTRUCTIO. Vide *Ecclesia in genere*, § I: *Ecclesia cathedralis*, § I; *Ecclesia collegiata*, § I; *Ecclesia parochialis*, § I; *Oratorium*, § IV; *Sepultura*, § I.

CONSUETUDO quando abrogata dicatur, vel non, 642, — quando vel quæ auctoritas, et potentia habeatur, vel non, 643, — quoad decimas. V. *Decimæ etc.*, — quoad quartam funerum: Vide *Quarta funerum*, — quando probari debeat, 646, — quando toleranda, vel ut rationabilis servanda, vel ut corruptela improbanda, 646.

CONSULES civitatis. V. *Magistratus*.

CONTINENTIA. V. *Sacramentum Ordinis*, § XII, — quoad dispensationem: Vide *Dispensatio*, § XIV.

CONTRACTUS in genere quoad sanationem: V. *Sanatio*, — in genere quoad validitatem, vel nullitatem,

648, — in specie id est vulgo *a Capo Salvo*, 649, — in specie vulgo *Collaticus, ibid.*, — in specie vulgo *Draghetto, ibid.*,—emphyteuticus; V. *Emphyteusis*,— emptionis, et venditionis quando ei locus sit, et beneplacitum apostolicum concedatur, 650, — emptionis, et venditionis quando convalidetur, confirmetur, vel prohibeatur, 652,—emptionis, et venditionis quoad prælationem, et deliberationem, *ibid.*, — emptionis et venditionis quoad validitatem, vel nullitatem, 654, — locationis, et conductionis : V. *Bona ecclesiastica*, § VIII, — mutui, 655, — permutationis : Vide *Bona ecclesiastica*, § IX.

CONTROVERSIÆ JURISDICTIONALES. Vide *Congregatio*, § III.

CONVALIDATIO. V. *Contractus*, § VI; *Sanatio*, *Sodalitium*, § V.

CONVENTUALIS Missa. V. *Archidiaconus*, § V; *Archipresbyter*, § VI; *Beneficiati*, § III; *Canonici*, § IV; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV; *Presbyteri*, § IX.

CONVENTUS. Vide *Regularium monasterium*.

CONVERSI. V. *Regulares*.

CONVOCATIO. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § I; *Clerus*, § I; *Concursus*, § III; *Synodus*, § I.

COPULA carnalis. V. *Matrimonium*, § XXVII.

CORRUPTELA. Vide *Consuetudo*, § IV.

CRIMINIS IMPEDIMENTUM. Vide *Matrimonium*, § XI.

CRUCIATA. V. *Bulla*, § III.

CRUX quoad elationem, et delationem. V. *Cadaver*, § III : *Processio*.

CUMULUS. V. *Subsidium dotale*, § V.

CURA ANIMARUM penes quem residere dicatur, 430.

CURATUS. Vide *Abbas*, *Archipresbyter*, *Capellanus Curatus*, *Parochus*, *Præpositus*, *Prior vicarius curatus*.

CURIA archiepiscopalis, metropolitana. V. *Archiepiscopus metropolitanus* etc., — episcopalis ; V. *Episcopus*, — inferiorum prælatorum : V. *Abbas*, *archipresbyter*, *præpositus*.

FINIS INDICIS.

Atrebati. — Ex typis ROUSSEAU-LEROY, via vulgo dicta Saint-Maurice, 26.